PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CL.

B. LANFRANCUS CANTUAR., RAYNALDUS REM., ARCHIEPISCOPI. DEUSDEDIT S. R. E. CARD., GERARDUS II CAMERAC., HERIMANNUS MET. BONIZO PLACENT., DURANDUS CLAROMONT., BERNARDUS LUTEV., RADBODUS II TORNAC. ET NOVIOM., AGANO AUGUSTODUN., RUFINUS INCERTÆ SEDIS, EPISCOPI, GUILLELMUS ABB. S. ARNULFI MET., S. WILHELMUS ABB. HIRSAUG., GUIDO ABB. FARF., ROBERTUS DE TUMBALENA ABB. S. VIGORIS, FULCO ABB. CORBEI., ROGERIUS MONAC. BECC., GILLEBERTUS MONAC. ELNON., WILLELMUS CLUS. MONAC., HEMMINGUS PRESB. WIGORN., ODALRICUS PRÆPOSITUS REM., FULCOIUS MELD. SUBDIAC., CONSTANTINUS AFRICANUS CASIN. MON., HENRICUS CLERIC. POMPOS., THEODORICUS S. AUDOENI MON., WILLELMUS PICTAV., JOANNES DE GARLANDIA, ARIBO MUSIC., J. COTTO MUSIC.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1880

CLICHY. — EX TYPIS PAULI DUPONT, VIA DICTA BAC-D'ASNIÈRES. 1335.12.79

SÆCULUM XI

B. LANFRANCI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
OPERA OMNIA

POST DOMNI LUCÆ D'ACHERY CURAS

AD EDITIONEM QUAM OXONII NOVISSIME DEDIT Dr J.-A. GILES, EXACTA, EMENDATA ET AUCTA

ACCEDUNT

RAYNALDI REMENSIS ARCHIEPISCOPI, DEUSDEDIT S. R. E. CARDINALIS, GERARDI II CAMERACENSIS, HERIMANNI METENSIS, BONIZONIS PLACENTINI, DURANDI CLAROMONTANI, BERNARDI LUTEVENSIS, RADBODI II TORNACENSIS ET NOVIOMENSIS, AGANONIS AUGUSTODUNENSIS, RUFINI INCERTÆ SEDIS, EPISCOPORUM, GUILLELMI ABBATIS S. ARNULFI METENSIS, S. WILHELMI ABBATIS HIRSAUGIENSIS, GUIDONIS ABBATIS FARFENSIS, ROBERTI DE TUMBALENA ABBATIS S. VIGORIS, FULCONIS ABBATIS CORBEIENSIS, ROGERII MONACHI BECCENSIS, GILLEBERTI MONACHI ELNONENSIS, WILLELMI CLUSIENSIS MONACHI, HEMMINGI PRESBYTERI WIGORNIENSIS, ODALRICI PRÆPOSITI REMENSIS, FULCOII MELDENSIS SUBDIACONI, CONSTANTINI AFRICANI CASINENSIS MONACHI, WILLELMI PICTAVIENSIS, JOANNIS DE GARLANDIA, ARIBONIS MUSICI, J. COTTONIS MUSICI

SCRIPTA VEL SCRIPTORUM FRAGMENTA QUÆ EXSTANT

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1880

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CL CONTINENTUR

ANNO DOMINI MLXXXIX

B. LANFRANCUS

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS ET ANGLIÆ PRIMAS

PROLEGOMENA.

SERENISSIMO PRINCIPI DE CONTY, ARMANDO BORBONIO.

Acerbissimus animum dolor lancinabat, serenissime princeps, cum viderem magnum Lanfrancum, splendidissimum mundi oculum, situ et squalore obsitum sordere, densissimis obductum tenebris perpetuum pati deliquium; qui cum eruditionis, tum sanctitatis facibus, sic inter cætera orbis lumina quondam emicuit.

Qualis discutiens fugientia Lucifer astra,
Cum roseo clarum provehit ore diem (1).

Nunc autem, divino afflante numine, querelis meis modus imponitur, dum, eliminata nocte tenebrarumque expulsa caligine, clarissimum in Occidente nostro sidus oritur, Galliamque postliminio invisit, ut errorum nebulas sapientiæ suæ luce discutiat. Et sane Ecclesiæ suæ supremus ille Moderator opportune consuluit, cum hac tempestate Lanfrancum quasi ex oblivionis tumulo redivivum excitavit, ut hoc sæculo redivivam hæreseos hydram, non ex Lernæo sed ex Lemano lacu emersam, eodem quo perfidum olim Berengarium suæ doctrinæ telo confodiat. Pugnaturus itaque cum infensissimis fidei hostibus iterum in arenam descendit, eumque principem ad perfugium quærit, in cujus sinu et tutela fortiter dimicare, vincere gloriose, quiescere cum fiducia possit. Commode igitur sese ad te recipit, in quo uno omnia quæ ad securitatem certaminis, spem victoriæ, celebritatem triumphi desiderare posset, abunde reperturus est. Dabit ipsi regii generis splendor ornamentum, pietas perfugium, humanitas favorem, eruditio præsidium, æquitas suffragium, virtus firmamentum.

Nec vero quemquam movere poterit quod te divini hujus operis assertorem elegerim, si modo intelligat me Lanfranci nostri virtutes, in te velut in nitidissimo speculo relucentes, observasse, adeo ut dolere desierim Galliam Lanfranco orbari, ubi totum in te superesse adverterem, easque dotes, quas in eo universus quondam orbis obstupuit et coluit, in te pari honore venerandas agnoscerem. Quas quidem non meis lineamentis, sed tuis coloribus expressas et in omnem posteritatem transfusas, cum singulari admiratione memoria sæculorum intuebitur.

Beatus Lanfrancus, ingeniorum phœnix suæque ætatis miraculum, ad id doctrinæ et eruditionis venit quod superiora sæcula vix in alio viderunt, posteriora admirari magis quam imitari potuerunt. Ad eum, velut ad alterum Salomonem, non modo ab ultimis Galliæ finibus, sed remotissimis etiam Europæ provinciis frequentissimo concursu celeberrimi quique convolabant, ut amplissimum illud divinæ sapientiæ theatrum suspicerent (2). Athenas in Beccense cœnobium transtulit, Romanæ decus eloquentiæ in Galliam evocavit; ejus ludus, toti Europæ officina sapientiæ, vel equus Trojanus, ex quo clarissimi doctrinæ duces in Christianæ reipublicæ commodum et ornamentum prodierunt. Eo fulminante Græcia exhorruit, Italia ingemuit, Gallia triumphavit. Sic te tua, serenissime princeps, eruditio singularis toti orbi spectaculum exhibuit, atque omnium in te animos oculosque convertit. Quis enim ad stuporem usque non est demiratus mentem tuam quodam igne volucrem, quam nulla difficultas remoretur; sagacitatem animi, cui nihil impervium objicitur; ingenii, torrentis instar exundantis, fœcunditatem? Ingenuarum artium succo a teneris feliciter enutritus, splendidissimum Minervæ sacrarium exstitisti; et dum, Cæsare major, frater tuus, princeps invictissimus, armorum fulmen, Germaniæ et Belgii terror, Galliæ columen, Martis castra sectatus, imo Mars alter, bellicas suo ense lauros demetit, tu, mitiora secutus Minervæ castra, in umbratilis vitæ studiis artium laureas palmasque collegisti. Et primæ quidem illæ visæ sunt surgentis tanquam ingenii faces, quibus ad majora præludens eluxisti. Volitavit ingenii vigore inclyta per antiquorum encyclopædiam adolescentia, et supremum brevi scientiarum attigisti apicem, cœlestisque ingenii pennis subnixus in secretiora theologiæ mysteria penetrasti. Quamvis autem nobilissimis artibus et

(1) Guillelmus Malmes. lib. III De gest. Reg. Anglorum, agens de Lanfranco.

(2) Milo Crispin. In Vita B. Lanfranci; Malmesbur., lib. I Pontif. Anglorum. Chronic. Beccense.

scientiis animum tuum plurimum exornaris, minus A est tamen quod tibi contulerunt quam quod a te ornamentum acceperunt; eas siquidem regii tui sanguinis communione quadam regias fecisti, et ad tantæ dignitatis evexisti fastigium, ut sicut omni honore et dignitate major es, sic nec ipsis honoris aliquid aut excellentiæ possit accedere. Singularis eruditio B. Lanfranci nihil de ejus virtute et pietate detraxit, sed mutuo amicitiæ fœdere, et communis societatis commercio doctrinæ pietatem conjunxit. Ejus vita clarissimarum virtutum imago exstitit, norma morum, vitiorum censura. Edomandis errorum monstris, proterendis hæreseon portentis, exterminandis vitiis jugiter insudavit. Primævum Benedictinæ observantiæ vigorem in ordine restauravit, et, ut ejus scriptor vitæ loquitur (Milo Cri- B spinus), « cœnobialem ordinem qui prolapsus ad laicalem dissolutionem fuerat, ad probatissimam monasteriorum disciplinam reformavit ». Labentem itaque ordinem fulcivit, torpentem excitavit, renascentem fovit, adultum roboravit. In qua re, serenissime princeps, non absimilem navasti operam. Neque opus est ea pluribus comprobare, quæ solem ipsum testem habuerunt. Ipsi, ipsi sumus tibi manifestissimum tuæ virtutis monumentum, nostroque commodo experti quo animi studio Benedictino ordini instaurando incumberes, qua benevolentia congregationem nostram complectereris, qua munificentia ornaveris, qua cura propagaveris. Quod trium monasteriorum accessione non ita pridem aucta sit, a te habet. Quod floreat, tuum est. Quod incon- C cussa permaneat, tibi debet. Tanti beneficii gratiam tibi acceptam referri si non agnoscimus, cæci; si non profitemur, simul ingrati. Minime vero his angustioribus cancellis tua pietas clauditur; latius sese diffundit, atque in commune totius Ecclesiæ bonum exuberat, quæ in te præsidium repertura est eo potentius quo te regii sanguinis splendor sublimius evexit.

Cæteras dotes quibus B. Lanfrancum refers enumerarem, nisi me illa, qua Lanfrancum quoque imitaris, animi modestia retineret. Eæ sunt quæ spirantem in te Lanfrancum oculis nostris exhibent, et ut eum tibi uni sisterem a me exegerunt, insignissimum puta theologum, theologorum hujus ætatis corypheo, ordinis restitutorem studiosissimo ejusdem propagatori, principem regiæ stirpis principi. Haud equidem temere Lanfrancum principem nuncupavi, « qui absente rege princeps erat, et custos Angliæ, subjectis sibi omnibus principibus, et juvantibus in iis quæ ad defensionem et dispositionem vel pacem regni pertinebant secundum leges patriæ (3). »

Illustrissimum ergo principem (ut spero) ea qua infimos etiam soles humanitate apud te admittes, cujus eruditionem adeo veneratus est Alexander papa, ut eum in singularis benevolentiæ argumentum duplici pallio insigniret, et ab ejus tenerrimo vix divelli pateretur amplexu (4). Tuo illum favore dignaberis, quem principes magnifice exceperunt, reges in deliciis habuerunt, præsules summa observantia coluerunt, quem anxiis votis Anglia, imo totus orbis expetiit. En scilicet ea malus situ præcelsa, specie eximia, fructuum ubertate luxurians, B. Herluino cœlitus demonstrata (5), quam ex opimo Galliæ nostræ solo evulsam, nimium gloriæ nostræ invidens Guillelmus rex in Anglici regni horto consevit; sed hodie primigenio solo restituta, pristinam per te fecunditatem recuperat, et in gentis nostræ decus et emolumentum reviviscens, suis melius fixa radicibus, felicius pubescit, adolescit generosius, funditur uberius. Quamobrem quoties Lanfrancum nominabit posteritas, tuæ gratiæ meminerit. Nos interim immortale hoc gratiæ donum animis nostris alte inscribemus, quo immortalis vigeat apud nos tuorum beneficiorum memoria. Ego vero totius congregationis S. Mauri nomine illud polliceor profiteorque.

Serenissimæ tuæ celsitudini deditissimus devotissimusque orator.

F. Lucas Dacherius.

Ejusdem congregationis asceta Benedictinus.

(3) Idem Milo et Malmesburg. ubi supra.

(4) Iidem auctores locis citatis.

(5) Gilbertus Crispin in Vita beati Herluini.

AD LECTOREM.

Ita est, Lector, nequaquam mens fuisset magni D Lanfranci evulgationem aggredi, nedum adnotationibus illustrare, ni jussissent animumque addidissent, e quorum nutu pendeo totus, superiores, necnon et plures viri docti, cum verbis, tum litteris impensius adhortassent. Et vero suæ inscitiæ non nescius, cœnobiticis exercitamentis necessario interpellatus, ac proinde interruptis studiis duntaxat incumbere valens, tam nobile opus digne, et pro rerum gravitate, in lucem prodere, notis et observationibus adornare quis potest? En causa, ut scias, benigne lector, cur tandiu beatissimi illius archiepiscopi opera publici juris facere protelaverim, et cur votis nonnullorum ocius ac felicius forsan non responderim. Ut ut sit tandem, quod bono animo contuli, æqui bonique consulas velim.

In hac porro editione quid præstiterimus paucis non abs re erit aperire. Vitam B. Lanfranci, publicam a nobis in lucem emissam, ipsius operibus præfiximus; multa tamen notatu dignissima, et varietate jucunda, quæque viri scientiam, doctrinam, pietatem, sapientiam spectabiliorem reddunt, auctor prætermisisse videtur, nos pro singulari in sanctissimum doctorem devotione, ex diversis præ-

cipue coætaneis vel supparibus scriptoribus ea colligere, notisque et observationibus inserere sumus majorem in modum delectati. Adjecimus his fundationes et privilegia monasteriorum Sancti Stephani, necnon Sanctissimæ Trinitatis Cadomensium; eorum enim auctor fuit ac veluti fundator B. Lanfrancus; in summo versabantur discrimine (quemadmodum suis locis indicavimus) atque hæc ipsa exoptabant docti viri permulti. Illæ tandem adnotationes non spernendis monumentis, in pulvere et situ luctantibus, fuere a nobis decoratæ.

Elucubrationes in Epistolas B. Pauli, propter operis dignitatem, primum obtinent locum; SS. Ambrosium et Augustinum continuo ferme, bis aut ter solummodo SS. Hieronymum et Gregorium Magnum in medium profert, præfertque suæ sententiæ auctor noster. Loca citavimus B. Augustini, præter paucissima; sancti vero Ambrosii nullatenus, quippe inter ejus opera ne verbum quidem citatorum a B. Lanfranco, etsi diutius multumque in illis adinveniendis desudaverimus, licuit invenire; sed maxime ab Epistola ad Romanos ad Epistolam ad Galatas usque; siquidem in Epistolas ad Romanos et ad Corinthios verba sub nomine D. Ambrosii producta, in Commentario ipsi perperam ascripto occurrere nonnulla; haud equidem consequenter, sed una aut altera linea intra paginæ dimidium identidem desumpta videtur, nonnunquam duo aut tria verba. Unde magna mihi suspicio est B. Lanfranci ævo Commentaria sancti Ambrosii exstitisse, quæ ad nostra tempora haudquaquam pervenerunt, vel latere alicubi. Ab hac conjectura minime abhorret Antonius Possevinus in Apparatu sacro de hisce Commentariis agens: « Jam vero, inquit, Commentarios in Epistolas Pauli non esse Ambrosii, hosce qui dati sunt prelo, sed interiisse persuasum est fere doctoribus. »

Agnoveris etiam in hoc eodem Lanfranci Commentario quasdam sententias, quæ Ambrosii nomen præ se ferunt, revera esse Augustini, videlicet, pag. 128, in Epist. ad Galatas, ad hæc verba capitis 3: *Mediator autem*, etc., *si Filius Dei naturali*, etc. Item ibidem, pag. 129: *Sed conclusit Conclusio*, etc. Et ad caput 4 ejusdem Epistolæ pag. 131: *Elementa id est*, *temporibus servitutis*, etc. Exstant hæc apud Augustinum, lib. Expositionis Epistolæ ad Galatas, ante medium. Et hæc objicienda putavi, quatenus si qua id genus offenderis, lector, colligas ea promiscue et oscitanter a librario fuisse B. Ambrosio assignata. Omnia autem percurrere, atque ad amussim revocare, et locos ex utroque doctore ab eodem Lanfranco mutuatos conferre, ingentis esset (ne dicam humanas propemodum vires excedentis) et laboris forsitan vacui.

Caducæ adeo erant litteræ ac minutissimæ (coætanea tamen et non ineleganti manu exaratæ), uti visum fugerent aliquando; lituris insuper Commentarius plerisque in locis contaminabatur, mendis non carebat, asteriscis et obelis subobscuris mar-

A ginulæ onerabantur. Obliqua multa et transversa inerant, ita quod ordo textus Epistolarum minime servaretur, verum quæ ex uno auctore proferebantur in qualibet pagina, v. g., S. Augustini continuo scripturæ ordine inverso, expendebantur. Verumtamen cum nullum aliud exemplar (licet diversis diversarum regionum viris doctis, et antiquariis, Anglis præsertim, Nortmannis, et Belgis scripsissem, ob idque plurimas Parisiis Bibliothecas lustrassem) suppeditari potuisset, omnem curam, omnem laborem, omne studium, omnem denique industriam adhibui ut quam castigatissime Commentarius iste, ad limam sæpius et incudem revocatis sententiis, ederetur; impedire nihilominus id operæ nequivit quin errata irrepserint, sicut et in appendice, quod
B minus studiose diligenterque chalcographi sese habuerint.

Glossula quidem interlinearis in autographo exstabat, sed cum obscuritatem ingerere videretur (litteram enim grammatice explanat subinde) interjectam, nimirum explicatius verba enodantem placuit evulgare; ab auctoris tamen et mente, et sensu verborum, non transversum, ut aiunt, unguem discessi. At quantum fas fuit, potuique divinare, germana Lanfranci verba descripsi, et ubi litteras sensumve explicare non valerem, puncta interjeci loco verborum; vel sane si quando obscuriora attexuerim, in margine conjecturas adjeci.

Loca divinæ Scripturæ cum vulgatis Bibliis, et sententias B. Augustini cum editione Antuerpiensi,
C omnium castigatissima, contulimus: Quantum ad S. Ambrosium, conferre licuit nihil, propter rationes superius allatas.

Et quia B. Lanfrancus glossula sua continuo prope textum emendat, nos ea de re glossulam, ubi simplex fuit correctio, subticuimus, et Vulgatam hanc ipsam sumus in nostra editione secuti, paucis saltem exceptis quæ inconsulto irrepsere, exempli gratia, *holocaustomata* pro *holocautomata*, quamvis idem sonent.

Illo in Commentario duas potissimum ob causas (mea sententia) brevitati studuit auctor; altera est quoniam id tunc temporis, ac multo prius, divinarum rerum commentatores sacram Scripturam λακωνικῶς interpretabantur; altera vero, quia studii
D parum, meditationis quamplurimum divinis in Scripturis intelligendis, usu probe vir ille divinæ theoriæ scientissimus noverat insumendum.

Loca e Petri Lombardi lucubrationibus in Paulum descripta ac initio Commentariorum a nobis attexta, aliud opus in Epistolas Apostoli edidisse Lanfrancum indigitare videntur, utpote quæ, præter duo posteriora, minime prostant in his Commentariis. Forte aliud sepultum hactenus pulvere, blattis tineisque deprædantibus exesum. Cum vero ullus dubitationis meæ assertor nusquam occurrat, quod publicamus Commentarium nobis interim fuerit solatio.

Tractatum De eucharistiæ sacramento (repetita

editione multoties evulgatum[1] primus eruit Franciscus Carreus seu Quadratus, Beccensis cœnobita, quod ipsemet in sua, quam tractatui præfiximus, nuncupatoria epistola commonstrat. Sed vero cum in illa Carrei editione Berengarii professionem pontifice Gregorio VII factam, et quædam præcedentia et subsequentia verba animadvertissem, ab his videlicet, *Ad hæc Gregorii septimi*, etc., ad illa : *Cum autem sub Nicolao*, etc. adjecta fuisse ab evulgatore hacce conjectura movebar : haud enim me latebat B. Lanfrancum epistola 3 ad Alexandrum papam tractatum suum De corpore et sanguine Domini contra Berengarium, Cadomi abbatis fungentem officio, elucubrasse professum ; constabatque Gregorium non eadem tempestate, verum plus tribus post annis fuisse creatum (cum jam in Cantuariensi cathedra sederet Lanfrancus) ac proinde dictam professionem suo libello inserere haud potuisse videbatur.

Deinde collato Tractatu ad tria ms. bibliothecarum Regiæ, Beccensis et Petavianæ, necnon ad omnes quæ occurrerunt editiones cum ejuscemodi professionis ne vel minima syllaba legeretur, magis augebatur suspicio. Nihilo tamen secius additamenta esse quæ protulimus non est cur affirmemus, quandoquidem adjecisse ea B. Lanfrancum, elaborasseque ut amplior atque emendatior foret libellus, vero simillima est ratio ; quod et solent plerique auctores, sæpiuscule opera a se edita sub incudem revocare. Non hic immoror in commendando præconiis isto opere aureo ; satis enim superque de eodem supra numerum tradidere scriptores, et nos pariter in observationibus ex iisdem adnotavimus plura. Mendis, quibus scatebat, expurgavimus, distribuimusque in capita libellum, et citationibus (discussis prius cum ms. vel editis codicibus) margines adornavimus.

Proxime sequuntur decreta pro ordine sancti Benedicti (De annotatiunculis ad Cassianum dictum est in observationibus ad Vitam pag. 41 et 252) semel duntaxat typis ab erudito æque ac pio Benedictino congregationis Anglicanæ Clemente Reynero mandata, sed enim characteribus obliteratis mendisque libraria oscitantia passim referta; quæ, prout facultas suppetiit (nullus enim Codex ms. occurrit), correximus ; colis, cæsis et punctis plurima ex parte distinximus, nonnullaque capita (sua prolixitate importuniora) in sectiones varias divisimus. Enimvero, ut dicam quod sentio, gravitatem stylique majestatem B. archiepiscopi non referunt ubique (scio in hoc scribendi genere concinna verba non esse quærenda); ea propter suspicor multa mihi decreta a consarcinatore congesta fuisse, et revera id demonstrare videntur quæ, capitis 2 sectione 2. pag. 257, D. habentur, ubi ille ipse citatur Lanfrancus : « Cantent matutinas (Decretas Lanfranci) laudes. » Et, cap. 8, sect. I, præscribitur ut cellerarius, quo die computuum rationem reddet, festivum prandium fratribus exhibeat ; quod plane

A virum sanctum summæ abstinentiæ addictum, ac monachos, sanctæ regulæ observatores, qui in resarcienda disciplina monastica omnem operam navarent, dedeceret. Cæterum instaurationem vitæ solitariæ, quæ asservatur in collegio Benedictino Cantabrigiæ, aliam minime esse a Decretis, sive, ut vocant, Cæremoniis, fidem facit Seldenus ad Eadmeri Historiam præfatione.

Ad epistolas quod attinet, adhibuimus ipsissimum exemplum cujus meminit cardinalis Baronius Annal. ecclesiasticorum tomo II, ad annum 1070 (illorum etenim nonnullas ad sacram Historiam spectantes, eisdem Annalibus intexuit), qui posteaquam Lanfranci epistolam Alexandro II inscriptam retulit, ista profert : « Hucusque epistola ad Ale-
B xandrum pontificem, quam accepi una cum aliis ab amico conjunctissimo mihi christiana charitate Nicolao Fabro Parisiensi. » etc. Fabrum ex celebri bibliotheca Cottoniana in Anglia accepisse testis mihi est idem qui supra Seldenus loco citato. Atque illud quidem apographum liberalissime communicavit doctissimus Sirmondus; quo potissimum in nostra hac usi sumus editione. Suppetias quoque attulit exemplum earumdem litterarum (e monasterio, ni fallor, Sancti Stephani Cadomensis) ab eruditissimo Joanne *le Prévôt* Rothomagensi canonico transmissum. Unam aut alteram ex Vita B. Lanfranci et Eadmeri Historia excerpsi ; trigesimam septimam (cujus initium duntaxat utrumque apographum continebat) integram misit idem *le Prévôt*,
C quemadmodum suo loco adnotavimus. Porro complures alias scripsisse litteras nemo qui non videat; quippe cujus doctrina, virtus, prudentia, sanctitas per universam pene Europam insonuerat; quique cum a summis pontificibus, tum ab episcopis, tum etiam a principibus, et aliis cujuslibet conditionis hominibus consulebatur; at ne saltem unam ab eo exaratam, priusquam infulas deferret, fas fuit reperire : obvolutæ fuerunt haud dubie sub ruinis, dum circiter an. 1624, ditissima illa atque omni veneratione digna ruit Beccensis Bibliotheca (proh dolor ! quanta pernicies viris litteratis) ubi scilicet codices mss. cura et studio tam B. Lanfranci quam S. Anselmi elucubrati et castigati, studiose asser-
D vabantur.

Notas et observationes adjunximus, et, quantum nobis integrum fuit resque postulavere, vetusta monumenta hactenus carie et squalore fœdata, susquedeque habita interseruimus; quæ spero antiquarum rerum curiosis exploratoribus fore non injucunda : tametsi quædam benigna manu expungi ab eis peropto, maxime quæ, pag. 338, ex pervetustis membranis formulam denuntiandæ mortis defuncti monachi produxisse me affirmavi ; siquidem hanc ipsam jampridem prelo suppositam, et Marbodi episcopi Redonensis operibus præfixam fuisse intellexi.

Neque mihi succenseas oro, quod sæpiuscule forsan res monasticas qualibet data occasione videar

congessisse ; duæ præsertim causæ sunt quæ me ad A hoc impulerunt. Altera id rei exegit (per se patet) ut plerumque easdem pertractarem ; altera, quia coram et scriptis identidem me convenerint viri non mediocriter eruditi, nonnihil, quæ ad ordinis Benedictini antiquitatem ac splendorem spectant in dubium revocantes, varias disputationes instituerunt, puta de antiqua et universali regulæ in Galliis observatione, de insignibus sanctitate et scientia viris qui inter sodales ejusdem ordinis solent recenseri ; quibus ut facerem satis, cum locupletissima seges exsurgeret, longius sermonem porrigendum putavi. Certe quidem priusquam hoc opus notis et observationibus concinnare aggrederer, me procul dubio nonnullorum criticis lectorumu nguibus et lituris vapulaturum identidem mente revolvi Etenim satis B mihi compertum semper fuit primæ in dicendo celebritatis viros, et scientia præstantissimos, deletiles censorum spongias diu pertulisse. Ecquid mirum ergo, si mihi laboris primitias eventilanti hoc eveniat? Et sane cum Christus ipse id haudquaquam præstiterit ut omnium votis responderet.

Multum deliro, si cuique placere requiro.
Omnia qui potuit hac sine dote fuit.

Verum enim vero si quid animadversione dignum prudens et eruditus lector adverterit, verbis litterisve certiorem me reddat impense rogo ; cujus monitis submisso lubentique animo acquiescam, atque in editione repetita (si vitam dederit et otium fecerit C Deus) quidquid corrigendum notaverit, emendare et calculum reducere non gravabor ; scio namque scriptum : *Qui odit correptionem, odit sapientiam*. De hoc genere esse nolim hominum qui, quidquid in buccam venerit, vel aliquod opus compegerint, magis, quam fabrefecerint, statim extollunt et dignum existimant a nemine reprehendi ; quin etiam, ut approbent omnes et lecturiant, seipsos ostentant.

Subsequitur epistolas pericope orationis a beato Lanfranco in Londoniensi concilio dictæ. Hanc, opinor, Malmesburiensis ex illius Historia ecclesiastica mutuavit. Posteriorem locum obtinet libellus De celanda confessione, quem verum illustrissimi nostri archiepiscopi fetum, ubi in manus primum devenisset, mihi non probatum fatear oportet ; quippe D verborum sensus subobscurus, implicatæ sententiæ, opiniones nostro ævo non vulgares apparebant ; unde abhorrebat animus inter tanti viri opera id genus opusculi adnumerare, qui tam laute, eleganter et dilucide suis in aliis scriptis eloquitur. Verum propius verba cum dispexissem, sensum observassem expendissemque æqua lance sententias, non has singulares aut alienas a cæterorum theologorum, imo vero in easdem cum suppares, tum medios quotquot revolvi auctores pedibus ire animadverti, quemadmodum suo loco assertum est. Haud inficior tamen quibusdam in locis sensum abstrusum, neque facili negotio posse explicari. Quod amanuensium vitio atque inscitiæ vertendum, cætera B. Lanfranci scripta percurrentem qui non perspiciat arbitror neminem.

Nec mirum, opinor, apud te fuerit, lector, magnum Lanfrancum, adeo multiplicis litteraturæ summæque doctrinæ locupletem ab universis propemodum scriptoribus celebratum, paucissima sui ingenii ac peritiæ posteris consignasse monumenta, quippe qui tempus, operam et studium in erudienda juventute, in diversis auctoribus prælegendis, et theologia edocenda, confutandaque coram et scriptis Berengagariana hæresi, antequam archiepiscopatus munere donaretur : post vero, in subeundo primatus onere ponderoso totum seipsum tradidit : atque in dirimendis Ecclesiæ controversiis et pace promovenda, in corrigendis et ad unguem elimandis tum libris sacris, tum etiam sanctorum Patrum scriptis, quæ ignorantiora ecclesiasticorum et librariorum inscitia adultaverunt, immensos labores et sudores exantlavit. De his fuse in ejus Vita et epistolis atque observationibus ad utrumque. Haud dissimili ratione complures e Benedictina familia spectatæ doctrinæ viri, diversis Ecclesiæ muniis implicati, multa utique scripta elucubrare nequiverunt. Næ tu, candide lector, conatibus nostris fave, votis obsequere ; et sicubi magni illius archiepiscopi Commentarium in psalmos, et Historiam ecclesiasticam, seu, ut aliis placet, Vitam Guillelmi Conquestoris, delitescere cognoveris, mihi litteris significes rogo obtestorque.

Appendicem subjecimus ad ornanda potissimum beati Lanfranci opera, in qua prima fronte Chronicon Beccense offendes, quod ad integritatem oneris ideo conferre putavi, quia beatus iste archiepiscopus una cum B. Herluino ejusdem cœnobii exstructor fuit ; in eoque optima disciplinæ monasticæ fundamenta jecit. Primus inibi scholas aperuit, discipulos singulari scientia et doctrina eatenus imbuit, quo ad supremas Ecclesiæ dignitates evecti universum orbem ecclesiasticum suo splendore illustrarent. Et id quidem pluribus post sæculis perseveravit. Testes sunt qui in Beccensi academia pietati ac litteris operam dedere, Alexander II papa ; archiepiscopi Anselmus et Theobaldus Cantuarienses, Guimundus Aversanus et Guillelmus Rothomagensis ; episcopi, Ivo Carnotensis ; Hernostus et Gundulphus Roffenses ; Fulco Belvacensis : Richardus et Gaufridus Ebroicenses ; et Turoldus Bajocensis ; abbates ex quampluribus, Gilbertus Crispinus Westmonasteriensis ; Paulus S. Albani, Lanfrancus nepos S. Vandregesili : Michael et Vincentius Pratellenses ; Rogerius et Gaufridus Gemeticenses ; Joannes de Bouleia et Joannes Ribaldus Cerasienses ; Bernardus et Robertus, cognomento de Monte, S Michaelis, in periculo maris, sive de Tumba ; Robertus *le Telier* S. Ebrulfi, alias Uticensis. Unde quidquid in illis virtutis, quidquid gloriæ, quidquid laude digni est atque utilitatis, quidquid ex iisdem Ecclesiæ catholicæ accesserit, Lanfranco velut patri et magistro referendum asserunt scriptores universi : quod et satis innuit B. Herluinus.

dum sic effusis precibus et lacrymis beatum illum A virum a Deo impetravit, et suo monasterio acquisivit, quatenus cœnobitæ institutis monasticis instrui possent ab eo iisque perpetuo adhærescerent; produnt id etiam utriusque Vita et Chronicon Beccense, necnon et scholis doctorem Lanfrancum in hoc monasterio præfuisse, atque ad ipsum non secus ac litterarum instauratorem ex universa propemodum Gallia, Anglia, Italia et Germania alumnos confluxisse. Ex iis, quam feliciter societati religiosæ, quæ pietatem æque ac scientiam excolit, et acri studio ad eas adipiscendas animum appellit, res succedere soleant, colligere est ; inhabitat enim tum sapientia quacum veniunt pariter omnia bona.

Ex Codice papyraceo Chronicum istud excerptum est: adeo scilicet contaminate exaratum, ut, nisi quan- B to [vix, E.P.] dicit potest labore ac tædio legi describique potuerit. Mendis scatebat; dictionum contractiones percrebræ et obscuræ, atque inversa verba inerant plura; quo factum est uti nobis passim fuerit conjecturis utendum. Certum et sui similem scribendi modum auctor non habet, sed stylum mutat subinde, præsertim ad sua usque tempora : (velut inspicienti constabit) multa enim ex BB. Herluini et Lanfranci atque abbatum Beccensium gestis ad verbum emendicata, paucis aliquando recisis additisve, expilavit. Consilium erat id Chronici pingui Minerva, ut aiunt, consarcinatum, et sui sæculi barbarie inquinatum elegantiori stylo concinnare: verum ab hoc proposito amici, viri doctissimi, et antiquitatis amatores removerunt, quod historica C veritas et res ignotæ non ornamenta, non lenocinia verborum in hisce monumentis desiderarent. Præterea cum auctor ille maxima parte ex chartophylacio Beccensi recenseat, causa est cur nihil prorsus immutaverimus. Brevem Chronico appendicem subjecimus, quo tota cœnobii Beccensis abbatum series lectori exhiberetur.

Additæ sunt, eorumdem amicorum adhortatione, Beccensium abbatum quatuor priorum Vitæ (consulto B. Anselmi Vitam, utpote multoties excusam, prætermisimus) perinde atque illius Chronici Commentarius ; malui namque integras edere, quam varia fragmenta observationibus nostris insuere ; sicuti jampridem in suis ad epistolas B. Anselmi adnotationibus præstitit Joannes Picardus S. Quintini Belvacensis canonicus regularis, de viris litteratis, dum viveret, et post funera, optime meritus.

Vitam S. Augustini Anglorum apostoli, primi Cantuariensis archiepiscopi et totius Britanniæ primatis, ex ruinis prædictæ bibliothecæ et pulvere ereptam, publicamus, quandoquidem ea, ad probandum Cantuariensis Ecclesiæ primatum in Eboracensem, sæpissime foret producenda ; scriptam autem ab amanuensi B. Lanfranco compare indicant characteres.

Novissime appendici non indignos luce, neque extra rem tractatus duos De eucharistiæ sacramento contra Berengarium, duximus apponendos; horum auctores sunt Hugo Lingonensis episcopus, et Durandus Abbas Troarnensis, ambo beati Lanfranci synchroni ; qui fortissimi Ecclesiæ catholicæ milites sub eodem labaro dimicarunt, idem iniere certamen, eumdem hostem aggressi sunt et vicerunt. De Hugone et Durando testimonia in fronte cujusque operis præfiximus, vide si lubet. Fuerit operæ pretium tantummodo scire locum, qui, pag. 102, D. sic incipit: *Unus panis, unum corpus*, etc., exstare apud sanctum Bedam in 1 Corinth. x, minime vero apud D. Augustinum ; tametsi quæ sequuntur verba proxime post eumdem, locum, nimirum ab iis : *Si quis manducaverit ex hoc pane*, etc., tractatu 26 ejusdem Augustini in Joannem, legere est. Hoc nostro qualicunque labore fruere, Christiane lector, et vale in Domino, cui soli honor et gloria in æternum. Amen.

VITA BEATI LANFRANCI

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

Auctore Milone-Crispino, monacho et cantore Beccensi, subpari.

(Mabill., *Acta SS. Ord. S. B.*, sæc. VI, pars II.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Milo monachus et cantor Beccensis monasterii, D ex nobili Crispinorum familia ortus, de qua in observationibus ad beati Herluini Vitam egimus, beati Lanfranci Vitam litteris mandavit. Ejus ætatem ex hac ipsa Vita colligimus, ubi capite 14, loquens de beati Lanfranci diacono, qui a dæmone arreptus fuerat, sic habet : « Hoc, beato Anselmo archipræsule referente, cum pluribus aliis audivi. » Porro, etsi ipsum ante Lanfranci obitum in vivis fuisse non dubitemus, verisimile tamen est ab eo Lanfrancum nunquam visum fuisse, quod ex ejus prologo patet, ubi ait se ea quæ narraturus est ex Herluini Vita excerpsisse, aut certe ex iis quæ « a venerabilibus ac veracibus viris audierat ; » et paulo inferius

subjungit : « Et de his quidem non omnia quæ dicenda forent audire potui. » Haud dubium quin, si aliquando illi ipsummet Lanfrancum audire aut videre fuisset datum, id ad comparandam suæ narrationi auctoritatem non reticuisset.

2. Multa sunt quæ Lanfranci merita plurimum commendant, tum in rem monasticam, tum in litterariam, tum etiam in Ecclesiam universalem. Ut a rebus monasticis sumamus exordium, Beccense insigne monasterium, si non ei institutionem, saltem incrementum et stabilitatem debet. Alium hujus rei testem adhibere necesse non est præter Herluinum ipsum, qui asserebat se a Deo multis lacrymis postulasse et impetrasse Lanfrancum, ut monasterium suum, ad quod recte instituendum imparem sese censebat vir sanctus, ejus consilio et opera confirmaretur. « Multoties, inquiebat ille, Lanfrancum ipsum alloquens, per magnos gemitus Deum rogavi, uberrimis lacrymis divinæ supplicavi misericordiæ ut talem mihi virum præstaret, cujus consilio et auxilio locum istum emendarem, et quæ Deo essent placita monachorum usibus instaurarem. Et quando, frater Lanfrance, huc te Deus adduxit, preces humilitatis meæ exauditas credidi. » Et re quidem vera Herluini spem non fefellit eventus ; nam ipsius Lanfranci opera Becci monasterium ex tenuissimo celeberrimum numero monachorum, pietate et doctrina illustrium, atque etiam temporalium bonorum affluentia evasit ; quod ex subsequentis Vitæ contextu melius patebit. Quid de Cadomensi utroque monasterio proferamus? quorum alterum in honorem sancti Stephani pro monachis, alterum in honorem sanctæ Trinitatis pro sanctimonialibus, a Guillelmo duce construi et dotari procuravit Lanfrancus. Cum enim illegitimas hujus principis nuptias approbare renuisset, obtinuit ut res ad Romanum pontificem deferretur, dispensationis obtinendæ gratia, quam ille, agente Lanfranco Villelmi ipsius legato, ea conditione concessit, ut duo monasteria in piaculi expiationem conderentur. Perstat etiamnunc utrumque sub ordine nostro, de quibus fuse agunt Acherius noster in notis ad Lanfranci Vitam, et Arturus Monsterius in Neustria pia ; ex his monasterium Sancti Stephani virorum nostræ congregationi Sancti Mauri jam ab aliquot annis adjunctum fuit. De cujus monasterii conditione et de Lanfranco, quem ei Guillelmus loci fundator primum abbatem præfecit, sic loquitur Petrus Pictaviensis, auctor æqualis, in ipsius Guillelmi Gestis : « Lanfrancum, inquit, quemdam, de quo venit in litem, plusne sit meritus reverentiam atque gloriam sæcularium ac divinarum litterarum singulari peritia, an ordinis monachici singulari observantia, intima familiaritate Guillelmus colebat, ut patrem venerans, verens ut præceptorem, diligens ut germanum aut prolem. Illi consulta animæ suæ, illi speculam quamdam, unde ordinibus ecclesiasticis per omnem Normanniam prospiceretur, commisit. Potuit namque viri talis vigilans cura, cum maximam auctoritatem sapientiæ pariter ac sanctitatis prærogativa comparavit, securitatem non parvam optimæ sollicitudini promittere. Ipsum pia quadam violentia monasterii Cadomensis abbatem statuit, non minus reluctantem subjectionis amore quam altioris gradus timore. Multis deinde possessionibus, item argento, auro, diversisque ornamentis monasterium idem locupletavit, » etc.

3. Lanfrancus, ad Cantuariensem archiepiscopatum promotus, majora dedit in rem monasticam propensionis suæ argumenta. Tunc quippe monachis, præcipuas Anglicani regni ecclesias cathedrales occupantibus, invidebant clerici, nihilque omittebant, quacunque data occasione, ut eos ab iis ecclesiis exturbarent, immemores hanc fuisse primam Anglicanæ Ecclesiæ disciplinam ab ipso sancto Augustino, qui cum sociis suis ordinis nostri monachis Anglicanam gentem ad fidem adduxerat, institutam. Opportuna visa fuit clericis occasio in tanta rerum mutatione persuadendi novo regi ut clericos monachis in ecclesiis cathedralibus substitueret. Et quidem sua eos non fefellisset opinio, nisi Lanfrancus eorum conatibus totis viribus restitisset. Guillelmus quippe rex episcopos, quos in Anglia de novo constituerat, omnes pene ex clericali ordine elegerat, qui proinde clericorum conatibus favebant, aut sane non multum adversabantur, unde res ipsis adeo indubitata videbatur, « ut Valchelinus episcopus Wintoniensis, » inquit Eadmerus, lib. I, « jam adnutatos pene quadraginta clericos, canonicorum more tonsura ac veste redimitos haberet, quos ejectis monachis Wentanæ ecclesiæ cui præsidebat mox intromitteret. » Solus supererat consensus Lanfranci obtinendus, quem absque negotio se impetraturum autumabat. At res longe aliter evenit, ut prosequitur Eadmerus ; « nam ubi quod episcopus moliretur insonuit auribus ejus, illico facinus exhorruit, nec se, dum viveret, ut effectum quomodo talis voluntatis obtineret consensurum asseruit. » Multo gravior fuit in monachos procella, cum de primatiali Cantuariæ Ecclesia actum fuit, proindeque majori ad eam sedandam constantia opus habuit Lanfrancus ; sed eum nec regis auctoritas, nec aliorum principum consensus unquam adducere potuerunt ut monachorum ex ea Ecclesia expulsioni consentiret ; « imo, inquit Eadmerus, ne post obitum suum fieret, quod se superstite sciebat per auxilium Dei nequaquam perficiendum, nesciens mortis suæ diem vel horam, egit sagacitate et industria qua pollebat, ut auctoritate Romanæ et apostolicæ sedis, monachorum habitatio in eadem ecclesia confirmaretur, et inconvulsa, dum sæculum duraret, in perpetuum stabiliretur. » Exstat ea de re Alexandri II papæ decretum inter alias hujus pontificis epistolas, quod Eadmerus aliique auctores integrum suis scriptis inseruerunt Exinde Benedictinus ordo in Cantuariensi aliisque

quamplurimis Angliæ regni ecclesiis cathedralibus perseveravit usque ad ejuratam tempore Henrici VIII catholicam fidem. Quid præterea monachis præstiterit Lanfrancus, ex eodem Eadmero aliisque auctoribus repetendum est; pauca ex multis hic delibare sufficiat. Monachorum ecclesiæ sancti Salvatoris domo veteri destructa, « alias decore ac magnitudine multum præstantes ædificavit, » inquit Eadmerus: abbatiam Sancti Albani, « quam intus et extra ad nihilum fere devolutam, ipse ut suam, instituto ei bonæ memoriæ Paulo abbate, a fundamentis reædificavit, et intus magna religione, foris multarum rerum donatione auxit, honestavit, ditavit. » Per Gundulfum monachum, quem episcopum Roffensem instituit, « vetustam ecclesiam episcopatus cum fabrica adjacente subvertit, et nova quæque extruxit......... sedem episcopalem monachici ordinis cultu instituit, ac delegatis terris, et aliis quæ sustentationi illic servientium Deo competebant, divitem de paupere, sublimem de humili, sicut in præsenti habetur, effecit. » Hæc Eadmerus et Willelmus Malmesburiensis. Nec minus eum de accurata regularis disciplinæ observatione sollicitum fuisse, quam de splendore aut amplitudine ædificiorum probant præclara illa statuta, quæ pro monachis edidit, a nostro Acherio edita. Denique sincerum ejus in monasticam vitam amorem testatur illa epistola quam ad Alexandrum papam scripsit, ut ab ecclesiæ Cantuariensis regimine absolveretur. « Rogo, inquit, quatenus propter Deum et animam vestram, ut sicut vestra, cui contradici fas non fuit, me auctoritate alligastis, sic quoque alligatum, abrupto per eamdem auctoritatem hujus necessitatis vinculo, absolvatis, vitamque cœnobialem, quam præ omnibus diligo, repetendi licentiam concedatis, » quæ omnia probant titulum « Patris monachorum » jure merito Lanfranco concessum fuisse.

4. Mutatis in Anglia rebus, opus erat viro qui Ecclesiæ negotia ita moderaretur ut nec ecclesiastica disciplina his tumultibus jacturam aliquam sustineret, nec Ecclesiarum jura violarentur a victoribus. Utrique egregie providit Lanfrancus, ea in re auctoritate qua pollebat in regem prudenter utens, cujus a consiliis erat. Etenim, ut notat Adam Bremensis, lib. IV, Historiæ ecclesiasticæ, cap. XIV: « Willelmus Bastardus ablatis scandalis cum posuerat Ecclesiæ doctorem, cujus studio multi ad divinum animati sunt obsequium. » Hinc cum pius antistes conciliorum usum in Anglia a multis retro annis obsolevisse animadvertisset, curavit ut deinceps frequenter haberentur; quod et factum est, et multa in iis ad disciplinam recte servandam statuta sunt. Bona vero temporalia, quæ ecclesiæ suæ bellorum tempore rapta fuerant, restitui procuravit, ad id Guillelmum regem prudentia sua « perducens, inquit Eadmerus, ut quamplures terras ecclesiæ Cantuariensis, diversis causis ac violentiis hominum ablatas, pro redemptione animæ suæ restitueret. Viginti quinque maneria » ex iis enumerant Rodulfus de Diceto, et Matthæus Parisius ad annum 1039. Quanta vero animi constantia Odoni Bajocensi episcopo, uterino ejusdem regis fratri, Ecclesiæ Cantuariensis jura violanti restiterit, narrant Eadmerus, lib. I Novorum, et Vitæ auctor cap. 9. Hæc vero omnia ei tantam auctoritatem etiam apud regem ipsam conciliarant, ut, cum Willelmus in Normannia versaretur, Lanfrancus « princeps et custos Angliæ esset, subjectis sibi principibus, » teste Vitæ auctore, cap 15. Eadmerus aliis verbis idem omnino astruit, asserendo « ad nutum Lanfranci totius regni intuitum spectasse. » Quod post ejus mortem potissimum enituit. Nam Guillelmus Rufus, qui jam patri suo successerat, « confestim » inquit Eadmerus « foras expressit, quod illo, » Lanfranco, « confotum habuit. Fecit ergo Ecclesiam Christi venalem, » etc. Unde merito de Lanfranco paucis verbis cum eodem Eadmero dici potest: « Breviter dico ipsum revera magnum et insuperabilem Ecclesiæ Christi defensorem, et pium totius Angliæ principem, ac, in quantum sibi licuit, bonum pastorem cunctis in ea consistentibus, dum vixit, fuisse. » Noverat id Alexander II summus pontifex, qui apud eumdem auctorem, Lanfrancum vocat « Patrem patriæ Anglicanæ; » et ei revera pastorales virgas, prout ipsi videretur, dispensandas contradiderat. Chronographus noster Saxonicus, Normannis licet infestus, Lanfrancum laudat « in Ecclesia doctorem, cujus studio et prius in Gallia, et postmodum in Anglia, multi ad divinum animati sunt obsequium. »

5 Non factis solum sed etiam suis scriptis Lanfrancus Ecclesiam catholicam illustravit, quæ ei inter ecclesiasticos auctores locum meruerunt. Ejus opera omnia, quæ inveniri potuerant, primo in unum collecta edidit noster Lucas Acherius, quorum hic est catalogus: « Commentarius in Epistolas beati Pauli. Libellus de corpore et sanguine Domini contra Berengarium Annotatiunculæ in nonnullas Joannis Cassiani collationes Patrum. Decreta pro ordine sancti Benedicti. Liber epistolarum. Pericope orationis quam habuit in concilio Anglicano; et libellus De confessione celanda. » Ex his commentarius in Pauli epistolas ab Acherio vulgatus, non est sincerus Lanfranci fetus; illum autem ipsum, qui ab eo scriptus est, habemus præ manibus, quem, si aliquando opportuna fuerit occasio, in lucem proferemus. Verum præter hæc opera dicitur etiam edidisse Commentarium in psalmos Davidicos, et historiam ecclesiasticam; sed neutrum hactenus reperire licuit. Certe quod Lanfrancus historiam sui temporis scripserit, extra dubium videtur esse; cujus rei testis est Eadmerus libro I Novorum, ubi de Lanfranco sic loquitur: « Ipsemet de rebus ecclesiasticis quæ suo tempore gesta sunt, veracissimo et compendiosissimo calamo scripsit. » Hoc opus, ut mihi videtur, laudat Willelmus Malmesburiensis libro I,

De pontificibus Anglorum, ubi de controversia inter ipsum Lanfrancum et Thomam Eboracensem archiepiscopum exorta agens, rem esse ex Lanfranci scriptis repetendam his verbis monet : « Ipse melius scripto suo insinuabit quod de ordinatione sua, et controversia inter se et Eboracensem Thomam commota et sedata, ita scripsit : Anno Dominicæ Incarnationis 1070 intravit, » etc. Porro inter cætera ejus opera principem locum facile obtinet liber quem, cum adhuc prior esset Becci, « De corpore et sanguine Domini » edidit adversus Berengarium hæresiarcham. Hunc quidem jam semel et iterum verbis confutaverat, primum scilicet in Romana synodo præsente summo pontifice Leone, et iterum in altera synodo CXIII episcoporum, coram Nicolao II, ubi Berengarius, abjurata hæresi, catholicæ fidei formulam palam legerat, et ei sese sincero animo, adhibito etiam jurejurando, adhærere professus fuerat, libris suis in ignem projectis coram universa synodo ; paulo post tamen ad vomitum suum reversus, « pravitatem suam, » inquit Lanfrancus, « clandestinis disputationibus apud imperitos tueri » conabatur. Sed id impune non tulit ; nam Lanfrancus, ut testatur Baronius, ad annum 1059, libro adversus eum ac ejus errores edito, « arrogantis hæresiarchæ retudit audaciam, refellit errores, dissolvit fallacias, blasphemias redarguit, convertens eas in caput ipsius, » etc. Hunc librum Joannes Bromtonus abbas Jornalensis in Chronico appellat « Tonantem librum, » quem ab ipso Lanfranco « Scintillarum » fuisse « intitulatum » scribit.

6. Tantæ doctrinæ fama per totam Europam peragrans plurimos discipulos Lanfranco acquisivit, hincque Beccense cœnobium, quod exiguum antea erat et vix notum, brevi amplis possessionibus et monachorum numero celebre evasit. Imo Normannia, quæ huc usque litterarum expers habebatur, Lanfranco magistro ita profecit ut postea viris eruditione et doctrina eximiis abundaverit. Ea de re audiendus Ordericus Vitalis, libro IV Historiæ ecclesiasticæ, ubi de Lanfranco hæc habet : « Cœnobiolum Beccense in Normannia loci situ et paupertate elegit, quod prudentia ipsius vigilantissimaque cura locupletavit, et in statum pulcherrimi ordinis provexit.... Coactu obedientiæ de claustrali quiete protractus magister processit, quo docente philosophicarum ac divinarum litterarum bibliotheca effulsit. In utraque nodos quæstionum solvere potentissimus erat. Hoc magistro primitus Normanni litteratoriam artem perscrutati sunt, et de schola Beccensi eloquentes in divinis et sæcularibus sophistæ processerunt. Nam antea sub tempore sex ducum Neustriæ, vix ullus Normannorum liberalibus studiis adhæsit, nec doctor inveniebatur, donec provisor omnium Deus Normannicis oris Lanfrancum appulit. Fama peritiæ illius in tota ubertim innotuit Europa, unde ad magisterium ejus multi convenerunt de Francia, de Wasconia, de Britannia, necnon Flandria. » Paucioribus verbis hæc eadem omnia exposuit Willelmus Malmesburiensis, libro I De gestis pontificum Anglorum, ubi de Lanfranco sic loquitur : « Litteratura perinsignis liberales artes, quæ jamdudum sorduerant, e Latio in Gallias vocans acumine suo expolivit ... Exivit fama ejus remotissimas Latinitatis plagas, eratque Beccum magnum et famosum litteraturæ gymnasium. » Inter celebriores Lanfranci discipulos recensentur Alexander II, summus pontifex, Guilmundus Aversanus postea archiepiscopus, Guillelmus Rothomagensis, Hernostus et Gundulfus episcopi Roffenses, Fulco Belvacensis, Ivo Carnotensis, ut testis est Robertus de Monte, aliique quam plurimi, qui ad infulas variarum Ecclesiarum rapti sunt. Sanctus vero Anselmus ita Lanfranci eruditionem suspiciebat, ut ad eum « Monologium » a se editum transmiserit ejus censuræ subjiciendum, imo et Lanfrancum precatus est, ut quemcunque titulum meliorem judicaret, huic libro imponeret. « Hoc, » inquit Anselmus, lib. I, epist. 63, « cum importunitate a vestra auctoritate non desinam exigere, quatenus de eodem opusculo... quid fieri debeat vestra decernat auctoritas. Titulum autem nullum illi præposui, quippe quod nequaquam tanti existimavi ut illud suo nomine dignarer. Si igitur vestro sederit arbitrio ut quod scripsi scripserim, a quo habebit firmitatem, ab eo habeat et nomen. » Eum vero quem vivum tanti fecerat, post mortem adversus hæreticum calumniatorem egregie propugnavit. Nam Roscelinus, qui tres personas sanctissimæ Trinitatis tres res esse eo modo quod tres angeli tres res sunt asserebat, ita tamen ut una esset in his tribus personis voluntas aut potestas, eo impudentiæ devenerat ut Lanfrancum et Anselmum sui dogmatis fautores esse mentiretur. At hæretici calumnias fortiter refutavit Anselmus, ut patet ex ejus epistola ad Fulconem Belvacensem episcopum scripta, quæ est libri secundi XLI, ubi eum monet ut Lanfranci ac sui defensionem suscipiat in concilio quod ea de re a Rainaldo Remorum archiepiscopo proxime congregandum erat. Ita vero de Lanfranci doctrina loquitur : « Archiepiscopum quidem Lanfrancum vita ejus multis religiosis et sapientibus viris nota, quia de eo nunquam aliquid tale sonuit, ab hoc crimine satis excusat, » etc. Nec mirum est id Lanfranco defuncto impactum fuisse quod ipsi adhuc in vivis agenti factum fuerat. Nonnulli enim, nescio quo spiritu ducti, eum apud Romanum pontificem accusaverant, quasi Berengarii erroribus faveret. Quam calumniam brevi non solum scriptis, sed etiam verbis coram duobus pontificibus et universis synodis, ut jam diximus, penitus a se removit ; sicque « pravi rumoris, » ut ipsemet loquitur in libello contra Berengarium supra laudato, « a se maculam » abstersit, « fidem suam » exposuit ; atque quod dixit « omnibus placuit, nulli displicuit. » Magnum denique argumentum est Lanfranci doctrinæ, quod post ejus mortem episcopi Anglicani, simul in unum in synodo adunati, eum « Magistrum » suum nuncupaverint.

7. Superest ut inquiramus quo anno, quove mense et qua tandem die Lanfrancus e vivis excesserit; hæc enim omnia in controversiam vertuntur. Verum si antiquorum scriptorum testimonio stare voluerimus, nulla erit de anno difficultas; illi enim constanter affirmant Lanfrancum anno 1089 e vivis excessisse: sic habent Symeon Dunelmensis, Joannes Bromton in Chronico, Ordericus Vitalis, lib. VIII Historiæ, Chronicon Beccense ab Acherio editum, item Chronicon Mailrosense, et alii passim auctores Historiæ Anglicanæ, quibus præivit Ingulfus, Lanfranco, dum viveret, amicitia conjunctus, ut ipsemet in nova ejus Historiæ integræ editione attestatur. Major est circa mensem difficultas. Nam omnes ferme recentiores historici ea in re a se invicem dissentiunt. Matthæus Westmonasteriensis eum die 9 Kal. April. obiisse memorat; Matthæus Parkerus die 4 Junii, Petrus Equilinus 5 Non. Julii, Balæus 5 Kal. Julii, Arnoldus Wion, Hugo Menardus aliique recentiores plerique tertia die Julii. His tamen omnibus præferimus antiquiorum Angliæ scriptorum auctoritatem, qui Lanfrancum mense Maio obiisse una voce affirmant. At quo hujus mensis die id contigerit, hic totus est difficultatis nodus, quem, ut verum fateamur, nemo facile solvet ob nimiam opinionum discrepantiam. Sic quippe ea de re Symeon Dunelmensis: « Anno 1089 feria V, IX Kal. Junii obiit Lanfrancus. » Idem ipsissimis verbis asserunt Rogerius Hovedenus in parte priori Annalium, Florentius Wigorniensis in Chronico. Et quidem notæ istæ chronologicæ optime inter se cohærent: nam anno 1089 dies Dominica erat dies 20 Mai, existente littera Dominicali G, ac proinde feria V, sequens in diem 24 hujus mensis incidebat, quam isti auctores assignant. Verum Gervasius Dorobernensis in actis pontificum Cantuariensium alia die Lanfranci obitum assignat his verbis: « Obiit anno patriarchatus sui XIX, V Kal. Junii, feria II post octavas Pentecostes, hora diei prima. » Consentiunt Milo Vitæ sequentis auctor, Joannes Bromtonus in Chronico, et Tabulæ ecclesiæ Cantuariensis. Conveniunt item huic calculo aliæ notæ Chronologicæ, cum eo anno dies Paschatis inciderit in diem primam Aprilis, ac ideo festum Pentecostes die 20 Maii, celebratus fuerit, ejus octava die 27 ejusdem mensis, et proinde sequens feria II quæ a Gervasio assignatur, dies erat Maii 28. Hanc sententiam amplexus est Joannes Capgravius qui sanctorum Angliæ Vitas conscripsit, ac post eum Eduardus Maihew in Trophæis Anglo-Benedictinis. Cui calculo nos quoque adhærebimus, donec certiora pro priori afferantur argumenta. Ad id nos potissimum movet quod hujus posterioris sententiæ auctores data opera Vitam sancti Lanfranci scripserint, cæteris ea de re ex occasione solummodo loquentibus.

8. Porro etsi nulla veneratione publica colatur memoria beati Lanfranci, ejus tamen nomen cum « sancti » titulo in vulgatis Martyrologiis insertum est, ut in Martyrologio Benedictino Arnoldi Wionis, et in Catalogo generali sanctorum Philippi Ferrarii. Hugo Menardus, Eduardus Maihew et alii passim « beatum » appellant « summæ sanctitatis et doctrinæ. » Iisdem titulis antea donatus fuerat a Trithemio, Lelando, Capgravio, quod jamdudum vetustiores scriptores fecerant. Sic quippe de eo loquitur Guillelmus Pictaviensis in libro De gestis Guillelmi ducis: « Illi consulta animæ suæ, » Guillelmus dux, « illi speculam quamdam, unde ordinibus ecclesiasticis per omnem Normanniam consuleret, commisit; potuit nempe viri talis vigilans cura, cum maximam auctoritatem sapientiæ pariter ac sanctitatis prærogativa comparavit, securitatem non parvam sollicitudini promittere. » Et Osbernus monachus in epistola ad sanctum Anselmum: « Recuperemus in te quod in mortuo sanctissimo Patre Lanfranco perdidimus. » Exstat inter epistolas sancti Anselmi libro III, num. 5, edita. Asserit Willelmus Malmesburiensis lib. I De pontificibus Anglorum, sanctum Dunstanum Lanfranco semper affuisse, quoties de tuendis Ecclesiæ suæ juribus ageretur, quod etiam refert Osbernus in Vita sancti Dunstani, superiori sæculo edita. « Quin etiam » Lanfrancus, ut idem Willelmus observat, « quemdam ægrum et cunctantis vitæ pertæsum, in visione qua videretur cum eo luctam inivisse, eripuit discrimini, restituit bonæ valetudini, » quod occasionem præbere potuit nonnullis, maxime Wioni, Lanfrancum miraculis clarissimum prædicare. Denique in variis auctoribus, « bonæ » aut « piæ memoriæ vir » passim appellatur. Quæ sane omnia probant quod Willelmus libro III De gestis Regum Anglorum in nostri Lanfranci honorem protulit, eum quippe esse « virum antiquis scientia et religione comparandum, de quo serio dici potest: *Tertius e cœlo cecidit Cato* (5*), adeo cœlestis sapor pectus ejus et palatum infecerat. » Plura de ejus laudibus habentur in libro dierum obitualium ecclesiæ Cantuariensis, ubi præscribitur qua solemnitate ejus anniversarium debeat celebrari. Adi, si vis, Angliæ sacræ tom. I, ubi habetur pag. 55. Denique nullus ferme historiarum scriptor Lanfrancum multis laudibus non exornavit. Sed jam proferenda est ejus Vita, quam ab Acherio nostro ex codice Beccensi, multis passim prætermissis, editam, integritati suæ restituimus.

(5*) JUVEN. *Sat.* 2, 40.

INCIPIT PROLOGUS

IN VITAM MAGNI ET GLORIOSI LANFRANCI

CANTUARIENSIUM ARCHIEPISCOPI.

Quoniam a pluribus quæritur Vita venerabilis A Lanfranci Dorobernensis archipræsulis, nec invenitur, volui de eo aliquid scribere pro tenuitate ingenii mei, ne omnino tanti viri memoria silentio deleatur. Opus siquidem, ut mihi videtur, hactenus intermissum; rarus quippe de eo aliquid scripsisse reperitur. Propter quod in Vita beati Patris nostri Herluini ([1]) venerabilis Westmonasterii abbas Gislebertus, quasi ex occasione inseruit quantum ad historiam pertinere visum fuit; quæ exinde mutuans, et in hanc narrationem transferens, adjeci quælibet invenire potui, sive quæ a venerabilibus ac veracibus viris audivi. Hoc autem ideo facere studui, ut (quantum in me fuit) non lateret qui aliis proponendus ad imitandum foret, sed notus omnibus fieret ad honorem Dei et utilitatem legentium; atque ut noverint, qui scire volunt, quis vel unde fuerit, quam vivendi institutionem habuerit, quomodo ad religionem, ac deinde ad abbatiam, et postea ad archiepiscopatum venerit, seu qualiter de hac luce migraverit. Et de his quidem non omnia quæ dicenda forent audire potui. Nec quisquam mihi succensere debet quod imperitus sermone et scientia aggredi materiam tam dignam ausus fuerim, quia potius duxi quoquomodo dicerem quam nullus. Quod si cui rusticitas styli et incultus sermo displicuerit, et ornatius eadem dicere voluerit, precor ne, mutando verba, tollat rei gestæ sententiam, nisi forte aliquid inesse repererit falsitatis.

INCIPIT VITA. B. LAFRANCI.

CAPUT PRIMUM.

1. Fuit quidam vir magnus, Italia ortus ([2]), quem Latinitas in antiquum scientiæ statum ab eo restituta tota, supremum debito cum amore et honore agnoscit magistrum, nomine Lanfrancus. Ipsa quoque in liberabilibus studiis magistra gentium Græcia, discipulos illius libenter audiebat et admirabatur. Hic Papia civitate oriundus fuit ([3]). Parentes illius, ejusdem urbis cives, magni et honorabiles habebantur inter suos concives. Nam, ut fertur, pater ejus de ordine illorum qui jura et leges civitatis asservabant fuit (6). Lanfrancus, in primæva ætate patre orbatus, cum ei in honorem et dignitatem succedere deberet, relicta civitate, amore discendi ad studia litterarum perrexit; ubi plurimo tempore demoratus, omni scientia sæculari perfecte imbutus, rediit. Deinde patria egressus, et Alpes transgressus, in Gallias venit tempore Henrici regis Francorum, et gloriosi ducis Normannorum Guillelmi, qui Angliam sibi armis subegit. Et pertransiens Franciam, quamplures magni nominis scholares secum habens, B in Normanniam pervenit, et in Abrincatensi (*Avranches*) civitate demoratus, per aliquod tempus docuit. Considerans vero scientissimus vir quod captare mortalium auram vanitas est, et quia ad non esse tendunt omnia, præter eum qui fecit universa qui semper est, et qui ei intendunt, ad obtinendum ejus amorem animum convertit et studium. Quod igitur in litteris perfectius invenit salutis consilium, et placendi Deo, arripere statuit, ut relictis omnibus, abdicato etiam sui ipsius jure, illum sequeretur qui dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24). Et quia quanto magnus fuerat, tanto optabat fieri humilior, locum adire nolebat ubi litterati [versarentur. ED. PAT.], qui eum honori ac reverentiæ haberent.

C 2. Interea cum ire vellet Rothomagum, iter agebat inclinata jam die per silvam ultra fluvium Rislam (7); incidit ([4]) in latrones (8), qui, cuncta quæ habebat tollentes, ligatis a tergo manibus, et caputio cappæ ante oculos admoto, abduxerunt illum de via, et inter condensa saltus fruteta dimiserunt. Talibus

(6) Robertus de Monte in Chronico ms. hæc habet ad annum 1042: *Lanfrancus de senatorum Papiæ nobili genere natus, in septem liberalibus disciplinis mirabiliter eruditus.*

(7) Risla Normanniæ fluvius, qui prope S. Ebrulfi monasterium ortum habet. Unde conjicere est Lanfrancum a latronibus spoliatum fuisse in Silva Uticensi, vulgo *la forêt d'Ouche*, quæ prædicto monasterio Utici nomen dedit, qua transeundum est eundo Abrincis Rothomagum.

(8) Paulo aliter rem narrat chronographus Beccensis ad annum 1041, ubi refert latrones Lanfranco omnia præter veterem chlamydem abstulisse. Ac ipse volens eis et chlamydem dimittere, exemplo Libertini de quo Gregorius Magnus lib. I Dialog., c. 2, ut sibi, sicut Libertino contigerat, omnia miraculo restituerentur, cum recta non esset ejus intentio, contrarium evenit; latrones quippe ipsum nudum arbori uni alligarunt, et scholarem suum alteri. Sic relictus Deo promisit se omnia mundana dimissurum, si liber evaderet, statimque vinculis ejus divinitus solutis, sodalem suum solvit, et votum suum apud Beccum explevit.

angustiis comprehensus, nescius quid ageret, suum infortunium lamentabatur Tandem nocturno silentio in se reversus, voluit Domino laudes debitas persolvere, et non potuit, quia ad hoc antea non vacaverat. Et conversus ad Dominum : « Domine Deus, ait, tantum tempus in discendo expendi, et corpus et animum in studiis litterarum attrivi; et adhuc quomodo te debeam orare, atque laudis officia tibi persolvere non didici. Libera me de hac tribulatione; et ego, te auxiliante, sic vitam meam corrigere, et instituere curabo, ut tibi servire valeam et sciam. » Surgente aurora, in ipso crepusculo audivit viatores iter carpentes, et cœpit vociferando ab eis auxilium petere. Illi audientes primò expavere; dehinc vocem hominis advertentes, ad sonum vocis perrexere, et quis esset, quid haberet indicavit. Tunc eum solventes reduxerunt ad viam. Rogavit sane ut vilius et pauperius cœnobium quod in regione nossent sibi demonstrarent. Responderunt : Vilius et abjectius monasterium nullum scimus quam istud quod in proximo ædificat quidam homo Dei, et ostendentes viam discesserunt At ille gressum illuc vertens, Beccum adiit, quo nullum usquam tunc pauperius æstimabatur vel abjectius cœnobium. Forte tunc abbas exstruendæ fornaci occupatus, ipsemet operabatur manibus suis; et accedens ad eum dixit : Deus te salvum faciat. Et abbas : Deus te benedicat, inquit. Es Lombardus? at ille : Sum. Et abbas : Quid vis ? Monachus, ait, fieri volo. Tunc abbas præcipit cuidam monacho, nomine Rogerio, qui in parte opus suum faciebat (5), ut illi ostenderet librum regulæ (9). Qua perlecta, respondit omnia Deo se juvante libenter servaturum. Hæc audiens abbas, et sciens quis esset et unde, concessit ei quod petebat. At ille per os furni procidens in faciem, osculatus est pedes ejus. Lanfrancus humilitatem animi sermonisque gravitatem in abbate plurimum veneratus et amans, (6) monachus ibi efficitur.

3. Quo facto (7) venerabilis Pater Herluinus gaudio repletus est non modico, quia credebat a Deo preces suas esse exauditas. Nam quia sumptuum procurandorum necessitas illum extra claustrum demorari cogebat, nec erat qui præsideret introrsus, et religionem asservaret; multoties Deum cum exorasset, divina miseratio sibi accommodavit auxilium, sufficiens ad omnia quæ agenda forent suffragium. Videres ergo inter eos pium certamen. Abbas ex grandævo laico nuper in clerum promotus, verebatur sibi subditam tanti doctoris celsitudinem; ille nullam pro eminenti scientia gerens insolentiam, humillime ad omnia parebat, attendebat, admirabatur et prædicabat quam ipsi in intelligendis Scripturis gratiam Deus concesserat, et dicebat : Quando attendo laicum istum, nescio quid dicam, nisi quia Spiritus ubi vult spirat (*Joan.* III, 8). Abbas erga illum debita veneratione, ille erga eum omnimoda contendebat submissione, forma gregi uterque vivendi facti, unus activæ, alter contemplativæ. Abbas humilis, patientiæ summæ, in cura corporis continentissimus, nullam sæcularis pompæ curam gerens, legum patriæ scientissimus, præsidium erat suis contra iniquos exactores, ad tractanda causarum sæcularium negotia et disponenda exteriora peritissimus; in exstruendis vel procurandis necessariis nec prudentior nec efficacior, salva religione, esse poterat. At doctor ille maximus in claustro omnem operam impendebat quieti et silentio, cordis sui novalia verbi sacri excolens assidua lectione, irrigans ea dulci, quam sæpe obtinebat, lacrymarum compunctione.

CAPUT II.

4. Nec oblitus quod Deo in nocturna captione promiserat, postquam factus est monachus, in discendis officiis diurnis et nocturnis curam maximam impendere voluit, ut sciret Deo laudis sacrificium persolvere, sicut noverat. Sic per tres annos vixit solitarius, gaudens quod nesciebatur, præter paucos quibus aliquando loquebatur, omnibus ignotus. Rumor, ut hoc factum prodidit, longe lateque protulit, et fama viri præclarissima Beccum, et abbatem Herluinum brevi per orbem terrarum extulit (8). Clerici accurrunt, ducum filii, nominatissimi scholarum magistri Latinitatis, laici potentes, et nobiles viri multi, pro ipsius amore multa eidem ecclesiæ contulerunt. Hic ergo Lanfrancus, qui pro Deo se abdicaverat sibi, omni vilitate et extremitate contentus, omni obedientia se submittere curabat majori. Denique, ut fertur, lectionem non volebat legere in ecclesia nisi prius eam cantor audisset. Quadam die dum ad mensam legeret, dixit quiddam inter legendum sicut dicere debuit, quod non placuit præsidenti, et aliter dicere jussit; velut si ille dixisset, *docère*, media producta, ut est; et iste eadem media correpta emendasset *docere*, quod non est. Non enim prior ille litteratus erat. At vir sapiens sciens magis obedientiam Christo deberi quam Donato, dimisit quod bene pronuntiaverat, et dixit quod non recte dicere jubebatur. Nam producere brevem, vel longam corripere syllabam, non capitale noverat crimen; verum jubenti ex parte Dei non parere, culpam non levem esse sciebat.

5. Quidam sæcularis dedit Beccensi ecclesiæ terram (10), ad quam missus est Lanfrancus, ut eam servaret et instauraret. Una dierum dum de monasterio ad locum illum regrederetur, detulit catum in panno involutum, post se ad sellam ligatum. Dum iter faceret, quidam adjunxit se illi; cumque simul

(9) Juxta regulæ S. P. Benedicti præscriptum in capite 58 de disciplina suscipiendorum fratrum.

(10) Hæc terra, ut puto, est monasterium S. Ebrulfi, quod Willelmus Geroii monasterio Beccensi, ubi monachum induit, tradidit. Ibi Lanfrancus aliquandiu deget cum aliquot monachis, ac celebre olim istum monasterium, quod omnino dirutum erat, utcunque restauravit. Postea data Beccensibus villa *Russerie* a B. Theoderico, ut in ejus Vita diximus, monasterium S. Ebrulfi pristinum splendorem recepit.

pergerent, socius viator audivit vocem cati, et cœpit mirari et circumspicere ubi esset catus cujus audiebat vocem ; tandem advertit magistrum Lanfrancum illum post se ligatum ferre, et ait illi : Domine, quid portas? Respondit : Mures et rati valde nobis sunt infesti, et idcirco nunc affero catum ad comprimendum furorem illorum. Ecce ad quantam humilitatem tantus vir pro Deo sese submittere curavit; et quia multum se humiliavit, Deus illum exaltare in præsenti non distulit.

6. Verum fratres qui jam adunati erant in ipso loco, non multum litterati nec admodum religione instructi habebantur. Cernens Lanfrancus fratrum inertiam, morum pravitatem, ordinis transgressionem, contuens aliquos etiam sibi invidere, qui sibi metuebant eum præficiendum fore, ignorabat quid ageret, quo se transferret. Tædebat eum conversationis inhonestæ, inhiabat ardenter ad solitariæ dulcedinem vitæ. Simulata igitur stomachi infirmitate, Fulcrannum hortulanum rogavit ut ei quotidie afferret radices quorumdam carduorum, quas sibi asserebat afferre solutionis remedium. Hoc autem faciebat ut corpus suum assuefaceret tali edulio, quali vivere disponebat in eremo (9). Cum ergo jam animum et corpus præpararet ad fugam nocturnæ elapsionis, domno Herluino abbati nihil de hac re suspicanti, dum in lecto quiesceret, egregiæ indolis Hugo puer, qui nuperrime obierat, in veste candida apparuit (filius Haldrici de Sauvarvilla, nepos ejusdem abbatis). Cujus aspectu in nullo turbatus, amabiliter sic eum abbas affatur : « Quid est, fili? Quomodo te habes? » Et puer alacriter : « Ego me, ait, bone Pater, bene habeo, quia per Dei misericordiam, et tuam intercessionem, liberatus sum ab omni tormento. Sed Deus misit me ad te, ut dicam tibi quia, si tibi non prospexeris, magistrum Lanfrancum ad proximum non habebis. » Abbas admiratus : « Quomodo, inquit, fili? » Puer ad hæc : « Quia solitariam vitam desiderat, et de monasterio egredi deliberat, quoniam mores fratrum et vita sibi non placent Vide ergo quid facias, quia tibi non expedit ut te deserat. » His dictis puer disparuit. Abbas attonitus in his quæ audierat, reliquum noctis in vigiliis et orationibus insomne peregit. Summo autem mane, (10) mox (11) ut hora loquendi se dedit, Lanfrancum adscivit, secum singulariter sedere fecit ; cor abbatis intimo dolore concutitur, vox intra fauces premitur, lacrymæ erumpentes dolorem cordis aperiunt. Lanfrancus hoc videns in terram prosternitur ; cur abbas sic plorat aperiri sibi suppliciter precatur. Tandem abbas in hæc verba

A prorumpit : « Heu mihi cui tale damnum minatur Deus? Væ mihi qui meum consilium perdidi, meum adjutorium amisi ! Multoties per magnos gemitus Deum rogavi, uberrimis lacrymis divinæ supplicavi 4 misericordiæ, ut talem mihi virum præstaret, cujus consilio et auxilio locum istum emendarem, et quæ Deo essent placita monachorum usibus instaurarem. Et quando, frater Lanfrance, huc te Deus adduxit, preces humilitatis meæ exauditas credidi. Ego in te onus meum transferre cogitabam; ego te totius oneris mei sarcinam supportare sperabam. Nunc autem nescio qua de causa hinc discedere, me relicto, satagis, et ad deserta pergere cupis. » Lanfrancus intelligens voluntatem suam detectam, et propositum cordis sui, quod occultum

B putabat, evidenter propalatum, abbatis pedibus illico advolvitur, et qualiter sibi innotuissent talia, humiliter sciscitatur. Tunc ei abbas blanda voce visionem aperuit, et quid sibi divinitus per puerum revelatum sit, sicut superius reteximus, per ordinem explicavit. Lanfrancus mirabilius dictu obstupefactus, et Dei gratiam in abbate vehementer admiratus, humi prostratus, per confessionem Patri protinus quidquid in voluntate habuerat, corde compunctus exposuit, pœnitentiaque accepta et absolutione impetrata, spopondit se nunquam ab ipso discessurum, ejusque præceptis per omnia obtemperaturum. Abbas ingentes omnipotenti Deo gratias referens, quam citius potuit, Lanfrancum priorem

C constituit, et quidquid ditioni monasterii subjacebat, interius et exterius ipsius curæ commisit. Quos ita unanimes tribuit esse divina protectio, ut nulla unquam inter eos orta fuerit dissensionis occasio. Hanc visionem Lanfrancus nec volens propalare, nec omnino occultare (11) indicavit illam cuidam monacho, nomine Willelmo, quem ipse a puero nutrierat et docuerat, plurimumque amabat, præcipiens ne cui diceret, quandiu ipse in corpore viveret. Quod ille servavit usque ad ultimam senectutem. Post mortem vero Lanfranci, cum jam nulla prohibitione urgeretur, scripsit rem sicut audierat, et abbati ac monachis Becci scriptam (12), prout supra digessimus, direxit. Fuit idem Willelmus abbas Cormeliensis cœnobii.

D

CAPUT III.

7. Ad administranda quoque totius patriæ negotia (12) summus ab ipso Nortmannorum duce Willelmo consiliarius assumitur. Cujus gratiæ nimiam perturbationem, quæ repente irruit, insperato Deus sereno lætificavit. Quorumdam enim accusationibus delatorum dux in eum vehementer amaricatus,

(11) Post primam scilicet et preces in capitulo recitatas, ante enim istud tempus silentium, quod in regulæ cap. 42 strictius præscribitur, solvere absque gravi necessitate non licet.

(12) Hanc epistolam ex ms Beccensi vulgarunt Johannes Picardus, et noster Gabriel Gerberonus in notis ad epistolam 41 lib. II beati Anselmi. Ad Willelmum scripsit Lanfrancus epistolam, quæ est 48 editionis Acherianæ. Obiit circa annum 1109 ex Orderico Vitali, lib II, qui eum inter viros sanctitate et doctrina præcipuos recenset, sic enim loquitur : *In illo tempore migraverunt plures sanctitate et sapientia præcipui doctores Ecclesiarum, Anselmus scilicet archiepiscopus Cantuariorum. Guillelmus archiepiscopus Rothomagensium, venerabilesque cœnobiorum rectores, Hugo abbas Cluniacensis, Gervasius Rhedonensis et Guillelmus Cormeliensis.*

mandat ut monasterio exturbetur, patria discedat Lanfrancus. Nec motus animi sui hac indicta sedare valens, mandavit juris monasterii villam, quæ Parcus dicitur, flammis excidi. Paretur tam efferæ jussioni. Eo discedente, qui omne gaudium fratribus erat et consolatio, dolor altus remanet. Quia melior non habebatur, tripes equus quarto pede inutili, illi tribuitur, et unus famulus. Instant itaque fratres orationi, juxta illud Jeremiæ : Præstolantes cum silentio salutare Domini (*Thren.* III, 26). Protinus qua ille discedebat duci obvius venienti appropinquans, equo per singulos passus caput ad terram submittente, dominum salutat ; innocentiæ quidem conscius, si locus dicendi daretur, non diffidebat causæ. Dux primo vultum avertit, sed divina agente clementia, mox miserando respexit, et nutu benevolentiæ aditum loquendi concedit. Tunc Lanfrancus decenti joco ait : Tuo jussu provincia tua discedo pedes, hoc inutili occupatus quadrupede ; vel ut jussioni tuæ parere queam, da mihi equum meliorem. Cui dux subridendo : Quis, inquit, ab offenso judice, infecto illati criminis negotio, munera exposcit ? Tandem disertissimus orator petiit audientiam, et Deo sibi opem subministrante causam exorsus, brevi ad optatum finem peroravit. In amplissimam gratiam illico receptus, accipit promissum quod nulla deinceps accusatione subiret purgandi præjudicium. Gratissimi mox succedunt amplexus et oscula. Multo etiam cum augmento restituenda promittuntur quæ dux nuperrime devastari jusserat. Alacerrime quidam præcurrens nuntiat fratribus illum redire. Commutantur lacrymæ, personat non semel, sed per totum diem ubique corde et ore a cunctis pium *Te Deum laudamus.* Abbas inopinatæ rei fidem adhibere non poterat propter feritatem quam in domino sciebat, donec desideratus advenit. Accumulatur gaudium, quia incensorum fit integra restitutio ; terrarum quoque eidem ecclesiæ concessarum ab eodem domino obtinetur confirmatio.

8. ([13]) Hujus tam improvidæ jussionis causam (13) aiunt, quod idem Lanfrancus contradicebat nuptiis filiæ comitis Flandriæ, quam ipse sibi dux copulaverat in matrimonio, quia proxima carnis consanguinitate jungebatur. Unde auctoritate Romani papæ tota Neustria fuerat ab officio Christianitatis suspensa et interdicta. Quapropter Lanfrancus iterum Romanum papam adiit ; jam enim antea Romam petierat ([14]) causa cujusdam clerici, nomine Berengarii, qui de sacramento altaris aliter dogmatizabat quam Ecclesia tenet. ([15]) Dicebat enim panem et vinum post consecrationem, sacramentum tantum, non autem esse verum Christi corpus et sanguinem. Iste clericus Lanfranco quasi familiari suo ([16]) litteras (14) miserat errore ipso respersas ; eas qui legerunt Lanfrancum talia sentire opinati sunt, et socium erroris diffamaverunt. At tum forte Lanfrancus ad Urbem profectus erat, pontificante tunc sedem beati Petri Leone (15) octavo ([17]). Amici, qui infamiam sibi conflatam audierunt, litteras ipsas post eum miserunt Romam ; ibique suspicionem de Lanfranco quibusdam pepererunt. Papa Berengarium ad diem vocavit. Verum ille timens venire, distulit ; sed responsales pro se duos clericos misit, qui ante papam venientes, et in causam deficientes, reprobati et capti sunt. Lanfrancus jussus surrexit, pravi rumoris a se maculam abstersit, fidem suam exposuit, expositam plus sacris auctoritatibus quam argumentis probavit. Quod dixit et probavit omnibus placuit, nulli displicuit. ([18]) Hæc eadem in synodo Vercellensi retracta sunt, et sententia Berengarii audita et reprobata ; fides vero Ecclesiæ, quam Lanfrancus tenebat et astruebat, exposita, et concordi omnium assensu confirmata est. Quæ sententia non effugit hujus Leonis papæ successorem Victorem. ([19]) Denique in concilio Turonensi (16), cui ipsius Victoris interfuere atque præfuere legati, data est ipsi Berengario optio defendendi partem suam ; quam cum defendendam suscipere non auderet, confessus est coram omnibus communem Ecclesiæ fidem ; et juravit ab illa hora se ita crediturum, sicut Ecclesia tenet. Quod juramentum transgressus, nihilominus primum dogma in populo spargere non omisit. ([20]) Quod cum audisset Nicolaus secundus, vocavit eum ; qui Romam veniens, et causæ suæ diffidens, et patrocinio eorum quos sibi impensis beneficiis conciliaverat, parum confidens, cum non auderet suam defensare sententiam, postulavit Nicolaum secundum ejusque concilium, quatenus fidem, quam illum tenere volebat, verbis sibi exponeret, scripto firmaret. Itaque jubente papa, fides verbis exposita, et scripta, et omnium assensu confirmata, tradita est Berengario ad legendum. Accepit, legit, ([21]) et eam se tenere juravit, manuque propria subscripsit. Quo facto gavisus est papa, et multi alii, de ejus reversione et

(13) Aliam causam hujus rei narrat Willelmus Malmesburiensis, quam ejus verbis exponere juvat : *Lanfranco apud Beccum monachato, cum ubique scholares inflatis buccis dialecticam ructarent, Herfastus jam Willelmi comitis, postea regis, capellanus, ad famosum gymnasium, magna sociorum et equorum pompa pervenit. Tunc Lanfrancus ex prima collocutione intelligens quam prope nihil sciret, abecedarium ipsi expediendum apposuit, ferociam hominis italica facetia illudens. Quo is iratus comitem pereffecit* [i. e. *per comitem effecit* ED. PATR.] *ut Lanfrancus Becco omnique Normannia summoveretur. Sed*, etc.

(14) Epistolam hanc Berengarii ad Lanfrancum refert noster Acherius in suis notis. Hæc ipsa est quæ a clerico quodam Remensi Romam perlata Lanfrancum de Berengariana hæresi suspectum summo pontifici Leoni reddiderat, quam suspicionem penitus in synodo Romana a se amovit. Hæc refert Lanfrancus ipse in libro adversus Berengarium, ubi et eadem quæ hic de synodo Vercellensi dicuntur, fusius exponit.

(15) Is est S. Leo IX, a Milone dictus VIII, quod nonnulli Leonem, qui ab Ottone imperatore contra Joannem XII creatus fuit, censuerint e pontificum Catalogo expungendum.

(16) Huic Turonensi concilio adfuisse Lanfrancum testis est Ordericus Vitalis, lib. IV Historiæ.

conversione, qui antea dolebant de ejus aversione. Hujus sacramenti sacrilegus transgressor, contra præfatam synodum, contra catholicam veritatem omniumque ecclesiasticorum doctorum fidem [22] scriptum postea condidit. Cui Lanfrancus respondens, sub nomine epistolæ, [23] libellum elegantem composuit, catholica veritate subnixum, et sanctorum Patrum undique auctoritatibus corroboratum, in quo inveniuntur ista quæ diximus. His enim gestis Lanfrancus interfuit, qui causa hujus litis Romam venerat, et ut ageret pro duce Normanorum et uxore ejus apud apostolicum, pro qua re, sicut diximus, illuc perrexerat. Igitur locutus cum papa Nicolao, ostendit quia ejus sententia illos tantum gravabat, qui eos nec conjunxerant, nec separare poterant; nam dux puellam quam acceperat nullo pacto dimittere vellet. Hoc audiens et verum esse advertens summus pontifex, dispensatione habita, conjugium concessit, eo tamen modo quatenus dux et uxor ejus duo monasteria construerent, in quibus singulas congregationes virorum ac mulierum coadunarent, qui ibi sub norma sanctæ religionis die noctuque Deo deservirent, et pro salute eorum supplicarent. (17) Paruit dux apostolicæ dispensationi, et ædificaverunt duo monasteria in prædio [24] quod antiquitas Cadomum nuncupabat. [25] Dux unum monachorum in nomine sancti Stephani protomartyris; et uxor ejus [26] alterum sanctimonialium in nomine et honore sanctæ Trinitatis; quibus tantum de rebus et reditibus suis contulerunt, quantum sufficeret ibidem habitantibus et ad victum et vestitum.

CAPUT IV.

9. Per idem tempus crescente Beccensi congregatione, in eo loco contigit illud dictum a Domino per Isaiam prophetam: *Angustus mihi est locus; fac spatium ut inhabitem* (*Isai.* XLIX, 20). Spatiositas enim domorum parva multitudinem adunatam fratrum jam capere non valebat; sed situs loci incolumitati degentium contrarius existebat. Itaque venerabilis Lanfrancus sanctum Patrem Herluinum de majoris monasterii ædificatione compellare cœpit. Tanti operis solam commotionem ille extimuit, ætatis jam deficientis viribus plurimum diffidens. Confortari, adhortari, ac sæpe id ipsum ingerere, qui cœperat non omittebat, dicens locum aquosum non esse aptum habitationi monachorum. Abbate nullatenus acquiescente, fertur dixisse Lanfrancus quibusdam nobilibus viris, cum quibus loquebatur: « Domnus abbas consumit tempus et laborem suum in hoc aquoso loco, nec vult mihi credere, ut desinat ab isto opere, et incipiat aliud opus in saniori loco. Deus omnipotens **G** det illi tale impedimentum quatenus me audiat atque in tam incompetenti loco

A operam suam expendere desistat. » Nec multo post presbyterii pars dextera corruit, in qua oratorium erat, et altare sancti Benedicti. Anxiato super hoc et multum conturbato abbati suus in omni sua desolatione consolator accessit, obsecrans ut, vel nunc acquiescens, majora inchoaret ædificia. Tandem victus, spem in Deo certissimam gerens, et plurimum in consiliarii sui ope confidens, cujus opera sibi bona omnia proveniebant, in salubriori multum et convenientiori loco nova inchoavit, monasterium et officinas, opus pergrande, quod non res propriæ, quæ adhuc erant permodicæ, sed fides in Deum firma, et spes certa, universa conferendo accumulavit. Lanfrancus quoque licentia abbatis sui [27] iterum scholam tenuit, et ea quæ a scho-
B lasticis accipiebat abbati conferebat, abbas operariis dabat.

10. Post triennii completionem, sola necdum completa basilica, venerabilis Lanfrancus cœpti operis institutor, tam ducis Normanniæ quam primatum supplicatione cœnobio Cadomensi, quod dux hortatu papæ Nicolai ædificaverat, abbas præficitur. Qui de monasterio Becci ad hoc opus exiens, unum duxit secum, qui nuper habitum susceperat, sed professionem nondum fecerat, nomine Radulfum, qui postea in eo loco fecit professionem; et procedente tempore, ejusdem ecclesiæ Cadomensis prior exstitit, ad ultimum abbas de Bello (18) obiit. In adventu Lanfranci mox ad ipsum locum venire ad conversionem cœperunt nobiles viri, et optimi cle-
C rici, inter quos fuit egregius et venerabilis Willelmus (19) Rabodi filius, qui post Lanfrancum Cadomensi Ecclesiæ præfuit, et postea Rothomagensis archiepiscopus exstitit. Iste Willelmus cum habitum religionis Cadomi suscepisset, missus est Beccum, ut ordinem ibi addisceret, quia novella plantatio ipsius loci nondum poterat alios perfecte instruere. Iste vir generosis natalibus ortus, simplex, bonis moribus ornatus, religiosus: cum aliquantum temporis ibi prius [*f.*, prior] claustralis, post abbas transegisset; inde assumptus [28], consecratus est archiepiscopus Rothomagensis; in quo loco perlongum tempus vixit, et in bona senectute diem ultimum clausit. In illo Cadomensi cœnobio tempore
D Lanfranci, et eorum qui, sæculum relinquentes, monasticam vitam sub eo arripuerunt, cœpit religio magna, quæ perdurat usque hodie. Interea dux Normannorum Willelmus hereditarium sibi regnum Angliæ pervadens, ad quæ voluit jura disposuit; deinde ad meliorandum Ecclesiæ statum, animum intendit. Igitur Alexandri uuiversalis Ecclesiæ summi pontificis, viri vita et scientia excellentissimi, consulto et rogatu, omnium quoque Anglici et Nort-

(17) De duobus istis monasteriis Cadomi excitatis egimus prævii observationibus.

(18) Cœnobium de Bello, vulgo *Bataille*, in agro Sussexiensi in Anglia construxit Guillelmus conquæstor anno 1067 in eo ipso loco ubi, prælio contra Heraldum regni invasorem commisso, ipsum vicerat, quod ideo Bellum vocavit. Ejus historia habetur in tomo I Monastici Anglicani, pag. 310

(19) Willelmus successit anno 1079, Joanni archiepiscopo Rothomagensi, quam sedem ad annum 1110 tenuit. Ejus laudes prosequitur Ordericus Vitalis lib. V, ad annum 1079; cui alii auctores consentiunt. Ratbodus ejus pater fuit episcopus Sagiensis.

mannici imperii magnatum libentissimo assensu, rex Willelmus, quod potissimum solumque acceptabat consilium, doctorem supra memoratum, Lanfrancum scilicet, ad hoc elegit negotium suscipiendum.

CAPUT V.

11. Libet nunc quasi ab alio exordio seriem nostræ narrationis dirigere, et quædam omissa inserere (20), et sic cuncta de eodem Lanfranco, prout poterimus, prosequi. Hic igitur homo religione, sapientia omni ævo memorabilis, nobili ortus parentela, ab annis puerilibus eruditus est in scholis liberalium artium et legum sæcularium ad suæ morem patriæ. Adolescens orator veteranos adversantes in actionibus causarum frequenter revicit, torrente facundiæ accurate dicendo. [29] In ipsa ætate sententias depromere sapuit, quas gratanter jurisperiti aut judices vel prætores civitatis acceptabant. Meminit horum Papia. At cum in exsilio philosopharetur, accendit animum ejus divinus ignis, et illuxit cordi ejus amor veræ sapientiæ. Animadvertebat enim quod mundi hujus prosperitas et gloria vanitas est. Repentino itaque animi motu se abnegans, mundoque renuntians, sumpsit Becci habitum religionis, et regulariter vivere cœpit. Studiosus fuit idem cœnobita, verbi gladio perimere sectas, si quas advertisset catholicam lædere fidem. Idem quoque optimus plenitudine charitatis, resuscitare satagebat, per fidei rectitudinem, in hæresi mortuos. Sapientes et religiosi pontifices metropolitani, necnon et abbates, tremuerunt sapientiam Lanfranci, atque religiositatem et auctoritatem, ejus et correctioni se subdi gavisi sunt. Ipsum quoque Ecclesiæ plures pontificem vel abbatem sibi incredibili desiderio petierunt. [30] Roma, caput orbis, sollicitavit (21) eum epistolis, precatu conata eum retinere et vi. Quippe cognoverant eum peritissimum honesta quælibet, et eorum contraria secernere; diligentissimum cuique sua retribuere perpendiculo rationabilitatis; promptissimum ardua duraque suscipere ac perpeti causa veri boni. Cognoverant etiam hanc ejus vitam, quæ merito dicatur quædam directissima atque tutissima ad perennis vitæ portum via. Ille vero nimis altum sibi duxit aliis præesse, infimam extremitatem corde et affectu non deserens. Gloriosus dux Normannorum Willelmus, hunc præcordiali colebat familiaritate; quapropter cœnobio Cado-

A mensi illum præfecit invitum. Ea tempestate civitas Rothomaga viduata est sancto ac venerabili archipræsule Maurilio (22): tunc clerus omnis et populus congregati volebant substituendum eligere Lanfrancum (23); verum toto conamine ille tale onus devitabat subire, humiliter magis cupiens subesse quam præesse. Nam abbatiam Cadomensem, quam invitus susceperat, libenter dimisisset, si extra animæ læsionem gravem fecere valuisset. Quod rex advertens, [31] providit subrogare Joannem (24), quem Abricatensium constituerat pontificem; sed ut hoc canonice fieret, licentiam petendi gratia Romam direxit eumdem abbatem Cadomensem Lanfrancum; qui onus hujusce legationis alacriter perferens, sicut Ecclesiis cupiebat esse consultum a B papa Alexandro impetravit; sacrum quoque pallium, cum licentia hujus promotionis, deportavit; unde et ipsi toti Neustriæ gaudium fuit.

CAPUT VI.

12. Post hæc venerunt ad regem in Angliam tres legati simul, Erminfredus Sedunorum episcopus et duo clerici cardinales, missi ad petitionem ipsius a papa Alexandro, qui eum, in Pascha coronam regni capiti ejus imponentes, in regem Anglicum confirmaverunt. [32] Congregata est ergo synodus magna Windresoris [*al.*, Windreford];(25) in qua, præsidente rege, ab ipsis legatis dejecti sunt quidam episcopi indigni episcopatu, propter vitam criminosam et inscitiam curæ pastoralis. Inter quos [33] deposuerunt Stigandum cum anathemate reprobatum, mul- C tis criminibus coinquinatum; qui cum duobus episcopiis infanda ambitione Cantuariensem archiepiscopatum invaserat. Substitutis itaque in locum dejectorum idoneis rectoribus, remansit vacua Dorobernensis cathedra, in qua pretiosus Christi confessor Augustinus omnibus præfuit Britanniæ episcopis. Cogitanti vero regi de hac re et proceres regni consulenti, convenientissimo fine, in Lanfranco quievit, quatenus uberrimum luminare in hac arce elatum nebulas undique pravitatum et caligines dilueret, saluberrimo fulgore cuncta honestans. Quapropter misit prædictos legatos in Normanniam ad hoc opus perficiendum. Cum igitur Sedunensis episcopus invitaret eum ad regimen pontificale, denuntians in D concilio episcoporum et abbatum Normanniæ petitionem regis, simulque voluntatem suam, et reliquo-

(20) Huc usque fere totum ex Vita beati Herluini desumptum est.

(21) Vide ea de re epistolam Lanfranci ad Alexandrum pontificem, num. 14, infra, et ipsius Alexandri epistolam ad Guillelmum conquæstorem Angliæ regem, quæ est hujus pontificis decima apud Labbeum, tom. IX Conciliorum, col. 1123.

(22) Maurilii Elogium dedimus ad annum 1067.

(23) Idem refert Ordericus Vitalis, lib. IV Historiæ ecclesiasticæ.

(24) Is Joannes est auctor libelli de divinis officiis, quem tum episcopus Abrincatensis Maurilio Rothomagensi nuncupavit. Quatuor ad ipsum epistolas scripsit Lanfrancus, quæ ab Acherio editæ sunt. De eodem agit Ordericus lib. V. Historiæ ad annum 1079, quo obiit. Vide ibi ejus epitaphium.

(25) Synodus in qua deposito Stigando Cantuariensi substitutus est Lanfrancus, Winloniæ habita est, anno 1070, in octavis Paschæ, ac paulo post, feria scilicet secunda post Pentecosten, apud Windleshorum; Guillelmus Eboracensem archiepiscopatum Thomæ contulit; quæ omnia, quasi in synodo Windleshorensi simul contigissent, enarrat auctor noster; sed Rogerius Hovedenus in parte priori Annalium, duas has synodos distinguit. Cæterum quamvis Anglicani auctores Stigandum non omnino excusent, eum tamen et alios episcopos et abbates ob id potissimum a Guillelmo rege exturbatos fuisse scribunt, ut Normanni, quibus ille magis fidebat, eorum sedibus potirentur. Quod scriptores Normannici a Guillelmo recta intentione factum fuisse contendunt.

rum sedis apostolicæ legatorum, et quasi præceptorum super hac prælatione, sancta ira, sancta tristitia sic perturbatum fuisse compererunt ut omnino contradicturum putarent inducias ad deliberandum petentem. Perspectum namque vel indubitatum tenebat simul ire non posse negotium archipræsulis et otium monachi. Ad hoc sui provectum solito despiciebat atque extimebat onerosissimum gubernaculum. Precatur regina cum filio, jubet abbas Herluinus, licet invitus, cui tanquam Christo obedire solitus erat; hortantur etiam studiose ad hoc collecti majores, nam hanc urgentem undique violentiam dictaverat mandatum regis, scientis obstinationem dilectissimi sibi Patris, cum ad altiora invitaretur. Non abnuit ille præcipiti sententia, ut omne factum ac dictum ejus discretionis norma dirigebat. Obedientiam offendere cavet, simul et tantos qui rogant, favent, hortantur. Mœstus ergo trans mare excusatum se vadit, sperans jucunditatem in reversione. Non enim æstimare potuit vir singularis, forma perfectæ humilitatis, invitum se ad archiepiscopatum trahi. Cæterum divinæ dispositioni quo consilio resisti poterit? Rex cum gaudio atque cum digna reverentia recepit Christianæ religionis adjutorem, devicit reluctantem, excusationem pulchre pugnans humilitate et majestate. Advocantur hilari festivoque jussu Cantuariensis Ecclesiæ primores, et multa dignitas regni ecclesiastica et sæcularis.

13. Hunc igitur rex intima semper coluit familiaritate, tum pro eminenti sæcularium ac divinarum litterarum peritia, tum pro monachici ordinis singulari observantia, impendens ei reverentiam et gloriam; venerans ut patrem, verens ut præceptorem, diligens ut filium vel fratrem. Illi consulta animæ suæ, illi speculam quamdam, unde ordinibus ecclesiasticis regula vivendi per omnem Normanniam et Angliam prospiceretur, commisit. Si quis vero admirans quærit cur tantus vir tantopere voluit declinare officium episcopale, vel quare abbas invitus hoc ei præcipiebat, primum de abbate noverit quod nequaquam invidendo ejus promotioni hoc faciebat, quippe cum ejus et honorem et exaltationem præ cæteris affectaret. Præcipiebat ergo illi quia voluntati Dei et sanctæ Ecclesiæ electioni eum vocanti contradicere non audebat. Invitus autem jubebat quoniam ægerrime ferebat tanti ac tam dulcissimi amici carere consortio, qui cœnobium Becci nuperrime inceptum situ et paupertate horrendum elegit, quod prudentia illius vigilantissimaque cura locupletavit et in statum provexit pulcherrimi ordinis, dum regeret collegium fraternum [*al.*, fratrum] severa ac miti disciplina, sanctum etiam abbatem humili et utili consilio. Etenim cum ingloriam propriæ tantum mortificationis operam idem Lanfrancus desideraret, cum adhuc Becci esset, deprehendit eum atque publicavit cogitationum inspector Deus, ut lucerna sese colligens in vallem diffunderetur per excelsa. Effulsit eo magistro, obedientiæ coactu, philosophicarum ac divinarum litterarum bibliotheca, nodos quæstionum in utraque solvere potentissimo. Fidem scriptis merear nullam, nisi quæ scribo Europæ latitudo asserat. Neque sileri puto de eisdem in Africa vel Asia. Ipse vero Lanfrancus idcirco pontificale onus subterfugere gestiebat quia sapientia plenus prævidebat quod otium monachilis ordinis inter occupationum episcopalium frequentissimos tumultus nequaquam ex integro haberi potest (34). Terreat exemplum istud damnatos cum Simone Mago zelo principis apostolorum; hinc intelligant perditissimi amentiam suam: muneribus emunt ineptissimi quod secundum Deum oblatum tremit talis, pecunias offerunt, majores promittunt, nunc per se, nunc per amicos, quibus dignitatum culmina, si ad hujusmodi honorem pervenire potuerint, repromittunt.

14. Victus igitur Lanfrancus Cadomensis abbas tam Dei voluntate quam circa se intelligebat, quam etiam apostolica auctoritate, et domni Herluini præceptione, et optimatum Normanniæ assensu, ita multiplici ratione in Angliam traducitur, et quæ insularum transmarinarum primatum obtinet Cantuariensis Ecclesiæ suscepit præsulatum. Qui tanto honore sublimatus, multarum amplitudine terrarum ditatus, auro argentoque locupletatus, non immemor divini illius mandati: Honora patrem et matrem (*Exod.* xx, 12), omnimodis benignus et liberalis exstitit circa patrem suum spiritualem Herluinum abbatem, et matrem Ecclesiam Beccensem; cujus ad eas partes transmigratio, paucos ante dies quam inde allegatio veniret, venerabili Herluino abbati per visum ostensa est hoc modo. Videbat quod in virgulto suo arborem malum habebat, cujus ramorum spatiositas multa erat et magna fructuum ubertas; pomorum quoque species delectabilis et sapor optimus. Hanc rex prædictus ab abbate poscebat, volens eam ad quoddam suum virgultum transferre, reluctante abbate et quod ea sola sustentaretur opponente; quia dominus erat, evicit, et arborem asportavit. Verum radices penitus avelli non potuerunt; ex quibus pullulantes virgulæ confestim in arbores magnas excreverunt. Post parvum denique sub eo visu intervallum, memoratus rex de arboris ipsius nimia fructificatione coram illo gaudebat; et ille se ex ea lætissimas habere propagines adgaudendo respondebat. Invitabatur a rege ut ipsum translatæ arboris incrementum iret videre; sed nescio quæ causa impediebat ne iret. Hæc omnia, sicut visio digessit, rerum eventus explicuit, præter quam quod vere ivit et quod audierat vidit. Virgultum abbatis erat Beccensis Ecclesia, cujus arbor maxima, ille doctor, non solum eam, verum alias omnes per patriam suo exemplo et doctrina sustentabat Ecclesias. Qui, ob religionis sacræ institutionem tradendam Anglis, a prædicto rege per abbatem suum, cui soli tanquam Deo parebat, ad transmarina migrare postulatus, multum invitus, salva obedientia atque ab invito abbate jussus, paruit. Unde scribens papæ Alexandro, post

salutationem ait : « Cum de Beccensi congregatione... » Cætera continet epistola 2 B. Lanfranci.

15. His verbis adverti potest quam invitus pastoralem curam susceperat, et quam libenter eam dimisisset, si concedere papa voluisset. Nam timebat suum defectum, nec adhuc ad votum cernebat in sibi commissis profectum. (35) Verum ejus inibi quantus postea exstiterit fructus, latissime attestatur innovatus usquequaque institutionis ecclesiasticæ status. (36) Cœnobialis ordo, qui omnino ad laicalem prolapsus fuerat dissolutionem, ad probatissimorum reformatur disciplinam monasteriorum. Clerici sub canonicali coerceantur regula. Populus, rituum barbarorum interdicta vanitate, ad rectam credendi atque vivendi formam eruditur.

CAPUT VII.

16. Hanc fructuum Deo suavissimorum fragrantiam, cujus ex odore domus Dei per orbem impleta est, quam et ipse abbas absens jucundissime senserat, postea præsens quanto vicinius tanto jucundius sensit, profectus ad eum in Angliam. Cumque ad archiepiscopum pervenisset, **9** quæ tunc inter eos submittendi sese ad invicem pia contentio ? Summus antistes, et in Ecclesiis transmarinis vices apostolicas gerens, submittebat se suo quondam abbati, ut alius quivis monachus; secundus ubique ab eo, ubi ad missarum solemnia residendo, et manum illius, cum aliquid ab eo accipiebat, nisi raptim ille retraxisset, osculando. Illi sedes eminentior, ac imperandi jus omne tribuebatur; donabat famulorum delinquentium reatus, ac cætera in domo pro velle faciebat. Domini nomen alius, ille auctoritatem gerebat. Quanto curia sua frequentior, quanto utriusque ordinis personarum totius regni excellentium conventus fiebat numerosior, tanto majori coram omnibus illum archiepiscopus præferebat obsequio. Multum mirabantur universi, maxime Angli, archiepiscopum Cantuariensem sic submitti ulli mortalium. Abbas vero quam debebat dignitati tantæ submissionem conabatur exsolvere, sed nullatenus permittebatur. Ecce quid in hac vita servientibus sibi opulentissima Dei manus retribuit. Qui, pauperiem Christi assumens, (37) olim contemptui ab universis et derisui habebatur ; habet nunc qui morem sibi gerat primatem totius regni Angliæ, cum omnibus sibi commissis pontificem. Eamdem benignitatis Dei vicem et ille acceperat, qui abnegans semetipsum sibi, qui olim pro Deo libertatem sui tradiderat, videt nunc ad vestigia sua advolvi, ut non dicam consulares multos, imo et maximum totum sibi accline regnum.

17. De radicibus illius magnæ arboris, quæ in horto suo remanserant, ut per somnium suum viderat, vidit postea prædicandus vir Herluinus pullulantes quasdam virgulas in arbores magnas excrevisse, multos videlicet ad magna bonorum operum incrementa per illius institutionem accessisse. Arbor fructibus opima fuit venerabilis Anselmus, Ecclesiæ Augustensis clericus, qui Lanfrancum ad monachatum subsecutus, post eum prior, post abbatem Herluinum abbas Becci, dein archiepiscopus Cantuariensis post eumdem Lanfrancum fuit ; de quo cuncta majora fuerunt quam nostra oratione referri queant. Arbores fructuum bonorum jucunditate delectabiles fuerunt (38) abbas Westmonasteriensis Gilbertus Crispinus (26), (39) abbas Cormeliensis Willelmus, (40) Henricus Ecclesiæ Cantuariensis decanus (41) ; Hernostus Roffensis Ecclesiæ episcopus, et qui ei ad idem officium successit ibidem, (42) vir morum sanctitate admodum reverendus Gundulfus. (43) Hi, juvante Dei gratia, in Beccensi ecclesia a magistro Lanfranco edocti, et a sancto Patre Herluino in sancta religione instructi, in Ecclesiis aliis postea honorabiles Patres sunt instituti.

CAPUT VIII.

18. Nova necdum sacrata erat ecclesia Becci, quam ab ipso cujus eam consilio inchoavit et auxilio consummavit exspectabat consecrari, instanter hoc a Deo exposcens ; cujus petitioni, qui ad cætera sibi benignus exstiterat Deus, optatum concessit effectum, adimplens per omnia super hac re illius desiderium. Interea paratis omnibus quæ necessaria erant usibus habitantium, post refectionem, vigilia Omnium Sanctorum, fratres relinquentes veterem habitationem, ordinata processione, canentes responsorium *O beata Trinitas*, venerunt in novam ecclesiam ; intrantes novas ædes deinceps habitaturi, ibique festivitatem Omnium Sanctorum cum gaudio et alacritate omnium celebraverunt. In crastinum dum missa cantaretur, sanctus Pater collectam multitudinem pauperum in novas officinas jussit induci, et abundantissime cibo et potu refici. Quarto deinde anno dedicata est ecclesia cum magna gloria, et a quo Pater desiderabat. Nam pro quibusdam negotiis tam sæcularibus quam ecclesiasticis, gentium transmarinarum sæpe memoratus pontifex summus Lanfrancus ad curiam eminentissimi regis Anglorum Willelmi, in Normannia tunc commorantis, veniens, primo accessit ad ipsum monasterium ; et qua non potuit majori decentia a fratribus est susceptus ; ipse qua non potuit majori humilitate, cum eis se habuit, juxta quod scriptum est : *Quanto magnus es, humilia*

(26) Alios Lanfranci discipulos in observationibus præviis indicavimus. De Gisleberto multa diximus ad Vitam B. Herluini, quam ille scripsit; de Willelmo in notis ad cap. 2 hujus Vitæ. Henricus Cantuariensis Ecclesiæ decanus is, ut videtur, fuit ad quem S. Anselmus scripsit duas epistolas, una est 1 lib. LIV, altera 2 libri XL, ubi ejusdem Cantuariensis Ecclesiæ prior vocatur. De Ernosto agit Lanfrancus epist. 48, editionis Acherianæ, Gundulfi sanctitatem prædicant auctores coævi, videtur is esse ad quem Lanfrancus epist. 46 scripsit. Ordinatus est autem anno 1077, destructaque Roffensi, vetustate pene collapsa, ecclesia, novam ædificavit, in qua sexaginta monachos adunavit. Hæc et alia Gundulfi præclare gesta refert anonymus ipsius Vitæ scriptor ; quem Acherius in notis ad cap. 13 hujus Vitæ Lanfranci edidit post Sedlenum in notis ad Eadmerum, qui quidem Eadmerus eadem narrat. Vita integra Gundulfi edita est tomo II Angliæ sacræ.

te in omnibus (*Eccli.* III, 20). (Est autem Beccense monasterium inter duos montes situm, super rivum qui Beccus dicitur, a quo et nomen accepit.) Cum ergo venisset ad descensum montis, qui ipsi cœnobio eminet, (44) fertur annulum de digito extraxisse; nec postea quandiu Becci moratus est, nisi ad missarum solemnia, resumpsisse. Ad abbatis jam senio incurvati osculum accedens tam magnus antistes, ad pedes ejus advolvi conatus est: verum illo econtra id ipsum conante, longo utrique [*al.*, utique] luctamine, dum alter alterum sustentat, neuter explevit quod satagebat. Post multos diuque optatos amplexus, (45) cum fratribus in claustro sedit archiepiscopus, ut quivis alius ipsorum, juvenes, senes, atque infantes, unumquemque singillatim compellans, et juxta uniuscujusque qualitatem debita ac confortatione adhortans. Quis enarrare sufficienter queat quantam humilitatem et benignitatem omnibus condescendendo exhibebat? Ad mensam dextrorsum et sinistrorsum fratres cum archiepiscopo sedere ac communi calice, scutella una, cum eo coguntur sumere cibum. Nec sola ædificatione solatia fratribus impendit, sed tanto hospite digna hospitium locavit munificentia ut ex reliquiis festive geminari potuerint octavæ. In ecclesia cathedram episcopalem sibi præparari noluit, sed in sedem prioris intravit, dicens se adhuc priorem esse, et nondum dimisisse prioratum. Compellatus ab universis de consecratione ejusdem ecclesiæ, paratus eorum morem gerere voluntati, ad curiam profecturus inducias petiit, donec inde sciret voluntatem regis. Dein fratrum votis commendatus, ad regem pervenit, locutus cum eo, unde [*al.*, inde] rogatus discesserat, diem dedicationis accepit, et confestim remisit non solum qui diceret, verum et unde fieret.

19. Igitur decimo Kalendas Novembris, anno ab incarnatione Domini 1077, sanctæ omni Ecclesiæ venerandus, gentium transmarinarum primas et pontifex summus (27) Lanfrancus advenit, consecrando consummaturus ecclesiam quam inspirante Deo inchoavit, et in cujus fundamentis exstruendis lapidem secundum ipse manu sua imposuit. Convenerunt universi Normanniæ episcopi, abbates, et alii quique religiosi viri; adfuerunt et proceres regni. Rex et regina aliis intenti non adfuerunt, sed largitatis suæ beneficia miserunt. Agitur dedicatio lætissima solemnitate et solemni omnium alacritate; alacritati hominum aer ipse purissimus diesque lucidissimus arridebat. Languor, qui per octo ante dies Patrem ipsum monasterii tenuerat, tunc eum dimisit, et Deo miserante ad diem plenissime convaluit. Finitur majori quam cœpta fuerat jucunditate solemnitas. Tertio die sæculis memorandus jam sæpe fatus Cantuariorum archiepiscopus ab universis fratribus eundi missionem poposcit. Quis tantum tantæ inter eos benignitatis virum recedentem siccis oculis aspicere potuit? Omnes erupere in lacrymas; parvuli non valebant consolari. Consulto maturavit discessum, quatenus a fletu se continerent, vel post ejus discessum. Venerabilis Herluinus eum supra omnes mortales amans, et ab eo amatus, per duo milliaria discedentem prosecutus est amicum, ad suos visus nunquam in hac vita ulterius rediturum. Nam ante diei ipsius dedicationis annuam revolutionem diem clausit extremum. Quæ cordis amaritudo! quis fletus in ipso ultimo vale et ultimo ab invicem discessu!

CAPUT IX.

20. His præoccupando ita præmissis, ad ordinem nunc revertamur. Post translationem in Angliam Lanfrancus, non oblitus propter quod venerat, totam intentionem suam ad mores hominum corrigendos et componendum Ecclesiæ statum convertit. Et prius ipsam regni matrem ecclesiam Dorobernensem renovare studuit. Et quia ante aliquot annos igne combusta fuerat, a fundamentis illam reædificare studuit, grande opus et spatiosum. Officinas quoque usibus monachorum necessarias ædificavit. Et quod mirum admodum sit, de Cadomo ubi abbas exstitit, velivolis navibus per mare transvehi faciebat quadros lapides ad ædificandum. Domos quoque ad habitandum sibi construxit prope ecclesiam. Quæ omnia ædificia muro magno et alto cinxit. Dispositis sufficienter quæ ad regularem victum et vestitum sunt necessaria, ecclesiam ipsam pretiosis atque multis ditavit ornamentis. Dignitates vero Cantuariensis ecclesiæ, quæ vetustate vel negligentia deciderant, sive imminutæ fuerant, renovando reformavit. Terras multas quæ ablatæ fuerant, in jus ecclesiæ revocavit, et viginti quinque maneria ecclesiæ restituit. (46) Xenodochia (28) vel ptochotrophia duo extra civitatem ædificavit; unum ad aquilonem, alterum ad occasum, cum omnibus necessariis, quibus de suo annuos redditus, quantum satis visum est, delegavit. In maneriis suis instituit præbendas dandas pauperibus per annum. In pluribus ipsorum maneriis construxit lapideas domos sibi ad habitandum.

21. Odo (29) Bajocensis episcopus, frater Willelmi regis, erat comes Cantiæ eo tempore quo Lanfrancus ad archiepiscopatum venit. Hic multis gravaminibus

(27) Sic præcipuarum sedium archiepiscopi passim hoc ævo nuncupabantur. Ita Wido Remorum archipræsul in Historia inventionis S. Bertini *summus pontifex*, alias *summus præsul* dicitur.

(28) Egregiam horum xenodochiorum descriptionem habet Eadmerus libro I Historiæ Novorum, sicut et donorum, quæ idem Lanfrancus ecclesiæ suæ contulit. Vide etiam ea de re fusius disserentem Gervasium Dorobernensem in Actis pontificum Cantuariensium, et in libro De ejusdem ecclesiæ conflagratione et reparatione.

(29) De ejus administratione plura scripsit Ordericus libris III, IV et VII Historiæ suæ. Quod vero ad hanc disceptationem cum Lanfranco attinet, legendus est Eadmerus qui eam libro I Hist. Novorum fuse exponit, sicut et sequentem cum episcopo Cicestrensi. Ibidem notat Eadmerdus Lanfranco adfuisse Dunstanum, ut ecclesiæ suæ jura tueretur,

atterebat homines illius provinciæ, et simul homines A Dorobernensis Ecclesiæ; cui Lanfrancus in faciem restitit, et coram omnibus testimonio antiquorum Anglorum, qui periti erant legum patriæ, [47], deratiocinatus est libertatem terræ suæ, et liberavit homines suos a malis consuetudinibus, quas Odo volebat illis imponere. Adhuc plures supersunt, [48] qui et locum placiti (30) et nomen loci norunt, [49] et modum finemque litis quo contentio terminata est referunt. Quid de clericis villarum suarum Cicestrensi episcopo scripsit, subter annecti dignum duximus.

Lanfrancus (31) gratia Dei..... (*Est epist.* 40 *Lanfranci.*)

CAPUT X.

22. Euntem illum ad archiepiscopatum multi secuti sunt, e quibus plures retinuit; quos honoribus et terris ditavit, sicut posteri eorum testantur manentes usque ad præsens. Sed ut retro redeam, primo adventu ejus in Angliam, auctoritate summi pontificis Alexandri, et gloriosi regis Willelmi, convocavit episcopos et principes terræ, clerum et populum, ad renovanda decreta et instituta sanctorum Patrum de synodis celebrandis, de consuetudinibus ecclesiasticis. In hoc conventu ostensum est contra Thomam (32) electum, qui hoc contradicebat, quod Eboracensis archiepiscopus debet esse Cantuariensi subditus antistiti; quod quomodo actum sit plenius qui voluerit scire, ex his quæ subjecta sunt nosse poterit. [50] Anno (33) ab incarnatione Domini 1070 C intravit Anglicam terram Lanfrancus Cadomensis cœnobii abbas, moventibus atque præcipientibus Willelmo glorioso Anglorum rege, et felicis memoriæ Alexandro totius sanctæ Ecclesiæ summo pontifice. Is post paucos sui introitus dies Dorobernensem Ecclesiam regendam suscepit; consecratus est autem IV Kalendas Septembris, in sede metropolia suffraganeis ipsius sedis, Willelmo Londoniensi episcopo, Walchelino Wentano, Remigio Dorcensi sive Lincoliensi, Siwardo Roffensi, Herfasto Helmeanensi sive Thesfordensi, Stigando Selengensi [*al.*, Selesiensi], Hermanno Siraburnensi [*al.*, Schireburnensi], Gisone Vellensi. Cæteri qui absentes fuerunt causas suæ absentiæ tam legatis quam litteris, ostenderunt.

23. Ipso anno Thomas Eboracensis Ecclesiæ electus antistes Cantuarberiam ex prisca consuetudine ab eo sacrandus advenit; a quo cum Lanfrancus scriptam de obedientia sua cum adjectione jurisjurandi professionem custodito antecessorum more exposceret, respondit Thomas nunquam se id facturum, nisi prius scriptas de hac re auctoritate legeret, nisi testes hujus antiquitatis assertores cerneret; postremo, nisi congruas super hac re rationes audiret, quibus id juste et rationabiliter sine suæ ecclesiæ præjudicio facere deberet. Hoc autem ignorantia magis quam spiritus elati pertinacia agebat. Novus enim homo et Anglicæ consuetudinis penitus expers verbis adulatorum plus æquo et bono fidem exhibebat. Lanfrancus tamen in præsentia paucorum episcoporum, qui ad eum pro hac consecratione venerant, quod postulavit ostendit. At ille, aspernatus omnia, non sacratus abscessit. Quod rex audiens graviter accepit, existimans Lanfrancum B injusta petere et scientia litterarum magis quam ratione et veritate confidere, quamvis nec ipsi Thomæ deesset Scripturarum peritia, multo ingenio, multo studio comparata. Paucorum dierum spatio evoluto, Lanfrancus ad curiam venit, a rege audientiam postulavit, redditis rationibus ejus animum mitigavit, transmarinis qui aderant suæ parti justitiam adesse suasit et persuasit. Angli enim qui rem noverant assertionibus ejus per omnia constantissime testimonium perhibebant. Itaque regio edicto communique omnium decreto statutum est ad præsens debere Thomam ad matrem totius regni Ecclesiam redire, professionem scribere, scriptam legere; lectam inter examinandum in præsentia episcoporum more ecclesiastico Lanfranco porrigere; in qua præceptis quidem ejus in omnibus, quæ ad Christianæ religionis cultum pertinent, se obtemperaturum absolute, nulla interposita conditione, promitteret, successoribus vero ejus non ita, nisi prius vel coram vel in episcopali concilio competens ei ratio redderetur, qua antecessores suos Dorobernensis Ecclesiæ primatibus id fecisse et facere debuisse evidentissime ostenderetur. Igitur rediit, quæ jussa sunt implevit, sacratus abscessit. Non post multos dies Lanfrancus ab universis regni Anglici episcopis, qui diversis temporibus, diversis in locis, ab aliis archiepiscopis, vel a papa, tempore Stigandi, sacrati sunt, professionem petiit et accepit.

CAPUT XI.

D 24. Sequenti anno cum præfato archiepiscopo Romam ivit, et honorifice a sede apostolica susceptus est, siquidem venienti papa assurrexisse dicitur, tum pro sua magna religione et eminenti scientia, tum quia, dum esset in Normannia, venientes Romanæ Ecclesiæ ministros honorifice suscipiebat, et

(30) Bis ea de re disceptatum fuisse testis est idem Eadmerus: primo *Pinnidone*, ubi Goffridus Constantiensis episcopus, *vice regis Lanfranco justitiam de suis querelis strenuissime facere jussus, fecit.* Altera autem vice qui Ecclesiæ jura tuebantur victi fuerant, sed absente Lanfranco: unde sequenti die, ipse beati Dunstani monitu ad placitum venit, et causam repetens, *quæ pridie dicta fuerant inania esse sic monstravit, ut donec vitæ præsenti superfuit, nullus exsurgeret qui inde contra eum os aperiret.*

(31) Vi. epist. 40 Lanfranci.

(32) Thomas e canonico Bajocensi in archiepiscopatum Eboracensem a Guillelmo rege promotus.

(33) Hæc ipsismet verbis habes apud Willelmum Malmesburiensem lib. I De gestis pontificum Anglorum. Tractatus prolixus de controversia inter sedes Cantuariensem et Eboracensem de primatu habetur tomo I Angliæ sacræ, pag. 653.

quosdam papæ consanguineos studiose docuerat. Fertur etiam papa dixisse : (34)« Non ideo assurrexi ei quia archiepiscopus Cantuariæ est, sed quia Becci ad scholam ejus fui, et ad pedes ejus cum aliis auditor consedi.» Itaque duo pallia illi dedit : unum quod de altari, Romano more, accepit ; alterum (35) vero in indicium videlicet sui amoris, cum quo missam celebrare solebat, Alexander ei papa sua manu porrexit ; in cujus præsentia Thomas calumniam movit de primatu Dorobernensis Ecclesiæ, et de subjectione trium episcoporum, Dorcestrensis sive Lincolniensis, Wigornensis, Licifeldensis, quæ nunc est Cestrensis, dicens Cantuariensem Ecclesiam atque Eboracensem parem ad se invicem honorem habere, nec alteram alteri, secundum beati Gregorii constitutionem, debere ullatenus subjacere, excepto quod alterutrius archiepiscopum priorem et digniorem oporteat esse eo quem constiterit fuisse posterius ordinatum ; prædictos vero tres episcopos suæ sedi suisque antecessoribus ab antiquis temporibus exstitisse subjectos. Lanfrancus hoc audiens, etsi moleste tulit, modesta tamen discretione verba illius veritate penitus carere respondit, asseverans Gregorianam illam constitutionem (36) non de Cantuariensi et Eboracensi esse promulgatam. De qua re et de tribus episcopis multis hinc inde verbis prolatis decrevit Alexander papa oportere hanc causam in Anglica terra audiri, et illic totius regni episcoporum et abbatum testimonio et judicio definiri.

25. Lanfrancus, quamvis alligatum illum suo tempore facta ab eo professione teneret, maluit tamen pro successoribus suis laborare quam eis in posterum indiscussam hanc tantam calumniam discutiendam reservare. Uterque igitur in Paschali solemnitate ad regem venit, ibique prolatis in medium partium rationibus, sententiam de negotio regalis curia dedit. Jussum tunc est fieri scriptum totius causæ continens finem. Lanfrancus Alexandro papæ epistolam direxit, in qua ei totius negotii gestionem breviter et veraciter enarravit. Utraque scripta subter annexa sunt, præmissa professione, quam Thomas Lanfranco coram rege et ejus curia manu in manum porrexit :

« Decet Christianum quemque Christianis legibus subjacere, nec his quæ a sanctis Patribus salubriter instituta sunt quibuslibet rationibus contraire ; hinc namque iræ, dissensiones, invidiæ, contentiones, cæteraque procedunt, quæ amatores suos in pœnas æternas demergunt. Et quanto quisque altioris est ordinis, tanto impensius divinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas, ordinatus jam Eboracensis Ecclesiæ metropolitanus antistes, auditis cognitisque rationibus, absolutam tibi, Lanfrance, Dorobernensis archiepiscope, tuisque successoribus, de canonica obedientia professionem facio ; et quidquid a te vel ab eis juste et canonice injunctum mihi fuerit, servaturum me esse promitto. De hac autem antea cum a te ordinandus essem dubius fuit, ideoque tibi quidem sine conditione, successoribus vero tuis conditionaliter obtemperaturum esse promisi. »

DECRETUM CONCILII (37).

26. « Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1072, pontificatus autem domini Alexandri papæ undecimo regni vero Willelmi gloriosi regis Anglorum et ducis Normannorum sexto. Ex præcepto ejusdem Alexandri papæ, annuente eodem rege, in præsentia ipsius et episcoporum atque abbatum, ventilata est causa de primatu, quem Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus super Eboracensem Ecclesiam jure suæ Ecclesiæ proclamabat, et de ordinationibus quorumdam episcoporum, de quibus ad quem specialiter pertinerent certum minime constabat. Et tandem aliquando diversis diversarum scripturarum auctoritatibus probatum atque ostensum est quod Eboracensis Ecclesia Cantuariensi debeat subjacere, ejusque archiepiscopi ut primatis totius Britanniæ dispositionibus, in his quæ ad Christianam religionem pertinent, in omnibus obedire. Subjectionem vero Dunelmensis, hoc est Lindisfeldensis episcopi atque omnium regionum, a terminis Licifeldensis episcopii et Humbræ magni fluvii usque ad extremos Scotiæ fines, et quidquid ex hac parte prædicti fluminis ad parochiam Eboracensis Ecclesiæ jure competit, Cantuariensis metropolitanus Eboracensi archiepiscopo ejusque successoribus, in perpetuum obtinere concessit, ita ut si Cantuariensis archiepiscopus concilium cogere voluerit, ubicunque visum fuerit, Eboracensis archiepiscopus sui præsentiam, cum omnibus sibi subjectis episcopis, ad nutum ejus exhibeat et ejus canonicis dispositionibus obediens existat. Quod autem Eboracensis archiepiscopus professionem facere debeat Cantuariensi archiepiscopo, etiam cum sacramento, Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus ex antiqua antecessorum consuetudine ostendit. Sed ob amorem regis, Thomæ Eboracensi archiepiscopo sacramentum relaxavit, scriptamque tantum professionem recepit, non præjudicans successoribus suis, qui sacramentum cum professione a successoribus Thomæ exigere voluerunt. Si archiepiscopus Cantuariensis vitam finierit, Eboracensis archiepiscopus Doroberniam veniet, et eum qui electus fuerit, cum cæteris præfatæ Ecclesiæ episcopis, ut primatem proprium jure consecrabit. Quod si

(34) Hæc habet Eadmerus lib. I Novorum.

(35) Id Hincmaro Remensi sæculo IX, et Brunoni Coloniensi, sæculo X concessum jam fuerat. Nec ejus rei alia occurrunt exempla.

(36) Id de Cantuariensi archiepiscopo cum Londoniensi statuerat B. Gregorius. De his fuse Willelmus Malmesburiensis lib. I Historiæ pontificum Anglorum, quem legesis.

(37) Illud concilium Windlesboræ habitum fuisse refert Spelmannus, tom. II Conciliorum Angliæ. Attamen Willelmus Malmesburiensis, ex quo hæc omnia desumpta sunt, nullum locum exprimit ; unde Labbeus in editione Conciliorum maluit ipsum simpliciter *Anglicanum* appellare.

archiepiscopus Eboracensis obierit, is qui ei successurus eligitur, accepto a rege archiepiscopatus dono, Cantuariam, vel ubi Cantuariensi visum fuerit, accedet; et ab ipso ordinationem canonico more suscipiet. » Huic constitutioni consenserunt præfatus rex et archiepiscopi, Lanfrancus Cantuariensis (3), et Thomas Eboracensis, et Hubertus sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus et præfati Alexandri papæ legatus, et cæteri qui interfuerunt episcopi et abbates.

27. Hæc ut gesta sunt Lanfrancus Alexandro notificavit per subscriptam epistolam :

Domino totius Christianæ religionis summo speculatori ALEXANDRO papæ. LANFRANCUS... (*Vide epist.* 4 *Lanfranci.*)

28. De eadem re scripsit Hildebrando Romanæ Ecclesiæ archidiacono, ita.

Calumnia quam Eboracensis Ecclesiæ antistes adversum me movit... (*Exstat inter epistolas, uti et sequens, suntque* 6 *et* 7.)

29. Ad hæc Hildebrandus respondit Lanfranco.

« Verba legatorum vestrorum, » etc.

CAPUT XII.

30. [51] Anno ab incarnatione Domini 1075, regnante glorioso rege Willelmo Anglorum, anno regni ejus nono, congregatum est Londoniæ in ecclesia beati Pauli apostoli concilium totius Angliæ regionis episcoporum, abbatum, nec non et multarum religiosi ordinis personarum, jubente atque eidem concilio præsidente Lanfranco sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ archipræsule totiusque Britanniæ primate, consedentibus secum viris venerabilibus, [52] Thoma Eboracensi archiepiscopo, [53] Willelmo Londinensi episcopo, [54] Goisfrido Constantiensi [qui (38) cum transmarinus esset episcopus, in Anglia multas possessiones habens, cum cæteris in concilio residebat], [55] Walchelino Vintoniensi, [56] Hermano Siraburnensi [*al.*, Schireburnensi), [57] Wilfstano Virecestrensi, [58] Walterio Herefordensi, [59] Gisone Vellensi, id est Batensi, [60] Remigio Dorchacensi sive Lincoliensi, [61] Herfasto Helmeanensi seu Norwincensi [62] Stigando Selengensi, [63] Osberno Exoniensi, [64] Petro Liciferdensi. Roffensis Ecclesia per id tempus pastore carebat. Lindisfarnensis, qui et Dulmensis [Dunelmensis] episcopus, canonicam habens excusationem concilio interesse non poterat. Et quia multis retro annis in Anglico regno usus conciliorum obsoleverat, renovata sunt nonnulla, quæ antiquis etiam noscuntur canonibus definita.

Ex concilio igitur Toletano quarto, Millevitano atque Bracharensi statutum est ut singuli secundum ordinationis suæ tempora sedeant, præter eos qui antiqua consuetudine sive Ecclesiarum suarum privilegiis digniores sedes habent. De qua re interrogati sunt senes et ætate provecti quid vel ipsi vidissent, A vel a majoribus atque antiquioribus veraciter atque probabiliter accepissent. Super quo responso petitæ sunt induciæ, ac concessæ usque in crastinum. Crastina autem die concorditer perhibuere quod Eboracensis archiepiscopus ad dexteram Dorobernensis sedere debeat, Londoniensis ad sinistram, Wentanus juxta Eboracensem; si vero Eboracensis desit, Londoniensis ad dexteram, Wentanus ad sinistram.

Ex regula beati Benedicti, ex Dialogo Gregorii, et antiqua regularium locorum consuetudine, ut monachi ordinem debitum teneant, infantes præcipue et juvenes, in omnibus locis, deputatis sibi magistris, custodiam habeant. Nocte luminaria ferant, generaliter omnes nisi a prælatis concessa proprie B tate careant (*reg.* cap. 63, 22, 33). Si quis vero aliquid proprii sine præfata licentia habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia et dolore peccatum suum confessus; nec signa pulsentur pro eo, nec salutaris pro ejus absolutione hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur (GREGOR. *Dial. lib.* IV, cap. 55).

Ex decretis summorum pontificum, Damasi videlicet, et Leonis, nec non ex conciliis Sardicensi (*can.* 6) atque Laodicensi (*can.* 57), in quibus prohibetur episcopales sedes in villis existere, concessum est regia munificentia et synodi auctoritate præfatis tribus episcopis de villis ad civitates transire; Hermanno de Siraburna ad Selesberiam, Stigando de C Selengeo ad Cicestrum, Petro de Licifelde ad Cestrum. De quibusdam, qui in villis seu vicis adhuc degebant, dilatum est usque ad regis audientiam, qui in transmarinis terris tunc temporis bellum gerebat.

Ex multis Romanorum præsulum decretis diversisque sacrorum canonum auctoritatibus : Ne quis alienum clericum, vel monachum [65] sine commendatitiis litteris retineat vel ordinet. Ad comprimendam quorumdam indiscretorum insolentiam, ex communi decreto sancitum est ne quis in concilio loquatur præter licentiam a metropolitano sumptam exceptis episcopis et abbatibus.

Ex decretis [66] Gregorii Majoris (39), nec non et D Minoris, [67] ut nullus de propria cognatione, vel uxoris defunctæ seu quam cognatus habuit, uxorem accipiat, quoad usque parentela ex alterutra parte ad septimum gradum perveniat.

[68] Ut nullus sacros ordines seu officium ecclesiasticum, quod ad curam animarum pertineat, emat vel vendat. Hoc enim scelus a Petro apostolo in Simone Mago primitus damnatum est, postea a sanctis Patribus (4) vetitum et excommunicatum.

Ne ossa mortuorum animalium, quasi pro vitanda animalium peste, alicubi suspendantur.

Ne sortes, vel aruspicia, seu divinationes, vel

(38) Solus hic cum Odone Bajocensi ex Normanniæ episcopis, cum Guillelmo conquæstore in Angliam transiit.

(39) Id est Gregorius Magnus seu primus, et Gregorius secundus, ut jam alias observatum est.

aliqua hujusmodi opera diabolica ab aliquo exerceantur.

(69) Hæc enim omnia sacri canones prohibuerunt, et eos qui talia exercent, data sententia excommunicaverunt.

Ex conciliis Eliberitano, et Toletano undecimo. Ut nullus episcopus vel abbas, seu quilibet de clero, hominem occidendum vel membris truncandum judicet; vel judicantibus suæ auctoritatis favorem accommodet.

Ego Lanfrancus Dorobernensis archiepiscopus subscripsi.

Ego Thomas Eboracensis archiepiscopus subscripsi.

Subscripserunt et alii episcopi et abbates qui interfuerunt (40).

CAPUT XIII.

31. Post hæc Thomas Eboracensis humiliter (70) rogavit per epistolam (41) Lanfrancum, ut mitteret sibi duos episcopos, Dorchacestrensem et Wigornensem, (71) ad sacrandum quemdam clericum, quem (72) Paulus comes Orcadum (42) insularum illi miserat, ad ordinandum illis partibus episcopum, affirmans nullum imposterum, se horum episcoporum hac de causa, quæsiturum subjectionem. Cujus petitioni Lanfrancus annuens scripsit episcopis Wistano Wigornensi, et Petro Cestrensi, ut Thomæ, sicut petebat, occurrerent, ad prædicti clerici consecrationem, ad diem quem ipse nominaret.

32. In suburbio civitatis Cantuariæ, est quædam ecclesia Sancti Martini, in qua, ut fertur, priscis temporibus fuit sedes (43) episcopalis; et, ut aiunt, episcopum habuit, antequam ad illas partes transiret Lanfrancus. Sed quia auctoritate canonum constat præceptum, ne in una civitate duo pontifices simul habeantur, statuit Lanfrancus, ne ulterius ipsi loco ordinaretur episcopus.

33. In quadam festivitate, de tribus magnis, quibus rex coronatus solebat tenere curiam, die festivitatis cum rex diademate et indumentis regalibus ornatus sederet ad mensam, et Lanfrancus juxta eum, quidam scurra videns regem auro et gemmis radiantem, exclamavit in aula, magna adulationis voce, et dixit: Ecce Deum video, ecce Deum video. Lanfrancus conversus ad regem, ait: Nolite talia pati imponi vobis; non sunt hæc hominis, sed Dei; jubete illum acriter verberari, ne audeat unquam talia iterare. Quod rex juxta verbum illius fieri jussit.

A Noverat vir prudentissimus quod tertius Herodes ideo ab angelo percussus interiit quia adulatorum verba, quæ quasi Deo sibi acclamabant, non respuit, sed suscepit (*Act.* II, 22, 23).

34. (73) Ecclesiam Roffensem ipse instauravit, et in ea episcopum ordinavit (74) Beccensem monachum, nomine Hernostum. In hujus consecratione inventus est Evangelii versus: *Cito proferte stolam primam* (*Luc.* XV, 22), etc. Quod cum audisset Lanfrancus, prædixit eum cito moriturum, et sic contigit. Namque ei in episcopatu nondum anno completo, (75) decedenti successit Gundulfus, et ipse monachus Beccensis, vir Deo amabilis et religiosus, qui perseveravit usque ad tempora sancti Anselmi et regis Henrici. Abbatiam quoque sancti Albani
B restituit in pristinum statum; (76) in qua posuit abbatem (44) Paulum Cadomensem monachum, qui ibi ordinem et ecclesiastici officii usum instituit, sicut cernere est usque hodie.

CAPUT XIV.

35. Quadam die dum missam celebraret, et ventum esset ad horam qua corpus Domini manibus accepit, diaconus, qui ad missam sibi ministrabat, pervasus a dæmone arripuit archiepiscopum manibus per scapulas; venerabilis antistes in nullo turbatus, reflexa manu dextera per capillos eum tenuit, et ante pedes suos adduxit. Percelebrata missa, in domum infirmorum jussit illum perduci, ubi per aliquot dies in eadem insania permansit. Non autem multum illum vexabat possessum, nisi
C quia in amentia tenebat; ridebat vero præsentes cum cachinno, respondens ad ea quæ dicebantur. Videbant autem quemdam tumorem per membra dissilientem; et si quis voluisset manum superimponere, statim in alium locum exhibebat. Contigit autem venerabilem prædictum Gundulfum præsulem Roffensium adesse, qui cum voluisset manum super tumorem illum imponere, desiliit aliorsum, et ait episcopus: Revera salit sicut catus. Respondit dæmon: Non ut catus, sed ut catulus. Dicebat autem de quibusdam ejusdem loci fratribus quædam nefanda. Tunc nominaverunt quemdam, dicentes: Quoniam de illo non haberet quid diceret. At ille cœpit affirmare quia nunquam ille quem dixerant
D auderit in præsentiam I5 suam venire. Quod cum frater audisset, timuit ne forte aliquid sibi perperam gestum improperaret. Tunc sapientes fratres dederunt consilium, ut, cum archiepiscopo loquens, puram confessionem faceret, revelans illi totam

(40) Eorum nomina recensentur in editione Labbeana ubi tria hujus concilii exemplaria, sicut et apud Spelmannum, habentur.

(41) Est inter Lanfranci epistolas editionis Acherii 11; ea autem quam Lanfrancus ad eosdem episcopos scripsit est 12.

(42) Orcadum insulæ sunt numero circiter 30 prope Scotiam, quarum præcipua est Pomonia, in qua sedes est harum regionum episcopi.

(43) Ibi corepiscopum tantummodo sedisse affirmat Gervasius Dorobernensis in Actis pontificum Cantuariensium, cap. de S. Elfego, ubi hæc habet: *Habebat quondam Cantuariensis archiepiscopus corepiscopum quemdam, qui in ecclesia Sancti Martini extra Cantuariam manebat; qui adveniente Lanfranco deletus est, sicut ubique terrarum factum esse audivimus.* Quo ex loco videntur chorepiscopi usque ad undecimum sæculum perseverasse.

(44) Eadmerus lib. I Historiæ Novorum fusius refert monasterii S. Albani restaurationem, quam Lanfrancus, constituto ibi Paulo abbate, consummavit. Cæterum ad hunc Paulum scripsit S. Anselmus, ut ipsi de ejus electione gratularetur, quæ epistola est in nova editione 78, lib. I.

vitam suam ; et sic fiducialiter cum absolutione, et benedictione ejus, iret ad dæmoniacum. Nec mora, fecit quod sibi consulebatur, et mox ingressus stetit ante eum. Tunc qui aderant dicebant dæmoniaco : Ecce adest cui minitabaris, dic si quid de eo nosti. At ille in eum torvo respectans oculo, ait cachinnans : Pro malo homine, quomodo es nunc rebullitus et candidatus? Quis te sic rebullivit et dealbavit? Et cum ab aliis urgeretur, ut diceret quod antea se dicturum minitabatur, nihil plus dixit. Unde datur intelligi quia virtus confessionis et absolutionis aufert diabolo aut memoriam peccati, de quo pura confessio facta fuerit, aut certe potestatem hominem accusandi. Unde beatus Augustinus : Si, inquit, fueris tui ipsius accusator, et Dominus liberator, quid erit ille, nisi calumniator? Post aliquot dies, Deo miserante, et magno præsule Lanfranco cum fratrum sanctæ sedis orationibus adjuvante, liberatus est ab illa peste, et pristinæ restitutus est sanitati. Hoc, beato Anselmo archipræsule referente, cum aliis pluribus audivi.

CAPUT XV.

36. (77) Quando gloriosus rex Vuillelmus morabatur in Normannia, Lanfrancus erat princeps et custos Angliæ, subjectis sibi omnibus principibus, et juvantibus in his quæ ad defensionem, et dispositionem, vel pacem pertinebant regni, secundum leges patriæ. (78) Lectioni erat assiduus et ante episcopatum, et in episcopatu, quantum poterat. Et quia Scripturæ scriptorum vitio erant nimium corruptæ, omnes tam Veteris quam Novi Testamenti libros, nec non etiam scripta sanctorum Patrum, (79) secundum orthodoxam fidem studuit corrigere (45). Et etiam multa de his quibus utimur nocte et die in servitio Ecclesiæ ad unguem emendavit, et hoc non tantum per se, sed etiam per discipulos suos fecit. Qua de causa, ut in principio jam dictum est, (80) merito illum Latinitas cum honore et amore veneratur magistrum. Hujus commendationis claritate omnis occidui orbis Ecclesia tam Gallicana quam Anglica gaudet se illuminatam. Ita fuit liberalis ut diceretur (81) nullum tam largum de Italia Longobardum egressum fuisse. Erat ea tempestate transmarina regio plena et abundans omnibus bonis quæ Deus ad utilitatem hominum creavit; ipse quoque archiepiscopus ditatus multis possessionibus locuples erat. Verum quanti penderet ista, in hoc apparebat quod, quantum poterat, paupertatem retinebat in vilitate habitus, parcimoniam tenens inter multimodas delicias. Multa quoque et magna offerebantur sibi dona, quæ ille hilariter rogantibus se, vel indigentibus tribuebat. (82). Pauperibus quoque erat ita dapsilis, ut quingentas libras quotannis in eleemosynam erogasse dicatur et merito, nam in consecratione ejus repertum est (83) super caput ejus evangelicum dictum : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41), quod ipse tota devotione facere studuit. (84) Consanguineis monachorum suorum indigentibus, quam benigne, quam sufficienter beneficia impendebat. Vere poterat dicere : *Ab adolescentia crevit mecum miseratio* (*Job.* XXXI, 18).

37. Interea contigit sanctum abbatem Becci Anselmum, qui beato Herluino successerat, transire in Angliam, tum pro utilitatibus Ecclesiæ suæ, tum ut cum archiepiscopo loqueretur, (85) cujus alloquium et consilium multum amabat. Et perveniens ad illum, cum magno amore et debito honore susceptus est. (86) Cumque simul loquerentur, et ad invicem de diversis plura conferrent, intimavit abbati antistes Cantuariensis quasi conquerendo, quod homines illius patriæ colerent quosdam sanctos, quos ille non affectaret, et maxime, ait, (87) quemdam Elfegum (46) hujus sedis archipræsulem, quem non solum inter sanctos, sed et inter martyres numerare contendunt, cum constet illum non pro fide Christi, sed quia ab inimicis, a quibus captus tenebatur, se redimere noluerit, interemptum fuisse. Ad hæc Anselmus hujus reddit rationem. Certum est, inquit, quia is qui, ne leviter peccando Deum offendat, mori non dubitat, multo magis mori non dubitaret priusquam aliquo gravi peccato Deum exacerbaret. Et revera gravius est Christum negare quam aliquem pro sua redemptione, homines suos ablatione ipsorum pecuniæ ad modicum gravare ; sed quod minus est Elfegus facere noluit. Multo igitur minus Christum negaret, si vesana plebs eum ad hoc mortem intentando constringeret. Unde datur intelligi quanta vis justitiæ pectus ejus possederit, quando vitam suam maluit dare quam, spreta charitate, proximos suos scandalizare. Nec immerito, ut reor, inter martyres computatur, qui pro justitia mortem sponte suscepisse prædicatur. Nam et beatus Joannes Baptista, quem tota Dei Ecclesia præcipuum martyrem credit et veneratur, non quia Christum negare, sed quia pro defensione legis divinæ veritatem noluit tacere, ad votum saltatricis capite plexus est. Et quid distat pro justitia mori, vel mori pro veritate ? Constat, testante sacro eloquio, quia veritas et justitia Christus est. Ipse enim dicit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Et Apostolus : *Christus factus est nobis a Deo sapientia et justitia* (*I Cor.* I, 30). Qui ergo pro veritate et justitia moritur, pro Christo moritur ; qui autem pro Christo moritur, Ecclesia teste, martyr habetur. Beatus vero Elfegus, æque pro justitia, ut sanctus Joannes pro veritate, passus est. Cur ergo plus de unius quam de alterius vero sanctoque martyrio

(45) Exstat in bibliotheca monasterii nostri S. Martini Sagiensis, codex ms. collationum Cassiani a beato Lanfranco emendatus, quod patet ex notula marginali ipsius manu scripta : *Huc usque ego Lanfrancus correxi.* De eadem re præclarum exstat Matthæi Paris, testimonium in Historia Anglorum ad an. 1089, ubi hæc habet. : *Eodem anno obiit Lanfrancus . . . qui lectioni assidue vacavit, libros Veteris ac Novi Testamenti scriptorum vitio corruptos corrigere studuit, cujus emendationis luce, tam Anglorum Ecclesia quam Gallorum se gaudet illustrari.*

(46) De eo egimus ad annum 1012.

Quisque ambigat, cum par causa in mortis perpessione utrumque detineat? Audiens hoc Lanfrancus, gratanter rationem approbans accepit, collaudans viri sapientiam et perspicacem ingenii subtilitatem firma veritate subnixam. Et deinceps sanctum Elfegum, ut vere magnum et martyrem gloriosum, devote veneratus est.

38. Interea relatum est ipsi Lanfranco quod præmemoratus abbas Anselmus, una nocte post matutinas veniens ad lectum suum, invenit in eo annulum aureum; prius cruce Christi signans, ne forte illusio dæmonum esset, accepit illum vere annulum, et ostendit omnibus per quorum manus res monasterii transibant; et nullus fassus est se illum perdidisse. Deinde venditus est annulus, et in usum fratrum expensus. Quod cum audisset archiepiscopus, referenti sibi respondit: Certissime scias illum post me futurum archiepiscopum. Sicut prædixit ita evenisse scimus.

39 Hæc de tanto viro perpauca inculto sermone dicta sint. Verum et ea quæ diximus de illo, vera credimus; et plura his per gratiam Dei illum egisse non dubitamus. Nam a tempore suæ conversionis toto animo operam dedit religioni et semper ad meliora tendens, de virtute in virtutem proficere studuit. Quis digne potest enarrare ejus sapientiæ claritatem, ingenii subtilitatem, cordis benignitatem, industriæ probitatem, animi puritatem? Fuit enim alacritate jucundus, humilitate submissus; in eleemosynis largus, fide catholicus, Christianæ religionis reparator, pauperum sustentator, pupillorum protector, viduarum consolator. His, aliis, aliisque virtutibus ornatus, fidem recte vivendo servavit, cursum bene moriendo terminavit. Non enim potest male mori qui bene vixerit. Nec putanda est mala mors, teste beato Augustino, quam bona vita præcesserit. Nam appropinquante termino vitæ suæ, (88) decidit in ægritudinem (47), qua in dies ingravescente, anno archiepiscopatus XIX, V (89) Kalendas Junii, diem clausit extremum, regnante Willelmo filio Willelmi regis. Dolor omnibus incomparabilis et luctus inconsolabilis suis. Sepultus est in ecclesia Christi (48), quam ipse ædificavit. Et quia ipsa Ecclesia parvum caput (vulgo *le Chevet*) habere videbatur, beatus Anselmus, successor ejus, ante decessum suum augmentare studuit ecclesiæ ejusdem caput. Quod ab eo inchoatum, et post mortem ejus per plures annos ædificatum, tandem perfectum, magnum opus et pulchrum, a Willelmo, qui post Rodulfum Anselmi successorem, archiepiscopus exstitit, cum magna gloria, et omnium rerum abundantia dedicatum est, sicut clerus et populus regni testantur, qui adfuerunt. Itaque cum immineret dies ipsius dedicationis, sicut mos est, omnia corpora de ecclesia elata fuerunt. Tunc quidam frater, sive curiositate, seu, quod magis credibile est, pro reliquiis habendam de casula gloriosi Lanfranci abscidit particulam; de qua miri odoris suavitas efflagrabat. Ostendit aliis, qui et ipsi senserunt odoris fragrantiam. Qua de re intelligi datur quod anima illius in magna suavitate requiescit, cujus corporis indumenta tanto odore redolent. Quæ nimirum gratia illis maxime conceditur, qui, dum viverent in corpore, munditiam cordis et carnis incorruptionem usque ad finem vitæ servare studuerunt. Æternæ beatitudinis quietem animæ illius pius Christus Dominus noster donare dignetur, qui est benedictus in æternum. Amen.

(47) Audita hac Lanfranci ægritudine Anselmus sui et totius conventus Beccensis nomine, ad ipsum epistolam scripsit, quæ est, in nova editione, ultima libri II.

(48) Sic de eo tabulæ mss. apud Gerberonem in notis ad Epist. 41, libri II S. Anselmi: *Lanfrancus Cantuariensis metropolis archiepiscopus defunctus, in basilica sanctæ Trinitatis, quam ipse mirifico opere construxerat, sepultus est.*

DOMINI LUCÆ DACHERII

MONACHI BENEDICTINI CONGREG. S. MAURI

AD VITAM B. LANFRANCI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

NOTÆ ET OBSERVATIONES.

Auctorem Vitæ B. Lanfranci Milonem Crispinum fuisse elenchus initio codicis ms. (unde Vitam illam desumpsi) præfixus me docuit. Milonem vero S. Anselmi synchronum se esse haud obscure prodit in calce ejusdem Vitæ; ubi posteaquam enarravit diaconum meritis B. Lanfranci a dæmonum servitute exemptum, hæc subdit: « Hoc B. Anselmo archipræsule referente, cum aliis audivi. » Illum ipsum auctorem Vitas quoque abbatum Beccensium proxime S. Anselmum subsequentium descripsisse, compertum est ex eodem indiculo; cujus hæc sunt verba: « Vitam S. Herluini edidit Gilbertus, Crispinus, monachus Beccensis et abbas Westmonasterii. Vitam S. Anselmi edidit Edmerus monachus Cantuariensis. Vitam aliorum scilicet Lanfranci, Willelmi, Bosonis, Teobaldi, Letardi, conscripsit Milo Crispinus cantor Becci. » Hinc patet ad decrepitam senectutem vitam protraxisse Milonem: quippe qui compar B. Anselmo, gesta descripsit Letardi abbatis, quem e vivis an. 1149 excessisse tradit chronicon Beccense pag. 7.

(1) *Venerabilis Westmonasterii abbas Gilbertus.*

Cognomento Crispinus. Crispinorum nobilem genealogiam habes contextam ex chronico ms. Beccensi, post Vitas abbatum ejusdem cœnobii. (Atque hæc quidem, videlicet Chronicon et Vitas, nunc primum evulgamus,) ubi de Gilberto abbate fuse agitur; addam solummodo quæ de ejusdem singulari doctrina memoriæ mandavit Joan. Pitseus, vir egregie doctus, lib. De illustribus Angliæ scriptoribus : « Vir ingenio (ait ille), pietate, doctrina cum præcipuis quibusque sui temporis doctoribus merito comparandus. Nam in monasterio suo (verius in Beccensi) litteras humaniores, imo omnes artes liberales ut philosophicas scientias accurate didicit. Deinde in studiis theologicis magistrum et doctorem habuit S. Anselmum archiepiscopum Cantuariensem, cujus ductu intimos sacrarum Scripturarum penetravit recessus. Postea Gallicanas invisit academias, et Italia demum peragrata, Romam venit atque inde per Germaniam rediit in patriam. Avidum hominis ad doctrinam ingenium quidquid erat ubivis gentium scientiæ sitiebat ardenter, imo imbibebat diligenter. » Deinde ejusdem operum subnectit catalogum, in hunc modum :

De fide Ecclesiæ contra Judæos. lib. I.
Homiliæ super Cantica. lib. I.
Super Isaiam prophetam ad B. Anselmum. lib. I.
Super Jeremiam prophetam. lib. I.
In prologos S. Hieronymi super Biblia.
De casu diaboli. lib. I.
De anima, lib. I, homiliæ.
De statu Ecclesiæ epistolæ ad Anselmum.
Contra peccata cogitationis, locutionis et operis. lib. I.

Exstant et alia ipsiusmet Gilberti opuscula, videlicet :

Commentarius in Threnos, in monasterio S. Albini Andegavensis.

In Epistolas D. Pauli, in monasterio S. Remigii Remensis.

Altercatio contra Judæos (eadem ac superior de fide) prostat diversis in Bibliothecis ; ascripta subinde D. Anselmo, sed perperam, nam auctor dicat illam eidem Anselmo.

Ad Gilbertum abbatem scribit D. Anselm. lib. II, epist. 16.

Gilbertum mire laudat Guillelmus Calculus, cognomento Gemeticensis lib. VII hist. cap. 22. Obiisse autem an. 1117 testis est Florent. Wigorniens. in Chronico, ad hunc an. Porro Westmonasterium celeberrimum est cœnobium, regum Anglorum sepultura illustre, in suburbio Londini situm quod a mille prope annis S. Augustinus Angliæ apostolus (uti in ejus patet Vita Appendicis pag. 67. c.) construi curavit.

(2) *Quem Latinitas, in antiquum scientiæ statum, etc.* Ita Guillelm. Pictavensis De Gest. Guillelmi ducis inter Historiæ Nortman. scriptores ab Andræa Duchesnio editos, fol. 194 ; Guillelmus Malmesburiensis, lib. III De gest. Anglor., fol. 61, n. 2, edit. London., et De gest. pontificum fol. 116 ; Guillel. Gemet., lib. citato, cap. 26 ; Orderic Vitalis, lib. IV hist., fol. 519 ; Robert. de Monte in Chronico ms. ad an. 1042 ; Guitmundum archiepiscopum Aversanum, duntaxat, utpote Lanfranci discipulum, libet proferre : « Cum per ipsum (infit) D. Lanfrancum, virum æque doctissimum, liberales artes Deus recalescere atque optime reviviscere fecisset, » etc. Hæc ex lib. De corpore et sang. Christi, contra Berengarium sub initium.

(3) *Parentes illius magni et honorabiles habebantur.* Qualis fuerit in eis dignitas, clarius explicat Robertus, ubi supra : « Lanfrancus de senatorum Papiæ nobili genere natus, in septem liberalibus disciplinis mirabiliter eruditus, » etc.

(4) *Incidit in latrones.* Fusius historiam istam narrat Chronicon Beccense, an. 1041 ; videsis in appendice ad Opera B. Lanfranci, pag. 2, ante med.

(5) *Ut ostenderet illi librum regulæ.* Benedictinæ videlicet. Id observari præcipit S. Herluinus abbas, ut pote a sancta regula præscriptum, cap. 58. « De disciplina suscipiendorum fratrum. » Atque morem illum religiose conservatum ad nostra usque tempora, ex diversis id genus antiquis monumentis manifeste demonstratur. Unum inter quamplurima, antiqua manu, Hincmari nimirum Remensis archiepiscopi et abbatis S. Remigii tempestate, exaratum, ipsoque præsente emissum, fidem faciet.

FORMA PETITIONIS,

Qua novitius postulat ut sibi liceat professionem emittere.

« Ego Rotfridus initium conversionis meæ diligenter attendens considero quod petitionibus meis primum non facilis concessus est introitus, sed diu pulsanti mihi vix hospitii locus est misericorditer attributus. In quo per paucos dies commoratus, novitiorum sum domum ingressus, in qua dura et aspera mihi primum a seniore sunt prædicata, et stabilitatis meæ promissio expedita, et ter in anno lecta atque tradita est regula cum admonitione dicentis : » Ecce lex sub qua militare vis ; si potes observare, ingredere ; si vero non potes, liber discede. « Hoc ergo videns ordinatissimum mihi atque morosum spatium attributum, dubitationis aditum prætermitto, et ut me jam vestro corpori sociare dignemini humiliter deposco. Ego tamen hujus regulæ instituta Domino juvante servare promitto, et propter vitæ æternæ præmium coram Deo et angelis ejus me humiliter militaturum subjicio. Ita ut ab hac die non mihi liceat collum de sub jugo excutere regulæ, quia sub annali optione aut excusare licuit aut suscipere. Et ut hæc professionis meæ petitio a vobis firmiter teneatur, ad nomen sancti Remigii, vel quorum hic reliquiæ continentur, ac præsentis abbatis domini, videlicet Hincmari archiepiscopi conscriptam trado. » Hactenus scriptum seu professionis monasticæ petitio, ex celebri Benedictinorum monasterio S. Remigii Remensis.

(6) *Monachus ibi efficitur.* Hoc est (mea sententia) ad tyrocinium admittitur ; siquidem olim tyrones toto probationis anno sæcularibus fuisse vestibus indutos compertum est, tum ex regulæ Benedictinæ, cap. supra citato, tum ex conciliis, atque diversis Patrum statutis ac sanctorum gestis, velut luculenter et docte probat Menardus noster in cap. 6 Concordantiæ regularum, ad hæc verba : « Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis. » Atque id etiam aperte docet formula antiqua induendi monachi, seu (quod idem est) recipiendi ad professionem ; quam mihi venerabiles canonici regulares S. Victoris Parisiensis libenter commodavere. Et hanc quidem ipsam (quia vix ac ne vix quidem licet reperire) publici juris feci. Licet forsitan iis temporibus quibus monachum professus est D. Lanfrancus, mos ille fuerit abrogatus, quod ipsemet posthac cap. 18 decretorum suorum statuisse videtur.

INCIPIT BENEDICTIO MONACHORUM.

Ducto in ecclesiam converso dicatur ab omnibus, « *Miserere mei, Deus.* » *Quo dicto, faciat professionem diu desideratam :*

« *Ego frater N. presbyter, vel diaconus, etc., promitto stabilitatem meam, et conversionem morum meorum,* [*f.* etc.] *ad obedientiam secundum regulam S. Benedicti, coram Deo, et sanctis ejus, in hoc monasterio, quod constructum est in honorem sancti N. in præsentia domni N. abbatis.* »

Postea dicat tertio : Suscipe me, Domine, etc. Quod repetatur tertio ab omnibus, adjuncto « *Gloria Patri,* » *etc.,* « *Kyrie, eleison, Pater noster,* » *etc.,* « *De profundis,* » *etc.* « *Salvum fac servum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Nihil proficiat inimicus in eo. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. Domine, exaudi orationem meam,* » *etc.* « *Dominus*

vobiscum. » *Oratio.* « *Deus, indulgentiæ,* » *etc. Alia.* A « *Deus, qui per coæternum,* » *etc* « *Domine Jesu Christe,* » *etc.*

Hic dicatur hymnus « *Veni, Creator.* » *etc.* « *Sancte Spiritus qui te Deum,* » *etc.*

Ad habitum benedicendum : « *Domine Jesu Christe, qui regimen,* » *etc.*

Ad exuendum habitum sæcularem. « *Exuat te Dominus veterem hominem,* » *etc.*

Ad induendum habitum monachicum : « *Induat te Dominus novum hominem,* » *etc. Sequatur hæc oratio ; sicque dato pacis osculo omnibus, permaneat cum summo silentio usque in diem tertium.*

« *Oratio. — Deus misericors, Deus clemens, Deus cui omnia bona placent, sine quo nihil sanctum inchoatur, nihilque bonum perficitur ; adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures, et hunc famulum tuum N. cui in tuo sancto nomine sacræ religionis habitum, a mundi impedimento, vel sæculari desiderio defende, et concede ei ut in hoc sancto proposito devotus persistere, et, remissione peccatorum percepta, ad electorum tuorum pervenire valeat consortium. Per.* » B Quas non exscripsimus orationes, in forma induendi novitii, atque emittendæ professionis, nec non et in Pontificali Romano, editæ reperiuntur. Et hanc quidem formam antiquitus solemnem fuisse non ita obscure conjici potest ex celeberrimo conventu, an. Christi 817, et imperii Ludovici Pii IV, cap. 34, De novitio fratre, etc. « Res vero quas habet parentibus suis commendet, expleto autem probationis anno secundum quod regula (nempe Benedictina) præcipit inde faciet. Ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat. »

Alium sed breviorem libet hic ritum inserere monachandi, hoc est ad habitum seu ad professionem admittendi ex vetusta canonum collectione, in Hibernia circa an 800, manu exarata; cum nemo hactenus (quod sciam) ejusmodi ritus prodiderit in C lucem. Sic igitur se habet : « In monachorum ordinationis abbas debet missam agere ; et tres orationes complere super caput ejus, et quatuor dies velat caput suum cuculla sua; et septimo die abbas tollat velamen, vel de capite...... Sicut in baptismo presbyter septimo die velamen infantium abstollit, ita et abbas debet monacho, cui secundum baptismum est juxta judicium Patrum, et omnia peccata dimittuntur sicut in baptismo. » Sed vero, ne cui scrupulus suboriatur quod monastica professio æquiparetur baptismo, illamque ipsam secundum baptisma vocitet canon illud Hebernicum, consulendus doctissimus Hæftenus, Disquisitionum monasticarum. lib. IV, Disquisit. 2 et 3 Unam aut alteram duntaxat producam sententiam, ex D. Hieronymo epist. 25, qua Paulam de obitu Blæsillæ filiæ consolatur : « Nunc vero cum propitio Christo, ante quatuor fere menses, secundo quodammodo se propositi baptismo laverit, et ita deinceps vixerit ut calcato D mundo semper monasterium cogitaverit, non vereris ne tibi Salvator dicat : Irasceris, Paula, quia filia tua facta est filia mea? etc. » Ex Petro Damiani opusc. 16, cap. 8, « In dictis Patrum invenitur monasticæ vitæ propositum secundum esse baptisma. » Legendi quoque D. Bernardus, lib. De præcepto, et dispens. toto, cap. 23 ; et Goffrid. Vindocinens., lib. IV, epist. 12, et serm. de S. Benedicto, initio.

(7) *Venerabilis Pater Herluinus.* Cujus Vitam cernere est post B. Lanfranci opera, appendicis pag. 32.

(8) *Clerici accurrunt.* Ad epistolam I, de hac re plura.

(9) *Cum ergo jam animum, et corpus præpararet ad fugam.* S. Benedicti legislatoris exemplo id in animum induxisse videtur : dum monachi illi, qui abbatis onus suscipere eum coegerant, strictam ejus et religiosam disciplinam impatientissime ferentes, veneno infectum potum, quo sanctissimum Patrem exstinguerent, bibendum obtulissent, dilectum solitudinis locum repetiit vir Dei. Quod et iterum egit, Florentii pessimi presbyteri vexatione diu ubi pertulisset, tum demum locum cedit, et fugam arripuit. Gregor. Mag., lib. II, *Dialog.* cap. 3 et 8.

(10) *Mox ut hora loquendi se dedit.* Expleta scilicet diurnarum precum hora prima. Præceptum etenim regulæ est D. Benedicti cap. 42. « Ut post completorium nemo loquatur ; » hoc est completa ultima synaxi serotino tempore, usque ad præfatam horam, fas non est monacho Benedictino verbum proferre. Id vero quomodo intelligatur, docet Paulus Diaconus commentario, ms. in regulam D. Benedicti in cap. citat : « Notandum est, inquit, quod si nocturno tempore damnum viderit quis tale, aut necessitas fuerit, quam non poterit exspectare, ut congruo tempore loquatur, hoc non interdicit regula. Tria enim inspicienda sunt tempore nocturno, id est damnum, necessitas, tam spiritualis quam corporalis, atque interrogatio prioris. » Hæc Diaconus. Hac lege multis malis (Menardum audis in cap. 15, *Concord. regul.*) « quæ tenebrarum subsidio perpetrantur, occurrit S. Benedictus. »

(11) *Indicavit illam cuidam monacho nomine Willelmo.* De quo infra ad epist. 49.

(12) *Summus ab ipso Nortmannorum Willelmo consiliarius assumitur.* Ita testis oculatus Guillelmus Pictaviens. De gest. Guillel. Ducis, cui et ille a sacris fuit, pag. 198. « Lanfrancum quemdam, de quo venit in litem, plusne sit meritus reverentiam atque gloriam sæcularium, ac divinarum litterarum singulari peritia, an ordinis monasticis singulari observantia; intima familiaritate colebat (Guillel. conquestor) ut patrem venerans, verens ut præceptorem, diligens ut germanum aut prolem. Illi consulta animæ suæ, illi speculam quamdam, unde ordinibus ecclesiasticis per omnem Nortmanniam prospiceretur, commisit. Potuit nempe viri talis vigilans cura, cum maximam auctoritatem sapientiæ pariter ac sanctitatis prærogativa comparavit, securitatem non parvam optimæ sollicitudini promittere. » Hæc Pictaviensis. Matthæus Paris in Vitis abbatum S. Albani Vitam describens Fretherici XIII abbat. post medium interserit isthæc : « Vocavit rex Lanfrancum (virum litteratissimum, et in agendis tam singularibus, quam ecclesiasticis negotiis arduis strenuissimum) ut ipsum in archipræsulatum sublimaret. Ipsius namque consilio rex ipse ante conquestum, et postea, omnia sua tractabat negotia. Ipsum in omnibus habuit rex præcipuum consiliarium et spiritualem confessorem. » Bibliothecarius Malmesbur. De pontif. Anglor., fol. 121, 2, n. 10. « Porro Guillelmus rex in omnibus ei (Lanfranco) assurgebat, adgaudebatque et ei et aliis quos in bono favore audisset. » Et De gest. Anglor., lib. III, fol. 62. « Ejus consilio rex pronum se fecerat, ut nihil negandum duceret quod is faciendum diceret, » *etc.*

(13) *Hujus tam improvidæ jussionis causam aiunt,* etc. Aliam insuper addit causam idem Malmesbur. De gest. pontif. in episc. oriental. Anglor., fol. 136, loquens de Herfasto episcopo Helmanensi, his verbis : « Sed eo (Lanfranco) apud Beccum monachato, cum ubique scholares inflatis buccis dialecticam ructarent, Herfastus jam Willelmi comitis postea regis capellanus, ad famosum gymnasium magna sociorum et equorum pompa pervenit. Tum Lanfrancus ex prima collocutione intelligens quam prope nihil sciret, abecedarium ipsi expediendum apposuit, ferociam hominis Italica facetia illudens. Quo is iratus comitem pereffecit, ut Lanfrancus Becco Nortmanniaque omni submoveretur. Sed, intercedente Dei gratia, animus Willelmi pacatus est, alterque retentus; satagente maxime Willelmo filio Osberni, » *etc.*

(14) *Causa cujusdam clerici nomine Berengarii.* Berengarius iste princeps et antesignanus Sacramentariorum, Turonis natus, archidiaconus exstitit An-

degavensis Ecclesiæ. Vir scientia quidem ampullata præditus, sed doctrina virulentus, perversus, hæreticus : cujus laudes nihilominus et animi dotes prosecutus Hildebertus Cenomanensis, nondum episcopus, metas transiliit veræ laudis, quod ejus quondam fuerit, ut reor, discipulus ac sectator. Hæreseos hujusce Berengarii historia vivis depingitur coloribus a B. Lanfranco in libello De corpore et Sang. Christi, et epist. 50. Lege, si placet, adnotationes ad eamdem; nec non et a recentioribus permultis, a Cæsare Baronio potissimum t. II Annal. ecclesiast. Quare supersedendum ea iterum describere putavi, actum agere ne videar. Cæterum illius hæresiarchæ qui scire voluerit educationem, hæresis primordia, propagationem, condemnationem pluribus in conciliis, præcipuos ejusdem expugnatores, quid de illo S Fulbertus ejus præceptor senserit moribundus, ac tandem exitum, adeat Guillel. Malmesburiensem lib. III De gest. Anglorum, fol. 63, 64; Guitmundum archiepiscopum Aversanum lib. De sacramento corporis et sang. Domini; Durandum abbatem de eadem re in Appendice, ad Opera B. Lanfranci sub finem; Adelmannum episcopum Brixiens., epistola ad Berengarium, cap. *Ego Berengarius*, De consec. distinc. 2; Ordericum Vitalem Historiæ lib. IV, ad an. 1065, pag 519; Innocentium papam III, cap. 10, De sacro altaris mysterio; Nicolaum Harpsfeld. Historiæ Anglo sæculo II.

(15) *Dicebat enim panem et vinum*, etc. Elegantissimum et lectu dignissimum antiquitatis monumentum De veritate corporis et sanguinis Christi Domini, in venerab. Eucharistiæ sacramento, epistolam dico Anastasii cujusdam monachi (si conjecturæ liceat indulgere) cœnobii SS. Sergii et Bacchi Andegavensis, qua fidem suam profitetur, juverit evulgare.

« Domino Geraldo, » etc. (*Patrol.* CXLIX, col. 433-436), *usque ad* in cœlo. Vale.

(16) *Litteras miserat.* etc. En Berengarii eædem litteræ, ut quidem sentio, ad B. Lanfrancum tum Becchi Priorem transmissæ e codice manu exarato bibliothecæ regiæ deprompræ.

« *Fratri* LANFRANCO BERENGARIUS.

« Pervenit ad me, frater Lanfrance, quiddam auditum ab Ingelranno Carnotensi, in quo dissimulare non debui admonere dilectionem tuam. Id autem est, displicere tibi, imo hæreticas habuisse sententias Joannis Scotti de sacramento altaris, in quibus dissentit a suscepto tuo Paschasio. Hac ergo in re si ita est, frater, indignum fecisti ingenio, quod tibi Deus non aspernabile contulit, præproperam ferendo sententiam. Nondum enim adeo sategisti in Scriptura divina cum tuis diligentioribus. Et nunc ergo, frater, quamtumlibet rudis in illa Scriptura vellem tantum audire de eo si opportunum mihi fieret, adhibitis quibus velles, vel judicibus congruis vel auditoribus. Quod quandiu non fit, non aspernanter aspicias quod dico. Si hæreticum habes Joannem, cujus sententias de Eucharistia probamus, habendus tibi est hæreticus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, ut de cæteris taceam. »

(17) *Leone octavo.* Verius nono.

(18) *Hæc eadem in synodo Vercellenni*, etc. Vercellensi : de quo vide B. Lanfranci libellum *De Eucharistiæ sacramento*, infra positum. Nec non et ejusdem argumenti tractatum Guitmundi Aversani libro III.

(19) *Denique in concilio Turonensi*, etc. Quemadmodum proxime citati testantur auctores. Cui quidem concilio interfuisse B. Lanfrancum. Orderic. Vital. inter cæteros fidem facit, Lib. IV Histor., fol. 519.

(20) *Quod cum audisset Nicolaus II*, etc. Et hæc quidem a B. Lanfranco, quod superius ostensum est, in libel. *De Eucharistiæ sacramento* describuntur, referturque Berengarii confessio cap. 1. Nec mirum sane, si hac ipsa tempestate, adeo fatale monstrum A emerserit, quandoquidem exsularat probitas, pessumierant boni mores, et pecudum more cœno voluptatum pene omnes, ecclesiastici potissimum viri, convolutabantur; atque ideo *oportet hæreses esse*, inquit Apostolus, *ut qui probati sunt, manifesti fiant;* pœnam etenim peccati hæresim unanimi consensione asserunt sancti Patres. Tantis malis ut occurreret summus Ecclesiæ pastor Nicolaus, concilium, vices illius gerente in Galliis Stephano cardinali, voluit celebrari. Cujus antigraphum in folio membranaceo, a codice quodam avulso, et cum blatis et tineis rixante, manu coæva exaratum, ne penitus intereat, his adnotationibus (etsi forsitan ad rem haud ita faciat) insuere non morabimur.

CONCILIUM ANDEGAVENSE.

Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anno 1060, indictione XIII, Kal. Martii, Luna XIII [*f.* X], IV feria, præsidente Stephano catholicæ urbis Romæ cardinali presbytero, et apostolicæ sedis vicario, in B Basilica Sancti Mauricii, sociorumque ejus, sancta synodus, quæ ex præcepto domini nostri beatissimi summi pontificis et universalis papæ Nicolai, Turonis, quæ est metropolis Galliæ, convenit, propositis sacrosanctis evangeliis et præmissis ad Deum intentissime precibus, diligenti consideratione retractatis iis, in quibus Ecclesiarum status in toto pene orbe, et maxime in Galliis, vacillare et pessumdari videbatur, quæ breviter infra placuit adnecti condigna sollicitudine definivit.

CAPUT I.

Sancti Spiritus auctoritate, ut credimus, in Chalcedonensi synodo sententia de Simoniacis prolata sic ab omnibus observetur quatenus quicunque deinceps pecunia, aut aliqua inconveniente conventione sæculari, aut quolibet modo contra canonicam censuram, episcopatum, aut abbatiam, aut archidiaconatum, seu archipresbyteratum, aut aliquam dignita- C tem ecclesiasticam, sive aliquem gradum, vel ministerium, vel beneficium, quod nonnisi clericis habere sanctorum Patrum sancivit auctoritas, dare vel accipere quolibet modo canonibus contrario tentaverit, et dans a proprio decidat gradu et dignitate, et accipiens ministerium, seu beneficium male usurpatum, nunquam recuperaturus, amittat.

CAPUT II.

Si quis aut episcopus, aut prælatus quislibet, contra præfixam regulam aliquot ecclesiasticum ministerium, vel etiam ipsam præbendam, quæ canonica dicitur, ordinare aut dare voluerit, libere liceat clericis contradicere, et vicinorum episcoporum judicium, vel, si necesse fuerit, ipsam quoque sedem apostolicam appellare.

CAPUT III.

Item ut nullus episcoporum, vel prælatorum aliquod novum beneficium de rebus ad jus ecclesiæ D pertinentibus ulterius præsumat contra canones alicui vendere aut dare. Quicunque vero aliquid ad jus ecclesiæ pertinens, sub nomine beneficii, sive quolibet modo, ab ecclesia alienare hactenus præsumpsit, si adhuc superest, aut restituat ecclesiæ quod male subtraxit, aut canonica multetur sententia.

CAPUT IV.

Nullus ecclesiam magnam, vel parvam deinceps sine consensu episcopi in cujus parochia est, a laicis præsumat accipere quolibet modo; sed neque a clerico, vel monacho, seu laico, sub pretii alicujus venalitate. Quod si fecerit, et vendens et emens ea careat.

CAPUT V.

Confirmamus etiam ut nonnisi in unius civitatis ecclesiis, quisquam amodo aliquod clericale officium accipiat. Quod qui prævaricatus fuerit, canonica ultione feriatur.

CAPUT VI.

Præterea, si quis episcoporum, presbyterorum, diaconorum, aut subdiaconorum. post cognitum interdictum domini nostri papæ Nicolai, mulieris cujuslibet carnali detentus copula, a ministerio et beneficio altaris non cessavit, sive deinceps cognoscens prælibatum apostolicæ sedis interdictum, aut mulierem, aut ministerium ecclesiæ cum beneficio non statim deseruerit, nullam restitutionis in pristino gradu veniam sibi reservasse cognoscat.

CAPUT VII.

Quicunque autem clericorum deinceps in armis militaverint, et beneficium et consortium clericorum amittant.

CAPUT VIII.

Quicunque laicorum aliquid de iis quæ ad oblationem, vel eleemosynam ecclesiæ pertinent, sive sepulturam, sive saltem tertiam decimarum partem possidere, vendere, aut sub nomine beneficii, alicui dare, ulterius præsumpserit, anathematis gladio feriatur.

CAPUT IX.

Quicunque consanguineam suam, aut quam consanguineus suus prius cognoverat, aut cujus sanguineam carnaliter in conjugium accepit, vel deinceps acceperit, vel postquam cognovit, non statim dimisit, aut cognoscens non dimiserit; aut qui uxorem alterius rapuit, seu rapuerit, vel qui suam uxorem, sine judicio episcopali dimittens, aliam duxit vel duxerit, donec se fructuosæ tradat pœnitentiæ, a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, et a liminibus ecclesiæ se exclusum, et alienatum, et omnimodis sicut putridum membrum a sano corpore præcisum gladio Spiritus, quod est verbum Dei, agnoscat.

CAPUT X.

Quicunque monasticæ religionis desertor inventus fuerit, a regno Dei et a consortio Christianorum, sicut apostata, excludatur, et alienus existat, donec resipiscens digne pœniteat. Similiter qui ejusmodi digne pœnitentes recipere noluerit, tertio admonitus, si non acquieverit, a communione fratrum suspendatur, sive sit abbas, sive abbatissa, donec acquiescat.

Ego Stephanus sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis sacerdos vocatus, vice domini mei papæ Nicolai præsidens synodo, his constitutionibus a nobis canonice promulgatis, parvitatis meæ assensum præbens subscripsi. Deinde subscripserunt decem tam archiepiscopi quam episcopi.

Hactenus concilium ex bibliotheca SS. Sergii et Bacchi Andegavensis monasterii.

(21) *Et eam se tenere juravit.* Berengarii publica confessio seu jusjurandum exstat, cap. *Ego Berengarius*. De consec. dist. 2, atque in fine concilii Romani sub Nicolao PP. II, anno 1059, tum in causa Berengarii, tum maxime contra Simoniacos celebrati. Alteram confessionem coram summo pontifice Gregorio VII, seu potius, mea sententia, partes legati in Gallia agente, Alexandri jussu, præsidenteque concilio Turonensi, emisit Berengarius. Utramque eidem objicit B. Lanfrancus in lib. de Eucharist. sacramento, post initium.

(22) *Scriptum postea condidit.* Sed tandem divina favente clementia ad bonam frugem rediisse commonstrabimus ad epist. 51.

(23) *Libellum elegantem composuit.* Id produnt scriptores omnes, quotquot de B. Lanfranco scripsere. De hocce libello ad epist 4. Porro non modo concilia illa generalia, velut supra ostensum est, verum etiam cœtus doctissimorum virorum privatim fuisse convocatos, quo Berengarii hæresis refelleretur adduceretur que ille ipse ad catholicam veritatem; ejusdem Berengarii ad Ascelinum, atque Ascelini ad Berengarium binæ ex antiquis membranis abbatiæ Casalis Benedicti nostræ congregationis excerptæ docent epistolæ; quas, ne pereant hisce adnotationibus duximus intexendas.

Epistola Berengarii ad Ascetinum.

« *Fratri* ASCELINO BERENGARIUS.

« Longe aliter vobis scribendum fuerat, si mihi id liberum vis divina fecisset: quod quia non sit, scribendum vobis utcunque putavi. Per vos igitur transiens disposueram omnino nihil agere cum quibuscunque de Eucharistia, priusquam satisfacerem in eo episcopis ad quos contendebam, secundum evangelicam et apostolicam Scripturam. Inde factum est ut nihil pene vobis opposuerim, nihilque consenserim in colloquio illo, ad quod quam indigne tunc conveneras, ut omittam cæteros, si rem consideres, non latebit: Inde factum est ut etiam tacuerim ad damnabilem et sacrilegam illam Willelmi sententiam, quam pronuntiavit, omnem hominem ad mensam Dominicam debere in Pascha accedere. Ut ergo ad rem veniam, audivi nunc jactitare Willelmum quod negare nequiverim hæreticum esse Joannem Scotum. Quod falsum esse testis mihi es, si satis meministi verborum meorum, quamvis hæreticum habeas tu quoque Joannem Scotum, quam inconsiderate, quam impie, quam indigne sacerdotio tuo non diutius te nescire permittat, ille de quo Apostolus fidelibus promittit: « Sed et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. » Sapis enim contra omnis naturæ rationes, contra evangelicam et apostolicam sententiam, si cum Paschasio sapis, in eo quod solus sibi confingit sacramento Dominici corporis decedere panis omnino substantiam. Verba autem mea de Joanne hæc fuerunt, non pervidisse omnia illius, sicut etiam nunc verum est. Quæ autem vidissem ad eam rem pertinentia, recitare me posse ex scriptis illorum quos præfixeram, habendos esse hæreticos in epistola ad Lanfrancum, si Joannes ille hæreticus haberetur. Cæterum si quid in illo viderem non satis delimatum, facile me improbaturum esse; hæc et vere dicebam et in nullam excussionem ex transitu venire contendebam propter causam superius dictam; duo tantum protulit ille, sicut nosti, vir optimus, quæ a me audita ad eum pervenerant. Convincere ipsa verba in consecrationem panis institutam, non decedere sacramento panis materiam, et non esse virgam episcopalem animarum curam. Horum prius ego sicut meminisse potest, confirmavi, et ita planum est ut sufficiat hoc sentire et convincere etiam puerulus in schola constitutus, qui vim juncturæ verborum non instrenue callet; de secundo, imo duxi et confirmavi et confirmo virgam illam esse animarum curam, ut facile advertere posset, qui vellet, quid sentirem; et nunc quod apud episcopos agere susceperam, vellem si mihi tutum fieret, saltem apud vos agere in audientia quorumcunque, sed quandiu non possum, obsecro per nomen Domini ne falsum testem te facias quod Joannem illum ego damnaverim, moneoque ut caveas, et ab evangelico illo væ: ut qui tenetis clavem scientiæ ipsi non introitis, et introeuntes introire non sinitis. Memineris etiam illius propheticæ ad populum detestationis, ubi ait: *Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces qui dicunt videntibus: Nolite videre; et aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt;* sicut ad me dixit in audientia tua Arnulfus vester, ut permitterem vos, sicut instituti essetis, sentire; quanquam totus in eo sim, ne quis transgrediatur terminos Patrum evangelistæ apostoli, Ambrosii, Augustini, Hieronymi. Quod ita se habere, si mihi fiat copia tecum agere, quantum de tua vigilantia certissimus præsumo luce clarius pervidebis. Scripsi tibi hæc utcunque, interim opportunitatem a Domino colloquendi tibi exspectans. Vale. »

Epistola Ascelini ad Berengarium.

« *Domino* BERENGARIO *frater* ASCELINUS.

« Litteras tuas nuper lætus suscepi, sperans festinum nobis tuæ correctionis significari gaudium : quibus perlectis lætitia mea versa est in mœrorem, cum pristinum adhuc affirmare non destiteris errorem. O Deus! ubi est illa vivacitas, illa subtilitas, illa prudentia, quibus affatim pollere solebas, cum etiam illa quæ in colloquio nostro dicta sunt, ut majora taceam, si non dissimulas, oblitus sis ; illam sententiam Willelmi dico quam pronuntias dixisse omnem hominem in Pascha debere ad mensam Dominicam accedere ; quam si sic proferret, sacrilega utique judicari deberet ; sed hanc aliter fuisse prolatam testes sunt qui interfuerunt. Tunc enim dictum fuit, quod et nunc testificamur, omnem Christianum debere in Pascha de mensa Dominica communicare, nisi pro aliquo crimine a se perpetrato B a tam salubri sequestretur convivio : hoc autem nullo modo fiat, nisi solo præcepto confessoris sui : alioquin claves Ecclesiæ annullantur. Sed ut ad me redeam, omni re considerata, non indigne me ad prædictum colloquium convenisse credo; attuli enim mecum, quod, quandiu vixero, adjuvante divina virtute, certum, indubitabile nullisque euntibus violabile in sacrario cordis retinebo, panem scilicet et vinum in altari Spiritus sancti virtute per sacerdotis ministerium, verum corpus verumque sanguinem Christi effici. Quod Scriptura attestante satis evidenter probatur, si non sinistra interpretatione temeretur. Joannem vero Scotum, nec inconsiderate, nec impie, nec indigne sacerdotio meo habeo, quem toto nisu totaque intentione ad hoc solum tendere video, ut mihi persuadeat hoc, videlicet quod in altari consecratur neque vere corpus neque vere Christi sanguinem esse ; hoc autem astruere nititur ex sanctorum Patrum opusculis quæ prave exponit. Quorum illam sancti Gregorii orationem hic adnotari sufficiat : « Perficiant in nobis tua, C Domine, quæsumus, sacramenta quod continent, ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. » Quam exponendo prædictus Joannes inter cætera nostræ fidei contraria, « specie, inquit, geruntur ista, non veritate. » Quod non catholice dictum, si bene tuam vigilantiam novi, non ignoras ; præsertim cum id in sæpe dicto colloquio non negaveris, quando eamdem orationem cum expositione sua ex Joannis libro recitavi, verum tunc quod et nunc objecisti nobis te libellum illius nondum ad finem usque perlegisse. Unde satis mirari nequimus te, tantæ scilicet prudentiæ virum, tantopere laudare quod ignoras ; neque enim, si noveris, te laudavisse crediderim. Novit namque prudentia tua sic cavenda esse verba hæreticorum, ceu pocula veneficorum, quæ prius dulciter mulcent, ut postmodum lethaliter necent. Cæterum cum Paschasio aliisque Catholicis non solum sapio, sed etiam veneror, et amplector verum corpus verumque sanguinem Christi a fideli- D bus in altari sumi sub specie panis et vini ; sed neque hoc, ut dicis, contra naturæ rationes ago, neque enim aliud naturam dixerim quam Dei voluntatem. Quis enim sane sapiens causam rerum naturam vocet, aut non potius omnium naturarum, et ex natura sui generis nascentium voluntatem Dei esse fateatur. Porro voluntas Dei tam efficax est et omnipotens ut ejus velle solum fieri sit. Ac per hoc voluisse illum aliquid fecisse : *Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit* ; voluit autem panem et vinum quod in altare sancti Spiritus consecratione per ministerium sacerdotis conficitur vere suam carnem et sanguinem potentialiter creari, creando vero quotidie mystice immolari. Quod et ipse patenter insinuat in hujus sacramenti exordio discipulis suis, dicens : *Accipite et comedite, hoc est corpus meum* ; ac ne leviter acciperent, vel qualecunque corpus putarent, membra enim Christi dicuntur quippe fideles, ac per A hoc corpus, adjecit claritudinem, et ait *quod pro vobis tradetur*. Similiter et de calice, *qui pro vobis effundetur*.

« Ecce quomodo nos instruit Redemptor noster, ecce quomodo aperit et exprimit quod corpus, quem sanguinem nobis commendet. Panem et vinum discipuli carnalibus intuebantur oculis, et audiebant a Veritate : *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur* ; et : *Hic sanguis meus qui pro multis effundetur*. Quid apertius? quid clarius? quid dulcius? O quam sanum astruere, quam periculosum niti refellere, quod Veritas asseverat! Hoc Evangelistæ testantur, apostoli concionantur, sancti doctores tractant, si recto intellectu percipiantur. Quisquis autem illorum bene dicta prave interpretatus fuerit, quid de eis mereatur ipse viderit. Neque vero mirari, vel diffidere debemus Deum facere posse ut hoc quod in altari consecratur virtute Spiritus sancti et ministerio sacerdotis uniatur corpori illi quod ex Maria virgine Redemptor noster assumpsit ; quippe utrumque substantia corporea, utrumque visibile, si reminiscimur, nos ipsos ex corporea et incorporea, ex mortali et immortali substantia esse compactos, si denique firmiter credimus divinam humanamque naturam convenisse personam. Edisserat mihi cinis et pulvis secundi vel tertii rationem, et tunc se sufficere credat ad primi expeditionem : *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Hæc tibi breviter responderim, ostendens me cum Paschasio neque contra naturæ rationes, neque contra evangelicam et apostolicam sapere sententiam. Denique per nomen Domini me obsecras, ne faciam me falsum testem quod Joannem nobiscum damnaveris. Quod libenter observabo : verum de hoc testis sum verus quod supradictam illius expositionem in oratione Gregoriana ipsa veritate constrictus nobiscum improbasti. Ad ultimum, timeo ne illud væ evangelicum unde me cavere mones, in caput tuum, quod absit! retorqueatur ; clavem enim scientiæ volvens, ipse non introire videris, quoniam universali Ecclesiæ dissentis, et quibus persuades quod sentis nimirum introeundi aditum claudis. Quod vero domnus Arnulfus cantor subjecit, videlicet ut permitteres nos, sicut instituti essemus, sentire, bene et sapienter protulit, tuæque saluti, si velles, compendiose consuluit ; deteruisset enim te, si posset, ne per te solum, vel, si qui sunt, per tuos socios viam mutare niteneris, quam doctores nostri tam sancti, tam sapientes, tam catholici adeo rectam, adeo delimatam, adeo protritam nobis ostenderunt, ut nullus qui eam tenuerit exorbitet, nullus qui non tenuerit non exorbitare nequeat. Sed hæc hactenus nunc te familiariter exoratum velim, ut ab hac perversa intentione desistas, neve nobis inauditas vanasque crudelitates ingeras, neve tibi tam libere committas, evangelicæ illius gallinæ alis nutriendum te humiliter submittere non detrectes, ne præclarum illud ingenium quod tibi Deus concessit infatuetur, et ideo foras ejiciatur, et ab omnibus conculcetur. Pudeat te patrocinari librum quem Vercellis in plenaria synodo damnatum, te quoque propter eum hæresis macula notatum audivimus. Redi ergo, precor, ad catholicam et apostolicam traditionem, ut et in te compleatur illud apostolicum quod mihi direxisti : sed *et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit*. »

Ascelinum Uticensem seu monasterii S. Ebrulfi in Nortmannia monachum senioris nepotem, Berengario coætaneum, innuere videtur noster Orderic. Vitalis, lib. VI Hist. pag. 623, descripta illius cœnobii devastatione, hæc subdit : « Ascelinus vero senex Uticensem eremum cum paucis pauperibus incolis incoluit, et Ascelinum nepotem suum, atque Guitbertum de Gaceio, et Haimonem de Telleia, aliosque pueros enutrivit ; et communes litteras, ut in illo loco quotidianum Deo servitium exsolverent, docuit. » Sed vero Berengarii epistola ad Richardum quemdam

monachum memoratur, ubi inter alia sic de Ascelino effatur : « Propter Ascelinum dico, qui B Augustini verba ad pravitatem sui erroris detorquere non timuit, sicut quidam compatriota illius, qui apud Pictavum inter discutientes B. Augustini sententiam, etc. » Hæc ex ms. Bibliothecæ Regiæ. Quibus verbis non ita obscure Ascelinum, opinor, Pictaviensem notat. De Guillelmo autem nihil est quod ausim asserere ; verum, si conjici liceat, dicam illum ipsum Guillelmum esse, qui et abbas Cormeliensis postea fuit, cujus B. Lanfrancus meminit supra et ad quem scribit epistolam 57.

(24) *Quod antiquitas Cadomum nuncupabat.* Cadomum, gallice *Caen*, urbs est ampla atque litterarum academia celebris, in Nortmannia inferiori sita. Emendatius expressiusque dici Campidomum Cenalis lib. II, De re Gallica, perioche 4 demonstrat. Scriptorum tamen auctoritas necnon vulgi usus invaluit ut concisius Cadomum dicatur.

Porro hujusce urbis nobilissimæ elegantiam ex doctissimo Papirio Massone in fluminum Galliæ descriptione subjiciemus. « Argentam urbem, inquit, quinque leucis remotam petens, quæ in edito quidem loco sita, declivis tamen est qua parte in Olenam descenditur, qui continuato cursu Cadomum præclaram urbem Bajocassinæ diœceseos interluit, ponteque jungitur e tribus fornicibus composito. De qua Armoricus, Philippidos libro octavo :

Villa potens, opulenta, situ spatiosa, decora
Fluminibus, pratis et agrorum fertilitate,
Merciferusque rates portu capiente marino,
Seque tot ecclesiis, domibus et civibus ornans
Ut se Parisio vix annuat esse minorem.

« Qui vero situm Cadomi bene excusserit, illam judicabit et pulchram et amœnam ob Olenam flumen, qui bis quolibet die ob fluxum et refluxum Oceani inflatur. In quam urbem fluvius quoque alius nomine *Udo* fluit, atque in Olenam labitur. » Lege si placet notas ad epistolam 2, Chronic. Beccense, ante annum 1063, pag. 3.

(25) *Dux unum monachorum.* Celebris illius monasterii S.Stephani nihil plane superest antiquitatis. Heu! furor petulantissimorum, sceleratissimorumque Calvinistarum omnia plane ædificia susquedeque evertit, et chartas pene universas dilaceravit, igneve consumpsit. Verum religiosissimi ac non mediocriter eruditi viri D. de Renchi cellerarii ejusdem cœnobii, ac S. T. doctoris studio atque industria tandem reperta sunt tabula fundationis, privilegia summorum pontificum Alexandri II, Honorii III et Clementis III, necnon et Rotradi archiepiscopi Rothomagensis, et Henrici Bajocensis episcopi; quæ integra, ne disperdantur, describemus. Hæc vero sunt apographa.

CHARTA FUNDATIONIS ABBATIÆ SANCTI STEPHANI CADOMENSIS,

a Guillelmo Conquestore factæ.

Quisquis Deo, seu pro Deo, aliquid præstat, non ipsum a se alienat, sed potius in futurum cum spe vitæ æternæ multiplicandum conservat; hoc agit pia Creatoris largitas, et larga ejus circa creata pietas. Qui cum bonorum nostrorum non egeat, suus est enim orbis terræ et plenitudo ejus, honorari tamen de nostra substantia, immolarique sibi sacrificium laudis pro nostra salute desiderat. Hortatur nos ut ei serviamus, tribuit quod pro collatis beneficiis suis ei retribuamus; quod tamen misericors Pater quasi alienum suscipit, quasi nostrum rependit, in hoc sæculo peccata remittens, in futuro centuplum accepturis, seipsum, et regnum cœleste promittens. Qua spe ductus ego Willelmus Anglorum rex, Nortmannorum et Cenomannorum princeps, cœnobium in honorem Dei, ac beatissimi protomartyris Stephani intra burgum, quem vulgari, nomine vocant Cadomum, pro salute animæ meæ,

A uxoris, filiorum, ac parentum meorum disposui construendum. Cui loco, ne divinæ Religionis cultura aliquando propter inopiam desit, hoc modo ipsi inposterum mea sollicitudo prospixit. Trado igitur præfato cœnobio villas juris mei censum, Roz, Alomanniam, Pontem-Divæ, Cathburgum cum colonis et conditionariis, seu liberis hominibus, cum molendinis, aquis, pratis, pascuis, silvis, seu omnibus redditibus, et consuetudinibus ad eas pertinentibus, sicut in meo dominio hactenus habui, et antecessores mei ; et homines quidem duarum præmissarum villarum, videlicet censu, et Roz, qui Francam terram non tenent, ad servitium ecclesiæ, et monachorum ita liberos, et omnino quietos concedo, ut nunquam pro aliqua submonitione expeditionis vel alterius cujuslibet rei ipsum servitium intermittant, nisi ego ipse, per me, vel per brevem meum, abbatem submoneam quatenus eos nominatim mihi mittat ; et hoc intra fines Nortmanniæ tantum, et nominatum tantummodo pro necessitate B belli ab extranea gente imminentis. Partem quoque burgi trado, in qua præfatum monasterium constructum est, a muro indirectum occidentem versus, sicut via protenditur, qua a veteri beati *Stephani* monasterio, ad urbem Bajocensem itur ; et ea quoque via qua itur ad Brithu villam sancti Michaelis, cum terris et omnibus consuetudinibus de eodem burgo ad me pertinentibus, excepto quod extranei mercatores de omnibus quæ secunda feria ibi ement, et venundabunt, tandiu quandiu telonearius ad stationem suam sedebit, et mercatores in communi mercato erunt, teloneum ministris, qui Majori burgo præerunt, apportabunt de singulis plaustris, et asinis, quo [*f.*, quæ] venalia ligna ferent, lignum unum, villarium cum omni territorio suo, et de eodem hominum servitia, ut servientes mei, qui ibi manent, mihi servient [*f.* serviunt], et propter servitium meum non remaneat. In magno quoque burgo do- C mum Turstini Legrini ; et domum molendini de Darnesteil cum ipso molendino, et molendinum quod fuit Ramardi.

Hæc omnia quieta ab omni consuetudine, de pratis juris mei tria jugera ad ulmum pratum Brendac, præter ea quæ ad supradictas villas pertinebat [*f.*, pertinebant] alveum Veteris Uldun, a villa Venintro usque in Olnam fluvium, cum tribus molendinis in eodem factis. Terram Willelmi Pavolh, quam de me tenet Cadoni et Cluillæ. In territorio Brithwillæ allodium, quem Rogerius calvus ibi tenet. In territorio Bracii terram Willelmi Deslanda ; Allodium quoque quod Lupus tenet in Beneto et Walmereto, cum parte ecclesiæ ad eum pertinente. In territorio Curlei terram Willelmi camerarii. In territorio Balduenti vineam, cum domo vinitoris, quam Hubertus Dapifer de me habuit. In Barbefloth duas mensuras terræ. In territorio de Boseval allodium Rodulphi fili Anseredi ; in villeriis et in mara terram quam ibi tenet Willelmus Crassus. D Terram quoque quam habuit Hugo de Rozel. In Graymulla silvam de Malo Pertuoso, et de Tortavalle, et de Folonia, et de Caisneto cum aquis et terris, seu omnibus ad eas pertinentibus, hac conditione servata ut monachi ipsius cœnobii ipsas silvas nullo tempore destruant, vel destrui jubeant, propter ipsam terram colendam, sive inhabitandam, retentis in meo dominio cervis, capreolis et apris silvestribus. Decimam de Fredetnaco. Servitium de terra, quam Boselinus de Diva tenet in villeriis, et Guarinuilla. Concedo quoque fieri ad opus præfati monasterii mercatum in villa, cui Balte nomen est. In territorio Cadomi feriam trium dierum, ita ut quoties quilibet horum trium dierum in secunda feria emerit [*f.*, venerit], totum mercatum magni burgi sit Sancti Stephani. In civitate Rothomagi concedo fieri cellarium unum super Sequanam quietum ab omni consuetudine, et habitantes in eo quietos tam in terra quam in aqua, per totam terram meam. Concedo quoque domum, cum viridario, quam dedit

eidem cœnobio, in eadem civitate Bernaldus filius Ospaci. Et sex jugera prati, quæ idem dedit ad Batpalmas, et domum quam dedit Willelmus canonicus filius Suevi. In territorio Lireti hospitem unum cum terra sua, et quatuor arpentos et dimidium de vinea et unam acram terræ intra idem territorium. In Audura fluvio concedo fieri molendina duo, ita ut tantum spatium de aqua remaneat liberum, quatenus, quoquomodo aqua se habeat, convenienter possint per illud spatium ascendere, et descendere tam naves quam pisces. Concedo etiam totum allodium, quod tenent Osmundus Aculeus Ricardus et Rogerius. In territorio Calvimontis super Divam, et etiam totum illud quod tenent quicunque allodiarii infra leugam pontis Divæ. In terra Anglorum in comitatu de Devenesira manerium, quod vocatur Northam. In comitatu de Dorseta duo maneria, unum quod vocatur Francona, et aliud quod vocatur Biencona. In comitatu de Sommerseta, in territorio Crueræ, decem hiddas terræ et ecclesiam cum omni decima ejusdem territorii. In comitatu de Vultesira ecclesiam de Cosham cum omni terra, et decima ad eam pertinente. Concedo quoque in comitatu de Nortflot manerium, quod vocatur Vuelles, quod dedit prædicto cœnobio Willelmus de Scociis, cum ecclesia de Morthona et terra cum decima eidem ecclesiæ pertinente in Essessa. Item concedo in comitatu de Essessa maneriolum, quod vocatur Panfella, et Illundoma [*f.*, in Lundonia] quamdam terram, quæ fuit leureth, sitam prope ecclesiam Sancti Petri quietam de Gelth, et Descot, et de omni alia consuetudine, quæ [*f.*, quam] dedit Wallerannus filius Ramnulfi, cum decima totius terræ suæ, quam habet in Anglia, tam pro anima sua quam pro mea.

Signum † Willelmi regis Signum † Malthidis reginæ. S. Joannis † archiepiscopi. S. Roberti † comitis filii regis. S. Willemi † comitis filii regis. Signum Lanfranci † archiepiscopi S. Odonis † Bajocensis episcopi. S. Hugonis † Lexoviensis episcopi. Signum Gisleberti † Ebroicensis episcopi. S. Roberti † Sagiensis episcopi. S. Michaelis † Abrincensis episcopi. S. Gauffridi † Constantiensis episcopi. S. Roberti † comitis de Moretomo. S. Rogeri † comitis de Monte Gomerico. S. Rogeri † de Bellomonte. S. Roberti † comitis de Mellent. S. Henrici † de Bellonte. S. Hugonis † de Gorniaco. S. Walteri † Gifardi. S. Ricardi † Abrincensis vice comitis. S. Hugonis † comitis. S. Willelmi † comitis Ebroicensis. S. Willelmi † de Bretolio. S. Roberti † Ancensis comitis. S. Roberti † de Bellesme. S. Hugonis † de Montefortim. S. Hugonis † de Grentemesnil. S. Nigelli † de Constantino. S. Willelmi † Dunelensis episcopi. S. Ricardi † de Corceio. S. Willelmi † Crispini. S. Ingilranni † filii Huberti. S. Vilani † comitis. S. Willelmi † de Warenna S. Henrici de Ferrarii [*f.* Ferrarius].

Privilegium Honorii III, sive Alexandri II, etc.

(Vid. *Patrol.* tom. CXLVI, in Honorio III.)

Ejusdem Honorii litteræ, quibus immunitates confirmat cœnobii S. Stephani Cadomensis.

Honorius episcopus servus servorum Dei.

« Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ Religionis infringat; ea propter, dilectissimi in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancti Stephani Cadomensis, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis memoriæ Alexandri papæ tertii prædecessoris nostri, cujus privilegii tenorem in ejus perspeximus contineri regesto, in jus et tutelam beati Petri et nostram suscipimus, et præsentis scripti privilegio communivimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus illibata permaneant. Ad hæc prædicti antecessoris nostri vestigiis inhærentes statuimus nullum ecclesiastica seu sæculari prædictum dignitate in rebus, vel dispensatione monasterii prælibati, aliquam habere, præter Romanum pontificem, potestatem ; sed omne jus ipsius monasterii ad sollicitudinis nostræ successorumque nostrorum decernimus studium pertinere. Si autem alicujus episcopi molestia prægravati fueritis, sanctamque apostolicam sedem appellaveritis, donec causa vestra ad Romanum deferatur pontificem, et ab eo, vel de mandato ipsius terminetur, nulli ulterius episcoporum liceat contra vos litem movere. Prohibemus etiam ne Bajocensis episcopus pro qualibet abbatis, vel monachorum culpa, eos præsumat excommunicare, vel in monasterio divinum officium prohibere. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi astutia qualibet subreptionis seu malitia præponatur, nisi quem fratres communi assensu, vel fratrum pars sanioris consilii secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Præterea liberas et absolutas personas e sæculo fugientes liceat vobis ad conversionem vestram suscipere, et eas absque ullius contradictione in vestro collegio retinere. Chrisma vero, oleum sanctum, dedicationes ecclesiarum, consecrationes altarium, ordinationes monachorum et clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, laicorum etiam qui criminalia peccata incurrerint, consilia, et pœnitentiarum injunctiones a Bajocensi suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis, et absque ulla pravitate vobis voluerit exhibere ; alioquin liceat vobis, quem malueritis catholicum adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat; et maxime si ordinationes monachorum, et clericorum vestrorum ultra unius mensis spatium, secundum quod ab eodem antecessore nostro statutum est, episcopus Bajocensis distulerit. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel abbatias [*f.*, abbatiam] retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit secundo tertiove commonita nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existat de perpetrata iniquitate cognoscat; et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

« Ego Honorius catholicæ episcopus.

† Ego Guido Prænestin. episcopus.

† Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

† Ego Stephanus basilicæ Duodecim apostolorum presbyter.

† Ego Gregorius.......... presbyter.

« Datum Laterani per manum Willelmi sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii III Idus Junii, indictione IX, Incarnationis Dom., an. 1221, pontificatus vero domini Honorii papæ in anno quinto.»

PRIVILEGIUM CLEMENTIS PAPÆ VI.

Quo S. Stephani Cadomensis abbatibus insignia pontificalia permittit.

« Clemens, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris Ecclesiarum omnium et magistræ, licet immeriti, regimini præsidentes, earum statum libenter honoris impendiis promovemus, et quæ dubietatis anfractu materiam litigiorum eis pro tempore possent inferre, declarando, quantum nobis possibile redditur, submovemus. Dudum siquidem dilectorum filiorum Roberti abbatis et conventus monasterii Sancti Stephani de Cadomo ordinis sancti Benedicti Bajocensis diœcesis insinuatione percepto quod præfatum monasterium inter alia partium illarum monasteria erat nobile et insigne, et in eo magna pars capitis gloriosissimi protomartyris præfati sancti Stephani, nec non capitis beatæ Margaretæ martyris, prout in illis partibus communis fidelium opinio asserebat, multæque aliorum sanctorum reliquiæ honorabiliter servabantur, propter quæ ad ipsum monasterium sæpius undique cum magna devotione confluebat multitudo fidelium copiosa ; eratque etiam in dicto monasterio corpus recolendæ memoriæ Guillelmi regis Angliæ principalis ejusdem monasterii fundatoris venerabiliter tumulatum, qui dudum existens dux Nortmanniæ cepit regnum Angliæ vi armorum, dicti quoque abbas et conventus in eodem monasterio, ac tredecim parochialibus ecclesiis et locis earum, ac capellis eis adjacentibus legitime haberent et possiderent, ac habuissent et possedissent hactenus, tam ipsi quam eorum prædecessores continuo, libere, pacifice et quiete, et a tanto tempore cujus initii memoria non exstabat, jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam, ac correctionem in clericos et personas ecclesiasticas delinquentes ibidem ; a qua quidem jurisdictione et eorum officiali, non ad episcopalem, sed Rothomagensem eorum metropolitam, seu ad apostolicam sedem consuetum erat et fuerat regulariter a dicto tempore hactenus appellari, necnon dictarum ecclesiarum collatio, earumque curæ commissio, visitatio, et procuratio ad abbatem et conventum pertinebant ; eosdem nos volentes tam personam Roberti abbatis, (ipsius multiplicium virtutum meritis et sinceræ dilectionis, quam ad nos et Romanam gerebat prout gerit Ecclesiam, affectu ferventi exigentibus) quam monasterium : prædictos, consideratione præmissorum, specialibus privilegiis et honoris impendis decorare, eorumdem Roberti abbatis et conventus in hac parte supplicationibus inclinati, eidem Roberto abbati et successoribus suis abbatibus ejusdem monasterii, qui essent pro tempore, ut idem Robertus et illi mitris aureis sive deauratis, lammas et gemmas habentibus, et aurificiatis, et planis, annuloque et sandaliis, et aliis pontificalibus insigniis in missarum et horarum aliarum solemniis, temporibus congruis ubicumque, præterquam in conciliis provincialibus et synodis episcopalibus ; necnon in iisdem conciliis et synodis hujusmodi planis mitris uti perpetuo ; necnon in monasterio, ecclesiis, ac locis ecclesiarum prædictis in missa, vesperis, et matutinis, et mensa benedictionem solemnem facere et impendere etiam perpetuo libere valerent, dummodo aliquis antistes, vel legatus sedis apostolicæ præsens non existeret, quacunque constitutione in contrarium edita non obstante, auctoritate apostolica de speciali gratia duximus indulgendum. Et ad indicium hujusmodi a sede prædicta obtenti privilegii, volumus quod dicti abbas et conventus nobis, nostrisque successoribus, singulis bienniis persolverent unam unciam auri.

« Cum autem, sicut ejusdem Roberti abbatis nobis exhibita petitio continebat, ab aliquibus revocetur in dubium an hujusmodi clausula, « dummodo aliquis antistes, vel legatus sedis apostolicæ præsens non A existeret, » ad omnes præcedentes clausulas referatur, nobis idem abbas humiliter supplicavit ut dubium hujusmodi declarare, ac etiamsi, et in quantum opus fuerit, quoad alba pontificalia per Robertum abbatem, et successores suos prædictos in eisdem conciliis, et synodis deferenda, concessionem hujusmodi ampliare, providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ad omnem dubietatis scrupulum auferendum, tenore præsentium declaramus nostræ intentionis fuisse et esse ut abbas et successores ipsius prædicti, mitris aureis sive deauratis, lammas et gemmas habentibus, ac aurifrisiatis et planis, annulisque et sandaliis, ac aliis pontificalibus insigniis, horis ad hæc aptis, ubicunque, etiam in præsentia diœcesani, vel cujuslibet alterius antistitis, præterquam in provincialibus conciliis et synodis episcopalibus ; et in eisdem conciliis et synodis, planis mitris uti possint, et quod dicta clausula, « dummodo aliquis antistites, vel legatus sedis apostolicæ præsens non existeret, » ad immediate B præcedentem clausulam, videlicet de benedictione solemni tantummodo, et nullatenus ad alias præcedentes clausulas referatur. Et nihilominus eisdem Roberto abbati, et successoribus suis prædictis, quod in eisdem provincialibus conciliis et synodis etiam hujusmodi albis pontificalibus perpetuo uti possint, quacunque constitutione contraria non obstante concedimus tenore præsentium auctoritate apostolica de gratia ampliori. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum apud Villam Novam Avenionensem, die decimo Kalendas Julii, pontificatus nostri anno quinto. »

C *Confirmatio immunitatum monasterii S. Stephani Cadomensis, ab archiepiscopo Rothomagensi concessa an.* 1170.

« ROTRODUS Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, præsentibus et futuris, salutem.

« Plurimum confert ecclesiis et monasteriis, personis quoque tam ecclesiasticis quam secularibus, ea quæ illis a catholicis viris conferuntur ad memoriæ conservationem litteris adnotari, ne delente ea quæ facta sunt oblivione, quod stabile fuit et ratum in quæstionem revocetur. Inde siquidem est quod piis petitionibus filiorum nostrorum Guillelmi abbatis et conventus Sancti Stephani de Cadomo, benignum præbentes assensum in scriptum redigimus, et munimine sigilli nostri corroboramus ea quæ novimus in episcopatu Bajocensi pertinere ad possessionem, et jus, et eleemosynam Beati Stephani de Cadomo, tam in ecclesiis quam in decimis, pratis, aquis, silvis, pascuis, molendinis, domibus, terris, et eaD rum habitatoribus. Quæ etiam ab illustrissimo Guillelmo rege Anglorum, principe Nortmannorum et Cenomanorum, eidem cœnobio confirmata sunt, et ab aliis nobilibus viris, et præcipue a venerabilibus Odone, et Henrico episcopis Bajocensibus. Hæc igitur sunt quæ a præfato cœnobio possessa cognoscimus et in perpetuum possidenda libere, et quiete et absolute a synodico debito, et circata, cæterisque consuetudinibus ad jus episcopale pertinentibus, eidem cœnobio concedimus et confirmamus, videlicet ecclesia Sancti Nicolai in burgo cœnobii, et ecclesia Villarii, et duæ partes omnium decimarum quæ sunt de feodo ejusdem cœnobii, per totum territorium Cadomi et Villarii, et ecclesia de Bretevilla Orgoillosa, cum capella de Putot, cum decimis et omnibus pertinentibus suis, et ecclesia de Alneto, et tota decima parochiæ, cum pertinentibus suis, et duæ ecclesiæ de Alemannia, et earumdem parochiarum omnes decimæ cum pertinentiis suis, et ecclesia de Icio, cum capella de Bracio et tota de-

cima parochiæ cum pertinentiis suis: ecclesia etiam de Caburgo, et antiqua capella de Burgo Divæ, et ecclesia Sanctæ Mariæ de Buisson juxta Matrem Villam. Præterea etiam eidem cœnobio confirmamus jura episcopalia in ecclesia de Censio, scilicet synodum, et circatam, cæterasque consuetudines, quas in præfatis ecclesiis idem cœnobium habet. »

Confirmat Bajocensis episcopus privilegia, possessiones, etc. cœnobii S. Stephani Cadomensis.

« Henricus, Dei gratia Bajocensis episcopus, omnibus Christianæ religionis cultoribus ad quos præsens charta pervenerit, perpetuam in Domino salutem.

[1] Ne in oblivionem veniant quæ geruntur, usus habet et communis consideratio utilitatis exposcit ut scripturæ serie debeant adnotari. Inde siquidem est quod in scriptum duximus redigenda munimine sigilli nostri corroboranda ea quæ novimus in diœcesi nostra pertinere ad possessionem, et jus et eleemosynam cœnobii Beati Stephani de Cadomo, tam in ecclesiis quam in decimis, pratis, aquis, silvis, pascuis, molendinis, domibus, terris, et earum habitatoribus; quæ etiam ab illustrissimo Willelmo rege Anglorum, principe Nortmannorum et Cenomanorum, confirmata sunt, et ab aliis nobilibus viris, et præcipue a venerabili Odone prædecessore nostro Bajocensi antistite. Hæc igitur sunt quæ a præfato cœnobio possessa cognoscimus, et in perpetuum possidenda concedimus et confirmamus, videlicet ecclesia S. Nicolai in burgo cœnobii, et ecclesia Villarii, et duæ partes omnium decimarum quæ sunt de feodo ejusdem cœnobii per totum territorium Cadomi et Villarii, et ecclesia de Tortuvalle, et tota decima parochiæ, cum pertinentiis suis, et ecclesia de Folonia, et tota decima parochiæ cum pertinentiis suis, et ecclesia de Alneto et tota decima parochiæ cum pertinentiis suis, et ecclesia de Bretevilla Orgoillosa cum capella de Putot cum decimis et omnibus pertinentiis suis et duæ ecclesiæ de Allemania, et earumdem parochiarum omnes decimæ cum pertinentiis suis, et ecclesia de Icio cum capella de Brachio, et tota decima parochiæ cum pertinentiis suis, ecclesia etiam de Cadburgo, et antiqua capella de burgo Divæ, et ecclesia Sanctæ Mariæ du Buisson juxta Matrem Villam. Has equidem ecclesias a synodico debito et circata, cæterisque consuetudinibus ad jus episcopale pertinentibus liberas et absolutas in perpetuum permanere cœnobio præfato concedimus et confirmamus. Præterea etiam eidem cœnobio confirmamus jura episcopalia in ecclesia de Censio, scilicet synodum et circatam cæterasque consuetudines, quas in præfatis ecclesiis idem cœnobium habet. Hanc etiam dignitatem cum prædictis cœnobium præfatum, nobis confirmantibus, obtinet ut chrisma sanctum et oleum quod a nobis acceperit, prædictarum Ecclesiarum presbyteris in sancto Sabbato Paschæ distribuat. Clerici autem præscriptarum Ecclesiarum sic libere et quiete veniant ad synodum, ne sub aliqua occasione ab eis pecunia requiratur. Item prædicto cœnobio confirmamus processiones in sancta Pentecoste de Censio, et processiones de Allemania, et processiones de Icio, cum earumdem villarum membris et adjacentiis. Confirmamus etiam prædicto cœnobio duas partes decimarum feodii sui in Ruscavilla, et in Curleio, et Amblia, et in Petraponte, et in Bavento, in Billeio, in Vaumereto, in Geanvilla et in tota terra Rogerii Calvi, et Bretevilla super Leisam. Nihilominus etiam cœnobio præfato concedimus et confirmamus has libertates de pontificali jure juxta statuta prædecessorum nostrorum, in universis hominibus cœnobii, in burgo monachorum, sive in Villario vel alibi in territorio Cadomi, et in Venuntio, et in Francavilla habitantibus, videlicet cum alicui prædictorum hominum de peccatis criminalibus, et vel

A non criminalibus, sive de aliquibus forisfacturis convicti vel confessi fuerint, si pecunia inde exigenda fuerit, abbati vel monachis prædicti cœnobii persolvatur. De non criminalibus vero pœnitentiam injungere, in arbitrio monachorum consistat. Cum autem quispiam de criminali aliquo culpabilis reputabitur, non ipse ab archidiacono Bajocensi in placitum trahetur vel citabitur, sed ipse archidiaconus abbati vel priori ejusdem cœnobii denuntiabit, et ille cui ita crimen imponetur, ex parte abbatis admonitus, ad diem convenienter statutum coram abbate, vel aliqua ex parte abbatis, et coram archidiacono apparebit in ipsa parochia in qua manebit, et ipsis præsentibus veritas rei disquiratur; et si inde judicium portandum prodierit, vel cognitio peccati patuerit, Bajocensis Ecclesia, ut decet, requiratur, vel causa examinationis, vel gratia consequendæ reconciliationis. Easdem etiam libertates de jure episcopali confirmamus prædicto cœnobio in universis B hominibus de Ros, et in universis hominibus de Censio et in universis hominibus de Alemannia et in membris ejusdem, scilicet Stavellis, similiter et in universis hominibus de Icio, et de Bracio, et de Fulberfolia, de Burgesbu, et de Hogo, et de toto Caburgo, et de burgo Divæ, usque ad pontellum qui dividit Bajocensem episcopatum a Luxoviensi, et in omnibus illis qui sunt de parochia de Tortavalle, et de Folonia, et in illis quos habet prædictum cœnobium in Hovetot, et in omnibus habitantibus in silvis monachorum, sive in pertinentiis earum, et in tota teneura de Tortavalle, et etiam in hominibus quos habet idem cœnobium in Ruscavilla, et in Curleio, et in Siccavilla, et in Granvilla, et in Bavento, et in tota terra Rogerii Calvi de Bretevilla super Leisam, et in tota terra Louet de Billeio, et in Vaumereto cum parte ecclesiæ quæ ad ipsum pertinebat, et in villa de Buisson. Easdem etiam libertates de jure pontificali cœnobio præfato confirmamus in universis hominibus de tota terra quam tenuerunt Ra- C nulfus vicecomes et Robertus Bertrannus in Bretevilla Orgolliosa cum pertinentiis suis. Prædictas etiam libertates de jure pontificali prædicto cœnobio confirmamus in subscriptis possessionibus, villis, pratis, aquis, molendinis, silvis, pascuis, terris, et quibuslibet hominibus, si forisfactura contigerit videlicet in tota terra quam Milo dedit filiæ suæ Beatrici in conjugium in Venuntio, et in duodecim jugeribus terræ quam emit abbas Lanfrancus, in eodem Venuntio, et in pratis quæ vendidit Willelmus de Corcella præfato abbati, de feodo nostro, et in terra de toto Ros præter ecclesiam, et in terra de toto Censio cum ecclesia, et in terra quam tenuit Grimaldus in Allemania, et in membris ejus, scilicet Stavellis, Icio, Fulberfolia, Burgesbu, et in domo Rogerii, et in dimidia acra terræ de Hogo, et in terra quam tenuit Willelmus de Landa in Bracio, et in terra de toto Caburgo, et de burgo Divæ usque D ad pontellum suprascriptum, et in silvis de Malo Pertuso, Tortavalle, Folonia, Caineto cum terris et aquis quæ eisdem silvis pertinet, et in duobus molendinis in majori burgo Cadomi, et in vinea cum domo vinitoris in Bavento et in tota terra quam dedit prædicto cœnobio Filines Herfredi in Bavento, et in terra unius carucæ, quam vendidit Rodolphus filius Constantini in eodem, et in viginti jugeribus terræ quæ dedit Ascelines de Abovunilla, et in quinque jugeribus terræ, quam dedit Serlo Mariscallus in eodem, in terra quam tenuit Richardus Goiz in Ruscavilla, et in terra quam tenuit Willelmus Camerarius in Curleio, et in duodecim jugeribus terræ, quam Serlo monachis vendidit in eodem Curleio et in tota terra quam tenuerunt Ranulfus vicecomes et Robertus Bertramus in Bretevilla Orgoillosa cum pertinentiis suis, et in domo et in terra Anschitili Waragnonis in Honetot, et in molendino uno super Leisam, cum dimidia acra terræ, et insula modica quæ eidem molendino proxima est, et in tota terra

Rogerii Calvi de Bretevilla super Leisam, et in dimidia acra quam dedit Rogerius filius Bersad, et in terrâ Louet, quam vendidit Lanfranco in Bileto, et Vaumereto, et in terra Hugonis, quæ est unius carrucæ in Matrevilla, et in duodecim jugeribus terræ, quam donavit uxor Roberti Balistarii in Siccavilla, et in terra quam tenuit Hugo de Rosello in Granvilla, et in Groceio. Præterea etiam prædicto cœnobio confirmamus consuetudinem plaustrorum, quæ de Bisacia ad Cadomum venalia ligna ferunt, postquam intra leugam prædicti burgi intraverint; censum etiam et omnem consuetudinem omnium domorum ad Bajocensis ecclesiæ jus pertinentium quæ in burgo monasterii sunt. Quicunque etiam de majori burgo, cujus sepultura ad jus episcopi Sanctæ Mariæ Bajocensis pertinet, in cœmeterio præteriti cœnobii sepeliri petierit, liberrimam ex prædecessorum nostrorum concessione, et nostra, absque omni contradictione potestatem habeat; si autem aliquem mortuum quis illuc transferre voluerit, qui vivens non requisierit, hoc concedimus fieri cum licentia ministri nostri. Cum supra dictis etiam confirmamus sæpe dicto cœnobio decem sexta bladi : quatuor frumenti, et tria hordei, et tria avenæ, quæ habet idem cœnobium in decima Sancti Wandregisilii apud Cenet annuatim, ex donatione Odelinæ nobilis matronæ et famulatricis Willelmi regis Anglorum. Confirmamus etiam eidem cœnobio decimam de feodo Rogerii Calvi in Bretevilla super Leisam, cum parte ecclesiæ ad ipsum pertinente. Ut autem prædictæ libertates et consuetudines in ecclesiis, et in hominibus cæterisque omnibus prædictis illibatæ et inconcussæ et indiminutæ omnino in perpetuum a prædecessoribus nostris, nobisque et nostris successoribus servarentur, Willelmus Anglorum rex, et princeps Normannorum et Cenomannorum dedit ecclesiæ Sanctæ Mariæ Bajocensis, in dedicatione ipsius, et episcopo Odoni et successoribus ejus silvam, quam Elam vocant, perpetuo jure possidendam. Nos itaque omnia supra scripta prædicto cœnobio in hac chartæ nostræ confirmatione communimus, et auctoritate sigilli nostri eadem corroborantes confirmamus, prædecessores nostros videlicet bonæ memoriæ Odonem, cæterosque in hoc imitantes, qui simili prærogativa prædictum cœnobium munierunt. Hæc autem facta sunt anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo secundo, Willelmo abbate memorando viro honestæ vitæ, et consummati testimonii cœnobio Beati Stephani de Cadomo præsidente, his testibus, Thoma archidiacono Bajocensi, et Galtero archidiacono Bajocensi, Stephano archidiacono Bajocensi, magistro Hunfrido Bone, magistro Rannulfo, magistro Acio, Henrico de Sar canonicis, Richardo archidiacono Cadomi, Joanne presbytero, Roberto sacrista Cadomi.

« Elenchum porro abbatum celeberrimæ S. Stephani Cadomensis a doctissimo Joanne *le Prévost* communicatum, si exhibuero, improbabit, ut reor, nemo.

Series Abbatum S. Stephani Cadomensis.

1. Lanfrancus, Italus, ex Beccensi monacho, postea archiepiscopus Cantuariensis.
2. Guillelmus I Bona anima, Rutbodi episcopi Sagiensis filius, ex canonico Rothomagensi archidiacono monachus Beccensis, postea archiepiscopus Rothomagensis.
3. Gislebertus, in exsequiis Guillelmi regis 1087, cujus meminit S. Anselmus, lib. II epist. 44.
4. Robertus. Obiit Falesiæ A. C. 1107, in conventu procerum, Henrico I rege præsente.
5. * Tustinus.
6. Eudo. Obiit 1140.
7. Adamus I, vel Alanus. Obiit A. C. 1151.
8. Petrus I. Obiit 1156.
9. Guillelmus II. Obiit 1179.
10. Petrus II. Obiit 1193.
11. Robertus. Obiit 1196. De eo Guil. Neubrig. De reb. Angl. lib. v, cap. 19.
12. Sampson. Obiit I 1214, VII Idus Martii.
13. Odo præfuit annis 24. Obiit 1238, III Kal. April.
14. Adamus II præfuit annis 16, aliis Alanus. Obiit 1240.
15. Nicolaus præfuit ann. 5. Obiit 1265, III Idus Junii.
16. Guillelmus III, 1288.
17. Gaufridus. Obiit 1294.
18. Ricardus. Obiit 1305.
19. Simon de Trevieres. Obiit 1344.
20. Thomas. Obiit 1345.
21. Guillelmus IV. Obiit 1367 vel 1368.
22. Robertus III de Chambry. Obiit 1393. Obtinuit jus mitræ.
23. Joannes Senescalli. Obiit 1401.
24. Nicolaus Millon electus 1401.
25. Guillelmus V, Cave. Obiit 1428, interest concilio Pisano 1409.
26. Hugo de Juvigny, 1439.
27. Guillelmus VI. Toustain. Obiit 1454.
28. Petrus de Vierville, filius Philippi baronis de Creully, resignavit Carolo de Martigny, et obiit A. C. 1483, vel 1485.
29. Carolus de Martigny episcopus Castrensis. Obiit 1512, 8 Julii.
30. Petrus de Martigny ejus nepos, monachus et episcopus Bajocensis. Obiit 1531, 13 Septemb.
31. Franciscus cardinalis de Turnono, 1532.
32. Julianus cardinalis de Medicis, 1533.
33. Alexander cardinalis Farnesius, Tusculan. episcopus, floret 1569. Præfuit usque ad A. C. 1577. Possessionem adierat 1543.
34. Georgius Pericard, Filius Joannis procuratoris generalis in parlamento Nortmanniæ, per resignationem decessoris. Resignavit in gratiam sequentis, et adeptus est episcopatum Abrincensem, 1583.
35. Carolus d'O, dominus de la Fériere, abbas S. Juliani Turonensis, filius Joannis baronis d'O, iniit possessionem 1583. Obiit Parisiis 1627.
36. Antonius de Bourbon præesse cœpit 1624. Obiit 1630.
37. Alphonsus Ludovicus du Plessis, cardinalis archiep. Lugdun.

« Præterea ut omnibus numeris, quæ ad res hujusce monasterii spectant, absolvam (in quantum suppetit facultas, sinitque institutum nostrum) juverit haud dubie, quid ascetæ Cadomenses, cruris osse reperto Guillelmi conquestoris, præstiterint, referre. Illi nimirum ut gratos in suum pium ac nobilissimum fundatorem proderent sese, novum extrui monumentum ex atro marmore, summis impensis curarunt. Cujus in latere uno antiquam de conquestore næniam, a scriptoribus multoties repetitam, quæ sic incipit : « Qui rexit rigidos Nortmannos, *etc.* » visere est. In altero autem quod sequitur recens epitaphium, cujus auctor e cœnobitis ejusdem monasterii exstitit nonnullus.

« Hoc sepulcrum invictissimi juxta et clementissimi conquæstoris Guillelmi, dum viveret, Anglorum regis, Nortmannorum Cenomanorumque principis, hujus insignis abbatiæ piissimi fundatoris, cum anno 1562, vesano hæreticorum furore direptum fuisset, pio tandem ejusdem abbatiæ religiosorum gratitudinis sensu in tam beneficum largitorem instauratum fuit, anno Domini 1642, domno Joanne de Bailhache Asceterii protopriore. »

P. D. $\frac{I}{C}$ DD. »

(26) (*Unum sanctimonialium in nomine et honore S. Trinitatis.*) Sic tabula fundationis ; quam his adnotationibus adjunxisse usui forsan erit aliquando, velut et fundatio ac privilegia S. Stephani superius posita.

Tabula fundationis abbatiæ SS. Trinitatis Cadomensis.

« Divina gratia ac Domini nostri Jesu Christi disponente clementia, ego Willelmus, Anglorum rex, Nortmannorum et Cenomanensium princeps, sed et Mathildis regina uxor mea Balduini gloriosi Flandriensium ducis filia, ad gloriam beatitudinis, ad præmium beatæ retributionis pio sapientique desiderio anhelantes, in territorio quod ab antiquis Cadomum appellatur, ecclesiam in honorem sanctæ Trininitatis pro salute animarum nostrarum coœdificavimus, ibique sanctas ac religiosas feminas secundum institutionem sancti Benedicti, sub abbatissa Domino servituras, in perpetuum constituimus. Quibus ut in posterum usus necessariarum rerum usquequaque sufficiat, regia munificentia, opportuna provisione prospeximus. Tradidimus itaque sanctæ Dei ecclesiæ prænominatæ villam quæ vocatur Caluz cum omnibus pertinentibus sibi, excepta decima quæ est ecclesiæ Sanctæ Mariæ Bajocensis. Dedimus etiam Oistrehan cum cunctis appenditiis suis, hoc excepto quod Robertus ibidem tenet de comite Moritonensi Willelmo qui dicitur Charitas, et Richardo nepote ejus, sed in Gilleberto Crispino annuentibus, pro pecunia quam nos eis dedimus. Præterea villam quæ dicitur Calfur cum suis appendiciis, quam regis concessu ego Mathildis regina emi a Richardo filio Ranulfi, annuente Aitordo de Nonant, de cujus feodo erat. Præbuimus etiam assensum donationi qua Radulfus Taxo Villambargæ donavit cunctis appendiciis suis. Cumque centum et decem acris terræ in villa Amblida et uno molendino in eadem Amblida pro sorore sua monacha facta in Ecclesia supradicta. Ego K. Mathildis regina redemi Villambargæ de calumnia a filia Conanni, et terram et molendinum in Amblida redemi de calumnia a Waleranno filio Ragnulfi, de quorum hæreditate fuerat. Ab eodem etiam Walleranno ex concessu regis, emi ego Mathildis regina quinquaginta acros terræ in territorio Cadomi, et appositum est hoc ad ecclesiam supradictam, Radulfo camerario concedente de cujus feodo erat. Super hæc donavimus et Eschonel villam prædictæ ecclesiam quam ego regina Mathildis regis concessu emi a filiis Wimundi Cufel Willelmo et Roberto ; a quo eodem Roberto ego regina emi terram illam quam habebat in Hetrufivilla, et Domini mei regis concessu apposita est ecclesiæ. Item annuente domino meo rege emi a Richardo filio Herlewini illas terras quas tenebat et Taxilli, et in monte Boani, eo tenore quod ipse Ricardus, de ecclesia eas teneret in vita sua, et post obitum ejus in sua possessione propria possideret ecclesia. Item terram quam tenuit Radulfus filius Alani in Willon comparavi ab eodem Radulfo. Et a Ricardo filio Rainfrandi rusticum unum in villa quæ dicitur Charon, et duas garbas decimæ quam habebat in eadem villa. Similiter et a Ragnulfo de Barberiis duas garbas decimæ quam habebat in Charon, et hæc ex concessu regis ecclesiæ apposita sunt. Præter hæc a Milone Mariscalco et Alethselina ejus uxore, emi ego Mathildis regina terram quam habebant in Valcellis, et quod in ecclesia, et in molendino uno ejusdem villæ habebant, excepto quod Beatrici filiæ suæ ad conjugium suum largiti sunt, quod domino meo rege concedente ecclesiæ superscriptum est. Super ea quæ dicta sunt, ego Wilelmus rex et uxor mea Mathildis regina ecclesiæ prænominatæ donavimus Burgum de Hulmo cum reditibus suis, Adelisa amita mea benigniter annuente, cujus hæreditas erat ; sed et comitissa A. de Albamarla concedente, eo videlicet pacto ut ipsa teneret in vita sua, post obitum vero suum ad victum sanctimonialium sancta possideret ecclesia. In territorio autem Cadomi dedimus terras illas quas de me rege Willelmo tenebant Godefridus Juvenis, Rogerius conestabulus, Willelmus Patrich.

A Et intra burgum Cadomi, unius molendini mei decimam, et decimam furnorum ad me pertinentium ; decimam quoque de Diva de piscibus et denariis ; similiter decimam de Divula, et de Batvent de sale et denariis. Eodem modo decimam de Walchei, et de Scocei de denariis, piscibus et molendinis. Item in insula de Gerzoi unum molendinum, et terram duorum Francorum hominum, atque medietatem decimæ de quinque parochiis ; et sextam garbam de una parochia et dimidia. Sed et terram et decimas quas Rainoldus cappellanus noster in eadem insula de me tenebat, ipsius Rainoldi precatu, postquam monachus effectus est, Ecclesiæ prædictæ concessimus. In villa quæ dicitur Maintrud sexaginta accros terræ. Et in villa Belli terram quam Hernostus clericus ibidem tenuit, terramque Radulfi Billei, pro qua recepta fuit filia Willelmi in ecclesia Radulfi camerarii, et Willelmi filii Theodorici ejusque uxoris concessu, de quorum hæreditate erat.

B « Ad hæc addidimus prætitulatæ ecclesiæ viginti accripennos vineæ, de quibus tres sunt apud Liriacum cum sex acris terræ. Apud Albam viam septem quos ego regina emi a Willelmo de Aillio concessu Rogerii filii ejus, et Richardi, comitis Ebroicensis, et Anschitilli de Altuillio concessu de quorum hæreditate erat ; apud Argentias septem, apud Vernum tres ; de istis tribus agripennis Godelef dedit duos et dimidium, cum una domo, pro eo quod monacha facta est in ecclesia prælibata, et soror ejus alterum dimidium. Donavimus etiam medietatem villæ quæ nominatur Carpikech, quam ego regina domini mei regis concessu comparavi ab Eudone filio Thurstini Haldup, et a Ragnulfo vicecomite. Adelaidis K. autem filia Thurstini Haldup ad eamdem Sanctæ Trinitatis ecclesiam, in qua monacha facta est nostro concessu, et Ragnulpho vicecomite, et Eudone ejusdem Adelaidis fratre annuentibus, alteram medietatem villæ Carpikech

C cum medietate ecclesiæ et decimæ ejusdem villæ donavit. Sed et duas partes villæ quæ Puteus nuncupatur. Et inter Filcherolas, et Herstervillam novies viginti accros terræ, necnon et illam terram quam Oismelinus Theodorici filius, et Herbertus Folenfant tenebant de ea in Goisbertivilla et in Dumoldivilla, et in Culvertivilla. In Coisneriis dimidium molendinum, et terram unius carrucæ in eodem loco. In Ruscavilla terram unius carrucæ. In Ingulfivilla, terram illam quam de ipsa tenuit Anschitillus. In Calvavilla terram unius carrucæ. Dedit etiam hæc eadem Adelaidis Fraxinivillam, et Maisnillem Urcelli, quas ego Mathildis regina excambivi ecclesiæ Sanctæ Mariæ Bajocensi, per Odonem Ecclesiæ ejusdem antistitem, concessu domini mei regis, pro ecclesiis cum decimis Sancti Stephani, et Sancti Martini Cadomi, sicut Anschitillus filius Urf eas tenuerat, et pro ecclesia Sancti Georgii de castro Cadomi. Stigandus quoque dedit

D ecclesias Falesiæ cum decimis, et ecclesiam Wibreei cum decima, et unum molendinum in eodem loco supranominatæ ecclesiæ, pro filia sua, ibidem monacha facta, Willelmo de Brajosa, de cujus jure erat, annuente ; cui ut concederet, ego Mathildis regina ex concessu regis dedi de pecunia mea. Sed et Alveredus de Moion concessit eidem ecclesiæ terram illam quam soror ejus Ala habuerat in conjugio apud Ranvillam pro filia sua, quæ monacha facta fuerat in eadem ecclesia, excepto quod ibidem sanctus Leodegarius de Pratellis tenet, cujus terræ servitium ego regina ad opus ecclesiæ redemi de Huberto de Ria, cujus feodum erat. Fredegendis autem Ragnulfi vicecomitis amita dedit eidem ecclesiæ Osbernivillam, annuente eodem Ranulfo, de cujus feodo erat ; cui Ragnulfo pro concessu suo, dedi ego regina Malhildis de pecunia mea.

« Dedit idem Ragnulfus ecclesiæ supradictæ molendinum unum intra burgum Cadomi situm ; et in

Goisbertivilla, terram duorum Francorum hominum, A pro filia sua facta monacha in ecclesia. Balduinus filius comitis Gislerberti et uxor ejus Emina dederunt eidem ecclesiæ, pro salute animarum suarum, ecclesias *de la Forêt* cum decimis, et ducentos accros terræ in eodem loco, quibus pro concessione ipsorum ego regina Mathildis dedi de censu meo. Murier de Guitot, pro salute animæ suæ, dedit prædictæ ecclesiæ Osbernivillam supra mare sitam, ita tamen ut in vita sua eam teneret, et post mortem suam mater ecclesia in sua proprietate possideret, Willelmo de Brethoil concedente ; cui ego regina Mathildis dedi de pecunia mea pro concessione ipsius, quia de ejus feodo erat. Alberada soror Fulconis eidem ecclesiæ tribuit terram quam pater suus dederat ei in villa quæ dicitur *Guillon*, annuente eodem Fulgone, quæ cum esset illius loci soror sepulta ibidem jacet in atrio. Billetheldis filia Rogerii, quod pater suus donaverat ei in Vernum pro conjugio, et ipsa dedit prædictæ ecclesiæ, nepote B ejus annuente Willelmo de cujus honore erat, cui pro concessu suo ego regina Mathildis dedi de censu meo. Rogerius de Molbray dedit prædictæ ecclesiæ terram quam ipse habebat in Granivilla pro filia sua ibidem monacha facta. Rogerius quoque, de monasteriis pro matre sua ibidem Domino sacrata, dedit Salam cum cunctis appenditiis suis, et dimidiam silvam de Monte Alboldi, atque monasterium de Vals cum decima, et terram unius carrucæ in eadem villa, et uno molendino, hoc quod habeat in proprio dominio, et terram quam Ricardus tenet in villa quæ dicitur Lu. Fulcho autem de Alno dedit eidem ecclesiæ villam Fulebech, cum molendinis cunctisque appenditiis, tam in planis quam in silvis, pro uxore sua Haduissa in eodem cœnobio monacha facta, annuente filio eorum Fulcholino. Athselinoc filio Aluredi Gigantis, dedit ecclesiæ prædictæ, terram quam habebat in Grandicampo, C et in Goi, concessu Willelmi filii Aluredi, propter quem concessum neptis sua filia Willelmi de Millei ibidem facta est monacha. Willelmus Bacco duas partes decimæ *de Bleer*, et unum rusticum in eadem villa dedit pro sorore sua in eodem loco monacha facta. Goisfridus *Lunez* duas partes decimæ de decem et octo villanis, et sex accros terræ, in Colevilla dedit pro filia sua in ecclesia facta monacha.

« Bremarus quadraginta accros terræ in Anglicavilla, et viginti in Charon, et de dimidia decima de Charon duas garbas, et in Willon decimam quam emit ipse a Murier sorore Richardi principis, dedit pro filia sua in eodem cœnobio monacha facta. Petrus quod habebat in monasteriis dedit pro filia sua, quæ ibi facta est monacha. Odo clericus quadraginta accros terræ in Cambis dedit pro anima sua, Willelmi Osberni filii concessu, de cujus feodo erat, ecclesiam Burnolfivillæ cum decima, excepto D quod Rogerius filius Hunfredi ibidem tenet, dederunt homines de eadem villa pro salute animarum suarum, episcopo Bajocensi Odone præbente consensum. Alberada uxor Radulfi Taxonis concessit servitium de terra quam Fulcherius Malaherba de ipsa tenebat in Bleduilla. Gisla filia Thurstini terram quam habebat in *Gray* et in Dumvilla, dedit eidem ecclesiæ pro anima sua, concessu Thurstini nepotis sui, cujus feodum erat. Ego autem Willelmus rex concessi servitium illud quod Goisfredus filius Salomonis et Heltho dapifer reddebant mihi *de Gray* supradictæ ecclesiæ. Radulphus filius [*al.*, pro salute animæ suæ] dedit terram quam habebat in Adevilla. Alberada Hugonis et Rogerii mater, dedit, annuentibus ipsis, hoc quod habebat in ecclesia, et in decima de Hainolvilla, et unum accrum terræ in eadem villa pro anima sua. Hugo pincerna supradictæ ecclesiæ dedit terram de Fago, ita ut ipse teneret in vita sua, et post obitum ejus dicta possideret ecclesia, Radulfo de Thodenio annuente, de honore cujus erat ; cui ego Mathildis regina pro concessu illo dedi de pecunia mea. Gumnor Willelmi de Brajosa mater, sanctæ Trinitatis monacha, dedit eidem cœnobio terram quam habebat in Batvent, annuentibus Hugone pincerna, et Rogerio de Cuilli, de quorum honore erat, cui Rogerio ego regina Mathildis pecuniam dedi pro assensu suo. Donavit etiam eadem Gumnor terras quas habebat in Roures, et in Cirreni, et in Graiscentevilla, et in villa quæ dicitur Quatuor Putei, Mauricio et Alberada uxore ejus concessum præbentibus, de quorum hæreditate fuerat. Rodbertus filius Ansfridi dapiferi terram quam habebat in *Condet*, et dimidia prata quæ habebat in Wiholmi, dedit pro Avicia uxore sua in eadem ecclesia monacha facta, filiis suis concedentibus. Radulfus de Aneriis triginta sex accros terræ quam tenebat in eadem villa Aneriis, dedit eidem ecclesiæ, pro anima sua, quos a Willelmo de Simillei emerat, annuente huic donationi Willelmo de Colombariis, de cujus feodo erat. Ursellus dedit pro anima sua terram quam habebat in villa Sancti Aniani. Rodbertus Camerarius dedit terram quam Hadebrandus tenebat in Lovenio pro anima sua, et pro amore sororis suæ, quæ erat monacha in ecclesia. Willelmus Camerarius dedit unum molendinum juxta Chetaoil, et terram quam ibidem de regina Mathilde tenebat.

« Ad hæc episcopus Bajocensis Odo, interveniente gratia et dilectione nostra, prædictam Sanctæ Trinitatis ecclesiam cum atrio, abbatissam, cum sanctimonialibus, omnem clerum in eodem loco servientem, universam familiam ejusdem ecclesiæ cibo sustentatam, ab omni exactione pecuniæ episcopalium redituum, liberam esse concedit. Sed et ecclesiam Beati Ægidii, cum atrio ipsius, quomodo supradictam liberam et quietam, et clericos ibidem servientes, eo modo quo supra, liberos esse permittit. Præterea in ea parte burgi (extra murum videlicet Cadomi siti versus ecclesiam Sanctæ Trinitatis, quam ego Willelmus rex prædictæ ecclesiæ dedi) illius partis burgi parrochiam ad ecclesiam Sancti Ægidii venire, oblationem, decimam de pecoribus, cum sepultura, clericos ibi servientes quiete permittit habere. Sed et gablum et consuetudinem culcitrarum, quod in eadem parte burgi habebat, ecclesiæ Sanctæ Trinitatis ascribit. Super ea quicunque in his duabus ecclesiis et in atriis earum forisfacturam fecerit, emendationem pecuniæ, quæ ab episcopali consuetudine pro forisfactura exigi solet, ejusdem loci abbatissæ episcopo eodem annuente donabit. Quicunque autem hominum Cadomensium in vita sua sepulturam sibi in atrio Sanctæ Trinitatis elegerit, licenter habere sine requisitione sepulturæ idem episcopus a suo sacerdote concedit. Et quia Bajocensis episcopus quietem libertatis, quæ dicta est, prædictis concessit ecclesiis, dignæ recompensationis donum præbuimus antistiti eidem et ecclesiæ Bajocensi. Si quis vero horum omnium quæ prædictæ Sanctæ Trinitatis ecclesiæ data ostensa sunt, temeraria præsumptione aliquando (quod absit !) violator effectus in sua impudenti obstinatione perstiterit, noverit ille se anathema factum a Domino, sancta ac beata fidelium omnium communione privatum, divino judicio perpetualiter esse plectendum. Ut igitur universa hæc secundum quod a nobis instituta esse noscuntur, inconcussa in perpetuum firmitate perdurent, adversum Dei Ecclesiæ inimicos ego Willelmus rex privilegium regiæ majestatis opponens, episcoporum ac magnatum meorum, quorum nomina subscripta habentur, irrefragabili attestatione probavi, meæque imaginis munimento præsenti legitima sanctione firmavi, anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo secundo, indictione quinta, apostolicæ sedis cathedram possidente papa Gregorio septimo, regni mei

sexdecimo anno, in Francia regnante Philippo, A Romanis in partibus imperiali jure dominante Heinrico.

« Signum † Willelmi Anglorum regis. Signum † Mathildis Reginæ. Signum † Lanfranci archiepiscopi. Signum † Willelmi Rothomagensis archiepiscopi. Signum † Odonis Bajocensis episcopi. Signum † Michaelis Abricensis episcopi. Signum † Gisleberti Luxoviensis episcopi. Signum † Gisleberti Ebroicensis episcopi. Signum † comitis Rothberti regis filii. Signum † comitis Guillelmi filii regis. Signum † Henrici regis Willelmi filii. Signum † comitis Roberti † Moritonensis. Signum † Balduini filii comitis Gileberti. Signum † Alani comitis. Signum † comitis Rogerii de Monte Gomerico. Signum † Willelmi de Warenna. Signum † Gisleberti Crispini. Signum † Rotberti Bertranni. Signum † Heinrici de Ferires. Signum † Rogerii de Bellomonte. Signum † Hugonis comitis de Cestra. Signum † Ricardi filii Herluini. Signum † Rogerii pincernæ de Ibriaco. Signum † B comitis Rotberti de Bellomonte. Signum † Willelmi comitis Ebroicensis. Signum † Hugonis pincernæ. Signum † Fulgonis de Alnou. Signum † Rannulfi, vicecomitis. Signum † Willelmi qui dicitur Charitas. Signum † de Gornaio. Signum † Radulfi de Todenio. Signum † Willelmi de Bretoil. Signum † Girardi de Gornaio. Signum † Willelmi Camerarii, filii Radulfi. Signum † Eudonis vicecomitis. Signum † Eudonis vicecomitis. Signum † Ricardi de......

« Fundationi abbatiæ Sanctæ Trinitatis Cadomensis catalogum abbatissarum (dum tota ejusdem monasterii, nec non et abbatissarum paratur Historia) addere visum est; quo spem nostram interim in illo sustentemus.

Indiculus abbatissarum SS. Trinitatis Cadomensis.

1. Mathildis I. Obiit an 1113.
2. Cæcilia, Guillelmi I Anglorum regis et Nortmannorum ducis filia. Obiit 1127. C
3. Izabeth, seu Izabella I de Blois, vix unicum annum in prælatura egit. Obiit an. 1128, circiter.
4. Beatrix I de Huqueville. Obiit circa an. 1141.
5. Dionysia d'Eschauffou. Obiit circa an. 1160.
6. Joanna de Coulonces. Obiit an. 1181.
7. Mathildis II d'Evreux. Obiit circa an. 1198.
8. Izabella II d'Ivetot Obiit circa an. 1202.
9. Adela I de Thibouville. Obiit circa an 1215.
10. Juliana de S. Celerin. Obiit an. 1256.
11. Beatrix II de Cambernon. Obiit 1289.
12. Amicia de Gournay. Obiit 1293.
13. Mathildis III d'Angleterre. Obiit circa an. 1298, loco epitaphii super lapidem sepulcralem hæc verba leguntur : Mathildis filia regis, cognomento Fortis.
14. Adela II d'Angleterre. Obiit circa an. 1305.
15. Nicolaa I de Goullevaz. Obiit 1336.
16. Mathildis IV de Querville. Obiit circa an. 1340. D
17. Georgia du Molley. Obiit 1376.
18. Maria I de l'Orme. Obiit 1401.
19. Maria II de Warinières. Obiit 1407.
20. Margarita de Warinières. Obiit 1417.
21. Agnes de Thieville. Obiit 1422.
22. Nicolaa II de Rupalley. Obiit 1426.
23. Maria III de Survie Obiit an. 1434.
24. Margarita II de Thieville. Obiit 1441.
25. Blancha d'Auberville. Obiit 1470.
26. Catharina I le Viconte. Obiit 1492.
27. Renata de Bourbon. Obiit 1534.
28. Isabella de Bourbon, creatur abbatissa an.1505, per translationem sororis suæ Renatæ ad abbatiam B. Mariæ Sanctonensis. Obiit 1531.
29. Catharina II de Navarre. Obiit 1532.
30. Margarita III le Vallois, hæc anno 1539 ad abbatiam Almenescensem se recepit, ibique abiit e vivis an. 1543, aut circiter.
31. Ludovica de Mailly. Primum abbatissa Lyliensis prope Meledunum ; deinde etiam hujus cœnobii præfecturam gessit : priori per dispensationem retenta. Obiit 1554, humilitate et observantia insignis.
32. Anna de Montmorency. Obiit 1588.
33. Magdalena de Montmorency. Obiit 1598.
34. Laurentia de Budos. »

([27]) *Iterum scholas tenuit.* Et quidem morem istum in ordine Benedictino usitatissimum fuisse, scholas nimirum instituere, pueros cum pietate tum litteris imbuere, neminem arbitror negaturum qui vel per menses aliquot historias revolverit. Quid vero curæ pueris fuerit adhibendum in monasteriis docet regula S. Benedicti, cap. 30, 37, 45, 67 et 70. Etenim probe intelligebat vir ille sanctissimus « omnium justorum (ut verbis utar Gregorii Magni) spiritu plenus, » quantum utilitatis et commodi reipublicæ Christianæ obveniret ex puerorum in cœnobiis religiosa institutione. Cujus disciplinæ erudiendi traditi sunt ex nobili senatorum prosapia complures, quos inter primas tenent SS. Maurus et Placidus, auctore D. Gregor. Dialog. lib. II, cap. 3. Unde et Carolus Mag. imperator in universis imperii sui cœnobiis scholas instaurare, et monachos magisterio fungi jubet. Ita Conciliorum Gal. tom. II, fol. 121 ; præcipit id etiam Capitular. Aquisgran. cap. 72 : ibidem fol. 152. Qua de re Trithemius Hirsaugiensi Chronic. in 4, abbate ejusdem monasterii Herardo : « Erat autem his temporibus (anno 890) in monasteriis nostri ordinis consuetudo celeberrima, ut scholæ monachorum in singulis pene cœnobiis, quibus non sæculares homines, sed monachi moribus et eruditione præficiebantur nominatissimi, qui non solum in divinis Scripturis docti essent, verumetiam in mathematica, astronomia, arithmetica, geometria, musica, rhetorica, poesi, et in cæteris omnibus sæcularibus litteraturæ scientiis eruditissimi. Ex his multi non solum in Romana lingua, docti erant, sed etiam in Hebraica, Græca, et Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile dignoscitur. » At ne gratis hæc asserere videatur abbas ille Trithemius, ludum videlicet litterarum in monasteriis solemnem exstitisse, testimonia ex antiquis, et mediis scriptoribus libet producere. Ex Vita S. Agili primi abbatis Resbacensis : « Puer Agilus committitur Eustasio, probatæ religionis viro, sacris litteris erudiendus, cum aliis nobilium virorum filiis, qui postea Ecclesiarum præsules exstiterunt, Agnoaldo scilicet, et Walberto Hagnarici [*al.*, Agnerici] patrui ejus (Agili) filiis, qui monasterio, quod soror eorum Fara in paterno solo inter Albam et Mucram (fluvios) in loco qui Eboracus dicitur, ædificavit ; construendi et docendi regulares magistri claruerunt : quorum alter Lauduno Clavato, alter vero Meldensis est episcopus ordinatus ; Achario qui Viromandorum et Noviomensis ac Nomacensis antistes fuit ; Ragnachario qui Augustodunensis Ecclesiæ pontifex egregius emicuit : Audemaro, qui Bononiæ et Haranoensis oppidi pastor laudabilis effloruit. Denique sicut præmemoratum Agilum charius his omnibus commendatum susceperat, ita in eo præ cunctis doctrinæ ac religionis acumen resplenduit ; nam liberalibus disciplinis enucleatius imbutus multos facundia sua erudivit ; plurimos catholicæ fidei puritate illustravit : nonnullos etiam luculentissimis documentis post posita altitudinis pompa sub professione sacræ religionis idoneos reddidit. » Ita ms. codex Beccensis cœnobii. Florebat S. Agilus circa an. Domini 660. Theodorus Campidonensis de S. Magno, cap. 11. apud Canisii Antiq. Lectiones, tom. IV : « Construxerunt (S. Gallus et Magnoaldus) monasteria miræ magnitudinis, et fratres inibi coadunatos doctrina et exemplo ad æternæ vitæ desideria concitaverunt, Othmarum puerum curiose nutrientes, atque doctrinam grammaticæ artis seu divinorum librorum eum

erudientes, magistrum scholæ constituebant. » In Vita S. Leufredi abbatis, qui scholam monasterii S. Taurini Ebroicensis in suburbio adhuc puer frequenter adiit : « Ut autem magistrum reperit, » verba sunt codicis ms. Beccens. « qui sibi operam in litterarum eruditione impenderet, cum documento linguæ, morumque probitate cœpit illos (sodales) anteire, » etc.

S. Venerabilis Beda monasterium Virense S. Petri in Anglia celeberrimum effecit litterarum gymnasium, de quo pluribus scriptores hist. Anglic., potissimum Malmesbur, pontif. Anglo., lib. III, fol. 154, 2, n. 30 : « Apud Wiremuth, inquit, monasterium Bedæ, et multorum litterarum virorum nobile gymnasium. » Et lib. I De gest. reg. Angl., fol. 11. Sed et de Bedæ præceptore, S. Benedicto Biscopo doctrina conspicuo, legenda ejus Vita ab ipsomet V. Beda conscripta. Malmesbur. loco citato. Congregationis Anglica. Trophæorum tom. I pag. 640 et seq. Verum multo ante Bedæ tempora litterarum ludi vulgares exstiterant in Anglia, quemadmodum in Bibliotheca Floriacens., fol. 431, Vitæ S. Gildæ, cap. 3, cernere est. Et quia de Anglia sese ingerit sermo, insignem locum appendicis ad Ingulphum prætereundum non esse existimo ; ubi quatuor monachi Gilbertus, Odo, Terricus et Guillelmus ad locum Cotenham vocitatum prope Cantabrigiam perrexerunt : « Unde diversis in locis, inquit auctor, a se divisi, et formam Aureliensis studii secuti, summo mane frater Odo grammaticus et satyricus illo tempore singularis, pueris et junioribus legebat grammaticam, juxta Prisciani doctrinam, et Remigii in eumdem. Ad horam vero primam frater Terricus acutissimus sophista logicam Aristotelis, juxta Porphyrii et Averrois isagogas et commenta adolescentioribus tradebat. Ad horam vero III, frater Willelmus rhetoricam Tullii Quintilianique flores perorabat. Magister vero Gislebertus, omnibus Dominicis diebus et sanctorum festis, in diversis ecclesiis Verbum Dei ad populum prædicans rudis in Anglicana lingua, sed expeditus in Latina et Gallicana sua, contra Judaicum errorem maxime disputabat : ferialibus autem diebus, litteratis et sacerdotibus ad ejus auditorium specialius confluentibus, ante sextam horam textum sacræ paginæ exponebat, » etc. Porro Aureliense sive Aurelianense studium supra appellabat (ni fallor) insignem illam Floriacensis cœnobii scholam, quod nimirum id cœnobium situm sit in territorio Aurelianensi.

Ex Vita S. Frodoberti abbatis Clodoveo II, Francorum regi coætanei : « Erat eo tempore prænominatum Luxoviense cœnobium in Gallicis regionibus pene singulare, tam religionis apice quam etiam in perfectione doctrinæ. Qua ex causa plurimi, quibus in utramvis partem proficiendi fervor inerat ad eumdem locum certantibus studiis undique confluebant. » Hæc in promptuario Antiquit. Tricassi. doctissimi Camuzatii. Iterum ibidem, Historiæ S. Bercharii abbat., lib. II, fol. 94, de illo ipso Luxoviensi litterarum gymnasio legere est. Itemque notis ad histor. inventionis corporis S. Mauræ, fol. 56, profert idem Camuzat. antiquum fragmentum de venerabili Aderaldo Trecensi episcopo : « Qui puerulus (Aderaldus) bonæ indolis, cunarum exemptus latibulis, litterarum instruendus traditur studiis : nec sæcularibus denique commendatur scholasticis, sed Deo devote servientibus monachis, » etc. (non aliis haud dubie quam Benedictinis, solis nimirum tunc temporis cœnobiticam vitam agentibus).

Minime est sane quod sileam de antiquis illis Floriacensis vulgo S. Benedicti monasterii supra Ligerim celeberrimis scholis. Aymoinus, cap. I Vitæ S. Abbonis abbatis et mart., Bibliothec. Floriac. pag. 301, sic effatur : « Talibus ergo Abbo ortus parentibus in Floriacensi monasterio, scholæ clericorum (hoc est exteriori seu canonicæ, ut infra observabimus) Ecclesiæ S. Petri obsequentium, traditur litteris imbuendus, » etc. Notat in idem caput Joannes a Bosco plus quinque millibus recenseri, et quemlibet scholasticorum didascalo suo binos codices ms. quolibet anno offerre solere ; verum isthæc unde sumpserit cum minime producat, fides sit penes auctorem. Et, cap. 2, « S. Abbo imbuendis præficitur scholasticis, » cap. 5, in Angliam missus in Ramesensi cœnobio docet. De academia Floriacensi memorant etiam veteres ejusdem cœnobii consuetudines, fol. 404 Bibliothecæ præfatæ, his verbis : « Conventus autem lavatum manus vadit, et post in chorum, donec schola veniat, considebit. » Et infra ubi de processionibus : « Istos (diaconum et subdiaconum) subsequatur schola cum magistris, » etc.

Non est instituti mei ut longius de hac re protraham sermonem ; omitto frequentatas olim academias, in Gallia Sandionysianam, Corbeiensem, Cluniacensem, Sangermanam Antissiodori ; in Germania. Fuldensem, Salizburgensem, Sangallensem, et alias quamplurimas ; in Anglia Oxoniensem, Eboracensem ; in Italia Cassinensem, Vivariensem ; in Belgio Duacensem et Gerardimontensem. Cæterum plura qui de gymnasiis monasteriorum legere voluerit (libuit enim duntaxat nonnihil ex mss. et quæ haud quaquam sunt ad manum excerpere) adeat Antiquitates Fuldenses, cap. 9 et seq, ; Chronic. ord. S. Benedicti, tom. II, ad an. 661 et 662 ; et tom. III ad an 791 fuse ; Trophæorum congregat. Anglicanæ tabulam I, p. 549, 550, et præfationem ad tab. III, pag. 5 et seq. ; Claudium Espencæum digres. lib. III, cap. 12, pag. 344, Jacob. Midendorp. academiarum lib et hist. monast. cap. 6 ; Alemannicas Antiquitat. Goldasti tom. I, cap. I ; Ekkardi De casibus monasterii S. Galli, et cap. 7 Vitæ B. Notkeri eodem auctore ; exstat etiam hæc ipsa vita, Canisii Antiq. lect. tom. VI.

In collatione abbatum Aquis sub Ludovico Pio habita, cap. 45, vetitum observabit forsan nonnemo : « Ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt ; » hoc est Dei servitio mancipati. Verum huic incommodo facili negotio occurrebant monachi, siquidem intra monasterii ambitum scholam instituebant duplicem pro conditione et varietate auditorum. Alteram claustralem, in qua pueri asceticæ vitæ dicati exercebantur ; alteram canonicam sive clericalem, in qua pueri sæculares : illa in remotiore monasterii parte : hæc extra monasterium in adjacenti ædificio, cui tamen et ipsi præerant cœnobitæ. Et hæc sane scholarum partitio solemnis erat in Floriencensi cœnobio (uti supra vidimus, ubi sermo fuit de S. Abbone inibi scholæ clericorum a parentibus tradito) in Cluniacensi (quod et se vidisse in antiquis ejusdem monasterii schedis, mihi testatus est quidam ex nostris vir doctus) maxime vero in Fuldensi, teste Ekkehardo locis citatis : « Tradant, inquit, post breve tempus Marcello scholæ claustri cum B. Nothkero Balbuno, et cæteris monachici habitus pueris ; exteriores vero, id est canonicæ, Isoni cum Salomone, et ejus comparibus. »

(28) *Consecratus est archiepiscopus Rothomagensis.* De Guillelmi electione ita ms. Codex monasterii S. Audoeni Rothomagens., de Joanne agens archiepiscopo : « Recessit hinc, imo processit ; nam duobus ante obitum ejus annis inthronizatus est domnus Guillelmus cœnobii Cadomensis abbas, cum apostolica auctoritate, tum regio munere, tum denique communi electione. Vir sane et generis nobilitate elucens, morum prærogativa præpollens. » Guillelmum laude prosequitur Orderic. Vital. lib. V, Hist. ad an 1079. « Hic bonus et jucundus ac mansuetus exstitit, gregemque sibi divinitus commissum 32 annis custodivit. Matricem basilicam omnimodis ornatibus cultui divino necessariis locupletavit ; claustrum episcopii domosque convenientes a fundamentis eleganter renovavit. » Et infra : « Monachis

et clericis, omnibusque sibi subjectis ut dulcis pater blandiens profuit. Psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, sacrisque mysteriis indesinenter sese mancipavit. In usu ecclesiastico doctissime instructus erat, et ad prædicandum indoctis verbum Dei clara idoneaque locutione vigebat. Patientia et benignitate cunctos secum coessentes mulcebat, magnamque partem oneris sui decanis et presbyteris sine invidia distribuebat, bonosque nihilominus ad participationem honoris avide asciscebat, » etc. Plura vide apud eumdem Orderic., loco citato, et fol. 568, ad. an. 1080; Guillelm. Gemet. Hist. lib. VII, cap. 28, et lib. VIII, cap. 3.

(29) *In ipsa ætate sententias promere sapuit, quas gratanter jurisperiti*, etc. Imo B. Lanfrancum illo ævo leges Romanas reperisse testis est Robertus de Monte in suo Chronico nondum edito : « Lanfrancus Papiensis, inquit, et Garnerius socius ejus repertis apud Bononiam legibus Romanis, quas Justinianus imperator Romanorum ab Incarnatione Domini 50 abbreviatas emendaverat. His, inquam, repertis operam dederunt eas legere, et aliis exponere. Sed Garnerius in hoc perseveravit, Lanfrancus vero disciplinas liberales et litteras divinas in Galliis multos edocens, tandem Beccam venit, et ibi monachus effectus est. » Hucusque Robert. ad an. 1032.

(30) *Roma caput orbis sollicitavit cum epistolis.* Leo IX videlicet, et Gregorius VII maxime, quemadmodum inter eorumdem epistolas cernere est.

(31) *Providit subrogare Joannem.* Cui plures destinavit epistolas B. Lanfranc. Cantuariorum antistes factus. De Joanne multis infra ad epistolas 14 et 15. Cæterum de ejusmodi subrogatione paulo amplius Orderic. Vital. lib. IV hist. pag. 506, his verbis : « Vir Deo devotus (Lanfrancus) et humilitati studens tanti primatus sarcinam refutavit, et sibi ad hunc apicem toto conatu Joannem Abrincatensium præsulem præferre sategit. Porro ut canonice fieret ista conjugatio Romam adiit, prædictæ ordinationis licentiam ab Alexandro papa impetravit. » Alexandri epistolam (qua Lanfranci petitioni annuit), Joanni Abrincensium episcopo missam, in veterum scriptorum testimoniis præfixis libro De officiis ecclesiasticis, ejusdem episcopi, reperies. Habetur iisdem ferme temporibus in Chronico ms. cœnobii Divionensis, haud dissimile factum Alinardi ejusdem loci abbatis : « Diligebatur a Roberto et Henrico regibus (Chronicon audis) ; sed et Conradus imperator et ejus filius Henricus Cæsar, nimio illum venerabantur affectu. Itaque Lugdunensem cathedram tunc vacantem ei obtulit Henricus imperator ; sed Halinardus humiliter respuens, Odalricum clericum Lingonensem suasit expetendum ; quem ipse pater ad sedem usque deduxit. » Sed vero e vivis sublato Odalrico, « imperatorem rogant (infit idem Chronicon) ut det Halinardum ; cui non acquievit (Halinardus) donec papa Joannes præcepit. In honore vitam duxit angelicam, » etc.

(32) *Congregata est ergo Synodus.* Hanc synodum ponunt ad an. 1070, Florent. Vigorniensis ; ad id anni, Orderic. Vital loco citato, fol. 516. De illa ipsa synodo Malmesburiensis bibliothecarius De Pontif. Anglo., lib. I, Roger. Hoveden, fol. 259, 2, n. 30, edit. Londin.

(33) *Deposuerunt Stigandum, cum anathemate reprobatum.* Ita autores citati, qui Stigandum multis criminibus obnoxium depingentes, rationes afferunt illius exauctorationis ; atque inter alios Florent. Vigorn. coætaneus, ubi supra : « In concilio, ait, Stigandus Doroberniæ archiepiscopus degradatur tribus de causis, scilicet quia episcopatum Wintoniensem cum archiepiscopatu injuste possidebat, et quia vivente archiepiscopo Roberto, non solum archiepiscopatum sumpsit, sed etiam ejus pallio, dum vi ab Anglia injuste pulsus est, in missarum celebratione aliquandiu usus est : et postea a Benedicto, quem sancta Romana Ecclesia excommunicavit, pallium accepit. » Robert. Mont. in præfato Chronico ad an. 1070, quod tribus episcopatibus fuerit potitus, nimirum Halmeensi seu Norvicensi, Wicestrensi (verius Vintoniensi) et Cantuariensi, exauctoratum Stigandum commemorat. Eadmerus, seu Edmerus, sive etiam Edinerus, lib. I, Histor. Novorum agit de Stigando : Guillel. Pictavens. de Guillelmo primo pag. 205. 206 et 208. Orderic. Vital. ubi supra. Malmesbur. De gest. reg. Anglo., lib. II.

(34) *Terreat exemplum istud*, etc. Temperare mihi equidem non possum quin duo quæ aliquando legi notatu dignissima exempla, eorum qui sacerdotium sive episcopatum strenue refugerunt, in medium hic proferam ; unum apud D. Hieronymum tom. II, epist. 60, Epiphanii Salaminæ Cypri episcopi ad Joannem episc. Jerosolymitanum, de quodam monacho sacerdotium modis omnibus declinante ; sed tandem per vim est adductus ad episcopum et sacerdos effectus. « Cum igitur (loquitur Epiphanius) celebraretur collecta in ecclesia villæ quæ est juxta monasterium nostrum, ignorantem, nullam et penitus habentem suspicionem, per multos diaconos apprehendi jussimus, et teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi ; et primum diaconum ordinavimus proponentes ei timorem Domini, et compellentes ut ministraret ; valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Et cum ministraret in sanctis sacrificiis, ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus presbyterum, » etc. Alterum refert Palladius Vita XII Lausiacæ. Adduci jusserat Timotheus episcopus Ammonium magni Pambo discipulum, religione et doctrina insignem, ut episcopus consecraretur ; sed constanter renuit ille, et dum cogeretur, arrepto forfice sinistram sibi aurem amputavit : quod episcopo ubi denuntiatum esset : « Mihi, infit, si vel truncatum naribus adduxeritis, qui sit bonis moribus, ego eum ordinabo. Euntes ergo, eum rursus rogabant ; cum ipse non pareret, aggressi eum vel vi adducere. Is autem eis juravit dicens : Si me coegeritis, etiam linguam meam exscindam ; eo itaque post hæc dimisso, recesserunt. » Infinita propemodum ejuscemodi exempla passim reperire est apud auctores. Sic D. Ambrosium, D. Augustinum, sic Paulinum, sic Anselmum per vim inflammatæ plebis legibus presbyteros sive episcopos factos. O si sic homines quærerentur, talesque eligerentur in clerum, qui vocati potius quam gradum lucri aut honoris gratia ambientes accederent, præclare utique cum Christiana republica ageretur !

(35) *Verum inibi quantus postea exstiterit fructus*, etc. De his luculenter compar B. Lanfranco Edinerus lib. I, hist., fol. 7 : « Magno semper operam dabat, et regem Deo devotum efficere, et religionem morum bonorum in cunctis ordinibus hominum per totum regnum renovare. Nec privatus est desiderio suo : multum enim illius instantia atque doctrina per totam terram illam religio aucta est. » Non abs re ergo hæc de illo præfert Ordericus Vital. Hist., lib. IV, pag. 20. « Anno dominicæ Incarnationis 1070. Lanfrancus Cadomensium primus abbas divinitus Anglis institutor datus est. »

(36) *Cœnobialis ordo qui omnino ad laicalem prolapsus fuerat dissolutionem*, etc. Non tantum in Anglicis, disciplinam monasticam instauravit Magnus Lanfrancus, sed etiam in Nortmannicis monasteriis, cum adhuc Becci prioris fungeretur officio, maxime in Uticensi seu S. Ebrulfi cœnobio ; teste Orderico Vitali ejusdem loci cœnobita, lib. III. Hist., fol. 461. « Herluimus abbas, inquit, Lanfrancum monachum, cum tribus monachis Uticum direxit ; et per eos servitium Dei, quod deciderat, inibi restaurari fecit. » Hæc circa an. Domini 1050. Verum quia de Anglia sermo est, nonnihil ex teste oculato Eadmero ubi supra, excerpamus. « Qua prudentia, ait ille, et quo paternitas officio monachos in eadem Ecclesia (Cantuariensi) consistentes a sæculari vita

in qua illos invenit plus æquo versari, erexerit, omnique sanctæ conversationis tramite imbuerit, ac, multiplicato eorum numero, qua eos dum vixit benignitate confoverit, cui unquam ad plenum declarare possibile erit? » Mathæus Westmonast. Flor., ad an. 1077. Ubi de Paulo abbate S. Albani : « Per ipsum, totus ordo monasticus in Anglia refloruit, coadjuvante Lanfranco. » Guillelm. Malmesb., lib. I De gest. Pontif., fol. 122, n. 3, his astipulatur, et tandem concludit his verbis : « Sunt hodie (scilicet Cantuarienses monachi) ampliori quam uspiam Angliæ, ut decet, numero, religone Cluniacensibus non impares. « Plura in hunc modum vide apud Mathæi Paridis Hist. ultimæ edit. Londoniens. et Paris. in Vitis abbatum S. Albani, in Vita Pauli XIV abbatis. Jure merito sane totis viribus ad stabiliendum disciplinæ monasticæ vigorem incubuit sanctus Lanfrancus divino Spiritu ductus ; siquidem simul atque e recto tramite deviavere monachi, ignorantia, vitia omnigena, hæresis scaturire cœperunt, et econtra, dum monachis cordi fuit status religiosus; uti quam optime et luculenter probat cardinalis Baronius ad an. 703 de sanctissimo abbate Benedicto agens, cui cognomen Biscopus erat : « Porro ejusmodi fundatore (effatur ille) propagatus est in Anglia mirifice monachismus, ut plane insula illa, ita divini Spiritus imbribus irrigata, Dei esset paradisus effecta ; apud quam dum monastica viguit integra, in nulla læsa disciplina, nulla ad eam hæresis accessum habere potuit ; illa vero laxata atque soluta, redacta est terra fructifera in salsuginem a malitia habitantium in ea (*Psal.* CVI). » Ita Baronius utique non monachus. Perpendant hæc status monastici osores illi ; et semper calumniæ virus evomentes in eos qui et vita et moribus Deo placere cum studeant, in disciplina regulari resarcienda omnem navant operam, atque ad Christi Domini imitationem et amorem, sæculo addictos pellicere contendunt verbo et exemplo. Audiant illi vel concilium Lateranense sub Alexand. III, part. XIII, cap. 3 : « Religionem si forte non habemus in nobis, in aliis diligere et fovere tenemur. »

(37) *Olim contemptui ab universis, et derisui habebatur.* Ita in ejus Vita post, initium, appendicis, pag. 33.

(38) *Abbas Westmonasteriensis Gilbertus Crispinus.* Quem nonnulli ob singularem ac multiplicem scientiarum notitiam, nuncupant Universalem. Gilbertum laudavimus initio, pag. 1.

(39) *Abbas Cormeliensis Willelmus.* Tertius fuit ejusdem cœnobii archimandrita. De illo agit Milo supra ; et nos perpauca attexemus ad epist. 57.

(40) *Henricus Ecclesiæ Cantuariensis decanus.* Hunc ipsum illius Ecclesiæ priorem invenio apud D. Anselmum, lib. I, epist. 54, cui hæc inscribitur epistola ; veluti et lib. II, epistola 44. Vir fuit omnibus ecclesiasticis disciplinis instructus.

(41) *Hernostus Roffensis Ecclesiæ episcopus.* De quo in epist. 57.

(42) *Vir sanctitate admodum reverendus Gundulfus.* Legendæ adnotationes ad epist. 47.

(43) *Hi juvante Dei gratia in Beccensi Ecclesia a magistro Lanfranco edocti.* Non solum quos hic commemorat Milo Crispinus, verum et permultos alios haud vulgaris doctrinæ pietatisque viros, auditores magni Lanfranci testantur scriptores non pauci. Insigniores autem illius discipuli fuere Alexander II papa, atque ejus nepotes, uti adnotabimus in epistolam 2. Guillelmus II abbas Cadomensis, dein archiepiscopus Rothomagensis, de quo pluribus jam sumus præfati. Guilmundus monachus, postea archiepiscopus Aversanus, (ac ut placet Orderico nostro, Hist. lib. IV. pag. 524) cardinalis, scientia litterarum eruditissimus (quod manifestum sit libris contra Berengarium editis) et ecclesiasticæ libertatis acerrimus propugnator, cujus gesta multa cum laude est prosecutus idem Orderic. loco citato. Fatetur porro seipsum B. Lanfranci discipulum, lib. II De sacramento altaris, ante medium, his verbis : « Satis tamen mihi placeret ut, quando aliqua negligentia vel certe miraculum novum de tantis mysteriis accidit, id inde fieret quod mihi magister meus, vir eximius sine dubitatione credendus D. Lanfrancus, se puero in Italia factum esse narravit, » etc. Inter inferiores discipulos minime est annumerandus magnus Ivo Carnotensis episcopus : At ne aliquibus dubitationis nonnihil suboriatur, ipsissima Roberti de Monte verba jam primum evulgare delectat : « Mortuus est hoc anno, inquit, vir religiosus et magnæ litteraturæ, Ivo Carnotensis episcopus. Hic dum esset juvenis, audivit magistrum Lanfrancum priorem Becci, de sæcularibus et divinis litteris tractantem in illa famosa schola quam Becci tenuit ; in qua multi et nobilitate sæculari, et honestate morum convenerunt viri præditi, et qui postea ad summum apicem ecclesiasticæ dignitatis et religionis attigerunt. Postea vero idem Ivo præfuit, et profuit conventui canonicorum regularium S. Quintini Belvacensis. Ad ultimum episcopus factus rexit Ecclesiam Carnotensem viriliter et religiose, fere per annos 23, » etc. Huc usque Robertus in Chronico ms. ad an. 1517.

(44) *Fertur annulum de digito extraxisse.* Hac annuli depositione, non ita obscure significare voluit, ut opinor, quanti monachos Beccenses haberet, et nihil sapientiæ suæ illis occultandum, imo tanquam filiis idoneis doctrinæ suæ monita, sacramentaque subministranda, et id quidem ex consequentibus verbis indicare videtur. Enimvero inter cætera quæ denotat mysteria annulus episcopalis, signum esse pontificalis honoris, et signaculum secretorium, docet Isidorus, cap. 48, in Exodum : « Unde quædam minus intelligentibus occultantes (ait ipse) quasi sub signaculo recondunt doctores, ne indignis quibusque Dei sacramenta credantur. » Rabanus Maurus, lib. I De instit. cleric., cap. 4. « Datur et annulus propter signum pontificalis honoris, vel signum secretorum, » etc.

(45) *Cum fratribus in claustro sedit archiepiscopus.* Receptissima fuit ista consuetudo apud veteres cœnobitas ut litterarum studio et rebus ecclesiasticis operam navarent in claustro. Et id moris quidem plus octo sæculis perseverasse constans est scriptorum sententia; quod et pervetusta prædicant asceteria. Ab ingressu claustri sæculares olim arceri probat Menardus noster in Concordiam regularum, cap. 55, fol. 808. « Et ne fratres, inquit, interturbarentur, non dabatur copia extraneis ingredi claustrum, nisi certis de causis, ut videre est statuto 23. Petri venerab. statutum est ut in claustrum, vel in reliquas regulares domos nullus clericorum aut laicorum ingrediatur, nisi aut causa operis alicujus, aut videndi domos, ut honesti hospites facere solent. » De claustro, atque illius antiquitate pluribus eodem loco Menardus.

(46) *Xenodochia vel ptochotrophia.* Et quia hæc, velut obiter recenset Milo, ornatus aliquid et lucis afferre Vitæ magni Lanfranci arbitror, si verba Eadmeri Hist., lib. I, fol. 9 hic attexero : « Hoc palatium in duo divisit, viros videlicet variis infirmitatum qualitatibus pressos uni ; parti vero alteri feminas se male habentes instituens. Ordinavit etiam eis de suo vestitum, et victum quotidianum ; ministros quoque atque custodes, qui modis omnibus observarent ne aliquid eis deesset ; neque viris ad feminas, vel feminis ad viros accedendi facultas ulla adesset. Ex altera vero parte viæ ecclesiam in honorem B. Gregorii papæ composuit, in qua canonicos posuit qui regulariter viverent, et præfatis infirmis quæ saluti animarum suarum congruerent cum sepultura ministrarent. Quibus etiam in terris, in decimis, et in aliis reditibus tanta largitus est, ut ad sustentationem eorum sufficientia esse viderentur. Remotius vero quam a boreali, ab occidentali parte

civitatis, ligneas domos in devexo montis latere fabricans, eas ad opus leprosorum delegavit, viris in istis, quemadmodum in aliis, a feminarum societate sejunctis. His nihilominus pro qualitate sui morbi omnia quibus egerent de suis ministrari constituit, constitutis ad hoc peragendum talibus viris, de quorum solertia, benignitate ac patientia, ut sibi quidem videbatur, nemini foret ambigendum, » etc.

(47) *Deratiocinatus est.* Variis modis verbum istud apud veteres exaratum occurrit, scilicet *dirationare, disrationare, desrationare*, et *disratiocinare*; significat alias rem probare; alias, causam agere; alias, assertionem contrariam refellere; alias, examen litis subire; alias, lite potiri et rem litigatam evincere seu recuperare, ita frequentius: et ultima acceptione hic usurpatur. Vide plura apud Henricum Spelman in Archæologo; et Glossarium in calce Historiæ Matth. Paris.

(48) *Qui et locum placiti.* Quid placitum denotet dicemus ad epist. 40.

(49) *Et modum finemque litis, quo contentio terminata est*, etc. Videsis Eadmerum, lib. I. Hist. Novorum pag. 9; Guillelm. Malmesb. De gest. pontif. lib. I, pag. 122, de prædicta lite agens, arduis in rebus S. Dunstanum præsto semper adfuisse B. Lanfranco, ipsumque solatum indicat his verbis: « Prævalebat in eo (Lanfranco) animæ vivacitas, sed et beatissimi Dunstani favor effusus. Nam quotiescunque in talibus cunctabundus ne male vergeret suspensam differret sententiam, aderat ille soporato detegens adversariorum argutias, et evadendi demonstrans semitas. Quinetiam quondam ægrum, et cunctantis vitæ pertæsum in visione, qua videretur cum eo luctam inivisse, eripuit discrimini, restituit bonæ valetudini. »

(50) *Anno ab incarnatione Domini*, etc. Ipsissima verba a B. Lanfranco memoriæ consignata, Malmesbur. loco citato, fol. 117, attestatur, ubi de illius disserit in archiepiscopatum assumptione: « Quod ipse melius, inquit, scripto suo insinuabit, quod de ordinatione sua, et de controversia inter se et Eboracensem Thomam commota et sedata, ita scripsit: Anno Dominicæ incarnationis, » etc. Atque hæc haud dubie ex illa quam scripsit Historia Ecclesiastica, sunt excerpta. Scripsisse autem ejusmodi Historiam, testis mihi est amanuensis B. Anselmi Eadmerus, ubi supra, pag. 7, Lanfrancum eximiis laudibus ornans: « Verum de his, inquit, ac innumeris aliis bonis, quibus in sudando vitam suam consummavit, licet mihi quidem scribere opus non sit, propter quod et opera ejus ita parent, ut ipsa evidentius scripto demonstrent, et ipsemet de rebus ecclesiasticis quæ suo tempore gesta sunt veracissimo et compendioso calamo scripserit, » etc.

(51) *Anno ab Incarnatione Domini* 1075. Exstat id concilium apud Malmesbur., loco sæpius prolato, pag. 122.

(52) *Thoma Ebroacensi archiepiscopo.* De quo fuse notis ad epist. 10.

(53) *Willelmo Londinensi episcopo.* Hujus meminere Malmesbur., lib. II De pontif. Anglo: Nicolaus Harpsfeld., Sæculo II, cap. 15; Godwinus De præsulibus Angliæ, in Episcopis Lond. ad an. 1050. A quo epitaphium hoc habe quod ex antiquis monumentis descripsisse se asserit: « Guillelmo, viro sapienti, et vitæ sanctitate claro; qui primum divo Eduardo regi et confessori familiaris, nuper in episcopum Londinensem erectus, nec multo post, apud invictissimum principem Guillelmum Angliæ regem ejus nominis primum ob prudentiam fidemque singularem in consilium adhibitus, amplissima huic urbi celeberrimæ privilegia impetravit. S. P. Q. Londinensis bene merenti posuit. Sedit episcopus annos 20, decessit anno a Christo nato 1070. »

(54) *Goisfrido Constantiensi.* Inspice, si placet, adnotationem in epistolam 33.

(55) *Walcherio Wintoniensi* Cujus gesta summatim ad epist. 5 et 16 perstringemus.

(56) *Hermanno Siraburiensi.* Multa ad epist. 3 de Hermanno.

(57) *Wilfstano Wirecestrensi.* Insigni sanctitate, ac singulari doctrina præditus fuit episcopus ipse, ad quem epist. 13 legenda ad eamdem adnotatio.

(58) *Waltero Herefordensi.* Huic jam seni, obscenis voluntatibus irretito, muliercula, cui vim inferre tentaverat, forcipibus, quas tenebat, inguina suffodisse recenset Malmesbur., loci citati lib. IV.

(59) *Gisoni Vellensi.* Gisa Florentio Vigorniensi ad an. 1060: « Vellensis episcopus Dudocus obiit, cui successit Gisa regis capellanus; ambo de Lotharingia oriundi. » Hic est ille qui B. Lanfrancum una cum Valtero Herefordensi archiepiscopum consecravit; eodem teste Florentio ad an. 1070. « Industria Gisonis (ait Harpsfeld Sæculo II, cap. 20) auctus est canonicorum numerus; quibus et claustrum, et locum ubi simul cubarent, et alium ubi cibum caperent construxit; et post viginti octo deinde annos obiit, » etc.

(60) *Remigio Dorchacensi.* Agemus de hoc præsule infra ad epistolas 4 et 12.

(61) *Herfasto Helmanensi.* Inscribuntur ipsimet epistolæ 20, 22, 23. De illo strictim ad epist. 20.

(62) *Stigando Selengensi.* De quo epist. 28, ad quem hæc, uti et 29.

(63) *Osberno Exoniensi.* In epist. 19, nonnihil de hoc præsule attexemus.

(64) *Petro Luciferdensi.* Sive Cestrensi, quemadmodum patebit infra in vita. Illius adnotatione ad epist. 30 meminerimus.

(65) *Sine commendatitiis epistolis.* De ejusmodi litteris ad epist. 25.

(66) *Gregorii Majoris, nec non Minoris.* Gregorii primi scilicet, vulgo magni nuncupati; et Gregorii hoc nomine secundi, qui ut a primo seu Magno secernatur, Minor est vocitatus.

(67) *Ut nullus de propria consanguinitate*, etc. Responsis ad quæst. 6, Augustini Anglorum apostoli; et lib. XII, epist. 32 Felici episcopo Messanæ id præscribit Gregorius Magnus; et Minor in concil. Romano I, cap 4 et seq.

(68) *Ut nullus sacros ordines*, etc. Ita concil. Chalcedonense, can. 2: et Nicænum 2, act. 8, can. 19, quest. 3, cap. 2 si quis dator, et seq.

(69) *Hæc omnia sacri canones*, etc. Videlicet canon 12 concil. Romani I sub Gregorio II; concil. Laodicense, can. 36; Carthaginense 4, can. 89; Chalcedonense, can. 2.

(70) *Rogavit per epistolam Lanfrancum.* Exstat inter epistolas B. Lanfranci, estque 12.

(71) *Adsacrandum quemdam clericum.* Rodulphum scilicet, ut adnotatione ad epistolam 12 commonstrabimus.

(72) *Paulus comes Orcadum.* Qualis fuerit comes ille, indicabimus illustrando epistolam proxime citatam.

(73) *Ecclesiam Rofensem ipse instauravit.* Testantur hæc auctores quamplurimi, quos inter Eadmerus Hist. Novorum pag. 8; Malmesbur. De pontif. Anglo., lib. I, fol. 122 et 132; Robert. de Monte in Chronico ms. ad an. 1089.

(74) *Beccensem monachum nomine Hernostum.* De quo obiter ad epistolam 49.

(75) *Decedenti successit Gundulphus.* Quis et quantus exstiterit Gundulphus episcopus exprimit auctor priscus Vitæ ms. ejusdem in hunc modum. « Lanfranco, inquit, Ecclesiæ dignitatis summum apicem in Anglia tenente et sapienter administrante, Roucestrensis Ecclesia suo est pastore destituta, defuncto Ernosto episcopo, qui monachus Seuvardo et ipsi monacho, in episcopatum quidem successerat, sed in eo, anno tantum dimidio vixerat. Volens

autem pontifex ut ex more antiquorum monachus succederet monacho, cogitare cœpit quam potissimum monachorum eligere posset, qui hoc onus sibi injunctum portare valeret. Cogitanti tamen, Gundulfi citius occurrit sanctitas, quæ jam certis experimentis satis ei fuerat approbata. Hunc igitur, habito cum sapientibus consilio, ad pontificatum elegit ; et ut ejus electioni rex assensum præberet, ipsum transmarinas ad partes ad regem direxit. Gaudio autem rex repletus non modico, quia occasionem Dei hominem exaltandi invenerat, de cujus sanctitate jam ad eum satis clara fama pervenerat, pontificis petitionibus justis libens assensum præbuit, et honore pontificali virum Dei dignissimum indicavit. Accepta igitur Lanfrancus auctoritate regia, præsules convocat, primores Rostensium mandat, regis et suam voluntatem omnibus pandit, omnibus assensum præbentibus et gaudentibus, fidelem domus Dei dispensatorem constituit. Non fuit obnitendi potestas, cum eum urgeret regis magni et præsulis tanti auctoritas. Vox se indignum clamantis opprimitur, cum quo se clamat indigniorem, eo dignior acclamatur. Ordinatur itaque vir vere dignissimus episcopatu Gundulfus, in Ecclesia Dorobernensi XII Kal. Aprilis anno ab Incarnatione Domini 1077, undecimo vero adventus Nortmannorum in Angliam, sub comite Guillelmo, rege postmodum Angliæ nobilissimo. Consecratus autem ex more propriam tendit invisere sedem, tripudiantibus turbis Roffensem ingreditur urbem, pontificali sedi intronizatus inducitur. Præsul omni veneratione ex eo habetur. Redduntur et ei denique possessiones quædam Roffensis Ecclesiæ, quas præsulantibus antecessoribus suis Lanfrancus in sua tenuerat ditione. Ea vero conditione redduntur, ut in Ecclesia Roffensi sicut jam præsul uterque deliberaverat, monachi ponantur. Audierant enim ibi quondam monachos fuisse, unde, ad antiqua studia redeuntes, monachorum inibi ordinem statuere sanxerunt. Tempore vero brevi elapso, ecclesia nova, veteri destructa, incipitur, officinarum ambitus convenienter disponitur, opus omne intra paucos dies, Lanfranco pecunias subministrante multas, perficitur. Igitur, perfectis omnibus, quidam ex quinque tantum clericis, qui ibi inventi sunt ad religionis habitum confluentes, associatis multis aliis, ad sexagenarium et amplius numerum in brevi sub doctrina Patris Gundulfi succrevere monachi. His Gundulfus vivendi speculum, his totius religionis factus est documentum. » Hactenus auctor ille anonymus. Hæc prolixius ideo descripsimus, quod semel tantum in notis ad Eadmeri Historiam novorum edidit Seldenus. Deinde cum ipsamet Historia iisdem notis adornata vix occurrat, faciantque prætexta non parum ad Magni Lanfranci vitæ illustrationem, haud lectorem pigere, si huic loco illa inseruero, judicavi.

(76) *In qua posuit abbatem Paulum.* Non est cur ex diversis scriptoribus qualis in vita fuerit Paulus morer inquirere, quandoquidem gesta ipsius late depinxit Matthæus Paris., S. Albani monachus : « Rex Willelmus, inquit ipse, de morte abbatis Frethérici certificatus cœnobium Sancti Albani vacans, in manu sua tenuit ; et exstirpatis silvis, et depauperatis hominibus, oppressit. Et nisi correptionibus Lanfranci refrenaretur, irrestaurabiliter totum cœnobium destruxisset. Efficaciter igitur procuravit ipse Lanfrancus ut Paulus ejus consanguineus, quem secum in Angliam duxerat, in abbatem præficeretur. Abbas iste natione Neuster, consanguinitate archiepiscopo Lanfranco propinquus, monachus fuit Cadomensis Ecclesiæ. Hic ecclesiam Beati Albani suscepit regendam ; procurante dicto episcopo Lanfranco, qui eumdem Paulum filiali dilexit amore : promotus in abbatem, anno gratiæ 1077, IV Kalend. Julii ; hic primus abbas hujus ecclesiæ fuit, postquam Anglia a Nortmannis fuit penitus subjugata. Iste hanc ecclesiam cæteraque ædificia, præter pistorium et pinsinochium (pistrinum), reædificavit ex lapidibus et tegulis veteris civitatis Verolamii, et materie lignea quam invenit a prædecessoribus suis collectam et reservatam. Ditaverat enim ipsum archiepiscopus Lanfrancus, et ipsum electum thesauro multiplici reddiderat abundantem. Iste quoque Paulus abbas, vir religiosus et eleganter litteratus, et in observantia ordinis regularis, rigidus et prudens ; totius monasticæ religionis normam (quam jam olim tam prælatorum quam subditorum remissioris vitæ illecebrosa voluptas eliminaverat) caute et paulatim, ne repentina mutatio tumultum generaret, reformavit. Et facta est ecclesia sancti Albani quasi schola religionis et disciplinaris observantiæ per totum regnum Angliæ. Attulerat namque secum consuetudines Lanfranci, et statuta monastica (a domino papa merito approbata) conscripta : unde odor bonæ famæ hujus Ecclesiæ Romanam curiam et remota regna illustrando pervolavit, et multorum tam prælatorum quam magnatum corda feliciter ei inclinavit. » Ita Matthæus in Vita Pauli abbatis, ad calcem historiæ, editionis ultimæ Londoniensis et Parisiensis an. 1644, inter Vitas viginti trium abbatum S. Albani, Vita 14.

(77) *Quando gloriosus*, etc. *Lanfrancus erat princeps.* Unde et Eadmerus, lib. I Hist., pag. 12, referens qua ratione et quibus mediis in regnum, defuncto patre, evectus fuerit Guillelmus Rufus, sic effatur : « Sine cujus (Lanfranci) assensu in regnum asciscì nullatenus poterat. » Et post pauca : « Cœpit tam per se quam per omnes quos poterat, fide sacramentoque Lanfranco promittere justitiam, æquitatem, et misericordiam se per totum regnum, si rex foret, in omni negotio servaturum, » etc. Et infra, pag. 14. « Erat Lanfrancus vir divinæ simul et humanæ legis peritissimus ; atque ad nutum illius, totius regni spectabat intuitus. » Ea de re Guillelmus Conquestor morti proximus, confecto testamento, « metuens (narrat fragmentum S. Stephani Cadomensis) ne in regno tam diffuso, repentina oriretur turbatio, epistolam de constituendo rege fecit Lanfranco archiepiscopo, suoque sigillo signatam tradidit Guillelmo Rufo filio suo, » etc.

(78) *Lectioni erat assiduus.* Perpauca S. Lanfrancus reliquit sui ingenii monumenta. Apud auctores isthæc duntaxat quivimus invenire.

Commentarium in Psalmos, hactenus tenebris obvolutum.

Commentarium in Epistolas D. Pauli, quem nunc primum evulgamus.

Libellum de sacramento corporis et sanguinis Christi contra Berengarium, multoties jampridem prelo suppositum.

Statuta, sive decreta pro ordine S. Benedicti, semel tantummodo typis mandata.

Pauculas in collationes aliquot Cassiani notas ; et illas edimus in lucem.

Epistolas decretales, quarum publici juris facimus complures.

Historiam ecclesiasticam, adhuc cum tineis uspiam rixantem.

Vitam Guillelmi Conquestoris, testibus Sixto Senensi et Gesnero, quæ illa utique a multis desideratur.

Quod ad scripta Magni Lanfranci spectat, inspiciendi Sixtus Senensis in Bibliotheca ; Gesnerus in epitome Bibliothecæ ; Balæi centur. 13, script. 12, apud Seldenum notis ad Eadmeri Historiam ; Edvardum Matthæum, Trophæorum tabula 3, ad ann. 1090, p. 209.

(79) *Secundum orthodoxam fidem studuit corrigere.* Hæc ad verbum Robertus de Monte refert in Chronico ms ann. 1089. Et Florilegus ad id anni : « Libros quos rudis simplicitas Anglicana corruperat, ab antiquo sane diligenter correxit (Lanfrancus) ; quorum corroboratione se gaudet Ecclesia communiri. »

Unicum, quod apud S. Martini Sagiensis e nostra A congregatione monasterium diligenter asservatur, hujusce assertionis superest argumentum; nimirum decem (in editis septemdecim) priores Cassiani collationes propria manu magni illius pontificis ad unguem emendatæ; cum hac notula marginali in fine decimæ collationis: *Hucusque ego Lanfrancus correxi.*

(80) *Merito illum Latinitas cum honore et amore veneratur magistrum.* Malmesbur. lib. III regum Anglorum in Guillelmo I, fol. 62. « In Cantia Lanfrancus (de quo supra dixi) qui talis Angliæ domo emicuit:

Qualis discutiens fugientia lucifer astra,
Cum roseo clarum provenit ore diem. »

Item lib. I pontif. Angl., fol. 122: « Vir (Lanfrancus) cujus industriam prædicabit Cantia, cujus doctrina in discipulis ejus stupebit Latinitas, quantum omnes anni durabunt. » Malmesburiensi inferiores B permultos auctores amando, ut pote idem resonantes.

(81) *Nullum tam largum de Italia Longobardum.* « Avaritiam familiare Longobardis vitium ex sua persona propulsans (Lanfrancus) et decutiens, » ait idem Malmesburiensis posteriori loco citato.

(82) *Pauperibus quoque ita erat dapsilis*, etc. Sanctissimi præsulis eleemosynas longe multis encomiis attollunt scriptores, D. Anselmus lib. I, epist. 12, potissimum 13. Consulit Gerardo cuidam debitis onerato ut in Angliam ad optimum Lanfrancum (quo miseram suam sublevet) sese transferat: « Quia, inquit, misericordissimus est idem reverendissimus archiepiscopus, et præcipue erga salutem animarum; et est valde deditus eleemosynis, » etc. Anselmi vero amanuensis, lib. I Hist., p. 8: « Quis unquam pauper clamavit ad eum, et despectus est? Quis peregrinorum de quoque ordine hominum petiit opem ejus, et eam assecutus non est? Quæ congre- C gatio monachorum, seu clericorum ad ipsum aliquando misit, subsidium petens, et copiam largitatis ejus ultra quam sperabatur experta non est? Testis horum quæ dicimus Italia, Gallia, Britannia est, quæ usque hodie mortem Lanfranci miserando suspirio plangit. » Quem in erogandis eleemosynis observaverit modum, graphice depingit more suo, ubi supra Guillelmus Malmesbur. hoc modo: « Erat non inconsideratus dator, nec deperibat ejus liberalitas, quam discretio et animi condiebat alacritas; luxque vultus ejus non cadebat in terram, sed erat accipienti gratissima, sicut sol mane novo exoriens, qui discussis nubilis tranquillat ventos et serenat aera. Expendebantur ergo pauperibus panes, calcei, et prorsus quæ ad victum pertinent et vestitum, denarii non dabantur, maturiori tractatu, consilio profundiori, quod hujus temporis vulgus suffarcinato etiam marsupio, sicco concoquat ore famem. Clericis egentibus et monasteriis immensum quantum D nummorum cumulat, plerumque verecundiores ad rogandum invitans. Nec pudebat archiepiscopum alte succinctum pauperibus cibos apponere, et tenuiores fortunæ scholares ad disputationum pugnam committere; post verba utrique abibant dum et victor scientiæ præmium, et victus acciperet verecundiæ solatium. »

(83) *Super caput ejus Evangelicum dictum*, etc. Id prognosticon percurrens monachus Malmesbur. loco superius passim repetito, scribit ita: « Quo ille accepto (prognostico) ab acclamantibus, hilari vultu ad Dominum direxit: Certemus ergo mutua vicissitudine, tu dando, ego dispertiendo. Respondit cœlestis pietas prædicabilis viri voto; affluebantque sibi tanta quæ quantumlibet ambitum possent explere et vincere. »

(84) *Consanguineis monachorum indigentibus*, etc. Haud vulgare B. Lanfranci erga suos Cantuarienses monachos amoris specimen refert Eadmerus, ubi supra, cujus verba paulo licet prolixiora quod elucidationi Vitæ S. viri addant multum, hoc loco producere delectat: « Quidam ipsius cœnobii (Cantuariensis) frater singulis annis triginta solidos denariorum ad opus matris suæ ab ipso Patre solebat accipere. Huic quadam vice solidi quinque de illis, ex præcepto ejus dati sunt; quos ipse, in panno ligatos, matri loquens, in manum, sicut putabat, clanculo dedit: At ipsa alias mente intenta, quid filius faceret non advertit; et ita numinis decidentibus, divisi ab invicem sunt mater et filius, » etc. Deinde subdit: « Inter hæc, pius Pater, pro more, claustrum introiens sedit, ac fratrem a materno colloquio redeuntem, mœstum intuens, remotis aliis causam mœstitiæ ejus secrete perquirit, audit, et benignissimo vultu, sicut jugiter erat circa afflictos, ita respondit: Et unde, fili mi charissime, contristaris? Denarios illos Deus alii prædestinavit et contulit, qui eis plus matre tua fortassis indiguit. Ac ne quod actum est animum tuum vel ad modicum gravet, solidos septem pro illis quinque ad utilitatem matris tuæ tibi hodie dari præcipiam. »

(85) *Cujus colloquium et consilium multum amabat.* Quanti penderet magistrum suum Lanfrancum D. Anselmus, epistolis illi inscriptis demonstrat satis, præcipue lib I, epist. 63. Necnon et Vitæ suæ lib. I, non semel, post initium maxime, ubi inter alia tradit hæc Edinerus: « Tanta vis devotionis pectus Anselmi tunc possidebat, tantumque veri consilii Lanfranco inesse credebat ut, cum Rothomagum petentes, per magnam quæ super Beccum est, silvam pergerent, si Lanfrancus ei diceret: In hac silva mane, et ne, dum vixeris, hinc exeas cave, procul dubio, ut fatebatur, imperata servaret. »

(86) *Cumque simul loquerentur.* Colloquium hoc Eadmerus, lib. I Vitæ B. Anselmi, sub finem verbosius inseruit.

(87) *Quemdam Elfegum hujus sedis archipræsulem*, etc. Cujus Vitam memoriæ commendavit (prostat Osbertus sive Osbernus S. Lanfranci jussu memoriæ commendavit (prostat apud Surium, to. II, die 19 Aprilis), ut auctor est idem Edinerus loco citato: « Historiam vitæ, inquit, ac passionis ejus (B. Elfegi) diligenti studio fieri præcepit. Quam quidem historiam, non solum plano dictamine ad legendum, verum etiam musico modulamine ad canendum a jucundæ memoriæ Osberno Cantuariensis Ecclesiæ monacho, ad præceptum illius nobiliter editam, ipse sua prudentia, pro amore illius martyris, celsius insignivit, insignitam auctorizavit, auctorizatam in Ecclesia Dei legi, cantarique instituit. » Agunt de S. Elfego Malmesburiensis de gest. pontif. Anglo., lib. II, fol. 139, et lib. II De regibus Angl, cap. 11; Baronius in Annal., to. II. ad ann. 1066 et seq.

(88) *Decidit in ægritudinem.* Cujus generis morbo fuerit afflictatus priusquam efflaret animam, expressius significat sæpe fatus Guillelmus Malmesbur. lib. I, De pontif. Angliæ., fol. 122, loquens de calamitatibus et vexationibus, quibus, regnum obtinente Guillelmo secundo, populus opprimebatur: « His pertæsus (Lanfrancus) non moras longas in luce traxit; sed post annos 19 episcopatus febrim nactus, cum medici consulti necessariam potionem respondissent, prius se confessione et viatico munivit. Hinc poculo sumpto, sed in contrarium verso efflavit, qualem semper optaverat exitum sortitus. Hoc enim domesticis confitebatur, se Dominum deprecari ut vel dysenteria vel febri urgente moreretur; quod hæ valetudines nec memoriam turbent, nec loquelam implicent. » Et vero lethali morbo laboranti beato illi viro scribit sui et conventus Beccensis nomine S. Anselmus in hunc modum lib. II, epist. 53: « De ægritudine paternæ vestræ sanctitatis graviter dolentes, pro salute vestra Deum orare non cessamus; quoniam ægritudinem vestram, tribulationem nostram, et salutem vestram, incolumitatem nostram esse putamus: nec solum nobis, sed et matri Eccle-

siæ, quantum nomen vestrum extendi postest, vitam vestram necessariam esse intelligimus, etc.

(89) *Kalendas Junii.* Vel Nono Kalendas ejusdem mensis, ut est auctor Florentius Vigorn. scriptor coævus ad an. 1089. « Dorobernensis archiepiscopus Lanfrancus Nono Kal. Junii, feria quinta obiit eodem anno : et tertio Idus Augusti, Sabbato circum horam diei tertiam, terræ motus permaximus exstitit per Angliam. » Et de terræ motu quidem Florentio astipulatur Henricus Huntindonensis Histor. lib. VII : « Lanfrancus archiepiscopus, ait, doctor luculentus clericorum, et pater dulcissimus monachorum, a rebus transitoriis anno sequente (1089) transiit : quo in anno terræ motus fuit terribilis. » Hovedenus ab his haud dissentit part. priore Annal. in Willelmo Juniore : penes quem eadem verba pro suo more (quod semel jam adnotavimus) atque in Florentio legere est. Robertus de Monte terræ motus causam ostendit in Chronico ms. ad id anni : « Hoc anno terræ motus factus terribilis, protendens mala forsitan quæ propter hominum iniquorum peccata jam nostris temporibus vidimus impleta. » Sed maxime e vivis sublato B. Lanfranco, ubi habenas omnigenis sceleribus laxasset Guillelmus Rufus rex, tum quidquid nequissimum est, per Angliam universam grassari cœpit. De his inferius ad epistolam 2, lit. p.

Liquet S. Lanfrancum tum ex præfatis, tum etiam ex gestis ipsius, atque aliis scriptoribus, infulas Cantuarienses annis 19 detulisse ; anno ab Incarnatione Domini 1089, regni vero Guillelmi II Rufi secundo extremum clausisse diem ; hinc fit ut illum ipsum ad summam senectutem pervenisse mihi facile suadeam, iis potissimum rationibus inductus, nimirum : cum Becci monachum induisset, provecta erat ætate, hoc est quadraginta quinque plus minus annorum, quemadmodum ipse liquido innuere videtur precibus illis quas nocte (a latronibus arbori ejus manibus alligatis) ad Deum effudit in hæc verba : « Domine Deus, tantum tempus in discendo expendi, et corpus et animam in studiis litterarum attrivi, » etc. Etenim Papiæ jampridem, antequam peragrasset ex parte Galliam, velut scientiis omnibus, legum præsertim peritia, polleret, a doctissimis undecunque viris consulebatur (quod superius fuit ostensum). Deinde pluribus annis Abrincæ in Nortmannia docuisse vero simile est. Denique id gravitatis atque ætatis fuisse, quod virum decet, quem a consiliis elegerat Guillelmus tum Nortmanniæ dux, par est credere. Addas ergo 45 annis 47, qui ab anno 1042 quo religionis collobium assumpsit ad obitus annum 1089 effluxere, reperies haud dubie 92. Verum de his plus satis. Epitaphium magni Lanfranci a Philippo Bonæ Spei abbate (ut colophonem hisce annotationibus addam) haud quaquam extra rem subnectendum puto.

Epitaphium magistri Lanfranci.

Vixisti, venerande Pater, sapienter et æque :
Vixisti vivens, mors quoque vita tibi.
Inter divitias pauper, Lanfrance, fuisti ;
Divitiis manans, pauperum amator eras
Per te florentes artes valuere Latinæ ;
Gratia de vobis ecce triumphat ovans.

DE BEATI LANFRANCI SANCTITATE QUORUMDAM AUCTORUM TESTIMONIA.

Quanquam in Vita B. Lanfranci, et notis ad illam, ejus sanctitas satis superque innotuerit, quo tamen nonnullis forte dubitaturis scrupulos omnes maturius expedirem, mihi visum est non ab re futurum, si, quæ a coætaneis, supparibus, recentioribusve scriptoribus, nec non et Martyrologiis auctoritates suppeditarentur, hic per modum sigilli apponerem.

ALEXANDER PAPA II, *in privilegio abbatiæ S. Stephani Cadomensis concesso supra col. 71.*

Unde quia, charissime fili Lanfrance abbas, in tantam te excrevisse religionem cognoscimus, ut non solum de propria salute studiosus existeres, verumetiam communem vitam eligentibus monasterium construeres, ac formam religionis provideres, etc.

GUILLELMUS PICTAVENSIS, *De gestis Guillelmi ducis pag. 198.*

Illi (Lanfranco) consulta animæ suæ, illi speculam quamdam, unde ordinibus ecclesiasticis per omnem Nortmanniam consuleret, commisit (Guillelmus). Potuit nempe viri talis vigilans cura, cum maximam auctoritatem sapientiæ pariter ac sanctitatis prærogativa comparavit, securitatem non parvam sollicitudini promittere.

EDINERUS, *libro* I *Vitæ S. Anselmi, post initium.*

Nortmanniam adit (Anselmus), ibi quemdam Lanfrancum virum videlicet valde bonum, præstanti religione ac sapientia vere nobilem videre, alloqui et cohabitare volens. Excellentissima quidem fama illius circumquaque percrebuerat, et nobilissimos quosque clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat, etc.

OSBERNUS *Beccensis monachus, scribens B. Anselmo ut suam inaugurationem acceleret, lib.* III, *epist.* 5, *ejusdem Anselmi.*

Recuperemus in te, quod in mortuo sanctissimo Patre Lanfranco nos cum toto mundo perdidimus ; quem mortuum semper dolebimus, quoadusque illum in te viderimus.

GUILLELMUS *Malmesburiensis, lib.* III, *De gest. regum Anglo. in Guilielmo primo, sub medium.*

Monasteria, unum in Anglia, alterum in Nortmannia construxit. Primum Cadomi, ubi et Lanfrancum abbatem, post etiam Cantuariæ archiepiscopum instituit, virum antiquis scientia, et religione comparandum, de quo serio dici potest : *Tertius e cœlo cecidit Cato :* adeo cœlestis sapor pectus ejus, et palatum infecerat, etc.

URDERICUS VITALIS, *Historiæ ecclesiasticæ, lib.* IV.

Anno Dominicæ Incarnationis 1070, Lanfrancus Cadomensium primus abbas divinitus Anglis institutor datus est, et honestissima electione, ac fidelissima consecratione Cantuariensis Ecclesiæ archipræsul IV Kal. Septembris inthronizatus est, etc. Præsentes et absentes totius Albionis incolæ tri-

pudiarent, atque multum læti Deo gratias agerent, si quantum boni cœlitus sibi tunc impartiretur, agnoscerent.

PETRUS DE NATALIBUS, *in catalogo sanctorum, lib.* VI, *cap.* 47.

Lanfrancus, relicto sæculo et sæcularibus studiis, in prædicto monasterio habitum monachalem assumpsit, et humilem ac despectam vitam ducere cœpit: et cum esset omnium doctor, sapientiam suam humiliter occultabat, etc, Quievit in Christo quinto Nonas Julii.

JOANNES TRITHEMIUS *abbas, De viris illustribus ordinis S. Benedicti, lib.* III, *cap.* 325.

Lanfrancus, ex abbate Cadomensis monasterii archiepiscopus Cantuariensis, vir doctissimus et valde religiosus; non sine magnæ sanctitatis opinione habitus est, sicut in ejus gestis scriptis invenitur. Claruit anno Domini 1060.

CÆSAR BARONIUS *cardinalis, Annal. ecclesiast. tom.* II, *ad an.* 1070.

Hæc de ordinatione Lanfranci celebris hujus sæ- A culi in Ecclesia catholica luminis supra tantum candelabrum erecti, ut qui scientia egregie polleret, et sanctitate vitæ.

ARNOLDUS WION, *Ligni vitæ lib.* III *in Martyrologio.*

Quinto Nonas Julii, Cantuariæ in Anglia, sancti Lanfranci archiepiscopi, summæ doctrinæ et miraculorum gloria clarissimi.

APPENDIX AD MARTYROLOGIUM ROMANUM, *sive catalogus generalis sanctorum, Urbano VIII dicatus, auctore Philippo Ferrario.*

Quinto Nonas Julii, Cantuariæ in Anglia, sancti Lanfranci episcopi. *Et infra in notis* Ex Martyrologio monast. Maurol. et Felic. Is ex abbate Cadomensi in Normandia ob vitæ sanctitatem, et doctrinam factus est episcopus XXXIII Cantuariensis. Migravit e vita an. 1089.

B MARTYROLOGIUM SANCTORUM ORD. D. BENEDICTI, *ab Hugone Menardo digestum.*

Quinto Nonas Julii, Cantuariæ in Anglia, beati Lanfranci episcopi, summæ doctrinæ et sanctitatis viri.

DIES OBITUALIS LANFRANCI.

(*Anglia sacra*, pars I, pag. 55.)

V. Kal. Junii obiit felicis memoriæ Lanfrancus archiepiscopus, catholicæ fidei fidelissimus observator et firmissimus roborator. Qui, cooperante gratia Dei, istam ecclesiam a fundamentis fundavit et consummavit, et multis ac honestis ornamentis, aliis ex auro mundissimo factis, allis auro gemmisque paratis, aliis etsi sine auro ac gemmis, magnifice tamen laudandis, ornavit; multis ac religiosis monachorum personis ditavit, multa multumque reverenda religione decoravit. Hic etiam claustra, cellaria, refectoria, dormitoria cæterasque omnes officinas necessarias, et omnia ædificia infra ambitum curiæ consistentia cum ipso ambitu mirabiliter miranda ædificavit. Pretioso insuper ornamento librorum istam Ecclesiam apprime honestavit [ex] quibus (49) quamplurimos per semetipsum emendavit. Archiepiscopum quoque Eboracensem cæterosque hujus regni episcopos a subjectione hujus Ecclesiæ resi- C lientes ad veram et debitam subjectionem revocavit. Per hoc [*l.* hunc.] etiam et ipso faciente omnes illas terras, quæ in anniversaria die regis Willelmi commemorantur, longo tempore amissas Ecclesia ista recuperavit. Extra civitatem larga habitacula fecit, quæ pauperibus et infirmis replevit; quibus de propriis rebus victum et vestitum largiri præcepit. Similiter foris civitatem ecclesiam B. Gregorii composuit, in qua clericos posuit, a quibus morientes et unde sepulturam sibi possent præparare non habentes, et absque pretio susciperentur, suscepti illuc differentur, delati honeste sepelirentur. In maneriis ad archiepiscopum pertimentibus multas et honestas ecclesias ædificavit; multas et honestissimas domos

(49) Grave crimen Lanfranco nuper intentavit vir doctus Edwardus Brown in præfatione sua ad nuperam *Fasciculi Rerum Expetend.* editionem, p. 33, quasi vero S. Scripturæ et SS. Patrum scripta ab illo vitiata fuerint; argumento criminis desumpto a nota brevi RR. Matthæi Parkeri ad marginem textus Roffensis. *Lanfrancus... quia scripturæ scriptorum vitio erant nimium corruptæ, omnes tam V. quam N. Testamenti libros, nec non etiam scripta SS. Patrum secundum orthodoxam fidem studuit corrigere.* Hinc a Lanfranco *vitiata, adulterata, abrasa*, priscorum scriptorum monumenta præfator suspicatur, et in illum gravissimam censuram strinxit, ea RR. Parkerum *ex probo aliquo et authentico testimonio procul dubio* hausisse contestatus Id quidem libenter concederem: neque enim eruditissimus iste Primas aliquid unquam temere vel otiose adnotavit; nec tamen ejusmodi crimen Lanfranco impingere in animo habuit. Non aliud ille adnotavit quam quod in vulgatissimis historicorum nostræ gentis monumentis hodie omnibus legendum prostat. Sic enim Matthæus D Pater (ad annum 1089, Hist., p. 15): *Lanfrancus lectioni assidue vacavit. Libros Veteris ac Novi testamenti scriptorum vitio corruptos corrigere studuit; cujus emendationis luce tam Anglorum Ecclesia quam Gallorum se gaudet illustrari.* His adde quæ habent Matthæus Westmonasteriensis et optimæ notæ Chronicon ms. in Bibliotheca Lambethana (ad an. 1089): *Lanfrancus archiepiscopus libros, quos rudis simplicitas Anglicana corruperat ab antiquo, diligenter sane correxit; quorum corroboratione*, (*correctione* legit codex ms. Florilegi) *se gaudet Ecclesia communiri.* Laudabile sane studium, et si quis cæcam Latinæ linguæ in clero Anglicano ante Nortmannico ignorantiam perspexerit, cum primis necessarium. Quod tamen libros solummodo ecclesiasticos, sc. Missalia, Lectionaria et ejusmodi alia spectasse arbitror. Atque his dictis viro amico et erudito minime detractum velim, cui ob præclaram operis utilissimi editionem respublica litterata multum debet.

præparavit; quod et archiepiscopis essent delectationi et honori, et pauperibus hominibus,qui archiepiscopis domos sæpissime præparabant, essent [in] tanti laboris sublevationem. Ecclesiam etiam Roffensem a fundamentis incœpit, incœptam honeste perfecit, quam multis et honestis decoravit ornamentis. Insuper et reverendam inibi monachorum religionem instituit. Terras de Ecclesia longo tempore ablatas acquisivit; quas monachis ad victum et vestitum habere permisit. Nec non ecclesiam S. Albani fundavit et fere consummavit; quam etiam multis et pretiosis ornamentis ampliavit.

Semper legatur obitus Lanfranci in ordine suo, licet in hebdomada Pentecostes contigerit. Pronuntiato Anniversario domini Lanfranci archiepiscopi in capitulo, omnes simul fratres procedant in eccle- A siam canentes verba mea, interim sonantibus omnibus signis. Post cœnam pulsato signo ad vigilias, omnes solito more conveniant; ipsas vigilias festive peragant; duo tertium, tres sextum, quatuor nonum responsorium canant. In crastino quisque sacerdos missam unam pro eo celebrare debet; et qui missam non cantant quinquaginta psalmos cantet [*l.* cantent.] Missa in conventu in albis festive celebretur; ad quam cantor et cum eo duo alii fratres sint, cappis induti: tres ad responsorium, quatuor ad tractum, similiter in cappis. Ad pauperes pascendos ipso die thesaurarii debent dare quadraginta solidos. Servitium refectorii festive fieri debet, sicut in festivitate unius apostoli. Ecclesia parata permaneat, sicut in festivitate S. Augustini, donec peragatur servitium.

BEATI LANFRANCI

PRIORIS BECCENSIS, DEIN PRIMI ABBATIS S. STEPHANI CADOMENSIS,

AC TANDEM

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

IN OMNES PAULI EPISTOLAS COMMENTARII CUM GLOSSULA INTERJECTA.

Prodeunt nunc primum in lucem ex codice manu antiqua exarato monasterii Sancti Melanii Redonensis congregationis Sancti Mauri.

INCIPIT (50) PRÆFATIO

IN OMNES EPISTOLAS SANCTI PAULI.

Primum quæritur quare post Evangelia, quæ B supplementum legis sunt, et in quibus nobis exempla et præcepta vivendi plenissime digesta sunt, voluerit Apostolus has Epistolas ad singulas Ecclesias destinare? Hac autem causa factum videtur, ut scilicet initia nascentis Ecclesiæ novis causis existentibus præveniret, et ut præsentia atque orientia resecaret vitia: et post futuras excluderet quæstiones, exemplo prophetarum, qui, post editam legem Moysi, in qua omnia Dei mandata legebantur, nihilominus tamen doctrina sua rediviva semper populi compressere peccata, et propter exemplum vivendi libros ad nostram etiam memoriam transmiserunt. Deinde quæritur cur non amplius quam decem Epistolas ad Ecclesias scripserit: decem sunt enim cum ea quæ dicitur ad Hebræos; nam reliquæ C quatuor ad discipulos specialiter sunt porrectæ. Ut ostenderet Novum non discrepare a Veteri Testamento, et se contra legem non facere Moysi, ad numerum primorum Decalogi mandatorum suas Epistolas destinavit [ordinavit], et quot ille præceptis a Pharaone instituit liberatos, totidem hic Epistolis a diaboli et idololatriæ servitute edocet acquisitos. Nam et duas tabulas lapideas, duorum Testamentorum figuram habuisse viri eruditissimi tradiderunt. Epistolam sane quæ ad Hebræos scribitur, quidam Pauli non esse contendunt, eo quod non sit ejus nomine titulata, et propter sermonis styli que distantiam, sed aut Barnabæ juxta Tertullianum, aut Lucæ juxta quosdam, vel certe Clementis discipuli apostolorum et episcopi Romanæ Ecclesiæ post apostolos ordinati (Tertul. lib. *De pudicitia*, cap. 20. Euseb. lib. IV Hist. c. 8, Epistola ad Hebræos quin Pauli sit). Quibus respondendum est: Si propterea Pauli non erit quia ejus non habet nomen, ergo nec alicujus erit, quia nullius

(50) Hæc et sequens Præfatio in codice ms. adscribuntur D. Hieronymo.

nomine titulatur. Quod si inconveniens absurdumque est, ipsius magis esse credenda est, quæ tanto doctrinæ suæ fulget eloquio. Sed quoniam apud Hebræorum Ecclesias quasi destructor legis falsa suspicione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis et veritate Christi reddere rationem, ne odium nominis in fronte prætitulati utilitatem excluderet lectionis. Non est sane mirum si eloquentior videatur in proprio, id est, Hebræo, quam in peregrino, id est, in Græco, quo cæteræ Epistolæ sunt scriptæ, sermone. Movet etiam quosdam, quare Romanorum Epistola in primo sit posita, cum eam non primo scriptam ratio manifestet. Nam hanc se proficiscentem Hierosolymam scripsisse testatur, cum Corinthios et alios jam ante, ut ministerium quod secum portaturus erat, colligerent, litteris adhortatus sit. Unde et intelligi quidam volunt ita omnes epistolas ordinatas, ut prima poneretur, quamvis posterior fuerit destinata, ut per singulas epistolas gradibus ad perfectiora veniretur. Romanorum namque plerique tam rudes erant, ut 4 non intelligerent Dei se gratia et non suis meritis esse salvatos, et ob hoc duo inter se populi conflictarent. Idcirco illos indigere asserit corrigi, vitia gentilitatis priora commemorans. Corinthiis autem jam dicit scientiæ gratiam esse concessam, et non tam omnes increpat, quam cur peccantes non increpaverint reprehendit, sicut ait : *Auditur inter vos fornicatio* (*I Cor.* v, 2). Et iterum : *Congregatis vobis* A *cum meo spiritu tradere hujusmodi Satanæ* (*ibidem*). In secunda vero laudantur, et ut magis ac magis proficiant commonentur. Galatæ vero jam nullius criminis arguuntur, nisi hujus tantum quod callidissimis pseudoapostolis crediderunt. Ephesii sane nulla reprehensione, sed multa laude sunt digni, quia fidem apostolicam servaverunt. Philippenses etiam multo magis collaudantur, qui nec audire quidem falsos apostolos voluerunt. Thessalonicenses nihilominus in duabus epistolis omni laude prosequitur, eo quod non solum fidem inconcussam servaverint veritatis, sed etiam in persecutione civium fuerint constantes inventi (*II Thes.* II, c.). Colossenses autem tales erant, ut cum ab Apostolo visi corporaliter non fuissent, hac laude digni haberentur : B *Etsi corpore*, inquit, *absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum* (*Col.* II, a.). De Hebræis vero quid dicendum est ? quorum Thessalonicenses qui plurimum laudati sunt, imitatores facti esse dicuntur. Sicut ipse ait : *Et vos fratres imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa. Eadem enim passi estis et vos a contribulibus vestris, quæ et illi a Judæis* (*I Thes.* II, c.). Apud ipsos quoque Hebræos eadem commemorat dicens : *Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam* (*Heb.* x, 34).

INCIPIT PROLOGUS SPECIALIS IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

ROMANI sunt qui ex Judæis et Gentibus crediderunt. Hi superba contentione volebant se alterutrum superponere. Nam Judæi dicebant : Nos sumus populus Dei, quos ab initio dilexit et fovit. Nos circumcisi ex genere Abraham, sancta descendimus ex stirpe, et notus retro apud Judæam tantum Deus (*Psal.* LXXV, 2). Nos de Ægypto signis Dei et virtutibus liberati, mare sicco pertransivimus pede, cum inimicos nostros gravissimi fluctus involverent (*Exod.* XIV, 22). Nobis pluit manna Dominus in deserto, et quasi filiis suis cœleste pabulum ministravit. Nos die noctuque in columna nubis ignisque præcessit, ut nobis in invio iter ostenderet (*Exod.* XIII). Atque ut cætera ejus circa nos immensa beneficia taceamus, nos soli digni fuimus Dei legem accipere, vocem Dei loquentis audire (*Rom.* III), ejusque cognoscere voluntatem. In qua lege nobis promissus est Christus, ad quos etiam ipse se venisse testatus est, dicens : *Non veni nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV) ; cum vos canes potius quam homines appellaverit. Æquumne ergo est ut, idola hodie deserentes, quibus ab initio deservistis, nobis comparemini : et non potius proselytorum locum ex legis auctoritate et consuetudine C deputemini ? Et hoc ipsum non merebamini : nisi quia larga semper Dei clementia voluit vos ad nostram imitationem admittere.

Gentes etiam e contrario respondebant : Quanto majora erga vos Dei beneficia narraveritis, tanto majoris vos criminis reos esse monstrabitis. Semper enim his omnibus extitistis ingrati. Nam ipsis pedibus, quibus aridum mare transistis, ludebatis ante idola quæ fecistis : et in ipso ore quo paulo ante ob necem adversariorum Domino cantaveratis, simulacra vobis fieri poposcitis : illis oculis, quibus venerando Deum in nube vel igne conspicere solebatis (*Exod.* XXXII), simulacra intuebamini. Manna quoque vobis fastidio fuit (*Ibid.*), et semper in deserto contra Dominum murmurastis, ad D Ægyptum, unde vos manu valida ejecerat, redire cupientes. Quid plura ? Ita patres vestri crebra provocatione Dominum irritaverunt, ut omnes in eremo morerentur, nec plus ex senioribus eorum quam duo homines terram repromissionis intrarent (*Num.* XIV). Sed quid antiqua replicamus, cum etiam si illa minime fecissetis, de hoc solo nemo vos dignos venia judicaret, quod Dominum Christum, prophetarum semper vobis vocibus repromissum,

A non solum suscipere noluistis, sed etiam morte pessima peremistis? Quem nos ut cognovimus, statim credidimus, cum nobis de eo antea non fuerit prædicatum. Unde probatur quod [si] idolis servivimus non obstinationi mentis, sed ignorantiæ deputandum. Qui enim cognitum illico sequimur, olim utique sequeremur, si antea cognovissemus. Sic autem vos de generis nobilitate jactatis, quasi non morum imitatio magis quam carnalis nativitas filios vos faciat esse sanctorum. Denique Esau et Ismael cum de stirpe sint Abrahæ, minime tamen in filiis reputantur.

His taliter altercantibus, Apostolus se medium interponens, ita partium dirimit quæstiones, ut neutrum eorum sua justitia salutem meruisse confirmet, ambos vero populos et scienter et graviter deliquisse. Judæos quidem, quod per prævaricationem legis Deum inhonoraverint: Gentes vero, quod cum cognitum de creatura creatorem ut Deum debuerant venerari, gloriam ejus in manufacta mutaverint simulacra. Utrosque etiam similiter veniam consecutos, æquales esse verissima ratione demonstrat, et præsertim cum in eadem lege prædictum sit et Judæos et gentes ad Christi fidem vocandos esse ostendat. Quamobrem vicissim eos humilians, ad pacem et concordiam cohortatur.

---

6 B. *LANFRANCI in Epistolas D. Pauli Commentariorum meminit S.* Anselmus *lib* I, *epist.* 57 *in fine, scribens eidem Lanfranco.*

Epistolas B. Pauli vestro mandato libenter parentes vobis mittimus: sed quoniam quod in eodem codice de vestro opere est, alibi non habemus, satis scire potestis quid vos aliquando factum ire desideremus.

Petrus Lombardus in epistolam *ad Hebræos, cap.* VIII, *citat B. Lanfrancum.*

Ad hæc verba (*si ergo esset super terram, nec esset sacerdos*, etc.). Quasi dicat: Et quia omnis sacerdos offert; ergo si esset aliquis super terram, id est si esset aliquis terrenus sacerdos, qui posset mundare genus humanum, nec esset aliquis sacerdos secundum ordinem Melchisedech; cum satis essent qui offerrent munus secundum legem, id est, qui offerrent legalia. Sed quia illi mortales erant, et peccatores, et ideo mundare humanum genus non valentes, venit Christus qui sufficeret. Vel ita; *Si ergo*, etc. Quasi dicat: Et quia Christus constituitur ad offerendum: ergo vel est terrenus, vel cœlestis sacerdos; sed terrenus non, quia si esset super terram, id est: si terrenus esset pontifex, ut Aaron, nec esset utique sacerdos in æternum se-

B cundum ordinem Melchisedech; nec necesse foret. *Cum esset*, etc. Sed Christus est Sacerdos in æternum, non Aaron: Aaron enim, quia mortuus est, non est sacerdos: Christus vero, qui vivit, sempiternus est sacerdos, non talis quales sunt umbratile sacerdotium gerentes. Vel ita: *Si ergo*, etc. Ratio hic ostenditur cur Christus se obtulerit: Quasi dicat: Necesse est Christum aliquid offerre; ergo seipsum, et vere necesse est ut offerat: quia etsi esset super terram, quod pro peccato totius mundi digne posset offerri, non esset tamen sacerdos offerre dignus.

Item eodem capite paulo post:

Ad hæc, *cum essent qui offerrent munera secundum legem.* Restat ergo ut ipse se offerat, et sic in-
C troeat in interiora cœli. *Qui*, etc., essent qui offerrent munera, dico, quid tales deserviunt, id est, plene serviunt, exemplari id est figuræ. *Et*, pro id est, umbræ cœlestium mysteriorum. Cœlestia dicit Ecclesiam, cujus pars in cœlis regnans, pars secutura peregrinatur in terris. Exemplar autem, et umbras dicit figuras, quæ exemplar sunt, et exemplum respectu diversarum rerum.

---

7 EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS,

GLOSSULA INTERJECTA B. LANFRANCI EXPLANATA.

CAPUT PRIMUM.

1 Paulus servus Jesu Christi. 2. vocatus apostolus. 3. segregatus in Evangelium Dei (*commendat Evan-*

COMMENTARIUS.

Lanfrancus. Epistola hæc ponitur prima, propter honorem civitatis, in qua primatum totius Ecclesiæ voluit esse Deus.

CAP. I.—1. Augustinus (*ex sermone De conversione S. Pauli*, cap. 4, tom. X). *Paulus servus Christi Jesu.* Erat Saul rex pessimus, persecutor sancti servi Dei David, et ipse, si meministis, de tribu Benjamin. Inde iste Saulus ducto secum tramite sæviendi, sed in sævitia non permansurus. Postea si Saulus a Saule, Paulus unde? Saulus a rege sævo. Cum superbus, cum sæviens, cum cædes anhelans. Paulus autem unde? Paulus, quia modicus, Paulus

D humilitatis nomen est. Paulus postquam adductus est ad Magistrum, qui ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Cum Paulus proconsul per ejus militiam debellata superbia, sub leni jugo Christi missus esset, regis magni provincialis effectus, ipse quoque ex priore Saulo Paulus vocari amavit ob tam magnum insigne victoriæ.

2. Lanfrancus. *Vocatus.* Vel ab hominibus, vel a Deo.

3. *Segregatus.* A cæteris apostolis, sicut in Actis apostolorum dicit Spiritus sanctus: *Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi*

gelium quasi repentinum) quod promiserat per prophetas suos, in Scripturis sanctis *prolatis* de Filio suo, qui factus ei *ad honorem suum* ex semine David *in eo quod* secundum carnem, 4, 5. qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, 6. secundum Spiritum sanctificationis *sanctificantem*, *probatus*, 7. ex resurrectione mortuorum *morientium* Jesu Christi Domini nostri, (*commendato datore officii, commendat officium*) per quem accepimus gratiam *remissione peccatorum*, et apostolatum ad obediendum *ut obediatur* fidei, in omnibus gentibus *ex omni genere gentium* pro nomine ejus, *non merito, vel ad laudem nominis ejus*, in quibus estis et vos vocati, *ut sitis* Jesu Christi; omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, 8. vocatis sanctis 9. Gratia *remissio peccatorum* vobis, et, 10, 11. pax a Deo, *reconciliatio apud Deum*, Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Primum quidem gratias ago Deo meo 12. per Jesum Christum pro omnibus vobis quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, *non tantum ore*, in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quomodo tandem aliquando (*ad effectum*) prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. *Causa veniendi.* Desidero enim videre vos, (*remotio suspicionis lucri*) ut aliquid 13. impertiar vobis gratiæ spiritualis, *prædicationis vel miraculorum* 14, ad confirmandos vos. *Jam enim crediderant*, id est, *desidero* simul consolari in vobis per eam quæ invicem est, 15. fidem vestram atque meam, *per doctrinam fidei, quam communem habemus.* Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos (et 16. prohibitus sum *a Satana, vel insidiatoribus* usque adhuc) ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in cæteris gentibus. Græcis, ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum *prædicationis*, ita (quod in me) promptum est et in vobis, (*scilicet debitor sum*) qui Romæ estis evangelizare. Non enim erubesco Evangelium *Causa cur non erubescat ipsum Evangelium.* 17. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, 18. Judæo primum, 8, 9 *quia primum credidit*, et Græco, 19, 20. Justitia *Evangelium* enim Dei in eo *credente* revelatur *revelans* ex fide in fidem, *in salutem ut vivat*, sicut scriptum est:

COMMENTARIUS.

eos. Et propheta Jeremias dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda novum testamentum.* Joel quoque: *Exsultate, filiæ Sion, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ.* A

4. *Prædestinatus.* Cæteri homines prædestinati sunt ut filii Dei essent per gratiam. Hic autem Christus ut Filius Dei esset, in virtute divinitatis Dei qua assumptus est: quæ virtus Filius Dei est, id est Verbum Patris.

5. AUGUSTINUS (*De præd. sanctorum*, c. 15, t. VII). *Qui prædestinatus est.* Prædestinatus est Christus, ut qui futurus erat secundum carnem Filius David, esset tunc (*al.*, tamen.) Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu sancto et virgine Maria.

6. LANFRANCUS. *Secundum spiritum sanctificationis*, secundum quod placuit Spiritui omnia sanctificanti.

7. *Ex resurrectione.* Per hoc evidentissime probatum est, Christum Jesum verum Deum, et vere Dei Filium esse, quia multa corpora surrexerunt in ejus resurrectione. Nisi enim verus Deus esset, tam magnum et inauditum miraculum facere non posset.

8. *Vocatis.* Id est, ad hoc vocati, ut sitis sancti. Et sic in cæteris hujusmodi accipiendum est.

9. *Gratia*, remissio peccatorum.

10. *Et pax*, qua reconciliamur Creatori, vel observantia bonorum operum, per quam pax est inter Deum et hominem.

11. AUGUSTINUS (*lib.* I *Retract.*, c. 24). *Gratia vobis et pax.* Gratia Dei est, qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo; pax autem Dei est, qua reconciliamur Deo. Tamen sciamus utramque ad generalem Dei gratiam pertinere.

12. *Per Jesum Christum.* Per ipsum enim sunt gratæ Deo oblationes operum nostrorum.

13. *Impertiar gratiæ.* Hæc est gratia spiritalis quam cupiebat ille impertire, ut eamdem fidem, quam Apostolus habebat in Christo, et ipsi haberent quam nondum perfecte crediderant.

14. *Ad confirmandos.* Jam enim ab aliis apostolis doctrinam Evangelii ex parte audierant.

15. *Fidem vestram atque meam*, id est per doctrinam fidei quam communiter habemus.

16. LANFRANCUS. *Et prohibitus sum.* Quasi aliquis diceret: Si Deum rogas ut venias; si incessanter venire desideras, cur non venis? *Prohibitus sum*, inquit, *usque adhuc.*

17. *Virtus enim.* Causa cur non erubescit Evan-
B gelium, videlicet, quia virtus Dei est omni credenti Evangelio; per quam et peccata remittuntur, et cum res exigit, miracula fiunt.

18. *Judæo.* Per Judæum et Græcum omnes gentes intelligere, a parte totum voluit.

19. AUGUSTINUS (*Quæst. evang. lib.* II, *quæst.* 39.) *Justitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem*, ex fide verborum in fidem rerum, ex fide in qua ministratur Deo in illam ubi fruatur Deo, (*lib. de spirit. et lit.*, cap. 11, tom. III), ex fide administrantium [*al.*, annuntiantium] in fidem obedientium.

20. LANFR. *Justitia.* Alia causa cur non erubescat, quia in eo revelatur qualiter Deus justos faciat credentes ex fide Veteris Testamenti, qua unus Deus
C credebatur, proficiente in fidem Novi Testamenti, qua Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus et trinus Deus creditur, ut ex fide annuntiantis proficiente in fidem credentis, vel ex fide verborum in fidem rerum.

21. Justus autem ex fide vivit. 22. Revelatur enim ira Dei de cœlo, (*justitia revelatur in credente; nam ira in non credente*) super omnem impietatem et injustitiam hominum (*emphasis*) eorum, qui veritatem Dei, *quod vere dicitur de Deo*, in injustitia detinent *attribuentes idolis*, quia quod 23. notum, *scibile*, est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. 24. Invisibilia enim ipsius, *invisibilitas ipsius*, a creatura mundi, *solem, lunam et alia*. Per ea quæ facta sunt intellecta, *in intellectu*, conspiciuntur. 25. Sempiterna quoque, *scilicet*, ejus virtus et divinitas *conspicitur*: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, *se illi subjiciendo*, aut gratias egerunt, 26. sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, 27. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam *Dei cultum ad idola transtulerunt* incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis 28. corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit *permisit* illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. 29. Qui commutaverunt 30. veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est, *qui non est idolum*, benedictus in sæcula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui, in semetipsis, *ut illud peccatum* (*pœnam peccati*, recipientes. **10**. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, *rapina*, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, *clam* susurrones, *palam* detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui, cum justitiam Dei *prius* cognovissent, 31. non *postea* intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt *animæ* morte, et 32. non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

CAPUT II.

1, 2. Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas *et facis*. In quo *crimine* enim (*consequens de genere, de potestatibus enim judiciariis agitur*,) judicas alterum, teipsum *faciendo* condemnas; eadem

COMMENTARIUS.

21. *Justus autem*. Hoc in Habacuc, cap. II, reperitur: *Justus autem in fide sua vivit*. Hoc testimonium et alia plurima, quæ in contextu Epistolarum suarum Apostolus ponit, a translatione veritatis Hebraicæ qua nunc utimur ideo discordare videntur, quia aliquando auctoritates sunt a translatione septuaginta Interpretum, Aliquando non curans verba, tantummodo exsequitur sententias.

22. *Revelatur*. Justitia revelatur in credente; nam ira in non credente. Et est alia causa; prædicatores enim Evangelii revelant iram Dei venturam super omnes impios, id est infideles; et super injustos, id est, credentes et non facientes quæ credunt.

23. *Quod notum est Dei*, id est de Deo nosci potest.

24. *Invisibilia enim*, Exponit modum quo manifestaverit eis, videlicet dans eis acutissimum ingenium.

25. *Sempiterna quoque*. Hic quæ sint invisibilia ostendit, et est quoque completiva convinctio.

26. *Sed evanuerunt*, id est cogitaverunt se cogitationem veram a se habere; unde factum est ut cogitationem Dei perderent.

27. *Dicentes enim*. Ostendit quomodo superius intellexerit *evanuerunt in cogitationibus suis*.

28. *Corruptibilis*. Moris fuit Romanorum ab antiquis temporibus, adorare simulacra hominum, ut A Romuli, Jovis et aliorum fere innumerabilium, et maxime ab adventu Æneæ in Italiam; volucrum autem et serpentium et quadrupedum, ex quo Alexandria ab Augusto victa Romæ est subjugata.

29. *Qui commutaverunt*, id est, prius de Deo senserunt, falsa ex eo postea credere cœperunt.

30. *Veritatem Dei*, id est, quam de Deo habebant, falso imputantes idolis quod vere solius est Dei.

31. *Non intellexerunt*, id est, non solum de Deo falsa senserunt, sed etiam cognitionem bonarum ac malarum rerum amiserunt.

32. AMBROS. *Non solum qui faciunt ea, sed qui consentiunt facientibus*. Sunt quidam qui se reos non B putant, si non operantur quæ mala sunt, assentiunt autem facientibus. Assentire autem est, si, cum possit reprehendere, taceat, aut hæc audiens aduletur.

CAP. II. — 1. LANFR. *Propter quod inexcusabilis es, o homo, qui judicas*. Invectio in rectores. Dicit enim: Cum omnes facientes et consentientes sunt perituri, etiam et hi qui alios judicant, si eodem peccato tenentur impliciti.

2. AMBROS. *Propter quod inexcusabilis*. Ne forte qui facit, et qui consentit facientibus excusare se posse putaret, docet hujusmodi inexcusabilem fore.

enim agis quæ judicas. 3. Scimus enim quoniam judicium Dei est 4. Secundum veritatem in eos qui talia agunt. 5. Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei? 6. An divitias bonitatis ejus, et patientiæ et longanimitatis contemnis, *nolendo respicere?* ignoras quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas *auges* tibi iram, in die iræ 7. et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus, 8. iis quidem qui secundum patientiam boni operis, *qui patienter bonum opus perficiunt*, 9. gloriam, *carnis commutationem* et honorem, *quia filii Dei vocabuntur* 10. et incorruptionem quærunt, vitam æternam, *non laudem temporalem*: 11. Iis autem qui sunt *vivunt* 12. ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, 13. credunt autem iniquitati, 14. ira et indignatio. Tribulatio et angustia *reddetur* in omnem animam hominis operantis malum, 15, 16. Judæi primum *maxime* et Græci; 17. gloria autem et honor et pax *a concupiscentiis* omni operanti bonum *reddetur*, 18. Judæo primum et Græco. 19. Non enim est acceptio personarum apud Deum. 20. Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege *crimine prævaricatæ legis* peribunt; et quicunque in lege peccaverunt, 21. per legem *per prævaricationem damnabuntur*, judicabuntur. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, 22. sed factores legis *sive in lege, sive sine lege* justificabuntur. *Responsio.* 23. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem *scriptam* non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum

COMMENTARIUS.

3. LANFR. *Scimus autem quoniam judicium Dei est.* Auctoritate sua confirmat peccatores supradictorum scelerum generaliter esse damnandos.

4. *Secundum veritatem*, id est, secundum justitiam sine acceptione personarum.

5. *Existimas autem hoc, o homo omnis qui judicas.* Putare posset aliquis imperitus quod tanto liberius peccare liceret, quanto diligentius alios a peccato compesceret.

6. AMBROS. *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis?* Hæc dicit ut non jam se putet evasisse, si patitur illum diu peccantem.

7. *Et revelationis justi judicii Dei.* Revelabitur quod modo futurum negatur. Cum enim ostendit quod non esse creditur, revelatur. His enim ostenditur, quia [*al.*, qui] negant quia credentibus manifestum est.

8. *Iis quidem secundum patientiam boni operis.* Quibus dedit Deus fiduciam fidei, ne diu hic positi damnum incurrant promissæ vitæ.

9. *Gloriam et honorem.* In præsenti enim vita, gloria vel honor frequenter amittitur, quia corruptibilis est.

10. LANFR. *Et incorruptionem quærunt*, id est, si in intentione quærunt vitam æternam. Multi enim bona operantur propter favorem hominum.

11. AMBROS. *Iis autem qui ex contentione*, id est, qui Dei contemnunt patientiam, contendunt evacuare judicium Dei.

12. LANFR. *Ex contentione.* Ex cœtu contentioso, qui christianam religionem esse inutilem contendunt.

13. AMBROS. *Credunt autem iniquitati.* Iniquitas est negare quod Deus futurum esse promisit [*al.*, prædixit].

14. *Ira et indignatio*, ut spiritualem, non corporalem pœnam intelligas.

15. *Judæi primum et Græci.* Judæum semper anteponit, ut aut coronetur primus aut damnetur, quia A diffidens pejus tractandus est, quia Patribus [*al.*, donum] promissum refutavit.

16. LANFR. *Judæi.* Per Judæos, infideles intelligit, qui maxime punientur si præcepta Dei non observant; per Græcos gentes, id est infideles: a parte totum.

17. AMBROS. *Gloria autem, et honor et pax*, ut honorem geminum habeant, quasi Filii Dei. Gloria autem fit pro immutatione; pax vero, eo quod bene viventes quieti erunt in futuro, nulla perturbatione commoti.

10. LANFR. *Judæo.* Judæi primum operati sunt bonum, postea Græci.

19. *Non enim est personarum*, etc. Hoc ad superiora respicit, ubi ait: *Ira*, etc. Et *in omnem animam* B *operantis malum*. Et paulo post: *Gloria*, etc., *omni operanti bonum.*

20. AMBROS. *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, id est, sine judicio. Qui enim non credit, jam judicatus est; nec ante tribunal Christi stabit, sed resurgens ducetur ad gehennam.

21. *Per legem judicabuntur.* Peccatis eorum addetur peccatum prævaricationis.

22. AMBROS. *Sed factores legis justificabuntur.* Credere in Christum quem lex promisit, hoc est, facere legem et opus legis scriptum in cordibus vestris, fides est.

23. AUGUST. (*lib. De spir. et lit.*, cap. 26, tom. III.) *Cum enim gentes quæ legem non habent.* Gentes quæ C naturaliter quæ legis sunt faciunt, profecto ad Evangelium pertinent, quibus lex in cordibus scripta est. Nec moveat quod naturaliter eos dixit quæ legis sunt facere, non Spiritu Dei, non gratia; hoc enim agit Spiritus gratiæ ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia, proinde homines naturaliter quæ legis sunt, faciunt.

in cordibus suis, 24. testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et 25. inter se 26. invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus ; in die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Jesum Christum. **12** Si autem 27, 28. tu Judæus cognominaris, et requiescis *delectaris* in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus 29. per legem, confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, 30., eruditorem *legis* insipientium, magistrum infantium, habentem 31. formam *exemplar* scientiæ et veritatis in lege. 32. Qui ergo alium doces, teipsum non doces ; 33. qui prædicas non furandum, furaris ; qui dicis non mœchandum, mœcharis ; qui abominaris idola 34., sacrilegium facis, *teipsum, qui sacer esse debueras, divino cultui subtrahendo ;* qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. 35. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est (in Isaia LII ; Ezech. LVI). *Responsio.* Circumcisio quidem prodest, si legem observes ; si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. *Non pluris est præputio gentilium.* Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius 36. in circumcisionem reputabitur, *illius collatione damnaberis,* et judicabit id quod ex natura est *naturaliter intelligitur* præputium, legem consummans, *perficiens* te, qui per litteram et circumcisionem *non observatam* prævaricator legis es ? *Responsio.* Non enim qui in manifesto, Judæus est ; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio ; sed qui in abscondito, Judæus est *laudandus est :* et, *sed qui habet hanc circumcisionem,* circumcisio cordis, *amputatio vitiorum* in spiritu, non littera ; cujus laus non ex hominibus sed ex Deo est, *quia etiam homines nonnunquam vituperant.*

13 CAPUT III.

1. *Objectio.* 1. Quid ergo amplius Judæo est ? aut quæ utilitas circumcisionis ? *Responsio.* Multum per omnem modum. 2. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. *Responsio.* Quid enim, si quidam

COMMENTARIUS.

24. AMBROS. *Testimonium reddente.* In die judicii, sola hominis conscientia sufficiet sibi ad testimonium, quia nemo tunc judicabit nisi quod verum erat.

25. AMBROS. *Inter se cogitationibus accusantibus.* Gentilis conscientia accusabitur, quia non sibi suasit verum esse quod et virtutum testimoniis viderat confirmari, et multos sequi. Eumdem excusabit, quia debere credere non putavit, neque tamen sine pœna erit. Vel hæreticum bona cogitatio, quando veram esse et catholicam intellexit. Mala autem accusabit, quia, ne emendatus videretur, superbiendo contradixit veritati.

26. *Invicem.* Non dicit quod eædem cogitationes accusent et defendant, sed vicissim quædam accusent, quædam defendant contra malignorum spirituum accusationem. Et attende ablativos pro genitivis more Græcorum, qui ablativis carent. Potest hoc modo audiri : et conscientia cogitationum.

27. *Tu autem Judæus cognominaris.* Non valde magnum videri vult si Judæus credat, quippe cum sit instructus per legem. Periculosum autem valde si non credat ; ducem enim habet legem.

28. LANFR. *Tu autem Judæus cognominaris.* Judæos humiliare conatur ; qui ex accepta lege superbiebant, et gentes quasi peccatrices despiciebant.

29. AMBROS. *Per legem confidis te ducem cæcorum.* Legis documentum est, erudire imperitos, et Deo subjicere profanos, et ab idololatria ad fidem revocare.

30. *Occulta hominum.* Occulta judicabuntur. Publica per humilem confessionem non judicabuntur.

31. LANFR. *Formam scientiæ.* Si quis velit scientiam et veritatem habere, in te possit formam et exemplar aspicere.

32. AMBROS. *Qui alium doces, te ipsum non doces,* A hoc est, tu qui gentiles arguis quod sine lege et Deo sint, teipsum non arguis, diffidens de Christo in lege promisso.

33. *Qui prædicas non furandum, furaris.* Facis quod prædicas fieri non debere, dum fidem Christi a lege per malam interpretationem subripis ; et legem adulteras, cum, ablata veritate, mendacium ponis ; et sacrilegus es, dum Christum, quem propheticus sermo significat, negas.

34. LANFR. *Sacrilegium.* Sacrilegium enim est culturam Dei auferre, et dæmonibus dare.

35. *Nomen enim Dei per vos blasphematur.* Credendum est aliquos ex Judæis Christianos esse tales ; non tamen omnes, ne sit contrarius sibi ipsi in superioribus, ubi ait : *Fides vestra annuntiatur* B *in universo mundo.* Non enim fides sine operibus laudanda est. Et in subsequentibus, eos cum cæteris plenos dilectione esse. Est autem scriptum in Ezechiele : *Et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum,* quod polluistis in gentibus.

36. *In circumcisionem,* id est, tantum prodest sibi qui gentilis est, quantum si Judæus esset. Et judicabit, id est comparationem sui judicabilem faciet et damnabilem.

CAP. III. — 1. AMBROS. *Quid ergo amplius est ?* Quoniam Judæis incredulis nihil proficere testimonium generis ostendit, ne credentes male tractasse videretur, docet multum utile esse credentibus, quia filii Abrahæ sunt. Nam eis sunt credita eloquia C Dei.

2. LANFR. *Primum quidem,* id est, quidam Judæorum crediderunt Evangelium Christi, instructi a prædicatoribus Novi Testamenti, verbum legis et prophetarum, quod facilius factum est in illis quam in eis qui Veteris Testamenti penitus expertes erant.

illorum non crediderunt? 3. Nunquid incredulitas illorum. 4. fidem Dei *qui ex Judæis quosdam prædixit
credituros* evacuabit? Absit! Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, 5, 6.
Ut justificeris *verax appareas* in sermonibus tuis 7. et vincas cum judicaris. *Objectio ex persona male in-
telligentium psalmi versum.* 8. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid
iniquus est Deus, qui infert iram? (secundum hominem dico *humanitus intelligentem*) Absit! 9. alioquin
quomodo judicabit Deus hunc mundum? 10. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundabit in gloriam
ipsius, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor? 11. et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam
nos dicere) 12. faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est. Quid ergo? 13. præcellimus
14 eos? Nequaquam. 14, 15. Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum
est: Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt:
simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur
eorum, linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et ama-
ritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum,
et viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos eorum. 16. Scimus autem quoniam 17 quæ-
cunque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur 18., ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus
Deo, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. 19. Per legem enim cognitio peccati.
Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis. Justitia autem Dei per
fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum; non enim est distinctio. Omnes enim
peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo
Jesu, 20. quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, 21, 22. ad ostensionem justi-

COMMENTARIUS.

3. AMBROS. *Nunquid incredulitas illorum*, etc. Nunquid perfidia eorum negabit reliquis credentibus vitam æternam, quam promisit Deus futuram per fidem Christi?

4. LANFR. *Fidem Dei evacuabit?* id est, efficit ut Deo non debeat credi, qui prædiximus Judæos esse credituros, (totum pro parte ponens). Jeremias propheta dicit: *In diebus salvabitur Juda.* Et alias: *Ego ero vobis in Deum; et ipsi erunt mihi in populum.* Et alia plurima.

5. *Ut justificeris*, David peccavit in causa Uriæ, sciens quia promissio peccatoribus non prodest. Orat ut Deus judicium, quo judicatur peccatoribus nihil dare, vincat; et se pœnitentem sanctificet, ut dans sibi quod justis daturum se promisit, justificetur in sermonibus suis.

6 LANFR. *Ut justificeris.* Probatio quod Deus verax est; justitia enim sermonum, est veritas.

7. *Et vincas.* Ex abundantia hoc infertur nihil ad superius argumentum pertinens. Vicit Christus homo Deus, cum judicatus est, quia propter ipsam humilitatem, *dedit ei Deus nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, etc.

8. *Si autem iniquitas.* Hoc ideo subinfert, quia dicens: *Ut justificeris in sermonibus tuis*, visus est causam reddidisse cur omnis homo esset mendax. Et vocat iniquitatem mendacium.

9. AMBROS. *Alioquin quomodo judicabit.* Quia non erat justum ut judicaret mundum, si peccata illius ipsi proficerent.

10. LANFRANC. *Si enim veritas.* Iterum hoc subinfert ex persona male intelligentium.

11. *Et non sicut.* Ordo: et sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere: quid nos faciamus mala, ut veniant bona, sicut, etc.

12. AMBROSIUS. *Faciamus mala.* A perversis dicebatur hoc apostolos dicere: peccandum esse ut
A venirent bona, id est, ut Deus remittendo, bonus videretur.

13. LANFR. *Præcellimus eos*, id est, an nos Judæi excellentiores et digniores sumus quam gentiles?

14. *Causati enim.* Quasi diceret: Qui pares, præcellentiores esse non possumus. Nec hoc superius in hac Epistola dixit; sed credendum est in sermone quem ad populum habebat eum dixisse.

15. AMBROS. *Causati enim sumus*, id est, ostendimus, redditis causis superius, Judæos et Græcos esse reos.

16. *Scimus autem.* Hoc dicitur, quia Judæis constrictis omnis mundus subditus sit Deo. Nulli enim dubium est paganos impietatibus obrutos.

17. LANFR. *Quæcunque lex loquitur.* Legem hic vocat psalmos, sicut in Evangelio: *Nonne in lege*
B *vestra scriptum est: Ego dixi: Dii estis.* Et est sensus: superiores psalmi versus ad vos pertinent etiam, o Judæi!

18. *Ut omne os obstruatur.* Hoc conjungitur superiori sententiæ, qua ait: *Causati enim sumus omnes sub peccato.*

19. AMBROS. *Per legem enim.* Videmus veteres non ignorasse peccatum, cum pincerna et pistor Pharaonis causa peccati in carcerem missi sunt. Sed lex ostendit apud Deum imputari peccatum et futurum judicium, quod prius ignorabatur.

20. *Quem proposuit Deus*, id est, in Christo disposuisse propitium futurum humano generi, si credat et hoc in sanguine ipsius, quia morte illius liberati
C sumus.

21. *Ad ostensionem*, hoc est ut promissum palam faceret quo nos a peccatis liberaret, sicut ante promiserat, qui diutissime sustentavit, ut nostro tempore ostenderet quod olim decreverat, et sit justus, dans quod promisit justificare se credentes in Christo.

22. LANFR. *Ad ostensionem.* Ad hoc Deus filium

tiæ suæ. 23. Propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, 24, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? 25. factorum? Non, sed 26. per legem fidei. 27. Arbitramur enim justificari hominem per fidem **15** sine operibus legis. An Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? Imo et gentium, quoniam quidem unus est Deus, 28. qui justificat 29. circumcisionem ex fide, 30. et præputium per fidem. 31, 32. Legem ergo destruimus per fidem? Absit! sed legem statuimus.

CAPUT IV.

1. Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? 2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, 3. habet gloriam, sed non apud Deum. 4. Quid enim dicit Scriptura? 5. Credidit Abraham Deo; et reputatum est illi ad justitiam. 6, 7. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. 8. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata; Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, **16** an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcisione an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. 9.

COMMENTARIUS.

suum mundo prædicari fecit, ut ostenderet quod A per fidem ejus justificantur peccatores.

23. *Propter remissionem præcedentium delictorum.* Ordo, præcedentium delictorum in sustentatione Dei. Patienter enim Deus sustinuit præcedentia delicta mundi, ut ostenderet qui vera justificatio est in hoc tempore, id est, in fide Jesu Christi. Si enim omnes peccatores puniisset, non esset qui in hoc tempore justificari posset.

24. *Justus et justificans*, id est, verax, complens ea quæ promisit.

25. *Factorum*, id est, an alia lex prolata est, habens alias observationes, per quas observationes tuæ annihilentur.

26. *Per legem fidei.* Legem fidei vocat legem Christi, in quo asseritur salvari hominem per solam fidem dum dicitur: *Qui credide rit, et baptizatus fuerit, salvus erit.*

27. AUGUST. (*De fide et operib.*, cap. 14, tom. IV), *Arbitramur enim.* Cum ergo dicit Apostolus arbitrari se hominem justificari per fidem sine operibus legis, non hoc ait ut, præcepta ac professa fide, opera justitiæ contemnantur; sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint.

28. *Qui justificat circumcisionem* (*lib. De spirit. et lit.*, c. 29, tom. III). Non ad aliquam differentiam dictum est, tanquam aliud sit ex fide, aliud per fidem; sed ad varietatem locutionis. Alio quippe loco, cum de gentibus diceret, hoc est de præputio: *Prævidens*, inquit, *Scriptura quia ex fide justificat omnes* C *gentes Deus.* Itemque cum de circumcisione loqueretur (unde erat): *Nos*, inquit, *natura Judæi, et non ex gentibus peccatores, scientes quia non justificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos in Christo Jesu credimus.* Ecce et præputium dixit justificari ex fide, et circumcisionem per fidem.

29. LANFR. *Circumcisionem ex fide*, id est ex fide, et per fidem.

30. *Et præputium.* Hinc probatur quod Deus Judæorum sit Deus gentium. *Ipse enim gentes justificat.* Dei autem solius est justificare.

31. *Legem destruimus.* Quia carnales observationes legis destruimus, an putandum est nos, prædicatores Evangelii, etiam moralia præcepta destruere? Quid ergo? ordo: quid secundum carnem, id est, quid carnalium observationum? Probat quod sine carnali observatione legis justificari potest homo per fidem. Abraham enim sine carnalibus observationibus justificatus est, Scriptura testante: *Credidit Abraham Deo*, etc.

32. AMBROS. *Legem vero.* Non utique lex inanitur per fidem, sed adimpletur, quando quod futurum dixit fides, istud advenisse testatur.

B CAP. IV. — 1. AMBROS. *Quid ergo dicemus invenisse?* Carnem dicit circumcisionem, qua Abraham non invenit justitiam, nec quæsivit.

2. LANFR. *Si enim.* Si, inquit, Abraham sine fide ex sola carnali observatione justificatus creditur, justificatio illa in sola opinione hominum est, non apud Deum.

3. *Habet gloriam*, quia qui fecerit legem vivet in ea, id est non morietur ut reus. Nec tamen apud Deum ex hoc habet meritum.

4. *Quid enim Scriptura.* Quasi diceret: audiamus quid super hoc Scriptura testetur.

5. AMBROS. *Credidit Abraham Deo.* Credidit se habiturum semen, in quo benedicerentur gentes.

6. *Ei autem qui operatur.* Ei qui operatur opera legis, meritum non imputatur ad mercedem. Nam debitor est facere legem.

7. AUGUST. *Ei qui operatur*, id est qui de operibus præsumit, et merito dicit sibi datam gratiam fidei. His non imputat mercedem secundum gratiam, sed secundum debitum.

8. LANFR. *Ei vero qui non operatur.* De eo intelligendum est hoc qui post acceptam fidem statim moritur.

9. *Et signum accepit.* Quasi diceret: cur ergo, si justificatus erat, circumcisionem accepit? Circumcisionem, inquit, accepit, non quia fieret, sed quia

Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, 10. ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam ; et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur 11. vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. 12. Non enim per legem 13. promissio Abrahæ aut semini ejus ut hæres esset mundi ; sed per justitiam fidei. Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. 14. Lex enim iram operatur. 15. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio 16. omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum (sicut scriptum est : Quia Patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt : qui contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum; et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcunque promisit, potens est et facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam, sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, 17. et resurrexit 18. propter justificationem nostram.

CAPUT V.

17 1. Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem 2. in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, 3. spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, 4. secundum tempus Christus pro nobis 5. mortuus est; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis, reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, 6. sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunç reconciliationem accepimus. 7. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum

COMMENTARIUS.

ostenderetur ea justitia quam sola fides contulerat illi.

10. AMBROS. *Ut sit pater circumcisionis.* Hoc dicit ut sit pater circumcisionis cordis, non tantum eorum qui sunt ex ejus origine, sed et eorum qui similiter credunt ex gentibus.

11. LANFR. *Vestigia fidei.* Ordo : vestigia fidei patris nostri Abrahæ, quæ est in præputio, id est, quam habuit in præputio.

12 *Non enim per legem.* Quasi aliquis diceret : cur dixisti vestigia fidei, et non dixisti vestigia legis ? Si enim ad inconveniens ducit adversam partem, non autem simul esse, solam legis observantiam hæreditatis esse causam et fidem, aut solos Judæos esse hæredes et gentes.

13. AMBROS. *Promissio Abrahæ.* Christus qui hæres est gentium, ut David canit : *Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam; et possessionem tuam terminos terræ.* Ipsi enim morimur et vivimus cum eo, Ideo ex fide. Sub lege promissio dari non potest, aut ex fide, qua omnes purificati, fiunt digni dici filii.

14. LANFR. *Lex enim iram operatur.* Causa cur per legem non sit promissio hæreditatis. Iram enim Dei ex prævaricatione non implentium potius operatur.

15. *Ubi enim non est lex.* Et hoc, inquit, videri potest quia lex iram operatur, quod ubi lex non est, nec prævaricatio, quæ est causa iræ.

16. *Omni semini*, id est, omni imitatori fidei, sive Judæo, sive gentili. Omnes enim possunt facile cre-

A dere ; non autem omnes legem implere.

17. AMBROS. *Et resurrexit propter.* Post resurrectionem enim acceptus Spiritus, ad cumulum nobis justificationis provenit.

18. LANFR. *Propter justificationem*, id est, ut credentes eum resurrexisse justificarentur. Et a parte tota fides designatur.

CAP. V. — 1. AMBROS. *Justificati igitur.* Pacem habere cum Deo, fides facit, non lex. Hæc enim nos Deo reconciliavit.

2. *In gratiam istam.* Prius enim jacuimus ; credentes autem erecti sumus.

3. *Spes autem non confundit.* Spes non confundit, dum stulti et hebetes a perfidis judicantur, credentes quæ mundana carent ratione. Pignus enim charitatis

B habemus in nobis per Spiritum sanctum nobis.

4. *Secundum tempus.* Ad tempus enim mortuus est, quia tertia die resurrexit. Vel huic tempori mortuus est, ubi sol oritur et occidit. Excessit enim e corpore ad inferos (ubi tempus non est, vel ætas) pro salute animarum.

5. LANFR. *Mortuus est.* Cum adhuc temporalia diligeremus, nisi nobis spem bonam daret, quæ nos confunderet.....

6. *Sed et gloriamur*, id est, sperantes nos habituros gloriam, quam habent filii Dei.

7. *Propterea sicut.* Pendet sententia usque...... legitur : sicut per unius delictum, etc.

mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. 8. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo. 9. Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen ; etiam 10. in eos qui non peccaverunt 11. in similitudinem prævaricationis Adæ, 11, 12, 13. qui est forma futuri. 14. Sed 15. non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, 16. multo magis gratia Dei et donum 17. in gratia unius hominis Jesu Christi 18. in plures abundavit. 19. Et non 20. sicut per unum peccatum, ita et donum ; nam judicium quidem ex uno in condemnationem; 21. gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis 22. abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, 23. in vita regnabunt per unum Jesum Christum; igitur sicut per unius delictum, in omnes homines in condemnationem, sic et 24. per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. *Ita misericordia Dei per unius justitiam in omnes homines processit.* 25. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores

CAPUT VI.

A 8. *Usque ad legem enim.* Peccatum quidem in his etiam qui legem acceperant, fuit, sed non tantum, quantum prius; per legales enim observantias multi salvabantur.

9. *Peccatum enim.* Aliter hic peccatum intelligit quam superius. Peccatum enim hoc in loco significat prævaricationem legis, quæ non imputabatur cum lex non esset.

10. August. (*De peccatorum meritis et remis., deque Bap. parv.* lib. I, cap. XI, tom. VII.) *In eos non peccaverunt*, id est, qui nondum sua et propria voluntate, sicut ille, peccaverunt, sed ab illo origine peccatum traxerunt.

11. Lanfr. *In similitudinem*, id est, qui prævaricati sunt præcepta Dei, sicut Adam.

B 11. *Qui est forma futuri.* Adam forma Christi fuit. Quia sicut ille pater omnium secundum carnem, sic Christus pater fidelium secundum fidem. Et sicut ex latere Adæ, formata est Eva, sic ex latere Christi profluxerunt sacramenta, per quæ salvatur Ecclesia.

12. August. (*Ibid.*) *Qui est forma.* Quia in **18** illo constructa est forma condemnationis futuris posteris qui ejus progenie crearentur.

13. Ambros. *Qui est forma futuri.* Decrevit enim Deus per unum (Christum) emendare quod per unum (Adam) peccatum est, sicut in Apocalypsi Joannes inquit : *Agnus qui occisus est a constitutione mundi.*

14. *Sed non sicut delictum.* Hoc dixit, quia formam unius Christi dixit unum Adam.

C 15. Lanfr. *Sed non sicut delictum.* Ordo : Quasi diceret : quamvis Adam forma fuit Christi, majorem tamen vim habet donum Christi. Plus enim est vivificare quam occidere.

16. August. (*ibid.*) *Multo magis gratia.* Non magis multos, et multo plures homines. Neque enim plures justificantur quam condemnantur. Adam quippe ex suo delicto reos genuit. Christus autem etiam quæ homines delicta propriæ voluntatis ad originale in quo peccaverunt [*al.*, nati sunt], addiderunt; gratia sua solvit atque donavit.

17. Lanfr. *In gratia unius hominis.* In gratia, id est, propter gratiam. Gratiam autem hic vocat perfectionem virtutum quam homo ille, a Verbo Patris assumptus, per gratiam Dei habuit.

18. *In plures.* Plures dicit, non ad numerum, sed quia in vitiis plures. Adam enim per originale dedit mortem, Christus vero de actualibus et originalibus liberavit.

19. August. (*ibid.*, cap. 15.) *Et non sicut per unum.* Ab Adam, *in quo omnes peccavimus*, non omnia nostra peccata, sed tantum originale traduximus. A Christo vero, in quo omnes justificamur, non illius tantum originalis, sed etiam cæterorum quæ ipsi addidimus remissionem consequimur. Ideo non sicut per unum peccantem, ita et donum. Nam judicium quod [*al.*, quidem] ex uno delicto (si non remittatur) id est originali, in condemnationem jam potest ducere. Gratia vero ex multis delictis remissis, hoc est, non solum originali, verum etiam omnibus cæteris, ad justificationem perducit.

20. Lanfr. *Et non sicut.* Aliter : etsi sicut peccatum, ita et donum, id est, utraque paria non sunt.

21. *Gratia autem ex multis.* Ordo est : Gratia autem in justificationem ex multis delictis.

22. August. (*ibid.*) *Abundantiam gratiæ.* Quid est autem abundantiam gratiæ et justificationis et justitiæ accipiunt, nisi quod non eis tantum peccatum in quo omnes peccaverunt, sed etiam quod addiderunt, gratia remissionis datur ?

23. *In vita regnabunt.* Et quid est, multo magis in vita regnabunt; cum mortis regnum multo plures in æternam pœnam trahat? Nisi intelligamus eos in ipsis [*al.*, eos ipsos] in utroque dici, qui transeunt ab Adam ad Christum, id est a morte ad vitam, quia in vita æterna sine fine regnabunt, magis quam in eis mors temporaliter et cum fine regnabit [*al.*, regnavit].

24. Lanfr. *Per unius justitiam.* Per justitiam et obedientiam Christi, vita omnium credentium justificata est. Quia inde factus est hostia acceptabilis Deo pro peccatis omnium, quia justus et immaculatus sine peccato, et obediens fuit usque ad mortem.

25. *Sicut enim.* Comprobatio et expositio superioris versus : omnis enim inobedientia, si tantum mala est, delictum ; et omnis obedientia, si tantum bona est, justitia.

constituti sunt multi, ita et 26. per unius obeditionem justi constituentur multi. 27, 28. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, 29. superabundavit gratia, 30. ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita 31, 32. et gratia regnet 33. per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT VI.

Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit! Qui 1. enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, 2. 3. in morte ipsius baptizati sumus? 4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos 5. in novitate vitæ ambulemus. 6, 7. Si enim complantati facti sumus 8. similitudini mortis ejus, 9. simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes 10. quia vetus homo noster simul crucifixus est, 11. ut destruatur 12. corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. 13. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. 14. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo, scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. 15. Quod **1320** enim mortuus est, peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo. 16. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. 17, 18. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed 19. neque exhibeatis membra vestra 20. arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum enim

COMMENTARIUS.

26. *Per unius obedientiam.* Per obedientiam Christi, justi sunt multi; vel quia obedientia hostiam commendavit. Vel quia obedientia ad mortem Christum perduxit. Fides autem mortis ejus, justificavit.

27. *Lex autem subintravit.* Moris est divinarum litterarum, ubi plures causæ sunt, unam tantum sæpe enumerare, sicut in hoc loco: data est enim lex, ut prædestinati ad vitam per legales observantias salvarentur; prædestinati autem ad mortem, per legis prævaricationem magis punirentur. Sed illius causæ hic tantum mentionem facit, per quam Judæos ex accepta lege superbientes humiliare possit.

28. AMBROS. *Lex autem subintravit.* Apostolus ostendit quid provenerit data lege, non quid lex fecerit.

29. LANFR. *Superabundabit gratia.* Quasi diceret: o Judæi! vos putatis quod Christus gentibus plus dimiserit, sed quibusdam vestrum plus dimisit, quos prævaricatores legis invenit.

30. *Ut sicut regnavit*, id est, prævaluit.

31. *Ita et gratia regnet*, id est, prævaleat.

32. AMBROS. *Gratia regnet.* Regnat gratia per justitiam, si accepta remissione, justitiam sequamur.

33. *Per justitiam*, scilicet Christi.

CAP. VI. — 1. LANFR. *Qui enim mortui sumus peccato*, scilicet, in baptismo; *in Christo Jesu*, id est, in fide Christi Jesu.

2. *In morte ipsius*, id est, sicut ille mortuus est semel, et semper vivit, ita et nos semel peccato moriamur, et in bene factis semper vivamus.

3. AMBROS. *In morte ipsius.* Cum baptizamur, commorimur Christo; hoc est in morte ejus baptizari. Illic enim peccata moriuntur.

4. LANFR. *Consepulti enim.* Designatio, quando et cur in morte Christi baptizemur.

5. *In novitate*, id est, a vitiis resurgamus.

A 6. AMBROS. *Si enim complantati.* Tunc nos feliciter dicit posse resurgere, si similitudini mortis ejus fuerimus complantati, id est, si in baptismo omnia vitia deponentes, in novam vitam translati, de cætero non peccemus.

7. LANFR. *Si enim complantati.* Alia ratio cur in morte ipsius baptizemur, *complantati*, id est, affixi, vel adhærentes.

8. *Similitudini*, id est, si semel peccato morimur, similem resurrectionem habituri sumus.

9. *Simul et resurrectionis*, subaudis; similitudini ejus.

10. *Quia vetus homo*, id est, nos in eo quod more veteris hominis peccamus.

11. *Ut destruatur corpus peccati*, id est, corpus nostrum in eo quod peccat.

B 12. *Corpus peccati.* Omnia peccata simul appellat, *corpus peccati.*

13. *Qui enim mortuus est.* Ratio cur non serviendum sit peccato. Peccato enim justificatio perit.

14. *Si autem mortui sumus*, id est, si revera Christus secundum carnem mortuus est: nos peccatis omnibus mortui sumus, *credimus*, etc.

15. LANFR. *Quod enim mortuus est peccato*, subaudis: humani generis delendo.

16. *Ita et vos*, pro itaque.

17. *Non ergo regnet peccatum*, id est, concupiscentia peccati.

C 18. AMBROS. *Non ergo regnet.* Mortale corpus dicens, totum hominem signat, quia qui obediunt peccato mortales dicuntur. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur, id est totus homo.

19. *Neque exhibeatis.* Non dicit corpora, sed membra. Membris enim ministratur, non toto corpore.

20. LANFR. *Arma iniquitatis*, id est, concupiscentiæ.

vobis non dominabitur; 21, 22. non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit! Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, 23. in quam traditi estis. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. 24, 25. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ; 26. sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, *scilicet implendam*, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, *id est, ut sanctificati sitis.* Cum 27. enim servi essetis peccati, liberi, *id est*, *expertes* fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, *id est*, *fructus vestri operis est sanctificatio,* finem vero vitam æternam. 28. Stipendia enim peccati, mors. 29, 30. Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.

CAPUT VII.

1. An ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri ut non sit adultera si fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, et vos 2. mortificati 3. estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo 4. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus 5. a lege mortis, in qua detinebamur,

COMMENTARIUS.

21. *Non enim sub lege estis.* Evidenter ostendit quod concupiscentiæ peccatorum majorem vim habebant in Judæis quam in Christianis.

22. August. (*lib. De grat. et lib. arbit.*, cap. 12, tom. VII.) *Non enim sub lege estis.* Non quia lex mala, sed quia sub illa sunt, quos reos facit jubendo, non adjuvando.

23. Lanfr. *In quam traditi estis*, id est, in qua tradidistis vos Deo in die conversationis vestræ.

24. *Humanum dico*, id est, vile quiddam vobis præcipio, quod vim humanitatis nostræ non excedit.

25. Ambros. *Humanum dico.* Dum infirmitatem carnis memorat, minus se significat exigere ab homine quam dignum est circa Dei culturam.

25. August. (*ex epist. ad Anast.* 144, tom. II). *Humanum dico*, quia plus dicendum aliquid fuit, si jam illi facere [*al.*, ferre] potuissent. Plus quippe servitutis debetur justitiæ quam peccato. Nam pœnæ corporis revocant ab opere peccati. Justitia vero sic amanda est ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant.

26. (*Ibid*). *Sicut enim exhibuistis.* Quid est sicut illud, ita et hoc? nisi: quemadmodum ad peccandum nullus cogebat timor, sed ipsius libido voluptasque peccati; sic ad juste vivendum non vos supplicii metus urgeat, sed delectatio justitiæ urgeat.

27. Lanfr. *Cum enim servi.* Ratio cur servire justitiæ eos oporteat. Aut enim justitiæ, aut peccato servire necesse est. Sed cum servitur peccato, abest justitia. Acquiritur fructus unde erubescitur; quod est inconveniens. Justitiæ igitur serviendum est.

28. *Stipendia.* Causa cur liberati sint a peccato, et cur servi facti Deo. Et est sensus: peccatum hoc stipendium, id est, hanc retributionem dat, mortem scilicet.

29. *Gratia autem Dei*, id est, virtus quæ per gratiam Dei datur, vita æterna est, id est, vitam

A æternam dat.

30. Ambros. *Gratia autem Dei.* Hoc rationibus his Apostolus demonstrare videtur. Aut est in Christo, aut in lege. Mortificata est enim lex per corpus Christi, ut illius sitis, qui a mortuis resurrexit. Nam in aliis legibus idem videtur. Moritur enim 2[illegible] homo alicui legi, ut jam alii vivat. Nam quandiu vivit priori, alii vivere non potest. Prior enim adhuc dominatur. Mulier enim, vivens maritali lege viri sui, non potest vivere legi alterius viri. Alligata est enim viro suo. Nam si moriatur legi prioris viri, alterius potest vivere legi. Igitur vivens maritali legi (scilicet vivente viro) non potest [*f.*, vivere] alterius legi viri. Si enim tunc fuerit cum alio viro; vocabitur adultera.

B CAP. VII. — 1. Lanfr. *An ignoratis, fratres.* Probare videtur quod lex Judæorum fidelibus non est observanda. Non est enim data nisi ad adventum Christi. Et est responsio. Quasi aliquis diceret: cur dixisti in Christo Jesu, et non in observantia legis?

2. *Mortificati estis legi.* Quasi diceret: nihil debetis legi. Lex enim data est usque ad adventum Christi.

3. Ambros. *Mortificati estis legi.* Quoniam Salvator corpus suum diabolo crucifigere permisit. Idcirco per corpus Christi, salvos nos dicit factos.

4. Lanfr. *Cum enim essemus in carne.* Quasi aliquis diceret: cur dixisti, ut fructificemus Deo,
C quasi non fructificaremus, cum legem carnaliter observaremus? Ita, inquit, cum essemus in carne, id est, in carnali observantia, etc.

5. *A lege mortis*, id est, quæ sine ulla miseratione, peccantes interfici jubebat. Vel, quæ passiones peccatorum, quæ mors animæ sunt, [per Ed. P.] prohibitionem augebat.

ita ut serviamus in novitate spiritus, *id est, innovando spiritum fide et operibus bonis*, et non in vetustate litteræ, *id est, carnali observatione*. Quid ergo dicemus? lex peccatum est? *scilicet quia superius dixit a lege mortis, vel passiones peccatorum, quæ per legem erant*. Absit! Sed 6. peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam, *scilicet esse peccatum*, nesciebam, *vel non eram expertus* nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione, *id est, opportunitate*, autem accepta, peccatum, *id est, fomes peccati*, per mandatum 7. operatum est in me omnem concupiscentiam. 8. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem vivebam sine lege aliquando. 10. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. 11 Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi **22** mandatum, *id est, cognitio mandati*, quod erat ad vitam, *scilicet servati*, hoc esse ad mortem, *scilicet non servati*. 12. Nam peccatum, *id est, fomes peccati, vel diabolus* 13. occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit! Sed peccatum, ut appareat, *scilicet in opere, vel quia diabolus est*, peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat 14. 15. supra modum peccans peccatum, *id est, per prævaricationem peccati*, per mandatum. 16. Scimus enim quia lex spiritualis est, *id est, spiritum nutriens*; ego (*causa cur peccatum operatum sit in eo mortem*) autem carnalis sum, 17. venundatus sub peccato. 18. Quod enim operor, 19. non intelligo; 20 non enim, *expositio superioris versus*, quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. Si autem 21. quod nolo illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat, *inseparabiliter inhæret*, in me peccatum, *id est, concupiscentia peccati*. 22. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. 23. Nam velle adjacet mihi; perficere autem

COMMENTARIUS.

6. *Peccatum non cognovi*, id est, tantam vim A concupiscentiæ antea non eram expertus, quantam postea; quod cognovi esse prohibitum. Vel, nesciebam concupiscentiam esse peccatum.

7. AMBROS. *Operatum est in me. . . . . .* quæ et legem transcendit.

8. AUGUST. (*Contra duas epist. Pelag. ad Bonifac. lib.* I, cap. 9, tom. VII.) *Sine lege enim*. Peccatum mortuum est, non intelligamus nisi tanquam non sit; latet, non apparet; penitus ignoratur, tanquam innescio quibus ignorantiæ tenebris sepultum.

9. AMBROS. *Ego autem vivebam*, sine timore, securus quod non esset Deus judicaturus.

10. AUGUST. (*De Verb. Apost.* serm. 5, cap. VII, tom. X.) *Sed cum venisset*. Quid est, revixit pecca- B tum? apparere cœpit, rebellare adversus me cœpit.

11. (*ibid*). *Ego autem mortuus*, id est, prævaricator factus sum.

12. (*Quæst. 83 lib.*, quæst. 66, tom. IV.) *Nam peccatum*. Quod autem ait : Fefellit me peccatum, occasione accepta per mandatum; sive quia suasio delectationis ad peccatum vehementior est, cum adest prohibitio, sive quia etiam si quid homo fecerit secundum jussa legis, si adhuc non sit fides, quæ integra est, vult sibi retribuere, non Deo, et superbiendo plus peccat.

13. AMBROS. *Occasione accepta*. Peccatum dicit diabolum, qui invidens homini, quem habebat C provisum per legem exarsit, ut illi legem inverteret, qui ante legem quasi mortuus erat, quia ab illusione cessabat.

14. AUGUST. (BEDA. *in cap. 8, ad Rom.*) *Supra modum peccans*. Quia etiam et prævaricatio. Quando enim delinquebat sine mandato, minus erat. Quando deliquit per mandatum, excedit modum.

15. LANFR. *Supra modum*, id est, valde. Ordo : ut peccatum, scilicet, auctum per peccatum, fiat supra modum. Peccans, id est, peccans ei, locutionis modo quo qualitas vocatur quale, eo quod faciat quale.

16. *Scimus enim*. Probatio quod lex bonum est. Omne enim spirituale, id est, spiritum nutriens, bonum est.

17. AUGUST. (*lib. LXXXIII Quæst.*, quæst. 66, tom. IV.) *Venundatus*, id est, peccans pretio temporalium voluptatum.

18. LANFR. *Quod enim operor*. Probatio quod venundatus est sub peccato. In tantum enim peccatum dominatur, ut operetur quod non vult.

19. *Non intelligo*. Acceptum non habeo, sicut in psalmo : *Intellige clamorem meum*.

20. AUGUST. (*lib. Serm. de temp.*, serm. 45, cap. 6) *Non enim quod volo*, id est, nolo concupiscere, et concupisco.

21. LANFR. *Quod nolo*. De concupiscentia hoc intelligendum est. Quasi diceret : vellem cavere concupiscentiam, et non possum.

22. *Scio enim*. Per ablationem unius contrarii more suo probat alterum. Quia in religione christiana, immediata sunt bonum et malum. Omnis enim homo, secundum religionem christianam, aut bonus, aut malus est.

23. *Nam velle adjacet*. Probatio quod bonum non habitet in carne sua. Omne enim bonum quod in homine est, aut bona voluntas, aut bona operatio. Sed velle, inquit, bonum non est in carne mea. Ex vicinitate enim animæ adjacet, id est vitium sibi est. Perficere autem bonum, id est operationem bonam non invenio in ea habitare. Non igitur bonum mihi, id est carni meæ; non enim quod volo..... : Quasi diceret : bonum non invenio habitare, sed malum quod ago.

bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. 24. Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, 25. sed quod habitat in me, peccatum. 26. Invenio igitur 27. legem, **23** 28. volenti mihi facere bonum, (*causa cur dixerit volenti,*) quoniam mihi malum adjacet : 29. condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : video autem 30. aliam legem in membris meis, repugnantem 31. legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. 32. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem, legi peccati.

CAPUT VIII.

Nihil ergo nunc, *id est, in hoc tempore gratiæ*, damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, *id est, in fide et memoria ejus*, qui non secundum carnem ambulant 1, 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu, *id est, in gratia Christi Jesu, et memoria ejus*, liberavit a lege, *id est suasione*, peccati et mortis. 3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, 4. 5. et de peccato damnavit peccatum, *id est, vim concupiscentiæ*, in carne, *scilicet fidelium*, ut justificatio legis impleretur in nobis, *id est, quia lex promittebat*, qui non secundum carnem *id est, carnales observantias, vel desideria carnis*, ambulamus, sed secundum spiritum, *id est, spiritualem intelligentiam, vel opera spiritus*. 6. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero 7. secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. (*Ratio cur non ambulent secundum carnem, sed secundum spiritum*). Nam prudentia carnis, mors est; prudentia autem **24** spiritus, vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo : 8. Legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus, *id est amor Christi*, in vobis est, 9. corpus, *id est concupiscentia corporis, scilicet vestrum*, quidem mortuum est propter peccatum, *in se deletum*, spiritus vero vivit propter justificationem, *id est, propter opera justitiæ quæ exercet*. Quod si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit

COMMENTARIUS.

24. AUGUST. (*lib contra duas epist. Pelag. ad Bonif.*, q. 1, c. 10, tom. VII) *Si autem quod nolo.* Ideo consentio legi quod non vult.

A

25. AMBROS. *Sed quod inhabitat.* Ipsa enim peccati corruptio, per conditionem offensionis manet in corpore.

26. LANFR. *Invenio ergo.* Concludit quod superius quærebatur et probatum est, legem esse bonum, si tamen bonum velit.

27. *Legem* Ordo : invenio legem bonum, mihi volenti facere bonum. Quasi diceret : si bona ago, lex mihi bona est; si vero mala, lex mihi mors est.

28. *Volenti mihi.* Voluntas animæ est, quæ in Deo bonum vult facere, ut malum expellat, quod sibi adjacet ex vicinitate carnis.

B

29. *Condelector.* Hic aperte exponit quæ superius multis modis obscure dixit, et maxime superiorem versum.

30. *Aliam legem.* Aliam legem hic vocat, hortamenta concupiscentiæ; quæ quasi imperat homini peccare.

31. *Legi mentis meæ.* Mens jubet a malis discedere et bona facere, et hæc est lex ejus.

32. AUGUSTINUS. (*De verb. apost.* serm. 6, c. 12, tom. X.) *Infelix ego homo!* Sic, sic liberaberis a corpore mortis hujus, ut mortale hoc induat immortalitatem, et corruptibile hoc induat incorruptionem.

CAP. VIII. — 1. AMBROS. *Lex enim spiritus.* Quia prior lex ab errore malo imbuit. Hæc autem cum nec in corde peccare dicit debere, lex spiritus vocetur, ut totum faciat hominem spiritualem.

C

2. LANFR. *Lex enim spiritus.* Causa cur non secundum carnem ambulant. Memoria enim legis Dei; quæ est spiritus vitæ, per gratiam Jesu Christi et per memoriam ejus liberabit eos a lege peccati et mortis, id est, ne secundum carnem ambulent.

3. *Nam quod impossibile.* Ratio cur dixerit in Christo Jesu. Quasi diceret : impossibile erat legi per carnales observationes liberare a suasione peccati et mortis; sed misit Deus Filium suum in similitudinem humanæ carnis, quæ peccati concupiscentiis sæpe vexatur, ut memoria incarnationis ejus, suasiones peccati a fidelium carne repelleret.

4. *De peccato damnavit.* Peccatum hic vocat corpus Christi, quod fuit hostia pro peccato, sicut alias eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit.

5. AMBROS. *De peccato.* Christus cum a peccato, quod est Satanas, crucifigitur, peccavit in carne Salvatoris, quo peccato damnatus est, amisso dominio retentarum animarum.

6. AUGUST. (*De verb. Apost.* serm. 7, c. 9) *Qui enim secundum carnem.* Secundum carnem ambulare, est carnalibus concupiscentiis consentire.

7. (*ibid.*) *Secundum spiritum.* Secundum spiritum ambulare, est adjuvari in mente spiritu, et concupiscentiis carnis non obedire.

8 (*ibid.*, cap. 10) *Legi enim Dei.* Hoc non potest, sed prudentia carnis non potest; vitium non potest, non natura. Quomodo si diceres : claudicatio rectæ ambulationi non est subjecta. Neque enim potest, pes potest [sed], claudicatio non potest.

9. (AUGUST. *ex Tract. in psal.* 85, sub. med., tom. VIII) *Corpus quidem.* Corpus nostrum comparatum illi quod futurum est, invenitur mortuum, quamvis adhuc habens animam.

Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis. Ergo, fratres, *spiritui* debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 10. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. 11. Non enim accepistis, *sicut Judæi in monte Sina*, spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, 12, 13. in quo clamamus : Abba (Pater). Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes ; 14. hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi ; si tamen compatimur, *id est, adversa in Christo sustineamus, sicut ipse pro nobis*, ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, *scilicet obtinendam*, quæ revelabitur in nobis. 15. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat, 16, 17. Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, 18. sed propter eum qui subjecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod 19. omnis creatura ingemiscit, *scilicet pro vanitate quam patitur, id est, cum magno conatu operatur id boni quod operatur, et* parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, *id est, qui primi Spiritum sanctum accepimus* ; et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, 20. redemptionem corporis nostri. 21. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes ; nam quod

COMMENTARIUS.

10. Lanfr. *Quicunque enim*. Probatio quia facta carnis mortificantes vivant. Filii enim Dei sunt, quos vivere haud dubium est.

11. *Non enim accepistis*. Probat eos qui spiritu Dei aguntur esse filios. Non enim, inquit, spiritus, quem accepistis, servos vos fecit. Omnes namque cultores Dei, in quocunque tempore, aut servi fuerunt, ut Judæi, aut filii, ut Christiani. Unde in Evangelio Dominus dicit : *Jam non dicam vos servos, sed amicos*, etc.

12. August. (*De verb. apost.*, serm. 13, cap. 14.) *In quo clamamus : Abba*, (*Pater*). Ipse huic voci et animo, quo clamamus : Abba, Pater, spiritus Dei testimonium dat, dum manet in nobis hærens.

13. August. *In quo clamamus : Abba Pater*. Utrumque voluit Apostolus dicere, quia videbat lapidem angularem, quem, reprobaverunt, qui recipit utrumque parietem etiam de diverso venientium [*al.*, venientem]. Hinc circumcisio, hinc præputium ; inde Abba, inde Pater.

14. (*lib. LXXXIII quæst.*, q. 75, tom. IV.) *Hæredes quidem Dei*. Si quæratur quomodo simus hæredes Dei, cum hæreditas morte decessoris firma teneatur, respondetur : *Cum venerit quod perfectum est*, auferetur quod ex parte est. Ita nobis quodammodo moritur Pater in ænigmate, et idem ipse fit hæreditas, cum facie ad faciem possidetur [*al.*, videtur.].

15. Lanfr. *Nam exspectatio*. Probat gloriam filiorum revelandam ab auctoritate totius Ecclesiæ, quam creaturam hic vocat, sicut alias : *Si qua nova creatura in Christo*. Et Jacob : *Ut simus initium aliquod creaturæ ejus*. Quasi diceret : Ecclesia Christi exspectat revelari sibi gloriam filiorum Dei, id est, societatem habere cum angelis Dei.

16. *Vanitati enim*. Quasi quis diceret : Ecclesia quæ tantam exspectationem habet, cur vana cogitat ? Cur vana nonnunquam desiderat ? Ad hoc respondet : non volens hoc patitur. Sed ita placuit Deo, quia vanitati eam subjecit, dans eis spem quia quandoque liberabitur a servitute vanitatis et corruptionis ; cum data sibi fuerit libertas gloriæ quam filii Dei habent.

A 17. August. (*lib. LXXXIII quæst.*, quæst. 67) *Vanitati enim*. Homo quippe sponte peccavit, sed non sponte damnatus est. Peccatum itaque spontaneum fuit ; contra, præceptum facere, veritatis. Peccati autem pœna, subjicit fallaciæ. Non enim [*al.*, ergo] sponte vanitati creatura subjecta est.

18. (*Ibid.*) *Sed propter eum*. Propter eum qui subjecit eam in spe, id est, propter ejus justitiam atque clementiam, qui nec impunitum peccatum relinquit [*al.*, reliquit], neque insanabilem voluit esse peccantem.

19. August. (*Contra Priscill. et Origen.*, ad consult. Oro. c. 8, tom. VI.) *Omnis creatura*. In unoquoque homine omnis creatura intelligi potest, quia rationalis in illo est, quam angeli habere creduntur ;
B sensualis, cum bestiis ; vitalis privata sensu, cum arboribus. Nam in nobis sine sensu nostro fiunt corporis incrementa.

20. Lanfr. *Redemptionem corporis*. Vere exspectamus redemptionem corporis, quia speramus quod est. Ubi dicit per patientiam exspectamus, speramus, quia spe salvi facti sumus, et hoc probat, quia quod non videmus, speramus, scilicet a Deo promissum ; sed redemptio corporis est promissa. Probat, quod non videmus speramus, quia quod videmus non speramus. Et hoc probat, quia visio nostra non est spes. Et hoc probat, quia spes quæ videtur non est spes, quia nulla visio, spes est. Et hoc probat, quia quod videt quis, quid sperat? Quia nullus videns sperat. Vel ita : utrum exspectemus redemptionem ?
C Respondetur, vere, quia speramus quod spe salvi facti sumus. Ita explicat : si speramus, exspectamus quod est : Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (assumptio) sed speramus quod non videmus. Et hoc probat quia quod videtur, non speratur quod est ; spes autem quæ videtur, non est spes. Et hoc probat ; nam nullus videns sperat quod est ; nam quod videt quis quid sperat?

21. *Spe enim*. Quasi aliquis diceret : nonne qui Deo serviunt, etiam in hac vita a vanitate et corruptione liberantur ? Huic objectioni respondet Apostolus, dicens : Spem habemus ut in æterna vita

videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus. 22. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet, nescimus : 23. Sed ipse Spiritus postulat, *id est, postulare nos facit*, pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, *id est Deus*, scit quid desideret, *id est desiderare faciat*, Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis, *id est, postulare facit sanctos.* Scimus autem quoniam diligentibus Deum 24. omnia cooperantur in bonum, *scilicet spiritus*, iis, qui secundum propositum, *id est prædestinationem Dei*, vocati sunt sancti. 25. Nam quos præscivit, *scilicet Deus Pater*, et prædestinavit 26. conformes fieri imaginis **26** filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem 27, 28. prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos 29. et glorificavit. 30. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? 31. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? 32. (Sicut scriptum est : 33. Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus, propter eum 34. qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque 35. mors, neque 36. vita, neque angeli 37. neque principatus, *scilicet malus*, neque virtutes, *scilicet malæ*, neque instantia, *scilicet bona, vel mala*, neque futura, *id est bona, vel mala*, neque fortitudo, *id est vis*, neque altitudo, *id est promissio altitudinis*, neque profundum; *id est comminatio humiliationis* neque 38. creatura, *bona, vel mala*, alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est, *scilicet quam habemus per Christum*, in Christo Jesu Domino nostro.

CAPUT IX.

1. Veritatem dico (*ne quis diceret deprimere se legem, quia inimicaret Judæis.* In Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea 2. in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus **27** dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui

COMMENTARIUS.

liberemur, sed nondum in hac vita liberati sumus. A

22. *Similiter.* Quasi diceret : sicut spes roborat pusillanimitatem nostram, ita et spiritus adjuvat infirmitatem nostram, insinuans nobis quid facere debeamus.

23. August. (*Lib.* I *contra Maxim.*, fere initio, tom. VI.) *Sed ipse spiritus postulat.* Sic dictum est gemitibus interpellat, ut intelligeremus, gemitibus interpellare nos facit. Adest enim nobis [*al.*, vobis], et infundendo charitatem in nobis, facit interpellare nos gemitibus.

24. Lanf. *Omnia cooperantur.* Quasi diceret : non solum orationis cooperator est Spiritus sanctus in his qui diligunt Deum, sed etiam bonorum quæ fiunt ab eis.

25. *Nam quos.* Responsio cur dixerit propositum. B Et est ordo : nam quos præscivit conformes fieri imaginis filii sui, id est futuros imitatores vestigiorum Jesu Christi, et prædestinavit; ita ut ipse primogenitus sit in multis fratribus, id est, principatum habens in collegio sanctorum.

26. August. (*Lib. De dono persev.*, cap. 14.) *Prædestinavit.* Hæc est prædestinatio sanctorum, præsentia [*al.*, præscientia] scilicet, et præparatio beneficiorum Dei.

27. August. (*Lib.* XII *De civit. Dei*, cap. 15).*Conformes fieri.* Potest secundum hominem interiorem intelligi. Unde nobis alio loco dicit : *Reformamini in novitate mentis vestræ.* Potest et sic accipi ut nos illi efficiamur immortalitate conformes. Quod ad ipsam resurrectionem pertinet, secundum quod C primogenitus utique a mortuis est.

28. August. (*De verb. apost.*, serm. 16, cap. 1, 10). *Prædestinavit.* Prædestinavit nos Deus, antequam essemus; vocavit autem, cum aversi essemus; justificavit, cum peccatores essemus; glorificavit, cum mortales essemus.

29. Lanfr. *Glorificavit.* Hoc nondum factum est, sed fiet in futura vita.

30. *Quid ergo dicemus*, id est, quas dignas gratias referemus Deo pro his tantis bonis?

31. *Quid etiam Filio.* Quasi dicat; non solum dat nobis Deus non timere adversarios, sed etiam dat nobis omnia, sicut illum dedit nobis.

32. *An gladius?* Subaudis, nihil horum.

33. *Sicut scriptum est.* Et hoc probat.

34. *Propter eum*, id est propter ejus amorem.

35. *Mors*, id est comminatio mortis.

36. *Vita*, id est promissio vitæ.

37. *Angeli*, scilicet, mali.

38. Ambros. *Neque creatura.* Nec si arte et sublimitate astutiæ suæ, aliam fingat creaturam ad horam, sicut finxerunt Jamnes et Mambres coram Pharaone.

CAP. IX. — 1. Lanfr. *Veritatem.* Quasi quis diceret : qui quondam Ecclesiam Dei persequebaris, quomodo nunc ita loqueris? Incessanter inquit, doleo quod fecerim.

2. *In Spiritu sancto*, id est, per Spiritum sanctum, quem in se habet, a quo sibi veritas inspiratur.

3. *Optabam enim.* Exponit cur doleat, videlicet quo tempore persequebatur Ecclesiam Christi, optabat esse alienus a Christo : et hoc bono zelo fecisse

sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, *id est qui est adoptati sunt in filios*,et 4. gloria, et testamentum,et legislatio, et obsequium et promissa : quorum patres,et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. Non 5, 6. autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, *scilicet secundum carnem*, ii sunt 7. Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, 8. omnes filii, *scilicet secundum carnem* ; 9. sed in Isaac vocabitur tibi semen, *scilicet hæreditatis*, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine, *scilicet spirituali*, *id est*, *quales promisisti*, *sunt justi videlicet*. Promissionis enim verbum hoc est ; secundum hoc tempus *futuri anni*, *hac die* veniam, et erit Saræ filius. 10. Non solum autem illa, 11. 12. sed et(*hoc probat quia non omnes filii carnis, filii sunt Dei*) Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (ut secundum electionem, *id est gratiam*, propositum **28** Dei maneret, *propositum Dei fuit Jacob præferre Esau fratri suo.*) non ex operibus, sed ex vocante, *id est ex gratia vocantis*, dictum est ei : Quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Hoc testimonium est in Malachia propheta*, cap. I. Quid ergo dicemus ? 13, 14. Nunquid iniquitas apud Deum ? Absit ! 15. Moysi enim dicit : 16. Miserebor, cujus misereor ; et misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque

COMMENTARIUS.

indicat pro fratribus suis, quorum legem in prædicatione Evangelii destruere videbatur.

4. AUGUST. (ex lib. XII *cont. faus. Manicheum* cap. 3, in med.) *Et gloria*. Et quæ gloria eorum, nisi præcipue illa quia credita sunt illis eloquia Dei. Jam vero testamenta cur dixit ad Israelitas [*al.*, præcipue pertinere], nisi quia et Vetus Testamentum illis est datum, et Novum in Vetere figuratum ?

5. LANFR. *Non autem quod exciderit*. Superius dixit quia promissa æternæ hæreditatis facta sunt Judæis. Sed quia Judæi magna ex parte Christo non crediderunt, videbatur verbum Dei non esse completum. Ad hoc respondet : Non autem excidit verbum Dei. Verbum Dei excidere, vel excedere est, non implere promissa.

6. AUGUST. *Nunquid exciderit verbum Dei*. Quoniam dixerat dolorem habere se cordis continuum, causa incredulitatis eorum ; nunc consolabatur se,...... enim lege invenit, quia non omnes qui ex Israel vel Abraham sunt credituri. Minuit ergo dolorem inveniens hoc olim prædictum. Quorum adoptio ad Galatas dicitur : *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum ut adoptionem filiorum reciperemus*.

7. LANFR. *Israelitæ*. Non omnes fuerunt Israelitæ qui fuerunt sub cultura Dei et observantia legis. Quidam enim transierunt in ritus gentilium et culturam idolorum ; sicut tempore Jeroboam maxima pars eorum, hoc significante Deo, quod in adventu Christi quidam essent credituri, et maxima pars eorum in infidelitate remansuri.

8. *Omnes filii*. Filios vocat liberos ex legali conjugio procreatos, sicut ad Hebræos : *Ergo adulterini et non filii estis*. Ii soli Patris hæredes sunt.

9. AUGUST. (lib. XVI *De civ. Dei*, cap. 32). (*Sed in Isaac*) Exponens Apostolus quid sit *in Isaac vocabitur semen*, inquit : *Non filii sunt carnis, hi sunt filii Dei. Sed filii promissionis deputantur in semine*. Ac per hoc filii promissionis, ut sint semen Abrahæ in Isaac, in Christum vocante gratia congregantur.

10. LANFR. *Non solum autem*. Vel non solum illi

A sunt electi, alii reprobi ; nam neque ex operibus patris, aut matris, quia ex uno concubitu sunt ; et suis non, quia nondum aliquid fecerant, quia nati non erant.

11. AUGUST. (*epist. 105 ad Sixtum presbyt.*, sub finem, tom. II) *Sed et Rebecca*. Quo pertinet [*al.*, pertinuit] ut abderet ex uno concubitu, nisi ut non solum de suis, neque de parentum meritis, sed nec de ipsius, id est, unius patris mutata forte in melius voluntate gloriatur [*al.*, gloriaretur] Jacob dicens ideo a creatore se dilectum, quia pater ejus quando cum seminavit melioribus laudabilior moribus fuit? Ex uno, inquit, concubitu fuit unum tunc ad eos seminandos meritum patris, unum ad concupiscendos [*al.* concipiendos] matris meritum ; et cum eodem [*al.*,
B ex eodem] patre, eadem matre, uno concubitu antequam aliquid egissent boni aut mali, alterum Deus elegit, alterum odit. Intelligat Jacob ex illa massa iniquitatis originalis, ubi fratrem, cum quo habuit omnem causam, videt per justitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni.

12. LANFR. *Sed et Rebecca*. Ordo : Rebecca habens filios, ex uno concubitu Isaac.

13. *Nunquid iniquitas*. Iniquitatis videbatur esse Esau non peccantem reprobasse. Neque tamen hanc magnam et arduam quæstionem solvit.

14. AUGUST. (*ibid.* paulo ante) *Nunquid iniquitas*. Cum enim dixisset, absit ut sit iniquitas apud Deum! Itaque [tanquam] ei dicemus : Unde hoc ostendis,
C cum asseras Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ; *Major serviet minori ?* Moyses enim, inquit, dicit.

15. LANFR. *Moysi enim*. Non respondet quæstioni ; sed superiori sententiæ, qua dictum est *Jacob dilexi*, etc.

16. *Miserentis*. In Jacob, inquit, potest videri, quia neque voluntas, neque vita salvat hominem ; sed misericordia Dei, qua bona voluntas et bona opera inspirantur.

16. *Miserebor*, etc. Probat quia dilexit Jacob, quia omnes diligit secundum propositum, id est, gratiam ; nam dicit : *Miserebor*, etc.

currentis *scilicet ut salvetur*, sed miserentis est Dei. Dicit enim 17. Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam : et ut annuntietur nomen meum in universa terra. *Conclusio utriusque quæstionis.* Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Dicis itaque mihi : 18, 19. Quid adhuc quæritur ? voluntati ejus quis resistit ? 20. O homo, tu qui es, qui respondeas Deo ? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic ? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ? 21. Quod si Deus volens ostendere (*scilicet in futuro sæculo*) iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus. *Probat quia vocavit ex gentibus, sicut in Osee dicitur, c.* I., Sicut in Osee dicit : 22. Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non dilectam, dilectam ; et non misericordiam ⁂ consecutam, misericordiam consecutam. 23. Et erit, in loco, ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. *Probat quod ex Judæis vocavit, quia testatur Isaias, c.* I. Isaias autem clamat pro Israel, *pro conversione Israel* : 24. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, 25, 26. reliquiæ salvæ fient. 27, 28. Verbum (*vel verbum Christum breviatum, sicut illud ; Minuisti eum paulo minus ab angelis*) enim consummans, et abbrevians, *id est præcepta legis*, in æquitate, quia verbum breviatum faciet, *scilicet jubebit observari*, Dominus super terram, et sicut prædixit Isaias : 29. Nisi Dominus sabaoth reliquisset 30. nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, *id est penitus periclitati*, et sicut Gomorrha similes fuissemus. Quid ergo dicemus ? *Conclusio quod dicit : Ex gentibus vocavit*, quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam ; justitiam autem, quæ ex fide est. Israel vero sectando legem justitiæ, *id est carnales observationes, quæ per fidem justificantur*, in legem justitiæ non pervenit. Quare ? Quia non ex fide, *scilicet putabant hominem justificari*, sed quasi ex operibus : 31. offenderunt enim in lapidem offensionis, 32. sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali, et omnis qui credit in eum, non confundetur.

COMMENTARIUS.

17. *Scriptura.* Quamdam tantum utilitatem ex A induratione infidelium provenire ostendit ; neque probat tamen quod iniquitas non fuerit Esau reprobasse.

18. AUGUST. (*ibid.*) *Quid adhuc queritur ?* Hoc est enim dicere : Quid de nobis fit querela quod Deum offendimus male vivendo ; cum illius voluntati nemo possit resistere, qui nos obduravit misericordiam non præstando ?

19. LANFR. *Quid adhuc queritur ?* Audito hoc verbo, *quem vult indurat*, interrogare poterat carnalis homo, et voluntatibus vivens, adversus Deum murmurans, et divinæ voluntati non vitio suo deputans quod talis sit : Quid adhuc disputatur ? Intelligo quod sequitur. Nihil valet contra vitia labor meus, inutilis est industria mea. Talis ero qualem me Deus B voluerit esse. Voluntati enim ejus quis resistet ?

20. AUGUST. (*ibid.*) *O homo, tu quis es.* Satis sit interim ex Christiana fide [*al.*, Christiano ex fide], adhuc viventi, et nondum cernenti quod perfectum est, sed ex parte scienti nosse vel credere ; quod neminem Deus liberet nisi gratuita misericordia per Dominum nostrum Jesum Christum ; et neminem damnet nisi æquissima veritate per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Cur autem potius illum quam illum liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum ; verumtamen caveat præcipitium.

21. LANFR. *Quod si Deus volens.* Causam reddit cur infideles obdurentur, vedelicet ut, per patientiam tribulationis ab illis illatæ, fideles coronentur, C retribuente Deo in futuro.

22. *Vocabo non plebem.* Probatio quod vasa misericordiæ ex gentibus vocaverit Deus. Gentes enim non plebs Dei ante fidem erant.

23. *Et erit in loco.* Judæi per multas nationes etiam ante adventum Christi sparsi erant ; a quibus dicebatur sæpe gentibus quia plebs Dei non essent.

24. *Si fuerit.* Probatio quia vasa misericordiæ ex Judæis a Deo vocata sunt, fuerit ; inusitata translatione ita reperiatur : Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquæ convertentur ex eo : consummatio abbreviata mandavit justitiam ; consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

25. *Reliquiæ*, id est, viles pauci, qui de numero infidelium impiorum regnabunt.

26. AMBROS. *Reliquiæ salvæ fient.* Recedentibus Judæis a merito et promissione patrum, hi reliquiæ sunt, qui in fide persistunt.

27. *Verbum enim.* Quoniam, sublatis omnibus carnalibus legis observantiis, sola fides est posita ad salutem.

28. LANFR. *Verbum enim.* Verbum consummans vocat dilectionem Dei, et proximi, per quam salvati sunt plures sine legalibus observationibus.

29. AMBROS. *Nisi Dominus sabaoth.* Salvatorem relictum nobis dicit ad suffragium vitæ, quem ab initio Dominus nasci decrevit ; quem idcirco semen dicit, quia per ipsum reparatum est genus humanum.

30. LANFR. *Nobis semen.* Semen vocat apostolos et primitivam Ecclesiam.

31. *Offenderunt.* Causa cur non pervenerunt in legem justitiæ, et cur non credant hominem justificari ex fide.

32. *Sicut scriptum est*, subaudis, in quo fida æmulatio. Zelo bono nos æmulantur, si nesciunt quid faciunt, justitiam Dei quæ per fidem Christi est.

CAPUT X.

Fratres, voluntas *quasi quod dico, non dico pro odio Judæorum, quia pro eis oro Deum* quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent. *ideo obsecratio, quia æmulationem Dei habent*; sed non secundum scientiam. Ignorantes enim justitiam Dei, *quæ est per fidem Jesu Christi*, 1. et suam **30** quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti; *probat quia Christo non sunt subjecti. Quare non legi? quia Christus ad implementum legis est.* 2, 3. Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti. 4. Moyses enim scripsit quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea 5. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: 6. Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere; 7. aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum a mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura, *scilicet Moyses?* prope est, *id est prope esse debet, dicit Moyses:* verbum in ore tuo, et in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus. *Ratio cur in ore, non in corde debeat esse verbum Dei.* Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris, *quia omnis credens, confitens.* Corde enim creditur ad justitiam, *scilicet servandam;* ore autem confessio fit ad salutem *scilicet consequendam.* Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi et Græci; nam idem Dominus omnium, 8. dives in omnes 9. qui invocant illum. Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, 10. quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 11, 12. Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? 13. Sicut scriptum est: 14 Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, 15. auditus autem per verbum Christi. Sed dico, Nunquid non audierunt? *conclusio superiorum versuum ubi dicit: quomodo credent ei, quem non audierunt, et quomodo audient sine prædicante?* Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico: **31** 16. nunquid Israel non cognovit? *cognovit, quia Moyses et Isaias dixerunt.* Primus Moyses dicit: 17, 18. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insi

COMMENTARIUS.

CAP. X. — 1. *Et suam quærentes.* Quam putant esse per carnales observationes.

2. *Finis enim legis.* Exponit quæ sit justitia Dei, videlicet credere in Christum; in quem credere etiam legales observationes spiritualiter intellectæ suadebant. Et est sensus: Intentio legis, ut justitiam habeat homo, est; id est fides Christi.

3. AMBROS. *Finis legis.* Quoniam perfectionem legis habet qui credit in Christo.

4. LANFR. *Moyses* enim. Exponit legis justitiam, per quam Judæi sine fide Christi justos se esse putabant.

5. *Quæ autem ex fide est.* Ordo: sic dixit Moyses justitiam, quæ justitia est ex fide.

6. *Ne dixeris.* Cum audieris, inquit, prædicari Christum post resurrectionem suam ascendisse in cœlum, noli dicere in corde tuo: Mendacium est; quis enim ascendit in cœlum? Hæc enim tua infidelitas, quantum in te est, Christum de cœlo ad terram deducit.

7. *Aut quis descendit.* Similiter cum audieris prædicari descendisse eum in infernum, ne dicas in corde tuo: Mendacium est; quis enim descendit in abyssum? Hæc enim infidelitas tua, quantum in te est, Christum ex mortuis revocat.

8. AMBROS. *Dives in omnes.* Non dixit credentibus, sed invocantibus; fide enim sola datur remissio, precibus datur quod promisit Deus toto corde vigilantibus.

9. LANFR. *Qui invocant eum.* Huic invocationi adhibenda est fides, quia si non creditur, non invocabitur.

A 10. *Quem non audierunt.* Et fidei adhibendus est auditus et auditui prædicatio, et prædicationi missio.

11. AMBROS. *Quomodo vero prædicabunt.* Nisi enim a Christo mittantur, nulla his signa virtutum perhibent testimonium.

12. LANFR. *Quomodo vero prædicabunt.* Hic auctoritatem suam et aliorum Evangelium prædicantium commendat, ex eo quod sicut de Christo, ita et de his a prophetis prædictum erat.

13. *Sicut scriptum est.* Hoc totum commendatio Evangelii est, ut ei credatur.

14. AMBROS. *Quam speciosi pedes.* Pedes vocando, adventum designat apostolorum circumeuntium mundum.

B 15. LANFR. *Auditus autem.* Quasi diceret: non ex omni auditu fit salubris fides; sed ex eo tantum id quo auditur verbum Christi.

16. AMBROS. *Nunquid Israel non cognovit?* Hoc est, cognovit me? Quia arguerat eos incredulitatis, de omnibus videretur queri. Non negat Israel assecutum esse quod illi promissum fuerat in lege, sed eum qui spiritu Israel est.

17. *Ego ad æmulationem.* Æmulatio illis data est invidentiæ; dum vident gentem, quæ prius sine Deo fuit, Deum suum appellare qui fuerat Judæorum.

18. LANFR. *Ego ad æmulationem.* Ad æmulationem dicuntur Judæi, videntes gloriam et exaltationem sanctæ Ecclesiæ; quæ ante fidem non gens Dei erat.

pientem ; in iram vos mittam. 19. Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me ; palam apparui iis qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit : Tota die 20. expendi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.

CAPUT XI.

Dico ergo : Nunquid Deus repulit, *scilicet ex toto*, populum suum ? Absit ! Nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin, *et non repulit plebem suam :* non repulit Deus plebem suam, *scilicet creaturam*, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, *id est ubi loquitur de Elia*, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam *Est scriptum in tertio lib. Regum.* Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo, et in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus ; alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo ? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus : 1. electio autem consecuta est ; cæteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est : Dedit illis Deus 2. spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit : Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum et in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Dico ergo : 3. Nunquid sic offenderunt, ut caderent? Absit ! Sed illorum delicto salus est gentibus, 4. ut **32** illos æmulentur, 5. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et 6, 7. diminutio eorum divitiæ gentium, 8. quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico gentibus : Quandiu quidem ego sum gentium Apostolus, 9. ministerium meum honorificabo, 10. si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, 11. et salvos faciam aliquos ex illis. 12. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi ; 13. quæ assumptio, nisi vita ex mortuis ? Quod si 14. delibatio sancta est, et massa ; et si radix sancta, et rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum

COMMENTARIUS.

19. *Isaias audet.* Isaias, inquit, pro Judæis non dimisit quid bonum gentibus, quod futurum erat, et malum quod Judæis futurum erat, prædiceret.

20. *Expandi manus meas.* Vel manus in cruce extensas dicit, vel potius opera quæ inter Judæos Dominus operatus est.

CAP. XI. — 1. Lanfr. *Electio autem.* Non secundum merita.

2. *Spiritum compunctionis.* Malam compunctionem hic significat, qua sæpe fit ut etiam bonum homini sit molestum.

2. *Fiat mensa eorum in laqueum.* In laqueum et in cætera quæ sequuntur facta est Judæis Scriptura ipsorum, quam male intellexerunt. Scriptura autem mensam vocat, quia intelligentibus panis est animæ.

3. *Nunquid sic offenderunt ?* An, inquit, peccatum eorum, tantummodo operatum est casum animæ eorum ?

4. *Ut illos æmulentur.* Hoc sæpe factum est, et plenius fiet in fine sæculi quando Judæi Christianos persequentur in fide Christi. Potest etiam intelligi ut gentes Judæos æmulentur, id est ut credant, sicut et ipsi credebant. Vel ut Dei æmulatione circa opera eorum mala moveantur.

5. *Quod si delictum illorum.* Delictum Judæorum ditavit mundum, quia nisi ipsi Dominum crucifixissent, crux Christi, et resurrectio, et ascensio ejus prædicata et credita in mundo non esset.

6. Ambros. *Diminutio eorum.* Diminutio vel amissio eorum est, damnum promissionis, per quod gentes lucratæ sunt vitam æternam.

7. Lanfr. *Diminutio eorum.* Diminutionem Judæorum vocat apostolos, quia illis discedentibus ab infidelitate eorum ; populus ille in sua infidelitate persistens, ex quadam parte mansit diminutus.

A 8. *Quanto magis plenitudo.* Plenitudo Judæorum qui in fine mundi credituri sunt, maxime ditavit gentes, quia exemplo eorum provocatæ convertentur ad Christum.

9. Ambros. *Ministerium meum.* Ministerium suum, quo Apostolus gentium est, honorificat ; si et illos ad quos non est missus, lucretur ad vitam.

10. Lanfr. *Si quomodo ad æmulandum.* Quasi diceret : Judæos quos prædicando ad Christum convertere non possum honore saltem quo vos honoro, ad credendum Christo invitare conabor.

11. *Salvos faciam aliquos.* Quid ad te de Judæis, cum Apostolus gentium sis ! Volo honorare ministerium meum ; quod quidem honoraretur, si Judæi crederent ; qui in lege sapientes erant. Gentes autem B quasi stulti reputabantur et mobiles, quia tam cito credebant ; quod illis non exprobraretur, si Judæi crederent qui stabiles et sapientes esse putabantur.

12. *Si enim amissio.* Repetitio superioris sententiæ. Quod enim superius vocavit diminutionem, hic vocat amissionem.

13. *Quæ assumptio.* Assumptio Judæorum, cum ad fidem Christi in fine mundi assumpti fuerint, vita erit ex mortuis. Vel quia multos mortuos peccatis, exemplo illorum provocatos, invenit in fide Christi, quia paulo post certe erit resurrectio mortuorum, id est finis mundi.

14. *Delibatio sancta.* Admonet gentes ne superbiant, et ne Judæos despectui habeant, dicens : C Quia si apostoli sancti sunt, certum est etiam quod in ipso populo multi sancti sunt ; et si nondum re, spe tamen et præsentia divina. Est autem delibatio prava ex aliqua re assumptio, ut ex pomis, vel ex cibo, vel ex potu.

oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis 15. olivæ factus es; noli gloriari adversus ramos. 16. Quod si gloriaris : non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo ; fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit : ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, severitatem ; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es 17. in bonam olivam, quanto magis ii qui secundum naturam inserentur suæ olivæ? Nolo enim **33** vos ignorare fratres 18. mysterium hoc. 19. (ut non sitis vobis ipsis sapientes) *sibi sapientes essent, si Judæis non amplius posse putarent;* quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : 20. Veniet ex Sion, 21. qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me, *scilicet complebitur*, testamentum, cum abstulero peccata eorum, 22, 23. 24, 25. secundum Evangelium quidem, inimici propter vos ; secundum electionem autem, charissimi, propter patres, 26, 27. sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. 28. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum, ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. 20. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. 30. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? 31. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.

34 CAPUT XII.

1. Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, 2. ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem,

COMMENTARIUS.

15. *Olivæ.* Olivam vocat populum Judæorum; radicem, fidem; pinguedinem, bona opera.

16. *Quod si gloriaris.* Audi quid tibi dicam : Non tu radicem portas, sed radix te, id est, populus Judæorum a te fidem non accepit, sed tu ab eo.

17. AMBROS. *In bonam olivam.* Olivam fidem per quam Abraham justificatus est, accipiamus. Oleastrum vero, quia agrestis est, et infructuosa natura, perfidiam significat.

18. LANFR. *Mysterium hoc,* id est, quo Judæi excæcati sunt ex parte.

19. *Ut non sitis vobis ipsi,* id est, ut non videamini vobismetipsis sapientes.

20. *Veniet ex Sion.* Posteriorem sententiam probat ex auctoritate prophetica, et sic omnis Israel salvus fieret.

21. *Qui eripiat.* Et hæc ereptio non secundum corpus erit; sed hoc testamentum, id est, quod testor eripiendos illos, erit auferendo peccata eorum. Vel quia dixerat ne quis putaret hoc ab alio fieri, dicit : Quod testor a me factum erit.

22. *Secundum Evangelium* Propter Evangelium, inquit, quod prædico propter vos salvandos, inimici mihi sunt Judæi. Electi tamen eorum charissimi mihi propter patres ; id est patriarchas et prophetas, quorum fidem imitantur.

23. *Secundum Evangelium quidam inimici,* etc. Ne quis diceret Judæos in corde odio habuisse, foris autem verbis eis placere, et ita adulari, dicit : Secundum Evangelium, quod est contrarium.

24. AUST. (*De præd. sancti lib.* I, cap. 16 tom. VII). *Secundum Evangelium.* Quid est secundum Evangelium quidem inimici propter vos, nisi quod inimicitia qua occiderunt Christum, Evangelio, sicut videmus, sine dubitatione profecit? Et hoc ostendit ex Dei

A dispositione venisse, quam [*al.*, qui] uti bene novit etiam malis ; non ut eis [*al.*, ei] prosint vasa iræ, sed ut ipso illis bene utente, prosint vasis misericordiæ.

25. AMBROS. *Secundum Evangelium.* Causa incredulitatis inimici sunt Evangelii, ut error et delictum eorum gentibus aperiret viam intrandi ad fidem.

26. *Sine pœnitentia.* Gratia in baptismate non quærit gemitum aut planctum.

27. LANFR. *Sine pœnitentia.* Ratio cur dixerit secundum electionem. Quibus enim Deus fidem suam inspirat; sine præcedente pœnitentia eorum inspirat; seu quos ad vitam æternam elegit, sine mutatione sui consilii elegit.

28. *Sicut enim aliquando.* Sic iterum exponit mysterium cur Judæi ex parte cæcati sunt.

B

29. AMBROS. *Conclusit enim Deus.* Hoc est omnia conclusisse in incredulitate, ut tunc decretum donum a Deo veniret; quando omnes diffidentia laborarent, ut gratia muneris esset gratissima.

30. LANFR. *O altitudo.* Ne quis profundiora in superioribus quereretur, occurrit, dicens : *O altitudo!* etc.

31. AMBROS. *Quoniam ex ipso.* Quia omnium creator Deus est. Ex ipso sunt omnia (Patre) et quia ipse operatur per Filium, per ipsum sunt omnia; et quoniam quæ ex Deo, per Deum sunt, post renata in Spiritu sancto sunt, in ipso sunt omnia, quia Spiritus sanctus de Deo est Patre.

CAP. XII. — 1. AMBROS. *Obsecro itaque vos.* Post

C tractatum legis et fidei, Judaicum populum et Gentiles ad bonam vitam agendam hortatur.

2. *Ut exhibeatis corpora vestra.* Corpora enim subjecta peccatis, non viva habentur, sed mortua.

sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari, *similes fieri sapientibus in rebus*, huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis 3. quæ sit voluntas Dei bona, et bene placens et perfecta. *Ideo dicit hoc, quia superius dixerat quasdam insolubiles quæstiones.* 4. Dico enim, per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos : Non plus sapere quam oportet sapere, 5. sed sapere ad sobrietatem, 6. et unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei. 7. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, 8. differentes *secundum rationem fidei, scilicet habemus differentes, et cætera eodem modo*, 9. sive prophetiam secundum 10. rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive 11. qui docet in doctrina, 12. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes *(scilicet sitis)* malum, *vel digressio fuit de hoc quod dicit, dico enim per gratiam*, adhærentes bono : charitate fraternitatis invicem diligentes ; honore invicem prævenientes ; 13. sollicitudine **35** non pigri, 14. spiritu ferventes. Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, *id est aliquid largientes*, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere. Gaudere, *scilicet idipsum, id est eamdem rem*, cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipsum invicem sentientes, *id est volentes*, non alta sapientes *superbientes*, sed humilibus consentientes. 15. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, 16. nulli malum pro malo reddentes, 17. providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, 18. si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non *subaudis sitis*, vosmetipsos defendentes, charissimi, sed 19. date locum iræ; scriptum est enim : Mihi vindicta, *subaudis servate vindictam*, ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens 20. carbones ignis congeres super caput, *id est mentem* ejus. Noli vinci a malo, *id est vitio*, sed vince in bono, *id est virtute*, malum.

COMMENTARIUS.

3. LANFR. *Quæ sit voluntas Dei bona*, id est, faciens bonos, et benefacientes et perfectos.

4. *Dico enim*. Per gratiam, inquit, qua me Deus Apostolum vestrum fecit, omnibus præcipio non plus investigare opera Dei quam oportet.

5. *Sed sapere*. Sapere, id est intelligere, debetis secundum differentias donorum Dei, quia omne donum Spiritus sancti differens est : quod est, *habentes donationes*, etc., infra.

6. *Et unicuique*. Ordo : sic Deus divisit unicuique mensuram donorum suorum ; quæ fides credentium promeretur.

7. *Sicut enim*. Exponit qualiter dona Dei divisa sunt fidelibus, videlicet sicut diversa officia diversis unius corporis partibus sunt distributa, ut humilitas in omnibus conservetur.

8. *Differentes*. Vel donationes differentes, vel nos differentes.

9. AMBROS. *Sive prophetiam*. Prophetia pro modo fidei datur. Minister ad obsequium fraternitatis præbendum, in quantum credit, firmatur.

10. LANFR. *Rationem fidei*. Fides, et prophetiam et cætera quæ sequuntur facit habere credentes. Nisi enim crederent, non haberent. Et in cæteris secundum rationem fidei subintelligi debet. Et est sensus : prophetiam habentes debemus esse singuli membra ; sive habentes mysterium, debemus ministrando esse alter alterius membra, et cætera eodem modo.

11. AMBROS. *Qui docet*. Ad disciplinam cœlestem A tradendam ex fide adjuvatur.

12. *Qui exhortatur*. Similiter qui exhortatur ad bonum. Similiter qui simpliciter largitur, et qui præest, juxta fidem accipit vigilantiam, eo modo qui lætus misericordiam facit, secundum fidem roboratur.

13. *Sollicitudine non pigri*. Hoc est quod dicit Jeremias : *Maledictus qui facit opera Domini negligenter*. Ideo subjecit :

14. *Spiritu ferventes*. Hoc est, exercitio divini operis aut legis non sint tepidi.

15. LANFR. *Nolite esse prudentes*. Nolite, inquit, prudentiam vestram apud vosmetipsos tantum excedere, sed magis apud proximos.

16. *Nulli malum*. Malum vitium, videlicet ut vin-B dicet se.

17. AMBROS. *Providentes bona*. Providere bona est futura ante oculos habere, ut ea gerantur quæ laudis sive apud Deum sint, sive apud homines.

18. *Si fieri potest*. Quod si non fuerit amator pacis, tu tamen velis esse pacificus, quantum ad te pertinet. Si autem irreverens et blasphemus quis sit, et pacem cum illo habere non possis, non utique tibi ascribendum erit.

19. LANFR. *Date locum iræ*. Dat locum iræ, qui adversarium permittit facere quod vult.

20. *Carbones ignis*, id est, fervorem charitatis, vel Spiritus sancti, ut tuo exemplo provocatus, et ipse bonum faciat.

CAPUT XIII.

Omnis anima potestatibus sublimioribus 1. subdita sit; (*hoc dixit ne subirent, quia dixerat filios Dei liberos esse*) non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt 2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac et 3 habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, 4. time; non enim **36** sine causa gladium portat. 5, 6. Dei enim minister est, 7 vindex in iram ei qui malum agit. Ideoque necessitate subditi estote, 8. non solum propter iram, *scilicet vitandam*, sed etiam propter conscientiam, *scilicet vestram in bono servandam, vel a malo liberandam*. Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, 9. in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, (*tributum vocabant, quia subditi domi solvebant, quæ ipsi subditi ad domos seniorum vehebant*) tributum: cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. 10. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; *quemcunque diligitis, intelligite vos plus debere diligere*. Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, *id est, qui diligit proximum*, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Et hoc scientes tempus: Quia hora est jam nos de sommo surgere. Nunc enim propior est nostra salus, (*et quanto quisque propior est morti, tanto propior saluti*) quam cum credidimus. 11. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. 12. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, 13. et induamur arma lucis. Sicut in die, honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.

CAPUT XIV.

1, 2. Infirmum (*quia erant quidam suilla carne viventes, quidam non, modificat eos Apostolus, infirmum vocat, qui debere cura* [f., *carnem*] *edere non credebat*) **37** autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim, *id est iste perfectam fidem habet*, credit se manducare omnia; qui autem infirmus, *scilicet in hac fide*, est, olus manducet, *id est permittatur abstinere*. Is qui manducat, *scilicet omnes cibos*, non manducantem non spernat 3. et qui non manducat, *id est*

COMMENTARIUS.

CAP. XIII. — 1. LANFR. *Subdita sit*. Subdi debet, quia non debet resistere. Nam si resistat, Dei ordinationi resistit; potestas enim Dei ordinatio est, quia omne quod a Deo est, Dei ordinatio est, potestas autem a Deo est; non est enim potestas nisi a Deo.

2. *Itaque qui resistit potestati*. In his scilicet quæ ad potestatem pertinent, id est, tributis, vectigalibus, et cæteri hujusmodi.

3. *Habebis laudem*. Laus habetur ex potestate, qualiscunque sit. Aut enim bona est, et bonum laudat; aut mala, et bonum persequitur; et sic per patientiam illatæ tribulationis, servus Dei laudatur.

4. *Time; nam non sine causa gladium portat*. Et hoc probat, quia cum causa: et hoc probat, Dei enim minister est.

5. *Dei enim*. Causa cur timeri oporteat.

6. *Dei enim minister*. Alia causa cur qui resistunt, damnationem sibi acquirunt.

7. *Vindex in iram*. Subaudis: in eum qui male agit. Ideo enim a Deo ordinati sunt, vel propter iram et conscientiam.

8. AMBROS. *Non solum propter iram*. Id est, propter præsentem ultionem, sed propter futurum judicium, ubi, accusante conscientia, punientur.

9. LANFR. *In hoc ipsum*. Ut boni laudentur, mali puniantur. Potest et per parentes intelligi *ministri enim Dei sunt*, ut sit continuatio sensus *præstatis, in hoc ipsum servientes*, scilicet Deo placentes.

A 10. AUGUST. (*epist.* 135 *ad Severum abbat.* tom. II), *Nemini quidquam*. Charitatem tanto magis debemus, quanto apprehenderimus [*al.*, quanto amplius impenderimus], cujus nos perpetuos debitores ostendit Apostolus dicens: Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis.

11. AMBROS. *Nox præcessit*. Noctem veterem hominem significat; hunc præteriisse dicit: diem autem appropinquasse, id est Christum, cujus lumine veritas nobis apparuit.

12. *Abjiciamus ergo*. Id est vitia carnis, quæ occulta sunt, et digna sunt tenebris.

13. *Induamur*. Boni actus, arma lucis sunt, impugnantes opera tenebrarum.

CAP. XIV. — 1. AMBROS. *Infirmum autem*. Ex B Judæis erant qui Romanos ad fidem assumpserant. His videbatur carnem prohibitam edere non debere; quos ideo infirmos vocat. Aliis contra videbatur; quos hic disputantes apostolus, concordiæ consulens revocat.

2. LANFR. *Infirmum autem*. Perfectæ fidei Christianorum est, nullum cibum immundum putare, quia omnia munda mundis. Quidam tamen in hac fide infirmi, a quibusdam cibis censebant abstinendum. Cujusmodi hominem præcipit Apostolus non spernendum, sed cum charitate assumendum ita ut nec in cogitationibus judicaretur reus.

3. AUGUST. (*De Agone Christiano*, c. 27, t. III). *Qui non manducat*. Dicitur judicium pro damna-

abstinens, manducantem non judicet, *id est male existimet;* Deus enim illum assumpsit, *id est, et manducantem et abstinentem.* Tu quis es, qui judicas alienum servum ? 4. Domino suo stat, aut cadit : stabit autem ; potens est enim Deus statuere illum. Nam alius 5. judicat diem inter diem : alius autem judicat omnem diem : 6. Unusquisque in suo sensu abundet. 7. Qui sapit diem, Domino sapit, *id est, ad honorem Domini*, et qui manducat, *id est, omnes cibos*, Domino, *id est, ad honorem Domini*, manducat : (*Domino manducat quia non sibi, neque enim vinum sibi bibit; neque etiam sibi moritur*) gratias enim agit Deo, *pro collata abstinentia.* Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. 8. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur, sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem *scilicet abstinens* quid judicas fratrem tuum ? *scilicet manducantem.* Aut tu quare spernis fratrem tuum ? 9. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim : vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus; sed hoc judicate magis, 10. ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum 11, 12. Scio et confido in Domino Jesu quia nihil commune **38** per ipsum. 13. nisi ei qui existimat quid commune esse 14. illi commune est, 15. Si enim propter cibum, *scilicet quem sumis, vel a quo abstines*, frater tuus contristatur : jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim 16. regnum Dei, esca et potus ; sed justitia, pax, et gaudium in Spiritu sancto ; qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt, sectemur; et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. 17. Noli propter escam destruere opus Dei, *id est, charitatem.* 18. Omnia quidem sunt munda ; sed malum est homini, qui 19. per offendiculum manducat. Bonum est 20. non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut in-

COMMENTARIUS.

tione. Dicit Apostolus : *Qui non manducat, manducantem non judicet*, id est, non de illo male existimet, et Dominus dicit : *Nolite judicare, ne judicetur de vobis.*

4. LANFR. *Domino suo stat*, id est, ad laudem sui Domini, et perfectam fidem habeat, et in fide infirmatur ; bona enim intentione hoc agit.

5. *Judicat diem*, hoc est, quidam certis diebus ; quidam omni die putant abstinendum.

6. *Unusquisque.* Quasi diceret : qui putat omnibus utendum, cum gratiarum actione utatur. Et qui putat abstinendum, propter Deum abstineat.

7. *Qui sapit*, id est, intelligit in abstinentia observandum diem.

8. AUGUST. (*De expos. in ps.* CXLIV). *Sive enim vivimus.* Sicut magnitudinis Domini non est finis, sic tuæ laudis non erit finis Non enim cum mortuus fueris in hac carne, desines laudare Deum. Unde factum est ut ejus sis et mortuus? quia pretio sui sanguinis te redemit et mortuus; quomodo perdit servum mortuum, cujus mors est pretium tuum? Ideo cum dixisset, *sive vivimus, sive morimur ; Domini sumus*, ut ostenderet ipsum pretium. *Ad hoc enim*, inquit, *Christus mortuus est.* 9. LANFR. (*Omnes enim stabimus*) Ne spernas, sed de te sis sollicitus; unusquisque enim pro se rationem reddet, quia omnes stabimus ante tribunal Christi.

10. (*Ne ponatis offendiculum*) Ne ponas offendiculum fratri, id est, ne contristes : nam si contristas, non ambulas secundum charitatem.

11. AMBROS. *Scio et confido.* Manifestum est Salvatoris beneficio omnia munda esse ; qui de sub jugo legis eruens homines, reddidit statum pristinum libertatis.

12. LANFR. *Scio et confido.* Sententiam fert inter duos superiores dicens : Nullam creaturam per Christum factam esse communem, id est, immundam. Commune enim immundum vocabant Judæi.

13. AMBROS. *Nisi ei qui existimat*, id est, illi immundum est, qui putat non edendum. Et quia non hoc superstitione facit, sed timore suo, judicio reservandum.

14. LANFR. *Illi commune.* Quasi diceret : revera nihil est immundum, sed qui putat aliquid esse immundum, in sola ejus opinione est immundum.

15. *Si enim propter cibum.* Non contristes; si enim contristas propter cibum, perdis cibo tuo illum ; sed perdere non debes, nam Christus pro eo mortuus est. Ergo non contristes ; quod est non ergo blasphemetur bonum nostrum. Et ponit quod est consequens contristare, quia ex contristare consequitur quod blasphematur Christianitas.

16. *Regnum Dei esca* Esca, vel potus sive sumptus non facit hominem habere regnum Dei, sed justitia, et cætera.

17. AMBROS. *Noli propter escam.* Homo opus Dei est ; et iterum opus Dei est, dum reformatur per regenerationem.

18. *Omnia quidem.* Cum per naturam animalia munda sint, dubitantibus tamen fiunt immunda, et erit illi offendiculum, qui cum dubitat, comedit tamen.

19. LANFR. *Per offendiculum*, hoc est, qui sua comestione non manducantem scandalizat.

20. *Non manducare.* Hoc est quod dicit, si impræsentiarum sit ille qui abstinet, et ita infirmus sit ut patienter non possit cernere utentem creaturis Dei, eum qui fidem habet omnibus utendi, melius est fidem habenti ab eis abstinere quam abstinendi molestiam sua perceptione ingerere.

firmatur. Tu fidem habes? *scilicet omnibus utendi*, penes temetipsum habe coram Deo. 21. Beatus 22. qui non judicat semetipsum, *id est, culpabilem facit* in eo quod probat. 23. Qui autem discernit, 24. si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. 25. omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.

39 CAPUT XV.

Debemus autem, non firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere et non nobis placere. 1. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed, sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. 2. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, 3. sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. 4. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. 5, 6, 7. Gentes (*probat quia suscepit gentes, vel honorare Deum gentes, ab auctoritate prophetarum*) super misericordia, *scilicet dico debere*, honorare Deum, sicut scriptum est : 8. Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit : 9. Lætamini, gentes, cum plebe ejus. Et iterum : Laudate omnes gentes Dominum, et magnificate eum, omnes populi. Et rursus Isaias ait : 10. Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti. 11. Certus autem sum, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam **40** et ipsi pleni estis dilectione, 12. repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. 13. Audacius autem scripsi

COMMENTARIUS.

21. AMBROS. *Beatus qui non judicat.* Hunc beatum dicit qui non aliud facit quam sibi utile probat.

22. LANFR. *Qui non manducat.* Non manduces coram fratribus, quia si non manducas, beatus es. Et hoc probat ; nam omnis est beatus, qui non judicat se, id est, culpabilem facit. quod est dum non manducat ne offendat.

23. *Qui autem discernit.* Qui autem discernit cibos ; id est, qui putat alios mundos, et alios esse immundos, damnatus est ; quia non ex fide. Fides enim nostra vult ut homo id agat quod intelligit bene esse agendum.

24. *Si manducaverit*, etc. Probat quod qui non judicat se, id est non manducat, beatus est, nam omnis manducans damnatus ; quod ita dicit : *qui* B *autem discernit si manducaverit*, etc. Et sunt multa contraria, non judicat, et manducans probat et discernit, id est, non probat comedendum beatus, et damnatus.

25. *Omne autem quod non est ex fide.* Damnatus. quia peccatum est quod facit, et hoc probat ita : *Omne quod non est ex fide peccatum est;* Sed hoc non ex fide ; sed hæc assumptio præmissa est, ubi dicit *quia non ex fide.*

CAP. XV. — 1. AMBROS. *Unusquisque vestrum.* Commonet ut charitati studentes, proximis placeant ad id quod utile est. Hæc enim ædificatio.

2. LANFR. *Quæcunque scripta sunt.* Quasi diceret aliquis : quid vita Christi ministrari fecisse sibi circumcisionem, propter veritatem? quid prophetia de Deo? quid ad institutionem morum nostrorum? Ad hoc respondet : *Quæcunque scripta sunt*, etc.

3. *Sicut et Christus*, etc. Suscepit vos, et Judæos et gentes probando ; sed monstrat quomodo Christus condescenderit nobis, quia circumcisus fuit, et nos condescendamus infirmis.

4. *Dico enim.* Laus Judæorum. Dicit enim Chri- A stum ministrari fecisse sibi circumcisionem, propter veritatem Dei complendam, et promissiones ad patres factas. Promissum enim fuerat quod ex Judæorum semine orturus esset : in quo benedicerentur omnes. Aliter. Ministerium circumcisionis, id est, ad populum Judæorum, ut veritas Dei et promissiones ejus ad patres factas complerentur. Quales sunt: *Dabo vobis germen* (vel decorem) *justitiæ*, et : *Prophetam vobis suscitabit Deus*, etc.

5. *Gentes autem.* Probat quia suscepit gentes, vel honorare Deum gentes, ab auctoritate Judæorum.

6. AMBROS. *Gentes autem.* Quia enim his promissio nulla erat, quasi indigni, per solam misericordiam Dei, ad salutem assumpti sunt.

7. LANFR. *Gentes autem.* Laus gentium. Dicit enim tantæ curæ fuisse Deo, ut ad salvandas eas prophetas suos prædiceret. His laudibus æquales eos inter se esse ostendit, ut alter præferre se alteri non præsumat.

8. *Propterea confitebor.* Vox Christi qui in gentibus confitetur Patri quia per ejus conversionem (vel prædicationem) conversæ sunt ad culturam unius Dei.

9. *Lætamini gentes.* In Isaia sic scriptum est : *Lætamini cum Jerusalem ; et exsultate in ea omnes qui diligitis eam.*

10. *Erit radix Jesse.* Ordo : Jesse erit radix, etc. Subaudis *ex hac radice erit qui exsurget regere gentes.* C

11. *Certus sum autem*, etc. Benevolos illos reddit. quasi ego corripui vos, quin sciam vos invicem diligere ; nec ideo admonui quin sciam vos sapientes esse, sed officium meum est monere vos.

12. *Repleti omni scientia.* Humilitas Apostoli. Dicit enim scripsisse eis, non quod ipsi indigerent. Repleti enim, ut ipse fatetur, omni scientia ; sed officii sui necessitate coactum ; quod Apostolus gen-

vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam, quæ data est mihi a Deo. ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto. 14, 15. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. 16. Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim, *id est, plene prædicaverim* Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem ; sed sicut scriptum est *in Isaia, cap.* 52 : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt ; et qui non audierunt de eo, intelligent. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare, *id est, necessaria corporis afferre* sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. (*Debitores sunt in carnalibus, et hoc probat a majori, quia ab eis spiritualia acceperunt, quod est majus.*) Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, *id est, ab Hierusalem doctrina fidei, et bene vivendi, per apostolos lata est ad gentes ;* debent et in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc ; per vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam. Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem sancti Spiritus ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, ut veniam ad vos in gaudio, per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

41 CAPUT XVI.

1. Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit ; etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. Salutate Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu, (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt; quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ gentium) et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui et primitivus Asiæ in Christo. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Salutate Andronicum et Juniam, cognatos et concaptivos meos : qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Urbanum, adjutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn dilectum meum. Salutate Appellen probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo ; qui sunt in Domino. Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, 2. et matrem ejus, et meam Salutate Assyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt, Fratres. Salutate Philologum et Juliam, Nereum et sororem ejus, et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium.

COMMENTARIUS.

tium a Deo constitutus erat.

13. *Audacius autem.* Audaciæ videbatur esse repletis omni scientia scribere.

14. Ambros. *Habeo igitur gloriam.* Gloriam dicit se habere apud Deum per Christum. Credentes (*al.*, credens) enim in Christum, meritum sibi fecit apud populum, in tantum ut de se esse nihil dicat quod non operatus sit Christus per illum, ut exhortationem ejus virtus commendaret.

15. Lanfr. *Habeo igitur gloriam.* Quidquid, inquit, putent me hominem [*l.*, homines] esse, ego tamen scio me habere gloriam apud Deum in prædicatione Jesu Christi ; quia propter honorem Dei et salutem gentium ago quod ago.

16. *Non enim audeo.* Alia causa cur habeat gloriam apud Deum ; quidquid enim loquitur, quidquid

A operatur Christus in eo, et per eum loquitur et operatur, ut Evangelio obediant.

CAP. XVI. — 1. Lanfr. *Commendo autem vobis Phœben.* Ditissima et nobilissima mulier fuit, quæ Ecclesiam Dei, quæ apud locum qui Cenchris dicitur, erat, sua substantia sustentabat. Ea tunc temporis pro quodam negotio Romam profecta est. Per hanc fortasse, istam misit epistolam.

2. *Et matrem ejus et meam.* Vel matrem suam cum matre illius præcipit salutandam. Vel unam eamdem feminam matrem illius dicit, et suam illius secundum carnem, suam beneficio.

3. *Vestra enim obedientia.* Causa cur roget eos : obedientes enim rogandi sunt, inobedientes increpandi.

3. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis.Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. Deus autem pacis 4.conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason et Sosipater, cognati mei. 5. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam, in Domino. Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus Arcarius civitatis, et Quartus frater. **42** Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen. 6, 7. Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, et prædicationem Jesu Christi, 8. secundum revelationem 9. mysterii temporibus æternis taciti, (quod nunc patefactum est 10. per Scripturas prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, soli sapienti Deo 11. Per Jesum Christum, 12. cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

4. *Conterat Satanam.* Satanam sub pedibus Ecclesiæ Dominus contrivit, quia membra ejus, quibus Ecclesiam persequebatur, ad fidem conversa, ipsi Ecclesiæ subjugavit.

5. *Saluto vos.* Ordo : saluto vos in Domino. Tertius iste notarius fuit Apostoli, qui hanc scripsit Epistolam.

6. Ambros. *Ei autem.* Ei qui potens est vos confirmare soli sapienti Deo gloria in sæcula sæculorum.

7. Lanfr. *Ei autem,* id est, qui potest vos ad tantam perfectionem ducere, quantam prædico, et quantam Christus prædicavit, et prædicandam instituit.

8. *Secundum revelationem,* id est, ut ita credatis, sicut mysterium Dei revelatum est, et ponit singulare pro plurali.

9. *Mysterii.* Mysterium vocat incarnationem Jesu Christi, et cætera quæ æternis temporibus erant A tacita. Quamvis enim ex quadam parte antiquis Patribus essent cognita, plene tamen a nullo fuerunt scita, quoad usque suo tempore per Jesum Christum fuerunt revelata.

10. *Per Scripturas prophetarum.* Scripturas prophetarum revelavit Christus apostolis suis, sicut in Evangelio legitur : *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas,* etc.

11. Ambros. *Per Jesum,* id est, per Jesum Christum ; quia, ut alia taceam, ipse præcepit gentes baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ubi præcipue commendata est hujus individuæ gloria Trinitatis.

12. *Cui honor.* Quod vero additum *cui,* ut diceret cui, cum sufficeret si dictum esset, *ei autem gloria,* B inusitatam nostræ linguæ indicat locutionem non sensum quem requiramus vel de quo ambigamus insinuat.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIMA

CUM GLOSSULA INTERJECTA B. LANFRANCI.

Argumentum. — Corinthii sunt Achaici, et hi similiter ab Apostolo audierunt verbum veritatis ; et subversi sunt multifarie a falsis apostolis, quidam a philosophiæ verbosa eloquentia, alii secta legis Ju- C daicæ inducti sunt. Hos revocat Apostolus ad veram fidem et evangelicam sapientiam, scribens eis ab Epheso per Thimotheum discipulum suum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus vocatus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, 1. sanctificatis, *habitatis,* in **43** Christo Jesu, vocatis sanctis, *ut sancti sint.* 2. cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, 3. in omni loco ipsorum, et nostro, *id est in Ecclesia, in qua sunt omnia communia.* Gratia, *remissio peccatorum, vel observantia bonorum operum,* vobis, et pax, *id est, reconciliatio apud Deum* a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 4. Gratias ago Deo meo

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. Ambros. *Sanctificatis.* Ideo, qui regenerati in Christo, sanctificati sunt.

2. August. (*in Expos. psal.* li, tom. VIII). *Omnibus qui invocant.* Isti qui propter sæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præsentem et terrenam felicitatem invocant Dominum [*al.*, Deum], non invocant Deum.

3. Lanfr. *In omni loco.* Verba, inquit, et scieniam tenetis, sicut testimonium Christi, id est in- D carnationis ejus et passionis et cæterorum confirmatum est, et a vobis inter vos diversis Veteris Testamenti auctoritatibus.

4. Ambros. *Gratias ago meo Deo.* Quanquam omnibus in Ecclesia scribat, ita significat, cum aliquando corripit, aliquando laudat, ut unusquisque cum legit, intelligat quid pro se, quid adversum se dicatur.

semper pro vobis in, *pro* gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, *in fide Christi;* 5. quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, *ut possitis prædicare,* et in omni scientia; *et sciatis quid sit prædicandum :* sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : *quæ vobis de Christo testati sumus* ita ut nihil vobis desit (*divites facti estis*) in ulla gratia, *in aliquo spiritus sancti dono*, exspectantibus 6. revelationem, *id est, visionem quæ fit post mortem, vel in die judicii* Domini nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem *vestrum vel sæculi,* sine crimine, in die adventus (*scilicet vel, in obitu cujusque,vel in judicii die*) Domini nostri Jesu Christi. Fidelis Deus, *confirmabit, nam de promissis non est dubitandum,*per quem,*per cujus gratiam*, vocati estis in societatem, *ut sitis cohæredes Christi*, filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata ; sitis autem perfecti in eodem sensu. *eadem voluntate*, et in eadem sententia (*rogo ne sint in vobis schismata*). Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod 7. unusquisque vestrum (*aliushoc, alius illud*) dicit, Ego (*ecce contentiones*) quidem sum *discipulus* Pauli ; ego autem Apollo; ego vero 8. Cephæ : *Petri :* (cephas, *caput; unde* acephali, id est, *sine capite,*) ego autem Christi. 9. Divisus est *a servis suis* Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem (*quasi remediatus*) et Stephanæ domum. Cæterum, nescio si quem alium baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare : 10, 11 non 12. in sapientia verbi, 13. ut non evacuetur crux Christi. 14. Verbum, *id est prædicatio*, enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, 15. Dei virtus est, *id est dans virtutem credenti, per quam, cum res exigit, miracula fiunt.* Scriptum est enim, (*non in sapientia verbi, quia Deus reprobat sapientiam verbi mundi, et hoc probat, quia scriptum est*) : 16. Perdam sapientiam sapientium, (*causa cur in sapientia verbi non prædicaverit*) et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? *perditus est.* Ubi scriba? 17. Ubi conquisitor, *disputator mundanæ sapientiæ* hujus sæculi? *Noluit Deus per sapientes mundi*

COMMENTARIUS.

5. LANFR. *Quod in omnibus divites.* Totum pro A parte ponit. Non enim omnes in omnibus virtutibus divites erant. Quosdam enim in posterioribus redarguit.

6. *Revelationem*, id est visionem quæ fit post mortem, vel in die judicii.

7. *Unusquisque vestrum.* Non unusquisque dicebat hæc quatuor; sed subaudiendum est : Alius dicit : Ego quidem sum Pauli; alius autem : Ego Apollo, etc. Sic enim ipsemet in sequentibus exposuit dicens : *Cum enim quis dicit, ego quidem sum Pauli: alius autem, ego Apollo*, etc.

8. AUGUST. *Ego Cephæ.* Hi dividunt sibi Ecclesiam; et partes facere de unitate conantur.

9. AMBROS. *Divisus est Christus.* Divisum dicit Christum ; quia gloriam ejus hominibus partiti B sunt.

10. *Non in sapientia.* Imperiti electi sunt, ut doctrinæ veritas se commendaret, teste virtute ; ne calliditate humanæ sapientiæ, acceptabilis videretur, non veritate.

11. LANFR. *Non in sapientia.* Sapientiam, ubi dialecticam dicit, per quam crux, [illegible] id est, mors Christi eam simpliciter intelligentibus evacuari videtur, quia Deus immortalis, Christus autem Deus; Christus igitur immortalis. Si autem immortalis ; mori non potuit. Sic de partu Virginis, et quibusdam aliis sacramentis, perspicaciter tamen intuentibus, dialectica sacramenta Dei non impugnat ; sed cum res exigit, si rectissime teneatur, astruit et confirmat.

12. *In sapientia verbi.* Non syllogistice probando, quia sic potius posset improbari. Vel si syllogistice convicti et crederent, non prodesset eis.

13. AUGUST. (*ex lib. De nat. et grat. contra Pel.* cap. 7, tom. VII). *Ut non evacuetur.* Evacuatur autem si quo modo præter illius sacramentum, ad justitiam, vitamque æternam perveniri posse dicatur.

14. LANFR. *Verbum enim.* Ratio cur non prædicet in sapientia verbi. Studiosi etenim ipsius artis, qui tamen Christianæ religionis expertes sunt, quod pereuntes vocat, vel quia doctrina eorum in quibusdam perit, vel quia in æternum perituri sunt ; stultitiam deputant mortem Christi.

15. *Virtus Dei est*, id est, dans virtutem Dei credenti, per quam miracula, cum res exigit, fiunt.

16. *Perdam sapientiam.* Alia ratio cur non prædicet in sapientia verbi : prophetia enim auctoritate reprobata est. Potest etiam responsio esse, quasi aliquis diceret : cur dicis pereuntibus? In Abdia hoc legitur : *Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau?*

17. *Ubi scriba.* Verba Apostoli sunt. Scribæ sunt moralium et naturalium librorum auctores, et actuum sæcularium scriptores, id est de ipsis artibus præcepta dantes. Conquisitores sunt argumentatores ex præceptis ipsarum artium aliquid approbantes. Sapiens generale utriusque vocabulum est. Hos adnihilatos esse perhibet, non quia doctrinas eorum omnifariam improbet, in multis enim sacris C litteris concordant, sed quædam senserunt et scripserunt contraria Christianæ religioni, maxime de cultura unius Dei.

salvare credentes ; nam per stultos prædicatores, sæcularium litterarum imperitos. 18. Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia, *divino consilio*, non cognovit, *non est placitum ut cognosceret* mundus per sapientiam *mundanam* Deum : 19. placuit Deo per stultitiam prædicationis, *stultos prædicatores, id est, per imperitos sæcularium litterarum prædicatores* salvos facere credentes. Quoniam et 20, 21. Judæi signa petunt, *ut prædicatores miracula faciant* 22. et Græci, *prædicatores ut dicant* sapientiam *syllogisticas probationes*, quærunt, nos autem prædicamus Christum crucifixum, 23. Judæis quidem **25** scandalum, *quia regem suum crucifixisse dicuntur*, 24. gentibus autem stultitiam ; ipsis autem vocatis, *prædestinatis ad vitam* Judæis atque Græcis, Christum Dei 25, 26. virtutem, et Dei sapientiam, 27, 28. Quia 29. quod stultum (*incarnatio, passio*) *infidelibus* est Dei *ex Deo* sapientius est hominibus : et 30, 31. quod infirmum est Dei, (*per fidem enim eorum peccata remittuntur, et dæmones expelluntur, quod homines nequeunt*) fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, *id est, per quos vocati sitis*, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem. *prædicaverunt vobis regnum Dei*, 32. non multi potentes, *scilicet prædicaverunt verbum Dei*, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit, *probat quia stultos et infirmos elegit* Deus, ut confundat, *erubescere faciat*, sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ; et ignobilia mundi, et 33. contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, *non esse videbantur*, ut

COMMENTARIUS.

18. August. (*ex lib. De past.*, cap, 12, tom. IX.) A *Nonne stultam.* Dicitur aliquando in Scripturis sapientia pro astutia, abusione verbi, non proprietate.

19. Lanfr. *Placuit Deo per stultitiam*, etc. Non in sapientia verbi prædico, quod probat, quia per stultitiam placuit Deo salvos facere credentes, et hoc probat, quia sapientia mundi non placuit, quod est in Dei sapientia, non cognovit mundus per sapientiam Deum.

20. *Judæi.* Judæi scandalizabantur quia regem suum crucifixisse dicebantur.

21. Ambros. *Judæi signa petunt.* Unde dicunt : Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, cum majus sit Lazarum de monumento vivum exiisse.

22. *Et Græci sapientiam.* Quia nolunt audire præ- B terquam quæ mundi ratione possibilia sunt.

23. *Judæis quidem scandalum.* Scandalum est Judæis dum audiunt Christum Filium Dei se profitentem, et Sabbatum evacuantem.

24. *Gentibus autem stultitiam.* Qui ea audiunt prædicare, quæ dum rationi humanæ non congruunt, insensata videntur, ut partus Virginis, et resurrectio mortuorum.

25. *Virtutem et Dei sapientiam.* Virtus Dei est, quia per ipsum omnia fecit Deus Pater ; sapientia, quia per ipsum cognitus est Deus.

26. August. (*ex lib.* I *Quæst. evang.*, quæst. 14, tom. IV). *Virtutem Dei et sapientiam.* De Domino nostro dixerunt gudæi : *Unde sapientia hæc, et virtutes ?* Sapientia in his quæ loquebatur. Virtutes in his C quæ operabatur. Ideo Apostolus dicit Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Virtutem retulit ad signa propter Judæos. Sapientiam autem, aut doctrinam ad Græcos, id est, gentes [*al.* sapientiam autem ad doctrinam propter Græcos].

27. August. (*Enar. in psal.* LXVIII, concion 1, tom. VIII). *Quia quod stultum est.* Quid enim tam simile imprudentiæ quam, cum haberet in potestate una voce suos persecutores prosternere, pateretur se teneri, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi ? Imprudentiæ simile est, et stultum videtur.

28. Lanfr. *Quod stultum est.* Incarnatio et passio Dei et hominis Jesu Christi, quæ hujusmodi sapientibus stultitia videbantur, majorem sapientiam continent quam homines possint inquirere, et majorem fortitudinem habent quam homines possent habere. Per fidem enim eorum et peccata remittuntur et dæmones expelluntur, et alia, cum resurgit, miracula fiunt.

29. *Quod stultum est.* Probat Christum sapientiam esse, quia etiam in hoc sapientia est, quod videtur stultum de eo, et tanta sapientia, quod nequeat comprehendi ab omnibus quod est sapientius hominibus. Post vero probat Christum virtutem esse, quia in hoc quod infirmum videtur de eo, in hoc virtus est, et tanta virtus quod fortius est hominibus, id est, nequeat ab illis comprehendi ; hoc stultum et infirmum, incarnatio et passio Christi, quibus tanta sapientia et virtus est, ut evincatur diabolus et redimatur humanum genus.

30. Ambros. *Quod infirmum est Dei.* Quia infirmitas Christi, magna victoria ; vicit, cum victus videretur.

31. August. (ex Tract. 15 *in Joann.*, tom. IX). *Et quod infirmum est.* Quid igitur facta est mulier in costa, tanquam fortis : factus est Adam in carne tanquam infirmus ? Christus est et Ecclesia ; illius infirmitas, nostra est fortitudo.

32. Lanfr. *Non multi sapientes.* Fortasse propter se dicit hoc, quia solus inter alios apostolos, scholarium litterarum peritus, terrenarum opum dives, Romanæ dignitatis parentela conspicuus fuit, sicut testatur ipse in Actibus apostolorum : *Ego quidem homo sum Judæus, a Tharso Ciciliæ non ignotæ civitatis municeps.* Et alibi interroganti tribuno utrum Romanus esset, respondit : *Etiam. Et tribunus : Ego multam summam a civitate hac consecutus sum. Et Paulus ait : Ego autem et natus sum.* Et alias eo rationem reddente, exclamavit Festus : *Insanis Paule ; multæ litteræ te ad insaniam convertunt.*

33. August. (Serm. 9 *De tribus virgis, inter fragment.*, tom. X). *Contemptibilia.* Quæ non computantur.

ea quæ sunt, *esse videntur*, destrueret, ut non glorietur, omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem, *ex ipsius gratia* vos estis in Christo Jesu, *in fide Christi Jesu*, 34. qui factus, *incarnatus*, est nobis sapientia, *dans sapientiam*, a Deo. 35. et justitia. *justitiam*, et sanctificatio, *sanctificationem* et redemptio, *redemptionem*, ut, quemadmodum scriptum est : 36, 37. Qui gloriatur, in Domino glorietur.

CAPUT II.

Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non 1. in sublimitate sermonis, *cum syllogisticis probationibus,* aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 2. Non enim *probat quia stultos elegit; nam se : quod est* (*et ego cum venissem,* etc.) judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego (*item probat quia infirmiores elegit*, *quia se*, *quod est et ego in infirmitate*, etc.) in infirmitate et timore *animæ*, et tremore *corporis* multo fui apud vos ; et sermo meus, et prædicatio mea, non *fuit* in 3. persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, *dialecticis probationibus*, sed in ostensione spiritus, (*non dixi*, *nisi quod spiritus ostendebat mihi*) et virtutis, *miraculum*, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. (*Et ne dicerent eum nescire, subdit*) Sapientiam autem loquimur inter perfectos ; sapientiam vero non hujus sæculi, 4, neque principum, *vel dæmonum* hujus sæculi, qui destruuntur ; 5, 6. sed loquimur *exponendo* Dei sapientiam 7. in mysterio quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula *futura* in gloriam nostram, *id est, per eam glorificemur* ; 8. quam 9. nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, 10. nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, *crucifigi instigassent*. Sed sicut scriptum est : *hoc scilicet quia,* 11. Quod oculus *carnis* non vidit, nec auris *carnalis* audivit, nec in

COMMENTARIUS.

34. *Qui factus est nobis.* Elegit Deus quæ non sunt, id est quæ non computantur.

35. AUGUST. (epist. 221 *ad Consen.* tom. II). *Factus est nobis justitia a Deo.* Sicut autem cum sit in se ipso vita, etiam fit nobis vita, cum ejus efficimur participes ; ita cum in se ipso sit justitia, etiam nobis fit justitia, cum ei cohærendo bene vivimus.

36. AUGUST. (*ex Genes. ad lit.*, lib. XI, cap. 8, tom. III). *Qui gloriatur.* Sic qui gloriatur, non nisi in Domino glorietur : cum cognoscit non suum, sed illius esse non solum ut sit, verum etiam ut non nisi ab illo bene sibi sit, a quo habet ut sit.

37. LANFR. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hoc testimonium in Jeremia ita legitur : *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus.*

CAP. II. — 1 LANFR. *Non in sublimitate.* Sublimitatem sermonis vocat logicam, quia ipsa tota de artificiosa oratione est. Sapientiam vocat quadruvium [quadrivium], et maxime libros Platonicos, speciem, nomine generis designans.

2. AUGUST. (*De Trinit.*, lib. I, cap. 12, tom. III). *Non enim judicavi me scire.* Eis loquebatur qui capere altiora de Christi deitate non poterant. Et hoc solum se scire dicebat quod eos per illum scire oportebat. Hoc inter illos nesciebat quod per illum scire non poterant.

3. LANFR. *Persuasibilibus.* Rhetoricam tangit, in qua dantur præcepta apposite loqui ad persuasionem.

4. *Neque principum.* Principes hic vocat egregios philosophos, a quibus et per quos philosophia inventa est. Quo nomine in sæcularibus etiam litteris censentur, ut Cicero in topicis. *Utriusque*, inquit, *princeps, ut mihi videtur, Aristoteles fuit.*

5. AUGUST. (*ex serm. de lect. in Ev. Joan. apud Bedam*) *Sed loquimur.* Gratia ista Christiana (quia omnia Christo tradita sunt a Patre) omnes latuit sapientes hujus mundi. Hanc Moyses vidit, prophetæ A viderunt. Sapientes illi magni, arguti disputatores omnino ignoraverunt ; hoc est mysterium quod absconditum fuit a sæculis in Deo.

6. AMBROS. *Sed loquimur Dei sapientiam.* Abscondita est ergo sapientia Dei, dum non in verbis, sed in virtute est, non humana ratione possibilis, sed spiritus efficacia credibilis.

7. LANFR. *In mysterio.* Exponendo mysteria Veteris Testamenti, in quibus Christum figuratum fuisse asserimus.

8. AMBROS. *Quam nemo principum.* Principes hujus sæculi, non solum homines accipiendi sunt, sed et ii adversus quos nobis colluctatio est qui sciebant esse Christum in lege promissum ; mysterium tamen ejus, quo Filius Dei est, nesciebant.

B 9. LANFR. *Nemo principum*, etc. Probat quia nemo principum, quia scriptum est. Item, quia non cognoverunt, quia hi qui diligunt eum tantum. Nam nos, quod est nobis autem revelavit. Probat quia revelavit, nam per Spiritum, etc. Et hoc probat, quia nos accepimus Spiritum, etc. quod est, sed Spiritum qui ex Deo est, etc. Et probat quia Spiritum Dei acceperit : quia non accepimus spiritum hujus mundi.

10. AUGUST. (*ex lib.* I *De Trin.*, c. 13). *Nunquam Dominum gloriæ.* Ex forma servi crucifixus est, C talis enim erat illa susceptio quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum. Quid tamen, propter quid, et [quid] secundum quid dicatur adjuvante Domino, prudens et diligens et pius lector intelliget.

11. LANFR *Quod oculus non vidit.* Probat quod superius dixit : *Nemo principum hujus sæculi cognovit.* Sapientiam enim Dei, id est, Dominum Christum, quæ diligentibus eum in præmium præparata est, nec oculus vidit, etc. Habet autem scriptum in Isaia sic : *Oculos non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.*

cor *carnale* hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum ; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. 12. Spiritus enim (*potest hoc Spiritus Dei ? Respondet*), omnia scrutatur, *id est, scit, et scire facit*, etiam profunda Dei. Quis enim (*a simili. Quia spiritus hominis scit quæ hominis sunt*) hominum scit quæ sunt hominis, *quia nullus alius*, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita (*a simili illatio*) et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. 13, 14 Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus (*conclusio principalis. Ergo nobis revelavit*) quæ a Deo donata sunt nobis; quæ et loquimur 15, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, *quam Spiritus administrat*, 16. spiritualibus, *prout possunt capere*, spritualia *pro mensura* comparantes. 17, 18, 19. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : [*causa*] stultitia enim est illi, et *ergo*, non potest intelligere, quia spiritualiter, *secundum interiorem hominem*, examinatur, *id est, damnatur*. 20, 21. Spiritualis autem judicat *intelligit, et reprehendit* omnia, 22. et ipse a nemine judicatur, *reprehenditur*. 23. Quis enim [*spiritualis, inquit, homo a nemine reprehenditur, quia a nemine instruitur*] cognovit sensum, *Spiritum*, Domini, 24. qui instruat eum ? Nos autem sensum, *Spiritum*, Christi habemus.

CAPUT III.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus (*ratio cur non locutus sit eis spiritualia.*) Tanquam parvulis in Christo, lac, *minora præcepta*, vobis potum dedi, non escam : *non altiora* : nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis ; adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus et contentio ; nonne carnales estis, et secundum hominem, *non secundum Spiritum Dei*, ambulatis ? *humanitus vivitis. Exponit quomodo secundum hominem ambulent*. 1. Cum enim quis dicat : Ego quidem sum *Dicipulis* Pauli ; alius autem : 2. Ego Apollo, nonne homines estis ? *humanitus agitis?* 3. Quid igitur est Apollo ? Quid vero Paulus ! Ministri ejus cui credidistis, et unicuique *nostrum* sicut Domi-

COMMENTARIUS.

12. AUGUST. (*ex tract. in psal.* LII, tom. VIII). *Spiritus enim omnia scrutatur*. De Spiritu Dei dictum est quod omnia scrutetur, etiam altitudinem Dei, non quia ille scrutatur, qui novit omnia ; sed quia tibi donatus est Spiritus, te scrutari fecit ; et quod dono illius facis, ille facere dicitur.

13. AUGUST. (*ex Tract. de nat. Mart. Massylita ; serm.* 42 *De divers*. cap. 3, tom. X). *Nos autem non spiritum*. Spiritus hujus mundi, spiritus est elationis ; quem qui habent, superbi sunt et ingrati Deo.

14. AMBROS. *Nos autem non spiritum*. Spiritus mundi est, per quem arripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt ; quem Pythonem appellant. Hic est qui per Sybillam locutus est.

15. LANFR. *Non in doctis*. In doctis humanæ scientiæ verbis se loqui abnegat. Et tamen in Scripturis ejus tanta locorum disputationum subtilitas, tanta et tam subtilis benevolentiæ captatio, cum res exigit, invenitur, ut tanta vel ea major in nullo scripturarum genere reperiatur. Unde procul dubio credendum est non eum regulas artium sæcularium in scribendo vel loquendo cogitasse. Sed per doctrinam sancti Spiritus, a quo et per quem est omnis utilis peritia, talia et taliter dixisse, quæ per singula exponerem, nisi imperitorum talium doctrinarum murmur timeretur.

16. *Spiritualia comparantes*, id est compensantes spiritualem doctrinam, secundum quod capax est spiritualis auditor ; quæ spiritualiter auditis, spiritualibus probatur.

17. AMBROS. *Animalis homo*. Pecoribus enim similis, in terram sensum deprimit.

18. AUGUST. (*ex lib. LXXXIII, Quæst.*, q. 67, t. IV) *Animalis homo*. Qui vivit ex corpore, carnalis homo vel animalis vocatur. Carnalis, quia carnalia sectatur ; animalis autem, quia fertur dissoluta lascivia suæ animæ, quam non regit spiritus, neque cohæret intra metas naturalis ordinis. Qui autem spiritu animam regit, vocatur spiritualis.

19. LANFR. *Animalis homo*. Quia animalis est, quia ipsa spiritualia improbat, et ideo laborare non potest ut intelligat.

20. AUGUST. (*ex lib. De vera relig.*, cap. 31. tom. II). *Spiritualis autem*. Omnia ergo judicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissime intelligit, et tota charitate quod intelligit diligit.

21. LANFR. *Spiritualis autem*. Spiritualis, inquit, intelligit et reprehendit omnia quæ intelligenda et reprehendenda sunt ; et ipse a nullo carnalium vel reprehenditur vel intelligitur. In utraque significatione hoc verbum reperitur.

22. *Et ipse a nemine*. A nemine spiritalis homo intelligitur, quia nemo intelligit ; non enim cognovit quis sensum Domini. A causa probat iterum ; a nemine reprehenditur, quia nemo reprehendit ; et hoc probat, quia non instruit.

23. *Quis enim cognovit*. Hoc refertur ad superiorem verbi significationem.

24. *Qui instruat eum*. Hoc ad posteriorem. Qui enim reprehendit, scientiam instruendi habere debet.

CAP. III. — 1. LANFR. *Cum enim quis dicat*. Expositio zeli et contentionis.

2 AMBROS. *Ego plantavi*. Plantare est evangelizare et ad fidem trahere. Rigare vero baptizare solemnibus verbis.

3. *Quid igitur est Apollo?* Non debetis dicere : Ego sum Pauli vel Apollo, sed Dei ; quia Apollo et Paulus nihil sunt Deo comparati : sunt enim ministri ejus, sicut unicuique Dominus dedit ; enumerat autem partes ministerii, prædicandi scilicet et baptizandi.

nus (*alii plus alii minus*) dedit. Ego *prædicando in fide* plantavi, Apollo rigavit *baptizando*, sed Deus (*Paulus, inquit, et Apollo nihil sunt, quia Deus tantum qui dat incrementum*) incrementum dedit. Itaque, *quia Deus tantum*, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed, qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt *in fide*. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, *diversam tamen habebunt mercedem* secundum suum laborem, *pro meritorum suorum qualitate*. 4. Dei 49 enim sumus adjutores, *prædicatores ;* Dei agricultura *vos* estis, Dei ædificatio estis, *et ego*. Secundum gratiam *apostolatus* Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum, *fidem Christi*, posui; alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet, *opera faciat*. 5, 6. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod *a me* positum est, quod est Christus Jesus, *Christi fides*. 7. Si quis autem superædificat super *fidei* fundamentum hoc *per hæc tria bona opera* aurum, argentum, lapides pretiosos, *per ista minora peccata* ligna, fenum, stipulam : uniuscujusque opus manifestum erit ; dies enim Domini, *judicii*, declarabit, quia in igne, *per ignem*, revelabitur et uniuscujusque opus quale sit, ignis *purgatorius* probabit *hoc modo :* si cujus opus manserit, quod *fidem* superædificavit mercedem accipiet ; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen 8. quasi per ignem. 9, 10. Nescitis (*ne sint in nobis schismata*) quia 11. templum Dei estis, et *quia* Spiritus Dei habitat in vobis ? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 12. Nemo (*putans hoc Deum negligere, vel non acquiescere verbis*) se seducat. Si quis videtur inter vos 13. sapiens esse in hoc sæculo *in astutia hujus sæculi* stultus fiat, *stultum se esse intelligat*, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum, *id est, sapientiam suam deponat ; debet autem deponere ; omne* 50 *enim stultum deponendum*. Scriptum est enim *in Job cap.* v : 11. Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum : Dominus novit 15. cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur (*quia Paulus et Apollo nihil*) in hominibus, *prædicatoribus, vel baptizatoribus* 16. 17. Omnia

COMMENTARIUS.

4. Lanfr. *Dei enim sumus.* Ratio cur dixerit mercedem : Operarii enim, quos adjutores hic vocat, mercedem solent accipere.

5. August. (*ex lib. De fide et oper.*, c. 16, tom. IV). *Fundamentum.* Fides gratiæ Christianæ, id est, ea quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit. Super hoc fundamentum alius ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, is videlicet qui cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo. Alius ædificat super idem fundamentum ligna, fenum, stipulam, is videlicet qui cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. (*ibid., ex Ench. ad Laurent.*, c. 68, tom. III.) Illius opus non exuritur, qui non ea dilexit quorum amissione crucietur. Exuritur autem hujus, quoniam sine dolore non pereunt quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutrum [*al.*, alterutra] conditione proposita, eis potius mallet carere quam Christo, nec timore amittendi talia, deserit Christum, quamvis doleat cum amittit, salvus quidem est ; sic tamen quasi per ignem. (*ibid. paulo ante*) Est ignis iste tentatio tribulationis, de quo scriptum est : *Vas figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.*

6. Lanfr. *Fundamentum enim.* Quasi aliquis diceret : cur dixisti : Tantum superædificet, et non dixisti : Fundamentum enim ponat? Absit ! inquit, fundamentum enim aliud, etc.

7. Ambros. *Si quis autem superædificet*, etc. Tribus prioribus, bona ; tribus sequentibus vana doctrina signatur.

8. *Quasi per ignem.* Ignis extremi judicii tandiu durabit, quousque purgati sint qui salvandi erunt.

9. August. (*ex tract. in psal.* CXXII). *Nescitis quia templum Dei.* Omnes adhuc infirmi et secundum fidem ambulantes, secundum fidem templum sunt Dei ; et templum Dei erimus aliquando, et jam secundum spem [*al.*, speciem]. Quandiu sunt templum secundum fidem? Quandiu in ipsis Christus per fidem habitat.

10. Ambros. *Nescitis quia templum Dei.* Hæc idcirco præmisit ut illos compungat, quia turpiter vivendo, corpora sua violando corruperunt.

11. Lanfr. *Templum Dei estis.* Ergo ne perdatis templum Dei peccando, violare non debetis; si enim hoc facitis, disperdet vos Dominus : Nam omnem qui violat templum Dei, disperdet Dominus; vos autem peccando violatis; quod sic probat. Vos estis templum Dei, quia Spiritus Dei habitat in vobis ; hoc est dicere, vos estis habitaculum Dei. Item omne sanctum est templum Dei, sed vos estis sanctum, ergo Dei templum : vos autem ipsos, dum peccatis, violatis, ergo templum Dei violatis.

12. *Nemo se seducat*, id est, nemo proprio vel humano consilio putet se sibi prodesse. Ad superiora redit.

13. Lanfr. *Sapiens esse in hoc sæculo*, id est, in astutia hujus sæculi fiat, id est, stultum se intelligit, et sapientiam suam stultitiam deputat.

14. *Comprehendam sapientes* In Job scriptum est ita : *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum.* Omne quod illaqueat deponendum ; astutia autem illaqueat (scriptum est enim comprehendam, etc.) ergo, etc.

15. *Cogitationes sapientium.* Inusitata translatione legitur, *cogitationes hominum.*

16. Ambros. *Omnia enim vestra sunt.* Vita præsens nobis concessa est, ut ad Dei gloriam eam transigamus ; mors, ut pro Christo mori velimus spe futuræ promissionis. Præsentia, ut sic præsentibus utamur ne offendamus futura, ut, ea credentes, ipsis nos commendemus.

17. Lanfr. *Omnia enim.* Quasi diceret : de se, majoribus, et excellentioribus rebus cuique glorian-

enim (*ratio cur non debeant gloriari in doctoribus, scilicet quia sunt ministri*) vestra sunt, sive Paulus, sive Cephas, 18. sive *hic* mundus, 19. sive vita, *doctorum, quæ ad ædificationem subditis esse debet*, sive mors, sive præsentia, sive futura ; omnia enim vestra sunt ; vos autem Christi : 20. Christus autem *secundum hominem* Dei.

CAPUT IV.

1. Sic nos *apostolos* existimet (*non ut aliquid*) homo, ut ministros Christi, *non ut dominos* et 2. dispensatores mysteriorum Dei, *prædicationis, vel sacerdotii, et aliorum sacrorum ordinum*. 3. Hic jam quæritur (*horum verborum occasione arguendos*) inter *nos* dispensatores 4. ut fidelis quis inveniatur. 5. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, *in ministeriis dispensandis reprehendar*, 6. aut ab humano die, *intellectu*; sed neque meipsum judico, *in his quæ ad officium pertinent, reprehendo quod facerem, si faciendum esset*. Nihil enim mihi *in mysteriis dispensandis* conscius sum, 7. sed non in hoc justificatus sum; 8 qui autem judicat me (*vos, inquit, non debitis me judicare, quia Dominus solus*) Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare (*quia Domini est judicare*) quoad usque veniat Dominus, 9. qui et illuminabit abscondita tenebrarum, *occulta crimina iniquorum tenebrosorum*, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo. 10. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo, propter vos, *humiliandos* : ut, *videlicet*, in nobis discatis ne 11. supra quam scriptum est, *superius de nobis*, unus adversus alterum infletur pro alio. 12, 13. Quis enim te discernit (*dicit in doctoribus non esse gloriandum, quia ipsi nos a peccatis non discernunt; Deus enim tantum*) *a peccatis separat, nisi Deus?* Quid autem habes, *quam gratiam habes*, quod, *quam* non accepisti? Si

COMMENTARIUS.

dum est ; non de his quæ sua sunt.

18. *Sive mundus.* Mundus enim propter utilitatem hominum factus est.

19. *Sive vita.* Vita et mors doctorum ad ædificationem subditis esse debent. Possumus etiam per vitam homines sanctos et angelos intelligere. Per mortem diabolum et membra ejus ; qui, dum consulunt vel persequuntur, utilitati servorum Dei inserviunt.

20. AUGUST. (*ex lib. LXXXIII, Quæst.* quæst. 57, t. IV). *Christus autem Dei.* Non tanquam dissimilis aut alterius naturæ ; sed tanquam Patris Filius.

CAP. IV. — 1. AMBROS. *Sic nos existimet homo.* Hic significat quia minus bene sentiebant de illo aliqui Corinthiorum.

2. LANFR. *Dispensatores.* Apostoli dispensabant mysteria Dei ; alios episcopos, alios presbyteros, alios in hunc modum ordinantes.

3. *Hic jam quæritur*, id est, occasione horum meorum verborum, quibus apostolos dixi debere existimari ut dispensatores, quærit aliquis quis inter nos dispensator revera fidelis inveniatur, volens ordinationes nostras judicare secundum merita nostra.

4. *Ut fidelis. Ut*, pro *revera*. Sicut illud : *Et habitu inventus ut homo.*

5. *Mihi autem.* Quasi diceret : quid alii dispensatores super hoc sentiant nescio. Sed ego vituperationes vestras nihili pendo, sciens per nos, seu dignos seu indignos, opus suum Deum operari.

6. AMBROS. *Aut ab humano die.* Humanum diem dum dicit, significat divinum, in quo judicaturus est Christus.

7. *Sed non in hoc justificatus sum.* Nunc humiliat se, et loquitur ut homo, qui possit culpam incurrere nescius.

8. *Qui autem judicat me.* Recte Domino Christo plurimum dedit ; quia potest quod hominem latet, dum occulta judicat, manifestare.

9. AUGUST. (*Enchir. ad Laur.*, cap. 120, t. III). *Qui et illuminabit.* Non enim scimus mortales, corda

A mortalium ; tunc autem illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis ; et tunc laus erit unicuique a Deo, quia id laudabitur et diligetur a proximo in proximo, quod, ne lateat, ab ipso illuminabitur Deo.

10. LANFR. *Hæc autem fratres*, id est, superiora humilitatis verba, quibus me plantasse, Apollo rigasse. Sed nec plantantem nec rigantem aliquid esse dixi. Ideo, prætermissis cæteris, in me et Apollo transtuli, ut humilitatem in nobis discatis habere.

11. *Supra quam.* Supra scriptum est nullo modo pro doctoribus esse superbiendum, quia ipsi doctores, ministri tantum sunt ; nec aliquid esse existimantur, ad comparationem ejus a quo et per quem

B incrementum datur.

12. *Quis enim te discernit?* Quasi diceret : si a massa perditorum te doctor tuus discerneret, tolerabile forsitan esset, si pro eo superbires. Nunc vero minime ; sed per eum discernit te Deus.

13. AUGUST. (*epist.* 46, *ad Valent.*, t. II). *Quis enim te discernit?* Quod ideo dicit, quia de massa illius perditionis quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis et inaniter inflatus, cum audisset : *Quis enim te discernit?* posset respondere vel voce vel cogitatione et dicere : Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me justitia mea, mox Apostolus occurrit cogitationibus ejus, et dixit : *Quid enim habes quod non accepisti?*

C 14. LANFR. *Quid autem habes?* Aliud genus arrogantiæ amovere conatur, videlicet ne homo superbiat propter aliquam gratiam sibi collatam, putans eam se habere a se, ideo dicit : Quid autem habes, etc.? ac si dicat : si autem sis separatus a peccatis, ideo non debes gloriari ; in nullo enim quod aliunde acceperis, debes gloriari. Separari a peccatis aliunde accepisti ; nam quid habes quod non ab alio accepisti? nihil utique. Ergo, etc.

autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 15. Jam saturati estis, *terrenis*, jam divites facti estis; sine nobis regnatis, *terrenam potentiam habetis*, et 16. utinam regnetis! *regnaretis, scilicet cœlesti regno*, ut et nos vobiscum regnemus. Puto enim (*demonstratio qualiter sine apostolis regnent*) quod Deus nos apostolos 17. novissimos, *vilissimos apud mentes infidelium*, ostendit, 18. tanquam morti destinatos: 19. quia (*effectus*) spectaculum facti sumus *huic* **52** mundo et angelis *malignis* et hominibus. *Increpatio cum ironia.* 20 nos stulti *videmur huic mundo* propter Christum, 21. vos autem prudentes *sæculo* in Christo; *sub fide Christi;* nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque *enim* in hanc horam, et (*effectus*) esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, *mutantes diversa loca propter nimiam persecutionem*, et laboramus, *non quærentes a vobis stipendium*, operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et 22. obsecramus: *obsecramus, vel ne blasphement, vel Deum ut ignoscat;* tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema *abjectio* usque adhuc. 23. Non ut confundam vos, *verecundiam vobis inferam*, hæc *supra dicta* scribo; sed ut filios meos charissimos moneo. (*Cur filios vocavit.*) Nam si decem milia pædagogorum, *monitorum*, habeatis in Christo, *in doctrina Christi*, sed non multos Patres, *sed me solum.* Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui, *sum pater vester in fide Christi.* Rogo ergo vos, *quia pater sum*, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo, *ut me imitemini*, misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, et fidelis in Domino; qui vos commonefaciet vias meas, *doctrinam meam*, quæ sunt in Christo Jesu, *in fide Christi*, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. Tanquam non venturus sim ad vos, (*ostendit eos esse commonendos, quia inflati sunt*) sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit, et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt sed virtutem. 24. Non enim in sermone est regnum Dei, *verbis solis non acquiritur regnum Dei*, sed in virtute. Quid vultis? In virga, *correctione*, veniam ad vos; an in charitate et spiritu mansuetudinis?

CAPUT V.

Omnino auditur inter vos fornicatio: (*ratio cur in virga dixerit*) et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, *communi conversatione* qui hoc *nefarium* opus fecit. Ego quidem absens corpore, (*debuissetis eum excommunicasse, quia ego absens* **53** *jam judicavi eum esse excommunicandum*) præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine, *ad laudem*, Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, *congregato vobiscum*, cum virtute Domini nostri Jesu, 1, 2. tradere *excommunicare scilicet judicari*, hujusmodi, *illum*, Satanæ, *maligno spiritui*

COMMENTARIUS.

A 15. *Jam saturati estis.* De quibusdam Corinthiorum intelligendum est qui, post discessum Apostoli, cœperunt deliciis affluere, et terrenarum opum divites esse, sancti quoque Spiritus dona in terrenum lucrum convertere, de quibus dicit: Jam saturati, etc.

16. *Utinam regnetis!* scilicet, cœlesti regno, vel ut vos ipsos bene regatis.

17. *Novissimos.* Apostolos suos novissimos, id est vilissimos, apud mentes hominum infidelium esse voluit Christus, ut majori in cœlesti gloria præmio coronentur.

18. *Tanquam morti.* Victorum tunc temporis moris erat quosdam in expeditione captos morti destinare. Ad quod spectaculum conveniebat hominum maxima multitudo.

B 19. August. (*ex Tract. in Psal.* XXXVIII, t. VIII). *Quia spectaculum facti sumus*, angelis laudantibus, hominibus vituperantibus, imo et angelis laudantibus et vituperantibus.

20. Lanfr. *Nos stulti.* Increpatio, vel ironia; non enim Apostoli stulti, et ipsi prudentes; sed potius stulti, et apostoli prudentes.

21. Ambros. *Vos autem prudentes.* Qui prudens in Christo judicatur a perfidis, non recte asserit Christum. Marcion enim, qui negat Dominum incarnatum, prudens est mundo, id est fortis et nobilis.

22. Lanfr. *Et obsecramus*, vel eos, ne blasphement, vel Deum, ut ignoscat eis.

23. August. (*ex tract. in Psal.* LXXVI). *Non ut confundam vos.* Dicit, *non ut confundam vos hæc scribo, sed ut charissimos moneo;* cum sciret utique a Domino dictum: *Ne vobis dicatis patrem in terra, unus est enim pater vester Deus.* Quod ideo [*al.*, non] dictum est, ut hoc vocabulum honoris humani, de loquendi consuetudine tolleretur, sed ne gratia Dei, qua in æternam vitam regeneramur, naturæ, vel potestati vel etiam sanctitati cujusquam hominis tribueretur. Ideo cum diceret: *Ego genui vos*, post dixit: [*al.*, prædixit] *In Christo, et per Evangelium*, ne ipsius putaretur esse quod Dei est.

24. Lanfr. *Non enim in sermone*, id est, verbis solis non acquiritur regnum Dei, sed in virtute et benefactis.

CAP. V. — 1. August. (*ex Sermon. Domini in monte*, lib. I, cap. 20, tom. IV). *Tradere hujusmodi.* Et si nolunt hic mortem intelligere, fortasse enim incertum est quamlibet vindictam per Satanam factam ab Apostolo fateantur. Quod non eam odio sed amore fecisse manifestat illud adjectum: *ut anima salva sit.*

2. Lanfr. *Hujusmodi Satanæ* Hanc potestatem habuit, ut quotiescunque homini accepta stultitia amovere non posset, diabolo eum ad vexandum

vexandum, in interitum carnis, *carnalis voluptatis*, ut spiritus salvus sit, *si forte eum moveat ipsa repulsa ab Ecclesia* ; *et ad pœnitentiam reducatur* in die *judicii* Domini nostri Jesu Christi. *Cum talem vobiscum retineatis*, non est bona gloriatio vestra, *a simili*. Nescitis, *dicit eum esse repellendum, quia si remaneret inter alios, ipse corrumperet intactos*, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? *Ne vos intactos corrumpat*, expurgate *igitur* vetus fermentum, *veteris hominis peccatum*, ut sitis *bene vivendo* nova 3 conspersio, *pasta*, sicut estis azymi, *in baptismo mundati a peccatis*. (*Cur azymos dixerit*) etenim 4, 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, *quem edere debemus*. Itaque *cum* epulemur non in fermento veteri, *in peccatis veteris hominis*, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, 6, 7. sed in azymis 8. sinceritatis, et veritatis. 9. Scripsi vobis in epistola, *quam eis ante istam miserat*, ne commisceamini fornicariis; non utique fornicariis; hujusmodi, *gentilibus idola colentibus*, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus ; 10, 11. alioquin *si enim* **54** *hæc scripsissem*, debueratis *parentes præcepto meo* de hoc mundo, *communi conversatione*, exisse, *quia ubique sunt tales fornicarii*. Nunc autem scripsi vobis, *ergo quia non illud, patet vobis me scripsisse ita ut sequitur*) 12. non commisceri, si is qui frater nominatur *inter vos* est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi *de fornicariis mundi nihil dixi* de iis, qui foris, *extra ecclesiam* sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt *initio scripsi de his qui intus sunt* vos judicatis? *a minori*. Nam eos, qui foris sunt, Deus *in Ecclesia* judicabit, *non ego*. *Igitur ne vos corrumpat*, auferte 13. malum *fratrem* ex vobis ipsis.

CAPUT VI.

Audet aliquis vestrum habens negotium, *causam*, adversus alterum, judicari apud iniquos, *infideles*, et non apud sanctos? *fideles?* 1. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis, *vestri exemplo*, judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? *non utique* 2. Nescitis quoniam angelos, *dæmones*, judicabimus? Quanto magis sæcularia? (*ironia*.) Sæcularia igitur judicia si habueritis :

COMMENTARIUS.

tandiu traderet, quoadusque, pœnitentiam profitens, a proposito malo desisteret.

3. *Conspersio*. Conspersio est farina et aqua, commista simul sine fermento, similiter et azyma. Monet igitur ut sint vivendo mundi a peccatis, sicut inundati in baptismo.

4. *Et enim Pascha nostrum*. Ratio cur nos mundos a peccato vivere oporteat, videlicet quia Christus immolatus est, quem epulari debemus. Et est ordo : etenim Christus, qui est Pascha nostrum, est immolatus.

5. AUGUST. (*Expos. in Evang. Joan.* tract. 55, tom. IX). *Etenim Pascha nostrum*. Cujus sanguine illitis postibus nostris, id est, cujus signo crucis signatis frontibus nostris, a perditione hujus sæculi tanquam a captivitate, vel interemptione Ægyptia B liberamur et agimus saluberrimum transitum; cum a diabolo transimus ad Christum; et ab isto instabili sæculo ad ejus fundatissimum regnum. Ideo quippe ad Deum permanentem transimus, ne cum mundo transeunte transeamus.

6. (*Ibid.*, *ex lib.* XXXII *contra Faustum*, cap. 11, tom. VI.) *Sed in azymis*. Azyma vero qui rectæ fidei Christiani sunt, non in fermento veteri [*al.*, vitæ], hoc est malitiæ, sed in ipsius fidei veritate et sinceritate custodiunt. Non septem diebus, sed omni die, quod significatum est numero dierum septenario.

7. AMBROS. *Sed in azymis*. Sinceritas mundam vitam faciat; veritas autem omnem fraudem ex- C cludat.

8. LANFR. *Sinceritatis*, id est, in illam vicem, qua Judæi azymos panes manducare solebant; nos A sinceritatem et veritatem habemus.

9. *Scripsi vobis*. Epistolam quamdam, quæ modo non habetur, misit illis; in qua præcepit ne participationem haberent cum fornicariis et cæteris de quibus dicit. Sed quia non distinxit de quibus fornicariis dixerit, Christianis, an gentibus, putatum est a Corinthiis, de fornicariis gentibus eum dixisse. Quam eorum perversam intelligentiam corrigit hic Apostolus.

10. *Alioquin*, id est, si præcepissem vobis gentium participationem fugere, debueratis de mundana conversatione, in locum desertum exire; omnes enim fornicarii, avari, etc.

11. AMBROS. *Alioquin*, id est, si commisceamini, melius erat vos mori.

12. LANFR. *Non commisceri*, Ordo : non commisceri cum ejusmodi, nec cibum sumere; *Si is qui frater*, etc.

13. AUGUST. (*ex lib.* II *Retract.*, c. 17, tom. VII). *Auferte malum*. Quod ait Apostolus : Auferte malum ex vobis ipsis; ut ex seipso quisque auferat malum, non sic esse intelligendum est; sed potius ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per ecclesiasticam disciplinam, satis Græca lingua indicat; ubi sine ambiguitate scriptum est ut intelligatur hunc malum, non hoc malum.

CAP. VI. — 1. AMBROS. *An nescitis quoniam*. Judicabunt sancti hunc mundum; quia exemplo fidei eorum perfidia mundi damnabitur.

2. AUGUST. (*in psal.* LXXXVI, tom. IX). *Nescitis quoniam angelos*. Quos angelos, nisi apostatas angelos?

3. 4. Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. 5. Ad, *id est*, *propter* verecundiam vestram, *non ex sententia, sed stomachando in vos* dico Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles? *scilicet agitur*. 6. Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis **55** inter vos. Quare non magis, *quam judicio contendatis*, injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? 7. Sed vos injuriam facitis, et fraudatis. *fraudem infertis;* et hoc fratribus, *facitis. Nolite fraudem facere, quia si facitis, iniqui estis; sed iniqui regnum Dei non possidebunt; quod probat aperte.* An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : *non credentes quod dico* : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, *in seipsis*, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc *olim* quidam fuistis. *nec ideo dico ut nunc tales sitis*; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, 8. in nomine Domini nostri Jesu Christi, *in baptismo*, et in spiritu Dei nostri. Omnia, *non legali doctrina, sed libera potestate* mihi licent, sed non omnia expediunt 9. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius *vitii* redigar potestate; *quasi dicere; non in parandis escis et saturandis ventribus superfluum studium habere debetis, quia utique transitoria sunt.* Esca ventri, *scilicet paratur*, et venter *sustentatur* escis : 10. Deus autem et hunc, et has destruet; corpus autem non *debetur* fornicationi, sed *subdi debet* Domino, et Dominus, *scilicet dabit æternitatem* corpori. Deus vero (*vel ressuscitabit ipsum; potuit enim ressuscitare Christum*) et Dominum suscitavit: et nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? *id est, ergo corpora nostra non dabuntur fornicationi, cum sint membra Christi.* Absit! 11. An nescitis quoniam qui 12, 13. adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. *A simili.* Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. *Ergo ne sitis unum cum meretrice.* Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est, *id est, solam animam commaculat.* 14, 15. qui autem fornicatur, in corpus suum, *contra* **56** *honorem sui*

COMMENTARIUS.

3. AMBROS. *Contemptibiles.* Tamen intractabiles, et inconsideratos esse significavit, ut imperitos forte ex fratribus judices eligerent.

4. LANFR. *Contemptibiles.* Non imperando, sed exprobrando supponit causam cur fideles propter discussionem causarum suarum ad infideles ire cogantur, videlicet quia personas terrenarum legum ignaras, ad audiendas fidelium causas, constituebant. Et ita dictum est similiter in Evangelio (*Matth.* XXV, 9) : *Ite potius ad vendentes*, et in Virgilio (*Egl.* I, 74) : *Insere nunc*, etc

5. *Ad verecundiam vestram.* Quasi diceret : Non impero, sed commemoro, ut verecundiam habeatis, quia facitis.

6. AUGUST. (*Enchirid. ad Laur*, c. 18, tom. III). *Jam quidem delictum est Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte illi et pallium* (*Matth.* V, 40). Et alio loco : *Et qui abstulerit*, inquit, *tua, noli repetere* (*Luc.* VI, 30). Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis habere judicium. Ex qua doctrina, Apostolus dicit esse delictum; tamen cum sinit finiri in Ecclesia talia judicia inter fratres, fratribus judicantibus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat, manifestum est quid secundum veniam concedatur infirmis.

7. LANFR. *Sed vos injuriam facitis.* Quasi diceret: vos non estis tales, ut illatam injuriam velitis ferre, sed potius vultis inferre.

8. *In nomine Domini.* In baptismo dicit; ubi distincte commemoratur, et subintelligitur in nomine Patris.

9. AMBROS. *Omnia mihi licent.* Omnia sibi licere dicit, ea scilicet quæ coapostolis ejus licuerunt. Hoc enim præmisit postea hanc causam acturus, sicut A fecit et de illo qui incestum amiserat [*f.*, commiserat]. Denique statim ad superiorem sensum, re breviter interim commendata, redit.

10. LANFR. *Deus autem et hunc.* Quasi diceret : non in parandis escis et scrutandis ventribus studere debetis, quia utraque transitoria sunt.

AMBROS. *Et Dominus corpori.* Subauditur, immortalitatem ressuscitato præstabit.

11. LANFR. *An nescitis quia*, etc. Non debetis fornicari cum meretricibus, quia essetis unum corpus cum meretrice. Qui adhæret meretrici, unum corpus cum ea efficitur. Nam qui adhæret legitimæ uxori, fit unum, dicit enim Genesis : *Erunt*, scilicet vir et uxor, *duo in carne una*.

12. AMBROS. *Qui adhæret.* Hoc dicit : qui contaminationi admiscetur, unum fit cum eo qui se admi- B scet. Fornicatio enim ambos unum facit, ut quomodo in natura, sic et in macula, unum sint.

13. AUGUST. (*lib.* XIV *De Trinit.*, c. 14, tom. III). *Qui adhæret.* Accedente quidem isto ad participationem naturæ veritatis et beatitudinis illius; non tamen crescente illo in natura, veritate et beatitudine sua.

14. *Qui autem fornicatur.* Quia nusquam sic totus homo corporis ipsius voluptati addicitur, et ineffabiliter, vel inevitabiliter afficitur, ut in comparatione hujus tanti mali, cætera peccata extra corpus esse videantur; etiamsi per corpus exerceantur.

15. AMBROS. *Qui autem fornicatur.* Totum corpus vir est et mulier, quia portio viri mulier est, et vir C per id quod in portionem suam delinquit, in corpus suum peccat. Vel quia fornicari corporale delictum est; non enim fit sine desiderio carnis. Caro enim ibi habet motum proprium.

corporis, peccat. *Alia ratio cur fugienda sit fornicatio, scilicet quia templum sunt Spiritus sancti.* An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est; quem habetis a Deo, et non estis vestri? *quia servi Christi estis vel emptitii.* 16. Empti enim estis pretio magno, *sanguine Christi. Ergo*, 17. Glorificate, 18. et portate Deum, *Dominica præcepta*, in corpore vestro.

CAPUT VII.

De quibus autem scripsistis mihi *de habendis uxoribus, vel non habendis, sic respondeo* : Bonum est homini mulierem non tangere ; propter fornicationem autem unusquisque suam 1. uxorem habeat, et unaquæque 2. suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro *debitum reddat. Et decet, nam* mulier sui corporis, *sui sexus laxandi, vel continendi*, potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem *debitum non reddere*, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas *ducere in pejora* propter incontinentiam vestram, *si continere non potueritis.* Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium Volo enim omnes vos esse, *quantum in me est*, sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis : Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. 3. Melius est enim nubere quam uri, *invitum continere; uri est, opus luxuriæ immoderate in mente concupiscere et exinde in carne ardere.* Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere ; 4 quod si discesserit, *scilicet interveniente legitima causa; non enim aliter licet*, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic [illegible] consentit habitare cum illa, non dimittat virum; 5, 6, 7. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem ; *vel contigit aliquando sanctificatum fuisse virum infidelem per mulierem fidelem, et e converso* ; et sanctificata est mulier infidelis, *et nullam in ejus conjunctione immunditiam patitur mulier* : per virum, fidelem, *id est, in viro fideli* ; 8. alioquin, *si non esset legale matrimonium*, filii vestri immundi, *id est degeneres, non legitimi* essent, 9. nunc autem sancti, *non degeneres, id est, legitimi* sunt. 10. Quod 11. si

COMMENTARIUS.

16. Lanfr. *Empti enim estis.* Probatio quod non sint sui. Nulli enim empti sunt sui : hi autem empti sunt ; ergo, etc.

17. *Glorificate et portate.* Illatio, quasi diceret : Quia empti estis, glorificate Deum in cordibus vestris ; cujus servi facti estis.

18. Ambros. *Portate Deum in corpore vestro.* Portare Deum est, in rebus bene gestis, imaginem Dei ostendere.

CAP. VII. — 1. Lanfrancus. *Uxorem habeat.* Uxorem, non dicit concubinam, ut ab hac sententia excludantur qui divinis auctoritatibus uxores habere non possunt.

2. *Suum virum.* Virum hic intelligit legalem maritum. Sicut in Evangelio : *Et hic quem habes, non est tuus vir.*

3. Ambros. *Melius est nubere.* Uri est desideriis agi et vinci, cum enim voluntas calori carnis consentit, uritur ; nam desideria pati, et non vinci illustris viri est.

4. Lanfr. *Quod si discesserit.* Discedere non potest, excepta causa fornicationis, non [*f.*, nisi] utique continenter ex consensu vivant.

5. *Sanctificatus est vir*, id est mundus, et nullam ex ejus conjunctione mulier immunditiam patitur.

6. August. (*ex Serm. Domini in monte*, l. I, c. 16, tom. IV.) *Sanctificatus est vir.* Sanctificatus est enim, inquit, vir infidelis in uxore fideli, et sanctificata est mulier infidelis in fratre fideli. Credo, jam provenerat ut nonnullæ feminæ per viros fideles, et viri per uxores fideles in fidem venirent. (*Ibid. Ex lib. De peccatorum meritis, et remis.* 3, *ad Marcel.*, c. 12, tom. VII.) Illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos atque ad dimittenda peccata ; nisi Christiana vel ecclesiastica institutione, et sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles, quamlibet sanctis et justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ a regno Dei separatos in damnationem venire compellit.

7. Ambros. *Sanctificatus est vir.* Habere infideles beneficium bonæ voluntatis ostendit ; quia honorem nominis Christi non horrent. Signum sanctæ crucis ad tuitionem et sanctificationem hospitii pertinet.

8. *Alioquin filii vestri.* Immundi essent filii eorum, si dimitterent volentes habitare secum et aliis se copularent ; essent enim adulteri, et filii eorum spurii.

9 Lanfr. *Nunc autem sancti sunt*, id est mundi. In causam redit [*f.*, causam reddit] cur vir fidelis mulieris infidelis, aut mulier fidelis viri infidelis divortium quærere non debeat.

10. August. (*epist.* 89 *Hilario, ad quæst.* 4, tom. II.) *Quod si infidelis*, id est, si infidelis voluerit esse cum conjuge fideli Hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita subjectam putet servituti, ut ipsam dimittat fidem, nec conjugem infidelem.

11. *Si infidelis discedit, discedat.* Non licet aliam ducere, dimissa etiam infideli : sed utrum aliud dimissa, aliud discedente.

infidelis, *vir vel mulier*, discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, *id est, non cogitur sequi infidelem*; in pace autem vocavit nos Deus. *Quasi pacis autem debitores sumus, et ideo non debemus causa esse discordiæ. Alia ratio cur non sit quærendum divortium*, Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? Aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies? Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet. 12. et sicut in omnibus Ecclesiis doceo, *a simili.* Circumcisus aliquis vocatus est? Non adducat præputium, *nolit esse præputiatus.* In præputio aliquis vocatus est? Non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio *tantum* mandatorum Dei. 13, 14. Unusquisque *ergo quia circumcisus, et non*, in qua vocatione vocatus est in ea permaneat, *debet permanere.* Servus 15. vocatus es? Non sit tibi curæ, sed et si potes *fuga, vel aliter inhoneste* fieri liber 16. magis utere *ipsa servitute.* **58** 17. Qui enim in Domino, *ad fidem Christi*, vocatus est servus, 18. libertus est Domini; similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. 19. Pretio empti estis, nolite, fieri 20. servi hominum, *ita scilicet ut postponatis servitium Dei* Unusquisque *ergo quia servi, et liberi*, in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat, *debet permanere*, apud Deum. *De conjugatis, inquit, præcepi*, De virginibus autem, *sive viris, sive feminis*, præceptum Domini non habeo, consilium autem do, *misericorditer consulo.* 21. tanquam misericordiam *hanc* consecutus a Domino, ut sim fidelis, *ut credam in eum.* Existimo ergo, *autem*, hoc, *virginitatem*, bonum esse, 22. propter instantem necessitatem, quoniam est bonum homini, sic, *virginem*, esse. 23. Alligatus es uxori? 24. Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit : 25. tribulationem tamen *temporalem* carnis habebunt *hi qui sunt* hujusmodi. 26. Ego autem vobis parco, *id est, vitam vestram misericorditer dispono.* Hoc itaque (*suasio ad virginitatem*) dico, fratres : 27. Tempus

COMMENTARIUS.

12. Ambros. *Et sicut in omnibus Ecclesiis.* Hoc A dicit ut, dum cæteros hoc doceri audiunt, assequantur [*al.*. id sequantur].

13. August. (*in exposit. ad Galat.*, tom. IV.) *Unusquisque in qua.* Hoc enim ad eas consuetudines, vel conditiones tulit [*al*. , vitæ retulit], quæ nihil obsunt fidei, bonisque moribus. Non enim si etiam latro erat, quisque cum vocatus est, debet in latrocinio permanere.

14. Lanfr. *Unusquisque in qua*, etc. Unusquisque, inquit, qua vocatione vocatus est ad fidem, debet ambulare; nam circumcisus, in circumcisione ad fidem vocatus, non debet nolle circumcisus fuisse; sic et præputiatus, quia circumcisio vel præputium nihil valet ad beatitudinem promerendam. Valet enim solum observantia mandatorum B Dei.

15. *Servus vocatus es?* id est, per alias partes servus vocatus ad fidem, nolit fieri liber; est enim liber : Et Dei liber vocatus ad fidem, nolit fieri servus; est enim servus, quia Christi, nam ejus est emptitius.

16. *Magis utere.* Servitute utendum imperat, quia quanto quis propter Deum despectior est in hoc sæculo, tanto magis exaltabitur in futuro.

17. *Qui enim in Domino vocatus.* Ratio cur non debeat esse curæ, si servus vocatus est.

18. *Libertus est Domini*, id est, libertus Domini et servus Christi; sed honestius vocabulum servo tribuit, quia servi vocabulum est inhonestius.

19. Ambros. *Pretio empti estis.* Servi hominum C sunt, qui humanis se subjiciunt superstitionibus. Hoc dicit, quia in capite Epistolæ repræhendit, quod dicerent : *Ego sum Pauli*, etc.

20. *Servi hominum.* Ita scilicet ut postponatis servitium Dei.

21. Lanfr. *Tanquam misericordiam.* Misericorditer, inquit, consulo, quia hanc misericordiam a Deo consecutus sum, videlicet ut in eum credam.

22. *Propter instantem necessitatem.* Instantem necessitatem vocat penuriam hujus sæculi, quam frequenter patiuntur conjugati pro filiis et filiabus nutriendis, pro se invicem sustentandis, propter quam vitandam, bonum esse dicit homini, sine conjugio esse. Est quidem castitas servanda propter vitam æternam; sed infirmis doctoribus infirmam rationem prætendit.

23. *Alligatus es uxori?* Ne laudata castitate, uxorem aliquis vellet dimittere, hoc subjungit.

24. *Noli quærere uxorem.* Qui non habet uxorem, non debet quærere ut habeat. Nam qui habent tanquam non habentes esse debent. (A simili) Qui flent tanquam non flentes esse debent. Sic de reliquis posset concludere : Ergo quia habens debet esse, quasi non habens; qui non habet quærere non debet. Hoc est dicere æquipollenter : ergo volo vos esse sine uxore; nam volo vos esse sine sollicitudine sæculi. Quod probat, si quis sine uxore est (causa) sine sollicitudine est, tunc cum velim vos esse sine uxore, volo vos esse sine sollicitudine sæculi; sed qui est sine uxore, est sine sollicitudine; tantum enim est sollicitus quæ Domini sunt; nam est sollicitus quomodo placeat Deo.

25. Ambros. *Tribulationem carnis.* Tribulationes sunt gemitus ventris, nutrimenta filiorum et similia.

26. *Ego autem vobis parco.* Parcit, quoniam ad hæc provocat quæ tribulationes carnis et sollicitudines memoratas excludunt. Potest et sic videri parcere, cum permittit, et non contradicit volentibus quod onerosum ostendit.

27. *Tempus breve est.* Quia finis in proximo est,

enim breve est; 28. reliquum est, *consequitur*, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; 29. et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: 30, 31. præterit enim (*ratio cur ea quæ superius dicta sunt, quasi non sint, æstimanda sunt*) figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine *sæculi* esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem, *enim*, cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. *Ratio cur mulieres sine viro esse debeant.* Et mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, 32. non ut laqueum vobis injiciam, *non ut in pejora vos labi faciam, dum matrimonium dissuadeo*, 33. sed ad id, quod honestum est, *moneo vos*, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, *id est, serviendi.* 34. Si quis 35. autem turpem, *infamem*, se videri existimat super virgine, *filia*, sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri, *quia virgo castitatem servare non vult*; quod vult faciat, 36. *ergo vel pater, vel ipsa filia* non peccat, si nubat. *Sic de isto, nam de alio aliter.* Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem *hanc ut filia nubat, qui continere noluerit*; potestatem autem habens suæ voluntatis, *ut virgo nubat, vel non*, et hoc judicavit in corde suo, *scilicet* servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, *bene*; *nam* melius facit. *Dissuasio a matrimonio.* Mulier alligata est legi, *scilicet maritali*, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit *morte* vir ejus, *liberata* est; cui vult nubat, tantum in Domino, *legaliter*. Beatior autem erit si sic, *sine viro*, permanserit secundum meum consilium: 37. puto autem (*ut acquiescatur consilio illius*) quod et ego Spiritum Dei habeam.

COMMENTARIUS.

dicit non debere ad generandum sollicitos esse: et A qui flent, tanquam non flentes sint, scientes mox consolationem eorum futuram; et qui in præsenti gaudent, sciant mox luctum futurum.

28. Lanfr. *Reliquum est.* Quia, inquit, tempus breve est, consequitur ut quidquid in hoc sæculo sive prosperum, sive adversum videtur esse, pro parvitate temporis potius videatur non esse.

29. August. (*in expos. Psal.* CXLVII, tom. VIII). *Et qui flent.* Quisquis autem sive manducat, sive bibit, sive aliud aliquid agit, omnia in gloriam Dei facit. **59** Et si aliqua tristitia est de rebus sæcularibus, sic fleat ut intus spe gaudeat. Et si aliqua lætitia est in rebus sæcularibus, sic gaudeat ut intus spiritualiter timeat; nec donet se corrumpendum felicitati, nec tradat adversitati frangendum, hoc enim B est flere tanquam non flere; et gaudere tanquam non gaudere.

30. August. (lib. XX *De civ. Dei*, c. 14). *Præterit enim figura.* Figura præterit, non natura (*ibid.*, cap. 16). Judicatis quippe his qui scripti non sunt in libro vitæ, et in æternum ignem missis, tunc figura hujus mundi, mundanorum ignium conflagratione præteribit. Sic factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa, ut dixi, conflagratione, mundanæ [*al.*, mundana] elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt.

31. Lanfr. *Præterit enim figura.* Ratio cur ea quæ superius dicta sunt, quasi non sint, existimanda C sunt. Omne enim quod præterit, cujuscunque prolixitatis sit, æternitati comparatum, nihil est.

32. *Non ut laqueum*, id est, non ad hoc moneo castitatem diligere, ut hac occasione velim vos, propter incontinentiam in luxuriæ laqueum incidere.

33. August. (*lib. De bono viduit.*, cap. 5.) [*Sed ad id quod honestum est.* Cum ait: *Sed ad id quod honestum est.* Non matrimonium turpe esse ostendit; sed quod erat honesto [*al.*, honestum] honestius, generalis honesti nomine commendavit.

34. Lanfr. *Si quis autem*, etc. Quia superius ad virginitatem suaserat, ne quis putaret peccatum forte [*f.*, fore], si filiam continere nolentem viro traderet, dicit si ipsa continere nolit, non peccat, si nubat. Habens autem filiam quam continere velit, cum ipse habeat potestatem quod ea nubat, vel non, si pater voluerit, si filiam virginem servet, benefacit.

35. Lanfr. *Turpem se videri existimat*, id est, si quis virginem habet adultam, quæ castitatem servare nolit, et curator ejus putat quod infamiam turpitudinis incursurus sit si castitatem servare coegerit; non peccat vel ipse, vel virgo, si nubat virgo.

36. August. (*Lib. De bono viduit.*, c. 9, tom. IV.) *Non peccat si nubat.* Quæ se non continet, nubat; quæ non cœpit, deliberet; quod aggressa est, perseveret. Nulla adversario detur occasio; nulla Christo subtrahatur oblivio.

37. August. (*Expos.* 37. *in Evang. Joan.*) *Puto autem quod ego.* Homines de his rebus, quas certas habent aliquando increpative dubitant, id est, verbum dubitationis ponit [*al.*, ponunt], cum [*adde*, in] corde non dubitent. Velut si indigneris servo tuo et dicas: Contemnis me? Considera forsitan Dominus tuus sum. Hinc et Apostolus ad quosdam contemnentes suos loquens, ait: *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeo* Qui dicit puto, dubitare videtur. Sed ille increpabat, non dubitabat. Et ipse Dominus noster alio loco increpans infidelitatem futuram generis humani: *Cum venerit*, inquit, *filius hominis, putas inveniet fidem in terra?*

CAPUT VIII.

60 1. 2. De iis autem quæ idolis sacrificantur, scimus *quod fieri debeat*, quia omnes scientiam habemus. 3. Scientia *sine charitate* inflat, charitas vero, *nam cum charitate* ædificat. 4. Si quis autem se existimat scire *a se* aliquid, *id est sciens sine charitate*, nondum cognovit 5. quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo, *habet scientiam cum charitate, ædificando alios*. De escis autem (*quod dimiserat repetit*) quæ idolis immolantur, *sic respondeo*, scimus quia nihil est idolum in mundo, *in mundi creatione*, et quod nullus est Deus nisi unus (*non est Deus, quia tantum est unus Deus.*) 6. Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra (*sola anthypophora infidelibus*) quidem sunt dii multi, *ut* et domini multi, nobis tamen unus Deus Pater, 7. ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, 8. per quem omnia, et nos per ipsum. 9. Sed non in omnibus est scientia, *fidelibus*. 10, 11. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, *putantes idolum esse aliquid*, quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum, cum sit infirma, *quia concupiscentiæ cibi non potest resistere*, polluitur. *Non debemus* **61** *edere idolothyta.* Esca autem nos non commendat Deo, *imo abominabiles facit.* 12, 13. Neque enim (*probat quod offendiculum faciet*) si manducaverimus, 14. abundabimus, *proficuum habebimus*, neque, si non manducaverimus, deficiemus. 15. Videte autem, *licet, inquit, comedere, sed videte,* ne forte hæc licentia vestra 16. offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia, frater, *quia te, qui sciens es, videt hoc facere, sed non debet perire per te*, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, *comedendo idolothytum*, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 17.

COMMENTARIUS.

CAP. VIII. — 1. AMBROS *De his autem* Nunc scientiam locuturus, quæ sit scientia non statim dicit; sed in subjectis ostendit dicens : *Quia nihil est idolum*,

2. LANFR. *De his autem*, id est, omnes scimus quid debeat fieri de immolatitiis idolorum; sed sola scientia non sufficit ad observandum quod rectum est; sed potius inflat, si desit charitas, quæ ædificat.

3. AUGUST. (*Exposit. in Evang. Joan.*, tract. 27.) *Scientia inflat.* Et quidem inflat sola sine charitate, ideo adjunxit : *Charitas ædificat.* Adde ergo scientiæ charitatem, et utilis erit scientia, non per se, sed per charitatem.

4. LANFR. *Si quis autem.* Ostendit quid sit scientia sine charitate, videlicet quam homo putat se habere a se.

5, *Quemadmodum oporteat.* Oportet scire hominem quidquid bonum habet a Deo se habere.

6. AUGUST. (*in Psal.* XCIV, tom. VIII.) *Nam et si sunt qui dicantur* Si ergo non nobis; quibus? Audi ex alio psalmo : Quoniam omnes dii gentium dæmonia.

7. AMBROS *Ex quo omnia.* Discrevit nos a cæteris, qui ex illo sunt; non tamen in illo sunt, dum adhuc non credunt.

8. *Per quem omnia* Omnia ex Patre quidem, sed per Filium creata sunt; sed cum dicit, *et nos per ipsum* reformatos nos per ipsum, per quem creati fueramus, significat in Dei cognitione.

9. LANFR. *Sed non in omnibus.* Non omnes, inquit, habent scientiam hujus Dei; ideo putant idolis gubernari.

10. *Quidam autem.* Quidam, inquit, et sciunt quod idolum nihil est, et tamen scienter manducant idolo immolatum.

11. AMBROS. *Quidam autem.* De plebe enim aliqui A cum veneratione adhuc simulacri, manducabant de sacrificiis, quasi aliqua illic esset divinitas.

12. AUGUST. (*libr.* X *Conf.*, cap. 31, tom. I) *Neque enim si non manducaverimus.* Hoc est dicere, nec illa res me copiosum faciet, nec illa ærumnosum.

13. LANFR. *Nec enim*, etc. Quasi diceret aliquis : fames me talem cibum comedere compellit. Absit! tam parva enim particula singulis distribuitur, ut nec illata satiet, nec ablata esurire compellat Potest subaudire; deficiemus a bonis operibus, vel abundabimus in bonis operibus.

14. *Abundabimus*, etc. Non debetis comedere idolothyta; nam neque per hoc acquiretis commodum, quod est neque si manducaverimus, abunda- B bimus, neque majus evadetis damnum. Quod probat in libro a contrario, ita : Nam si non manducaverimus, periculum non habebimus; quod æquipollenter dicit, deficiemus.

15. AMBROS. *Videte autem*, hoc est : Ne, quia licere vobis edere carnem de sacrificio dicitis, per id quod nihil idolum esse scitis, offensionem generetis fratribus qui nesciunt adhuc quia nihil est idolum.

16. *Offendiculum fiat infirmis.* Probat quod offendiculum faciet, quia ædificavit ad manducandum; peribit autem frater, quod non debetis facere, scilicet eum perire; nam si facietis, in fratres peccatis. Item et percutientes estis conscientiam, quod non C debetis; nam ita in Christum peccatis. Ergo non debetis comedere. Quod est, *quapropter si esca scandalizat*, etc. Ponit se pro illis, dicens : Non manducabo, quia eum, ut Apostolum suum, debeant imitari.

17. *Quapropter si esca scandalizat.* Licet, inquit, comedere idolothytum; non tamen debetis quia offendiculum infirmis fratribus pararetis, ad illud

Quapropter si esca scandalizat 17. fratrem meum, non manducabo 18. carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

CAPUT IX.

1. Non sum liber? 2. Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne 3. opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum; nam signaculum 62 *judicium*, apostolatus mei vos estis in Domino 4. Mea defensio apud eos qui me interrogant, *an Apostolus sim, vos scilicet, quibus prædicavi* hæc est. 5. Nunquid (*a simili*) non habemus potestatem manducandi et bibendi? Nunquid 6. non habemus potestatem mulierem, sororem *Christianam*, circumducendi, sicut et cæteri apostoli, *id est Judas et Jacobus Priscam*, et fratres Domini, et Cephas? Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem 7. hoc operandi? (*a similibus ostendit, quia stipendia sumpsisse sibi licuerit*). Quis militat suis stipendiis unquam? *nullus utique*. Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? *nullus* Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? *Nemo*, Nunquid, secundum hominem, *humanam consuetudinem; vel me* dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi, *qui comedat de trituraturis suis*, trituranti, *prædicatori*. Nunquid de bobus, *in hoc præcepto*, cura est Deo? 8. An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, *cum spe terreni stipendii*, qui arat, arare; et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos, *id est, a minori*, vobis spiritualia *prædicando* seminavimus, magnum est (*ironia*) si nos carnalia vestra, *stipendia*, metamus? *Non utique*. (*a simili*) Si alii potestatis vestræ, *pseudoapostoli*, participes sunt, *si alii acceperunt a vobis secundum quod potuistis dare*, quare *ergo* non potius nos? 9. Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, 10. ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. *Fortassis enim Evangelium Christi minus libenter audirent, si ab eis aliquid acciperet*. Nescitis (*idem a simili*) quoniam qui in sacrario *templi Judæorum* operantur, quæ de sacrario sunt, *de sacrificio scilicet*, edunt, et qui altari deserviunt 11. cum altari participant? Ita, *ergo similiter*, et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut, *ut quid a vobis accipere velim*, ita fiant in

COMMENTARIUS.

enim comedendum eos ædificaretis, et ita perirent, cum idolum aliquid esse putarent.

18. **Lanfr.** *Carnem in æternum.* Id est, non solum ab aliis cibis, propter vitandum fratris scandalum abstinerem, sed et carnem, quæ suavissimus inter omnes cibus est, in æternum dimitterem.

CAP. IX. — 1. **Lanfr.** *Non sum liber? Et si*, inquit, liceat vobis idolothyta edere, non tamen debetis, sicut ego, etsi liceret; non tamen a vobis, cum prædicarem, stipendia accepi. Hoc Apostolum velle sequentia declarant.

2. *Non sum Apostolus?* Commendat auctoritatem suam, quia a se superius argumentum sumpsit.

3. *Opus meum.* Per hoc, inquit, probatur quia Apostolus et magister vester sum, quia vos discipuli mei estis in fide Christi

4. *Mea defensio.* Quidam dicebant eum non esse Apostolum, eo quod Dominum non vidisset, et nullam gentem ad Dominum convertisset. Adversus calumniam eorum hanc defensionem opponebat, dicens se et Dominum vidisse et Corinthios convertisse.

5. **August.** (*lib. De opere mon.*, c. 4, tom. III). *Nunquid non habemus.* Ostendit sibi licere quod cæteris apostolis, id est, ut non operetur manibus suis; sed ex Evangelio vivat, sicut Dominus eis constituit. Quod in consequentibus apertissime demonstravit. Ad hoc enim fideles mulieres, habentes terrenam substantiam, ibant cum eis et ministra-

A bant eis de terrena substantia sua, ut nullius indigerent horum quæ ad necessarium hujus vitæ pertinent.

6. (*ibid.*, c. 5). *Non habemus potestatem.* In Evangelio enim scriptum est: *Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitatem et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo, et mulieres quæ erant curatæ a spiritibus malignis et infirmitatibus, Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua dæmonia septem ejecerat Dominus Jesus Christus, Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*

7. **Ambros** *Hoc operandi.* Pro accipiendi, operandi, ait, ut honestius loqueretur.

B 8. **Lanfr.** *An propter nos*, etc. Ostendit hoc dictum esse de prædicatoribus, aut enim de illis aut de bobus, sed de bobus non; non enim est cura Deo de his; ergo dictum est de prædicatoribus.

9. **August.** *Sed non usi sumus.* Qua potestate dicit se non usum, nisi quam habebat in eos a Domino acceptam, ut eorum carnalia meteret, ad victum hujus vitæ, quæ in carne agitur.

10. **Lanfr.** *Ne quod offendiculum*, id est, impedimentum. Fortasse enim Evangelium Christi minus libenter audirent, si ab eis aliquid acciperet.

11. *Cum altari participantur.* Pars enim super altare comburebatur, et pars ministris altaris in cibos servabatur.

me; **63** 12, 13, bonum est enim mihi magis mori 14. quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam si evangelizavero, *propter sumptum*, 15. non est mihi gloria; necessitas enim *famis* mihi incumbit: 16, 17. væ enim mihi est si non evangelizavero! Si enim volens *sine sumptu, id est, gratis* hoc ago, mercedem habeo: *gloria est mihi.* Si autem invitus, *id est, pro stipendio*, dispensatio mihi credita est. *Quam si invitus facero, viderit ipse quid de me agat.* Quæ est ergo merces mea? *In quo ergo merces constituta est. In hoc scilicet*, ut Evangelium prædicans, sine sumptu, *ab auditoribus accepto*, ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio. Nam 18. cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, *moribus omnium concordans*, ut plures lucrifacerem. 19. 20. Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer, 21, 22. iis qui sub lege sunt, *Samaritanos dicit, qui legi Moysi, non prophetis obaudiunt*, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege *Judaica*) ut eos qui sub lege erant lucrifacerem: iis qui sine lege **64** erant, *gentibus*, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos qui sine lege erant 23, 24. Factus sum infirmis infirmus, *condescendendo illis*, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem, *ergo*, facio propter

COMMENTARIUS.

12. AUGUST. (*lib.* II *De serm. Domini, in monte.* cap. 16) *Bonum est enim mihi.* Hoc dixit, quia jam statuerat, propter quosdam occasionem quærentes, manibus suis victum transigere. *Si enim evangelizavero*, inquit, *non est mihi gloria*, id est, si evangelizavero ita ut [*al.*, ut ista] fiant in me, id est, si propterea evangelizavero, ut ad illam [*al.*, illa] perveniam, et finem Evangelii in cibo, et potu et vestitu collocavero. Sed quare non est ei gloria? Necessitas enim incumbit, id est, ut ideo evangelizem, quia unde vivam non habeo; aut ut acquiram temporalem fructum, de prædicatione æternorum. Si enim jam necessitas erit in Evangelio, non voluntas. *Væ enim*, inquit, *mihi, si non evangelizavero.* Sed quomodo evangelizare debet? Scilicet ut in ipso Evangelio, in regno Dei ponat mercedem. Ita enim potest, non coactus evangelizare, sed volens. *Si enim volens*, inquit, *hoc facio, mercedem habeo. Si autem invitus, dispensatio mihi credita est*, id est, si coactus inopia earum rerum quæ temporali vitæ sunt necessariæ prædico Evangelium, alii per me habebunt mercedem Evangelii, qui Evangelium, me prædicante, diligent.

13. LANFR. *Bonum est enim mihi.* Ratio cur nolit stipendia dari sibi. Periret enim gratia sua, quæ ex gratuita prædicatione procedit; quæ cum remunerata convenire non posset.

14. *Quam ut gloriam meam*, etc. Non ideo, inquit, evangelizavi ut quid a vobis accipere velim. Nam si propter hoc evangelizavero, non mihi gloria, id est, moriar æternaliter. Nam malum est mori temporaliter, sed minus malum quam æternaliter mori; et hoc est quod dicit æquipollenter: Bonum est enim mihi magis mori.

15. *Non est mihi gloria.* Gloria hæc a voluntate procedit, longe igitur a necessitate.

16. *Væ enim mihi est!* Exponit de qua necessitate dicat. Est enim alia necessitas, quæ in rerum immutabilitate consistit.

17. *Væ enim mihi est, si!* etc. Non est, inquit, mihi gloria, si propter sumptum prædicem, quia propter necessitatem vitandam hoc facio, nam propter væ, id est, famis periculum vitandum. Probat vero in libro quia, si prædicet, famis periculum vitabit; væ enim, id est, famis periculum incurret, si non evangelizaverit.

18. *Cum liber essem.* Quasi diceret: Qui majus feci, id quod minus est, negligere non debeo. Majus enim servum se omnibus facere quam sumptum ab auditoribus non accipere. Liberum autem se fuisse dicit ex omnibus, quia, sub nullius jugo, nulli quidquam debebat.

19. AUGUST. (*lib. De opere mon.*, cap. 11). *Et factus sum Judæus*, id est, ut eo modo subveniret, et carnali Judæo, vel pagano, quomodo sibi ipsi, si hoc esset, subveniri voluisset. Portans utique eorum infirmitatem in compassionis similitudine, non fallens in mendacii fictione.

20. AMBROS. *Et factus sum Judæus.* Quia propter scandalum illorum circumcidit Timotheum, et purificatus ascendit templum, et consentit legem et prophetas esse a Deo, et de illis ostendit Christum hunc esse qui promissus est, ut assensus ejus haberet effectum.

21. *Iis qui sub lege.* Hi Samaritani noscuntur. Legem enim solam accipiunt, id est, libros Moysi, et sunt ex sanguine Persarum, quos rex Assyriorum, sublatis filiis Israel, in captivitatem posuit, ad incolenda loca Samariæ.

22. *Iis qui sine lege.* Asserit enim illis, id est, gentibus, juxta physicam rationem, mundum factum a Deo; et ab ipso nos originem habere. Ita enim ait in Actibus apostolorum: *Sic quidem ex vobis dixerunt: Ipsius et genus sumus.*

23. *Factus sum infirmus*, id est, factus sum infirmus propter infirmos, dum propter fratres a licitis abstinet, ne illis scandalum generet.

24. AUGUST. *Factus sum infirmus.* Et ipso factus infirmus quo potestate sua uti voluit, tam misericordi scilicet affectu inductus ut cogitaret quemadmodum secum agi vellet, si et ipse ita infirmaretur ut posset de illis per quos sibi Evangelium prædicaretur, si eos videret, sumptus accipere, quasi mercimoniorum nundinas suspicari.

Evangelium, ut particeps ejus, *id est, evangelicæ recompensationis*, efficiar. 25. Nescitis quod ii 26. qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ! Sic currite ut comprehendatis (*bravium prædicationis*). Omnis autem (*a simili*) qui in agone contendit *quod ut comprehendatis, debetis abstinere* ab omnibus *a nocivis* se abstinet *a minori*) et illi quidem *abstinent* ut corruptibilem coronam accipiant ; nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, *ut incorruptam coronam accipiam*, non quasi in incertum ; sic pugno, non quasi aerem verberans, *id est in vacuum*, 27. sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

CAPUT X.

1. Nolo enim vos ignorare fratres, 2. quoniam patres nostri 3. omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse, **65** *in ducatu Moysi* baptizati sunt in nube et in mari, 4. et omnes eamdem. 5. escam, *idem illorum cibus, qui noster, non specie, sed significatione manna*, spiritalem, *aliquid significantem*, manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt ; 6. (bibebant autem, *de aqua quæ profluens de petra consequebatur eos*, de spiritali, 7. consequente, *comitante*, eos petra ; petra autem erat Christus, *significans Christum*) 8. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo ; nam prostrati sunt in deserto Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. *Sicut enim illi perieremus*. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est *in Exodo*, XXXII : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere, *coram idolo scilicet*. Neque fornicemur, *discedendo a cultu divino*, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, *cum filiabus Moabitarum*, et ceciderunt una die viginti tria millia, *et nos similiter*. Neque tentemus Christum ; (*etenim periremus ut illi*) sicut quidam eorum tentaverunt, *dicentes : Nunquid et panem poterit dare aut parare mensam populo suo ?* et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum, *propter aquam*, murmuraverunt. et perierunt ab *angelo* exterminatore. Hæc autem omnia *ideo dixi quia* in figura contingebant illis ; scripta sunt autem, *ergo*, ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum (*ultima ætas, vel Christus*) devenerunt. Itaque qui se existimat stare, (*quia illi peccantes ceciderunt, et nos licet baptizati*) videat ne cadat. 9, 10. Tentatio vos non apprehendat, *ne, ut illi, pareatis*, nisi humana, *de cibo, potu, cæterisque talibus*. 11. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari

COMMENTARIUS.

25. LANFR. *Nescitis quod hi*. Monet eos non ita A currere debere, sicut qui in stadio currunt. Omnes enim currunt, sed unus accipit bravium. Fideles autem, si bene cucurrerint, omnes coronabuntur.

26. *Qui in stadio currunt*. Ergo, inquit, factus omnia omnibus, sic curro prædicando, ut comprehendam bravium Evangelii, et vos sic currite ut comprehendatis, scitis enim quia omnes qui ita currunt accipiunt.

27. *Sed castigo corpus meum*. Exemplum ponit, ne Christiani, propter solam fidem, nisi bene operentur et a peccatis abstineant, salvos se fore confidant.

CAP. X. — 1. LANFR. *Nolo enim vos*, etc. Objectio : Nullus baptizatus reprobabitur ; quod probat per patres in mari Rubro baptizatos confirmatione, qui, B quia bene non operati sunt, in deserto perierunt.

2. *Quoniam patres*, etc. Exemplum hoc ponit, ne Christiani propter solam fidem, baptismum, et cætera sacramenta, nisi bene operentur, etsi a peccatis abstineant, salvos se esse confidant.

3. AUGUST. (*lib.* XII *contra Faustum*, cap. 29). *Omnes sub nube*. Columna, quia rectus et firmus, et fulciens infirmitatem nostram, per noctem lucens ; per diem non lucens, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant. Rubet et mare Rubrum ; baptismus utique sanguine Christi consecratus, hostes a tergo sequentes, moriuntur peccata præterita ; ducitur populus per desertum. Baptizati nondum omnes perfruentes patria promissa, sed quod non vident sperando, et per patientiam exspectando tan- C quam in deserto sint.

4 LANFR. *Omnes eamdem escam*, id est, qualem rectores, talem et qui regebantur, videlicet manna.

5. *Escam spiritalem*, id est, spiritualem intelligentiam habentem, scilicet corporis Christi.

6. AUGUST. *Quæst. super Vetus Test., super Num.*, lib. IV, quæst. 35, tom. IV. *Bibebant autem*. Significata est ergo de Christo profluens gratia spiritualis, quia interior sitis irrigaretur. Sed quod virga [*adde*. petra] percutitur, crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram, gratia ista manavit. Et quod bis percutitur, evidentius significat crucem. Duo quippe ligna sunt crux.

7. LANFR. *Consequente eos*. Non revera petra sequebatur exercitum ; sed aqua fluens de petra. Spiritualem autem eam vocat quia spiritualem intelligentiam in se continebat Christum.

8. *Sed non in pluribus*. Quasi diceret : sacramenta erant eadem, sed vita diversa ; atque ideo alii placuere, et alii non.

9 AUGUST. (lib. II. *De baptismo parvul. contra Donat.*, cap. 5, tom. VII). *Tentatio vos*. Homines enim sumus. Unde aliud sapere quam se res habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcipiendæ [*al.*, præcidendæ] communionis, vel condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est.

10. LANFR. *Tentatio vos*. Humana tentatio est de cibo, de potu, de somno et cæteris quibus humana infirmitas carere non potest

11. *Fidelis autem*, id est, faciet quod promisit.

supra id quod potestis *sustinere*; sed faciet etiam cum tentatione 12. proventum, *subsidium*, ut possitis sustinere. 13. Propter quod, *qui ceciderunt ex ipsis* 23. *millia*, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura, ut prudentibus loquor *sequentia*, vos ipsi judicate quod dico. 14. Calix benedictionis, cui *nos sacerdotes* benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est, *facit nos communicantes sanguini Christi?* Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis **66** Domini est? 15. Quoniam *ut* unus panis, *est ex multis*, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. 16. Videte Israel secundum carnem, (*alia similitudine probat comedentes idolothytum fieri participes dæmoniorum*). Nonne qui edunt hostias, 17. participes sunt altaris? Quid ergo? *per hoc quod dico tales fieri participes dæmoniorum.* Dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? *non* Sed *dico* quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios, *comedendo idolothyta*, fieri dæmoniorum. (*Causa cur idolothyta comedere non debeant*). Non potestis calicem Domini bibere, et calicem pæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. 18. An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, *potestate liberi arbitrii*, sed non omnia expediunt, *prosunt*. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, *prosunt aliis*. Nemo quod suum est quærat sed quod alterius. *Debemus autem quærere non solum nostra, sed etiam fratrum commoda.* Omne, (*quia superius dixerat licere idolothytum comedere; nunc vero probavit non debere. Determinat quid comedi debeat, quid non*) quod in macello vænit, manducate, 19. nihil interrogantes propter conscientiam, (*an sit idolothytum an non; ut qui postea viderint vos comedentes, illud vos pro sancto habere non æstiment*) *Domini, inquit, omne quod in macello vænit, terra enim et omnis plenitudo ejus, sua est, ut ait Psalmista:* 20. Domini est terra, et plenitudo ejus. Si quis *ad cœnam* vocat vos infidelium, *non credentium*, et vultis ire; omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes (*si enim interrogares, et postea sciens comederes, blasphemiam aspicientium incurreres*) propter conscientiam, *præbentis cœnam*. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis; nolite manducare, propter illum qui indicavit, et propter conscientiam; conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius, *hæc aspicientis*. 21, 22. Ut quid enim (*licet, inquit, tuæ libertati idolothytum comedere; non tamen pati alios te propter hoc arguere*) **67** libertas mea judicatur ab aliena conscientia? Si ego 23, 24, cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Sive ergo manducatis (*quia*

COMMENTARIUS.

Promissit enim in multis Scripturarum suarum locis se fideles suos non deserturum.

12. *Proventum*, id est, cum tentatio venerit, faciet etiam provenire.

13. *Propter quod charissimi*, id est, quia sola sacramenta illos salvare non poterant. Et qui stat, videre debet ne cadat.

14. *Calix benedictionis.* Summa totius sententiæ hæc est: quia corpus Domini comedens, et sanguinem ejus bibens, idolis immolata contingere et comedere non debet; nam idolorum particeps fieret; quod probat: Qui enim bibit calicem Domini, et comedit panem, id est corpus ejus, particeps est ipsius.

15. *Quoniam unus panis.* Exponit modum et causam, quo et qua calix benedictionis et panis qui frangitur fiant accipienti caro et sanguis Christi. Per unitatem enim panis et unitatem corporis, charitatem oportet intelligi, quæ si desit, judicium sibi sumunt qui sumunt. Typice, dum unus panis, et unum corpus, Ecclesia dicitur Christi, pro te videlicet, quia sicut unus panis ex multis granis, et unum corpus membris componitur; sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus, charitate connectente.

16. *Videte Israel secundum carnem.* Similitudo est, ad intelligendum quod superius dictum est, *carnem*, id est, carnalis legis præcepta servantem.

17. *Participes sunt altaris.* Sic qui edunt carnem Christi, et sanguinem ejus bibunt, participes ejus sunt.

18. *An æmulamur Dominum?* Ad iracundiam provocamus, idolothyta comedentes; quod non decet, quia ipse nos puniret. Est enim nobis fortior; et nos non sumus fortiores, nec æquales.

19 *Nihil interrogantes.* Quasi aliquis diceret: si interrogaveritis, et vobis responsum fuerit, quod idolis sit immolatum, conscientia auditoris roborabitur ad credendum quod aliquid sit idolum.

20. *Domini est terra.* Causam reddit cur dixerit superius, *omne quod in macellum vænit manduca.*

21. Ambros. *Ut quid enim libertas?* Hoc dicit, quia cum ab idoli devotione conscientia sit libera, quid opus est ut putetur quia venerationis causa edat idolis immolata.

22. Lanfrancus. *Ut quid enim libertas.* Libertas Christianorum est omnibus cibis cum gratiarum actione posse uti. Sed hæc libertas ab aliena conscientia judicatura, reprehensibilis et damnanda ostenditur, quando occasione ipsius libertatis, aliquid facimus, unde, videntes nos, aliquid impium et sacrilegum de nobis suspicari coguntur.

23. *Si ego cum gratia.* Quasi diceret: Et si libertate Christianæ religionis, cum gratiarum actione participare possum etiam idolis immolata, sciens idolum nihil esse et bonis creaturis Dei nihil mali ex illa immolatione accedere, et illis tantum esse peccatum, qui pro reverentia ipsius idoli comedunt idolo immolatum. Stultum enim est pro ipsa gratiarum actione cadere in blasphemiam, et vituperationem imperitorum hominum putantium me idolum aliquid magnum existimare, quoniam me vident immolatium cum gratiarum actione comedere.

24. Ambros. *Si ego cum gratia.* Si ego gratiæ Dei communico, quia in ipsius nomine edo, quid opus

eum blasphemia comedere non debetis), sive bibitis, sive aliud quid facitis, 25. omnia in gloriam, *ad laudem* Dei facite, *facere debetis*, 26. sine offensione, *id est placentes*, estote *debetis esse* Judæis, 27. et gentibus 28. et Ecclesiis Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi *tantum* utile est, sed quod *est utile* multis, ut salvi fiant.

CAPUT XI.

Ergo quia quod vobis et multis utile est quæro, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 1. Laudo autem vos, fratres (*ironia vel serio ex parte*). quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Volo autem vos scire quod omnis viri 2. caput Christus est; caput autem mulieris, vir ; caput vero Christi, Deus 3, 4. Omnis vir orans aut *futura* prophetans velato capite, 5. deturpat caput suum Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat [caput] suum ; unum enim est, 68 *orare non velato capite*, ac si decalvetur (*ab anteriori parte capillos ab invicem separat, cum caput non velatum habet*). Nam si non velatur mulier, tondeatur, *aut, inquit, velari debet aut tonderi ; non autem hoc illud igitur*. Si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam 6, 7. imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. *Removet*. Non enim vir, *id est Adam*, ex muliere, *id est*, *Eva* est, sed mulier ex viro (*a toto*), *alia ratio quomodo mulier gloria est viri*. Etenim non est creatus vir propter mulierem (*removet*), sed 8. mulier propter virum. Ideo debet 9. mulier potestatem habere supra caput *suum*. 10. Propter angelos, *prædicatores*, *vel angelorum præsentiam*. 11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino, *id est*, *in Domini operatione*. Nam sicut mulier de viro, ita et *hodie* vir per mulierem ; 12. omnia autem, *et vir*, *et mulier* ex Deo. Vos ipsi judicate ; decet mulierem non velatam *capite* orare Deum ? Nec ipsa natura, *naturalis ratio*, docet vos

COMMENTARIUS.

est hæc arbitrari aliquem quia ego idolo devotus sim, dum non horreo quæ oblata sunt idolo?

25. *Omnia in gloria Dei*. In gloria Dei aliquid fit, cum in actibus et conversatione Christiani Deus laudatur.

26. *Sine offensione*. Offensio Judæis fit, cum idola, quæ illi abominantur, Christianos, qui legem et prophetas accipiunt, vident non horrere.

27. *Et gentibus*. Græcis vero, id est gentilibus, hæc est offensio, si in eo in quo sunt, non solum non arguantur, sed et promptiores fiant, dum non vitant vota idolorum.

28. *Ecclesiis Dei*. Ecclesiæ Dei fit offendiculum, quando quosdam ex numero suo videt his quæ inimica sunt Deo adhærere.

CAP. XI. — 1. AMBROS. *Laudo vos*. Non hoc confirmat, sed succenset eis; quia cum esset Apostolus eorum, immemores erant traditionum ejus.

2. *Caput vero Christi*. Aliter caput viri Christus est; et aliter vir mulieris ; et aliter Deus Christi. Deus Christi, quia ab ipso genitus est. Mulieris vir, quia ex ejus costa, Dei virtute formata est. Christus viri, quia per ipsum creatus est.

3. *Omnis vir orans*. Orare dicit deprecari, prophetare, adventum Domini fore, voce symboli post orationem effari.

4. LANFR. *Omnis vir orans*, etc. Transit ad hoc removendum quod apud Corinthios viri velato, et mulieres orabant in ecclesia capite non velato, tanquam mulieres viris non debeant subdi. Quia illæ subdi debent, et viri non velato, et mulieres debent orare velato capite.

5. *Deturpat caput suum*. Mulier inquit, debet orare velato capite ; aliter enim deturpat [caput] suum, par enim facit ac si decalvetur.

6. AUGUST. (*lib.* XII *De Trin.*, cap. 7) *Imago et* A *gloria est Dei*. Credo illud esse in natura humanæ mentis mulierem cum viro suo, imaginem Dei esse, [*ad.*, ut una] imago sit tota illa substantia. Cum autem ad adjutorium distribuitur, quod ad eam solam attinet, non est imago Dei. Quod autem ad virum solum attinet, imago Dei est, tam plena atque integra ut [*al.*, quam] in unum conjuncta muliere.

7. LANFR. *Imago Dei*, etc. Vir principaliter ad imaginem Dei creatus est. Mulier e costa viri postea formata est ; atque vir discoopertum caput debet habere.

8. *Mulier*. Est et mulier gloria Dei, a quo et ad quem glorificandum creata est, sed et secundo loco ; principaliter enim vir.

B 9. AMBROS. *Mulier potestatem habere*, etc. Mulier in ecclesia, propter reverentiam episcopalem, non habeat caput liberum, sed velamine tectum ; nec habeat potestatem loquendi, quia episcopus personam Christi habet. Quasi ergo ante judicem, sic ergo ante episcopum, qui est vicarius Dei, propter reatus originem subjecta debet videri.

10. LANFR. *Propter angelos*. Angelos vocat prædicatores, qui in altiori loco consistebant, cum prædicarent, propter hos dicit mulieres velare caput suum ; quia sparsis crinibus facilius aspicientes ad luxuriam irritarent.

11. *Verumtamen*. Quamvis primus homo non sit ex muliere, sed mulier ex ipso : in subsequenti tamen procreatione, non est hoc. Omnis enim vir postea procreatus est ex muliere, et mulier ex viro. C In Domino autem procreati, id est in creatione Domini in qua alter sine altero non creatur.

12. AMBROS. *Omnia autem ex Deo*. Ut neque mulier subjectionis suæ causa contristatur, neque vir exaltatus superbiret.

eam orare non vetata, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; mulier vero si comam nutriat gloria est illi; (*causa*) quoniam capilli pro velamine ei dati sunt? si quis autem videtur contentiosus esse: (*contra hæc, vel alia mea dicta dicemus, scilicet nos non habemus consuetum mulieres non velare caput*) nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 13. Hoc autem præcipio (*ut nemo sit contentiosus, vel ut nulli velent capita*); non laudans quod non in melius, *id est, bonum*, sed in deterius, *id est, malum* convenitis, *ad commemorationem Dominicæ cœnæ*. Primum *enim dico quia* quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras inter vos (*Pauli enim per se, Petri per se discipuli cœnabant dedignantes alterutrum*) esse et ex parte credo *esse scissuras*. Nam *Scriptura dicit:* Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. **69** 14, 15. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est 16. Dominicam cœnam manducare, *non est enim communis, ut Dominica cœna fuit*. 17. Unusquisque enim suam cœnam præsumit, *anticipat, non exspectans alios*, ad manducandum. Et alius quidem *pauper* esurit, alius autem *dives* ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis [*satius enim esset domi comedere quam in ecclesia ante horam cœnæ*] et confunditis eos, *verecundiam facitis eis* qui non habent? Quid dicam vobis? 18. Laudo vos? In hoc non laudo, *quia non observatis ea quæ accepi a Domino de commendatione cœnæ*. Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, *scilicet ut cœna æqualiter distribuetur inter vos*, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite, *id est, hoc corpus consecratione facite* in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: 19. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. *Exponit in quam Christi commemorationem*. 20. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis 21. mortem Domini *jam factam* annuntiabitis, 22. donec veniat *Dominus ad judicium*. 23. Itaque quicunque manducaverit panem **70** hunc, vel biberit calicem Domini indigne, 24. reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem, *probum faciat* seipsum homo, et sic *probatus* de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium *damnatio-*

COMMENTARIUS.

13. AUGUST. (*lib. De opere mon.*, c. 31, tom. III) *Hoc autem præcipio*. Hoc autem præcipio, ut scilicet non disserentis solertia requiratur, sed percipientis auctoritas attendatur,

14. AMBROS: *Convenientibus vobis*. Hos notat, qui sic in ecclesiam conveniebant, ut, munera sua offerentes, advenientibus presbyteris, totum sibi, qui obtulerat, vindicaret. Dissentiones enim inter eos pseudoapostoli seminaverant, ita ut oblationes suas zelarentur, cum una eademque prece omnium oblationes benedicerentur, ut qui, ut assolet fieri, non obtulerant, aut unde offerrent non habebant, pudore correcti contunderentur, non sumentes partem.

15. LANFR. *Convenientibus*. Consuetudinem antea habebant certis temporibus ad ecclesiam convenire, et, prout cuique facultas erat, cibum et potum illuc deferre, et simul omnes et pauperes et divites participare; et hoc vocabant Dominicam cœnam, quia in memoriam Dominicæ cœnæ, hoc fiebat. Verum hæc consuetudo depravata erat; divites enim suas cœnas anticipantes, comedebant. Pauperes vero parum habentes in conspectu eorum comedere erubescebant. Hoc redarguit Apostolus, et dicit melius esse illis, si apud domos suas manducent et bibant, quam in contemptum ecclesiæ, et confusionem pauperum conveniant.

16. AUGUST. (epist. 118 *ad Januar.*, c 5, tom. II) *Dominicam cœnam*. Ipsam acceptionem eucharistiæ Dominicam cœnam vocat

17. (*ibid.*, c. 6.) *Unusquisque*. Neque enim quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent; aut sicut faciebant quos Apostolus arguit, et commendat [*al.*, emendat] mensis suis ista miscere.

18. LANFR. *Laudo vos*. Non laudo vos in hoc quod non communiter sumitis. Nam rei estis corporis et sanguinis Domini; ea enim indigne sumitis. Si ipse panis, et calix quem sumitis, est sanguis et corpus Christi, tunc indigne sumitis corpus et sanguinem Christi; atqui illud est. Nam Dominus dixit quando tradebatur: Ego enim accepi a Domino, et acceptum tradidi vobis.

19. *Hic calix novum*, etc. Ordo. Hic calix novo sanguine est novum testamentum, id est, per meum sanguinem confirmatur novum testamentum, quia testamentum in mortuis confirmatur. Vel per hunc habetis novam promissionem, id est, plenam remissionem peccatorum.

20. *Quotiescunque*. Exponit, inquam, Domini commemorationem, mortis videlicet.

21. *Mortem Domini annuntiabitis*. In Sacramento corporis Christi, mors ejus annuntiatur, quia in memoriam mortis ejus quotidie a fidelibus celebratur.

22. *Donec veniat*. Ad judicium veniat; ideo dicit quia sacrificium hoc non mutabitur usque in finem sæculi, sicut sacramenta Judæorum mutata sunt.

23. *Itaque quicunque*. Hoc ex superius dictis Redemptoris verbis colligitur: *Hoc est corpus meum*. Et: *In meo sanguine*.

24. AMBROS. *Reus erit corporis*. Quid est reos esse, nisi pœnas mortis dare Domini?

nem sibi manducat et bibit, 25. non dijudicans corpus Domini, *non discernens corpus Domini a cæteris cibis veneratione singulari.* Ideo, *quia indigne sumitur*, inter vos multi infirmi, et imbecilles *sunt*, et dormiunt *moriuntur* multi. 26 Quod si nosmetipsos dijudicaremus, *intelligeremus et pœniteremus*, non utique dijudicaremur, *damnaremur*. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, *punimur in hoc sæculo*, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque, fratres mei, *quoniam malum est, unumquemque præsumere cœnam*, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. 27. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam.

CAPUT XII.

1. De spiritualibus autem, *quæ superius dixi ; vel potius quæ in sequenti dicam*, nolo vos ignorare, fratres. Scitis quoniam, cum gentes essetis, *gentiliter viventes essetis*, ad simulacra muta prout ducebamini, *ut placuit sacerdotibus*, euntes, *eratis, vel ibatis.* 2 Ideo *quia gentilitati obedistis*, notum vobis facio, (*quasi diceret : quia in gentilitate etiam ad malum obedientes fuistis, credo quod in fide Christi ad bona magis obedientes eritis*) quod nemo in Spiritu, *per Spiritum*, Dei loquens, dicit anathema Jesu, *Christum separatum a Patre, anathema Jesu dicere est, vel Deum non esse, vel ex Deo non esse ipsum, putare*, 3, 4. Et nemo potest dicere, (*et credere*) Dominus Jesus, *Dominum Jesum esse*, nisi in Spiritu sancto, *nisi per Spiritum sanctum* Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus, *diversa quidem sunt Spiritus sancti dona, sed spiritus idem Monstrat in partibus, quoniam diversa quidem sunt charismata, Spiritus idem*. Et 5 divisiones *diversa opera*, ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, *Pater*, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur, *et tamen unicuique datur*, manifestatio, *manifesta gratia* spiritus, ad utilitatem *suam vel proximorum*. Alii quidem per *eumdem* Spiritum datur 6. sermo sapientiæ *de divinis;* alii autem sermo scientiæ, *de humilitate Christi* secundum eumdem Spiritum ; alteri fides, *ut sine hæsitatione confidat fieri quod precatur*, in eodem Spiritu ; alii gratia sanitatum, *curatio infirmorum* in uno Spiritu ; alii operatio virtutum, *ressuscitatio mortuorum ;* alii prophetia, 7. alii discretio spirituum, *ut sciat discernere quæ cogitationes a Deo, quæ mittantur a diabolo ;* alii genera linguarum, 8. alii interpretatio sermonum. 9. Hæc autem omnia operatur unus atque idem

COMMENTARIUS.

25. LANFR. *Non dijudicans corpus Domini*, id est, non intelligentes corpus Domini in damnationem sumi ab indignis.

26. AMBROS. *Quod si nosmetipsos*. Hoc dicit, quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non a Domino judicaremur ; et, quia, corripimur, tamen pro nobis est, ut timore ipso emendemur.

27. LANFR. *Si quis esurit.* Si quis, inquit, statutum, cogente fame, comedendi terminum, non potest exspectare domi suæ, potius manducet ; per horam (51) cœnandi anticipet.

CAP. XII. — 1. LANFR. *De spiritualibus autem.* Carnalia, inquit, vobis innotui, id est, idolothyta non comedere, mulieres intectis capitibus non orare. Spiritualia quoque volo vobis intimare, quibus vos modo Christiani facti obedietis ; qui cum gentiliter viveretis, ad sacerdotum nutus simulacris obedienter serviebatis ; quod scitis.

2. *Ideo notum vobis.* Quasi diceret : Quia in gentilitate etiam ad malum audientes fuistis, credo quod in fide Christi ad bona magis audientes sitis.

3. AUGUST. (*expos. in Evang. Joan.* tract. 74 tom. IX) *Nemo potest dicere.* Apostolica vox est. *Nemo, dicit Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Et quis Dominum Jesum, nisi qui diligit [*adde*, eum], dicit? si eo modo dicit, quo intelligi Apostolus voluit. Multi enim voce dicunt, corde autem et factis negant.

4. AMBROS. *Nemo potest dicere.* Ne hominum favorem existimarent in regula Christiana, et propter A hoc argui se minime paterentur, sicut in simulacris; ostendit nullum beneficium esse humanum in eo, cum dicitur Dominus Jesus, sed magis donum Dei, qui dignatus est mysterium suum hominibus declarare.

5. *Divisiones ministrationum.* Non est divisa gratia per personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed indiscreta unitatis natura, et trium unum opus intelligitur.

6. AUGUST. (*lib.* XII *de Trin.*, cap. 14. tom. III). *Sermo sapientiæ*. Invenio scriptum esse in libro Job, eodem sancto loquente : *Ecce pietas est sapientia ; abstinere autem a malis scientia est.* In hac differentia intelligendum est ad contemplationem sapientiam ; ad actionem scientiam, pertinere. Pietatem B quippe hoc loco, posuit cultum Dei ; quæ Græce dicitur theosebia (θεοσέβεια). Nam hoc verbum habet ista sententia in codicibus Græcis.

7. AUGUST. (*lib.* XII *De Genesi ad liter.*, cap. 13, tom. III) *Alii discretio.* Discretio sane difficillima, cum malignus spiritus, quasi tranquillus agit; ac sine vexatione aliqua corporis, assumpto humano spiritu dicit quod potest. Quando etiam vera dicit, et utilia prædicat, transfigurans se in angelum ; sicut scriptum est, velut angelum lucis.

8 LANFR. *Alii interpretatio sermonum.* Sermones vocat, allegoricas prolationes, seu in dictionibus, seu in orationibus, quæ in prophetis et Evangeliis ubi fere reperiuntur, quas qui interpretari sciunt, per gratiam sancti Spiritus, illam scientiam habent. Possumus per

(51) Deesse videtur, *tempus.*

spiritus, dividens singulis prout vult, *hoc huic, illud illi, alii plus, alii minus.* 10. Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; 11. omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus, *id est, caput, et corpus, quæ est Ecclesia. Nos, inquit, membra Ecclesiæ unum sumus.* Etenim in uno Spiritu omnes nos *ut simus* in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes in uno Spiritu potati sumus. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. *Licet, inquit, simus unum corpus, non tamen omnes unum membrum; sicut et in corpore.* 12. Si dixerit pes : quoniam non sum manus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore? *Etsi quidam in Ecclesia non sint prædicatores, non ideo non sunt de Ecclesia; sicut pes, licet non sit manus, non ideo non est de corpore?* Et si dixerit auris: quoniam non sum oculus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore? Si 13, 14. totum corpus oculus ; ubi auditus? Si totum auditus , ubi odoratus? *a simili.* Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. 15. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? *Ergo non sunt omnia corporis unum membrum, sed multa, ut suum sistat corpus; sin essent omnia unum membrum, non subsisteret corpus.* Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus, *humanum corpus dicit, quod nequit esse, nisi multis membris constet.* Non potest autem (*per simile ostendit Ecclesiæ membra invicem esse necessaria,* [*f.* licet sint] *ut non sint differentia*) 16. oculus dicere manui : opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus : non estis mihi necessarii. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora, *viliora* esse, necessariora sunt : 17. et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, (*pudendas partes corporis dicit*) his honorem abundantiorem, *honore vestium*, circumdamus 18. et quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem *vestimentorum* habent. 19. Honesta autem nostra, *ut oculi, nares, aures,* nullius *honoris vestimentorum* egent : sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat abundantiorem tribuendo *vestimentorum* honorem, ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. 20. Vos autem estis corpus

COMMENTARIUS.

sermones, mysticas etiam visiones intelligere, quales apparuere Pharaoni et Nabuchodonosor. Unde et Joseph dicit : *Eo quod fiat sermo Dei.* Et in Daniele legitur: *Dic somnium, et interpretationem ejus indicabimus.* Et rex ait : *Sermo recessit a me.* Quas interpretari utrique divino munere collatum est. Ait enim Joseph : *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* Et Daniel : *Ostendisti mihi quæ rogavimus te; quia sermonem regis aperuisti nobis.*

9. Ambros. *Hæc autem omnia.* Quod superius trium personarum dicit, nunc per unum Spiritum sanctum dirigi [*al.*, agi] profitetur. Ut, quia unius naturæ sunt, et quod unus operatur, operentur tres.

10. Lanfr. *Sicut enim corpus unum est.* A simili ostendit quidem unum esse spiritum, et ejus dona esse multiplicia, sicut unum est corpus, membra habens multa. Ponit autem Christum, id est, caput, et non corpus quæ est Ecclesia, pro spiritu quo illa sibi sunt cohærentia.

11. August. (*Enarr. in psal.* xxx) *Omnia autem membra.* Loquens de membris Christi, hoc est fidelibus, non ait : Sic et membra Christi. Sed hoc totum quod dixit, Christum appellavit. Membra multa, unum corpus Christus ; ergo simul omnes nos, cum capite nostro, Christus.

12. Ambros. *Si dixerit pes.* Hoc est non posse eum qui infirmus videtur inter fratres, negare [*al.*, negari] esse de corpore, quia non sum potens.

13. *Si totum corpus oculus,* id est, si omnes essent unius operis, quomodo impleretur reliqua necessitas corporis, cum constet multis officiis opus esse ad gubernacula corporis.

14. Lanfr. *Si totum corpus oculus.* Nec debent, inquit, omnes in Ecclesia esse prædicatores, quia

A non decet totum corpus esse oculus ; si enim hoc esset jam non esset ipsum corpus, quia non esset auditus et cæteræ partes corporis.

15. Ambros. *Quod si essent omnia unum.* Manifestum est quia, si omnes unius fuissent dignitatis, non dicerentur membra, neque corpus : ideo quia [*al.*, ideoque] variis membrorum officiis corpus gubernatur.

16. *Oculus dicere manui,* hoc est, non potest potior dicere inferiori : Non mihi opus es.

17. *Et quæ putamus.* Despectis vel humilibus exhortatio necessaria est, per quam addatur illis honor, ut fiant utiles.

18. *Et quæ inhonesta sunt.* Nam solent succincti vesticula tetrica, pede nudo incedere. Cum ergo vi-

B deantur contemptibiles, magis honori sunt; quia solent vitam habere mundiorem.

19. *Honesta autem nostra.* Fratribus, in quibus studium peritiæ et conversationis viget, et honestatis nihil est quod a nobis addatur.

20 Lanfr. *Vos autem estis.* Coaptat similitudines, quas superius dicit de corpore, ad hoc quod dixit : *Corpus unum est, et membra multa.* Convenit hoc quod dicit : *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro.* Ad hoc quod dixit: *Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque, sicut voluit.* Convenit quod dixit : *Et quosdam quidem posuit in Ecclesia : primum apostolos, secundo prophetas, sicut Agabum, et duas filias Philippi, tertio doctores,* etc. Ad hoc quod dixit : *Si totum corpus esset oculus,*

C *ubi auditus?* Convenit hoc quod dixit : *Nunquid omnes apostoli? Nunquid omnes prophetæ?* Quod sectari debet charitate, uti in fine Epistolæ *si linguis,*etc. concordet sic, *sectamini* igitur *charitatem.* Omne quod melius est et excellentius aliis sectari

Christi, et 21. membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia : primum apostolos, 22. secundo prophetas, 23. tertio doctores, *episcopos*, deinde virtutes, *eos qui miracula faciunt*, exinde gratias curationum, *eos qui infirmos curant*, opitulationes, *quæ in diversis artibus, officiis, industriis considerantur*, 24. gubernationes, *minorum personarum prælationes*, genera linguarum, *variis linguis loquentes*, interpretationes sermonum. Nunquid omnes apostoli? *quosdam, inquit, posuit apostolos, nam cum aliquos, non omnes posuit apostolos, sic de reliquis* Nunquid omnes prophetæ? Nunquid omnes doctores? Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? 25 Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem (*quæ superius dixerim*) viam *ad beatitudinem* vobis demonstrabo.

CAPUT XIII.

Si linguis hominum loquar, et *etiam* angelorum (*exaggeratio*,) charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, *non proficiens mihi*, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, *de loco ad locum*, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, *non eam felicitas aliena contristat*, non agit perperam, 1. non inflatur, *quia non eam extollit sua felicitas*, non est ambitiosa, *honoris, vel alienorum*, non quærit *etiam* quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati, *æquitati*; omnia suffert, *sufferenda*, 2. omnia [illegible] credit, *credenda*, 3 omnia sperat, *speranda*, omnia sustinet, *sustinenda*. 4, 5. Charitas nunquam excidit, *id est, cadit, quia in hoc sæculo est, et in futuro erit: fides, spes*, etc. *in hoc sæculo tantum*, sive 6. prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. 7. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. 8. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabi-

COMMENTARIUS.

debemus. Charitas autem excellentior est aliis A donis Spiritus sancti, quod est *excellentiorem viam*, etc. Ergo, etc. Deinde ea sola sufficit ad beatitudinem, alia non sine illa. Quia neque loqui linguis, neque prophetia, neque scientia, neque fides, neque eleemosyna, neque martyrium sufficiunt ad beatitudinem, sine charitate; charitas autem sola sufficit, et hoc est quod dicit : *Charitas patiens est*, etc. usque ad, *nunquam excidit*. Nam et scientia et prophetia evacuabuntur : omne enim imperfectum perfecto superveniente, evacuatur : atqui prophetia et scientia sunt imperfecta; ergo evacuabuntur. Quod autem dicit : *cum essem parvulus*, probat omne imperfectum perfecto superveniente evacuari.

21. *Membra de membro*. Se vocat membrum a B quo, id est, a cujus prædicatione Corinthii, qui erant membra Christi, processerunt, vel Christum, qui Ecclesiæ caput est.

22. Ambros. *Secundo prophetas*. Prophetas intelligimus futura dicentes, et Scripturas revelantes.

23. *Tertio doctores*. Doctores dicit, qui litteris et lectionibus pueros imbuebant.

24. *Gubernationes*. Sunt et gubernatores, qui spiritualibus gubernaculis documento sunt.

25. Lanfr. *Æmulamini charismata*. Corinthii summopere desiderabant gratiam linguarum; sed hortatur eos Apostolus ut meliora charismata desiderent, et maxime gratiam prophetandi.

CAP. XIII.— 1. August. (*De Genes. ad lit.*, l. xi, cap. 5, *sub med.*) *Non inflatur*, id est, non privata C excellentia lætatur; merito ergo non inflatur.

2. August. (*De spirit. et lit.*, cap. 32, t. III.) *Omnia credit*. Ipsa charitas, quæ omnia credit, non omni spiritui credit. Ac per hoc, omnia quidem credit, sed Deo, quia non dictum est; omnibus credit.

3. *Omnia sperat*. Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita. Et suffert omnia quæ hic immittuntur, quia sperat omnia quæ ibi promittuntur Merito ergo nunquam cadit.

4. August (*In Joan.* iv, c. 16; *expos. in I Ep. Joan.* tract 9, t IX. *Charitas nunquam. Deus dilectio est; et qui manet*, inquit, *in dilectione, in Deo manet, et Deus in illo* manet. Si tibi domus Dei, esto domus Dei. Mane in Deo, et maneat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat; manes in Deo, ne cadas. Quia sic de ipsa charitate Apostolus dicit : *Charitas* nunquam cadit. Quomodo cadit quem continet Deus?

5. Lanfr. *Charitas nunquam excidit*, id est, cadit, quia et in hoc sæculo est, et in futuro. Erit fides et spes in hoc sæculo tantum.

6. *Prophetiæ evacuabuntur*. In die judicii et prophetia evacuabitur, et varietas linguarum cessabit, et scientia sive mundanarum rerum, sive ad quam dispositionem pervenitur, destruetur.

7. *Ex parte enim*. Quasi diceret : Ideo prophetia evacuabitur et scientia destruetur, quia ex parte sunt; omne autem quod ex parte est, imperfectum est; omne autem quod imperfectum est, evacuabitur.

8. August. (*De perfec. justitiæ*, c. 8 t. VII) *Cum venerit quod perfectum*. Cum venerit quod perfectum est quod ex parte est destruetur, id est, non jam ex parte, sed ex toto erit, quia fidei et spei, jam res ipsa, non quæ credatur et speretur, sed quæ videatur teneaturque, succedet. Charitas autem quæ his [*al.* in his] tribus major est, non auferatur, sed augeatur, et impleatur [*al.*, augebitur, et implebitur] contem-

tur quod ex parte est (*Transsumptio ad minus, quæ tamen pro simili sumit*). Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi, *abjeci a me*, quæ erant parvuli. Videmus nunc (*ad id quod dixit, ex parte prophetamus*) per speculum in ænigmate : 9. tunc autem facie, *revera*, ad faciem. Nunc (*ad id quod dixit, ex parte cognoscimus*) cognosco ex parte ; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum, *tunc perfecte cognoscam Deum, sicut cognitus sum a Deo*. Nunc autem, *in hac vita tantum* manent fides, spes, charitas, tria hæc. 10. Major autem horum, *diuturnior*, *nam et in futuro*, est charitas.

CAPUT XIV.

Ergo sectamini, *studete ut habeatis* charitatem, æmulamini spiritalia : *desiderate spirituales gratias Spiritus sancti*, magis autem, *quam ut linguis loquamini*, ut prophetetis. Qui enim loquitur lingua, *scilicet auditoribus incognita*, non hominibus loquitur (*simplex bonum, ipse enim solus intelligit*) sed Deo; nemo enim audit *id est intelligit*. 1. Spiritu autem **75** 2. loquitur mysteria; nam qui prophetat, *sibi*, et hominibus loquitur ad ædificationem (*duplex bonum*) et exhortationem et consolationem. Qui loquitur lingua, *aliis incognita* semetipsum ædificat : *si tamen intelligat :* qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis (*non dico, inquit, quia nolim ut linguis loquamini, sed quia malo ut prophetetis, quod dupliciter prodest*); 3. magis autem prophetare. Nam major est, *majoris dignitatis*, qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur, *quid dixerit exponit,* ut Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis *vobis incognitis* loquens. quid vobis prodero, nisi vobis loquar, *interpretetur*, aut 4 in revelatione, aut 5. in scientia, aut 6. in prophetia, aut in doctrina ? tamen (*expletivum, vel scilicet similitudinem proferam*) quæ sine anima sunt vocem *sonum* dantia, sive tibia (*transsumptio ad simile*), sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint (*non prosunt*), quomodo scietur id quod canitur aut quod cytharizatur ? *nullatenus* (*a simili.*) Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum ? *non prodest, nemo enim ad bellum per eam præparatur*. Ita (*a simili*) et vos per linguam, nisi *interpretando* manifestum sermonem dederitis ; quomodo scietur id quod dicitur ? Eritis enim in aera, *in vanum*, loquentes. 7. Tam multa ut puta genera linguarum sunt in hoc mundo, et nihil, *nullum genus linguæ*, sine voce, *vocis proprietate*, est. Si ergo (*a simili*) nesciero virtutem, *intelligentiam* vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, *non prodero ei cui loquor*, et qui loquitur, mihi barbarus. Sic et vos, quoniam, *quandoquidem*, æmulatores estis spirituum, *spiritualium donorum*, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut *donis spiritualibus adeptis* abundetis. Et ideo, *quia quærenda sunt dona quæ prosunt*, qui loquitur lingua, 8. oret ut interpretetur. Nam si orem, *loquar*, lingua, spiritus meus, *vox mea*, orat, *id est*, *ego nulli prosum*, mens autem mea

COMMENTARIUS.

plata quod credebat, et quod sperabat, indepta.

9. Lanfr. *Tunc autem cognoscam*. Tunc cognoscam perfecte Deum, sicut cognitus sum a Deo, id est, perfecte.

10. *Major autem horum est charitas*. Item ostendit meliorem esse charitatem omnibus aliis donis ; nam melior est fide, spe et cæteris, est enim diuturnior ; unde et a præcedentibus principalem concludit quæstionem, dicens : Ergo, quia melior est omnibus, *sectamini charitatem*.

CAP. XIV. — 1. *Spiritus autem loquitur*, id est, intelligit, sicut in Evangelio : *Qui habet aures audiendi audiat*, id est, intelligat. Et in Apocalypsi : *Qui habet aurem, audiat*.

2. *Loquitur*. In ipsa incognita lingua, Spiritus sanctus, loquebatur mysteria, id est, allegorica verba, quæ nemo intelligebat, nisi qui gratiam interpretandi habebat.

3. *Magis autem prophetare*. Magis debetis appetere prophetare, quam loqui linguis ; nam loqui lingua incognita sibi et aliis, et loqui lingua cognita sibi tantum, tertiam speciem, loqui linguis ut alios docerent, non appetebant ipsi primo unam speciem loqui lingua incognita sibi et aliis. Duplex bonum magis est appetendum quam simplex ; prophetare

A autem duplex bonum est ; loqui vero lingua incognita sibi et aliis, simplex ; quod est, qui enim loquitur lingua, simplex bonum est, quia Deo loquitur, Deo tantum, non enim hominibus ; non enim intelligitur. Qui vero prophetat, duplex bonum facit ; Deo enim loquitur et hominibus. Et de alia specie, quæ est, qui loquitur lingua sibi tantum cognita, eadem sunt argumenta.

4. *In revelatione*. Revelatio est, qua per Spiritum sanctum, in quocunque tempore, aliquid subito indicatur.

5. *In scientia*. Scientia est cognitio studio et industria comparata.

6. *In prophetia*. Prophetia de futuris tantum, doctrina genus omnium.

B 7. *Tam multa, ut puta*. Quasi diceret : Non est mirandum si per linguam datur sermo non manifestus ; quia videlicet multa sunt genera, et nihil illorum est quod non habeat propriam et distinctam a cæteris vocem.

8. *Oret ut interpretetur*, id est, intelligat ipsam linguam, et sic exponat. Plerumque enim Spiritus loquebatur per os hominis extranea lingua, et tamen homo non intelligebat ipsam linguam, aut in ipsa lingua mysteria prolata.

sine fructu est, *id est, sine compunctione, quia non intelligo quæ lingua loquor.* 9. Quid ergo est? *Quandoquidem non prosum loquens lingua, non interpretans,* [illegible] *esse debet quod sequitur scilicet,* orabo spiritu, *id est, voce,* orabo et mente : *ut interpretari sciam,* psallam spiritu, *id est, voce,* psallam et mente, *ut interpreter.* Cæterum si benedixeris, *benedictionem feceris,* spiritu, *id est, sola voce, non intellectu* qui, *quibus,* supplet locum idiotæ *dicendo* amen *in fine orationis ? nemo.* Quomodo dicet, *amen,* super, *per,* tuam benedictionem ? Quoniam, *cum,* quid dicas, nescit; nam tu quidem bene *lingua incognita* gratias agis, *agendo,* sed alter non ædificatur, *alteri non prodes.* Gratias ago Deo meo quod omnium vestrum lingua loquor, *nec ideo, inquit, dico ut vobis invideam, nam Deo gratias omnium linguis loquor.* Sed *tamen,* in Ecclesia volo, *malo,* quinque verba sensu meo loqui, *ut intelligam, interpretari valeam* ut et alios instruam, quam decem milia verborum in lingua *incognita.* Fratres, 10. nolite, pueri, effici sensibus, *magis appetendo linguis, quod parum prodest, quam prophetare, quod multum,* sed malitia parvuli estote ; sensibus autem perfecti estote, *non desiderantes genera linguarum.* 11. In Lege scriptum est : 12. Quoniam in aliis linguis, et labiis aliis loquar populo huic, et nec sic exaudient me, dicit Dominus. 13. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus, *confert prophetare, et loqui linguis ; et ex collatione utriusque præfert prophetiam linguis.* Si ergo, *autem,* conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis *incognitis* loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles : 14. nonne dicent quod *vos linguis incognitis loquentes* insanitis ? *Et dicent utique.* Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, *si negare vult quod dicitur ab eis,* convincitur ab omnibus, dijudicatur, *id est, cognoscitur vita ejus per prophetiam* ab omnibus ; occulta *enim* cordis ejus per *prophetiam* manifesta fiunt, et ita cadens, *se humilians,* in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. Quid ergo est, fratres ? *ergo, fratres, cum tantæ utilitatis sit prophetia, desideranda est. Monet eos ad fraternam ædificationem.* Cum *in ecclesia* convenitis, *si* 15. unusquisque vestrum (*alius hoc, alius illud*) psalmum *hic* habet, *ille* doctrinam habet, (*per gratiam Spiritus sancti, hæc omnia illi dabantur,*) apocalypsin, *revelationem,* habet, linguam habet ; interpretationem habet ; omnia ad ædificationem [illegible] *proximorum* fiant. 16, 17. Sive lingua *incognita* quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, *cum duobus loquatur, aut tribus, non omnibus,* et per partes *semoti,* et unus *quod alter lingua loquitur incognita,* interpretetur. 18. Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia, *coram aliis.* 19. Sibi autem loquatur, et Deo. Prophetæ autem duo aut tres dicant (*plebs dividebatur, et uni*

COMMENTARIUS.

9. *Quid ergo.* Esse debet, si bene. Si vox loquens incognita lingua benedicat Deum, vel cibum, vel aliquid hujusmodi; auditor idiota, id est, audiens et non intelligens, nescit quando debeat respondere *amen*; aut *Deo gratias;* nec est qui suppleat locum responsionis ejus, id est, qui vice illius respondeat, cum omnes ignorent verba loquentis.

10. *Nolite, pueri,* id est, nolite puerilia desideria habere; non considerantes quid utilitatis habeant ea quæ desideratis.

11. *In Lege* Legis nomine, prophetiam designat. Est autem hoc testimonium in Isaia, his verbis : *In loquela enim labii, et lingua altera loquitur ad populum. Cui dixit hoc : Requiescere facite lassum* al. *Cui dixit : Hæc est requies mea, reficite lassum : et hoc est meum refrigerium : et noluerunt audire.*

12. *Quoniam in aliis.* Item probat prophetiam magis esse appetendam quam loqui linguis. Prophetia enim bonum est duplex; loqui vero lingua, simplex. Istud namque tantum est signum credendi infidelibus, sed et fidelibus signum est ut bene operentur ; et hoc præmissa legis auctoritate confirmat.

13. AMBROS. *Itaque linguæ,* hoc est, in velamine linguæ incognitæ, obscurati sunt sermones Dei, ne videantur a perfidis. Cum autem audiantur incognitæ linguæ, signum sit quia propter perfidiam factum est ne audientes intelligant. Unde in Isaia : A *Vade, et dic populo huic : Aure audietis, et non intelligetis.*

14. *Nonne dicent quod.* Manifestum est, si omnes diversis linguis loquantur, tumultus fit quidam in cœtu [*al.*, inconditus] populi, quasi phrenesin patientibus [*al.*, patientis].

15. LANFR. *Unusquisque vestrum.* Sic legendum, et subaudiendum est. Unusquisque vestrum, alius psalmum habet, alius doctrinam ; et sic cætera habet ; per gratiam sancti Spiritus hæc omnia illis dabantur.

16. AMBROS. *Sive lingua,* hoc est duo vel tres non plus linguis loquantur, sed singuli, non simul omnes, ne insanire videantur. Ideo autem ut multum tres, ne occuparent diem linguis loquentes interpretes B eorum, non haberent prophetæ tempus disserendi.

17. LANFR. *Sive lingua.* Si lingua incognita aliquis loquitur vestrum, non loquatur in audientiam omnium, sed apud duos vel tres loquatur, et per partes, id est, intercise, ut facilius possit intelligi, cum exponitur.

18. *Si autem non fueris interpres.* Hic aperte ostendit quia sæpe loquebatur aliquis incognita lingua, quam, vel in qua, prolata mysteria, nec ipse intelligebat.

19. *Sibi autem loquatur,* id est, in corde suo loquatur, Deum laudans vel deprecans.

parti unus propheta, et alius alii loquebatur), et cæteri dijudicent, *audiantur*. 20. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim *hoc modo* omnes per singulos prophetare, ut omnes *prophetare* discant, et omnes exhortentur, *admoneantur*, et 21. spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt *vel subjectus est*. 22. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, sicut et in omnibus ecclesiis sanctorum doceo. *Viri quidem prophetent, ut dictum*. Mulieres *autem* in ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, *viris, quod* non *esset, si prædicarent*, sicut et 23. lex dixit : Si quid autem volunt discere, domi *non in ecclesia* viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia. 24. An a vobis verbum Dei processit? *ut propter hoc nova ineatis?* Aut in vos solos pervenit? Si quis videtur propheta esse, 25. aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis (*hic evidenter ostendit, difficilia esse verba suarum Epistolarum, ad quas exponendas prophetas, et sapientes invitat*), quia Domini sunt mandata. 26. Si quis autem *hæc et alia Dei mandata* ignorat, *vel negligit*, 27. ignorabitur. Itaque, fratres, æmulamini prophetare : *quia duplex bonum est* : et loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeste, *ut viri loquantur, mulieres taceant*, et secundum ordinem, *alter prius, alter posterius, non omnes simul loquantur*, fiant *in vobis, vel a vobis*.

CAPUT XV.

1. Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod et (*effectus*) accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini, qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis, *nisi ad mortem prædestinati estis*. Tradidi enim vobis in primis, *Evangelium quod notum feci*, quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris *non suis* secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et quia visus est Cephæ, et post hoc *discipulis*, undecim ; deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul (*de hac apparitione, et subsequenti nihil ab evangelistis dicitur*), ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt ; 2. deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus, novissime autem omnium 3. tanquam abortivo, visus est et

COMMENTARIUS.

20. *Quod si alii*. Si dum duo vel tres prophetæ loquuntur, alicui eorum qui sedent, et auscultant, aliquid revelatum fuerit; prior propheta qui loquebatur, taceat, et permittatur huic loqui.

21. *Spiritus prophetarum*. Pluraliter dicit Spiritus, propter multitudinem prophetarum, cum sit unus Spiritus qui replet eos, qui subjectus prophetis dicitur, quia eos extra voluntatem eorum, nec loqui, nec tacere compellit. Et est responsio quasi aliquis diceret : An prior propheta potest facere, cum vult, id est, an singuli possint prophetare, cum eis aliquid revelatur.

22. *Non enim dissensionis*. Dissensionis spiritus essent, si omnes quos repleret, loqui simul compelleret.

23. *Lex dicit*. In Genesi dicit Deus ad mulierem : *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tibi*.

24. *An a vobis verbum*. Hic datur intelligi quædam quæ superius redarguit Corinthios fecisse, atque ideo reprehendit eos dicens non debere eos aliquid noviter inire, sed potius exemplis aliarum Ecclesiarum vivere, quia verbum Dei ab illis non processit, quod si processisset, tolerabile esset si aliquid novum fecissent.

25. Ambros. *Spiritualis cognoscat*. Hic tangit apostolos falsos, qui non divina, sed terrena docebant.

26. *Si quis ignorat, ignorabitur*. Recte, quia qui nescit Dei esse quæ loquitur Apostolus, a Domino ignorabitur.

26. August. (epist. 102 *ad Evodium*, tom. II). *Si quis autem ignorat*. Nequaquam, ut scribis, qui ignorat, ignorabitur. De hac re dicit Apostolus, tanquam ista pœna ille plectendus sit, qui non valet intelligentia sic discernere ineffabilem Trinitatis unitatem, sicut discernitur in animo nostro memoria, intellectus, voluntas. Aliunde dicebat hoc Apostolus : Lege, et videbis ea quæ loquebatur [*al.*, quod ea loquebatur], quæ fidem vel mores multorum ædificarent, non quæ vix ad paucorum, eamque exiguam, quantulacunque in hac vita, de re tanta esse potest, intelligentiam pervenirent, id est, ut linguis prophetia proponeretur.

27. (*Ibid.*) *Ignorabitur*. Multi in Christi cruce gloriantes, et ab eadem via non recedentes, etiam qui ista quæ subtilissime disseruntur, ignorant, quia non perit unus de pusillis [*al.*, ex illis] pro quibus mortuus est, ad eamdem perveniunt æternitatem, veritatem, charitatem, id est, ad stabilem, certam, plenamque felicitatem. Ubi manentibus videntibus, amantibus, sunt cuncta perpetua.

CAP. XV. — 1. Lanfr. *Notum autem vobis*., etc. Dubitantibus Corinthiis de resurrectione mortuorum, probat Apostolus multis argumentis eam revera esse futuram, recolens quod illis prædicaverat, quibus evidenter apparet de resurrectione dubitandum non esse.

2. August. (*lib. cont. Faust.*). *Novissime autem*. Sed hic jam de cœlo, post non parvum tempus ascensionis suæ.

3. Ambros. *Tanquam abortivo*. Apparuit illi primum de cœlo, post oranti in templo. Abortivum se vocat, quia extra tempus natus in Christo, apostolatum accepit; in cœlo Domino recepto in [*al.*, cum] carne.

mihi (*quasi abortivum se vocat, quia coactus est ad Deum converti, sicut abortivus cogitur nasci*) 4. Ego enim sum minimus apostolorum, quia non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, *ut non fructificarem*, sed abundantius (*a re probat*) illis omnibus laboravi ; non ego autem, sed gratia Dei mecum ; sive enim, *autem*, ego, sive illi, sic prædicavimus, *Christum mortuum resurrexisse*, et sic credidistis. Si autem Christus *vere* prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio (*a genere*) mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque **79** Christus resurrexerit. Si autem Christus non resurrexerit, 5. inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. *Responsio*. Nam 6. si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, 7. vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo [*a simili*] et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, 8. miserabiliores sumus omnibus hominibus.(*assumptio*). Nunc autem 9. Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, *nam primus resurrexit*, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut (*exponit*) in Adam omnes moriuntur, ita et 10. in Christo omnes vivificabuntur. 11. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ii qui sunt Christi, (*resurrecturi sunt et alii, sed horum tantum mentionem facit propter Christianam dignitatem* 12. qui in adventu, *facto, vel faciendo*, ejus crediderunt. **80** 13. Deinde finis *erit*, 14, 15, 16, cum tradiderit

COMMENTARIUS.

4. *Ego enim*. Humiliat se, et tempore causam in se ascribit.

5. *Inanis est ergo*. Ad detrimentum eorum proficere asserit, si crediderint quod futurum non est, et pudoris est ut aliquis profiteatur hoc credidisse quod falsum est, et verecundiam illis incutit, et labores illorum dicit infructuosos ; quod nemo utique de se patitur audire, ut videntes hoc esse contra se, revertantur ad fidem pristinam.

6. August. (lib. II *De doct. Chr.* cap. 31, t. III). *Si mortui*. Sunt veræ connexiones ratiocinationis, falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur ; quæ tamen ad hoc inferuntur a bono et docto homine, ut in his erubescens ille cujus errorem consequitur [*al.*, consequuntur], eumdem relinquat errorem ; quia si in eodem manere voluerit, necesse etiam ut illa quæ damnat tenere cogatur.

7. Lanfr. *Vana est fides*. Fidem dicit qua credebant peccata sibi esse dimissa, per fidem resurrectionis Christi. Quod non est, si Christus non resurrexit.

8. Ambros. *Miserabiliores sumus*. Increduli enim vel hac vita fruuntur.

9. Lanfr. *Christus resurrexit*. Probat Apostolus mortuos esse resurrecturos. Si, inquit, Christus resurrexit, et mortui resurgent. Sed Christus resurrexit, nam Scripturæ dicunt. Item quia resurrexit, nam visus est, postquam resurrexit, Cephæ et aliis. Item iterum, resurrexit quia vos eum resurrexisse credidistis. Quasi dicerent : Credidimus, sed non te prædicante. Quæ cura, inquit, sive ego, sive illi prædicassent, vos credidistis eum resurrexisse. Et hoc est quod dicit : Sive enim ego, sive illi sic prædicamus, et sic credidistis. Item ipsum : Si Christus revera prædicatur quia resurrexit, tunc vere surrexit ; et si resurrexit (a simili), resurrectio mortuorum est : quod si est, *quomodo quidam dicunt*, etc., et sic non debetis dicere resurrectionem mortuorum non ore.

A Contenderet quis : Non est, inquit, resurrectio mortuorum. Et Apostolus : Si non est resurrectio mortuorum, id est, si nullus mortuorum (a toto) surrexit, neque Christus, quem surrexisse credidistis. Et ex eodem sequitur vanam esse Apostoli prædicationem, vanam esse eorum fidem. Et (si Christus non resurrexit falsi testes Dei sumus ; quod a Scriptura sic probat : Quoniam, inquit, falsum testimonium diximus adversum Deum ; nam istud, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Quare hoc dicis? Nam ita, inquit, in re est, quod si mortui non resurgunt, neque Christus ; vana est fides nostra, id est non sunt vobis remissa peccata ; adhuc enim estis in peccatis vestris. Et si vos estis in peccatis, et qui ante vos

B fuerunt, in peccatis mortui sunt ; et si in peccatis mortui sunt, utique perierunt. Principalis assumptio. Nunc autem Christus resurrexit, ergo non est vana prædicatio nostra, nec fides vestra. Et sic de omnibus concludendum.

10. August. (*expos. in Evang. Joan. Tract*, 3, t. IX). *In Christo omnes*. Omnes qui renati sunt per Christum.

11. Lanfr. *Unusquisque in suo ordine*. In suo ordine dicit, vel quia Christus primus resurrexit ; deinde resurrecturi sunt cæteri. Vel quia martyr, ut martyr ; pastores, ut pastores, et cæteri in hunc modum. Et sic intelligitur, in suo ordine, et in sua dignitate. Deinde hi resurrecturi, et alii, sed horum tantum mentionem facit, propter Christianam dignitatem.

C 12. *Qui in adventu*. Qui credunt eum advenisse propter redimendos peccatores, et adventurum propter infideles judicandos et fideles remunerandos.

13. August. (*lib. LXXXIII. Quæst.* qu. 69, t. IV.) *Deinde finis*. Ipse scilicet finis est, ut sit ipse Deus omnia in omnibus. Aliter enim dicitur finis, qui pertinet ad consummationem, aliter qui pertinet ad consumptionem. Et aliter enim tunica finitur texendo, et

regnum, *id est, in quibus regnavit*, Deo, et Patri, 17, 18. cum evacuaverit omnem principatum *dæmonum.* et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare 19. donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus, 20. Novissima autem inimica destruetur *a Christo* mors (*ostendit Christum habere potentiam mortis destruendæ, dicens omnia esse sub ejus potentia*); omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat; *psalmus octavus :* Omnia subjecta sunt ei, sine dubio, præter eum, *Patrem*, qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, 21. tunc et ipse Filius subjectus erit ei, *Patri secundum humanitatem, vel Christo*, qui subjecit sibi omnia. 22. ut sit Deus omnia in omnibus, *ut sit Deus plenitudo omnis gaudii in singulis.* 23 Alioquin (*si mortui non resurgunt*) quid facient *quid erit his*, qui baptizantur 24. 25. S I pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? 26, 27. Ut quid et baptizantur pro illis? *peccatis scilicet.* Ut quid et nos periclitamur omni hora? *exponit quomodo periclitetur.* Quotidie morior per vestram gloriam, fratres,

COMMENTARIUS.

aliter cibus comedendo. Deus autem omnia in omnibus dicitur, ut nemo eorum qui ei cohærent amet adversus eum suam propriam voluntatem, manifestumque sit omnibus quod idem Apostolus alio loco dicit : *Quid autem habes quod non accepisti?*

14. Lanfr. (lib. I *De Trin.*, cap. 9 et 10 tom. III). *Cum tradiderit.* Ita dictum est, cum tradiderit regnum Deo et Patri, ac si diceretur : Tradet regnum Patri, Dominus Jesus Christus, non se inde separato, nec Patre, nec Spiritu sancto, quoniam perducere credentes ad contemplationem Dei, qui digni habebuntur, perduci ad fidem, ad spem, id est, ad ipsam visionem quia perducens ductus est, regnum tradere Deo et Patri.

15. Ambros. *Cum tradiderit.* Nemo dubitet filium regnaturum semper cum Patre, hoc est enim regnum tradere Deo et Patri, ostendere ipsum esse ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur.

16. Lanfr. *Cum tradiderit.* Tradet Christus regnum, id est, in quos ipse regnavit, Deo in fine sæculi cum ostenderit Ecclesiam, sua et servorum suorum prædicatione ad Deum conversam.

17. August. (*ibid.*, c. 8). *Cum evacuaverit*, id est, ut [*al.*, non] sit non necessaria dispensatio similitudinum per angelicos principatus.

18. Lanfr. *Cum evacuaverit.* Vel evacuabit Christus in fine sæculi omnem dæmonum principatum et potestatem, quia ultra non habebunt potestatem tentandi, et in tentationem inducendi servos Dei.

19. *Donec ponat omnes.* Ponet Christus omnes inimicos suos, ante diem judicii sub pedibus suis, quia alios ad fidem convertet, alios inferni claustris tradet, non ultra sibi, vel servis contradicturos. Regnabit autem et postea, sed de hoc tempore ambiguum esse poterat.

20. *Novissime autem.* In novissimo die destruetur mors, quia nec homines ultra peccabunt, nec ulla corpora ultra morientur.

21. August. (lib *LXXXIII. Quæst.* quæst. 69). *Tunc ipse Filius.* Manifestum est ergo hoc secundum susceptionem hominis dictum (*ib.*, paulo infra). Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia, non quasi modo non ita sit, sed manifestum erit.

22. August. (lib. XXII *De civit. Dei*, c. 30, t. V.) *ut sit Deus omnia.* Qui enim aliud per prophetam

A dixit : *Ero illorum Deus; et ipsi erunt mihi plebs*, nisi ego ero unde satientur? Ego ero quæcunque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona.

23. Ambros. *Alioquin quid faciunt.* Exemplo hoc, non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit.

24. Lanfr. *Pro mortuis.* Pro mortuis dicit peccatis mortuos agentibus, sicut ad Hebræos, fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. Dicit ergo : Si non est resurrectio mortuorum, quid facient qui per remissionem peccatorum suorum baptizantur in memoriam mortis et resurrectionis Christi, putantes quia et ipsi resurrecturi sint? Abnegaturi enim

B sunt baptismum, et mutaturi fidem, quod sacrilegum est. A quibusdam dicitur, et scriptum reperitur fuisse quosdam imperitos, qui baptizarentur pro his qui de hac vita sine baptismo commigrabant : putantes quia talis eorum baptismus prodesse posset his qui sine baptismo moriebantur, et ob hoc esse dictum : *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Sed non est credendum ab auctoritate stultorum voluisse Apostolum probare, quod tantopere apud plurimos habebatur incertum.

25 *Pro mortuis.* Pro mortuis, id est, quasi mortuus. Baptismus enim figura est mortis. Nihil valet in baptismo figura mortis et resurrectionis, nisi futura esset post mortem vera corporum resurrectio. Sed non est inanis in Ecclesia constitutio

C talis.

26. *Ut quid et baptizantur.* Item, probat idem. Si, inquit, mortui non resurgunt, quid facient qui baptizantur pro mortuis? id est, nihil prodest baptizari, ut sit idem quod dicitur postea, si omnino mortui non resurgunt, ut quid baptizantur, pro illis. vel ita : si nulli mortui resurgunt, nec baptizati mortui; et si baptizati mortui non resurgunt, ut quid baptizantur? Item, si mortui non resurgunt, ut quid et nos periclitamur omni hora? id est, frustra patimur quotidie pericula in spe resurrectionis. Item, si mortui non resurgunt quid mihi prodest quod pugnavi contra bestias Ephesi quantum homo potest? nihil.

27. Ambros. *Et quid et nos.* Dicendo et nos, discrevit personas, ostendens non catholicos esse qui

D pro mortuis baptizabantur.

quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. 28, 29. Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? (*ironia*) Manducemus, et bibamus (*si mortui non resurgunt*), cras enim moriemur. 30. Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate justi, et nolite peccare; 31. ignorantiam enim Dei quidam habent, 32. ad reverentiam, *ad verecundiam*, vobis loquor. Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui? Qualive corpore venient? (*a simili ostendit corpora hominum immortalia resurrectura, et incorruptibilia, cum sepeliantur corruptibilia.*) Incipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult, 33. et unicuique seminum proprium corpus. (*Inductio*) 34, 35. Non omnis caro (*ostendit dignitates corporum resurgentium diversas fore, pro meritorum scilicet diversa qualitate*) eadem caro; sed alia quidem hominum (*a reprobat*), alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora cœlestia, *sol*, *luna*, et corpora terrestria, *scilicet sunt;* sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; *differens, inquit, claritas stellarum, quia per eam differt stella a stella.* **82** *Ab effectu*; sic et resurrectio mortuorum, *scilicet differt non solum in claritate meritorum, sed etiam corporum.* 36. Seminatur in corruptione, *id est, moritur et sepelitur corruptibile*, surget in incorruptione, *incorruptibile*. Seminatur in ignobilitate, *ignobile;* surget in gloria, *gloriosum.* Seminatur in infirmitate, *infirmum*; surget in virtute, *forte*, 37, 38. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. 39, 40. Si est corpus animale, est et spiritale, 41. sicut scriptum est : 42. Factus est primus homo Adam in animam viventem, *vitalem*, 44. novissimus Adam in spiritum vivificantem. 44. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale. Primus homo

COMMENTARIUS.

28. *Si secundum hominem,* id est, secundum humanum sensum, qui ut caro jam resoluta reformetur ad vitam minime credit.

29. Lanfr. *Si secundum hominem*, id est, secundum quod homo ferre potest. *Ad bestias*, id est, contra bestiales homines, Ephesi hæc.................. disputationum et verborum intelligenda est.

30. *Nolite seduci.* Nolite acquiescere malis colloquiis persuadentium vobis resurrectionem non esse futuram; ipsa enim mala colloquia mores bonos corrumpent, quod ibidem a genere probatur.

31. *Ignorantiam enim.* Quasi diceret : Moneo vos vigilare et non peccare, ne imitemini eos qui ignorant Deum.

32. *Ad reverentiam.* Ad hoc, inquit, loquor vobis ut verecundiam habeatis, et vitam vestram in melius corrigatis.

33. Ambros. *Et unicuique seminum.* Exemplum melioratæ resurrectionis, non amissæ substantiæ.

34. *Non omnis caro.* Quemadmodum ex una impensa diversa animantium caro est, ita unius carnis homines diversi erunt dignitate in resurrectione.

35. August. (epist. 146 *ad Consen.*). *Non omnis caro.* In his omnibus iste sensus est : Si genera carnis, cum sint cuncta mortalia, differunt tamen inter se, pro diversitatibus animantium; et si corpora cum sint cuncta omnia visibilia, differunt tamen, pro diversitatibus locorum. Unde alia est cœlestium gloria, alia terrestrium; et si in locis sublimibus, cum sint contra cœlestia, differunt etiam ipsæ claritates [*al.*, ipsa claritatibus] luminum; non mirum est quod in resurrectione mortuorum distabit gloria meritorum.

36. Lanfr. *Seminatur*, etc. Nullum corruptibile incorruptelam possidebit; sed caro et sanguis, id est, carnaliter viventes sunt corruptibiles, et regnum Dei incorruptela. Ergo isti non possidebunt illud.

37. Ambros. *Seminatur corpus animale.* Animale corpus est, dum cibis sustentatur, ut vivat; spirituale, cum nihil horum indiget conversum in vitam.

38. Lanfr. *Seminatur corpus animale.* Essentia illa qua humanum corpus vivificatur, ex qua sui parte vivificat et terrena appetit, anima dicitur. Ex qua autem sui parte, ratione utitur et Deum diligit, rationalis appellatur. Hinc dicitur : Seminatur in terra corpus animale, id est corruptibile quod terrena appetebat, surget corpus spirituale, id est, voluntatem spiritus per omnia faciens, neque spiritui resistens.

39. August. (*ibid.*). *Si est corpus.* Intelligitur ergo corpus animale dici simile cæteris animalibus, propter mortis dissolutionem et corruptionem, quæ quotidie cibo reficitur, et postea separata, animantis compago [*al.*, compage] dissolvitur.

40. Lanfr. *Si est corpus animale.* Cum dicitur corpus, frustra adderetur animale, nisi esset aliud corpus spiritale, ad cujus discrepantiam vocaretur animale.

41. *Sicut scriptum.* Deest assumptio, si est corpus animale, et hanc probat.

42 *Factus primus homo.* Habuit primus homo animam vitalem et spiritualem, id est, rationalem, secundum quam Adam et qui ex eo orti sunt victuri erant.

43. *Novissimus Adam.* Habuit novissimus Adam, id est, Christus, animam vitalem et spiritualem, sed illius tantum partis mentionem facit, secundum quam ipse Christus et imitatores ejus magis victuri erant. Nec hoc in Genesi scriptum reperitur, sed ab Apostolo superiori sententiæ additur.

44. *Sed non prius quod*, id est; prius terrena

de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis. 45. Qualis terrenus, tales et terreni. *Adæ imitatores peccando;* et qualis cœlestis, tales et cœlestes, *Christi imitatores.* 46. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. Hoc autem, *ut Christum imitemur*, dico, fratres, quia 47, 48. caro et sanguis, *sui corporis appetitui viventes*, regnum Dei possidere non possunt ; neque corruptio, **83** incorruptelam possidebit. Ecce mysterium, *id est, secretum, quod ante nesciebamus*, vobis dico. Omnes quidem resurgemus, 49. sed non omnes *in melius* immutabimur. *Quomodo?* In momento, in ictu oculi, 50. in novissima tuba *resurgemus* ; canet enim tuba 51. et mortui resurgent incorrupti, *cum integritate membrorum*; et nos *justi in melius* immutabimur (*a parte.*) Oportet enim corruptibile hoc *meum corpus* induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet, *adimplebitur*, sermo, qui scriptus est, *in Osee* XIII : 52. Absorpta est mors, *concupiscentia peccati* in, *cum*, victoria. 53. Ubi est, mors, victoria tua? *quam solebas habere in his qui tibi obedierunt.* Ubi est, mors, stimulus tuus? *destructum est.* 54, 55. Stimulus autem mortis peccatum est ; 56. virtus vero peccati (*augmentum peccati, quia augetur peccatum per prævaricationem legis*), lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Itaque, fratres mei dilecti, *quia incorruptibiles resurgemus*, stabiles *in fide* estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino ; *in fide Domini, vel in prædestinatione Domini.*

84 CAPUT XVI.

1. De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite, Per unam 2,

COMMENTARIUS.

appetentium, postea fuit corpus spiritaliter viventium A

45. August. (epist. 146 *ad Consen.*). *Qualis terrenus.* Quid est, qualis terrenus, tales terreni, nisi mortales ex mortali? Et quid est qualis cœlestis, tales cœlestes, nisi immortales per immortalitatem? [*al.*, immortalem.]

46. Lanfr. *Igitur sicut portavimus*, id est, sicut exemplo Adæ, terrena dileximus, ita exemplo Christi, cœlestia diligamus.

47. *Caro et sanguis.* Caro et sanguis est humanum et corruptibile corpus. Et est sensus, qui secundum appetitum sui corporis vixerit, regnum Dei possidere non poterit.

48. August. (*ibid.*). *Caro et sanguis.* Et ne quispiam putaret secundum substantiam carnis hoc Apostolum diffinisse, aperuit quid diceret subjungendo, neque corruptio incorruptelam [*al.*, incorruptionem.] possidebit. B

49. (*ibid*) *Sed non omnes immutabimur.* Hanc immutationem utrum in melius an in deterius intelligi voluerit, inferiora demonstrant.

50. Ambros. *In novissima tuba.* Quia non semel cum illo pugnatum est, quia in Antichristo victus est ; et hoc loco novissime adversus illum pugnabitur, ut jam mittatur in gehennam.

51. August. (*ibid.*). *Et mortui resurgent.* Quid sibi vult ergo distinctio : *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur*, nisi quia omnes incorrupti resurgent? Sed ex his etiam justi immutabuntur in illam incorruptelam ; cui omnino nulla nocere possit corruptio ; ac per hoc, qui in eam [*al.*, ea] non C commutabuntur ; incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum.

52. Lanfr. *Absorpta est mors.* In fine sæculi absorpta erit mors et animæ et corporis in victoria, quia victis in carne servorum Dei concupiscentiis omnibus, nec ipsi, nec aliquid ultra morietur. Est autem hoc testimonium in usitata translatione Osee sic scriptum : *Ero mors tua, o mors!* quod idem significat ; ipse enim vincit, qui fidelibus suis vincendi tribuit facultatem.

53. Ambros. *Ubi est, mors, victoria tua?* Insultantis etenim verba sunt.

54. August. (lib. III *De pec. merit. et remiss.*, cap. 11, tom. VII.) *Stimulus mortis.* Quo mors facta est, non quem mors fecit. Peccato enim morimur, non morte peccamus. Sic itaque dictum est : Aculeus mortis quomodo lignum vitæ? Non quod hominis vitam [*al.*, vita] faceret, sed quo vita hominis fieret. Et quomodo lignum scientiæ, per quod scientia fieret hominis, non quod per suam scientiam fecerit homo.

55. Lanfr. *Stimulus mortis.* Probat mortis stimulum esse destructum. Stimulus, inquit, mortis peccatum est, hoc autem destructum est. Probat, nam per victoriam est destructum, quam dedit nobis Deus per Dominum nostrum Jesum Christum (prius a pari, posterius a parte), nonne per legem destructum est peccatum? non [*f.*; nam] lex fuit augmentum peccati, non destructio.

56. August. (*lib. De perfect. justi hominis*, c. 6, t. VII.). *Virtus vero peccati lex.* Quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus charitatem.

CAP. XVI. — 1. August. (lib. II *De sermone Domini in monte*, cap. 17, tom. IV.). *De collectis autem.* Apostolus Paulus potest videri de crastino cogitare, cum dicit : *De collectis autem in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite, secundum unam Sabbati. Unusquisque vestrum apud se ponat, thesaurizans quod ei placuerit, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.* His et hujusmodi Scripturarum locis satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista Deo militet.

Sabbati *ita scilicet* unusquisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene, *quantum sibi*, placuerit, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant, *scilicet factæ sint*. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, *cum epistolis*, hos mittam perferre gratiam vestram, *gratis data a vobis, sanctis qui sunt* in Hierusalem. Quod si dignum fuerit,*tanta sit collectio*, ut et ego eam, mecum ibunt. Veniant autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero; nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos modo in transitu, *transeundo*, videre; spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. 3. Ostium enim mihi (*Ratio quare Ephesi tantopere* [f.. *tanto tempore*] *permansurus sit*) apertum est magnum et evidens; et adversarii multi *qui nolentes credere conantur impedire*. Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore *a falsis fratribus* sit apud vos; opus enim Domini operatur, *prædicator est*, sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat, *quia prædicator est*. Deducite autem illum in pace, ut veniat ad me; expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus, et utique non fuit voluntas ut nunc veniret; veniet autem, cum ei vacuum fuerit. Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini; omnia vestra in charitate fiant. 4. Obsecro autem vos, fratres, 5. nostis domum Stephanæ, et Fortunati et Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, *prius crediderunt*, et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos, ut et vos subditi sitis ejusmodi, et omni cooperanti et laboranti. Gaudeo autem in præsentia, *id est, quia vobiscum sunt*, Stephanæ, et Fortunati et Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt; refecerunt enim et meum spiritum et vestrum, *mihi ministrando prius, et nunc vos exhortando*. Cognoscite, *imitamini*, ergo qui ejusmodi sunt. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila, *vir*, et Priscilla, *uxor*, cum domestica sua Ecclesia, *id est, familia* : apud quos et hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in 35 osculo sancto. Salutatio, mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, 6, 7. sit anathema, *alienetur ab Ecclesia in adventu Domini*. 8. Maranatha. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Charitas mea, *id est, ut ego vos, ita vos invicem diligatis*, cum omnibus vobis in Christo Jesu, *non sæculi charitate*. Amen.

COMMENTARIUS.

2. Lanfr. *Per unam Sabbati*, id est, per unam diem septimanæ jubet colligi ea quæ Jerosolymam sanctis mittebantur.

3. *Ostium enim mihi*. Ratio cur tantopere Ephesi sit permansurus. Dicit enim ostium magnum esse apertum prædicationis suæ, per quod possit prædicando ad corda audientium intrare et fidem Christianam persuadere.

4. *Obsecro autem*. Obsecro autem ut et vos fratres subditi sitis.

5. *Nostis Stephanæ domum*. Hi cum Apostolo fuerant, et quibusdam Corinthiis qui cum Apostolo erant, et ipsi Apostolo necessaria sæpe ministraverunt.

6. Ambros. *Sit anathema*. Quod interpretatur. Si quis Dominum Jesum Christum non amat, absci- A datur. B

7. August. (Epist. 178 *ad Pasc.* t. II). *Sit anathema, maranatha*. Simul Græco et Syro utitur verbo. *Si quis*, inquit, *non amat Dominum, sit anathema, maranatha*. Anathema Græco sermone dixit, *condemnatus*. Maranatha definivit, *donec veniat Dominus*, vel *redeat*.

8. Hieron. *Maranatha*. Magis Syrum est, quam Hebræum, tam etsi ex confinio utrarumque linguarum aliquo et Hebræum sonet, et interpretatur, *Dominus noster venit*. Ut sit sensus : Si quis non amat Dominum Jesum, anathema, et illo completo, deinceps inferatur : *Dominus noster venit*. Quod superflue sit adversum eum odiis pertinacibus contendere velle quem jam venisse constat.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS SECUNDA.

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

Argumentum. — *Post actam a Corinthiis pœnitentiam, consolatoriam scribit eis Epistolam Apostolus a Troade, per Titum. Et collaudans eos, hortatur ad meliora, contristatos quidem eos, sed emendatos ostendens.*

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, *non hominis, vel non meritis*, et Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia, Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, *non unius tantum, sed plurium secundum participantes*, et 1. Deus totius consolationis,

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. Ambros. *Deus totius consolationis*. consolatione incœpit, unde refrigerium dat eis,

2. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari *verbis vel exemplo* eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem (*ipse exhortatur nos* **86**, *et per nos alios*) qua exhortamur et ipsi a Deo, *intus per spiritum. Responsio.* Quoniam sicut abundant (*consolatur tunc vos in omni tribulatione*) passiones Christi in nobis, *quas pro Christo patimur*, ita et per Christum abundat consolatio nostra (*exhortatio*). Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione, *exemplo nostri, vel verbo facta*, et salute *æterna tribulamur :* sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur *nos intus a Spiritu sancto*, 3. pro vestra exhortatione, *ut vos exhortemur*, et salute, *vestra*, 4. quæ, *scilicet salus, vel consolatio, vel exhortatio*, operatur tolerantiam *in vobis* earumdem passionum quas et nos patimur, 5. ut *ita, vel unde, vel ad hoc* spes nostra, *quod speramus vos salvandos*, firma sit pro vobis, scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis *æternæ, vel præmii æterni*. 6, 7. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra (*Responsio. Passi enim sumus vehementem passionem : et hoc nolumus vos ignorare*), 8. quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, *humanam*, ita ut (*exprimit*) tæderet nos etiam vivere, *non speraremus vivere, sed mori.* Sed ipsi in nobismetipsis reponsum mortis (*conscientia nostra nobis tantum mortem respondebat*), habuimus, *plagas mortis sperabam non evadere*, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo (*ita fidus eram de morte ut quia non mortuus sum, non debeam amplius fidere in me, sed in Deo, qui me jam mortuum eripuit, quod ideo permisit Deus supra virtutem tribulari, et suo auxilio voluit juvari, ut non simus confidentes in nobis*), qui suscitat mortuos (*emphasis, id est exaggeratio*), qui de tantis periculis nos eripuit et eruit; in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis (*captio benevolentiæ, et sui humiliatio*) in oratione *facta* pro nobis, ut *scilicet* ex 9. multorum (*idem quod per multos*) personis *masculini sexus, et femini*, ejus, quæ in nobis est, *professionis vel liberationis meæ*, donationis, *id est, Christianitatis*, per multos gratiæ agantur pro nobis *Deo*. 10, 11. *Vos pro nobis orare debetis ;* nam gloria nostra hæc est, **87** testimonium conscientiæ nostræ, quod (*ideo dignum est pro me gratias agi, nam in simplicitate et sinceritate conservatus sum apud vos*) in simplicitate *non duplicis* cordis, et sinceritate Dei, *a Deo habita*, et non 12. in sapientia carnali, *ut pseudo* 13. Sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo, 14. abundantius autem ad, *apud*, vos. 15. Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis, et cognovistis, *in me fuisse.*

COMMENTARIUS.

qui correptionis causa fuerant contristati, et Patrem A misericordiarum ait, propter diversa peccata, et ut cognosceretur per misericordiam reformare pœnitentes.

2. Lanfr. *Qui consolatur nos.* Per hoc jam ostendit consolatoriam esse Epistolam; vult enim omnibus consolari, et illis contristatis, et illi abjecto qui uxorem patri abstulerat; et propter hoc dixit: *Pater misericordiarum et Deus totius*, etc.

3. *Pro vestra exhortatione.* Quamdam causam tribulationis suæ supponit, ut videlicet Corinthii exemplo ejus provocati exhortentur ad ferendum tribulationes, et sic salutem sempiternam consequantur.

4. *Quæ operantur tolerantiam.* Spes salutis æternæ operatur tolerantiam, id est, patientiam in servis B Dei, quia propter ipsam adversa tolerantur.

5. *Ut spes nostra.* Cum principalis causa tolerantiæ illorum dicta sit salus æterna, aliam causam supponit, ut videlicet spes sua, quam pro his habebat, firma appareat.

6. Ambros. *Non enim volumus.* Ideo passiones pressurarum indicat, ut ostendat quæ mala; causa salutis eorum partiebatur; ut non gravius ferrent, si ab illo corriperentur, qui tam aspera pro illis tolerabat.

7. Lanfr. *Non enim volumus.* Exponit quod superius dixit: *Sive autem tribulamur.* Et quod posterius : *Sicut socii passionum*, etc.

8. *Quæ facta est in Asia.* Non de ea Asia loquitur hic, quæ est totius mundi tertia pars ; sed de quadam provincia, quæ ipsius majoris Asiæ pars est; ejus tamen nomine nuncupatur.

9. *Multarum personis.* Causa cur adhuc eripiet, ut videlicet, ex multarum facierum personis, ad Deum propter eorum prædicationem conversis, gratiæ agantur Deo per eorum prædicationem, per multos habentes eam donationem fidei quæ in ipsis est. Personas autem multarum facierum vocat, infantes, pueros, et cæteras ætates hominum utriusque sexus.

10. *Nam gloria nostra.* Ratio cur eos **87** adjuvare debeant, in orationibus videlicet, quia conscientia eorum testis sit quod sincere conversati sint inter eos.

11. Ambros. *Nam gloria.* Ratio quamobrem de Deo non diffidebat, quia in simplicitate conversabatur. Et hæc est gloria conscientiæ, simplicitas et sinceritas.

12. Lanfr. *In sapientia.* Sapientia carnalis est voluptates diligere, labores vitare.

13. *Sed in gratia*, id est, observantia bonorum operum, quæ per gratiam Dei datur.

14. Ambros. *Abundantius autem.* Quia cum ab aliis acceperit, ab his noluit, ne arguendi eos auctoritatem amitteret.

15. Lanfr. *Non enim alias scribimus.* Vel dicitur: In simplicitate dicis : Tu in alia Epistola promisisti te venturum ad nos, et non venisti. Non sum, inquit, levis, quia quæ scripsi, et legistis in Epistolis meis, vos ita esse cognoscitis.

16. Spero autem quod usque in finem *vitæ meæ* cognoscetis, sicut et cognovistis nos *non plene (homo enim videt in facie; Deus autem in corde), sed* ex parte, *vel vitæ meæ, vel non omnes. Ideo cognoscetis.* 17. Quia gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, 18. in die Domini nostri Jesu Christi. 19. Et hac confidentia, *quia vos gloria nostra, nos vestra,* volui prius, *nuper,* venire ad vos, ut secundum gratiam haberetis: et per vos transire in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Judæam. *Objectio, quia voluisti, nec venisti, ergo levitate usus es: et quod non venisti, secundum carnem, id est, pro lucro aliquo fecisti. Hoc removet. Responsio.* Cum ergo hoc voluissem, *et non venissem,* nunquid levitate usus sum? 20. Aut quæ cogito, 21. secundum carnem cogito, *more carnaliter viventium, qui pro terreno commodo promittunt, vel negant,* ut sit apud me est, et non? Fidelis autem Deus, *scilicet scit,* quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est 22. in illo est, et non: *mutabilitas, mendacium, sed est in illo est.* Dei enim Filius Jesus Christus: qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et Sylvanum, et Timotheum, 23. non fuit est, et non, sed est in illo, *id est, veritas,* fuit ❧ 24, 25. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est, *vere completæ sunt;* 26. ideo et 27. per ipsum, *dicimus.* Amen Deo, 28. ad gloriam nostram. 29. Qui autem confirmat nos (*quod sermo noster non est, est, et non; non ex nobis hoc, sed ex Deo, qui confirmat nos* vobiscum in Christo, 30. et qui unxit nos, *spiritali unctione, est* Deus, qui et signavit nos, *ne violemur ab hoste,* et 31. dedit pignus spiritus in cordibus nostris (*id est, arrham sui, vel æternæ hæreditatis*); ego autem (*ad hoc quod superius dixit volui venire ad vos*) testem Deum invoco in, *contra,* animam meam, *si mentior,* quod (*confirmat non pro levitate, vel cupiditate non venisse, sed quia quosdam eorum noluerit punire*) parcens vobis, *ne vos aspere corrigerem, et contristarem,* non veni ultra, *iterum,* Corinthum: 32. non quia 33. dominamur fidei vestræ, *non ideo dico parcens, ut quasi Domini cogamus vos ad fidem, quæ per dilectionem operatur in nobis,* sed 34 adjutores sumus gaudii vestri, *id est, correptionis vestræ, qua gaudeatis vitæ æternæ:* nam fide statis.

COMMENTARIUS.

16. *Spero autem.* Quasi diceret: In bono cognovistis nos, in principio; et in bono cognoscetis usque in finem.

17. Ambros. *Quia gloria vestra.* Proficere illis [*al.*, illos] sperat, quia gloriabantur in eo, velut in patre charissimo; unde et gloriam suam videri testatur in filios obaudientes; et tunc videri, quando prodest, id est, in die judicii.

18. Lanfr. *In die Domini,* etc. Sancti enim in præsenti de sua bona conscientia gloriantur, ut in psalmo: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.*

19. *Et hac confidentia,* id est, propter hanc confidentiam, qua speramus per alterutrum glorificari.

20. Ambros. *Aut quæ cogito.* Qui secundum carnem cogitat, tunc implet [*al.*, non implet] quod disponit, quando aut personis amplioribus defert, aut certe litteris [*al*, lucis], aut apparatibus vincitur. Spiritualis autem tunc dispositum non implet, quando aliquid providentius pro salute animæ meditatur.

21. Lanfr. *Secundum carnem,* id est, more carnaliter viventium; qui pro terreno commodo, facile voluntatem suam mutant.

22. *In illo est, et non,* id est, prædicatio nostra, non docuit vos mentiri, et leviter mutare sententiam.

23. *Non fuit, est, et non.* Quasi diceret: Prædicatio nostra non docuit homines mentiri, quia Magister noster, quem prædicamus vobis, non docuit nos de eadem re dicere, est, et non; id est, proferre mendacium. Sed *est,* tantum de re quæ est; et *non est,* similiter de re quæ non est.

24. *Quotquot enim,* id est, merito Christus veritatem docuit, quia Deus Pater promissiones suas in illo etiam, id est, vere, complevit.

25. August (*expos. psal.* LXXI, tom VIII.) *Quotquot enim.* Omnes promissiones Dei illo etiam id est, in illo firmatæ, quia in illo impletum est quidquid pro A salute nostra prophetatum est.

26. Ambros. *Ideo et per ipsum.* Manifestum quia in Deo veritas est, hoc est Amen, manifestata per Christum.

27. Lanfr. *Per ipsum amen Deo.* Per Christum amen dicitur, quia Deus Pater, quidquid de eo promisit, in eo complevit.

28. *Ad gloriam nostram.* Gloria apostolorum fuit veracem prædicare Magistrum, et in quo promissiones Dei completæ sunt.

29. *Qui autem confirmat.* Quasi diceret: Quod in Christum creditis, non nostræ prædicationi imputare debetis, quia Deus est, cujus gratia in fide confirmamur, et ad serviendum sibi mente delectamur, quia etiam nos signo baptismatis ab infideli- B bus separavit; et Spiritum sanctum, æternæ hæreditatis pignus, in cordibus nostris dedit.

30. Ambros. *Qui unxit nos,* id est, qui dedit regiam honorificentiam, ut dicit Petrus, quia sumus, inquit, genus regale per unctionem spiritalem.

31. *Dedit pignus.* Si enim adhuc mortalibus Spiritum suum dedit, dubium non est quin jam immortalibus gloriam addat.

32. *Non quia dominamur fidei vestræ.* Fides non necessitatis, sed voluntatis res est. Ideo dicit, non quia dominemur fidei vestræ. Dominatus enim necessitatem habet.

33. Lanfr. *Dominamur,* etc. Diceret quis: Parcens tunc vis nos cogere ad fidem Non est, inquit, C ita, *non dominamur fidei vestræ,* non cogimus vos ad fidem. Vel parcens dixit de quibusdam, qui fide non stabant; et ne stantes fide putarent hoc dictum de se, dicit, *non dominamur fidei vestræ,* id est, nolumus exercere dominium in illos qui stant in fide, sed adjuvare vos in emendatione corrigendorum.

34. Ambros. *Adjutores gaudii vestri.* Sic in malo

CAPUT II.

Statui autem hoc ipsum apud me *non venire*, ne iterum in tristitia venirem ad vos, 1. Si enim ego contristo vos, et quis est qui me lætificet? **89** nisi qui contristatur ex me *suam per correptionem lætificet?* 2, 3. Et hoc ipsum, *quod ne vos contristarem non veni*, scripsi vobis, *ideo* ut non cum venero, tristitiam *impœnitudinis vestræ* super tristitiam *peccati* habeam, de quibus, *id est, de vobis*, oportuerat me gaudere; *tamen* confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est, *quia de vestra emendatione gaudebo.* Nam ex multa tribulatione, *tristitia*, et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non *ideo dico per multas* ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis. 4. Si quis autem *ut adulter* contristavit, non me *prorsus, vel tantum* contristavit, sed ex parte, *id est, aliquantum, vel vos*, ut (*ideo dico, si quis vel ex parte, dico me contristatum, ne vos contristemini*) non *peccato* onerem omnes vos, *vel ita, non ex toto me contristavit, sed ex parte, ut non onerem, id est, ne vos gravarem contristatione tanta.* Sufficit illi (*tamen jam eum debetis recipere, qui uxorem patris duxit*) qui ejusmodi est, *qui me, et vos contristavit*, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, *a me, et a vobis, sufficit.* Ita ut e contrario 5. magis donetis, *peccatum donare debeatis*, et consolemini, *consolari magis quam contristari.* 6. Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, *scilicet si abjeceritis, ne cadat in desperationem*, qui ejusmodi est. Propter quod, *ne absorbeatur*, obsecro vos ut *recipiendo eum* confirmetis in illum charitatem. *Suscipientes confirmate charitatem vestram.* Ideo enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum *quod est, ut experiar vos, vel studium vestrum,* 7. an in omnibus *ut in expellendo prius, ita in reo recipiendo nunc* obedientes *mihi* sitis. *Ideo obedire debetis.* Cui autem, *enim*, aliquid donastis, *condonastis* et ego *condonavi: sic et vos mihi faciatis;* nam et ego (*repetitio*) quod donavi, si quid donavi, propter vos, *debetis hoc propter me, quia ego propter vos feci similiter, agens hoc non pro me, sed* in persona Christi, 8, 9. ut non circumveniamur a Satana, *quia si donatis, et ego, non erit discordia inter vos;* non enim ignoramus cogitationes ejus. *Satanæ.* 10. Cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, *introitus fidei, ut me in illos, id est, in eorum corda, vel illos in me prædicando intromitterem*, non habui requiem spiritui meo, quod non invenerim 11. Titum **90** fratrem meum, *qui me juvaret interpretando quod prædicarem*, sed 12. valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. Deo autem gratias (*iterum commendat se ut verbum suum recipiatur*) qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et 13. odorem, *prædicationem*, notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, *non solum Troadæ, sed in omni loco, Mace-*

COMMENTARIUS.

opere tristitia est, ita in emendatione gaudium; hu- A jus autem gaudii adjutor erat, dum volentibus emendare admonitiones offerebat.

CAP. II. — 1. Lanfr. *Si enim ego contristo.* Si doctor corripiendo contristat discipulum, lætitia illius est, si discipulus ad pœnitentiam contristatur.

2. *Et hoc ipsum.* Quod est contristans vos, non lætificet, nisi vos ipsi ad pœnitentiam contristemini.

3. Ambros. *Et hoc ipsum.* Idcirco se dicit scripsisse, ut postea veniens non esset, unde contristaretur, sublatis vitiis.

4. Lanfr. *Si quis autem.* Si quis, inquit, prædicans contristavit me, non me tantummodo contristavit, sed vos ex parte, id est, quosdam ex vobis, ut non B onerem vos omnes, et ideo dico vos ex parte contristatos, ut onus tristitiæ non imponam omnibus, non enim omnes, justitiam sincere diligitis. Potest et ita intelligi, non me contristavit ex toto, sed ex parte.

5. *Magis donetis*, etc. Satis comprobatur apostolum non contristari pro fornicatore, qui patris uxorem duxerat, ex hoc quod modo subjungit, ut recipiatur et consoletur.

6. Ambros. *Ne forte abundantiore*, id est, ne desperans de se, daret animum ad mundum fruendum, quasi locum apud Deum jam non haberet.

7. *An in omnibus.* Quantum datur intelligi, obedientes hos factos in cæteris probat.

8. *Ut non circumveniamur.* Dicit quia consolatio debet subsequi, ue diabolus suggerat ei, ut vel præsentibus fruatur, qui de spe futuri præmii dejectus est.

9. Lanfr. *Ut non circumveniamur*, id est, ut non sit inter vos discordia.

10. *Cum venissem autem*, etc. Excusato se quod non venerit, narrat quod fecit, commendans se in eodem opere, ne vos contristarem non veni, *Cum autem venissem Troadem*, etc.

11. *Titum fratrem.* Titus iste interpres Apostoli erat, et horum lingua expressius loquebatur quam Apostolus.

12. *Vale faciens eis*, etc. Ad hoc quod dixit parcens vobis non veni Corinthum, sed veni Troadem, ubi me libenter audiebant, hoc est ostium mihi apertum est; et sic hortatur ut et isti libenter accipiant, postquam hoc de illis audierunt.

13. Ambros. *Odorem notitiæ.* Prædicationem Christi, ideo dicit odorem, quia sicut res quædam, cum non videantur, per odorem cognoscuntur, ita invisibilis Deus per prædicationem Christi se voluit intelligi.

doniæ: (*Responsio*) quia Christi 14, 15, 16. bonus, *suavis*, odor sumus Deo, *in nobis est odor Christi, id est, prædicatio* in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt: 17. aliis quidem odor mortis in mortem, *non ut odor, id est, prædicatio sit ex morte, sed illos qui non credunt morti deliberat* [f., *adjudicat*]; aliis autem odor vitæ, *justitiæ*, in vitam *æternam*. Et ad hæc *prædicanda* quis tam idoneus, *sicut nos apostoli? nullus.* Non enim sumus, sicut plurimi, *pseudo*, 18, 19. adulterantes verbum Dei, *legitimum sensum auferentes, et adulterinum ponentes, vel pro lucro terreno prædicantes*. Sed ex sinceritate, sed sicut, *scilicet accepimus* 20. ex Deo 21. coram Deo in Christo *quod placet Deo vel sacramentum est*, loquimur.

CAPUT III.

1. Incipimus iterum nosmetipsos commendare? Aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitiis Epistolis *missis ab aliis* ad vos, **91** aut ex vobis *ad alios missis?* 2. Epistola nostra vos, *fides vestra*, estis, 3. scripta in cordibus nostris, *memoriam vestri habens*, quæ scitur et legitur ab omnibus hominibus: [*Responsio*] manifestati *vos* quod epistola estis Christi, *id est quorum fide et vita glorificatur Christus*, ministrata a nobis, *sicut nostra*, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, *illinita*, *id est*, *confirmata*, non in tabulis lapideis, 4. sed in tabulis [*in mentibus*] cordis carnalibus, *sensibilibus, intelligibilibus*. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum *quod ministramus vel quod vos estis epistola nostra, et Christi.* Non quod sufficientes simus cogitare aliquid, (*non ut per nos fidem verbis instruere possimus*) a nobis, *per nos*, quasi *principaliter* ex nobis, sed sufficientia nostra, *quod possumus*, ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti non littera, sed spiritu, *non carnaliter intellecti, sed spiritualiter.* 5, 6. Littera enim occidit, 7. Spiritus autem vivificat, *glorificat.* 8. Quod si ministratio mortis, *Vetus Testamentum mor-*

COMMENTARIUS.

14. *Bonus odor.* In lege, qui hostias bono voto offerebat, bonus odor Deo erat et acceptabilis, ita et prædicationis piæ vir [*al.*, virtus], doctrinæ odorem præstat fragrantem Deo.

15. August. (*lib. sent. Prosp.*, c. 35, tom. III). *Christi bonus odor.* Bonus Christi odor est, prædicatio veritatis; quem odorem in vitam capit qui Evangelio bonis moribus servit et congruit. Mortem incurrit, cujus ab his quæ bene loquitur, vita dissentit, quæ conditio etiam auditores obstringit cum recta prædicatio ab aliis per incredulitatem auditur in mortem, ab aliis per fidem suscipitur in salutem.

16. Lanfr. *Bonus odor.* Prædicatio quidem bona est in utrisque, sed qui inobedientes sunt, illis sit prædicatio odor mortis, id est, peccati, in mortem æternam.

17. Ambros. *Aliis odor mortis.* Incredulis prædicatio Christi odor mortis est. Audientes enim verbum Dei, sic accipiunt quasi pestem, ex qua oritur mors.

18. *Adulterantes*, id est, pseudoapostolos tangit, qui verba Dei per malam interpretationem adulterabant. Nam tollentes divinum sensum, humanum ponebant.

19. Lanfr. *Adulterantes.* Adulter non quærit prolem, sed voluntatem corporis explere. Tales sunt qui pro terreno commodo verbum Dei prædicant, non quærentes filios spirituales generare.

20. *Ex Deo.* Ex Deo, inquit, loquimur, quia ex Deo accipimus, quod prædicamus.

Ambros. *Ex Deo*, id est, quomodo Deus dedit.

21. Lanfr. *Coram Deo.* Quia illi placere contendimus.

CAP. III. — 1. Lanfr. *Incipimus iterum*, etc. Non nos, inquit, commendamus, nulla enim commendatione indigemus, quia nec illa quæ fit vobis, nec quæ fit litteris, quia per epistolam (a pari).

A Nam nec per epistolam ad vos ab aliis missam. Per epistolam nolumus commendari, quia vos estis epistola nostra, quæ nos commendat, id est, fides vestra.

2. *Epistola nostra.* Epistola, inquit, nostra vos estis, id est, fides nostra per eam laudatur, eo quod prædicatione nostra vos ad fidem convertimus.

3. *In cordibus nostris.* Vos et fidem vestram oblivioni non tradidimus, sed in memoria nostra semper estis.

4. August. (*lib. De spiritu et lit.*, c. 17. tom. III). *In tabulis cordis.* Carnales autem tabulas cordis dixit, non carnalis prudentiæ; sed tanquam viventis, sensumque habentis, in comparatione lapidis, B qui sine sensu est.

5. (*ibid.*, cap. 14). *Littera enim occidit.* Attende et vide ut cum quidquam propter circumcisionem, vel Sabbatum, vel quid aliud umbratilis sacramenti, ac non totum propter hoc dicat; quod littera prohibens, peccatum non vivificat [*al.* justificat] hominem, sed potius occidit, augendo concupiscentiam, et iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi liberet gratia per legem fidei, quæ est in Christo Jesu.

6. Lanfr. *Littera occidit.* Dupliciter potest hoc intelligi, vel quia sine misericordia peccantes occidi jubet, dicens: Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Vel carnaliter observata, animam observantis occidunt.

7. *Spiritus autem vivificat*, id est, spiritualiter C intellecta observantis animam vivificat.

8. *Quod si ministratio.* Commendatio et laus Novi Testamenti; dicitque, si ministratio veteris legis formata litteris, in tabulis lapideis, fuit Moysi in tantam gloriam ut filii Israel faciem ejus videre non possent, propter claritatem vultus ejus, quæ tamen transitoria fuit; quomodo non magis ministratio novæ legis erit apostolis in gloriam sempiternam. Vetus autem lex ministratio mortis dicitur; vel

tificans, litteris deformata, *scripta*, in lapidibus, *tabulis*, fuit in gloria, *Moysi*, 9. ita ut (*exponit modum gloriæ Moysi*), non possent intendere filii Israel in faciem Moysis, propter gloriam, *præ nimia claritate*, vultus ejus, quæ *gloria* evacuatur, *transit*, quomodo non magis ministratio spiritus, *spiritualis testamenti*, erit in gloria? *nobis apostolis*. (*Responsio, vel probat a pari*.) Nam si ministratio damnationis, *damnantis legis in* gloria est *Moysi*, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria *apostolis*. 10. Nam nec glorificatum est quod **92** claruit in hac parte, *id est, in Moyse nullius gloriæ est, quantum ad excellentem gloriam, quæ est in apostolorum prædicatione*, propter excellentem gloriam *apostolorum*. Si enim (*repetitio vel probatio a pari*) 11. quod evacuatur (*ad hoc ; non si ministratio damnationis*, etc.) per gloriam est, multo magis quod manet, in gloria est, *ergo habebimus gloriam* (*a minori*) *et cum habeamus spem gloriæ, cum fiducia prædicamus, et hoc est*. Habentes igitur talem spem *gloriæ ex Evangelio habendæ*, multa fiducia utimur, *in Evangelio* ; et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, *non ponimus velamen super faciem nostram, id est, non habemus velata verba, sicut Moyses ; quod significabatur in velamine*, ut non intenderent filii Israel in faciem, *velamen* ejus quod evacuatur, *aufertur in Christianis*. Sed *tamen adhuc* obtusi sunt sensus eorum, *id est, Judæorum, qui adhuc non possunt intelligere*. Usque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet *apud Judæos* non revelatum *incredulis, quia credulis tantum revelatur* (quoniam in Christo, *Christi fide credentibus*, evacuatur), sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum, *Judæorum*. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, *de cordibus eorum* auferetur *intelligentiæ* velamen. 12. Dominus autem Spiritus est, 13. ubi autem Spiritus Domini, 14. ibi libertas, *id est, libera intelligentia*. 15, 16. Nos vero omnes, (*Moyses velatus non poterat intelligi ; sed nos* : (*commendat se*) revelata facie, *planis verbis, interioris hominis oculo*, 17. gloriam Domini, *æternam beatitudinem in Novo Testamento promissam*, speculantes, *non temporalia in pseudojudæ*,

COMMENTARIUS.

quia sine misericordia peccatores puniebat, vel quia A post adventum Christi, ad litteram observata, animæ mortem ministrat. Novum vero Testamentum ministratio spiritus dicitur, vel quia per ipsum Spiritus sanctus observanti datur, vel quia in eo vetus lex spiritualiter intelligitur et servatur.

9. AUGUST. (lib. II *contra advers. legis et prophet.*, c. 7, tom. VI). *Ita ut non possent filii Israel*. Quod non poterant filii Israel intendere in faciem ejus, propter gloriam vultus ejus, signum erat quia in lege Christum intellecturi non erant ; et ideo velamen inter faciem Moysis et illos positum erat, ut non intenderent, sicut scriptum est : Filii Israel usque in finem, etc.

10. LANFR. *Nam nec glorificatum est*. Ordo : quod claruit, nec glorificatum est in hac parte, propter B excellentem gloriam. Exponit gloriam prædicatorum Novi Testamenti. Dicit enim quod facies Moysis, quæ in legis veteris latione claruit, non potest dici glorificata, in consideratione istius partis, id est, si ad apostolorum gloriam referatur, propter excellentem gloriam quam habent et habituri sunt.

11. *Quod evacuatur*. Velamen veteris legis aufertur nunc, quia modo exponitur quidquid legales observationes significaverunt.

12. *Dominus autem spiritus est*. Ordo : Spiritus sanctus est Dominus, et potest operari quod vult ; ac per hoc quod quos vult illuminat, quos vult in tenebris et ignorantiæ deserit.

13. *Ubi autem Spiritus Domini*. Exponit causam cur Judæi libere non possunt intelligere Vetus Tes- C tamentum, et cur prædicatores Novi Testamenti ipsum libere intelligant : videlicet quia illi Spiritum Dei non habent, hi autem habent.

14. *Ibi libertas ?* Ab Israele converso auferetur velamen ; libertas enim Dei erit in eo, quia Spiritus ibi erit, qui eam dabit ; et hoc probat : Spiritus est Dominus ; sed ubicunque est Dominus, ibi libertas ; ergo ubicunque est Spiritus, ibi libertas (a genere, assumptio et conclusio) ; sed in Israele converso erit, ergo in eo erit libertas.

15. *Nos vero omnes revelata*. Nos, inquit, omnes apostoli revelata facie non cooperta, sicut Moyses, cœlestem gloriam speculantes ad ipsam enim est intentio nostra quia nunc per speculum et ænigma videmus in eamdem gloriam, quæ adhuc, non qualis est, apparet ; sed quasi quædam imago videtur fide, et bonis operibus transformamur. In hoc enim contendimus ut conformes ejus fieri possimus a claritate fidei perventura in claritatem spei.

16. AMBROS. *Nos vero omnes revelata*. Per fidem, speculantes, ad eamdem imaginem transformari speramus, id est, ut similes inveniamur, transacta hac vita, imaginis gloriæ Christi. Unde Joannes : *Scimus*, inquit, *quia, cum apparuerit, similes ei erimus*.

17. AUGUST. (lib. XV *De Trin.*, cap. 8, tom. III.) *Gloriam Domini speculantes*. Hoc speculum si quæramus, profecto illud occurrit, quod in speculo nisi imago [*ad.*, non] **93** cernitur. Hoc ergo facere conati sumus, ut per hanc imaginem, quod nos sumus videremus utcunque, a quo facti sumus, tanquam per speculum. Speculantes ergo dixit per speculum videntes, non de speculo [*al.*, specula] prospicientes. Quod vero ait in eamdem imaginem transformamur, utique imaginem Dei vult intelligi, eamdem dicens istam ipsam scilicet, id est, quam speculamur, quia eadem imago Dei est, et gloria Dei, sicuti alibi dicit : *Vir quidem non debet velare caput suum, cum sit imago et gloria Dei*. Transformamur ergo dixit, de forma in formam mutamur atque transimus.

in eamdem *gloriæ illius* (*qua justi sumus*) imaginem, *quæ erit ibi*, transformamur, *non fuscati intus*, 18. a claritate *fidei, vel creationis*, in claritatem, *vel de virtute in virtutem*, 19. tanquam a Domini Spiritu, *vere docti, vel transformati per Spiritum sanctum.*

CAPUT IV.

Ideo (*quia per spem transformamur, vel quia revelata facie speculamur gloriam nobis promissam*), habentes hanc administrationem *prædicationis*, juxta quod misericordiam consecuti sumus, *non per merita nostra, prædicando*, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, *occulta peccata quæ dedecorant*, non ambulantes *ut pseudo*, in astutia, neque adulterantes verbum Dei, *legitimun sensum adimentes, vel pro terreno lucro prædicantes*; sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum, *ipsa manifestatio veritatis commendat nos ipsis hominibus*, coram Deo, *non solum hominibus, sed etiam Deo. Responsio ad hoc quod dixit : revelata facie*. Quod si etiam opertum est *non solum vetus lex, sed etiam* Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum ; 1. in quibus Deus hujus sæculi, *auctor omnium, vel diabolus princeps hujus sæculi*, excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, *per quod glorificatur Christus*, qui est imago Dei, *consimilis Patri. Responsio.* 2. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, *scilicet esse*, nos autem, *non solum ejus, sed etiam* servos vestros per Jesum, quoniam Deus 3. qui dixit de tenebris lucem, *quoniam dixit : Fiat lux; vel qui de cœlo facit cœlum* splendescere ; 4. ipse 5. illuxit in **94** cordibus nostris *quæ obscura erant, id est, qui nobis innotuit ad hoc ut illuminatam scientiam claritatis Dei* (*ut Christi notitiam homines haberent*) *prædicando daremus*, 6. ad, *dando*, illuminationem scientiæ claritatis Dei (*ut sciatur quanta sit claritas Patris per cognitionem Filii, quem prædicamus, quia notitia Patris fit cognitione Filii*) in facie, *in cognitione*, Christi Jesu. *Quamvis tribulemur.* 7. Habemus autem thesaurum istum, *id est, hanc claritatem*, in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei (*si daretur hic thesaurus angelis, dignitatem eorum suppetiisse diceretur; nunc vero sublimitas Dei tantum consideratur*), *si quid boni facimus, Deo ascribatur*, et non *gloriemur* ex nobis. 8. In omnibus *igitur* tribulationem patimur, sed non *animo* angustiamur; aporiamur, *inopiam patimur, vel opprimimur* (*poros Græce*, dives *Latine ; aporos, id est*, pauper ; inde aporiamur) ; sed *a proposito* non destituimur; fame persecutionem patimur, sed non *a Deo* derelinquimur ; dejicimur *corpore*, sed non perimus *animo*; semper mortificationem *pro* Jesu in corpore nostro circumferentes, et in vita *æterna* Jesu manifestetur in corporibus nostris, *in futuro in carne nostra mortali facta immortali*. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali, *undique tribulatione compressi, parati ad mortem sumus pro nomine Christi, ut cum eo vivere possimus; et hoc est; semper*

COMMENTARIUS.

18. (*ibid.*) *A claritate in claritatem*. Natura in rebus creatis excellentissima, cum a suo Creatore justificatur ab impietate, a deformi forma transformatur in formosam formam ; est quippe et in ipsa impietate, quanto magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis, et ob hoc addidit, de gloria in gloriam, de gloria creationis in gloriam justificationis. Quamvis possit hoc et aliis modis intelligi quod dictum est, de gloria in gloriam ; de gloria fidei in gloriam spei ; de gloria qua sumus filii Dei, in gloriam qua similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.

19. (*ibid.*) *Tanquam a Domini Spiritu.* Quod vero addidit : *tanquam a Domini Spiritu ;* ostendit gratiam [*al.*, gratia] nobis conferri, tanquam [*al.*, tam] optabilis confirmationis [*al.*, transformationis] bonum.

CAP. IV. — 1. LANFR. *In iis quibus Deus hujus sæculi.* Quasi diceret : Qui non solum invisibiles creaturas, sed etiam hoc invisibile sæculum regit, potest et ita construit, in quibus Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi ; quia si de diabolo dictum est, Deus hujus sæculi, sic intelligitur in Evangelio : *Princeps mundi hujus.*

2. *Non enim nos.* Ostendit quod non sint ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, et cur dixerit : *Gloriæ Christi*, et non dixerit, Evangelii gloriæ nostræ.

3. *Qui dixit de tenebris.* Ratio cur prædicaret, videlicet scientiam prædicando dedit illis Deus.

4. AUGUST. *Ipse illuxit.* Ut nos illuminaret, et sic haberemus scientiam claritatis ejus per Filium qui est splendor Patris quo illuminamur.

5. AMBROS. *Illuxit in cordibus.* Illuminantur enim, ut cognitionem habeant gloriæ Dei per Christum.

6. AUGUST. (*Apud Bedam in idem caput*). *Ad illuminationem.* Hæc est scientia Dei, quia scimus illum esse lumen quo tenebræ nostræ illuminantur, et ipsum attende, quemadmodum inculcet.

7. LANFR. *Habemus thesaurum.* Thesaurum claritatis scientiæ Dei dicit apostolos habere in terrenis corporibus, ut quando aliquid subtiliter agunt, virtuti Dei imputent, non sibi.

8. AMBROS. *In omnibus tribulationem.* Nunc ostendit quia idonei erant prædicatores : qui passi tribulationem non angustiabantur, id est, non tantum opprimebantur, ut cederent. Aporiabantur, id est, inopiam patiebantur, et aderat pastor Deus. Dejiciebantur, id est, veteribus prosternebantur, nec mortificabantur.

enim, etc. *Illatio ab auctoritate, vel a contrario.* Ergo 9. mors in nobis operatur, 10. vita autem (*quæ est causa vitæ nostræ, vel ironia*) in vobis *operatur.* 11. Habentes autem (*Responsio. Licet mors in nobis operetur, non tacebimus, sed habentes eumdem spiritum fidei, de Deo loquimur*, 12. eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum ; et nos credimus propter quod et *de Deo* loquimur ; (*et addidit aliam causam*), scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et *in cœlis* constituet vobiscum (*benevolentiæ causa addit vobiscum*), 13, 14, 15. Omnia enim **95** propter vos, ut gratia abundans *in fide*, per multos *credentes* in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei, *non ad contumeliam promerendam.* Propter quod (*quia suscitabit, constituit nos vivos; vel quia spiritum fidei habemus*) non deficimus; sed licet is qui fortis est, noster homo corrumpatur, *affligatur*, tamen is qui intus est renovatur de die in diem, *et subdit cur non deficit*, id enim, quod in præsenti est momentaneum (*singula singulis ; in præsenti ad sublimitatem ; momentaneum, ad æternum ; levis tribulatio, ad pondus gloriæ*), et leve tribulationis nostræ, *transitoria et levis tribulatio nostra*, supra modum, *supra humanam æstimationem*, in sublimitate æternum gloriæ pondus, *quod erit in futuro*, operatur in nobis, non contemplantibus, *non curantibus*, nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. *Reddit causam.* Quæ enim videntur temporalia sunt ; quæ autem non videntur æterna sunt.

CAPUT V.

Expositio superioris versus, vel probatio hoc modo. Scimus enim, *nam ingemiscimus*, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis, *id est corpus in quo habitamus*, dissolvatur, quod 1, 2. ædificationem, *immortale corpus*, ex Deo habemus, domum non *carnali* manu factam, *non temporalem*, sed æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiscimus (*id est, nullam domum suspirantes, ut ibi essemus, ingemiscimus eo quod nolumus exspoliari spiritualibus donis*), habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes, *eamdem enim carnem, quæ nunc est, in resurrectione habituri sumus; sed super eam immortalitate, incorruptione vestiemur.* 3. Si tamen vestiti, *quod superinduemur*, et non nudi *bonis operibus* inveniamur. 4. *Repetit, vel probatio a pari.* Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, *corpore*, ingemiscimus gravati **96** : eo quod nolu-

COMMENTARIUS.

9. *Mors in nobis operatur.* Dubium non est quia A in martyribus Christus occiditur. Unde vita qua resurrexit a mortuis Christus, mortali carni eorum præstabitur.

10. *Vita autem.* Hoc dicit, quia pro salute eorum morti subjiciebatur, habens eumdem spiritum, id est, communem cum illis, per quem fides firmatur, secundum quod scriptum est : *Credidi*, et quia credidit, audet prædicare hoc.

11. AUGUST. (*contra duas epist. Pel.*, c. 21, tom. VII.) *Habentes eumdem spiritum.* Quid est, eumdem spiritum, nisi quem justi quoque habuerunt, qui ista dixerunt ?

13. LANFR. *Eumdem spiritum fidei.* Quasi quis dicat : Cur patimini ? Quia, inquit, de Deo loquimur. Cur ergo loquimini ? Quia credimus in eum ; B omnes enim fideliter in eum credentes, loquuntur de eo ; scriptum enim de David, quia propter hoc locutus est, quia credidit. Quid inde ? Nos, inquit, habemus spiritum fidei, quem habuit David.

13. *Omnia propter vos.* Exponit quomodo constituentur in cœlis, omnia enim propter vos, ut vestro exemplo gratia, id est, fides vestra abundet cum gratiarum actione, et sic constituamini in cœlis.

14. AMBROS. *Omnia enim propter vos.* Apostolus persecutiones et pericula pati non timuit, ut plures crederent, et abundans Dei donum, non per paucorum gratiarum actionem minueretur ad contumeliam Dei; sed multis proficiens afflueret per multorum gratiarum actionem, ad gloriam Dei.

15. LANFR. *Omnia enim propter.* Omnia enim pro- C pter vos instruendos patimur, ut gratia, id est gratiarum actio, abundans actione gratiarum facta per multos, abundet in gloriam Dei. Quasi diceret : Ad hoc patimur ut exemplum patientiæ a nobis discatis, et Deo gratias referatis, et multi alii vobiscum.

CAP. V. — 1. AUGUST. (*expos. psal.* LXVIII, *in enar.*, I part. tom. VIII.) *Ædificationem ex Deo*, id est, immortalitatem præparatam nobis, qua induendi sumus in fine, cum resurrexerimus a mortuis. Et ait : *In quo nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita*, si fieri potest ; sic vellemus fieri immortales ut jam veniret ipsa immortalitas, et modo sicut sumus invitaret [*al.*, mutaret] nos ut mortale hoc nostrum absorberetur, non per mortem corpus puniretur, ut in fine iterum reciperetur. Quamvis ergo a malis ad bona transeamus, tamen ipse transitus aliquantum amarus est.

2. AMBROS. *Ædificationem.* Corpus immortale significat, cujus forma jam in cœlis est, in Domini corpore declarata.

3. *Si tamen vestiti*, id est, si exeuntes de corpore Christum induti fuerimus. In Christo enim baptizati, Christum induimus, sive Spiritu sancto erimus digni super promissa cœlesti gratia [*al.*, quem cum induti, sive Spiritu sancto dato nobis videbimus, erimus digni superindui promissa cœlesti gloria.]

4. *Nam qui sumus in tabernaculo.* Dicit nos gravatos passionibus corporis, postulationes ad Deum dirigere, ne simus nudi Spiritu sancto. Tunc enim superindui gloria poterimus, si exuti corpore, non despoliati a Spiritu sancto fuerimus ; ac sic absorbebitur mortale a vita, ne ultra possit mori, aut passionibus implicari ; non enim dicendum est absorberi a vita, quia ad hoc surgit ut pœnis arguatur [*al.*, agatur].

mus exspoliari, sed supervestiri, *simul cum Adam ;* ut absorbeatur, *id est fiat immortale*, quod mortale est a vita. *Diceret : Quis hoc poterit dare? Respondet :* Qui autem efficit nos in hoc ipsum, *ut immortalitate superinduamur, in præsenti sperando*, Deus *est*, qui dedit nobis pignus spiritus, *id est arrham, quia efficiet.* Audentes igitur *sumus*, semper et scientes semper quoniam dum sumus in corpore, 5. peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem, *id est, non per apertam visionem*) audemus autem *mori*, et bonam voluntatem (*et ne objiciatur hoc audere, et hoc velle, quia non potest non esse ; removet per hoc quod dicit, bonam voluntatem*), habemus magis 6. peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. 7. Et ideo, *ut simus præsentes*, contendimus, sive absentes, *a conspectu hominum, vel a Deo quantum in hoc mundo* sive præsentes *conspectui hominum, vel ante Deum*, placere illi. *Responsio.* Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, 8, ut referat, *rationem reddat, vel primum suscipiat,* unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Scientes ergo, *scilicet hoc*, timorem Domini hominibus suademus ; Deo autem, *quia terreno lucro non fecimus*, manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris, *quia pro terreno lucro non prædicamus*, manifestos non esse. (*Excusatio.*) Non iterum, ut *possitis contra pseudoapostolos gloriari super magisterio nostro, ideo* commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos, *quod eis respondeatis*, qui in facie gloriantur, *quorum gaudium est præsentia tantum hominum, vel quorum gloria est in tantum extra*, et non in corde *bene agere.* 9, 10. Sive enim mente excedimus (*id est, a Dei honore procedimus ; vel arcana divinitatis prædicando*) Deo; *ad laudem Dei.* 11. Sive 12. sobrii sumus, vobis, **97** *contemperantes condescendimus vobis mores vestros instruendo.* Charitas enim Christi urget nos, 13. æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt *consequitur quod omnes debent mori pro illo ;* 14. et pro omnibus mortuus est Christus, ut, et (*a simili*) qui vivunt, jam non sibi vivant, *pro eo moriantur*, sed ei, *ad honorem ejus*, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. 15. Itaque, *ergo quia surrexit*, nos 16. ex hoc neminem, *non* novimus

COMMENTARIUS.

5. *Peregrinamur a Deo.* Deus ubique est, sed quia sedes Dei in cœlis est, et illic semper videtur, ideo hic positi, ubi non videtur, peregrinari ab eo dicimur.

6. Lanfr. *Peregrinari a corpore.* Quia, inquit, non potest fieri ut ad Deum eamus corpore, eligimus magis separari a corpore, et præsentes esse ad Deum.

7. Ambros. *Et ideo contendimus,* id est, sive in hac vita positi, sive ante tribunal Christi præsentes placeamus ei.

8. August. (epist. 107. *Vitali Cart. de orando pro incredulis*, tom. II.) *Ut referat unusquisque.* Omnes astabimus ante tribunal Christi; ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ, si diutius viveret, gesturus foret, sive bonum, sive malum. Scimus etiam parvulos, secundum ea quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum vel malum. Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos qui pro illis respondentibus, et renuntiare diabolo dicuntur, et credere in Deum : Unde et in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* xvi).

9. August. (tract. 7 *in Evang. Joan.*, tom. IX). *Sive enim mente excedimus.* Quid est mente excessimus? Ut illa videamus quæ non licet homini loqui. Quid est temperantes sumus vobis? *Non,* inquit, *judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum.*

10. Lanfr. *Mente excedimus.* Mente excedere est in divina contemplatione esse, et hoc dicit se propter Deum, non propter laudem hominum facere.

11. *Sive sobrii sumus.* Sobrii erant apostoli, cum A ab illa altitudine cœlestis contemplationis discedebant ad ordinandam vitam subjectorum. Et hoc dicit se propter utilitatem subjectorum facere, non propter humanam gloriam.

12. *Sobrii sumus.* Pro vobis, inquit, facimus, quia de vobis quasi commendando nos, loquimur. Omnia enim propter vos facimus, quia sive mente excedimus, id est, profunda divinitatis prædicamus, et hoc ad laudem Dei ; sive sobrii sumus, id est, subditorum vitam, intermissa contemplatione divina, humana, contemperantes ordinamus.

13. *Æstimantes hoc.* Existimamus, inquit, quia si Christus pro omnibus mortuus est, et omnes homines mori debent pro honore illius.

14. *Et pro omnibus mortuus est Christus.* Ergo B quia Christus mortuus est pro omnibus, neminem approbamus secundum carnem viventem. Et si cognovit priusquam in Christum crederet Apostolus, secundum carnem novit eum, quia hominem tantum æstimabat.

15. *Itaque vos*, id est, quia Christus pro omnibus mortuus est, ut omnes pro honore illius moriantur. Ex hac consideratione neminem novimus, id est, approbamus secundum carnem viventem, et sua quærentem, et non quæ Jesu Christi.

16. August. (lib. ii *contra Faust.*, c. 7. tom. VI.) *Ex hoc neminem.* Itaque nos amodo neminem novimus secundum carnem. Sed quia illorum secum vitam futuram, tanquam præsentem meditabitur [*al.*, meditabatur], qui resurgentes commutabuntur. Amodo, inquit, neminem secundum carnem novimus, id est, tam certam spem tenemus futuræ nostræ incorporationis et immortalitatis, ut amodo jam in ipsa notitia gaudeamus.

secundum carnem *Christum mortalem, vel quia surrexit.* 17. Et si cognovimus (*Respon. jam non novimus tantum hominem ; etsi cognovimus opinione*) 18. secundum carnem Christum, *mortalem primo ;* sed nunc jam non novimus *mortalem, sed immortalem.* 19. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera, *id est vitia,* transierunt, *si Christus novus est immortalis, ergo vetera transierunt in nobis :* (*Surrexit, ergo non debemus vivere secundum carnem ; ergo vetera transierunt ; a pari, secundum carnem, et vetera sunt paria*) : ecce facta sunt omnia nova, *id est, quia facti sumus novi.* 20. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum ; et dedit, *postea commendavit* nobis ministerium reconciliationis, *prædicationem ad alios, poterat tunc reconciliare mundum per Christum.* 21. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, *non eis repensans secundum merita,* et posuit in nobis verbum reconciliationis, *prædicationem Evangelii.* Pro Christo ergo, *vice Christi,* legatione fungimur, *quia dedit nobis prædicare* tanquam, *id est vere,* Deo exhortante per nos. 22, 23. Obsecramus, *quia legati Christi sumus,* per Christo, *vice Christi,* reconciliamini Deo. 24. Eum qui non noverat peccatum, 25. pro nobis 26. peccatum fecit, *vel hostiam pro peccato,* ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

CAPUT VI.

Adjuvantes autem (*scilicet vos, vel Deum, ut in prima Epistola c.* III : Dei enim adjutores sumus,) exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei 1. recipiatis, *Christum passum, et salvare paratum, vel remissionem peccatorum, quam in vacuum recipit, qui se postea in bonis operibus non exercet.* 2. Ait enim : 3. Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile ; ecce nunc dies salutis. 4. Nemini dantes ullam offensionem, *id est, exemplum pravitatis, quod videntes offendere possit,* ut non vituperetur ministerium nostrum, *Christiana religio, doctrina apostolorum ;* sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros (*vel hortamur vos nemini dantes ullam offensionem vel prædicando, vel male vivendo*), in multa patientia (*habita scilicet in his quæ sequuntur*), in tribulationibus, in necessitatibus, *penuria,* in an-

COMMENTARIUS.

17. LANFR. *Et si novimus.* Priusquam in Christum crederet Apostolus, secundum carnem cognoverat eum, qui tantummodo hominem æstimabat.

18. AUGUST. (*Ibid.*, ante). *Secundum carnem.* Carnem namque hoc loco, non ipsam corporis nostri substantiam quam Dominus post resurrectionem suam, carnem appellat, dicens : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*; sed corruptionem mortalitatemque carnis vult intelligi, quæ tunc non erit in nobis, sicut jam in Christo non est.

19. (*Ibid.*, c. 8). *Si qua ergo.* Omnis ergo nova creatura, id est, populus innovatur per fidem, ut habeat interim in spe, quod in re postea perficiatur. In Christo habet etiam [*al.*, jam] quod in se sperat. Itaque vetera transierunt secundum spem, quia modo jam non tempus Veteris Testamenti, quo temporale et carnale regnum exspectetur a Deo : et facta sunt omnia nova secundum eamdem spem, ut regnum cœlorum, ubi nulla erit mors atque corruptio, promissum teneamus.

20. AMBROS. *Omnia autem ex Deo.* Quamvis nos Christus redemerit, omnia tamen ex Deo.

21. AUGUST. (*Enarr. in psal.* LXVIII, concio 1, tom. VIII). *Quoniam quidem Deus,* Deus, inquit, erat in Christo mundum reconcilians sibi, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis :* ut non solum Deus in illo esset, sed etiam ipse Deus esset.

22. AUGUST. (*Tract. 41 in Joann.*, ante med., tom. IX). *Obsecramus pro Christo. Obsecramus,* **Vos**, inquit, *pro Christo,* id est, tanquam vos Christus obsecret. Quid ? reconciliamini Deo.

23. AMBROS. *Obsecramus.* Ideo obsecrat, ne aliqua negligentia medicinæ gratia effectu careat, quoniam adest tempus, quo morbis mortalibus medicina possit infundi.

24. AUGUST. (lib. I *Contra advers. Legis et Proph.*, c. 14, tom. VI). *Eum qui non noverat.* Noverat enim per sapientiam, non noverat per experientiam.

25. AUGUST. (lib. *Ench. ad Laurent.*, cap. 14, t. III. *Pro nobis peccatum fecit.* Hoc est, sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse est ergo peccatum, ut nos justitia, nec nostra, sed Dei : nec in nobis, sed in Deo, sicut ipse fuit peccatum, non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum. Similitudinem carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit. Hæc est illa justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos ab eo facti.

26. LANFR. *Peccatum fecit.* Ordo : Deus Pater Christum peccatum, id est, hostiam pro peccato, ut nos efficeremur justificati in ipso, id est, in fide Jesu Christi.

CAP. VI. — 1. LANFR. *Gratiam Dei.* Gratiam Dei vocat remissionem peccatorum ; quam in vacuum recipit, quisque se in bonis operibus postea non exercet.

2. *Ait enim.* In Isaia sic loquitur : *In tempore placito exaudivi te ; et in die salutis auxiliatus sum tui.*

3. *Tempore accepto,* etc. Diceret quis : Est tunc aliquid gratia Dei? Est, quia exaudire Domini tempore accepto, et adjuvare est. Et hoc probat ab effectu, quia exaudit et adjuvat. Item hoc ab auctoritate : ipse enim dixit. Tempore accepto, etc.

4. AMBROS. *Nemini dantes.* Vigilantia sua omnem amputat offensionem, ne ministerium ejus vituperetur ; vituperaretur enim, si quæ doceret, operibus non compleret.

gustiis, *compedibus, vel aliis vinculis*, in plagis, in carceribus, 5. in seditionibus, 6. in laboribus, *voluntariis vel coactis*, in vigiliis, *similiter vel voluntariis, vel coactis*, in jejuniis: *exhibeamus nos, inquam*, **99** *Dei ministros* in castitate, in scientia, *legis et Evangelii*, 7. in longanimitate, *in exspectatione promissorum Dei, cum alacritate mentis*, in suavitate (*suavis erat, quia sicut arguebat, ita et blandiebatur*), in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis (*verbum veritatis in ejus doctrina, quia non aliud tradebat, quam a Deo acceperat*), 8. in virtute Dei, 9, 10, 11. per arma justitiæ 12. a dextris et a sinistris, *in prosperis et in adversis*, per gloriam (*exponit a dextris et a sinistris*) et 13. ignobilitatem; per infamiam et bonam famam, 14. ut seductores et veraces, sicut qui ignoti *putamur non nosci a Deo*, et cogniti *Deo*, quasi morientes, et ecce vivimus, *id est, libertati*, ut castigati, *a Deo, vel ab hominibus*, et non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia *ideo* possidentes. 15, 16. Os nostrum patet ad vos, *id est, multa loquimur vobis*, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, *vel in prædicando, vel in dando*. 17. 18. Non angustiamini in nobis; *exemplo nostri non estis avari;* angustiamini autem in visceribus vestris, *id est, a vobis accepistis illud vitium* : eamdem autem, *scilicet quam et nos homines*, habentes (*diasirtica locutione*) remunerationem (*ne putarent ironice dixisse addit*) 19. tanquam filiis dico, dilatamini et vos, *estote benigniores* Nolite jugum *avaritiæ* ducere cum infidelibus, *id est, nolite similes esse infidelibus*. Quæ enim participatio justitiæ (*qualitates pro qualibus*) cum **100** iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? 20. Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : 21. Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. 22. Propter quod, *quia templum Dei estis*, exite *mente* de medio eorum, et separamini, dicit Dominus : *nolite*

COMMENTARIUS.

5. *In seditionibus*. In tantum Deo devotus erat, ut nec seditio fiduciam, quam in Deo habebat, minueret.

6. *In laboribus*. Manibus enim laborabat, ne cui gravis esset.

7. Ambros. *In longanimitate*. Grandis animi erat in bajulandis infirmitatibus fratrum.

8. *In virtute Dei*. Virtus in eo erat, quæ per signa et prodigia idoneum se ministrum probabat.

9. *Per arma justitiæ*. Liberum se fuisse significat fidelibus et incredulis, dum his qui Evangelium gloriam, et eis qui ignobilitatem putabant, et his qui fidei bonam famam, et qui malam faciebant, integrum et constantem se præbuit

10. August. (*Enar. in psal.* xciii, tom. VIII). *Per arma*. Malitia enim iniquorum sinistra sunt arma justorum, sicut idem dicit : *Per arma justitiæ dextera et sinistra*, id est, per gloriam et ignobilitatem; atque ita deinceps cuncta exsequitur. Dextera arma demonstrans gloriam, bonam famam, veritatem, quod [*al.*, qua] cognoscebantur, quod videbant, quod non mortificabantur, quod gaudebant, quod multos ditabant, quod omnia possidebant. Sinistra vero, quod ignobiles et malæ famæ habebantur, quod seductores putabantur, quod ignorabantur, occidebantur, coercebantur, contristabantur, egere ac nihil habere videbantur.

11. Lanfr. *Per arma*. Per arma justitiæ si muniti in prosperis et adversis, et sive gloriosi sive viles, seu, infames sive bonæ famæ habeamur.

12. *A dextris et a sinistris*. Exhibeamus nos, scilicet Dei ministros habendos justitiam, quasi libram, ut non pendeamus in hanc partem, vel in hanc, id est, non frangamur adversis, nec elevemur prosperis.

13. *Ignobilitatem*. Per gloriam exhibeamus nos sicut Dei ministros, ne extollamur; et per ignobilitatem, id est vilitatem, si viles habiti simus, ne frangamur.

14. *Ut seductores*. Quasi diceret : Non est mirandum si vituperamur et laudamur, quia alii putant nos seductores, alii veraces, et alii cognoscunt, et alii nesciunt, et cætera quæ sequuntur.

15. *Os nostrum patet ad vos*. Redarguit avaritiam eorum, et dicit eos a se non accepisse tenacitatis exemplum, quia cor suum in dando amplum et dilatatum est.

16. Ambros. *Os nostrum patet ad vos*. Hoc libertatis causa loquitur, et puræ conscientiæ. Male [*al.*, mali] enim sibi conscia mens loqui trepidat, sensum perdit, in verbis errat.

17. *Non angustiamini*. Hoc, dicit, non erat magistris ascribendum, si discipuli male uterentur, quia quod pertineret ad magistros non tacuerit.

18. Lanfr. *Non angustiamini*. Id est, in nobis non videtis angustiæ et tenacitatis exemplum, sed hujus vitii fomes est in visceribus vestris.

19. *Tanquam filiis dico*. Ordo : Tanquam filiis dico habentes eamdem remunerationem scilicet, quam nos habemus.

20. *Vos enim estis templum*. Probat quia jugum ducere cum infidelibus, æquipollenter. Nullum templum Dei debet habere consensum cum idolis; vos autem estis templum, quia ipse habitat in vobis. Ipse enim dixit : Inhabitabo in vobis. Propter quod exite de medio eorum, id est, ergo nolite jugum ducere cum infidelibus. Utitur autem verbis prophetæ pro suis.

21. *Quoniam inhabitabo*. Et Joel sic dicit : *Ponam tabernaculum meum in eis, et ego ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus* (*Joel* ii, 27).

22 *Propter quod exite*. In Isaia sic legitur : *Recedite, recedite, exite inde; pollutum nolite tangere* (*Isa.* lii, 11).

jugum ducere cum infideli : 23. et immundum ne tetigeritis, *id est, ne commisceamini malis ; ecce fructus*, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.

CAPUT VII.

Has ergo habentes promissiones (*scilicet recipiet nos si immundum non tangamus*) charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, *id est, carnalis vitii, et spiritualis nequitiæ*, perficientes sanctificationem *nostri* in timore Dei, *id est, perficientes ea, quibus sancti efficiamur.* Capite nos *in exemplum per nostram admonitionem*. 1. Neminem læsimus *sicut pseudoapostoli subditorum bona devorando*, neminem *pravo nostri exemplo* corrupimus, neminem *adulando* circumvenimus. 2. Non ad condemnationem vestram dico, *non ideo dico ut aliquibus horum læsissetis, unde vos condemnem.* 3. Prædiximus enim quod 4. in cordibus nostris estis ad commoriendum, et ad convivendum, *quia diligo vos in tantum, ut vivere, et mori velim vobiscum, si fieri posset.* 5. Multa mihi fiducia est, apud vos, multa mihi gloriatio *apud alios* pro vobis, repletus sum *pro vobis* consolatione, superabundo gaudio *propter vos* in omni tribulatione nostra. Nam (*ostendit se tribulationem habuisse, nam in Macedonia, et Asia*) et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem [illegible] passi sumus, 6. foris pugnæ *ab infidelibus, vel in meo corpore*, 7. intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, 8. referens nobis vestrum desiderium, *videndi me*, vestrum fletum, *pœnitendo*, vestram 9. æmulationem pro me, *addiscentes charitatem, vel imitationem mei*, ita ut *ex missione Epistolæ, vel ex supra dictis*, magis gauderem. Quoniam et si contristavi vos in 10. Epistola *priore*, non me *modo* pœnitet ; etsi *prius* pœniteret, videns quod Epistola illa *prior* (etsi ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo, non, *sed non propter hoc*, quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. 11. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo, *quod* præcepimus 12, 13. detrimentum (*quin exsecuti estis*) patiamini, *scilicet detrimentum animæ in futuro*, ex nobis, *id est, ex nostris præceptis non adimpletis.* 14. Quæ enim (*responsio*) secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem, *æternam*, operatur ; 15 sæculi autem (*a contrario*) tristitia mortem operatur. 16. Ecce enim (*alia probatio per partes salutis*) hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, 17. quantam *maximam* in vobis operatur sollicitudinem *bene operandi, hoc est, salutem ; nam operatur sollicitudinem, quæ causa est salutis ; nec tantum hoc*, sed defensionem, *contra Deum : nec tantum hoc*, sed indignationem,

COMMENTARIUS.

23. AUGUST. (serm. 18 *De verb. Domini*, cap. 20). *Immundum ne tetigeritis.* Quid est tangere immundum, nisi consentire peccatis ? Quid est autem exire inde, nisi facere quod pertinet ad correptionem malorum ?

CAP. VII.— 1. AMBROS. *Neminem læsimus.* Pseudo enim apostoli nocebant illis, corrumpentes sensus illorum circumventione astuta.

2. LANFR. *Non ad condemnationem*, id est, non propterea commemoro, ut callide dicam vos fecisse, quod me fecisse nego.

3. *Prædiximus enim.* Superius dixit : *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus vestris.*

4. AMBROS. *In cordibus nostris*, id est, participes vult eos habere, et ad præsentes passiones pro Christo et ad futuram vitam.

5. *Multa mihi fiducia.* Fiducia hæc de primæ Epistolæ correptione est, quam quia non aspere susceperunt, fiduciam dederunt admonendi se.

6. *Foris pugnæ.* Pugnæ enim erant corpori, dum cædebantur ; animo timores. Illic enim timor, ubi intellectus est. Sed hic timor propter credentes, ne passione ejus scandalizarentur.

7. LANFR. *Intus timores.* A falsis fratribus ; vel, ne passio mea perterreret fratres, id est, metuens ne conversi noviter, videntes afflictionem nostram ad suum, id est, qui fuit Judæus, ad Judaismum, gentilis ad gentilitatem converterent.

8. AMBROS. *Referens nobis.* Nuntiavit Titus desiderium habere illos emendandi se, flere, quia peccaverunt, æmulationem habere pro Apostolo, quoniam addiscentes charitatem ejus erga se, cœperunt illum defendere contra adversarios.

9. LANFR. *Æmulationem*, id est, qualiter alter æmulatur desiderium alterius, ut me videatis.

10. *Epistola illa.* Ordo : Illa vos contristavit, etsi ad horam.

11. *Contristati enim.* Demonstratio de qua pœnitentia dicat ; est enim et mala pœnitentia.

12. *Detrimentum.* Detrimentum auditor ex prædicatione doctoris patitur, quando præceptis ejus inobediens existit, et priori peccato peccatum inobedientiæ addit.

13. AMBROS. *Detrimentum*, id est, ut omnia nostra effectum habeant in vobis, etiam quod contristavimus vos.

14. LANFR. *Quæ enim secundum.* Alia ratio quod secundum Deum contristati sunt.

15. *Sæculi autem tristitia.* Sæculi autem tristitia est dolere, quod sua tribuat, aliena non rapiat, et cætera in hunc modum.

16. *Ecce enim.* Alia ratio ejusdem rei.

17. AMBROS. *Quoniam in vobis.* Solliciti enim sunt, ne denuo peccent, et defendunt se ab infestatione dæmonum ; indignantur in se, vel in alios peccantes timent, quia peccaverunt, desiderant se reformare, et incipiunt pati zelum bonorum operum perficiendorum ; et quod deliquerunt, vindicant in seipsos.

de peccatis; nec tantum hoc, sed timorem Dei ; *nec hoc tantum*, sed *etiam* desiderium, *reformationis; nec hoc tantum*, sed *etiam* æmulationem *boni*, *nec hoc tantum*, sed *etiam* vindictam, *afflictionem peccatorum*. *Ergo quia hoc et hoc fecistis*, in omnibus *aliis bonis* exhibuistis vos, 18. incontaminatos esse negotio, *qui fornicatorem exclusistis*. 19. Igitur **102**, et si scripsi vobis, non *tantum* propter eum, qui fecit injuriam, *id est, qui uxorem patris accepit*, nec propter eum, qui passus est, *id est, patrem, cujus uxor ablata est*; sed, *scilicet scripsi*, ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis *de corruptione vestra* coram Deo, *ut placeat Deo* : 20. ideo, *quia incontaminati fuistis*, consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia *super vestra spirituali bona conversione* refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis; et si quid 21. apud illum de vobis gloriatus sum, *gloriando de vobis locutus sum, cum ipse viderit*, non sum confusus, *id est, mentitus*; sed sicut 22. omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est, et viscera ejus abundantius in vobis sunt, reminiscentis omnium vestrum obedientiam, *scilicet* quomodo cum timore *animi* et tremore *corporis* excepistis illum. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

CAPUT VIII.

Hortatur eos ad beneficentiam per exempla Macedonum. Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ est in Ecclesiis Macedoniæ (*collationem dicit, quam Macedones sanctis Jerusalem dederant*), quod in multo experimento, *usu*, tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, *id est, dum maxime pro Christo tribularentur, in hoc ipsum gaudebant*; et 1. altissima, *maxima, vel exaltans eos*, 2. paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum, *id est, largitatis, seu abundavit in divitem simplicitatem*: *hoc est, tam libenter dabat pauper ac si dives esset*, quia, *id est, testor illis*, secundum virtutem *eorum, id est, rei veritatem*, 3. testimonium illis reddo, et supra virtutem, *posse suum*, voluntarii fuerunt, cum multa exhortatione 4. obsecrantes nos gratiam (*scilicet quam daret sanctis qui sunt Hierusalem*), et communicationem ministerii, *administrationis*, quod fit in sanctos. Et non *tantum dederunt* sicut speravimus, sed semetipsos *per fidem* dederunt, primum Domino, deinde nobis, *ad faciendum quidquid vellemus*, per voluntatem Dei; ita 5. ut *hortarentur nos ad hoc, ut* rogaremus Titum ut **103-105** quemadmodum cœpit, ita et *prædicatione* perficiat in vobis, *vos, quales sunt Macedones*, etiam, *sicut alias*, gratiam istam *dandi*. Sed sicut in omnibus, *nec illum tantum rogavi, sed et vos rogo, ut in hac gratia abundetis sicut in omnibus* abundatis fide, et sermone et scientia *Evangelii*, et omni sollicitudine, insuper et charitate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis. Non quasi imperans dico, 6. sed, *scilicet dico*, per aliorum, *id est, Macedonum, vel aliorum sanctorum* sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium, *studium*, bonum comprobans, *probum faciens, et hoc debetis facere, et reddit causam*. 7. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. Et consilium in hoc do, *ut faciatis*, hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, *quod boni potestis*, sed et velle, *quod boni non potestis facere*, cœpistis ab anno priore; nunc vero et facto *illud velle* perficite, ut quemadmodum promptus

COMMENTARIUS.

18. Lanfr. *Incontaminatos esse in negotio.* In quo A vindicandum præcepit in eum qui uxorem patris accepit.

19. Ambros. *Igitur etsi scripsi vobis.* Ostendit magis scripsisse propter Ecclesiam : quia in uno male agente, multi confunduntur; et in uno contumeliam patiente, multi indignantur. Emendando ergo injustos, et pollutos sanctificando, et Ecclesias reconciliando, totius populi sollicitudinem in se habere demonstrat.

20. Lanfr. *Ideo consolati.* Et propter adventum Titi, et propter bonum studium vestrum.

21. *Apud illum de vobis.* Apud Titum gloriatus est Apostolus de Corinthiis, dicens eos benignos esse.

22. *Omnia de vobis*, id est, sicut vera locuti sumus B vobis de aliis, ita vera locuti sumus Tito de vobis.

CAP VIII. — 1. Ambros. *Altissima paupertas.* Cum tenues essent facultatum substantia, animus dives inventus est, ita ut et cum lacrymis offerrent, et sic cogerent accipi a se, quod accipiendum non videbatur : quia plus erat, quam poterat eorum substantia.

2. Lanfr. *Paupertas eorum.* Pauperes erant rerum terrenarum, sed divites simplicitatis et benignitatis.

3. *Testimonium.* Ordo : Testimonium aliis reddo, quia secundum virtutem.

4. *Obsecrantes nos.* Id est, precati sunt me, ut permitterem eos gratiam et communicationem facere de substantia sua, in hanc eleemosynam quæ fit in sanctos qui sunt Hierosolymis.

5. *Ut rogaremus Titum.* In tantum, inquit, largitate eorum provocati sumus, ut rogaremus Titum, ut sicut cœpit prædicatione et admonitione sua, perficiat in vobis gratiam, id est, largitatem istam.

6. Ambros. *Sed per aliorum.* Exhortatur ut penuriam patientibus mittant sumptus, et per eorum sollicitudinem, quam revelent, bonum animum suum ostendant.

7. Lanfr. *Scitis enim gratiam.* Quasi diceret : Propter amorem Christi libenter debetis largiri, quia ipse dives propter vos pauper factus est.

est animus voluntatis, ita sit *promptus animus* et perficiendi ex eo, *secundum id*, quod habetis. *Ecce cur acceptum est Deo, si sit voluntarie.* 8. Si enim voluntas prompta est *facere*, secundum id quod habet, accepta est *Deo*, non *tantum* 9. secundum id quod non habet. Non enim, *scilicet impero*, ut aliis sit remissio, *refectio ex nostris*, *ut vos deficiatis*, vobis autem tribulatio, 10. sed *dico ut* ex æqualitate. In præsenti tempore, 11. vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum *meritorum* abundantia vestræ inopiæ sit, *in futuro*, supplementum, 12. ut *nunc et tunc* fiat æqualitas, *sufficientia vobis et ipsis*, sicut scriptum est, *in Exodo* XVI : 13, 14. Qui multum, non abundavit, *scilicet collegit de manna*, *non plus habuit;* et qui modicum, non minoravit, *scilicet collegit*, *non minus habuit. Ita qui multum pecuniæ collegit in præsenti ut Corinthii, non solus habeat*, **106** *imo aliis impertiat. Ad hoc quod dixit rogavimus Titum.* Gratiam autem ago Deo, qui dedit eamdem *quam habeo* sollicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam *meam* exhortationem quidem *prius audiens libenter* suscepit, *et non tantum audivit*, sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, *Barnabam*, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias : non solum autem, *laus est in Evangelio, id est, non solum electus in prædicatione*, sed et ordinatus est ab Ecclesiis, *a fidelibus Ecclesiæ*, *id est*, *apostolis*, comes peregrinationis nostræ, *ut mecum ferat*, in hanc gratiam *collectionis*, quæ ministratur 15. a nobis ad Domini gloriam, *gratiam dico*, et destinatam *ad* voluntatem nostram, 16, 17. devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur, *portatur sanctis*, a nobis, *ut vacent Deo*, *in Domini gloriam. Ideo mittimus illos.* 18. 19. Providemus enim bona non solum coram Deo, *quod est si solus Apostolus pecuniam feret*, *non his forsitan crederetur*, *cum ipse nihil fraudaret*, sed etiam coram hominibus. Misimus autem cum illis et fratrem nostrum *Timotheum*, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse, nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa *habita* in vos, sive 20. pro Tito, qui est socius meus, et in vos adjutor, sive fratres

COMMENTARIUS.

8. AMBROS. *Si enim voluntas.* Quoniam Corinthii ad hoc opus provocantur, hoc eis indicitur, ut non plus tribuant quam possunt, ne plus forte offerentes coacti, non voluntarii, viderentur sine mercede futuri : quia qui coactus aliquid facit, mercedem non habet.

9. LANFR. *Secundum id quod*, etc. Vel ille dat secundum quod non habet, qui de quinque solidis, dat quatuor ; quod faciendum est illi, qui habet decem libras, vel hujusmodi. Diceret aliquis : Non valet si darent secundum quod habeant ; illi enim Macedones, plusquam posset eorum pati facultas, dederunt. Ad hoc respondet : Si enim, etc. Quod est : Qui vult dare secundum id quod habet, acceptus est Deo, non tantum ille qui vult facere ultra quam habet. Vel ita : Voluntas prompta facere ultra quam possit, secundum id quod vult, est accepta, non secundum quod potest.

10. AMBROS. *Sed ex æqualitate.* Non enim plus exigitur, quam sibi debent retinere, quia *diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum.*

11. *Vestra abundantia.* Id est, hi qui facultates habent, ministrent sanctorum inopiis, ut iterum illic sancti ubi sunt divites, et isti inopes, communicent his, quasi vicem rependentes ministerio illorum.

12. *Ut fiat æqualitas.* Hæc est æqualitas, ut, quia isti in hoc tempore ministrant sanctis, reddant [*al.*, reddantur] illis vices in futuro.

13. *Qui multum non.* Plus habent sancti in spe futuri sæculi quam hi qui hoc tempore videntur divites, et tamen æquabuntur illic utrique, ut sicut beneficio horum, sanctorum inopia sustentatur, ita beneficio sanctorum divites fiant hi in futuro sæculo, in quo videntur pauperes.

14. LANFR. *Qui multum.* Qui multum sæpe collegerat, id est, amplius quam gomorum non abundavit, id est, non plus habuit quam gomorum, et qui modicum scilicet collegerat, id est, minus habuit quam gomorum. In Exodo autem ita habetur : *Nec qui plus collegerat, habuit amplius* ; *nec qui minus paraverat, reperit minus.*

15. *A nobis ad Domini gloriam.* Ordo : A nobis destinatam, ad Domini gloriam, et ad voluntatem.

16. *Devitantes hoc.* Quasi diceret : Ideo misimus fratrem boni testimonii cum Tito, ne quis vituperet nos in hac Epistola (52), eleemosyna, dicens nos ex ea aliquid ad nostrum opus retinere.

17. AMBROS. *Devitantes hoc.* Ideo hoc subjecit, ne negligens circa curam sanctorum judicaretur, si segnius hoc ageret.

18. *Providemus enim bona.* Providet bona coram Deo, dum quod jubet Deus circa ministeria sanctorum, fieri docet coram hominibus, quia tales mittit ad hoc opus exhortandum, qui probitate sua non faciant eis scandalum.

19. LANFR. *Providemus enim.* Ideo, inquit, misimus eos, ne ministerium nostrum vituperetur, existimanda nos esse fures, postquam viderint tot bonos quibus accommodatur, vel propter hoc mittimus tot, ne dicamur negligere illud mittendo unum, et existimari esse fur, vel negligere illud ; bonum est nos evitare, ne simus causa malæ existimationis eorum ; et hoc est quod dicit : *Providemus enim bona*, etc.

20. *Pro Tito.* Dicit fratrem, quem mittebat, multam fiduciam habere in eis, quia Titum et alios apostolos bene tractaverunt.

(52) Epistola redundat, vel sane inter parenthesin.

nostri, apostoli Ecclesiarum (*forte quidam apostoli bona illorum referendo commendabant illlos*), gloria Christi, *quibus Ecclesiis glorificatur Christus. Quia tales sunt.* 21. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, et nostræ gloriæ pro vobis, *quia charitas eorum gloria est Apostoli*, in illos, *quos mittimus*, ostendite, *charitative recipite illos*, in faciem Ecclesiarum, *ut sitis exemplar.*

107 CAPUT IX.

Responsio. De receptione illorum scripsi vobis, et non de collatione : nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti, *superfluum*, est mihi scribere vobis. *Ecce cur.* Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones (*dicens Apostolus Macedones, Achaiam paratam dicit ut inde Corinthii parati inveniantur*). 1. Quoniam et Achaia parata est ab anno præterito, et *sic* vestra æmulatio provocavit plurimos. Misi autem *præfatos* fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, *id est, gloriati sumus de vobis apud vos*, evacuetur (*quod esset, si non parassent illud*) in hac parte, *in referenda communione*, ut (quemadmodum dixi) parati sitis, ne cum *ad vos* venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos, 2. erubescamus nos *de hoc quod gloriati sumus de vobis*, ut non dicamus vos in hac substantia, *collatione (quod esset, si non parassent illud). Et ne erubescamus vobiscum*, necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, 3. et præparent, *parari faciant a vobis*, repromissam benedictionem hanc (*dona pecuniæ*) paratam essse sic (*datam voluntarie*) quasi benedictionem, non tanquam avaritiam, *non invite datam.* Hoc autem dico, *quia avare non debetis dare, ideo quia :* Qui parce seminat, *avare dat*, parce, *nihil*, et metet; et 4. qui seminat, *hilariter dat*, in benedictionibus, *largitate*, de benedictionibus et metet. *Et propter hoc*, Unusquisque prout destinavit, *sive multum, sive parum*, in corde suo, *det* non ex tristitia, aut ex necessitate, *id est, coactione, sed hilaritate;* hilarem enim datorem diligit Deus. *Et ne timeatis deficere.* Potens est autem, *enim*, Deus omnem gratiam, *spiritualem corporalem*, abundare facere in vobis, (*ne quis diceret : Si darem quæ habeo, postea egerem, subjunxit. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere, id est, justificationem, et copiam rerum tribuere*), ut in omnibus semper omnem sufficientiam *corporis, et animæ* habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est *in psalmo* III : Dispersit, dedit pauperibus; 5. justitia ejus manet in sæculum sæculi. *Descripto pro descriptio.* 6. Qui autem administrat semen *quod det* seminanti, *danti;* et panem, *copiam rerum*, ad manducandum, *dato illo, vobis* præstabit, 7. et *ut aliis* 108 *subministrare possitis*, multiplicabit semen vestrum, et augebit (*repetitio*) incrementa frugum justitiæ vestræ; *bona opera quibus justificemini*, ut in omnibus (*repetitio*) locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo, *id est, ministerium nostrum, operante simplicitate vestra, operatur gratiarum actionem Deo.* Quoniam (*gratiarum actionem exponit*) ministerium, *id est, administratio dationis*, hujus officii, *simplicitatis vestræ*, 8. non solum supplet ea quæ desunt sanctis, *est supplementum inopiæ sanctorum*, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, *id est, propter hoc quod inopiam sanctorum suppletis, gratias agunt Deo multi*, per probationem, *propter laudationem*, ministerii hujus, *id est, nostræ operationis, et vestræ largitatis* (glorificantes) *per multos dico* Deum 9. in obedientia, *propter obedientiam quam habetis in Evangelio per prædicationem nostram*, confes-

COMMENTARIUS.

21 *Ostensionem.* In illis, inquit, quos vobis mittimus, ostendite quam charitatem habeatis, et quæ bona sit gloriatio vestra pro nobis.

CAP. IX. — 1. AMBROS. *Quoniam Achaia parata.* Post Macedonas, Achaiam dicit paratam. Deinde ut Corinthii fiant parati.

2. LANFR. *Erubescamus vos.* Si imparati, inquit, fueritis, nos verecundiam habebimus in hac substantia, id est, eleemosyna, vos forsitan non habebitis.

3. *Et præparent.* Ordo : Ut præparent benedictionem hanc repromissam paratam esse, sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam. Promiserant enim Apostolo quod ita præpararent eleemosynam, benedictio non avaritia [*forte* benedictione non avaritia].

4. AMBROS. *Qui seminat in benedictionibus.* Hic in benedictionibus seminat, qui bona voluntate spe futuræ retributionis hoc agit.

5. *Justitia ejus manet.* Justus est qui sibi soli non A detinet quod sit omnibus datum.

6. LANFR. *Qui autem administrat.* Id est, qui dat vobis unde eleemosynam faciatis, dabit unde post datam eleemosynam vos sustentare possitis. Nec propter hoc tamen remanebit, quando quidem semen multiplicet et fruges crescere faciat.

7. AMBROS. *Et multiplicabit.* Danti addit, ut eo amplius habeat unde largiri.

8. LANFR. *Non solum supplet ea.* Quatuor dicit fieri per administrationem hujus officii, id est, beneficii. Sanctis enim qui sunt Hierosolymis necessaria exinde ministrantur, et per multos alios, probantes hoc ministerium, gratiæ Deo referantur; et multi, exemplo Corinthiorum provocati, et illis sanctis qui sunt Hierosolymis et multis aliis plurima largiuntur, B ut et ipsos Corinthios videant, propter eminentem gratiam, quam habent, sedulo eos deprecantur.

9. *In obedientiam*, id est, quia dum Evangelium Christi vobis prædicaret, statim obedientes fuistis ad confitendum Christum.

sionis vestræ, *ad confitendum, vel ad Dei laudem, vel ad confitenda peccata vestra*, in Evangelium Christi, *scilicet abundat*, et simplicitate, *largitate*, communicationis vestræ in illos, et in omnes *abundat*, et in ipsorum obsecratione *facta* pro vobis, *ipsorum dico*, desiderantium, *diligentium*, vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. *Unde* gratias ago, *referimus*, Deo super inenarrabili, *id est, quod debet enarrari, vel enarrabili* dono ejus.

CAPUT X.

Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi (*contra eos agit, qui dicebant eum præsentem humiliter loqui; absentem vero minari : obsecrando per eam virtutem, quæ inter eos habere desiderat*), qui in facie quidem, *in præsentia vestra*, humilis sum (*ironia*) inter vos; absens autem confido in vobis, *confidenter criminor*. Rogo autem vos, *scilicet ut ita vivatis*, ne præsens 1. audeam 2. per eam confidentiam, *id est, fiduciam, scilicet veritatis*, qua *a vobis* existimor *absens* audere in quosdam; qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus, *id est, carnalia nos diligamus*. In carne enim ambulantes *sumus, id est, in carne existimus* (*non est hoc in malam partem*) non secundum carnem militamus, *id est, carnalia non diligimus*. 3, 4. Nam arma (*arma ideo dicit, quia repugnat vitiis*) **109** militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, *per Deum* (*metaphorice loquitur*) *contra munitiones, id est, sententias philosophorum iniquorum*. 5. Ad destructionem munitionum (*aerearum potestatum, militamus*), 6. consilia *contra Deum* destruentes, et omnem altitudinem, *superbiam*, extollentem se adversus scientiam Dei, et 7. in captivitatem redigentes, *id est, subtrahimus diabolo* omnem *prædestinatorum* intellectum, *intelligentem*, 8. in obsequium Christi, *ad obsequium Christi redigentes*, et in promptu, *statim*, habentes, *id est, parati sumus*, ulcisci, *punire*, omnem inobedientiam, *inobedientem*, cum impleta fuerit vestra obedientia, *id est, cum pars nostri obediens fuerit, vel perlata collatione vestra ad sanctos Hierusalem. Obedientia vestra, id est, mihi magis quam pseudo debetis obedire, et ab aliis cavere*. 9. Quæ secundum faciem sunt, videte, *eos qui in facie gloriantur, id est, pseudo, vitate*. Si quis *pseudo* confidit sibi Christi *Apostolum*, se esse, (*contra eos, qui se Apostolo præferebant, quia Christi se esse dicebant. Et Apostolus : Non ideo, inquit, sunt majores, quia ego sum Christi*), hoc cogitet iterum apud se : quia sicut ipse Christi est, ita et nos, *et non ideo majores*. 10. Nam et si amplius *quam Christi me esse* aliquid gloriatus fuero, *scilicet*, de potestate nostra, (*de apostolatu nostro*) quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, 11. non (*effectus pro causa*) erubescam, *id est, verum dicam*. Ut autem 12, 13 non existimer tanquam terrere vos per Epistolas, *non existimer ego a vobis, quod velim tantum terrere vos, comminando vos per Epistolas*; (*per parenthesim usque*, hoc cogitet) quoniam quidem Epistolæ *nostræ*, inquiunt, graves sunt, *ad intelligendum*, et fortes, *ad exsequendum*, præsentia autem corporis *mei* infirma, et sermo *meus* contemptibilis ; hoc cogitet, qui ejusmodi est, *qui hoc dicit*, quia quales sumus verbo per

COMMENTARIUS.

CAP. X. — 1. LANFR. *Audeam*. Ordo : Audeam in quosdam ; id est, aliquid molestiæ inferam quibusdam vestrum. A

2. AMBROS. *Per eam confidentiam*. Confidentia itaque fiduciam severitatis significavit, quam in Epistola tantum habere putabatur; et ideo commonet ne eadem severitate præsens utatur, sicut non sperabant.

3. *Nam arma militiæ*. Arma ideo dicit quia repugnant vitiis.

4. LANFR. *Arma militiæ*. Arma militiæ Christianæ sunt virtutes, quæ potentes sunt auxilio Dei, ut destruant munita diversis calliditatibus consilia adversariorum, sive hominum, seu dæmonum.

5. AMBROS. *Ad destructionem*. Arma spiritualia fides est incorruptæ prædicationis, per quam vincit munitiones, id est, principes et potestates nequitiæ, quæ se extollunt et armant in fidelium animos ad contradicendum Christo. B

6. LANFR. *Consilia destruentes*. Superiori sententiæ conjungitur, non secundum carnem militamus.

7. AMBROS. *In captivitatem*. Captivat intellectum, dum contradicentem rationem vincit, et ad fidem Christi humilem et mansuetum inducit.

8. LANFRANCUS. *In obsequium. In* pro *contra* intelligi potest, ut sit sensus : Captivantem intellectum ad obsequium Christi vel intellectum, qui est contra obsequium Christi ; id est, diligenter considerate opera eorum qui in conspectu vestro tantum bona agunt, ne forte vos seducant.

9. AMBROS. *Quæ secundum faciem*. Nunc vult eos quæ palam sunt considerare, id est, ea quæ dicturus est, quia aperta sunt, dijudicare.

10. LANFR. *Nam etsi amplius*. Quasi diceret : Possem dicere : Apostoli sumus, et plus nobis obedire debetis.

11. *Non erubescam*. Merito erubesceret, si se Apostolum diceret, et non esset.

12. AMBROS. *Non existimer*. Ipse potest videri terrere per Epistolam, quia [*al.*, qui] neque auctoritatis alicujus est, neque præsens fiduciam habeat arguendi.

13. LANFR. *Non existimer*. Hoc dicit occasione illius sententiæ, quam superius dixit, parati ulcisci omnem inobedientiam, ut, inquit, non existimer a vobis tanquam terrere quod minor implere, sciatis quod minor dictis implebo factis.

Epistolas absentes, *comminantes*, tales *erimus* et præsentes in facto, *id est, sicut in Epistolis nos facturos comminamur, si* [illegible] *venientes ad vos nisi correpti, actu ipso exsequemur.* 14. Non enim audemus (*remotio*) inserere, aut comparare nos quibusdam, *pseudo*, qui seipsos commendant, *non metientes se, sed ultra quam sint jactantes ;* 15. sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes *sumus*, et comparantes nosmetipsos nobis. 16. Nos autem non in immensum, *id est, non ultra vires*, gloriabimur, *id est, inde tantum gloriamur, quod prædicatione nostra vos convertimus*, sed 17. secundum (*pro auctoritate posuit*) mensuram regulæ (*regiminis*) qua mensus est nobis Deus, *scilicet gloriamur, secundum* mensuram *dico* 18. pertingendi *prædicando* usque ad vos. Non enim 19. quasi non pertingentes ad vos, *ultra vos*, superextendimus nos : usque ad vos enim pervenimus in Evangelio, *prædicatione*, Christi. Non in immensum gloriantes (*dicendo nos prædicasse, quibus non prædicavimus*) in alienis laboribus, *in aliorum prædicatione :* spem autem habentes, *habemus crescentis* fidei vestræ *ut crescat fides vestra*, 20. in vobis magnificari, *id est, quod in vobis magnificabor*, 21. secundum regulam nostram 22. in abundantiam, *in spe habens abundantiam ; id est, spem habemus, quia etiam aliis præter vos prædicabimus*, 23. etiam in illa *loca*, quæ ultra vos sunt, evangelizare, 24, 25. non (*remotio*) in aliena regula, *in aliorum prædicatione*, in iis quæ præparata sunt, *prædicata ab aliis*, gloriari, *et hoc ideo, quia gloriatur*, etc. *vel et ita gloriari, ut qui gloriatur*, etc. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur, *non in se, vel in alio.* 26. Non enim qui seipsum commendat, 27. ille probatus est ; sed quem Deus commendat, *illos gloriantes.*

CAPUT XI.

1. 2. Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ, *jactantiæ*, meæ ! sed et supportate me, *dixi utinam ! optative, sed nunc præcipiens dico : supportate, quod debetis facere :* 3, 4. æmulor enim vos Dei æmula-

COMMENTARIUS.

14. *Non enim audemus.* Inserit et comparem se A facit aliquibus, qui opera eorum imitantur. Non, inquit, volumus imitari eos, qui seipsos commendantes adulantur vobis ; sed bona vestra laudamus ; mala punimus. Quales verbo, tales et facto.

15. *Sed ipsi in nobis.* Metientes sumus nosmetipsos, id est, conscientiis nostris comparantes nosmetipsos nobis, id est, nostris operibus, viribus, ne plus, vel aliud dicamus, vel conemur quæ facere possimus, vel debeamus.

16. *Nos autem non in immensum.* In tantum, inquit, gloriabimur, ut vestros esse apostolos nos dicamus ; hæc est enim mensura gloriæ nostræ quam mensus est nobis Deus.

17. *Secundum mensuram regulæ.* Exponit quo- B modo intelligendum sit quod superius dixit : in immensum gloriabimur.

18. *Pertingendi usque ad vos.* Mensura nostræ prædicationis pertingit usque ad vos, id est per mensuram prædicamus, quia invasionem non facimus. Et hoc est quod dicit : *non enim*, etc.

19. *Quasi non pertingentes.* Si alii ante hunc Apostolum in prædicatione Corinthiorum laborassent, et iste se eorum Apostolum vocasset immensum, id est, ultra modum gloriari videtur.

20. Ambros. *In vobis magnificari.* Magnificari se credit apud Deum, si augeantur in fide auditores illius.

21. Lanfr. *Secundum regulam.* Regulam hic vocat regimen, secundum hoc, inquit, quod vos regimus, a vobis, id est, per vos a Deo magnificamur. C

22. *In abundantiam.* In abundantia autem dicit, vel quia hæc prædicatio super prædicationem apostolorum abundavit, vel quia in ea erat abundantia donorum Dei.

23. *Etiam in illa quæ ultra.* Spem hanc, inquit, habemus evangelizandi fidem Christi in illa loca quæ ultra nos sunt.

24. *Non in aliena regula.* Non, inquit, spem habemus gloriari in aliena regula, in his videlicet locis quæ præparata, id est, evangelizata ab ipsis apostolis.

25. Ambros. *Non in aliena regula.* Non audet in hos qui aliis prædicantibus crediderunt, nec in alienis laboribus videtur gloriari ; sed per hoc nititur ut eis prædicaret quibus non erat [*sup.* annuntiatum Evangel.], ut gloriam suo labore acquirat ; gloriam autem Domino dandam significat dicens : *Qui gloriatur in Domino glorietur.*

26. *Non enim qui seipsum commendat.* Verum est quia illum Dominus commendat ; et ille probatus est, quem dignum habet ac mittit ut prædicet domum ejus. Quem autem non mittit, non illum commendat. Ipse autem se commendat, quia [*al.*, qui] non missus prædicat.

[illegible] 27. Lanfr. *Ille probatus est.* Non in alienis sed in Domino volumus gloriari, quia omnis qui gloriatur in Domino, debet gloriari ; quia non in se nec in alio ; in se vel alio non, quia qui sic agit non probatur a Deo.

CAP. XI. — 1. Lanfr. *Utinam sustineretis!* Utinam, inquit, sustinere velletis, id est, audire quomodo me commendo, quod videtur insipientia ! Et si ego refero vos debetis audire ; et subditur : Æmulor enim vos, etc.

2. Ambros. *Utinam sustineretis!* Incipiens se laudare insipientem se dicit, quia scriptum est : *Non laudent te labia tua, sed proximi tui* (*Prov.* XXVII).

3. *Æmulor enim vos.* Quæ locutus est, amore eorum se dicturum ostendit, ut non magis ad laudem ejus proficiat ; sed ad horum profectum, ut discant quemadmodum parenti suo in Evangelio faveant.

4. Lanfr. *Æmulor enim vos.* Æmulatio est motus mentis propter alienum statum. Rogat ergo ut patienter ferant reprehensionem suam, quia ipse circa

tione, *quia diligo vos*, *vel si conturbo vos*, *bono animo facio*, *ut vos exhibeatis castos*, *id est*, *incorruptos Christo, cui vos despondi.* 5, 6. Despondit enim vos uni viro virginem (*virgines vult eos esse in fide*) castam, *non colentem idola*, exhibere Christo. *Sed tamen* 7. Timeo autem ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur *pseudo* sensus vestri et excidant a simplicitate, *benignitate*, quæ est in Christo, *vel in iis quæ sunt Christi. Quod pati non debetis.* 8, 9. Nam si is qui venit, alium *majorem* Christum prædicat quem non prædicavimus, aut alium *majorem* Spiritum accipitis quem non accepistis aut aliud *dignius* Evangelium quod non recepistis, recte pateremini. Existimo enim nihil me minus fecisse 10 a magnis apostolis, *Petro*, [illegible] *Barnaba*, *et cæteris*; 11. nam et si imperitus sermone, sed non scientia. *Id est*, *scienter egi.* 12. In omnibus autem manifestati sumus vobis. Aut 13. nunquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos *in fide* exaltemini ? Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis ? Alias Ecclesias exspoliavi accipiens stipendium ad ministerium vestrum, *id est prædicationem vestram.* Et cum essem apud vos et egerem, nulli, *aliquid rogando*, onerosus fui; 14. nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia; et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo *ne putarent quod amodo aliquid vellet sumere. Jusjurandum.* Est veritas Christi in me, quoniam hæc *non accipiendi* 15. gloriatio non infringetur in regionibus Achaiæ. *Dicebatur enim timore non valendi convertere, non dilectione abstinere.* Quare *non infringetur?* Quia non diligo vos? Deus scit *quia vos diligo.* Quod autem facio, *id est*, *non accipio*, et faciam, *scilicet ideo facio*, ut amputem occasionem *gloriandi* eorum, *pseudo*, qui volunt occasionem (*gloriandi in eo*, *quod nihil prædicando accipiunt*), ut 16, 17. in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos. *Responsio*, 18. Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum, *si ministri hoc faciunt;* ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo (*conclusio a simili*) magnum, si ministri ejus transfigurentur, velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera

COMMENTARIUS.

opera eorum movetur eo motu qui secundum Deum est. Est enim in aliis motus, qui invidia dicitur.

5. AUGUST. (lib. 83 *Quæst.*, quæst., 59, tom. IV). *Despondi enim vos.* Nunc desponsata Ecclesia est, et virgo est, ad nuptias perducenda, id est, cum se continet a corruptione sæculari. Illo autem tempore nubet, quo universa mortalitate prætereunte [*al.*, in eo pereunte], immortali conjunctione fruetur.

6. LANFR. *Despondi enim vos.* Causa cur eos æmuletur, quia videlicet annulo fidei desponsavit eos uni viro, scilicet, Christo, ut exhibeant seipsos castam virginem sibi.

7. AMBROS. *Timeo autem.* Ostendit qua causa cogitur vera de se prostestari, non ut se laudet, sed ut eos deformet, qui sub nomine Christi contra Christum prædicant. Hoc enim agit, ne audiantur seductores, quos diabolo comparat propter astutiam.

8. *Nam si is qui venit.* Loquitur hoc loco de veris prædicatoribus, quia plebs Corinthiorum variis erroribus fluctuabat. Nam alii pseudoapostolis, alii apostolis favebant qui cum Domino fuerant, de quibus Apostolus ait : Si potior Christus ab his vobis prædicatus fuisset, aut potior Spiritus datus, recte nobis eos præponeretis.

9. LANFR. *Nam si is qui venit.* Si is, inquit, prædicator qui venit et a Deo non mittitur, aliam fidem prædicaret nobis, et per eam fidem alium Spiritum acciperetis, utcunque tolerabile esset, si ejus damnationem pateremini; possetis enim dicere : Prædicatio ejus melior est quam Pauli. Nunc vero, cum eamdem fidem prædicant, et ex sua parte plura respuenda addant, pati non debetis; et hic incipit exponere illud: *Modicum insipientiæ*, de quo superius dixit.

10. *A magnis apostolis.* A magnis, quanto magis ab his qui nihil sunt? *Imperitus*, vel humilitatis causa hoc dicit, vel ut quidam dicant, impeditæ fuerit linguæ; scientiam enim causam fuisse dicit quod tanta operatus sit.

11. AMBROS. *Nam et si imperitus.* Hoc non ad apostolos pertinet, sed hos tangit quos præferebant Corinthii, causa accurati sermonis, cum in religione vis sermonis necessaria sit, non sonus dulcis.

12. LANFR. *In omnibus*, etc. Omnibus vobis manifestus sum quod in omnibus, licet imperitus sermone, scienter me habui, quia non peccavi in hoc quod me humiliavi, vel quod gratis prædicavi, id est, non capiens a vobis sumptus, dum prædicarem. Et hoc probat ; nam ab aliis, inquit, Ecclesiis tantum capiebam stipendium, dum vobis prædicarem.

13. AMBROS. *Nunquid peccatum.* Seipsum humiliat, cum id quod sibi debebatur non exegit.

14. LANFR. *Nam quod mihi deerat.* Quasi aliquis diceret : Unde ergo vivebas ?

15. AMBROS. *Hæc glorificatio non infringetur.* Gloria est a licitis abstinere, maxime ad aliorum salutem.

16. *In quo gloriantur.* Gloria pseudo apostolorum in pecuniis erat accipiendis. Ideo Apostolus hoc refutavit, ne illis similis videretur, quia nisi hoc ab Apostolo fuisset vitatum, major occasio illis fuisset data accipiendi.

17. LANFR. *In quo gloriantur.* Ideo, inquit, non accipio, ut in quo gloriantur, id est, in accipiendo, inveniantur nobis similes cum nos quoque nihil capiamus. Vel ideo non accipio, quia quidam prædicatorum sine stipendio prædicabant mendacium, ut religiosi viderentur, et se nobis præferre possint.

18. *Nam ejusmodi pseudoapostoli.* Reddit causam, cur quidam illorum sine stipendiis prædicarent. Per hoc, inquit, transfigurant se in apostolos lucis, seu Christi.

ipsorum, *id est, malus*. 19, 20, 21. Iterum dico, (ne quis me putet insipientem esse ; 22. alioquin, *si glorier*, velut insipientem accipite me, (*ac si dicat : si vultis, me insipientem putate*, [redacted] *ego tamen gloriabor*) 23. ut et ego modicum quid glorier) (*modicum hoc dicit, quod in verbis non sensu est*) : 24. quod loquor, *me gloriando*, non loquor secundum Deum, sed quasi 25. in insipientia 26 in hac substantia gloriæ. *Causa cur glorietur*. Quoniam multi *pseudo* gloriantur secundum carnem, et ego *non secundum carnem* gloriabor, *quod ferre debetis*. 27. Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. *Vel vere, vel ironice*. Sustinetis enim (*quia hunc et hunc sustinetis*) si quis vos in servitutem redigit *docens vos judaizare, vel supponens vos suo servitio*, 28. si quis devorat, *vestra accipit*, 29, 30. si quis accipit, *decipit adulando* (*accipere est dolo capere*), si quis extollitur, *jactando*, 31, 32, 33. si quis in faciem vos cædit (*in faciem cæditur in cujus os injuria irrogatur*) *vel corporaliter*. 34. Secundum ignobilitatem dico, (*si quis extollitur*, etc.) quasi non infirmi, *non habentes quibus gloriemur*, fuerimus (*cum potentiores simus ea facere quæ faciunt*) in hac parte *gloriandi*. *Ostendit se habere quibus glorietur*. In eo quo quis *pseudo* audet *gloriari* (in insipientia dico) audeo et ego ; Hebræi sunt, et ego ; Israelitæ sunt, et ego ; semen Abrahæ sunt, et ego ; ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico) (*in hoc quod plus dico, minus sapiens fio*) plus ego : (*et plus etiam ego minister Christi ; et hoc probat, quia in hoc, et in hoc*) in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis 35. quinquies, quadragenas *percussiones* una minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, *insecutus lapidibus*, ter naufragium (*volentibus Judæis demergere*) feci, *pertuli*, 36. nocte et die (*dum duceretur Romam*) in profundo maris fui, *appellato Cæsare*, [redacted] in itineribus sæpe, (*multa pertuli*, periculis fluminum *subjacui*, periculis latronum, periculis ex genere, *Judæis*, periculis ex gentibus, *paganis*, periculis *subjacui* in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, *me prodere volentibus* ; in labore, *corporis fui*, et ærumna *famis*, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, præter illa, quæ extrinsecus sunt, *præter cætera quæ passus sum in carne*, instantia mea (*studium, vel incursus mentis*) quo-

COMMENTARIUS.

19. AMBROS. *Iterum dico*. Semper proponit quod postea multis prosequatur.

20. LANFR. *Iterum dico*. Superius dixit : *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ!* scilicet commendationem sui quæ indiscrete facta insipientia dicitur. Iterum dicit, ne quis putet eum insipientem, cum hoc non pro se, sed ad illorum ædificationem faciat ; alioquin si volunt, putent, dum ipse glorietur, tamen ad ædificationem.

21. *Iterum dico*. Item, inquit, et sæpe narro vitia illorum, ne quis audiens me redarguere illos, putet insipientem.

22. *Alioquin velut*. Concessio adversæ partis, quæ tunc competenter fit, quando concedenti non est nocitura.

23. AMBROS. *Ut ego modicum*. Modicum dicit, quia in verbis non in sensu est.

24. *Quod loquor*. Secundum Deum non loquitur, quia ad carnis tumorem hæc pertinent ; nec de inflatione apud Deum surgit gloria, quia apud Deum humilitas gloriosa est.

25. LANFR. *In insipientia*. Insipientia esset, si sponte gloriaretur ; sed quia coactus, quasi in insipientia dicit.

26. *In hac substantia*, id est, in hoc genere gloriæ quæ fit secundum insipientiam.

27. *Libenter enim*. Causa cur contra fallacium prædicatorum gloriam velit gloriari, quia videlicet Corinthii libenter ferebant insipientiam illorum, cum quidam ipsorum in verbo Dei sapientes essent.

28. AMBROS. *Si quis devorat*. Contenti erant devorari res suas a falsis doctoribus.

29 LANFR. *Si quis vos in servitutem*, id est, carnales observantias legis, quæ servili timore impleri faciebat dicens : Si quis hoc, vel illud fecerit, morte moriatur.

30. AMBROS. *Si quis vos in servitutem*. Redigebantur in servitutem per stultitiam, ut famularentur pseudoapostolis.

31. *Si quis in faciem*. In faciem cæditur in cujus os injuria irrogatur. Nunc hos significat qui, eo quod essent ex genere Abrahæ, obtrectabant eis quod essent incircumcisi. Unde sequitur : *Secundum ignobilitatem dico*.

32. AUGUST. (lib. I *De sermone Domini in monte*, c. 19, tom. IV). *Si quis in faciem*. Quid sit in faciem cædi? hoc est contemni et despici. Quod quidem non ideo dicit Apostolus ut illos non sustinerent, sed ut se magis qui eos sic diligeret ut seipsum pro eis vellet impendi.

33. LANFR. *Si quis in faciem*. In faciem cædere est præterita mala ad memoriam revocare.

34. *Secundum ignobilitatem*. Viriliter, inquit, dico quasi impotentes (vel intentiores) fuerimus, id est, facere ; magnificentius enim possem dicere : quasi nos potentiores non fuerimus quæ faciunt facere.

35. *A Judæis quinquies*. Quinquies verberatus fuit, et in unaquaque percussione corrigia nodata quadraginta percussiones sustinuit, una minus, quaque vice. Vel quadragena vocatur ipsum flagellum quadraginta corrigiis confectum, cum quo quinquies se dicit percussum, corrigia omni vice retenta, sic enim lex misericorditer fieri præcipiebat.

36. AMBROS. *Nocte et die*. Hoc factum est, cum missus esset Romam, quia appellasset Cæsarem, sic

tidiana *fuit*, sollicitudo omnium Ecclesiarum. *Per parenthesim.* 37. Quis infirmatur, et ego non infirmor? *condolendo.* Quis scandalizatur, et ego, non uror? Si gloriari oportet: *Si cogas me gloriari amplius*, quæ infirmitatis meæ sunt *vera dicam, quæ infirmitas mea passa est, nihil confingens*, gloriabor. *Jusjurandum per parenthesim.* Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior, *in his quæ sequuntur.* Damasci præpositus gentis Aretæ regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet; et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.

CAPUT XII.

Si *amplius* gloriari oportet *coactione vestra* (non expedit quidem, *scilicet gloriari*): veniam autem 1. ad visiones, et revelationes Domini. *De se quidem agit coactione.* Scio hominem in Christo, *Christianum*, ante annos quatuordecim, *jam præteritos*, (sive in, *cum*, corpore, sive extra corpus, *in exstasi*, nescio, *sed* Deus scit) 2. raptum hujusmodi *Christianum* usque ad tertium cœlum. Et scio (*bis se motum dicit*) hujusmodi, *fidelem* hominem, (sive in corpore, sive extra corpus nescio, *sed* Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini, *vel sibi, vel visionibus, vel alicui auditori*, loqui. 3. Pro hujusmodi gloriabor; pro me autem, *id est, pro mea virtute, quæ nihil est*, nihil **115** gloriabori, 4. nisi in infirmitatibus meis. *Potes tu gloriari in infirmitatibus? Responsio.* 5. Nam, et si voluero gloriari, non ero *prorsus* insipiens; *ecce cur:* veritatem enim dicam, *possem quidem gloriari secundum visiones, sed* parco autem, 6. ne quis me existimet *dicere* supra id quod videt in me, *id est, tam vilem personam, vel tam incomposite loquentem, in cœlum nunquam esse raptam,* aut aliquid audit ex me. *Hæc mihi a Domino collata sunt.* 7. Et ne magnitudo revelationum, *magnæ revelationes*, extollat, *extollant*, me, *superbire faciant*, datus est mihi *a Domino* stimulus carnis meæ, *vel infirmitas capitis, vel stimulus ventris, vel tribulationes*, 8. angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod (*colaphizare*) ter Dominum rogavi, ut *stimulus ille* discederet a me; et dixit mihi *Dominus:* 9. Sufficit tibi gratia mea: 10. nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur, *ut virtus perficiatur*, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod, *ut perficiatur virtus, vel habitet*, placeo mihi in infirmitatibus meis, *id est, placent mihi hæ infirmitates*, in contumeliis, in necessitatibus *rei familiaris*, in persecutionibus, in angustiis *carcerum*, pro Christo *illatis mihi:* 11. cum enim infirmor, tunc potens sum, *infirmitas est mihi potentia, et per-*

COMMENTARIUS.

scriptum est in alio loco: Ita ut desperaremus (*al.*, A tæderet] nos etiam vivere (*II. Cor.* I).

37. Lanfr. *Quis infirmatur.* Hoc et alterum quod sequitur, interea computanda sunt, quia [*f.*, quæ] extrinsecus ponuntur.

CAP. XII. — 1. Lanfr. *Ad visiones et revelationes.* Si hæc non sufficiunt ad gloriationem majora subjungam, quod non est, id est, quod stultum est; ideoque tacet sui nomen, dicitque simpliciter se scire hominem cui hæc facta sunt, et sic removet sponte gloriari; et si gloriatur pro hujusmodi, id est, secundum quod homo ipse habet has visiones a Deo, et non a se, pro se autem licet glorietur, secundum ea quæ patitur, gloriatur.

2. Ambros. *Raptum hujusmodi.* Significat supra firmamentum, in tertium numero cœlum de spiritualibus cœlis raptum semetipsum. B

3. *Pro hujusmodi.* Pro hujusmodi homine, id est, tam dignus est Deo ut hoc experiretur, gloriari se dicit, et non vult aperte dicere quia de se loquitur, ne laudare se videatur.

4 Ambros. *Nisi in infirmitatibus.* In infirmitatibus, inquit, gloriabor. Exponere enim pressuras passionum et infirmitates angustiarum, non videtur gloriosum, sed flebile. Idcirco se in his gloriari dicit.

5. Lanfr. *Nam si voluero gloriari.* Non gloriabor nisi pro his quæ Deus concessit posse, et nisi factis; et hoc est quod dicit: *Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens.* Insipiens aliquis de suis gloriatur, alius de fictis. Sed de fictis non gloriabor, veritatem enim dicam.

6. Ambros. *Ne quis me existimet.* Ne quis me existimet, inquit, ultra gloriam meam tendere quam limes meritorum admittit.

7. *Et ne magnitudo.* Hoc remedium datum est Apostolo, ut injuriis pressus animo non posset extolli magnitudine revelationum, ne otiosum pectus rei esse haberet in his quæ viderat, extolli.

8. August. (*Expos. psal.* CXXX). *Angelus Satanæ.* Ne extolleretur tanquam juvenis, colaphizatur tanquam puer; et a quo? Ab angelo Satanæ. Quid est hoc? Dolore quodam corporis trahitur, exagitatur vehementer. Dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis Satanæ; sed hoc non possunt nisi permissi. Nam et sanctus Job sic probatus est.

9. Ambros. *Sufficit tibi.* Responsum sibi dicit ut sufficeret sibi gratia Dei, quia vires tolerandi addebantur. Unde gloriandum subjungit, quando injuriis humiliatur, a Christo autem virtus tolerandi adhibetur.

9. Lanfr. *Sufficit tibi gratia mea*, id est, sufficere tibi debet gratia mea, id est, hæc infirmitas quæ ideo tibi do ut virtus tua probetur, et ita coroneris; omnis enim virtus per infirmitatem probatur.

10. *Nam virtus in infirmitate.* Perfectam virtutem dicit esse, quæ habet infirmitatem contrariam, cum qua legitime certet, ut postea coronetur.

11. Ambros. *Cum enim infirmor.* Verum dicit,

fectio. Factus sum insipiens *gloriando*, (*iterum removet, quod non sponte gloriatur, cum ideo se stultum, et coactum se dicit*), vos *commendare* me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari; 12. nihil enim (*reddit causam*) minus fui ab iis (*a bonis apostolis qui pretiosissimi vindicabantur, et multum esse supra eum*), qui sunt supra modum apostoli, (*quantum ad opinionem quorumdam;* 13. tametsi nihil sum, *illi quidem multum, ego nihil, ut quibusdam videtur.* Signa tamen apostolatus mei, *indicia quæ ad apostolum pertinent*, facta sunt super vos, *quibus debueram commendari*, in omni patientia, in signis, *in præsenti*, et prodigiis, *in futuro*, et virtutibus, **116**, *miraculis.* 14, 15. Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos, *vestra accipiendo?* 16. Donate (*ironice*) mihi hanc injuriam, *quia vestra non accepi.* 17. Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos, et 18. non ero gravis vobis, *vestra accipiendo.* Non enim (*causa*) quæro quæ vestra sunt, sed vos *tantum.* 19. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, *quia pater vester sum; patres autem bona filiorum quærere non debent, nisi ut eos ædificent*, sed parentes filiis. 20. Ego autem *non quæram vestra, sed* libentissime impendam *mea vobis*, et superimpendar *ego* ipse pro animabus vestris *salvandis*, licet plus vos diligens, minus diligar, *quanto magis vos diligo, tanto minus a vobis quam ab aliis Ecclesiis. Responsio.* Sed esto, ego vos non gravavi, *scilicet per me;* sed cum essem astutus, dolo vos cœpi, *per meos.* 21. Nunquid per aliquem eorum, 22. quos misi ad vos, circumveni vos? *non, et hoc a partibus.* Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem *Barnabam.* Nunquid Titus vos circumvenit? *Non.* Nonne eodem spiritu, *eadem voluntate, quod non faciunt deceptores*, ambulavimus? nonne iisdem vestigiis? *operibus.* Olim putatis quod excusemus nos apud vos? *de hoc quod jam deceperimus vos, capiendo vestra, vel de aliquo crimine.* Coram, *teste* Deo, in Christo, *id est, in veritate*, loquimur; omnia autem, charissimi, *quæ facimus, id est, quod vestra non accepimus et alia*, propter ædificationem vestram. 23. Timeo enim ne forte, cum venero, non quales, *correptos*, volo, inveniam vos; et ego inveniar a vobis, qualem non vultis, *asperum, non parcentem; timeo* ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, *palam*, susurrationes, *clam*, inflationes, seditiones, sint inter vos; **117** 24. ne iterum cum venero, *ut prius audito crimine eorum*, humiliet, *contristet* me Deus, apud vos; (*humiliaretur Apostolus, si cum veniret,*

COMMENTARIUS.

quia tunc vincit Christianus, cum perdere putatur, et tunc perdit perfidia, cum se vicisse gratulatur.

12. *Nihil enim minus.* Supra modum dicit, sicut quibusdam videbatur. Nam et hoc erant, quod et apostolus Paulus.

13. LANFR. *Tametsi nihil sum.* Quamvis secundum quorumdam stultorum opinionem, nihil sum, ea tamen feci super vos quæ solent apostolum designare. Omnem patientiam inter vos habui, signa et prodigia et cæteras virtutes, cum opus fuit, feci. Distat autem inter signum, et prodigium et virtutem. Signum genus est prodigii. Virtus genus est utriusque. Virtus potest vocari omne miraculum; signum illud tantum quod in quocunque tempore aliquid significat; prodigium quod in futuro tantum.

14. *Quid est enim.* Superiorem sententiam probat. *Nihil minus feci*, etc. Quasi dicere [*f.* diceret]: Per hoc liquet me nihil minus fecisse aliis apostolis, quia vos nihil minus habetis quam aliæ Ecclesiæ quæ instructæ sunt ab illis; quales enim sint magistri, probant discipuli, sicut omnia quæ sine se esse non possunt.

15. AMBROS. *Quid est enim.* Ostendit non minus illos, sed amplius, quod gratis illis Evangelium prædicaverit quod nonnullis Ecclesiis concessum est, dicente Domino: *Dignus est operarius mercede sua.*

16. *Donate mihi hanc.* Omnis stultus boni est accusator. Ut hos ergo imperitos ostendat, veniam ab eis postulat ejus facti de quo laude dignus est.

A

17. LANFR. *Ecce tertio paratus sum.* Semel venerat ad eos, et alia vice paratus fuit, sed non venit, et hoc est tertio, quod ad eos paratum se dicit venire.

18. *Non ero gravis vobis.* Ne diceretur ideo nunc venire, ut quidquid olim eis pepercerat modo subriperet, dicit: Non ero gravis vobis, quia non quæro vestra, et hoc est, non gravabo vos.

19. AMBROS. *Nec enim debent filii.* Patrem se eorum significat. Carnales tamen patres sunt qui filiis thesaurizant. Nam spirituales dignum est ut a filiis accipiant sumptus. Hic autem in tantum se probat nolle accipere ut transferat causam carnalis patris ad spiritualem.

B

20. *Ego autem libentissime.* Dicit non solum sua pro salute eorum impendere, sed se etiam mori paratum.

21. LANFR. *Nunquid per aliquem.* Ne quis dicat: Tu quidem per te non gravasti nos, sed callide per tuos, hoc removet.

22. *Quos misi ad vos.* Per nullum, inquit, quos ad vos miserim decepi vos; quia neque per Titum, neque per Barnabam, neque per quemlibet alium decepi vos, nam semper idem fui, et hoc est quod dicit, Nonne eodem spiritu? etc.

23. *Timeo enim ne forte.* Facilius enim ad fidem veniebant, quod ab eis nihil accipiebat, et si acciperet tutius peccarent, et ideo dicit: Timeo enim, etc.

C

24. AMBROS. *Ne iterum cum venero.* Illis peccantibus se humiliari dicit, quia ut pius pater eorum peccato deflet.

eos incorreptos inveniret) 25, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, 26, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia quam gesserunt.

CAPUT XIII.

1. Ecce tertio *apparatu* hoc venio ad vos : In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, *in quo non credam cuique excusanti, nisi duobus, vel tribus testibus excusetur.* Prædixi, et prædico, 2. ut præsens *vobis,* et nunc absens iis, qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam, *si sitis incorrepti. Scitis hoc quia vobis non parcam.* 3, 4. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, (*exaggeratio*) qui in vobis non infirmatur, 5, sed potens est *vindicare, vel miracula facere* in vobis ? 6. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate *carnis;* 7. sed vivit ex virtute Dei, *ex verbo Patris, ex quo assumptus est.* Nam (*probat a simili, vel a minori*) et nos 8. infirmi sumus in illo *prædicando, id est, ea parte, qua ipse ;* sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis, *quia nos efficaces sumus in miraculis faciendis, vel puniendis vobis, sicut ille. In vobis, id est, in conscientiis vestris.* Vosmetipsos tentate, *alter alterum, vel quisque seipsum,* si estis in fide ; ipsi vos probate, *ad hoc scilicet Christus habitat in vobis.* An non cognoscitis vosmetipsos, *in hoc*, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. *Similiter ne diceretur ab illis reprobus,* [illegible] *dicit.* Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. *Nolumus vos esse reprobos, sed* Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non *ideo* ut nos probati appareamus, *id est, habeamus quid in vobis corrigamus,* sed ut 9. vos quod bonum est faciatis, *quid in vobis corrigamus non habentes,* 10. nos autem ut reprobi simus *quasi viles, magisterium amittentes.* 11, 12. Non enim possumus aliquid 13. adversus veritatem *edocendam*, sed pro veritate. 14, 15. Gaudemus, enim, quoniam nos infirmi sumus *non reperientes quid in vobis puniamus;* vos autem potentes estis, *bene*

COMMENTARIUS.

25. *Et lugeam multos.* Cum dicit ut lugeam multos, eis probat quosdam ex his egisse pœnitentiam, quosdam non egisse. Quod Novatiano adversum est, qui dicit fornicatores non posse peragere pœnitentiam.

26. Lanfr. *Et non egerunt pœnitentiam.* Hinc comprobatur falsum esse quod perverse intelligentes inconsiderate attestantur Apostolum in Epistola sua ad Hebræos scripsisse lapsos renovari ad pœnitentiam non posse.

CAP. XIII. — 1. Lanfr. *Ecce tertio hoc.* Non dicit quod bis venerit, et tertia vice venturus sit, sed quod bis se præparavit, et venire non potuit, sed hoc tertio apparatu venturus sit.

2. *Ut præsens vobis.* In primo adventu suo in præsentia omnium bis prædixit quod subsequitur.

3. Ambros. *An experimentum?* Probationem quærunt Christi loquentis in Apostolo, dum præceptis non obediunt, volentes probare si audet vindicare.

4. Lanfr. *An experimentum quæritis,* id est, vultis experiri sævitiam meam vindicando in vos? *Christus loquitur*, dicit ad exaggerationem.

5. Ambros. *Sed potens est.* Potens est in his Christus, quia viderunt in nomine ejus mortuos suscitatos, dæmones fugatos; hæc omnia virtutis sunt, non infirmitatis.

6. Lanfr. *Nam etsi crucifixus est.* Quasi aliquis diceret : Quomodo eum non infirmari dicitis, sed potentem esse, quem constat esse crucifixum ?

7. *Sed vivit ex virtute Dei.* Vivit, id est, vigore et fortitudine plenus est. Sicut ad Hebræos : *Vivens est enim sermo Dei et efficax ex virtute Dei, ex verbo Patris, ex quo assumptus est.*

8. *Infirmi sumus.* Non est, inquit, mirum si Christus ex virtute divinitatis potens est ; cum nos infirmi ex eadem virtute fortes simus. In *illo*, id est, in illa re in qua ipse infirmus sit, id est, in carne ; potest intelligi *in illo*, id est, in prædicatione.

9. Ambros. *Vos quod bonum est.* Orat ut his bene agentibus, dum non auderent corripere, ut humiliati, vel reprobi appareant; probati autem a Deo videntur, dum judicant peccatores auctoritate concessa. Si ergo quos judicent non sint, cessante in his auctoritate, quasi reprobi videntur.

10. Lanfr. *Nos autem ut reprobi.* Quasi diceret : Nos patienter portamus, si in conscientiis vestris reprobi sumus tantum, ut vos id quod bonum est faciatis.

11. Ambros. *Non enim possumus.* Hoc dicit, quia potestas non est data contra veritatem, ut arguant bene viventes ; sed pro veritate, ut vindicent in eum, qui inimicus est legis.

12 Lanfr. *Non enim possumus aliquid.* Reprobi volumus esse vobis benefacientibus ; non enim volumus esse probi, potentes adversus veritatem, id est, contra benefacientes. Vel ita : *Non enim possumus aliquid adversus veritatem*, id est, non reprehendimus, nec damnamus in his qui veri sunt, id est, qui bene faciunt, et reprehensibiles sunt.

13. *Adversus veritatem.* Contra justitiam, id est, veritatem, mando [*f.*, quando] posset si illis bona facientibus, orationibus proficeret, ut in conscientiis eorum probus appareret. Non justum est, nec placet Deo, ut homo sanctus apparere quærat, nisi propter id tantum, ut videntes bonum exemplum accipiant.

14. *Gaudemus enim.* Alia ratio cur nolit apparere probatus.

15. Ambros. *Gaudemus enim.* Hoc est infirmari, non exercere potestatem. Hos autem optat fortes esse, ut bene viventes, vitia vincant; et prohibeant a se vindictam aut correptionem.

agendo. Hoc et *etiam* oramus, vestram consummationem, *perfectionem.* Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem *apostolatus*, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem. De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. 16. Gratia, *redemptio*, Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, *dilectio Dei Patris, qui misit nobis Salvatorem*, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.

COMMENTARIUS.

16. *Gratia Domini nostri.* Dilectio Dei misit nobis A Salvatorem Jesum, cujus gratia salvati sumus, et ut possideamus hanc gratiam facit communicatio S. Spiritus. Hæc [*al.*, Hic] enim dilectos a Deo, et salvatos a gratia Christi tuetur, ut trium perfectio, consummatio sit hominis in salutem.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD GALATAS

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

119 ARGUMENTUM. Galatæ, sunt Græci. Hi verbum veritatis primum ab Apostolo acceperunt, sed post discessum ejus, tentati sunt a falsis apostolis ut in Legem et circumcisionem verterentur. Hos Apostolus revocat ad fidem veritatis, scribens eis ab Epheso.

CAPUT PRIMUM.

1. Paulus Apostolus 2, 3, 4. non ab hominibus, *ab aliis apostolis electus*, neque per hominem, *per hos missus vel Ananiam, vel Christum hominem tantum*, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis; et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ. 5. Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum (*commendat Christum*) pro peccatis nostris, 6. ut eriperet nos 7. de præsenti sæculo nequam, *sæculi nequitia*, secundum voluntatem Dei, et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen. 8. Miror **120** quod sic tam cito 9, 10. transferimini 11. ab

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. LANFR. *Paulus non ab hominibus*, B etc. In aliis Epistolis data salute, statim incipit a gratiarum actione; hic autem non, neque enim tales erant, unde redderet.

2. AUGUST. (*Exposit. capitis primi in Epist. ad Galat.*, tom IV). *Non ab hominibus.* Qui ab hominibus mittitur, mendax est; qui per hominem [*add.* mittitur] verax esse potest: quia Deus verax potest per hominem mittere. Priores ergo apostoli a Deo per hominem missi sunt, per Jesum scilicet adhuc mortalem. Novissimus Apostolus per Christum, jam totum Deum, id est, omni ex parte immortalem. Sit ergo ejus æqualis auctoritas in cujus honorem implet clarificatio Domini; si quid habeat ordo temporis, minus ideo, cum dixisset *et Deum*, addidit: *qui suscitavit illum.*

3. AMBROS. *Non ab hominibus.* Idipsum dicens dividit, ut ostendat ipsa multitudine narrationis, nullo modo illos verum dicere.

4. LANFR. *Non ab hominibus.* Quidam putabant illum non esse Apostolum missum a Christo, sed ab aliis apostolis, aut ab Anania; hoc abnegat, ut majoris auctoritatis sit apud eos, quibus verbum Dei prædicabat.

5. AUGUST. (*ibid.*). *Gratia vobis et pax.* Gratia Dei est, qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo. Pax autem qua reconciliamur Deo.

6. AMBROS. *Ut eriperet.* Liberavit nos Christus a præsentis sæculi vita, in qua multa de illis quæ non conveniebant, fiebant. Constituitque in spe futuræ vitæ, quod nullo modo præstare nobis lex valuit.

7. AUGUST. (*ibid.*). *De præsenti sæculo.* Sæculum præsens malignum propter malignos homines, qui in eo sunt, vocat. Sicut malignam domum propter malignos inhabitantes dicimus.

8. AMBROS. *Miror quod sic.* Conveniens principium novitati factorum. Sic enim posuit, miror, quasi quia et res accedit, quæ nunquam fieri credebatur.

9. LANFR. *Transferimini.* Galatæ isti, pars ex Judæis, pars ex gentibus ad fidem Christi ab Apostolo C fuerant conversi; sed post discessum ejus venerunt pseudoprædicatores, qui eos qui ex Judæis conversi fuerant, cogebant judaizare: eos vero qui ex gentibus ad fidem venerant, elementa mundi adorare, dies et annos observare.

10. AMBROS. *Transferimini.* Non dicit, transducimini, sed transferimini, quasi exanimes aliquos, et qui animi motum non habeant.

11. *Ab eo qui vos.* Ut non viderentur a Christo tantum discedere, adjecit a Deo.

eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in 12, 13, 14. aliud Evangelium; quod non est aliud, nisi sunt aliqui, *dicentes aliud esse Evangelium*, 15. qui vos conturbant, *vel de carnalibus observantiis, quæ non sunt aliud spiritualiter intellectæ*, et volunt convertere Evangelium Christi, 16. Sed licet nos, 17. aut angelus (*si eos dixisset tantum, invidiæ causa diceretur dixisse*) de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. *Præmittit anathematizationem, ut facilius credatur.* 18, 19, 20. Modo enim 21. hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? *ut pseudo, aut persequens, ut prius; sed non, et subdit cur.* Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. 22. Notum enim [*ad hoc quod dixit, non ab hominibus*] vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, *humanam doctrinam;* 23. neque enim ego ab homine *quasi scriptum* accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. 24, 25. Audistis enim conversationem **121** meam aliquando in judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in judaismo 26, supra multos coætaneos meos, *eadem ætate*, in genere meo, *Judæorum*, abundantius, 27. æmulator existens paternarum mearum traditionum. 28, 29. Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, *ab infidelitate, synagogæ, vel carnali parentela*, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo 30. non acquievi carni et sanguini, *vel parentibus meis*, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Pe-

COMMENTARIUS.

12. LANFR. *In aliud Evangelium.* Evangelium est bona annuntiatio; prædicatio ergo illorum non erat Evangelium, quia bona annuntiatio non erat. Potest etiam intelligi aliud Evangelium, observatio judaicæ legis, quæ ab Evangelio Christi non discordat, si spiritualiter intelligatur; hoc est enim quod ait: *Non sint aliqui*, id est, non desunt illi qui carnaliter et perverse eam intelligunt.

13. *Aliud Evangelium.* Evangelium non est diversum nisi his qui spiritualiter intelligere nolunt. Vel illud non est Evangelium, nisi illis qui vos decipiunt, et illi tales anathematizarentur. Et hoc non dicit, sed ut exaggeret, apponit.

14. AUGUST. (*ibid.*). *In aliud Evangelium.* Evangelium si est aliud præter id quod sive per se, sive per alios Dominus dedit, jam nec recte Evangelium dici potest,

15. AUGUST. (*ibid.*). *Qui vos conturbant.* Cum dixisset conturbant vos, non dixit: et convertunt; sed volunt convertere Evangelium; sed manet firmissimum, et non conversum.

16. AMBROS. *Sed licet nos.* Ostendit quod non se illis præponat; sed ut veritatem vindicat.

17. *Aut angelus.* Hoc adjecit, quod neque loci dignitas, neque personæ veritati exæquaretur.

18. *Modo enim.* Hoc dicit, ut ostenderet se, qui pro veritate hujusmodi verba deprompsit, nullius momenti eos qui sibi derogaverant existimans.

19. AUGUST. (*ibid.*). *Modo enim hominibus.* Sensus iste est: Hominibus suadeo, et non Deo. Deo enim manifestati sumus, et quia hominibus suadeo, quæro hominibus placere? si hominibus placerem, id est, placere quærerem, Christi servus non essem.

20. LANFR. *Modo enim hominibus.* Quasi diceret: Non adulando loquor, ut placeam vobis, sed increpando levitatem vestram, ut placeam Deo.

21. *Hominibus suadeo an Deo?* Diceret quis: Cur ita anathematizas? Ideo, inquit, ut suadeam me non esse participem, vel persuasorem circumcisionis, ut pseudoapostoli. Vel ideo anathematizo, quia non suadeo, ut hominibus velim placere: et hoc sub interrogatione ita: *An quæro hominibus placere?*

22. *Notum enim vobis.* Ad hoc respondet, quod superius dixit: *Non ab hominibus, neque per hominem.*

23. *Neque enim ego.* Quasi diceret: Homo me non docuit, quia ego non didici ab homine.

24. *Audistis enim.* Exponit qualiter Evangelium acceperit per revelationem Jesu Christi.

25. AMBROS. *Audistis enim.* Dicendo de lege qualiter desudaverat, ostendit quoniam legem non sprevit, sed quod melius est cognovit et elegit.

26. *Supra multos.* Bene coætaneos. Hoc enim majus si juvenibus vehementior videbatur.

27. AUGUST. (*ibid.*). *Æmulator existens*, id est, imitator traditionum, quæ erant contrariæ Ecclesiæ. Lex enim spiritualis est; multa autem tradiderant dissolventes mandata Dei propter traditiones suas.

28. LANFR. *Cum autem placuit.* Probat quia non accepit Evangelium ab homine; nam neque post conversionem, nec ante conversionem. Ante conversionem non accepi ab homine, quia impugnabam illud quod audistis. Post conversionem non accepi, quia neque statim, quod est; non *acquievi*, nec *post tres annos*, nec post *quatuordecim;* post aliud tempus constat. Removet illas partes de quibus suspicabatur.

29. AUGUST. (*ibid.*). *Cum autem placuit.* Segregatus de utero matris quodammodo quisquis a carnalium parentum consuetudine cæca separatur. Acquiescit autem carni et sanguini quisquis carnalibus propinquis carnaliter suadentibus assentitur.

30. AMBROS. *Non acquievi.* Non dicit Apostolus: sed neque hominibus, sed: carni et sanguini; et dixit: statim non exposui; exposuit enim postea illis.

trum, *non causa discendi, sed tantum videndi*, et mansi apud eum diebus quindecim *tantum, quibus non videor posse didicisse* ; alium autem apostolorum vidi *tunc* neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis, 31. ecce coram Deo, *teste Deo*, quia non mentior. Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ. 32. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo ; tantum autem auditum habebant, quoniam (*ego Paulus*) qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem *Christi*, quam aliquando expugnabat ; et in me clarificabant Deum.

CAPUT II.

Deinde post annos quatuordecim iterum 1. ascendi Hierosolymam cum Barnaba, (*sed neque tunc accepi*) assumpto et Tito. Ascendi **I 22** autem secundum revelationem, et *ut scirem, si ab eis in Evangelio discreparem*, contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus, 2. seorsum autem *contuli Evangelium cum* iis, qui 3. videbantur aliquid esse : 4, 5. ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem, *quod esset, si aliud quam illi prædicassem*. 6. Sed neque 7. Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis *ab apostolis*, compulsus est circumcidi, *non hoc ex arrogantia*, sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, *liberam prædicationem nostram*, quam habemus in Christo Jesu, 8. ut nos in servitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, *non arroganter, sed* ut 9, 10. veritas Evangelii permaneat apud vos. 11, 12. Ab, *vel de*, iis autem, 13. qui

COMMENTARIUS.

31. AUGUST. (*ibid.*), *Ecce coram Deo*. Jurat itaque. Juratio quæ a malo est, non jurantis sed incredulitatis ejus quæ jurare cogit. Nam ita intelligitur Dominum prohibuissse a jurando, ut, quantum in ipso est, quisque non juret. Quod faciunt multi habentes in ore jurationem tanquam magnum aut suave aliquid.

32. LANFR. *Eram autem ignotus*. Ab eis non accepi, quia cum constet me jam prædicasse, eram illis ignotus facie, quia eram tantum notus auditu.

CAP. II. — 1. LANFR. *Ascendi Hierosolymam*. Ascendit quidem, non ut disceret; imo quia putabatur Evangelium suum ab apostolis divisum, propter hoc quia non fuit cum cæteris electus, nec audierat a Christo. Ideo dicit se divina revelatione venisse, ut conferret cum eis Evangelium suum, nec amplius juste posset reprobari.

2. AUGUST. (*Expos. ad Galat.*, cap. 2). *Seorsum autem*. Hoc non ideo factum est quod aliqua falsa dixerit, ut seorsim paucioribus vera diceret ; sed aliqua tacuerat, quæ parvuli portare non poterant. Perfectionem ergo illius opus erat ut scirent cæteri apostoli.

3. (*Ibid.*). *Videbantur*. Carnalibus hominibus videntur esse aliquid ; nam non sunt ipsi aliquid : etsi enim boni ministri Dei. Christus in illis est aliquid.

4. (*Ibid.*). *Ne forte in vacuum*. Ne forte in vacuum curro, aut cucurri ? Quasi per interrogationem dictum intelligendum, ut ex eo appareret non eum in vacuum currere, aut cucurrisse, quia jam, attestatione cæterorum, nihil ab Evangelii veritate dissentire approbatur.

5. AMBROS. *Ne forte in vacuum*, id est, nequando existimarer proprium, quod iter exsequi, et cæteris apostolis inconveniens.

6. LANFR. *Sed neque Titus*. Voluerunt alii apostoli ut Titus circumcideretur propter vitandum scandalum quorumdam fidelium qui ex circumcisione crediderant ; sed non permisit Apostolus eum circumcidi propter quosdam falsos Christianos qui

A clam conversabantur inter fideles, ut explorarent libertatem eorum, qua circumcisionem et alias carnales observantias non curabant. Ad hoc explorabant, ut eam libertatem cum aliqua calliditate destruerent et legales observantias persuaderent.

7. *Titus qui mecum erat*. Sed neque tunc accepit. Et hoc est quod dicit : *Non fui subditus illis*, quia nec etiam Titus. (a minori) Sed tamen non fuit hoc ex arrogantia, sed propter falsos fratres. Libertatem vero dicit, quia libere prædicabat, negligens carnales observantias. Quidam autem falsi venerunt, ut viderent an ipse Hierosolymis consentiret legis observantiis.

8. AUGUST. (*ibid.*). *Ut nos in servitutem*, id est, ut jam circumcisionem ipsius, etiam Pauli attestatione,

B tanquam saluti necessariam prædicarent.

9. AMBROS. *Veritas Evangelii*, id est, ut sit evidens probatio Evangelium nostrum prædicatum esse, cum adversarios [neque quando apud illos eramus] non pertimuimus.

10. LANFR. *Veritas Evangelii*, Veritas Evangelii est, sine circumcisione et aliis legalibus observantiis, moralia Dei præcepta cum fide observare.

*11. *Ab his autem*. Hoc dicit, ne vane videatur contra majores se extollere, et est interjacens, ab eo loco ubi dicitur : *Sed neque Titus*, usque ad locum : *Mihi autem videbantur esse aliquid*.

12. *Ab his autem*. Ordo : Qui autem videbantur ab his esse aliquid, Petrum et Joannem et Jacobum significat, quia majoris inter cæteros apostolos di-

C gnitatis erant, quos paulo post columnas vocat. Dicit ergo nihil ad se pertinere, ostendere quales et loco et scientia ante vocationem fuerint. Non aliis apostolis derogat, sed quia Galatæ alios apostolos ultra modum magnificabant huic eos præferentes, atque ideo auctoritatem hujus viliorem habentes, ostendit se æqualem esse eis, et doctrinam Evangelii ab eis non accepisse.

13. *Qui videbantur esse aliquid*. Ne quis diceret eum debere eis consentire, quia meliores eo fuerunt, quia non persecuti sunt Ecclesiam, sicut ille.

videbantur esse aliquid, (*quales* [*servi, pauperes, peccatores*] aliquando fuerint, nihil *dicere* mea interest **123** 14. Deus enim personam hominis non accipit; *sed ex omnibus accipit credentes*) mihi enim, 15. qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, *profuerunt*. 16 Sed econtra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, *gentium*, sicut Petro circumcisionis, (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, *Judæorum*, operatus est et mihi inter gentes) et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse 17. dextras dederunt mihi, et Barnabæ 18. societatis, *signum societatis, vel concordiæ evangelicæ:* ut nos in gentes *iremus*, ipsi autem in circumcisionem, *Judæam;* tantum *hoc addiderunt* ut pauperem *euntium Hierusalem* memores essemus, quod etiam sollicitus fui, *cum prius fuissem sollicitus*, hoc ipsum facere. *Alia commendatio.* 19, 20. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, 21. in faciem, *palam*, ei restiti, quia reprehensibilis erat. *Ostendit non esse sibi magistrum, cum restitit.* Prius enim (*exponit unde reprehensibilis, quia cogebat gentes judaizare, in eo quod magis inhærebat Judæis*) quam venirent quidam *ex Judæis conversis* a Jacobo, cum gentibus *conversis* edebat *Petrus*. Cum autem *conversi a Jacobo* venissent *Antiochiam*, subtrahebat, et segregabat se *Petrus a gentibus*, timens eos. qui ex circumcisione erant (*Non enim ita credebat faciendum, id est, circumcidi, sed ne fieret in Ecclesia discordia.*) Et simulationi ejus (*simulabat enim Petrus non esse comedendum cum gentibus*) consenserunt cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur, *consentiret*, ab eis in illam simulationem, *ut nollent communicare cum gentibus*. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ **124** coram omnibus. 22. Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non Judaice, quomodo gentes 23. cogis judaizare? *assumptio*. Nos natura Judæi, *tu, et ego*, 24. et non ex gentibus (*scilicet sumus, et gentiliter vivimus; quod est, et nos in Christo credimus*) 25. peccatores, *qui pec-*

COMMENTARIUS.

Ad hoc respondet, non ex invidia, sed ut se commendet, id est, suam prædicationem, dicitque: *ab his autem qui videbantur esse aliquid*, id est, hi qui videbantur esse aliquid, licet possem dicere quales, scilicet viles, et, ut ego, peccatores essent, nihil tamen mihi contulerunt.

14. *Deus personam hominis non accipit.* Hoc ideo dicit, quia reprehendebatur quod quid persecutus fuerat Ecclesiam, quasi hi qui modo sunt justi, et sancti et magni apud omnes, non fuerint, sicut ego, peccatores. Et hoc inde, quia Deus non est acceptor personarum. Similiter ego, quamvis persecutor fuerim, non debeo a vobis vilipendi.

15. AUGUST. (*Expos. ad Gal.*) *Qui videbantur*. Petrus et Jacobus et Joannes honoratiores cæteris erant, quia ipsis se in monte Dominus extendit, in significatione regni sui cum ante sex dies dixisset: Sunt quidam de his stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis in regno Patris sui (*Matth.* XVI).

16. (*ibid.*) *Sed econtra cum vidissent*, id est, econtrario pro reprehensoribus approbatores perfectionis fuerunt. Potest et sic esse ordo, sed econtra ut nos quidem in gentes iremus, quæ sunt contrariæ circumcisioni.

17. (*apud Bed.*) *Dextras dederunt mihi*. Dicit venisse se Hierosolymam, et Evangelium cum apostolis contulisse, dextras sibi datas fuisse, id est, concordiæ signum consonantiæ, quod ab eis quæ sibi didicerant, in nihilo discrepabat.

18. LANFR. *Barnabæ societatis*. Per hoc ostendit se discipulorum Christi non fuisse discipulum; alioquin non se socium vocaret.

19. AUGUST. (epist. 40 *ad Hieron*, tom. II). *Cum venisset Cephas*. Neque enim negamus in hac sententia fuisse jam Petrum, in qua et Paulus fuit; non itaque tunc eum quid in ea re verum esset, docebat, sed ejus dissimulationem, qua gentes judaizare co-

A gebantur, arguebat. Non ob aliud nisi quia illa omnia sic simulatoria gerebantur, tanquam verum esset quod dicebant illi qui sine circumcisione præputii, atque aliis observationibus umbræ futurorum, putabant credentes salvos esse non posse.

20. LANFR. *Cum autem venisset*, etc. Item probat quia nec Antiochiæ a Petro Evangelium accepit, quia restitit ei; erat enim reprehensibilis.

21. *In faciem ei restiti.* Utile non esset quod palam nocebat corrigi in occulto; præsumendum namque erat de charitatis infirmitate [*f.*, firmitate] tanti apostoli. Vel ideo quod quidam subinducti insidiabantur, qui referrent Paulum non esse ausum arguere Petrum; et circumciderentur.

22. *Si tu cum Judæus.* Gentiliter vivebat; quia

B indiscrete cum omnibus edebat, et neminem immundum putabat. Probat autem quia cum sit Judæus, et tamen gentiliter vivat, non debet gentes ad judaismum cogere. Est autem in libro totus syllogismus præter conclusionem.

23. *Cogis judaizare.* Exemplo suo gentes judaizare cogebat Petrus, et ritum Judæorum sequi, quando ipse in præsentiam eorum qui ex Judæis crediderant, a consortio gentilium more Judaico se subtrahebat.

24. AUGUST. (*Exposit. in Epist. ad Galat.*, c. II.) *Et non ex gentibus.* Peccatorum nomen gentibus imposuerant Judæi, jam vetusta quadam superbia, tanquam ipsi justi essent, videntes stipulam in oculo

C alieno, et non trabem in suo; sicut interest inter irridentes et irrisores, inter murmurantes, et murmuratores, inter scribentes et scriptores, et cætera similia: ita Scriptura peccatores appellare consuevit valde iniquos, et peccatorum sarcinis oneratos.

25. LANFR. *Peccatores.* Generali vocabulo peccatores vocat idololatras.

catores vocabantur. Scientes autem quod non justificatur homo 26. ex operibus legis, nisi per fidem *tantum* Jesu Christi; et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis; propter quod (*quia ex fide Christi tantum*) ex operibus legis non justificabitur omnis caro. *Huc usque interpositio, et verba Apostoli ad Petrum.* 27, 28. Quod si quærentes justificari in Christo *tantum*, inventi sumus et ipsi peccatores, 29, nunquid Christus peccati minister est? *Est utique, si sit illud.* Absit *ut Christus minister sit peccati!* 30, 31. Si enim quæ destruxi, *in lege esse justificationem*, iterum hæc reædifico; prævaricatorem me constituo, *non credens quod dico, id est, per legem justificare. Unde hoc? Respondet: cur! quia quæ destruxi, constituo.* 32, 33, 34. Ego enim per legem *spiritualem*, legi mortuus sum, ut Deo vivam; 35. Christo, *sequendo ejus vestigia*, confixus sum cruci. 36. Vivo autem, jam non ego *ut prius, vel qui fui:* 37, 38. vivit vero in me Christus, *quoniam vitam illius immortalem sperat. Exponit.* Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, (*commendat*) et tradidit semetipsum pro me. *Ideo* 39, 40. Non abjicio gratiam Dei. 41, 42. Si enim per legem justitia, *non per mortem Christi*, ergo 43. gratis Christus mortuus est.

COMMENTARIUS.

26. *Ex operibus legis.* Ex operibus legis, non; nam si hoc esset, non in Christo tantum esset justificatio, sed in Christo tantum est. Si in Christo tantum non est justificatio, peccamus qui, deserentes legem, quærimus tantum in Christo justificari; sed hoc non est; nam si hoc esset, quod peccaremus quærentes tantum justificari per Christum, Christus minister esset peccati; sed hoc absit ut Christus sit minister peccati! ergo non peccamus quærentes in Christo tantum justificari. Quod si verum est, ergo ex operibus legis non justificabitur omnis caro; nam si hoc dixero, prævaricatorem me constituo, qui legem deseruerim, quam justificantem concedo.

27. Ambros. *Quod si quærentes.* Est obscuritate involutus intellectus. Vult autem dicere, quod secundum legem non justificemur: accessimus ad Christum quasi per eum justificandi. Si autem hac spe in eum credentes invenimur peccatores, quia legem non custodimus, videtur adventu suo peccati exstitisse provisor.

28. August. (*Expos. in Epist. ad Gal.* c. II.) *Quod si quærentes.* An forte quia in Christo voluerunt justificari, peccaverunt? Quia si justi erant, utique aliud quærendo peccaverunt. Sed si ita est, ergo Christus minister est peccati.

29. Lanfr. *Nunquid Christus.* Ex persona infirmorum hoc sibi dicit. Dixit Judæos superius non esse peccatores; et postea subintulit quod etiam ipsi justificantur ex fide Jesu Christi; sed omnis qui justificatur, in peccato fuit. Videbatur ergo male intelligenti [*f.*, intelligi], ut Christus peccata prius ministraret, ut per fidem et gratiam suam postea vivificaret.

30. *Si enim quæ destruxi.* Quasi diceret: Hanc quæstionem sæpe mihi oppositam destruxi; quam si iterum ædifico, mendacem et prævaricatorem me constituo.

31. August. (*ibid.*) *Si enim quæ destruxi.* Destruxit autem superbiam gloriantem de operibus legis quæ destrui et deberet et posset, ne gratia fidei videretur non necessaria; et ideo prævaricator est, si rursus illa ædificat, dicens quod opera etiam legis sine gratia justificant, ut Christus peccati minister inveniatur.

32. Ambros. *Ego enim per legem.* In ipsa enim lege prædicatum inveni Christum, cui credens, mortuus sum legi.

33. August. (*ibid.*) *Ego enim per legem.* Quia Judæus fuerat, et tanquam pædagogum legem acceperat. Hoc autem agitur per pædagogum, ut non sit opus pædagogo: sicut per ubera nutritur infans, ut jam uberibus non indigeat. **125**

34. Lanfr. *Ego enim per legem.* Ad superiora probanda redit. Dixit superius quod ex operibus non justificatur omnis caro; et hoc probat dicens se mortuum legi suæ per legem Christi, ut Deo vivat; frustra enim moreretur legi suæ ut Deo viveret, si per eam justificari posset, cum nihil sit aliud Deo vivere quam in conspectu Dei justum esse.

35. *Christo confixus*, id est, cum Christo crucifixus sum sicut ille carne, ita ego vitiis et concupiscentiis.

36. Ambros. *Vivo autem*, quia in baptismate mortis et resurrectionis forma impletur. Ea quæ ipsa re futura sunt, facta jam dicit, quia eorum habet spem.

37. *Vivit vero in me Christus*, quoniam illius vitam mortalem spe vivit.

38. August. (*ibid.*) *Vivit vero in me Christus.* Vivit vero in me Christus, quid ergo? Nega te, noli tu ipse vivere in te. Quid est noli tu vivere in te, nisi facere voluntatem tuam, sed illius qui habitat in te?

39. (*ibid.*) *Non abjicio.* Si ergo me Christus dilexit, et tradidit semetipsum pro me, non irritam facio gratiam Dei, ut dicam per legem esse justitiam.

40. Lanfr. *Non abjicio.* Quamvis, inquit, Judæus sim, et observantia legis videar esse justus, non tamen abjicio gratiam Dei, id est, remissionem peccatorum per fidem Christi.

41. *Si enim per legem.* Ad superiora item probanda redit, *quia ex operibus legis non justificatur omnis caro*, etc. Contrariam partem ad inconveniens ducit.

42. *Si enim per legem justitia*, etc. Adhuc probat per legem non esse justitiam; nam si hoc esset, non esset per Christum; etsi non esset per Christum, mors Christi gratis fuit, id est, cassa, cum nullum fructum attulerit. Inter diffinitionem et diffinitum.

43. *Christus gratis mortuus est.* Ad hoc Christus

CAPUT III.

1. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit *(teneræ res et imbecilles dicuntur fascinari)* non obedire veritati, 2, 3, 4, ante quorum oculos 5. Jesus Christus præscriptus est, *damnatus est, dum vos hæreditas sua subtrahimini sibi,* in vobis crucifixus? *et ipse exhæreditatur crucifixus pro vobis, vel habentes in memoria ipsum esse passum pro vobis.* 6. Hoc solum a vobis volo discere. 7. Ex operibus 8. legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? *Ex hoc utique.* Sic stulti estis 9. ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? *Spiritualiter vivere incœpistis, ad carnales observantias redeatis. Ergo quia fidem non habetis.* Tanta passi estis 10. sine causa? si tamen sine causa *(repetit quæ dixit, ex operibus legis spiritum non habere, sed ex fide, quia Abraham,* etc.) Qui ergo tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis, ex operibus, *propter opera,* legis, an ex auditu, *propter auditum,* fidei *tribuit hoc?* Sicut scriptum est : *(probat si Abraham per fidem)* Abraham credidit Deo, *id est, fidem habuit, et ex ea justitiam,* et reputatum est illi ad justitiam 11. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura, *ex fide justi sunt, nam Scriptura dicit; Geneseos* XII, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ quia : 12, benedicentur in te, *in tuæ fidei imitatione; vel in eo, qui nascetur ex te, id est, Christo,* omnes gentes. Igitur, *quia Scriptura testatur,* qui ex fide sunt benedicentur, *id est, justificabuntur,* cum fideli sicut fidelis Abraham. 13 Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim, *in Deuteronomio* XXVII : *(hujus propositionis præmissa est ab auctoritate)* 14. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus *(assumptio, et conclusio)* quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea **126-127** *Ergo (et repetit locum a contrario.)* Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus 15. ex fide vivit. *Diceret aliquis : Lex est fides, et sic justitia ex lege.* 16. Lex autem non est

COMMENTARIUS.

mortuus est ut credentes in se justos faceret. Gratis ergo mortuus est, si legalis observantia justos facere posset.

CAP. III. — 1. AMBROS *O insensati Galatæ!* Interjectum est, ab eo loco, usque ad hunc, *solum a vobis volo*, etc. Poterat enim dicere : Hoc solum volo a vobis discere.

2. *Ante quorum oculos.* Præscriptus est et in vobis crucifixus : vult quidem dicere quod, cum multo affectu verba crucis audistis, ita ut ante oculos nostros depingeretis ipsam crucem, paulo minus et illa quæ eo tempore facta sunt. Qua ergo fascinatione tantum abjecistis affectum, quem erga Christum habere videbamini?

3. AUGUST. (*In exposit. in Epist. ad Galat.*, cap. III, tom. IV.) *Ante quorum,* hoc est, quibus videntibus Christus Jesus hæreditatem suam possessionemque amisit : his utique auferentibus eam, Dominumque inde expellentibus, ad legis opera eos qui crediderant revocando, et auferendo illi possessionem suam, id est, eos in quibus gratia fidesque inhabitat.

4. LANFR. *Ante quorum oculos.* Ante oculos mentis eorum Jesus Christus proscriptus est, id est, damnatus et crucifixus erat, id est, contemptui habitus, putantibus eis per fidem ipsius non justificari hominem, sed per observantiam legis.

5. AUGUST. (*ibid.*) *Jesus Christus præscriptus.* Aliter Jesus Christus præscriptus est crucifixus ; addidit *crucifixus,* ut hinc eos maxime moneret [*al.*, moveret], cum considerarent quo pretio emerit possessionem, quam in eis amittebat.

6. (*ibid.*) *Hoc solum a vobis.* Hinc incipit demonstrare gratiam, quemadmodum gratia fidei sufficiat ad justificandum sine operibus legis.

7. LANFR. *Ex operibus legis spiritum accepistis.* Si spiritum habetis ex fide, quod jam probaverat,

A et ideo dicit : Ergo virtutes habetis ex fide, quæ sunt causa justitiæ, id est, ipsam justitiam habetis ex fide; sed hoc est, ergo illud. Illis sunt virtutes ex fide, quia justitia fuit Abrahæ ex fide : nam scriptum est, etc. Habet autem pro paribus virtutes et justitiam, quorum alterum alterius causa est.

8. *Spiritum accepistis.* Spirituales gratias acceperunt credentes, non opera legis facientes.

9. *Ut cum spiritu cœperitis.* Cum spiritu cœperitis velut [*f.*, vivere], spiritualiter, vel legem spiritualiter intelligere nunc carne, id est, carnali vita, vel lege carnaliter intellecta. Consumamini, conjunctivum a *consumor, consumeris*, id est, pereatis. Consummamini indicativum a *consummor, consummaris* : id est, vitam finitis ; utraque enim in hoc B loco Scriptura reperitur.

10. *Sine causa.* Sine causa, id est, inutiliter patitur qui fidem Christi non habet.

11. *Cognoscite ergo.* Quia Abraham ex fide justus; et omnes ex fide tantum justi, quod est æquipollens hi sunt filii Abrahæ.

12. AMBROS. *Benedicentur in te.* Hoc est tecum, et communicabunt tibi benedictionem.

13. LANFR. *Quicunque enim* Quasi diceret : aut ex fide est benedictio, aut ex operibus ; sed ex operibus non est (ex illa enim benedictio) ex fide igitur.

14. AMBROS. *Maledictus omnis.* Lex omnem, qui super lignum pendet, existimat maledictum; eo quod hujusmodi pœna illis statuta qui multis rei inve- C niuntur.

15 LANFR. *Ex fide vivit.* Si justitia non est ex lege, est ex sola fide.

16. *Lex autem non est,* id est, fides Christi non permittit legem Judæorum servari, vel lex et fides non concordant Sed lex dicit : Qui fecerit ; non dicit : Qui crediderit.

ex fide, *id est, lex non præcipit credere, sed fa*[illegible] qui fecerit ea, *quæ sunt in lege*, vivet in illis. 17 Christus nos redemit de maledicto legis, 18. factus pro nobis maledictum, *id est, maledictus a Judæis, vel factus mortalis : et ponit causam pro effectu.* (quia scriptum est : *probat Christum fuisse maledictum; nam omnis qui pendet in ligno, hoc non scriptum est* Maledictus omnis, qui pendet in ligno.) *ad hoc fuit Christus maledictum* ut in Gentibus 19. benedictio, *justificatio*, Abrahæ *per fidem* fieret in Christo Jesu, ut 20. pollicitationem Spiritus, *id est, justificationem a Spiritu promissam*, accipiamus per fidem. Fratres secundum hominem dico) tamen (*a simili*) hominis 21. confirmatum *prius* testamentum nemo spernit, *destruit*, aut superordinat *aliud. Est tunc aliquod testamentum alicui a Deo confirmatum ? est, inquit, Abrahæ, et semini ejus.* Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. 22. Non dicit : et seminibus quasi in multis, *quod dicit semini et non seminibus, notat unitatem Ecclesiæ, cui promissio facta est ; et hoc dicit propter eos qui schismata faciebant*, sed quasi in uno, 23, 24. Et, *scilicet*, semini tuo, qui est Christus, 25. Hoc autem, *fidem, vel ipsam promissionem*, **128** dico, testamentum confirmatum a Deo, *ipsa Dei immutabilitate; post factam a Deo promissionem, quam dicit prius testamentum*; quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem, *ut evacuetur fidei testamentum, quod esset, si hæreditas gloria non esset in charitate* 26. Nam (*probat*) si ex lege hæreditas. 27. jam non ex promissione (*assumptio*) Abrahæ autem per repromissionem, *per fidem*, donavit Deus *scilicet hæreditatem. Objectio.* 28. Quid

COMMENTARIUS.

17. *Christus nos redemit de maledicto.* Dicis quia omnis qui non permanserit in his quæ sunt scripta in libro Legis, est maledictus ; ita et tu qui manes. Ad hoc respondet : *Christus nos redemit,* etc

A

18. August. (*Expos. in Epist. ad Gal.* c. III.) *Factus pro nobis.* Ea parte mortali pependit in ligno. Mortalitas autem unde sit notum est credentibus. Ex pœna quippe est, et maledictione peccati primi hominis, quam Dominus suscepit, et peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.

19 Lanfr. *Benedictio Abrahæ fieret.* Probat quia fides, non lex, dat justitiam. Nam si lex justitiam daret, ea testamentum fidei Abrahæ ad nos factum destrueret. Sed lex illud destruere non valet; nullum enim posterius testamentum destruit primum ; sed testamentum fidei est prius, lex posterius. Hæc assumptio est in libro ita : *Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo*, etc. Probat a simili in libro quia nullum posterius testamentum destruit primum quia in humana consuetudine ita est quod posterius testamentum non destruit primum, mortuo eo qui fecerit; et hoc est, secundum hominem dico. Quod autem interponit, *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, ad hoc respondet quod quæreret, si quod testamentum a Deo sit alicui confirmatum, dicens hoc Abrahæ factum esse et semini ejus, qui est Christus.

20. *Pollicitationem Spiritus*, id est, promissionem Spiritus, quem se daturum promisit credentibus ; vel justificationem, quam Spiritus sanctus credentibus pollicitus est, dicens : *In semine tuo,* etc.

21. *Confirmatum testamentum.* Testamentum, inquit, hominis de rebus suis nemo spernit, multo igitur minus testamentum Dei, per quod omnes gentes in semine Abrahæ benedicendas esse testatus est, spernendum est.

22. *Non dicit et seminibus.* In promittendo non dicit Deus : In seminibus tuis *benedicentur omnes gentes*, sed *in semine tuo*.

23. August. *Et semini tuo.* De populo Israel nata est Virgo, et peperit Christum : Et ecce in Christo benedicuntur omnes gentes. Quid verius ? Quid certius? Quid apertius?

24 August. (*Ex Tractat. Evang. secundum Joan.* 39.) *In semine tuo.* Et quia et nos ad id pertinemus, quod est Christus nobis simul incorporatis et illi capiti cohærentibus, unus est Christus, et quia et nobis dicit : *Ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes* Si enim unum est semen Abrahæ, et illud unum semen Abrahæ, non intelligitur nisi Christus ; hoc semen Abrahæ sumus nos ; hoc ergo totum, id est, caput et corpus, unum est Christus.

25. Lanfr. *Hoc autem dico.* Ordo : dico autem ex quæ post quadringentos et triginta annos facta est, non facit irritum hoc testamentum. Si enim soli observantes Judæorum legem in semine Abrahæ benedicerentur, ex quadam parte irritum factum esset testamentum Dei, et evacuata promissio ejus, qua omnes gentes in semine Abrahæ benedicendas esse promisit.

B

26. *Nam si ex lege hæreditas.* Benedictio vel hæreditas per fidem tantum accipitur ; non enim per legem, quia lex testamentum fidei a Deo ad Abraham prius confirmatum non destruit. Ergo si lex non destruit testamentum fidei, non dat benedictionem vel hæreditatem. Sed non destruit hominis testamentum confirmatum, aliud testamentum posterius factum, a simili, hoc simile præmittitur propositioni probandæ, quod lex non destruit testamentum, quod ita est in libro : *Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo*, etc.

C

27. *Jam non ex promissione*, id est, si hi soli qui legem Judæorum observant, hæredes sunt, jam non datur hæreditas secundum promissionem Dei, quæ de omnibus dicit.

28. August. (*ex serm.* 13 *de verb. Apost* , cap. 4, tom. X) *Quid igitur lex ?* Quid igitur lex ? Quasi, quæ utilitas legis? prævaricationis gratia posita est; hoc est quod alibi dicitur : lex enim subintravit, ut abundaret delictum, prævaricationis gratia posita est. Unde humiliaretur cervix superborum multum

ad quid, igitur lex *est posita? Responsio* 29. Propter transgressionem (*ne quis faceret ultra quod faciendum esset*) posita est, *scilicet lex*, 30 donec veniret 31 semen, cui promiserat. *Deus justitiam, vel benedictionem*, ordinata *lex* per angelos in manu *potestate* Mediatoris, *Christi*, 32. Mediator autem, *ne duo intelligerentur, subdit,* unius non est; 33. Deus autem unus est. 34, 35. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit! 36. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, [illegible] vere ex lege esset justitia. 37, 38. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. *Objectio : alicui ergo data est lex?* Prius autem quam veniret fides, *ante Christi natalem*, sub lege custodiebamur 39. conclusi, (*ne ultra quam decet faceremus*) *nos ituri* in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex, pædagogus noster (*quia in ipsa custodiebamur*, *quod est officium pædagogi*) fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi, *nato Christo*, venit fides, jam non sumus *constricti* sub pædagogo, *ut servi*. 40, 41. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. *Ostendit cur fideles filii Dei sint.* Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. 42. Non est Judæus, neque Græcus : (*non est differentia gentis)* non est servus, neque liber; (*vel conditionis*); non est masculus, neque femina. [*vel sexus*] 43. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu 44. Si autem vos Christi; *si in Christum, inquit, credatis, spirituale semen Abrahæ estis, imitando eum,* (*a pari*) 45, 46. ergo semen Abrahæ estis, *credendo sicut ipse* (*a pari*) *ergo* secundum promissionem hæredes.

COMMENTARIUS.

sibi tribuentium, ut liberum arbitrium sibi putarent A posse sufficere ad justitiam.

29. Ambros. *Propter transgressiones.* Superbienti populo lex posita est, ut quoniam gratiam charitatis nisi humiliatus accipere non posset, transgressione humiliaretur, ut quæreret gratiam.

30. Lanfr. *Donec veniret semen cui.* Deus Pater hæreditatem totius mundi promiserat Christo, sicut in psalmo : *Postula a me, et dabo tibi gentes*, etc.

31. August. (*Expos. Epist. ad. Galat.*, cap. III, tom. IV.) *Semen cui promisit.* Semen cui promissum est populum significat credentium.

32. Ambros. *Mediator autem.* Si Filius Dei naturali æqualitate manere vellet, ne se exinaniret formam servi accipiens, non esset Mediator Dei et hominum; quia ipsa Trinitas unus est Deus. Sic itaque unicus B Filius Dei Mediator Dei et hominum factus est, cum Verbum Dei Deus apud Deum et majestatem suam usque ad humanam deposuit, et humilitatem humanam usque ad divinam subvexit ut Mediator inter Deum et homines homo.

33. Lanfr. *Deus autem unus est.* Quia Christum dixit [*sup.*, Mediatorem] Dei videlicet et hominum, et Christus est, videbantur esse duo dii, sed absit! Unus enim Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

34. *Lex ergo adversus promissa Dei.* Item, probat quod lex non dat hæreditatem, vel promissionem, vel benedictionem ; nam si lex daret, promissio, id est fides, non daret; sed promissio tantum dedit Abrahæ hæreditatem. Ergo lex non dat hæreditatem, quod est, *lex ergo adversus promissa Dei?* C

35. August. *Lex ergo adversus.* Replicat ipsam quæstionem.

36. Lanfr. *Si enim data esset lex.* Item probat. Lex non dat hæreditatem, quia non dat vitam, quia si lex daret vitam, daret et justitiam (a pari), sed non dat justitiam, quia omnia sunt sub peccato apud Judæos, quia Scriptura dicit : Ergo lex non dat justitiam (a relatione). Ergo nec vitam (a pari). Ergo nec hæreditatem dat lex. Ergo per fidem tantum datur hæreditas, vel promissio, vel benedictio, vel vita; omnibus his etenim utitur ut paribus.

37. Ambros. *Sed conclusit.* Conclusio eorum erat, timor unius Dei.

38. Lanfr. *Sed conclusit Scriptura.* Conclusit lex omnia sub peccato, vel quia perfecte nullum malum liberavit a peccato, vel quia tamen difficilis data est, ut cum impleri non posset, prævaricatores omnes constitueret.

39. *Conclusi in eam fidem.* Conclusi, id est, constricti timore velut servi eramus, in expectatione ejus fidei, quæ revelanda erat in adventu Christi.

40. *Omnes enim filii Dei.* Probat quia non sumus servi sub pædagogo lege; nam liberi, id est, filii estis, quia Christum induistis, id est ejus opera facitis. Omnes enim baptizati Christum induunt; sed vos estis baptizati. Ergo Christum induistis. Item, quod omnes baptizati Christum induunt; nullus enim excipitur, et hoc est, *non Judæus*, scilicet exceptus, *neque Græcus*, etc. Ergo qui baptizati estis, Christum induistis, hoc est, *omnes enim vos unum estis.*

41. August. (*ibid.*) *Omnes enim filii.* Quod autem dicit Dei filios esse per fidem, quia induerunt Christum quicunque in Christo baptizati sunt, ad hoc valet ne gentes de se desperarent, qui non custodiebantur sub pædagogo.

42. Ambros. *Non est Judæus.* Differentia ista vel gentium, vel conditionis, vel sexus, jam quidem ablata est ab unitate fidei, sed manet in conversatione morali.

43. August. (*ibid.*) *Omnes enim vos.* In quantum enim fideles sunt omnes, unum sunt in Christo Jesu. Etsi hoc fides facit, per quam in hac vita juste ambulatur, quanto perfectius atque cumulatius id spes ipsa factura est, cum videbimus facie ad faciem.

44. (*ibid.*) *Si autem vos Christi.* Si autem ut hic subdistinguatur, et subaudiatur : *Vos unum estis in Christo Jesu;* ac deinde inferatur : *Ergo Abrahæ semen estis.*

45. (*ibid.*) *Ergo Abrahæ semen.* Hic ostendit unum semen Christum, non tantum ipsum Mediatorem intelligendum esse, sed etiam Ecclesiam, cujus ille corporis caput est.

46. Ambros. *Ergo semen.* Si unum est semen

130 CAPUT VIII.

1. Dico autem : 2, 3. Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium : 4. sed sub tutoribus et actoribus est *placitando* usque ad præfinitum tempus a patre, 5. ita et nos, (*interponit se, totum pro parte*) cum essemus parvuli *sensu, ante fidem*, sub elementis mundi, *sicut ille sub tutoribus*, eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum 6. factum ex muliere, 7. factum sub lege, (*singula singulis respondent*) ut eos, qui 8, sub lege erant, redimeret, 9. ut adoptionem filiorum reciperemus, *ut essemus adoptivi filii*. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, 10 clamantem, *clamare nos facientem*, Abba, Pater. *Id dicit Syriace, et Latine.* 11. Itaque, *quia filius,* jam non est servus *quis vestrum*, sed filius Quod si filius : (*a pari*) et hæres per Deum, *per gratiam Dei*. Sed tunc quidem ignorantes **131** Deum, *cum serviebatis elementis*, *minus culpabiles*, iis, qui natura non sunt dii, *sed voluntate hominum*, serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum 12. imo cogniti sitis a Deo, 13. quomodo 14. convertimini iterum 15. ad infirma et 16. egena, *non habentia unde vivant*, 17 elementa *colenda*, quibus denuo servire vultis ? 18. Dies *Sabbatorum* observatis, et menses, *neomenias*, et tempora *annorum*, et annos, *Jubilæum*, *et qui nihil operatur. Et quia vultis iterum Judaizare,*

COMMENTARIUS.

Abrahæ, et illud non intelligitur nisi in Christo. Hoc autem semen Abrahæ nos sumus; hoc est totum, id est, caput et corpus, unus est Christus.

CAP. IV — 1. LANFR. *Dico autem.* Diceret quis : Servi fuimus, ut dicis, et modo dicis : Hæredes erimus, non potest esse. Quod probat per similitudinem præmissam de his qui sub custodia sunt.

2. AUGUST. (*Expos. Epist. ad Galat.*, c. IV). *Quanto tempore.* Cum superius legem pædagogum fecerit, sub quo erat populus Judæorum ; nunc procuratores dicit elementa, sub quibus serviebant gentes, ut populus fidelis partim sub lege pædagogo, partim sub elementis tempore suæ pueritiæ fuerit. Ad hoc quod dixerat in adventum fidei tanquam sub pædagogo custodiri populum usque ad ætatis opportunitatem, qua in libertatem vocandi erant, adjunxit : *Dico autem : Quanto tempore hæres parvulus est.*

3. LANFR. *Quanto tempore.* Comparationem hanc tantum ad eos qui ex gentibus crediderunt. Hæres, parvulus, et servus, ita intelliguntur sicut multitudo hominum, quorum alii credituri sunt, alii non.

4. *Sub tutoribus*, id est, sunt tutores et auctores [*vel* actores]; sed pro diversitate causarum diversa nomina sortiuntur. Tutores dicuntur, quia personam pupilli, et res ejus contra calumnias tuentur. Auctores qui injuriis pupillo vel rebus ejus illatis agunt.

5. *Ita et nos.* Totum pro parte ponit, sicut sæpe partem pro toto. Non enim unquam sub diis gentium, quos hic elementa vocat, solem enim, lunam, aerem, aquas adorabant. Quidam intelligunt elementa, carnales observantias ; sed sequens sententia non vult : *Sed tunc quidem*, etc.

6. AUGUST. (*ibid.*) *Factum ex muliere.* Factum propter susceptionem creaturæ.

7. (*ibid.*) *Factum sub lege.* Factum autem sub lege dixit, quia et circumcisus est, et hostia legitima pro eo oblata est. Nec mirum si legis opera sustinuit, ex quibus liberaret, qui eis serviliter tenebantur : qui etiam mortem sustinuit, ut ex illa liberaret eos qui mortalitate tenebantur.

8. LANFR. *Sub lege erant.* Redemit etiam eos, qui sub lege non erant ; sed de his poterat esse dubitatio, sine causa non deserui [*f.*, deseri].

9. AMBROS. (53) *Ut adoptionem.* Adoptionem propterea dicit, ut distincte intelligamus unicum Filium Dei. Vos enim beneficio et dignatione misericordiæ ejus filii Dei sumus. Non dixit, accipiamus, ut significaret hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus.

10. AUGUST. (*in Epist. ad Gal.*) *Clamantem, Abba. Pater.* Eleganter intelligitur non frustra duarum linguarum verba posuisse idem significantia, propter universum populum qui, de Judæis et gentibus, in unitatem fidei vocatus est, ut Hebræum verbum ad Hebræos [*al.* Judæos], Græcum ad Græcos [*al.*, gentes]. Utriusque tamen verbi eadem significatio ad ejusdem fidei spiritusque unitatem pertineat.

11. (*ibid.*) *Itaque jam non est.* Propter hoc quod dixerat : *Nihil differt a servo.*

12. AMBROS. *Imo cogniti.* Non enim scientibus vobis, aut videntibus, divina vobis quodammodo illuxit scientia.

13. AUGUST. *Quomodo convertimini iterum*, etc. Ipsa tamen nolebant redire ad gentilitatem, sed ad circumcisionem. Sed pro eodem deputat ; ideo dicit; iterum et denuo, quia idem est in genere, in servitio.

15. AMBROS. *Convertimini iterum.* Quid prodest vos evasisse servitutem, qua tenebamini, cum serviretis elementis mundi, quando rursus alia [*f.* ad illa *vel* ad alia] reditis.

15 AUGUST. (*ibid.*) *Ad infirma.* Quia infirma et instabili specie variantur.

16. (*ibid.*) *Egena*, quia stabili specie creaturæ egent.

17. AMBROS. *Elementa*, id est, temporibus servitutis. Manifestum est enim volumina temporum per elementa mundi, hoc est cœlum et terram, et motus atque ordinem siderum administrari.

18. LANFR. *Dies observatis.* Dies, suasio quædam est ; non enim dies observabant, nisi gratias agentes, ut nos.

(53) Est Aug. in cap. III ad Gal., tom. IV.

Timeo vos, ne forte sine causa, *inutiliter*, laboraverim in vobis? *quod ne fiat.* 19. 20. Estote *conversi* sicut ego, *modo conversus*, 21. quia et ego sicut vos *fui olim*, fratres, *ne judaizetis*, obsecro vos. 22. Nihil me læsistis, *imo profuistis, sicut angelum Dei suscipientes.* Scitis autem quia 23. per infirmitatem carnis *afflictus, vel infirmus*, evangelizavi vobis jam pridem; et 24, 25. tentationem vestram, *pro vobis factam*, in carne mea 26. non sprevistis, neque respuistis, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut (*exaggeratio*) Christum Jesum, *et ita tunc beati vos.* Ubi est 27. ergo, *nunc autem, ubi* beatitudo vestra *pristina? non me læsistis: vel bonum mihi fecistis.* Testimonium enim perhibeo vobis quia, si fieri posset, (*benevolentia, ut sibi obedianti*) oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi. Ego inimicus vobis factus sum [illegible] 28. verum dicens vobis? *Illi qui persuadent me inimicum vobis esse, vel vos judaizare.* 29. Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, *a fide, vel a mea dilectione*, ut illos æmulemini, *imitemini.* Bonum autem *in illos*, æmulamini in bono semper, et non tantum cum præsens sum apud vos. 30. Filioli mei, quos iterum 31. parturio, *cum labore revoco,* 32. donec formetur Christus in vobis *resipiscentibus.* Vellem autem esse apud vos modo, *quos voco filios, vocarem pessimos, vel quos admoneo blandiendo*, et 33. mutare vocem meam, *comminarem imperando*, quoniam confundor in vobis. 34. Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim: 35. Quoniam Abraham duos filios habuit: unum *Ismael* de ancilla *Agar*, et unum *Isaac* de libera *Sara*. Sed qui de ancilla, 36. secundum carnem natus est; qui autem de libera *natus est*, per repromis-

COMMENTARIUS.

A 19. AMBROS. *Estote sicut ego.* Eram inquit, et ego sub lege; sed post elegi extra legem vivere, sicut et vos per eam quæ in Christo est fidem vivebatis. Imitamini ergo et vos me cum illa quæ in Christo est fide, a conversatione legitima vosmetipsos extraneos facientes.

28. LANFR. *Estote sicut ego*, id est, conformamini meis moribus, quia ego conformor vestris. Vel estote fideles, sicut ego sum, quia ego infidelis fui sicut et vos; ac per hoc me imitamini, quia ego priorem fidem non sine causa deserui.

21. *Quia et ego sicut vos.* Diceret quis: Quomodo possumus esse ut tu? Respondet: Potestis, quia sicut sumus idem in substantiali essentia, possumus esse in accidentali, id est, in sanctitate.

22. *Nihil me læsistis.* Ne quis diceret Apostolum ex invidia eos arguere, removet sic: Non me læsistis, quod debeam invidere vobis; sed omnia bona mihi fecistis, quia amicus factus. Hoc loquor vobis, quia amicus sum vobis, et quia verum est.

23. *Per infirmitatem*, id est in infirmitate, sicut et per illud tempus, id est, in illo tempore.

24. *Tentationem.* Tanta fuit infirmitas carnis in Apostolo, ut auditores tentari possent, et putare quod Apostolus Christi non esset, qui ita ægrotare permitteret.

25. AUGUST. (*in Epist. ad Gal.*) *Tentationem.* Tentati sunt, cum persecutionem pateretur Apostolus; utrum timore desererent eum, an charitate amplecterentur.

C 26. LANFR. *Non sprevistis*, etc. Potuissent illi, videntes Apostolum affligi, spernere prædicationem ejus, sed non spreverunt, et putare Deum non curare illum qui sic affligebatur.

27. *Ergo beatitudo vestra.* Beatitudo illis erat Apostolum diligere, et præceptis ejus in omnibus obedire, sed hanc beatitudinem quidam illorum perdiderant, qui ad culturam dæmonum redire et eis servire volebant.

28. AUGUST. (*ibid.* B.) *Verum dicens.* Sed quid verum prædicans, nisi ut non circumciderentur?

29. (*ibid.*) *Æmulantur*, id est, invident vobis, qui vos carnales de spiritualibus volunt facere; hoc est æmulantur non bene.

30. (*ibid.*) *Filioli mei.* Parturitionem hanc pro curarum angoribus positam intelligamus.

31. LANFR. *Parturio.* Nati et parti erant in fide Christi; sed quia quidam illorum fidem dimiserant pariendi iterum ab Apostolo erant, quod usque formaretur Christus in eis.

32. AUGUST. (*ibid.*) *Donec formetur.* Formatur Christus in eo, cum formam Christi accipit.

33. (*ibid.*) *Mutare vocem.* Quid aliud dicatur, nisi quia filios suos dixerat esse, parcens eis per litteras, ne, severiore objurgatione commoti, facile in ejus B odium traducerentur. Vellem ergo, inquit, nunc adesse apud vos et mutare vocem meam, id est, negare vos filios meos, quia confundor in vobis.

34. LANFR. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse.* Non debetis velle sub lege esse, sed sub ecclesiastica gratia; lex enim servos generat, Ecclesia liberos. Quod Scripturæ auctoritate sic probat, dicens ancillam Agar Abrahæ servum genuisse, Saram vero liberam liberum filium edidisse. Et ne dicas quod Sara et Agar ad legem et Ecclesiam [*sup.* pertinent], et quod earum filii, ad utrumque populum. Et respondet Apostolus quod dictum est de duabus matribus et earum filiis, per allegoriam, de lege et gratia debere intelligi. Quod plenius invenies ibi: *Sed qui de ancilla*, etc.

35. *Quoniam Abraham.* Ostendere vult honestius sub gratia Novi Testamenti esse quam sub lege Judæorum. Abraham, Deus Pater intelligitur; duo filii, plebs Judæorum et populus gentium; ancilla, lex quæ servos gignebat, timore cogens eos, dicens: Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur; libera, prædicatio Novi Testamenti, quæ liberos generat, paterna dilectione admonens eos dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos requiescere faciam; jugum enim meum suave est, et onus meum leve est* (*Matth.* XI).

36. *Secundum carnem*, id est, carnalem consuetu-

sionem : quæ *prædicto modo* sunt per allegoriam dicta. *Quid hæc ad legem?* Hæc enim sunt duo testamenta, *nam aliud dicunt, et aliud signant ; quia dicunt filios, et signant duo testamenta.* 37. Unum quidem *datum* in monte Sina, in servitutem generans, 38 quæ est Agar, *quæ signat Agar ; (parenthesis)* **133** 39. Sina enim, (*exponit quid Sina*) mons est in Arabia, 40. qui conjunctus est ei quæ nunc est Hierusalem, et 41, servit cum filiis, *incolis*, suis. 42. Illa autem, quæ sursum est Hierusalem, 44. libera est, quæ est mater nostra. 44. Scriptum est enim : 45. Lætare, sterilis ! quæ non paris ; erumpe et clama. quæ non parturis, quia 46. multi filii desertæ *Ecclesiæ ad tempus, dum fuit lex* magis quam ejus, *Synagogæ*, 47. quæ habet virum. *Diceret quis : Quid ad nos quæ modo dixisti ?* Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. *Ergo liberi. Diceret quis : Nos dicis liberos, qui quotidie affligimur.* Sed quomodo tunc is qui secundum spiritum (*Isaac*), ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, et filium ejus ; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ ; *ipsi ejicientur, nos autem hæreditabimus, quia non sumus servi, sed liberi*, 48 qua libertate Christus nos liberavit.

134 CAPUT V.

Ergo quia liberi State, et 1, 2. nolite iterum jugo servitutis, *circumcidendo vos*, contineri, *supradictis terruit, nunc per se dissuadet, ne circumcidantur.* Ecce ego Paulus, *qui fui circumcisus*, dico vobis quoniam si circumcidamini, Christus *mors Christi*, vobis nil proderit, *quin sitis servi.* (*alia dissuasio.*) Testificor autem

COMMENTARIUS.

dinem, quia juvenis mulier ex sene homine solet concipere.

37. AUGUST. (*in Epist. ad Gal.*) *Unum quidem.* Agar populum Veteris Testamenti propter jugum observationum Isaac natus de libera per repromissionem populum Novi Testamenti significat. Senectus autem parentum Isaac ad eamdem significationem valet, quoniam populus Novi Testamenti, quamvis sit novus, prædestinatio tamen ejus apud Deum, et ipsa Jerusalem cœlestis antiqua est.

38. AMBROS. *Quæ est Agar.* Agar ancilla, pariens secundum usum naturæ, significat legem, quam tenere habent qui in hac vita nascuntur secundum sequentiam naturæ, qui etiam sub lege versabantur in ordine servorum; Sara autem, quæ per gratiam peperit, illos qui in Christo resurrexisse videntur per gratiam, qui etiam præter spem naturæ secundam exspectant nativitatem, quibus jam circumcisio, et oblatio sacrificiorum supervacua est.

39. *Sina enim mons est.* Arabia antiquis temporibus, non illa quæ nunc nominatur, sola erat ; sed et solitudo et pars non modica Ægypti, ubi est mons Sina, in quo data est lex Unde et fuerat Agar, quæ significat Vetus Testamentum, quæ generat in servitutem, quæ etiam conjungitur per significationem ei Jerusalem quæ est in hoc sæculo, in quo testamenti legitima impletur.

40. LANFR. *Qui conjunctus est ei*, id est, ex honore ejus est. Vel quæ Agar conjuncta est, id est, Vetus Testamentum conjungitur Novo, et servit quia in hac præsenti vita servit Ecclesia. Vel servit, conjuncta ei quæ nunc est Jerusalem, id est, legis carnalia tenens in Jerusalem. Vel modo est conjuncta Ecclesiæ, et prius serviit sub lege.

41. *Servit cum filiis.* Servire dicit terrenam Jerusalem, vel sub carnali lege, quæ timore mortis cogebat vel sub jugo Romani imperii.

42. *Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est*, id est, Sara signat Jerusalem cœlestem, quæ est A mater nostra secundum partem, id est, secundum hanc præsentem Ecclesiam, quæ generat nobis Dei filios. Et probat quia libera est, nam lætatur; (effetus) probat quia mater est, nam parit filios : *Scriptum est enim*, etc.

43. *Libera est.* Libera est quia liberæ filiæ, id est, gratiæ Novi Testamenti, et prædicationis Christi, quæ est mater nostra, quia prædicatores ibi sunt, qui nos per Evangelium genuerunt.

44. *Scriptum est enim.* Hoc probat quia libera ; liberorum enim est lætari, servorum vero timere.

45. AUGUST. (*ibid.*) *Lætare, sterilis.* Cœlestem Jerusalem sterilem vocat Scriptura, quandiu filios in terra non genuit, quæ deserta etiam dicta est, cœlestem justitiam deserentibus hominibus, terrena B sectantibus.

46. AMBROS. *Multi filii.* Hoc de resurrectione dictum est. Nos est enim qui resurrectionem assecuti, ex omni gente sumus, illi vero qui sub lege sunt, una gens est.

47. AUGUST. (*ibid.*) *Quæ habet virum*, id est, terrena Jerusalem quæ legem acceperat ; et ideo cœlestem Jerusalem Sara significat, quæ diu deserta est a concubitu viri, propter cognitam sterilitatem.

48. LANFR. *Qua libertate Christus nos liberavit.* Ne putaremus nos naturaliter liberos esse, determinat ipsam libertatem : *qua libertate*, etc.

CAP. V. — 1. LANFR. *Nolite iterum jugo servitutis contineri.* Quia continebimini, si circumcidamini ; dictum est enim. Quia omnis qui sub lege est, servus; qui autem circumciduntur, sub lege sunt. C

2. AUGUST (*In cap. V ad Gal.*) *Nolite iterum.* Quomodo accepturi sumus quod dicit ; ne iterum jugo servitutis attineamini, cum ad eos scribat qui Judæi nunquam fuerant? Quid aliud hoc loco dicat gentibus non invenio, nisi ut prosit illis, quod a servitute superstitionis suæ, per fidem Christi liberati sunt, ne iterum servi esse velint sub observatione carnalium observationum.

rursus omni homini, 3. circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. *Si debet circumcidi, similiter est obnoxius universis legalibus.* Evacuati estis a Christo, *sine Christo estis,* qui in lege justificamini, *justificari creditis; si autem sine Christo,* a gratia excidistis. (*per contrarium.*) Nos enim *tantum* spiritu, *sumpto,* ex fide, spem justitiæ, *vitam æternam, quam habent justi,* exspectamus (*per contrarium.*) 4. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed 5. fides, quæ per charitatem, *non in hypocrisi,* operatur, Currebatis bene. Quis vos impedivit veritati non obedire? Persuasio hæc *vobis facta* non est ex eo, *Deo,* qui vocat vos, *a causa et a simili.* 6, 7. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Ego *tamen* confido (*consolatur*) in, *de,* vobis in Domino, quod nihil aliud, *quam decet,* sapietis; qui autem *suadendo circumcisionem* conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille, *sive potens* 8. 9. Ego autem, fratres, si circumcisionem (*quod dicebatur*) adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? 10. Ergo, *si circumcisionem prædico, ut dicitur,* evacuatum est, *esse debet,* 11. scandalum crucis, *propter crucem* **135** *illatum.* 12. Utinam et *a vestro consortio* 13. abscindantur qui *a libertate in circumcisionem* vos conturbant! 14. Vos enim [*ostendit a quo velint eos conturbari*] in libertatem vocati estis, fratres, tantum (*nisi putetis eam libertatem a lege haberi*) 14. ne libertatem in occasionem detis carnis, *carnalis observantiæ,* sed 16. per charitatem spiritus servite invicem, *quod decet.* 17. Omnis enim lex in uno *charitatis* sermone impletur, *isto scilicet:* Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis, *detrahendo,* et comeditis, *nolite mordere alterutrum, quia si hoc facitis, destruemini: quod ne fiat,* videte ne ab invicem consumamini, *destruamini.* Dico autem *in Christo:* 18. Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. 19. 20. Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem. Hæc

COMMENTARIUS.

3. (*In cap.* v *ad Gal.*) *Circumcidenti se,* etc. Quod ideo dicit, ut vel terrore tam innumerabilium observationum abstinerent se ab his quibus eos isti subjugare cupiebant.

4. Lanfr. *Nam in Christo Jesu neque circumcisio.* Ex fide tantum justificatur, quia non per aliud; nam neque per circumcisionem, neque per præputium.

5. *Fides quæ per dilectionem.* Et hic illud tetigit, qui [*al.*, quia] sub lege servitutis [*al.*, servitus] per timorem operatur.

6. *Modicum fermentum,* etc. Ne dicerent: Circumcidi tantum possumus nos. Vel quidam illorum volebant circumcidi, id est, modicum.

7. August. (*ibid.*) *Modicum fermentum.* Eos autem paucos, qui ad illos veniebant, et isti [*al.*, ut ista] suaderent, quia cooperatione [*al.*, in comparatione multitudinis] Galatarum credentium exigui [*al.*, exiguo] numero erant, fermentum appellat.

8. (*ibid.*) *Ego autem.* Intelligendum est fuisse quosdam qui dicerent etiam ipsum Paulum id sentire.

9. Lanfr. *Ego autem.* Dicebatur Galatis a falsis prædicatoribus, quod Paulus etiam Apostolus circumcisionem prædicaret, et hanc suspicionem a se removet; ideo enim a Judæis persecutionem sustinebat, quia circumcisionem improbabat, et per fidem crucis justificari hominem asserebat. Unde et Judæi adversus eum scandalizabantur; quod scandalum evacuatum esset, si circumcidi debere fideles prædicaret.

10. August. (*ibid.*) *Ergo evacuatum est,* id est, sine causa Christum, cum ista contemneret, scandalizati Judæi crucifixerunt si adhuc eis, pro quibus crucifixus est, talia suadentur.

11. Lanfr. *Scandalum crucis.* Quod propter vos pertulit Christus, nihil prodest vobis, si circumcidi velitis.

12. August. (*ibid.*) *utinam et abscindantur.* Elegantissima ambiguitate, quasi sub specie maledictionis, adjecit benedictionem. Non tantum, inquit, circumcidantur, sed abscindantur; sic enim fiunt spadones propter regnum cœlorum, et carnalia seminare cessabunt.

13. Lanfr. *Abscindantur,* id est, eunuchizentur a malis moribus, ne amplius generent in malum; non enim vocant vos ad id ad quod vocati estis, id est, ad libertatem, sed ad servitutem.

14. *Vos enim libertatem,* quia nec circumcisio, nec aliæ legales observationes curantur.

15. August. (*ibid.*) *Ne libertatem,* id est, ne audito nomine libertatis vobis impune peccandum esse arbitremini.

16. Lanfr. *Per charitatem.* Quasi diceret: sola charitas potest nos salvare, spreta carnali observatione; et reddit causam dicens: quia omnis lex dilectione impletur; et hac occasione breviter exponit quæ vitare et quæ servare debeant Christiani pro servanda charitate. Quibus expletis, ad superiorem circumcisionis redit tractatum.

17. August. (*ibid.*) *Omnis lex.* Omnem legem nunc dicit ex his operibus quæ ad bonos mores pertinent.

18. Lanfr. *Spiritu ambulate.* Et quia non sufficit abstinere a malo, nisi fiat bonum, sequitur *spiritu ambulate,* et habebitis hoc proficuum, quod desideria carnis non perficietis. Et subdit cur contraria non sunt, et ponit designationem in libro: hoc enim sibi invicem: et probat, quia concupiscunt adversum se, a specie.

19. August. (*De Genesi ad litteram,* cap. 12.) *Caro concupiscit.* Carnem itaque concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus; carnalem procul dubio delectationem, quam de carne et cum carne spiritus habet adversus delectationem, quam solus habet; solus quippe habet, ni fallor, illud desiderium non cum carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commistum; quod desiderat anima, et desiderat in atria Domini.

20. Lanfr. *Caro concupiscit.* Quasi diceret: Ideo

enim sibi invicem adversantur 21. ut non quæcumque vultis, illa faciatis 22. Quod si spiritu ducimini, (*item aliud proficuum, si spiritu ambulent*) *ergo*, 23. non estis sub lege, *servi*. 24. Manifesta sunt autem opera, *desideria*, carnis (*probat*) quæ sunt. fornicatio *contra naturam*, immunditia, *in consanguineos*, impudicitia, luxuria, *in quibuslibet*, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, 25. æmulationes, iræ, rixæ, **136** dissentiones, *in fide*, sectæ, 26. invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis *non esse facienda*, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. 27. Fructus, *opera*, autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas. mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, *hoc debetis facere*, *quia* adversus hujusmodi non est lex. (*assumptio*.) Qui autem sunt Christi, 28. carnem suam *vitiosam, et concupiscentem* crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. *Debemus spiritu ambulare*, 29, 30. Si *enim* spiritu vivimus, spiritu *sumpto in baptismo* et ambulemus, *ambulare debemus*. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

CAPUT VI.

Fratres, et 1. si præoccupatus fuerit homo (*aliud præceptum morale*) in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, *non acriter*, considerans, *tu instruens*, te ipsum, ne et *quandoque similiter* tu tenteris. 2, 3. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis 4. legem Christi. *Ad hoc quod dixit considerans te ipsum*. Nam si quis existimat se aliquid esse, *id est, si quis extollit se*, cum *ipse* nihil sit, 5, 6, ipse se seducit. 7. Opus autem suum probet, *probatum faciat*, unusquisque, et sic, *nulli plus credens de se quam sibi*, in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero, *in alterius falsa laude; opus probet*. Unusquisque enim **137** onus, *meritum*, suum portabit, *quidquid dicat adulator* 8. Communicet autem is qui catechizatur verbo, *prædicatione confirmatur*, *ei prædicatori*, qui se catechizat, in

COMMENTARIUS.

A utriusque desideria non potestis perficere quia contraria inter se sunt. Et hoc apte repetit subsequens: *hæc enim sibi invicem adversantur*, etc.

21. August. (*ut sup. ad Galat.*) *Ut non quæcumque vultis.* De his dictum est qui gratiam fidei susceptam tenere nolunt. Volunt enim opera justitiæ operari, sed vincuntur concupiscentia carnis.

22. Lanfr. *Quod si spiritu ducimini*, id est, si Spiritus sanctus moderatur vobis, legem carnaliter non observatis. Vel legem.... nisi plus facientes quam lex jubeat.

23. August. (*ibid.*) *Non estis sub lege.* Intelligamus eos esse sub lege quorum spiritus ita concupiscit adversus carnem ut non ea quæ volunt faciant.

24. Lanfr. *Manifesta autem sunt opera carnis.* Probat quia non perficient opera carnis, quia ista, B et ista sunt opera carnis; sed hoc non perficient. Et hoc est quod dicit: *qui autem sunt Christi*, etc.

25. August. (*ibid.*) *Æmulationes.* Æmulatio est dolor animi cum alius pervenit ad rem quam duo pluresve appetebant, et nisi ab uno haberi non potest.

26. (*ibid.*) *Invidiæ.* Invidia est dolor animi cum indignus aliquid videtur assequi, etiam quod tu non appetebas.

27. Lanfr. *Fructus autem spiritus.* Etsi spiritu ambulent, opera spiritus facient, quia charitatem, etc.

28. *Carnem suam crucifixerunt.* Ille crucifigit carnem suam cum vitiis, qui immobilis et crucifixus C nullis declinatur vitiis.

29. Ambros. *Si spiritu vivimus.* Convenit nos in illa vita, in qua per spiritum sumus regenerati, illa quæ consentanea sunt illius vitæ agere.

30. August. *Si spiritu vivimus*, id est si Spiritu sancto serviamus, spiritualiter serviamus.

CAP. VI. — 1. Lanfr. *Si præoccupatus homo fuerit.* Ita instrue ne propter instructionem extollaris, et cadas in vitium. Vel, leniter instrue, quia tu fortasse cades in vitium.

2. *Alter alterius onera portate.* Si videris fratrem in aliquo delicto, leniter corripe illum, vel ora pro illo, et sic levabis onus ejus.

3. August. (*Tract. 3. in psal.* CXLIII.) *Alter alterius.* Qui portant invicem onera sua, nisi qui habent charitatem? Qui non habent charitatem graves sunt sibi. Qui autem habent charitatem portant se. Læsit te aliquis, petit veniam; si non dimittis, non portas onus fratris tui. Si dimittis, portas infirmum. Et tu si forte in aliquam infirmitatem cecideris, quasi homo, oportet ut sic te portet ille, quemadmodum et tu.

4. Lanfr. *Legem Christi*, id est dilectionem. Ipse enim dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

5. August. (*Exposit. in Epist. ad Galat.*) *Ipse se seducit.* Non enim eum seducunt laudatores ejus, sed ipse potius, quia cum sibi sit ipse præsentior quam illi, mavult se in illis quærere quam in seipso.

6. Lanfr. *Ipse se seducit.* Ratio cur opus probari oporteat.

7. *Opus autem suum probet.* Pseudoapostoli laudabant eos, ideo dicit: Opus suum probet, ne quærat gloriam in altero, id est, in alterius dicto, sed in se.

8. *Communicet.* Qui, inquit, verbo Dei instruitur, et qui se instruit communicet in omnibus bonis suis. Arguit eos tenacitatis in prædicatores suos.

omnibus bonis. 9. Nolite errare : *dicentes, non habere quid eis communicetis :* 10. Deus non irridetur ; 11. *Communicet, inquit,* quæ enim seminaverit homo *in hoc sæculo,* hæc et *in futuro* metet, 12. Quoniam qui seminat 13. in carne sua, *male operando,* de carne et metet corruptionem ; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus ; tempore enim suo, *opportuno,* metemus, non deficientes. *Quia metemus indeficienter.* Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem 14. ad domesticos fidei *Christianos* Videte (*ne epistolam alterius esse putetis*) qualibus litteris scripsi vobis mea manu 15. Quicunque enim volunt placere in carne, *carnaliter circumcisione,* hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur, *tantum, non ut ipsi legem custodiant.* Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi, ut in *truncata* carne vestra *apud Judæos* glorientur. 16. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce, *crucis prædicatione,* Domini nostri Jesu Christi, 17. per quem mihi, *ut me non teneant,* mundus crucifixus, *vilis factus* est, et, (*ut eum non teneant*), ego mundo ! In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet neque præputium, 18 Sed nova creatura, *innovatio mentis, et corporis.* Et quicunque hanc regulam, *non circumcisionis, sed fidei,* secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, 19. et super Israel Dei, *non* [illegible] *carnaliter viventem.* 20, 21. De cætero nemo *inobediens, putans me non esse Apostolum Christi,* mihi molestus sit 22. Ego enim 23. stigmata Domini Jesu, *notas passionum Christi, vel cicatrices vulnerum, vel virgarum,* 24. in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro fratres. Amen.

COMMENTARIUS.

9. *Nolite errare.* Quasi diceret : Si dixeritis vos non habere quod prædicatori tribuatis, hominem quidem potestis fallere, Deum autem, qui occultorum cognitor est, non potestis irridere, id est, decipere.

10. *Deus non irridetur.* Tunc quasi irrideretur, si illi qui non laborant in vinea denarium acciperent.

11. *Quæ enim seminaverit homo.* Debetis, inquit, prædicatoribus et proximis vestra communicare, nam quod seminabitis metetis ; omnis enim homo hoc quod seminaverit metet, quia et ille qui seminat in carne carnaliter operando, et ille qui seminat in spiritu, spiritualiter operando ; iste quidem vitam æternam, ille vero correptionem.

12. *Quoniam qui seminat.* Omne quod seminatur, aut in carne, aut in spiritu, hæc autem omnia metentur.

13. *In carne,* id est, qui facit ipsa carnalia opera, habebit gehennam, quæ est perpetua corruptio.

14. AUGUST. (*in Epist. ad Galat.*) *Ad domesticos fidei.* Quos eum, credendum est, nisi Christianos significare?

15. LANFR. *Quicunque enim voluerit placere,* etc. Præceptum est in rhetorica ut, cum aliquis vult persuadere aliquid, in principio et in fine mentionem faciat, quod facit Apostolus dicens : nolite facere quod vobis pseudo suadent, id est, circumcidi, quia propter hoc faciunt ut placeant Judæis in carne vestra truncata, et non patiantur ab eis persecutionem in prædicatione crucis. Et est convertenda propositio ita : Quicunque volunt vos circumcidi, ideo faciunt tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur ; neque enim faciunt, ut legem custodiant, vel propter aliud.

16. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce,* etc. In cruce Christi gloriabor tantum, quia hoc tantum valet ad Christi salutem promerendam ; non enim aliud, quia neque circumcisio, neque præputium.

17. AUGUST. (*Expos. ad Gal.*). *Per quem mihi mundus,* id est, ut non me teneat ; *et ego mundo,* ut eum non teneam, id est, ut neque mihi mundus nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam.

18. (*Ibid.*) *Sed nova creatura.* Novam creaturam dicit vitam novam per fidem Jesu Christi.

19. (*Ibid.*) *Super Israel,* id est, qui vivere ad visionem præparantur ; non qui vocantur hoc nomine et carnali cæcitate Deum videre nolunt.

20. LANFR. *De cætero.* De cætero, inquit, nemo vestrum onerosus et inobediens mihi sit, putans me non esse Apostolum Christi.

21. AUGUST. (*ibid.*). *De cætero.* Non vult per turbulentas contentiones tædium sibi fieri de re, quantum satis erat, exposita.

22. (*ibid.*) *Ego enim stigmata,* id est habeo alios conflictus et certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus quas patior, mecum dimicant. Stigmata Jesu dicuntur quædam notæ pœnarum servilium. Propter culpam enim persecutionis, qua persecutus est Ecclesiam Dei, hæc sibi retribui cognoverat.

23. LANFR. *Stigmata.* Stigma proprie nota fugitivo servo impressa ; quod Apostolus se portare dicit, eo quod prius Dominum fugerit.

24. *In corpore meo.* In corpore suo portabat cicatrices vulnerum et virgarum, in collo et manibus catenas ; quæ omnia signa erant se esse Domini nostri Jesu Christi. Stigmata autem erant signa quædam, quæ in manibus militantium fiebant, per quæ cognoscebantur esse de militia imperatoris.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

ARGUMENTUM. — Ephesii sunt Asiani. Hi, accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide. Hos collaudat Apostolus, scribens eis a Roma, de carcere, per Tychicum diaconum.

CAPUT PRIMUM.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi, *non Ananiæ*, per voluntatem Dei, *non meritis suis, vel hominibus*, omnibus sanctis, *baptizatis*, qui sunt Ephesi, et fidelibus, *catechumenis*, in Christo Jesu, *in fide.* Gratia, *remissio peccatorum*, vobis et pax, *qua reconciliamur Deo Patri, vel observantia bonorum operum, quæ pax est inter Deum et homines*, a Deo Patre nostro et Domino **139** Jesu Christo. 2 Benedictus, *laudetur*, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit, *auxit, vel ditavit*, nos in omni benedictione spirituali, *non carnali, sicut priorem populum, sed spirituali, id est, cœlesti, existente*, 3, 4, 5. in cœlestibus, *id est, quam in cœlo participamus*, in Christo, sicut elegit nos, *ita benedixit, ut prædestinavit.* 6. in ipso. *Christo*, ante mundi constitutionem, *ad hoc elegit*, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, *non meritis nostris, sed* 7. in charitate *sua. Ecce quod dixit, elegit.* 8. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, *ut essemus sancti*, per Jesum Christum 9. in ipsum; *idem quod in ipso, scilicet credituros*, 10. secundum propositum voluntatis suæ, *idem quod in charitate*, in laudem gloriæ gratiæ suæ, *ut laudetur gloriosa gratia sua*, in qua gratificavit nos *sibi* in dilecto Filio suo, *in fide dilecti Filii sui.* In quo, *id est, per quem*, habemus redemptionem (*hoc effectum posterius*) per sanguinem (*et prius*) ejus (*hæc est causa prioris*), remissionem peccatorum, secundum 11. divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, 12. in omni sapientia, et prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, *quod genus humanum salvare voluit*, secundum beneplacitum ejus, *non meritis humanis*, 13. quod *sacramentum* proposuit in eo, *in Filio*, 14. in dispensatione 15. plenitudinis temporum, *ecce quod proposuit*, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, *imminutum*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. AMBROSIUS. Docet illa bona quæ Christus nobis suo adventu præstitit cum gratiarum actione. Postea transit ad ethicam exhortationem, sic inchoans : *Obsecro vos, ego vinctus in Domino* (*infra.* IV).

2. *Benedictus Deus.* Benedictio quæ fit in Deo, confessio sola est bonorum quæ præstita sunt ab eo. Benedictio quæ fit a Deo, in nobis impletur, dum ejus beneficiis implemur.

3. *In cœlestibus.* Hoc est quam in cœlo participabimus ; dicit enim resurrectionem quæ per spiritum nobis aderit, et ne ipsa novitas mentem turbaret ; quoniam non ante tanta donasset, neque aperte dixisset ; quæ sint illæ spirituales benedictiones, utrique respondet dicens : Sic elegit nos ex ipso ante mundi constitutionem esse sanctos coram eo.

4. AUGUST. *In cœlestibus.* In cœlestibus, quasi de cœlestibus Quia omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est.

5. LANFR. *In cœlestibus.* Cœlestia vocat virtutes, per quarum observantiam itur ad cœlum, in quibus dicit se habere omnem spiritualem copiam in fide Christi.

6. *In ipso.* In ipso, subaudiendum est permansuros ; vel in ipso elegit, quia omnia in sapientia fecit, quæ est Christus.

7. AMBROS. *In charitate.* Ex hoc magnitudo ostenditur liberalitatis.

8. *Qui prædestinavit.* Majus est quod dicit filiorum adoptionem, ab eo quod dixerat sanctos et immaculatos.

9. *In ipsum.* Quoniam dixit : prædestinavit in adoptionem filiorum, incertum erat cujus diceret filios esse adoptivos, adjecit : in ipsum, hoc est in sui ipsius, ut illius filii nuncupemur.

10. *Secundum propositum.* Volens ex omni parte ista extollere quod multa digna sint gratiarum actione, frequenter dicit per ordinationem, et bonum placitum, et voluntatem.

11. LANFR. *Divitis gratiæ suæ.* Per quam gratiam non solum remissio et redemptio, sed sapientia (qua dicitur, sapitur) et prudentia morum.

12. *In omni sapientia*, id est, dans nobis omnem sapientiam, in agnitione sui, et prudentiam morum nostrorum.

13. *Quod proposuit.* Bonum placitum suum in Christo Deus Pater proposuit, id est, palam mundo ostendit, dicens : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.*

14. *In dispensatione plenitudinis.* Vel tunc cum disponebat omnia tempora vel in ipso milliario quo natus est Christus, quod fuit plenitudinis, quia in eo completa sunt promissa. Vel quia alia tempora vacua fuerunt a salute.

15. *Plenitudinis.* In dispensatione, id est, in consummatione. Exponit quid sit illud bonum placitum Dei, videlicet impleto tempore ordinationis suæ instaurare in fidem Christi qui in cœlis sunt, id est, numerum angelorum qui diminutus erat, et quæ

ordinem angelorum, et quæ in terra sunt, *corruptum genus humanum*, in ipso, *in Christo*. 16, 17. In quo *vel qua*, etiam et nos sorte, *non merito*, vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus, *laudemus gloriam ejus* nos, qui ante speravimus in Christo; in quo et vos, *vocati estis*, *ex quo*, 18. cum audissetis verbum veritatis, *scilicet* (Evangelium salutis vestræ in quo *Christo*, et credentes 19. signati estis 20. Spiritu promissionis sancto, qui est 21. pignus *perpetuæ* hæreditatis nostræ, 22. in redemptionem acquisitionis, *redempti ut Deo acquiramini*, in laudem gloriæ ipsius. Propterea (*quia credidistis, et signati, et vocati estis*) et ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, 23. ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus, *et det vobis* illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, *quæ et quantum speretis vocati*, et quæ divitiæ gloriæ, *gloriosæ* hæreditatis ejus in sanctis, et 24. quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, *quo daturus est nobis incorruptionem*, 25. qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et 26. constituens ad dexteram suam in cœlestibus 27. supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, 28. et omne **140-141** nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, 29. quæ est corpus ipsius, et 30. plenitudo ejus, qui omnia 31. in omnibus adimpletur.

CAPUT II.

Et vos cum essetis *prius* mortui delictis *actualibus*, et peccatis *originalibus* vestris, in quibus aliquando

COMMENTARIUS.

[*f.*, qui in terra] sunt, homines videlicet qui magna ex parte perierant.

16. (August. *Tract. psa..* xxx, *concion.* 2, tom. VIII). *In quo et nos sorte*. Sorte dixit gratiam, qua salvi facti sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam? Quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur: iste facit, iste non facit, merito considerantur, et ubi merita considerantur, electio non est sors. Quando autem nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos facit, quia voluit, non quia digni fuimus; hæc est sors.

17. Lanfr. *In quo et nos*. Immutatio casuum est, quasi diceret: in quem, id est, in cujus fidem; vel in quo, id est, per quem.

18. Ambros. *Cum audissetis*, in ipso et vos verba Evangelii audistis, et ad fidem accessistis, et spiritus paticipatione confirmationem accepistis, hoc enim dicit: *Signati estis*.

19. Lanfr. *Signati estis*. Ordo est: signati estis in redemptionem acquisitionis; spiritus enim credentes signat, id est, ab aliis hominibus discernit, et separat; quia a peccatis eos purgat et spiritualibus gratiis ornat.

20. Ambros. *Spiritum promissionis*. Bene autem spiritum promissionis vocavit, quoniam bona quæ exspectant in futuro, sancti Spiritus participationem exspectant.

21. *Pignus hæreditatis*. Redemptionem illam, fruitionem, quæ tunc erit, vocat, quod formæ illius dabitur.

22. *In redemptionem*. Redemptionem vocat immortalitatem, quæ erit per resurrectionem, acquisitionem vero familiaritatem suam quæ ad Deum erit.

23. *Ut Deus Domini nostri*. Dicens Christi susceptum indicat hominem; pater gloriæ gloriosa est enim divina natura.

24. *Quæ sit supereminens*, id est, qualia, et quam A magna erga nos qui in eum credimus ab eo efficientur; et hoc explanat memoranda quæ in Christo facta sunt. Et considera quia non dicit gloriam hæreditatis absolutæ, sed divitias gloriæ; neque virtutem ejus, sed neque magnitudinem virtutis ejus; sed vehementius: quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus.

25. Lanfr. *Qui credimus*, etc., id est, qui credimus omnia quæ operatus est in Christo, possit operari in nobis, id est, resurrectionem.

29. Ambros. *Constituens*, hoc est participem illum honoris accepit, de suscepto homine id dicens, propter inhabitantem mecum [*f.*, secum] naturam verbi Dei.

27. Lanfr. *Supra omnem principatum*, etc., id est, B super angelorum et archangelorum nomina, quæ modo sciuntur, et super omnia quæ ad præsens ignorantur; vel super cœleste et terrestre nomen.

28. *Et omne nomen*. Hoc est sive aliquid secundum præsentem vitam nominatur, et cognoscitur esse magnum quod nos in futuro cognoscere poterimus, quod nunc forsan nescimus, omnium illorum superiorem fecit.

27. *Quæ est corpus ipsius*. Corpus ejus sumus, similitudinem naturæ, et participem spiritus suscipientes, et corpus unum erimus omnes, quia communem suscepimus resurrectionem in immortalitatem. In ordine vero caput nobis Christus erit; ex quo omnis causa secundæ regenerationis in nos C derivasse videtur.

30. Lanfr. *Plenitudo ejus*. Plenitudo Christi est Ecclesia, quia in ea et per eam adduntur membra Christo, id est, fideles.

31. Ambros. *In omnibus adimpletur*. Hoc est in omnibus plenus est. Necessario autem adjecit omnia, ostendens totum existere in omnibus, prout quis cogitare voluerit sive essentia, sive in operatione, sive in virtute.

ambulastis 1. secundum sæculum, *sæculares*, mundi hujus, 2. secundum principem *diabolum* 3. potestatis aeris hujus, spiritus qui, *ordo; qui spiritus* nunc operatur 4. in filios diffidentiæ, *de promissis diffidentes*, 5. in quibus *peccatis* et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, *ecce quomodo in desideriis*, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura *originali peccato* filii iræ, sicut et cæteri, *interpositio* 6. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, (cujus gratia estis salvati), et conresuscitavit, 7. et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu, 8. ut ostenderet 9. in sæculis supervenientibus, *id est hominibus futuris, ut idem sperent de se, vel in æterno sæculo*, abundantes divitias gratiæ suæ, *quia* **142** *salvavit nos*, in bonitate, *non meritis nostris*, super nos in Christo Jesu, *in fide Christi. Ostensio bonitatis.* Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc, *salus nostra*, non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis *in se* (*quod non decet*) glorietur, *quod faceret, si ex operibus salvaretur.* 10. Ipsius enim sumus factura. creati in Christo Jesu in operibus bonis; *in hoc etiam quod bene operamur, facti sumus Deo*, qua præparavit Deus, *nec hoc a nobis*, ut in illis ambulemus. 11. Propter quod, *quia salvati gratia*, memores estote quod aliquando vos gentes in carne, 12. qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta; *et memores estote* quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, *Judæorum*, 13. et hospites testamentorum, *extranei a lege*, promissionis spem non habentes, *ut Judæi*, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, *in fide Christi*, vos, qui aliquando eratis longe *a Deo per peccata*, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*angelicam, et humanam creaturam, vel Judæos et gentes*) 14. et medium parietem (*quasi fortem* maceriæ solvens, inimicitias (*ecce parietem*) 15. in carne sua, legem *Judaicam, vel parietem*, mandatorum decretis *evangelicis* evacuans, ut duos *populos* condat *evacuata lege* in semetipso in unum novum hominem *in se, vel* [f., *ut*] *sint unus novus homo*, faciens pacem, (*inculcatio superiorum*) 16. et reconciliet ambos *ut sint* in uno corpore, *in se*, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, *gentibus*, qui longe fuistis; et pacem iis qui prope; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu *hoc operante* ad Patrem. Ergo, *quia destructa inimicitia*, jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei (*exponit quomodo sint cives*) superædificat

COMMENTARIUS.

CAP. II. — 1. AMBROS. *Secundum sæculum.* Sæculum non creaturam dicit, sed temporalem hujus sæculi conversationem. A

2. LANFR. *Secundum principem*, id est, secundum quod persuadebat vos princeps qui in hoc aere potestatem habet vel fideles tentandi, vel ipsum commovendi.

3. AMBROS. *Potestatis aeris.* Diabolus mandatum accepit ut principetur aeri et potestatem habeat commovere eum.

4. LANFR. *In filios diffidentiæ.* Filii diffidentiæ dicuntur, vel quia de promissionibus Dei diffidunt, vel quia de conversione eorum nulla spes est fidelibus.

5. AMBROS. *In quibus et nos.* Quoniam dixerat vos, ne se subtrahere existimaretur ab illis qui necessariam videbantur habere gratiam, adjecit, *in quibus et nos*. B

6. *Deus autem qui dives est.* Sic cœperat. Et vos cum essetis mortui, cætera interjecit, donec iterum illud resumpsit, ultra non dicens vos, sed nos.

7. *Et consedere.* Illis nos, ait communicasse quæ de Christo dixit, per illam, quæ apud illum est, conjunctionem.

8. *Ut ostenderet.* Bene in sæculis supervenientibus dixit, quando ipsarum rerum manifestam erga nos ostendet Dei bonitatem, et gratiam illam quam perficere dignatus est per illa quæ secundum Christum sunt.

9. LANFR. *In secundis supervenientibus.* In nobis, inquit, qui tantam misericordiam a Deo consecuti sumus, ostendit Deus quantam homines in futuris temporibus sperare possint. C

10. *Ipsius enim sumus.* Ratio cur ex operibus sui nemini sit gloriandum. Quasi diceret: ipse fecit et creavit nos in fide Jesu Christi, et in operibus bonis quæ per gratiam suam præparavit nobis. Potest et factura ablativus esse, ut sit sensus: operatio ipsius est, quod creati sumus in fide Jesu Christi, etc.

11. *Propter quod memores.* Quia, inquit, fidem, et bona opera Deus dedit vobis, memores estote verborum Dei; malorum, in quibus fuistis, ut pro collatis beneficiis majorem Deo gratiam rependatis.

12. AMBROS. *Qui dicebamini.* Quod dicit in carne adjici illi debet, qui dicimini non in illo dicto, quo gentes dixit, ut sit sensus in carne præputiatos debere dici.

13. LANFR. *Hospites testamentorum.* Hospites erant gentes in eos qui testamenta habebant, vel quia ad tempus more hospitum veniebant et recedebant; vel quia si qui eorum ad Judaicum ritum convertebantur advenæ et proselyti vocabantur.

14. AMBROS. *Medium parietem.* Inimicitiam et separationem quæ ex circumcisione fiebat, cum omni lege fecit cessare. Nam post resurrectionem, immortalitatem nobis præstans destruxit hæc. In immortali etenim natura circumcisio nequaquam poterit celebrari.

15. LANFR. *In carne sua.* In carne sua vel assumpta, vel crucifixa, solvit Christus legales observationes, quas parietem et inimicam [*f.*, inimicitiam] vocat inter Judæos et gentes; lex enim non erat data, nisi usque ad adventum Christi.

16. *Reconciliet ambos*, etc. Reprimit Judæos, di-

17. super fundamentum, *intransitive, vel fidem*, apostolorum et prophetarum, 18. ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo, et vos coædificamini in habitaculum, *ut sitis habitaculum*, Dei in Spiritu.

CAPUT III.

Hujus rei gratia, *ut habitaculum Dei sitis*, ego Paulus vinctus Christi Jesu *in carcere*, pro vobis gentibus *prædicandis*, 1. si tamen audistis dispensationem *Evangelii* gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis, quoniam secundum revelationem *Dei non per hominem*, notum mihi 2. factum est sacramentum, sicut 3. supra scripsi in brevi, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod aliis 4. generationibus non est agnitum, *scilicet*, filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus, et prophetis *Novi Testamenti, ut Agabo*, in spiritu. (*Ecce mysterium Christi*) gentes esse cohæredes *Judæis, vel angelis*, et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium, *fidem*, cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. Mihi *enim* omnium sanctorum minimo, data est gratia hæc, *scilicet*, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare, *docere*, omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis, *a constitutione mundi, vel a secularibus*, in Deo, qui omnia creavit, 5. 6, 7. ut innotescat principatibus et potestatibus, in cœlestibus *degentibus*, per Ecclesiam 8. multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro; in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia **143-144** per fidem ejus. 9. 10. Propter quod, *quia fiduciam habemus*, 11. peto ne deficiatis *a fide* in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. 12. Hujus rei gratia (*ne deficiatis, vel repetit, quæ supra dixit; quia multa interposuit*) flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis 13. pa-

COMMENTARIUS.

cens eos quoque reconciliatione, ut gentes, indiguisse. A

17. *Super fundamentum*. Fundamentum vocat fidem, eamdem, inquit, fidem quam habuerunt et prophetæ.

18. *Ipso summo angulari*. Ordo : summo angulari lapide existente Christo Jesu.

CAP. III. — 1. Lanfr. *Si tamen audistis*. Interruptio est sententiæ usque ad aliam sententiam, quæ sic incipit : *Hujus gratia flecto*, etc.

2. *Factum est sacramentum*. Sacramentum hoc de æqualitate gentium est, cum gente Judæorum, de quo supra breviter scripsit dicens : *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum*, etc., usque *jam non estis hospites et advenæ*.

3. *Supra scripsi in brevi*. Breviter. Scriptum est superius, ut *notum faceret sacramentum suæ voluntatis, instaurare omnia quæ in cœlis, et quæ in terra*. B

4. *Generationibus*. Revelatum quidem fuit prophetis Veteris Testamenti per gratiam Dei gentes esse salvandas, sed quod ad æqualitatem Judæorum essent venturæ ut cohæredes et concorporales cum eis fierent, unam et æqualem cum eis hæreditatem habituræ, spirituale corpus, id est, unam Ecclesiam cum gente Judæorum facturæ æqualiter promissionis Dei participes, nulli nisi in Novo Testamento revelatum fuit.

5. *Ut innotescat*. Absconditi ad hoc ut postea multiformis sapientia (in hoc quod præmisit patriarchas, prophetas et apostolos) notificaretur cœlestibus per Ecclesiam, id est, per ea quæ geruntur in Ecclesia. C

6. Ambros. *Ut innotescat*. Sicut hoc erat occultum ut nec invisibiles virtutes potuissent hoc scire. Nunc vero manifestum est per ea quæ erga Ecclesiam facta sunt.

7. Lanfr. *Ut innotescat*. In cognoscendam sapientiam Dei cœlestes spiritus etiam profecerunt per Ecclesiam, quia, dum eam Christus seu per se, seu per apostolos suos instrueret, plurima secreta didicerunt quæ antea ignorabant.

8. *Multiformis*. Ordo : sapientia Dei multiformis secundum sapientiam Dei, quæ in propria natura simplex est, secundum ordinem sæculorum multiformis dicitur, eo quod ipsa sæcula in ipso Dei ordine multiformiter variantur.

9. *Propter quod peto*. Petit ne desperent de misericordia Dei circa seipsos, videntes eum tanta pati.

10. Ambros. *Propter quod peto*. Omnia interjecit ab eo, ***Paulus vinctus***, usque ad hoc, *propter quod peto*.

11. Lanfr. *Peto ne deficiatis*. Utrumque noverat alterutro indigere, et gloriam libero arbitrio, ubi rogat ne deficiant; et liberum arbitrium dono gratiæ, ubi Deum rogat, ut det eis corroborationem.

12. August. (Serm. 7 *De verb. Apost.*, tom. X.) *Hujus rei gratia*. Cujus rei gratia, nisi quæ supra dixerat, peto, non infirmari in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Quia ergo voluntatis habetis arbitrium, peto. Quia vero vobis voluntatis arbitrium non sufficit ad implendum quod peto : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem*.

13. Lanfr. *Paternitas in cœlis*. Cœlos vocat spirituales homines. Terram carnales. *Ad Patrem*, inquit, *flecto genua*. *Ex quo*, id est, per quem nominantur cæteri patres seu spirituales, seu carnales. Qui enim fecit esse res quod sunt, ipse causa est ut nominentur quod sunt. Aliter : *ex quo*, id est, cujus similitudine nominantur patres spirituales, vel carnales. Quia enim omnipotens Deus pro eo Pater dicitur, vel quod Filium ex se generavit, vel quod creata proprio moderamine gubernat et regit. Ex ea

ternitas in cœlis, et in terra nominatur, ut det vobis, secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, *et* Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate 14. radicati, et fundati, 15. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, 16. quæ sit 17. latitudo, *vera charitas*, et 18. longitudo, *exspectatio donorum Dei*, et 19. sublimitas *vera, id est, Deum videre* et 20. profundum, *cognitio secretorum Dei;* scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, 21, 22 ut impleamini *virtutibus* in omnem plenitudinem **145** Dei 23. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis, *quod possumus scire ex hoc quod dat nobis virtutem miraculorum*, ipsi gloria in Ecclesia, *in corpore*, et in Christo Jesu *et in capite*, in omnes generationes 24. sæculi (*hujus ex multis sæculis ab initio constantibus* [f., *constantis*]) sæculorum. Amen.

CAPUT IV.

Obsecro itaque vos (*ethica admonitio*) 1. ego vinctus, *incarceratus*, in, *pro*, Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate, *dictis, et factis*, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem, *concordiam*, spiritus in vinculo pacis (*a simili*), 2, 3. Unum corpus, 4. et unus spiritus *sitis;* sicut et vocati estis in una spe vocationis vestræ. *Sicut est vobis* unus Dominus, una fides, unum baptisma, *ita debetis unum spiritum habere.* Unus Deus, et Pater omnium 5. qui est super omnes, *ut Dominus* et per omnia, *ut gubernans*, et in omnibus nobis, *ut inhabitans.*

COMMENTARIUS.

similitudine propter eamdem causam patres dicuntur, vel quia ex se ipsis filios generant; vel quia subjectos pio studio gubernant et regunt. Si vero per cœlos angelos intelligi voluit, credendum est minores angelos, patres nominare majores; quoquo tamen modo sententia intelligitur, bona paternitas intelligi debet; neque enim ex Deo illa erat, de qua in Evangelio dicit : *Vos ex patre diabolo estis.* Et alibi : ab *initio mendax est*, et pater ejus patrem mendacii, diabolum dicens.

14. AUGUST. (Epist. 120 *De gratia Novi Test.*, c. 26, tom. II.) *Radicati et fundati.* Radicati propter agriculturam ; fundati propter ædificationem ; dicit enim alio loco : *Dei agricultura, Dei ædificatio estis.*

15. AMBROS. *Ut possitis.* Hoc est ut in fruitione vitæ consistatis, quod ostendit dicendo cum sanctis, nam latitudinem, longitudinem, profundum. Altitudinem dicit gratiæ magnitudinem, ex his nominibus quæ apud nos magna esse videntur, oro, inquit, cum sanctis illa tam magna donatione Dei quam præstitit nobis charitas Christi.

16. AUGUST. (*Ibid.*) *Quæ sit latitudo.* Latitudo in bonis operibus, quibus benevolentia porrigitur usque ad diligendos inimicos; et longitudo, ut longanimiter pro hac latitudine molestiæ tolerentur; et latitudo, ut pro his æternum, quod in supernis est, præmium, non vanum aliquid temporale speretur ; et profundum, significat profunditatem gratuitæ gratiæ, in qua multorum ingenia conteruntur, investigare conantur, ut ad extremum eis dicatur : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo ?*

17. LANFR. *Latitudo.* Latitudo Christianorum est cordis amplitudo, ad dandum et subveniendum pro Deo in quantum potest : unde alias dicitur : *Dilatamini et vos.*

18. *Longitudo.* Longitudo, quæ et alias longanimitas dicitur, id est, exspectatio promissionum Dei cum alacritate mentis.

19. *Sublimitas.* Sublimitas est vita cœlestis. Unde A alias dicitur : *Supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus.*

20. *Profundum.* Profundum infernum vocat. Orat ergo Apostolus quatenus hæc quatuor possint intelligere, et intellecta, tria appetere, unum vitare.

21 AUGUST. (Epist. 112 *ad Paulinam De videndo Deo*, cap. 23, tom. II.) *Ut impleamini.* Sic implebuntur in omnem plenitudinem Dei, non cum fuerint et ipsi plenus Deus, sed cum fuerint perfecte pleni Deo.

22. AMBROS. *Ut impleamini*, id est, ut ipsum proportione communis corporis videamini, in quo Deus inhabitat.

B 23. *Ei autem qui potens.* Post gratiæ narrationem orat pro illis, et sub spem [*f.*, specie] gratiarum actionis concludens dogmaticos sermones incipit ethicos.

24. LANFR. *Sæculi sæculorum.* Sæculum sæculorum est æternitas cujus partes sunt tempora et omnia sæcula. Potest etiam intelligi sæcula sæculorum, hoc præsens sæculum ab initio mundi usque ad finem simul intellectum, quod in multa sæcula dividitur.

CAP. IV. — 1. AMBROS. *Ego vinctus.* Ad reverentiam mutat, quia adjecit : *Ego vinctus in Domino ;* si quidem ipsa vincula propter prædicationem habere videtur.

2. *Unum corpus*, hoc est, hanc unitatem illibatam custodite, per pacem et charitatem ; et hoc C esse necessarium multis modis ostendere nititur per ea quæ sequuntur.

3. LANFR. *Unum corpus et unus spiritus.* Unum habetis spiritum, sicut estis unum corpus, ut non sitis schismatici.

4. AMBROS. *Et unus spiritus.* Spiritus qui nos regeneravit; corpus, inquit, per regenerationem consistere videmini.

5. *Qui super omnes.* Qui omnibus supereminet. Hoc enim dicit super omnes, qui et per omnia

6. Unicuique autem nostrum 7. data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit, *in psalmo* LXVII : Ascendens *Christus* in altum, 8. captivam duxit (*re in se, spe in nobis*) captivitatem ; *mortem vel* **146** *homines, prius a diabolo captivatos* ; dedit dona hominibus. 9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ ? *in manus peccatorum, vel in infernum, vel in terram.* Qui 10, 11. descendit, ipse est qui ascendit supra omnes cœlos, 12. ut impleret omnia. *Probat diversa esse dona.* Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas (*ut Agabus, et filiæ ejus*) alios vero evangelistas, 13, 14. alios autem pastores, *episcopos*, et doctores, *cæteros prælatos*, ad consummationem sanctorum (*ab hoc spiritualia charismata dantur eis, ut consummarent in eis sanctitatem*) in opus ministerii, *ut corpus Christi, id est, Ecclesiæ sanctos ædificent, scilicet,* in ædificationem corporis, *Ecclesiæ*, Christi *ædificandi*, 15. donec occurramus omnes *in die judicii ante Deum* in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, *in hoc sæculo subsistentes,* 16. in virum perfectum, *perfecti resurgamus sine membrorum imminutione*, 17, 18. in mensuram ætatis plenitudinis Christi ; *ad hoc dedit doctores*, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, *ut inducant nos in errorem* (*hoc usque fuit digressio, id est, ab hoc quod dixit, solliciti servare* **147** veritatem, *æquitatem*, autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia *dona virtutum*, qui est caput Christus, 19. ex quo totum corpus compactum, *facit augmentum*, *id est augmentatum*, et

COMMENTARIUS.

suam ostendit providentiam in omnibus, quanquam nobis et esse et habitare dignatur.

6. *Unicuique autem vestrum.* Hoc vult dicere, quamvis per omnia necessaria sit concordia, videtur tamen inesse in eis differentia ob gratiarum varietatem.

7. LANFR. *Data est gratia secundum mensuram*, etc. Quamvis unus sit spiritus, diversa sunt dona ipsius. Et hoc est quod dicit : *Data est gratia secundum mensuram*, id est, diversæ ; alii hoc, alli illud, alii plus, alii minus. Quod prius ab auctoritate, postea probat a partibus.

8 AUGUST. (*Enarr. in psal.* LXVII, tom. VIII). *Captivam duxit.* Utrum quia vicit mortem, quæ captivos tenebat, in quibus regnabat, an ipsos homines appellavit captivitatem, quia captivi sub diabolo tenebantur.

9. LANFR. *Quod autem ascendit.* Probat de Christo superiorem versum esse dictum ; ipse enim ascendit in cœlum et de cœlo descendit.

10. AMBROS. *Descendit.* Inferiores partes ipsam terram nominat in comparatione cœli. Vult autem dicere, quoniam non ascendisset, nisi primum in illo divina exstitisset natura, cui complacuit in illum habitare, qui super terram erat.

11. *Qui descendit.* Vult autem dicere quoniam is in quem divina descendit natura, super cœlos effectus est, et hoc inseruit volens ostendere quomodo Christus homo aliis posset tribuere spirituales donationes ; post recurrit ad suam sententiam.

12. LANFR. *Impleret omnia,* id est, omnes gentes cultura divina, vel omnia quæ de eo prædicta erant.

13. AUGUST. (*Epist. 59 ad Paulin.*, quæst. 4, tom. II.) *Alios pastores.* Pastores et doctores, quos maxime ut discerneremus voluisti, eosdem puto esse, sicut et tibi visum est, ut non alios pastores, alios doctores intelligamus ; sed ideo cum prædixisse pastores, subjunxit et doctores, ut intelligant pastores ad officium suum pertinere doctrinam.

14. LANFR. *Alios autem pastores.* Propter hoc
A Christus diversis diversa dedit, ut perfecte quisquis exerceri possit in opus ministerii quod accepit. Si enim unus accepisset omnia, non perfecte posset vacare ad singula. Quid autem sit opus ministerii sanctorum, quibus spirituales gratiæ a Christo collatæ sunt, subjungit dicens : *In ædificationem corporis Christi*, ad hoc enim spiritualia charismata dantur illis, ut corpus Christi, vel Ecclesiam ædificent.

15. *Donec occurramus.* Ordo : donec nos omnes, in unitatem fidei et agnitionem Filii Dei in hoc sæculo subsistentes, occurramus in virum perfectum, diem judicii significat, quomodo [*f.*, quo] omnes qui nunc habemus unam fidem et unam agnitionem Filii Dei, sic ex diversis partibus mundi occurremus
B invicem, ut unusquisque sit vir perfectus, habens eam ætatem qua Christus de hoc sæculo transiit et resurrexit, hoc est quod dicit in mensuram ætatis plenitudinis Christi, id est, in qua ætate Christus plenitudinem annorum et corporis habuit. Potest intelligi occursuros nos in virum perfectum, ut omnes simus unus vir perfectus, id est una Ecclesia, cui nihil desit et cui nihil sit postea addendum.

16. AUGUST. (lib. XXII *De civit. Dei.*, c. 15, tom. V.) *In virum perfectum.* Sic accipiamus dictum, ut nec infra, nec ultra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ejus ætate et robore, usque ad quam Christum pervenisse cognovimus.

17. (*Ibid.*, ante.) *In mensuram.* De mensura æta-
C tis plenitudinis Christi, aut propter illud intelligamus dictum esse ; id est, ut illi capiti in populis Christianis antecedente omnium perfectione membrorum, ætatis ejus mensura compleatur ; aut hoc de resurrectione corporum dictum est.

18. LANFR. *In mensuram ætatis plenitudinis Christi*, id est, in ætate qua Christus plenitudinem annorum et corporis habens in terra de hoc sæculo transiit.

19. AMBROS. *Ex quo totum.* Ex Christo quasi ex capite copulatur corpus Ecclesiæ, secundum quod

connexum per omnem juncturam 20. subministrationis, *id est, accessionem subministrantium se Deo,* 21. secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, *id est secundum operationem uniuscujusque membri,* augmentum corporis facit 22. in ædificationem sui *ipsius* 23. in charitate *Christi non meritis.* Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam *accepta doctrina* non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati 24. a vita Dei, *æterna, vel a resurrectione illa quæ fieri exspectatur,* per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum *colendo idola,* qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis. in avaritiam *inexplebiliter.* Vos autem non ita didicistis Christum *velle vos facere,* si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas *non hypocrisis* in Jesu, deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, *massam vitiorum, imo ita didicistis Christum velle ut deponatis,* qui corrumpitur *peccando* secundum desideria erroris. Et *quia non sufficit deponere a malo, subdit :* 25. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, *massam virtutum,* 26. qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Propter quod, *ut novum hominem induatis,* deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. *Si vel de præteritis* irascimini, et nolite *ad actum ducere, vel deinceps* peccare. 27. Sol, *vel Christus,* 28. non occidat *vobis* super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo *(exponit quomodo)* ; qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat *(non unde inebriet)* necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, *nullus sermo malus procedat,* sed si quis *sermo* bonus *est,* **148** *vel sit,* ad ædificationem fidei, *ille procedat, ita* ut det gratiam, *gratus sit,* audientibus, 29. Et nolite contristare 30. Spiritum sanctum Dei, *vel illos qui habent,* in quo signati estis in 31. diem redemptionis, *baptismi in partem Dei, id est, discreti ab infidelitate.* Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor *in Deum,* et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, mise-

COMMENTARIUS.

in unoquoque nostrum, spiritualis efficitur operatio.

20. Lanfr. *Subministrationis.* Subministratio alicujus peccatoris ad Deum conversio, qui ita Ecclesiæ copulatur ut membrum corpori.

21. *Secundum operationem.* Secundum id quod operatur magnum [*f.*, unum] membrum, erit augmentum corporis

22. Ambros. *In ædificationem sui.* Quod dicit (sui) de Christo dicit, ut dicat : Quoniam Christus facit proprii corporis ædificium, ob illam charitatem quam erga nos habere videtur.

23. Lanfr. *In charitate.* Exponit modum hujus ædificationis ; quod non fit nisi sola charitate. Si operari renuit, membrum non est.

24. Ambros. *A vita Dei,* id est a resurrectione illa quæ fieri exspectatur.

25. August. (lib. xiv *De Trin.* cap. 16, tom III.) *Renovamini.* Quod autem ait : Spiritu mentis nostræ, non ibi duas res intelligere voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis.

26. August. (lib. iii *De Genes. ad lit.* cap. 20, tom. III.) *Qui secundum Deum.* Sicut enim post lapsum peccati, homo in agnitionem Dei renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum, ita in ipsa agnitione creatus est antequam delicto veterasceret ; unde rursus in eamdem agnitionem [*al.*, in eadem cognitione] renovaretur.

27. August. (*Enarr. in psal.* xxv, tom. VIII.) *Sol non occidat.* Intelligitur quid est, et secundum tempus. Quasi ex ipsa conditione et infirmitate mortalitatis, quam portamus, subrepit ira Christiano non debet diu teneri et fieri pridiana ; ejice illam de corde antequam occidat lux ista visibilis, ne te de-

A serat lux illa invisibilis. Sed aliter melius intelligitur, quia noster sol justitiæ et veritatis Christus est, cujus veritate anima humana illustratur.

28. August. (*serm. de psalmo* xi intra fragmenta 24) *Non occidat.* Est ergo verum lumen justitia atque sapientia quod desinit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tanquam nubilo superata ; et tum quasi occidat sol [*al.*, et tunc occidit sol] super iracundiam hominis.

Ambros. *Ut det gratiam,* id est, in quo lætari conveniat eos qui audiunt.

29. August. (lib. iv *De Genes. ad lit.*, cap. 9) *Nolite contristare.* Neque enim ipsa Spiritus sancti, qua est quidquid ipse est, substantia contristari potest, cum habeat æternam atque incommutabilem

B beatitudinem, magisque sit ipsa æterna et incommutabilis beatitudo. Sed quia in sanctis [*al.*, ita] habitat, ut eos impleat charitate, quia [*al.*, qua] necesse est ut homines ex tempore gaudeant profectu fidelium et bonis operibus, et ideo necesse est etiam contristentur lapsibus vel peccatis eorum de quorum fide et pietate gaudebant.

30. (*Ibid.*) *Spiritum sanctum Dei.* Ipse spiritus dicitur constristari ab eis qui sic agunt ut eorum factis contristentur sancti, non ob aliud nisi quia Spiritum sanctum habent ; quo dono tam boni sunt ut eos mali molestificent [*al.*, mœstificent].

31. Lanfr. *Diem redemptionis.* Diem redemptionis diem vocat baptismatis, in quo Spiritus sanctus fide et sacramentis, et gratiis spiritualibus signat

C fideles, id est ab infidelitate secernit.

August. (*ex lib. Contra mend.*, c. 19, tom IV) *Blasphemia.* Blasphemia est per quam de ipso Deo falsa dicuntur.

ricordes *communicando vestra.*, donantes invicem, *condonando commissa*. 32. sicut et Deus in Christo, *in fide* donavit nobis.

CAPUT V.

Estote ergo, *autem*, imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis, *ut eum delectetis*. Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, *nedum perpetretur*, sicut decet sanctos, aut turpitudo *verborum*, aut stultiloquium *in Deum*, aut scurrilitas, *joculatoria verba*, quæ ad rem, *utilitatem*, non pertinet, sed magis gratiarum actio, *sit in vobis*. *Reddit causam cur non sint perpetranda.* Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, 1. quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei 2 Nemo vos seducat *persuadens vobis per hoc, regum Dei non amitti*, inanibus verbis; propter hæc enim, *nam vere propter supradicta*, venit ira Dei in filios diffidentiæ *diffidentes de Deo. Quia propter hoc venit ira Dei.* Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem **149** lux in Domino *Ergo quia lux estis*, ut filii lucis ambulate; *ecce quomodo debent ambulare, scilicet in omni bonitate, id est, vere.* 3. Fructus enim, *autem*, lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate, probantes, *experientes*, quid sit beneplacitum Deo; et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, *tenebrosorum*, magis autem redarguite *illa opera*. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. *Redarguite*, 4, 5. Omnia autem, *enim, scilicet peccata prædestinatorum ad vitam*, quæ arguuntur, a lumine, *a spirituali homine*, manifestantur *confessione*. 6. Omne enim quod manifestatur, *confessione*, lumen est, *id est, lumen facit qui manifestat. Probat ab auctoritate*; propter quod dicit : 7, 8. Surge qui dormis *in vitiis*, et exurge *confitendo peccata tua* a mortuis, *peccatis*, et illuminabit te Christus. *Ecce quod lumen est.* Videte itaque, fratres, *quia filii lucis estis*, quomodo caute ambuletis non quasi insipientes, sed sapientes 9. redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, *dies hujus sæculi, in quibus malus sævire permittitur*. Propterea nolite, *quia mali*, fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, *David*, et hymnis, *ut Prudentii*, et canticis spiritualibus, *cæteris orationibus*, cantantes et psallentes in cordibus vestris, *non ore tenus tantum* Domino, gratias agentes semper pro omnibus, *vel pro prosperis, vel adversis*, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. Subjecti *estote* invicem, in timore Christi. *Ecce quomodo subjici rogat.* 10. Mulieres viris suis subditæ sint, *non in hypocrisi*, sicut Domino, *vel Deo. Ecce cur* : 11. quoniam vir, caput est mulieris

COMMENTARIUS.

32. Ambros. *Sicut et Deus.* Quoniam grave videbatur ut quis remittat nocenti se, adjecit : *sicut et Deus dedit in Christo vobis.*

CAP. V. — 1. Ambros. *Quod est idolorum.* Avaritiæ pondus in simili monstravit, idolorum servitutem illam vocans, eo quod similiter a Deo averteret.

2. Lanfr. *Nemo vos seducat.* Seducebant quidam auditores suos, persuadentes eis quod, propter superiora peccata, non amitteret homo vitam æternam.

3. *Fructus enim lucis.* Illuminati inquit, hominis fructus est omnis bonitas et justitia, et veritas, præmisso genere sibi [*f.*, ibi] junxit species, et justitiam; quidam in operibus veritatem intelligi vult in cogitationibus et sermonibus.

4. *Omnia autem quæ aguntur.* Causam reddit cur dixerit *magis autem redarguite*. Omnia enim peccata hominum prædestinatorum ad vitam æternam, quæ aguntur a lumine, id est, a justo spirituali homine, confessione manifestantur, omne autem quod in confessione manifestatur, lumen est, id est, facit eum lumen, qui manifestatur Et recte quidem dictum est, sicut enim patratio sceleris tenebras, sic ejus confessio lumen facit.

5. Ambros *Omnia autem quæ aguntur.* Dictum est hoc ab Apostolo non integre. Nam dicens quia manifestantur, quod sequebatur silentio tradidit, id scilicet quod possit ipsa manifestatio adjuvare. Om- A nis enim super delictum suum si manifestatur, patitur confusionem.

6. *Omne autem quod manifestatur.* Aliud autem retulit quod dicit : *Nolite communicare operibus tenebrarum*; hoc est, nolite illorum opera imitari, sed talia agite quæ, si fuerint manifestati, tristes vos minime faciant. Luminis enim sunt illa opera quæ in manifesto fiunt; tenebrarum vero illa opera sunt quæ occultantur.

7. *Surge qui dormis.* Testimonium hoc nullam habet sequentiam; de lumine enim disputas retulit hoc ad opera tenebrarum. Quidam autem dixerunt quod in illo tempore inter alias gratias, gratia psalmos faciendi daretur; unde hoc testimonio Apostolus abusus videtur.

8 August. (*Enarr. in psal* LXII) Somnus animæ B est oblivisci Deum suum; quæcunque anima oblita fuerit Deum suum dormivit [*al.*, dormit].

9. August. (Serm 16 *De divers. in appendice*, t. X.) *Redimentes tempus.* Redimere tempus, hoc est, quando aliquis tibi infert litem; perde aliquid ut Deo vaces, non litibus; perde ergo, ex eo quod perdis, pretium est temporis.

10. Ambros. *Mulieres viris.* Tres effectus memoratus est, inter quos duos naturales præposuit et in uno quoque ab inferioribus inchoavit.

11. *Quoniam vir caput est.* Illum ordinem Christus habet ad Ecclesiam, eo quod ex illo secundæ

sicut Christus caput est Ecclesiæ; *vir quidem non salvavit mulierem, sed tamen Christus* ipse Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis **150** in omnibus *subjiciantur*. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, (*ex effectu*) et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, 12. mundans 13. lavacro aquæ in verbo vitæ *baptismo, id est, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad hoc.* 14. ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, 15. non habentem maculam *peccati*, aut rugam *hypocrisis*, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata, *ut Christus*. Ita et viri debent diligere uxores suas et corpora sua. 16. Qui suam uxorem diligit, seipsum, *carnem suam*, diligit. 17. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, 18. quia *nos, id est, Ecclesia*, membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus, *de infirmis, et firmis existentis, vel eamdem carnem, et eadem ossa quæ habuit Christus, habentis*. 19. Propter hoc 20. relinquet homo patrem et 21. matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. 22. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico *esse sacramentum illud* in Christo et in Ecclesia. 23. Verumtamen, **151** *quamvis allegorice possit intelligi de Christo*, et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum.

CAPUT VI.

Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est (*et hoc probat ab auctoritate*). Honora patrem tuum et matrem tuam, 1. quod est mandatum primum in promissione, *in lege, quæ promittit adimplentibus illam terram lacte et melle fluentem*. ut bene sit tibi, et sis longævus super terram *viventium*;

COMMENTARIUS.

vitæ causam habere videtur; hoc enim in isto loco dicit [*f.* dicitur] ipse Salvator corporis hunc ordinem vir habet ad mulierem, eo quod, ut consistat, virum accipit.

12. August. (*Tract.* 15 *in Evang. Joan.*, t. IX.) *Mundans lavacro.* Quid est baptismus? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus. Tolle verbum, non est baptismus.

13. Lanfr. *Lavacro aquæ in verbo.* Verbum vocat prolationem divinitatis, quæ a baptizantibus super aquam profertur.

14. August. 14. (lib. *De perfect. just.*, c. 15, t. VII). *Ut exhiberet ipse sibi.* Tunc utique quando gloriosa; non enim modo in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permistione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum dicendum est eam esse gloriosam.

15. August. (*Serm.* 2 *in monte*, cap. 22.) *Non habentem maculam.* Non habentem maculam neque rugam, id est, mundam et simplicem.

16. Lanfr. *Qui suam uxorem diligit.* Debent uxores diligere, quia seipsos a tanto, id est, carnem suam: nam non debent habere (a contrario). Nemo enim, etc., a genere.

17. *Nemo enim unquam.* Probat quod viri corpora sua diligant.

18. *Quia membra corporis ejus.* Potest legi, corporis ejus constantis de carne et ossibus ejus, id est, de infirmis et firmis, vel de carne et ossibus ejus sumus membra, eamdem carnem, et eadem ossa habentia, quæ ipse habuit.

19. *Propter hoc relinquet homo.* Quia, inquit, nos sumus de carne et de ossibus ejus, propter, hoc, sicut scriptum est in Genesi: *Relinquet*, Verbum Patris qui futurus est homo, *Patrem*, id est non eamdem essentiam apparens, quia cum Patre permanet, *et matrem*, id est, Synagogam, *et adhærebit uxori suæ*, id est Ecclesiæ. Sic autem dicitur sacramentum. Sed tamen quamvis de Christo dicitur, potest ad litteram intelligi ut multi diligentes uxores patrem et matrem relinquant. Et hoc est; *Verumtamen et vos*, etc.

20. August. (lib. XII *Contra Faust Manich.*, c. 9, t. VI). *Relinquet homo.* Quis enim non agnoscat Christum eo modo reliquisse Patrem; *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens?* Reliquisse etiam matrem Synagogam Judæorum Veteri Testamento carnaliter inhærentem et adhæsisse uxori suæ Ecclesiæ [*al.* sanctæ] ut pace Novi Testamenti essent duo in carne una, quia cum sit Deus apud patrem, per quem facti sumus, factus est particeps noster, ut illius capitis corpus esse possemus.

21. Id. (*Exposit. in Evang Joan.* 10, t. IX.) *Et matrem.* Quomodo reliquit matrem? Relinquendo Synagogam Judæorum, de qua secundum carnem natus est Christus.

22. Lanfr. *Sacramentum.* Quod de viro et uxore dicit, et ad litteram intelligendum est secundum sæculi consuetudinem, et spiritualiter de Christo et Ecclesia. Patrem Christus relinquere visus est, quando semetipsum exinanivit, et formam servi accepit. Matrem Synagogam, ex qua natus est, reliquit; quando ipsa in sua infidelitate persistente, ad prædicandum gentibus apostolos misit, et ex eorum conversione, Ecclesia congregata, quasi sponsæ sponsus adhæsit, cum qua unigenitus est in carne una; quia carnem quam de virgine sumpsit, in missa et celebritatibus, quotidie Ecclesia sumit.

23. *Verumtamen.* Quasi diceret: quamvis ergo hoc sacramentum in Christo et Ecclesia intelligam spiritualiter, verumtamen vos a morali intellectu historiæ nolite recedere.

CAP. VI. — 1. Lanfr. *Quod est mandatum primum.* In prima quidem tabula tria fuere mandata ad Deum pertinentia, id est: *Non adorabis deos*

Et, vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplina et correptione Domini. Servi, obedite dominis carnalibus, cum timore *animi*, et tremore *corporis*, 2. in simplicitate cordis vestri, sicut Christo *obediretis* (*ecce cur in simplicitate dixerit*, non ad oculum, *palam tantum*, servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus, scientes quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. 3. Et vos, domini, eadem, *id est, ex simplicitate, et bona voluntate*, facite illis, 4. remittentes minas, scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum, *non est ei charior liber quam servus obediens illi*. De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, *non vestræ*. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. *Dei armaturam dico*, quoniam 5. non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem *tantum*, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi, *hujus sæculi*, 6. rectores tenebrarum harum, *scilicet*, 7. contra spiritualia (*intransitive dæmones dicit*) nequitiæ 8. in cœlestibus, *in aere degentia*, **152** *vel pro virtutibus, quas nobis dæmones auferre conantur*. 9. Propterea 10. accipite armaturam Dei, *virtutes*, ut possitis resistere 11. in die malo, *in præsenti sæculo, ubi mala fiunt*, et in omnibus, *vel prosperis*, *vel adversis* perfecti stare. State ergo, *non jaceatis in sordibus*, succincti lumbos vestros (*id est, stringite fluxa carnalis voluptatis*) in veritate, et induti loricam justitiæ *in opere*, et 12. calceati, *contra insidias diaboli munitos habentes* pedes, *mentes*, in præparatione Evangelii, *ut præparetis eos percipiendo Evangelio*, pacis, *pacificantis* : In omnibus sumentes (*intransitive*) scutum fidei, in quo possitis omnia tela, *vitia*, nequissimi, *diaboli* ignea exstinguere, et 13. galeam salutis, *spem*, *vel ipsam salutem æternam*, assumite; 14. et gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem, et *per crucem*, *vel* obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia, *non remisse*, et obsecratione pro omnibus sanctis; et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, *scilicet*, cum fiducia, *non cum timore*, notum facere 15. mysterium Evangelii; pro quo legatione fungor in catena, *carcere*, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui. Ut autem et vos sciatis quæ circa me

COMMENTARIUS.

alienos. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Sabbata custodies. Et reliqua septem in secunda ad proximum pertinentia; quorum fuit prius : *Honora patrem et matrem*. Unde dicit *quod est primum mandatum*.

2. Ambros. *In simplicitate*. Modum quo illud dixerat expandit, subjungens : *Non ad occulum servientes*.

3. Lanfr. *Et vos Domini eadem*, id est, similia in simplicitate cordis, et bona voluntate, ut servi Christi facientes voluntatem Dei erga illos.

4. Ambros. *Remittentes*. Non dixit auferentes, sed remittentes. Non enim corrigere servos, si pertinaciter peccant, prohibet.

5. *Non est nobis*. Abusus est indifferenter colluctationis nomine, pro bello ponens.

6. August. (*Enarr. in Psal*. CXVII, tom VIII). *Rectores*. Rectores tenebrarum harum, id est, rectores iniquorum mundum istum diligentium.

7. *Contra spiritualia*. Sunt ergo spiritualia nequitiæ in cœlestibus non ubi sidera disposita fulgent, et sancti angeli commorantur, sed in hujus aeris infimi caliginoso habitaculo, ubi et nebula conglobatur.

Ambros. *In cœlestibus*. Hoc est, pro cœlestibus, id est, pro regno cœlorum adversus illos est nobis certamen.

8. Lanfr. *In cœlestibus*. Cœlestia vocat virtutes, quæ ad cœlestia, in quibus exercendis spiritum nequam contradictionem patimur.

9. *Propterea accipite*. Quasi diceret : Quia contra spirituales hostes certatis, spiritualem armaturam insumere debetis.

10. August. (*ibidem in psal*. XXXIV). *Accipite armaturam*. Verumtamen, charissimi, arma ista ne putetis sic esse ut quasi quod scutum, semper scutum sit, aut quod galea est, semper galea sit; aut quæ lorica, semper lorica sit. In istis enim armis corporalibus ita est, quanquam et de ferro quæ fiunt mutari possint, ut ex gladio securis; tamen ipsum apostolum videmus dixisse quodam loco, *loricam fidei*, et alio dixisse, *scutum fidei*. Scutum ergo est, quia tela inimicorum excipit et repellit. Lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit.

11. Ambros. *In die malo*. Diem malum præsentem vitam dicit, eo quod in præsenti sæculo mala [*f*., mali] agunt.

12. Lanfr. *Calceati pedes*. Calceatos jubet pedes nostros esse, quia cogitationes nostræ, per quas mens quodammodo deambulat, munitæ debent esse contra insidias malignorum spirituum, ut præparemus in nobis ea quæ jubet Evangelium pacis, id est, Christi.

13. *Galeam salutis*. Salus æterna debet esse nostra galea, quia in memoria mentem nostram, quæ capitis nomine designatur, sæpe debet obvolvere.

14. August. (*ibid. in psal*. CXLIX.) *Et gladium*. Sermo ergo Dei gladius bis acutus; unde bis acutus dicit de temporalibus, dicit de æternis. Gladius enim bis acutus, de quo Apostolus dicit, quia de utroque testamento feriens hoc gladio mactabant; de quibus dicebatur Petro : *Macta et manduca*.

15. Lanfr. *Mysterium Evangelii*. Mysterium Evangelii, id est, quod Evangelium prædicat, incarnationem et passionem Christi et cætera sacramenta vult intelligere.

sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, et fidelis minister in Domino, quem misi ad vos, in, *propter*, hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et *ne deficiatis pro me*, consoletur corda vestra. Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo. Gratia *sit*, cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione, *sincere*. Amen.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES,

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

153 ARGUMENTUM. Philippenses sunt Macedones. Illi, accepto verbo veritatis, persistiterunt in fide, nec receperunt falsos apostolos. Hos collaudat Apostolus scribens eis a Roma de carcere per Epaphroditum.

CAPUT PRIMUM.

1. Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, *confirmatis fide Christi Jesu* qui sunt Philippis, 2. cum episcopis, et diaconibus Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper *quotiescunque vestri recordor, scilicet habitis* in cunctis orationibus meis *factis* pro omnibus vobis cum gaudio, *vel habito de hoc quod Evangelio communicatis*, deprecationem faciens, super 3. communicatione vestra, *ut eam Deus multiplicet*, in Evangelio Christi *perdurantem* a prima die *conversionis vestræ* usque nunc: 4 confidentes hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque 5 in diem Christi Jesu : *judicii, vel obitus cujusque* : 6. sicut est mihi justum, *quia bene agitis*, hoc sentire pro omnibus vobis (*reddit causam*) eo quod habeam vos in corde, *id est, diligo vos*, et in vinculis meis, et in defensione, et confirmatione (*miraculis*) Evangelii, *ita quidem ut velim* socios gaudii mei, *id est, regni cœlorum*, omnes vos esse. **154** Testis enim mihi est Deus, *unde mihi testis est Deus*, quomodo 7. cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi *id est in charitate quæ secundum Christum est esse* Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu *agendo* ; ut probetis *actu ipso* potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, *judicii, vel obitus*, repleti fructu justitiæ, *vita æterna*, per Jesum Christum, in gloriam. et laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, (*ne ipsi debaccharentur propter captionem Apostoli*) quia quæ circa me sunt, *vincula mea scilicet*, magis ad profectum, *quam ad detrimentum*, venerunt Evangelii, 8. ita *venerunt ad profectum* ut vincula mea manifesta fierent in Christo, *quia per Christum vinctus eram*, in omni prætorio, et in cæteris *locis* omnibus, et plures e fratribus in Domino, *apostoli*, confidentes vinculis meis *propter vincula mea*, abundantius *solito* auderent 9. sine timore verbum Dei loqui. 10 Quidam quidem *prædicant*, et 11. propter invidiam

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. AMBROS. *Ad Philippenses*. Philippenses viri elegantes erant, sed de primatu contentio erat inter quosdam illorum, et hoc inter illos qui virtutibus ornati videbantur. Scribitur ergo his de custodia humilitatis, et ut non intenderent dictis illorum qui custodire eos legem suadebant.

2. *Cum episcopis*. Episcopos dixit, qui nunc presbyteri dicuntur, nec enim hujus ordinis fas erat multos esse in una civitate.

3. LANFR. *Communione vestra*, id est, qua communionem habetis in Evangelio Christi. vel ut majorem habeatis ; ad utramque enim sententiam refertur.

4. *Confidens hoc ipsum*. Hoc ideo adjecit, quia incautum videbatur gaudere de his quorum exitus erat incertus.

5. *In diem Christi*. Diem Christi Jesu vocat vel uniuscujusque diem extremum, quo de corpore exit, et ad judicium Christi perducitur ; vel finalem sæculi diem, quo ad judicandum venturus est Dominus.

6. *Sicut et mihi justum est*. Quasi diceret : Gratias pro vobis ago, Deum oro. De vobis bene confido. sicut justum est mihi de vobis hoc sentire, id est, A ita velle. Exponit causam : *Eo quod*, inquit, *habeam vos in corde*, sive vinctus, sive defendens, sive confirmans Evangelium, ut omnes sitis socii gaudii mei, id est, regni cœlestis.

7. AMBROS. *Cupiam vos*. Quod dixit in visceribus Christi, dicere voluit in charitate illa quæ secundum Christum est.

8. *Ita ut vincula*. Nam vinctus ad omnium notitiam pervenit, et fideles cum fiducia docebant et his quæ circa illum facta sunt, fiduciam accipientes ; quidam propter invidiam Christum annuntiant ; quæ utraque latius significat adjiciendo : *Alii ex contentione, quidam quidem ex charitate*.

9. LANFR. *Sine timore*. Videntes alii Apostolum in vinculis non timentem verbum Dei loqui abun- B dantiorem audentiam sumebant sine timore loqui verbum Dei, cum ipsi non essent vincti.

10. AUGUST. (lib. *Contra mendacium ad Consent.*, c. 6, tom. IV) *Quidam quidem*. Fuerunt enim etiam temporibus apostolorum qui veritatem non veritate, id est, non veraci animo prædicarent, quos dicit Apostolus Christum annuntiasse non caste, sed per invidiam et contentionem ; ac per hoc etiam tun

ut in me persecutionem excitent, et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant; (*repetit, quidam quidem*) quidam *prædicant* ex charitate, scientes *videntes*, quoniam in defensionem Evangelii positus sum *in carcere*, (*repetit, quidam quidem*) Quidam autem 12. ex contentione Christum annuntiant non sincere, 13. existimantes pressuram se suscitare vinculis meis, *sed hæc omnia magis ad perfectum venerunt*. Quid enim? *Scilicet refert*. Dum omni modo, sive per occasionem, *id est, propter persecutionem excitandam mihi*, sive per veritatem, *sancto desiderio*. Christus annuntietur, et in hoc, *quod pressuram mihi excitant*, gaudeo *nunc* sed et gaudebo. *Ecce cur*, 14. Scio enim quia hoc, *illa pressura*, mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem. 15. et subministrationem Spiritus Jesu Christi, (*a contrario*; *largam mercedem, quantam decet spiritum, tribuere*, secundum exspectationem, *et hoc exspecto*; et spem meam, *et spero*, quia in nullo 16. confundar, **155** sed in omnia fiducia, sicut semper, et nunc, *etiam in vinculis*, magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, *dando exemplum boni aliis*, 17. sive per mortem, 18. Mihi enim vivere, *causa vitæ meæ*, Christus est, et mori lucrum, *quia tunc quiescam a laboribus*. 19. Quod si *etiam* vivere in carne, hic mihi fructus operis est, *sicut et mori*, et 20. quid eligam ignoro, *cum utrumque prosit, quid eligam ignoro, vivere an mori*. Coarctor autem, *enim*, e duobus; (*bis scilicet*) desiderium habens dissolvi *a corpore*, et esse cum Christo, (*parenthesis*) multo magis melius, *scilicet, est, esse cum Christo*; permanere autem *me* in carne, necessarium, *utile*, propter vos, *ut dem vobis exemplum*. Et hoc (*quod necessarium est vobis*) confidens, scio quia manebo, et permanebo omnibus vobis, *apud vos*, ad profectum vestrum, et gaudium fidei, *quod fides promeretur, vel exigit*; ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in, *per*, me *scilicet*, per meum adventum iterum ad vos. Tantum digne Evangelio Christi conversamini, *ita* ut, sive cum venero et videro vos, sive absens, *scilicet fuero*, audiam de vobis quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii, et, *ita ut*, in nullo terreamini ab adversariis; quæ (*quod ipsi vos terrent*) illis est causa perditionis; vobis autem salutis, (*causa cur non terreamini*) et hoc, *quod ipsi vos terrere volunt*, a Deo, *scilicet datum est*, quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, 21, 22. idem certamen habentes quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.

CAPUT II.

Si qua ergo consolatio *quam exspectetis* in Christo, si quod *est mihi in vobis* solatium charitatis, 1. si qua societas spiritus, 2. si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, *scilicet* ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem **156** neque per inanem gloriam *facientes*; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli conside-

COMMENTARIUS.

nonnulli tolerati sunt annuntiantes non casto animo veritatem. Non tamen illi laudati sunt tanquam annuntiantes casto animo falsitatem. Deinde de illis dicit: *Sive occasione, sive veritate, Christus annuntietur*.

11. Lanfr. *Propter invidiam*, vel ne Apostolus solus videretur prædicator, vel contendentes se pressuram suscitare Apostolo.

12. *Ex contentione Christum annuntiant*. Neque homines reducebant ad memoriam illud propter quod Apostolus, incarceratus erat, ut ideo magis punirentur.

13. *Existimantes*. Vituperabant Christum, ut magis puniretur Apostolus, qui ligari se passus est propter talem Dominum.

14. *Scio enim*. Vituperationem etiam adversariorum in Christum jaculatam pervenire sibi dicit in salutem, quia quo magis propter eum punitus est, eo amplius coronatur.

15. Ambros. *Et subministrationem*. Largam mercedem significat, quantam decet spiritum tribuere.

16. Lanfr. *In nullo confundar*. Quod esset, si ab incœpto destitissem, vel si quod spero non habiturus essem.

17. Ambros. *Sive per mortem*. Sperabat enim Christo concedente mortem suam non fieri absolute aut vane.

18. *Mihi enim*. Quoniam dixit quia magnificabitur Christus per vitam, nec hanc probationem habebat, adjecit: *Mihi enim vivere Christus est*; neque enim, si vivam, inquam, alterius rei curam habeo.

19. Lanfr. *Quod si vivere in carne*. Quandiu in carne possum proficere aliquid, ignoro quid eligam seu mori seu vivere; et si enim in carne nihil prodesse possem, haud dubium quin mortem eligerem.

20. August. (lib. III *De doct. Chr.*, c. 2, tom. III.) *Et quid eligam*. Sic ergo distinguendum est, *et quid eligam ignoro*. Compellor autem ex duobus; quam distinctionem sequitur concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo. Et tanquam quæreretur quare hujus rei potius habeat concupiscentiam, multo enim magis optimum, inquit.

21. Ambros. *Idem certamen*. Exemplo sui magis eos adhortatur.

22. Lanfr. *Idem certamen habentes*. Quando tunc dixit Pythonissæ Philippis futura prædicare.

CAP. II.—1. August. (serm. 11, *De verb. Domini*. c. 17, tom. X.) *Si qua societas*. Ad ipsum enim pertinet societas qua efficimur unum corpus unici Filii Dei.

2. Ambros. *Si qua viscera*, id est, si diligentes nos condoletis nobis talia patientibus.

rantes, sed ea quæ aliorum. 3. Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, 4, 5. non rapinam, *ut primus homo*, arbitratus est esse se æqualem Deo. 6, 7. sed semetipsum exinanivit, *humiliavit*. 8. formam servi accipiens, in similitudinem hominum, *carnis peccatricis*, factus, 9. et habitu inventus ut homo, *sitivit esurivit*, etc. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem *turpissimam*, mortem autem crucis. 10. Propter quod, *quia humiliavit se*, et Deus exaltavit illum, 11. et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesus omne, *ex omni genere* genu flectatur, *vel vi, vel voluntate*, 12. cœlestium, terrestrium, et infernorum, et *ita ut* omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Itaque *sicut Christus, qui in omnibus se humiliavit*, charissimi mei, [13. sicut semper obedistis] non ut in præsentia mei tantum sed multo magis nunc in absentia mea, 14, cum metu, et tremore *vos ipsos humiliando, et quæ aliorum sunt quærendo*, vestram salutem operamini. 15. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona *sua* voluntate, *non meritis vestris*. Omnia autem facite sine murmurationibus, *non recalcitrantes*, et hæsitationibus *in fide* ut sitis sine querela *ut non possit de vobis conqueri*, et simplices, *non hypocrisi* **157** filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ *vos* continentes ad gloriam meam, *unde gloriabor*, in die Christi, (*ecce cur*) quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. 16. Sed et si immolor *ego ipse pro vobis*, supra sacrificium, *quod feci Deo, de fide vestra*, et obsequium fidei vestræ, 17 gaudeo, 18. et congratulor omnibus vobis, *vel quia tales estis*. Idipsum autem, *id est, de hoc si immolor*, et vos, *vel ut similiter immolemini, vel quia exemplar*, gaudete, et congratulamini mihi 19. Spero autem, in Domino Jesu, Timotheum me

COMMENTARIUS.

3. Lanfr. *Hoc enim sentite*, id est, humilitatem et charitatem (quæ aliorum sunt quærentes) habete in vobis quas in Christo fuisse, et quod Christum fecisse scitis, quod est : *Hoc sentite in vobis*, etc.

4. *Non rapinam*. Quisquis arbitratur se esse quod non est, quodammodo in ipsa sua opinione aliunde rapit sibi quod non est.

5. August. (lib. II *Cont. Maximin.*, c. 5, tom. VI.) *Non rapinam*. Ergo intellige Apostolum ideo dixisse *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, quia non aliorum arbitratus est esse quod natus est; sed tamen quamvis æqualitatem Dei non fuerit arbitratus alienam, sed suam, semetipsum exinanivit, non quærens quæ sua sunt, sed quæ nostra sunt.

6. Greg. *Semetipsum exinanivit*. Semetipsum exinanisse est, ab invisibilitatis suæ magnitudine, visibilem se demonstrare, ut formam servi tegeret, quod incircumscripte omnia ex divinitate penetraret.

7. Ambros. *Sed semetipsum*, hoc est dignitatem suam abscondit, hoc solum enim audientibus esse existimabatur quod et videri poterat.

8. *Formam servi*. Quod dixit, *Formam servi accipiens*, exposuit addens, *in similitudinem hominum factus*, factus posuit pro habitans, *in similitudinem hominum* id est, in homine.

9. August. (lib. LXXXIII, *Quæst.* q. 73, tom. IV.) *Habitu inventus*, id est, habendo hominem, inventus ut homo est.

Ambros. *Humiliavit semetipsum*. Usque in hunc locum illa quæ ad divinam naturam pertinent visus est dixisse. Jam vero ad illa transit quæ humanæ possunt aptari naturæ.

10. *Propter quod*. Illis sermonibus qui erant deitatis suadebat nobis humilitatem; de illis vero qui secundum humanitatem facti sunt, ostendit ipsam humilitatem lucrativam rem esse.

11. *Et donavit illi*. Evidens est quod non vocabulum, sed rem quamdam acquisitam ei, quia assumptus est a Verbo, ut illud et cognoscant, quoniam nomen tibi Dominus.

12. *Cœlestium*. Cœlestium dicit invisibilium virtutum; terrestrium vero, vivorum hominum : infernorum etiam, illorum qui mortui sunt, qui et ipsi per resurrectionem Deum confitebuntur suæ resurrectionis auctorem.

13. *Sicut semper*. Optime per memoriam præteritorum, persuasit illis nihil de cætero indignum sapere.

14. August. (lib. *De grat. et lib. arb.*, cap. 9, tom. VII.) *Cum metu et tremore*. Tanquam ergo interrogaretur Apostolus et diceretur ei : Quare dixisti cum timore et tremore? horum verborum rationem reddidit dicens : *Deus enim qui operatur in vobis*. Si enim timetis et tremitis, non extollimini tanquam de vestris bonis operibus, quia Deus est qui operatur in vobis.

15. Lanfr. *Deus est enim*. Ratio cur dixerit cum metu et tremore; summa enim reverentia et mentis et corporis faciendum est illud, cujus Deus cooperator existit.

16. *Sed et si immolor*. Immolatus, id est, occisus est apostolus, quia hos et alios ad Deum convertit, quorum fidem quasi sacrificium et obsequium Deo obtulit. Et est sensus, quamvis sacrificium corporis mei [*sup.*, offeram], addo sacrificium, et obsequium fidei vestræ, etc.

17. *Gaudeo*, etc. Gaudeo, inquit, de obsequio fidei vestræ, id est, de hoc quod fidem vestram Deo sacrificavi; et non de hoc tantum, sed etiam si contingat mihi pro vobis, id est, si immolor.

18. *Et congratulor*, id est, gratias ago, quia obedientia vestra hoc mihi contulit.

19. *Spero autem*, etc. Mittens Apostolus hanc Epistolam per Epaphroditum, promittit quod e-

cito mittere ad vos, ut ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt Neminem enim habeo tam unanimem *mihi*, qui sincera affectione, *non pro lucro terreno*, pro vobis sollicitus sit. Omnes enim *quos habeo*, quæ sua sunt *commoda* quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. Experimentum, *studium*, autem ejus, *Timothei*, cognoscite, quia *scilicet* sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio. Hunc igitur, *quia talis est*, spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt. Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito. Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem, et cooperatorem, et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ, *qui mihi necessaria ministrat*, mittere ad vos, quoniam quidem omnes vos *videre* desiderabat, et mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum, *et ita fuit*. Nam et infirmatus est *Epaphroditus* usque ad mortem ; sed Deus misertus est ejus, non solum autem ejus, verum etiam *in salute ejus*, et mei, ne *mortis ejus* tristitiam, super tristitiam *infirmitatis ejus, vel carceris mei* haberem. Festinantius ergo, *quia de eo mœsti fueratis*, misi illum, ut viso eo, iterum gaudeatis, *sicut prius eo præsente*, et ego 20. sine tristitia sim. 21. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi *hominem* cum honore habetote : quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, (*non dimisit pro inimicis, quin Apostolo ministraret in carcere*) ut impleret, id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium, *quod non poteratis mihi administrare*.

158 CAPUT III.

De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. 1. Eadem *quæ jam præsens dixi* vobis *me* scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium, *utile est. Ecce quæ* 2. 3, 4. Videte canes, *ut caveatis*, videte malos operarios, 5, 6. videte concisionem, *quasi ad non circumcisos et separatos*. 7. 8. Nos enim, *Christiani tantum*, sumus circumcisio, (*qualitas pro quali*) qui spiritu, *non carnalibus observantiis*, servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, *in fide Christi Jesu*, et non in carne, *carnali lege*, fiduciam habentes, quanquam ego habeam, *habere valeam*, confidentiam et in carne. Si quis alius videtur *posse* confidere in carne, ego *possum gloriari* magis, circumcisus octavo die, *habens circumcisionem octavi diei, non proselytus* 9. ex genere Israel, *oriundus* de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, 10. secundum legem (*Pharisæi legem tantum, non prophetas tenent*) Pharisæus, *religiosior in lege*, secundum æmulationem *bonam* persequens *olim* Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela, *non conquerens de austeritate legali*. 11. Sed quæ, *lex, vel persecutio stulta opinione*, mihi fuerant *prius* lucra, hæc arbi-

COMMENTARIUS.

Timotheum non multo post ad eos mittet; non enim simul utrumque mittit.

20. *Sine tristitia*. Quam habeo pro eo quod contristati estis, audita infirmitate illius.

21. *Excipite*. In carcere erat Apostolus, ad serviendum ei accessit iste cum magno periculo.

CAP. III. — 1. Ambros. *Eadem vobis*. Eadem dicit, quia de his docuerat eos quando apud eos fuerat ; et hæc [*f.*, hoc] ad ea quæ sequuntur, referendum est.

2. August. (*Epist.* 120 *ad Honor.* cap. 16.) *Videte canes*. Canes appellavit non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantes , hæc enim natura est canum , ut cum quibus habent consuetudinem, sive illi boni sint, sive mali, non ad eos latrent ; insolitorum autem personis visis etiam innocentibus irritentur.

3. Lanfr. *Videte canes*. Canes et malos operarios vocat eos qui carnalem circumcisionem prædicabant, quos cavendos præcipit. Concisionem vocat vel circumcisionem, id est, Judæos, vel separationem, id est, eos qui in aliam doctrinam a cœtu fidelium eos separabant.

4. Ambros. *Videte canes*. Canes vocavit, quia verecundiam non habent, sed frequenter reprehensi, in vana doctrina persistere videntur.

5. *Videte concisionem*. Bene concisionem dixit, quia quandiu Deo placuit. circumcisio erat, quia vero nunc Deo non placet, tantum concisio est.

6. Lanfr. *Videte circumcisionem*. Quidam enim cum non essent Judæi, circumcidebantur, et post jactabant se esse ex genere Abrahæ.

7. *Nos enim*. Ratio cur illi sunt cavendi, et apostoli audiendi, quia videlicet illi carnalem, isti spiritualem circumcisionem prædicabant.

8. August. (lib. *De ver. apost.* serm. xv, c. 1, tom. X.) *Nos enim sumus*. Sed nos sumus circumcisio : sic accipite hoc voluisse Apostolum dicere, sumus nos justitia. Circumcisio enim justitia est. Magis enim commendat quod dicit, dicendo nos esse justitiam, quam dicendo nos esse justos : sic tamen ut cum justitiam dicit esse, justos intelligamus.

9. (*Ibid.*, c. 3) *Ex genere Israel*, id est, non proselytus, non advena ad populum Dei, non major circumcisus, sed a parentibus natus Judæus, habeo circumcisionem octavi diei.

10. (*Ibid.*) *Secundum legem Pharisæorum*. Primarii quidam erant, et quasi ad nobilitatem Judaicam segregati, non contemptibili plebi commisti, qui dicebantur Pharisæi. Nam dicitur hoc verbum quasi *segregationem* interpretari, quomodo in Latina lingua dicitur egregius quasi a grege separatus.

11. Lanfr. *Sed quæ fuerunt*. Carnales observationes, quæ ante adventum Christi animarum fuerunt lucra, servatæ post adventum ejus, fuerunt detrimenta ; fides enim Christi observari eas non

tratus sum propter Christum, *fidem Christi*, detrimenta. Verumtamen *nunc quoque* existimo omnia detrimentum **159** esse, 12. propter eminentem, *omnia superantem*, scientiam *assequendam* Jesu Christi Domini mei, propter quem (*repetit, vel generalius dicit*) omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, *qui observata anima polluunt*, ut Christum lucrifaciam, *ut* et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu : quæ ex Deo est justitia in fide *Christi*, 13. ad cognoscendum illum, *quod beneplacitum sit Deo*, 14, 15, 16. et virtutem resurrectionis ejus, *qua homo interior suscitatur*, 17, 18. et societatem passionum illius, 19, 20. configuratus morti ejus, si quo modo *in futuro* occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis, *vel de peccatis*. Non *ideo dico* quod jam acceperim, *resurrectionem carnis in cognitione Christi* aut jam perfectus sim *in cognitione Christi*; 21. sequor autem, si quo modo comprehendam, *ex toto agnoscam Christum*, 22, in quo (*in cognitione*) et comprehensus sum *ex toto* a Christo Jesu, fratres, ego me non arbitror comprehendisse *scilicet scientiam Christi ex toto*. 23, 24, 25. Unum autem, *sed hoc unum arbitror*, quæ quidem *scilicet* retro sunt *carnales observationes* obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora, *potiora* extendens meipsum, ad destinatum persequor, *scilicet*, ad bravium, *præmium*, supernæ vocationis Dei, *quæ vocatio est* in Christo **160** Jesu. 26. Quicunque ergo (*quia ego id sentio volens esse perfectus*) perfecti sumus, *vel esse volumus*, hoc sentiamus, *nos nondum comprehendisse* : 27 et si quid aliter sapitis, *quam sapiendum sit*, et hoc vobis Deus revelabit, *ita esse sentiendum*. 28. Verumtamen *non comprehendimus ex toto*, ad quod 29. pervenimus, *in quantum pro-*

COMMENTARIUS.

permittit. Quæ enim adventum Christi tantummodo significabant, si jam serventur, advenisse eum negant.

12. *Eminentem scientiam*. Scientiam Christi habere non potest quisquis carnalia præcepta legis observat, vel observanda putat.

13. *Ad agnoscendum*. Quasi diceret : Qui se in lege justificari putat, non cognoscit Christum ; sed ego spreta legali justitia, in fide ejus justificari volo; ut agnoscat illum, id est [*f.*, quod, aut quomodo], incarnatus et mortuus sit.

14. AMBROS. *Virtutem resurrectionis*. Resurrectionis ejus virtus est, ut omnes assequantur similem resurrectionem.

15. AUGUST. (*Ibid.*, c. 10.) *Virtutem resurrectionis*. Et ubi nominavit virtutem resurrectionis Christi, agnosce ibi justificationem tuam. Ex illius enim resurrectione justificamur.

16. LANFR. *Virtutem resurrectionis*. Virtus resurrectionis Christi est, justificare credentes ; unde alibi dicit : *Et resurrexit propter justificationem nostram*.

17. *Et societatem*. Ille habet societatem passionis Jesu Christi, qui ita patitur in hoc sæculo, sicut idem passus est, quæ societas tunc bene cognoscitur, quando per eam perveniri ad gaudia cœlestia creditur.

18. AUGUST. (*Ibid.*, c. 12.) *Et societatem passionis*. Si enim in te fuerit charitas Dei, communicabis Christi passionibus, et verus eris martyr. In quo charitas coronatur, erit [*adde*, ipse] verus martyr.

19. (*Ibid.*, c. 13.) *Configuratus morti*. *Consepulti enim sumus*, inquit, *Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus*.

20. LANFR. *Configuratus morti ejus*. In baptismo, ut enim tribus diebus jacuit Christus in sepulcro, sic in baptismate trina sit immersio.

21. *Sequor*. Imitor, inquit, Christum bonis operibus, conans si aliquo modo quandoque capiam illum perfecta intelligentia, in qua ipse cœpit me

A in hac vita. Sic alibi : *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum*.

22. AMBROS. *In quo comprehensus*. De cœlo illi apparuit Christus, et suam gloriam ostendit ; hoc dixit : Omnia facio ut illa assequar in quibus Christum esse perspexi, quando persequentem sua revelatione in suam cognitionem me convertit.

22. AUGUST. (*Ibid.*) *Unum autem*. Hoc me non arbitror apprehendisse.

24. (*Ibid.*) *Unum*. Multa habeo; et unum nondum apprehendi. *Unam petii a Domino, hanc requiram*. Quid petisit? *Ut habitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ*.

25. LANFR. *Unum autem*. Unum, inquit, de me possum confidenter asserere ; terrenas namque substantias, quas propter Deum reliqui, penitus obliviscens, ad æterna, quæ temporalibus potiora sunt, tota intentione me extendens, festino ad destinatum, id est, ad id quod me festinaturum mente proposui, videlicet ad bravium, id est, præmium supernæ vocationis, id est, vitæ æternæ, ad quam vocat nos Deus.

26. AUGUST. (*Ibid.*, c. 15.) *Quicunque ergo perfecti*. Dixerat : non sum perfectus, et dicit quotquot perfecti hoc sapiamus ; ego me non arbitror apprehendisse, non quia jam acceperim aut jam perfectus sim, et dicit quotquot perfecti hoc sapiamus, perfecti et non perfecti. Perfecti viatores nondum perfecti possessores.

27. LANFR. *Et si quid*, id est, si perfectam Christi C cognitionem vos habere putatis, et hoc, id est, male vos sapere, vobis per misericordiam suam revelabit Deus.

28. AUGUST. (*Ibid.*) *Verumtamen*. Sive quo pervenimus, in eo ambulemus, sicut dicit Apostolus, non solum quod nescimus et scire debemus, sed etiam si quid aliter sapimus, id quoque nobis revelabit.

29. LANFR. *Pervenimus*. Quasi diceret : quod de Christo sapimus, firmiter teneamus, et opere compleamus.

vecti sumus, ut idem sapiamus; et eadem permaneamus regula. 30 imitatores mei estote, fratres, et observate *imitemini*, eos, qui ita, *sicut nos*, ambulant, sicut habetis formam nostram, *sicut estis baptizati, ita ambulate.* Multi enim ambulant, *nonne omnes ita ambulant?* quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, 31, quorum Deus venter est, et gloria *eorum temporalis* in *perpetua* confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est, *vel de cœlis est, quia in cœlis conversamur.* Unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum. 32, 33. qui reformabit corpus humilitatis nostræ, *humile nostrum*, configuratum corpori claritatis suæ, *et hoc potest*, secundum operationem *virtutis, divinitatis suæ*, qua etiam possit subjicere sibi omnia.

CAPUT IV.

Itaque, (*quia Deus reformabit nos, dando immortalitatem*) fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum, *unde gaudebo*, et corona mea, *unde coronabor* sic state, *ut in Ecclesiis conversemini*, in Domino charissimi (*dissentiebant*) Evodiam (*proprium nomen*) rogo, et Syntychen (*proprium nomen*) deprecor, *ut* idipsum sapere, *sapiant*, in Domino. Etiam rogo et te, Germane (*proprium nomen*) compar, adjuva illas *duas*, quæ mecum laboraverunt, *necessaria ministrantes*, in Evangelio cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. 1. Gaudete (*determinat*) in Domino semper, iterum dico: Gaudete, 2. Modestia vestra sit omnibus hominibus, *omnibus modesti sitis*, 3. Dominus enim prope est. (*Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*) Nihil solliciti sitis, sed 4, in omni 5. oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, 6. petitiones vestræ innotescant *esse* apud Deum, *non adjactantiam hominum*. 7, 8 Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, (*qua Christus nos Patri pacificavit, vel intranstive, quod nullus sensus nisi Dei percipit*) custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, in Christo Jesu. De cætero, *deinde, vel de aliis emendandis*, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, 9. quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite: et Deus pacis erit vobiscum. 10. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando 11.

COMMENTARIUS.

30. AMBROS *Imitatores*, hoc est, nolite sub lege vivere, sicut nec ego vivo sub lege.

31. *Quorum Deus venter.* Quasi Deo quidam ventri intendentes, pietatem esse existimant, quod alia quidem offerre alia, alia minime studeant [*f.*, alii quidem offerre alia, alii alia minime studeant].

32. *Qui reformabit.* Corpus quod nunc humiliatum est sub morte, ad immortalitatem transferet, simile illud suo corpori faciens.

33. LANFR. *Qui reformabit.* Sic in die resurrectionis reformabit Christus corpus nostrum, ut eamdem claritatis figuram habeat quam habet et suum.

CAP. IV. — 1. (Serm. 37 *De verb. Dom.*, c. 5, t. X.) *Gaudete in Domino.* Gaudete in Domino non in sæculo, id est, gaudete **161** in veritate, non in iniquitate.

2. AUGUST. (*Epist.* 159. in medio, tom. II) *Modestia vestra.* Omnia bona opera amant in luce constitui, non propter humanam gloriam, sed *ut videant*, ait Dominus, *opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

3. (*Ibid.*) *Dominus prope est.* Ille enim qui ascendit in cœlum, ut tolleretur ab oculis nostris, promisit nobis dicens: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Merito sic nos Apostolus alloquebatur: *Dominus in proximo, nihil solliciti fueritis.* Sedet super cœlos Christus, et longe sunt cœli, et ipse qui ibi sedet, prope est.

4. LANFR. *In omni oratione*, etc. Oratio quæ ante Evangelium; obsecratio, secreta; gratiarum actio, post communionem. Hoc ponit pro omni oratione.

5. *Oratione*, id est, quotiescunque oratis, vel gratias refertis, tunc petite si quid a Deo petere vultis.

6. AUGUST. (*epist.* 121. *Ad prob. de orando Deo*, cap. 9, tom. II.) *Petitiones vestræ* Non sic accipiendum est tanquam Deo innotescant, qui eas et antequam essent noverat Sed nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam. Aut forte etiam innotescant apud angelos, qui sunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, et de his consulant, et quod Deo jubente implendum esse cognoverint, hoc nobis vel evidenter, vel latenter reportent. Dixit enim angelus: Cum oraretis, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei.

7. AUGUST. (lib. XXII. *De civit. Dei*, c. 29, tom. V.) *Et pax Dei.* Pacem qua Deus ipse placatus est, sicut Deus novit, non eam nos sic possumus nosse, nec ulli angeli; superat itaque omnem intellectum.

8. LANFR. *Pax Dei*, id est, qua in semetipso pacatus est, vel qua humanum genus reconciliavit sibi.

9. AUGUST. (lib. *De bono viduit*, c. 22, tom. IV.) *Quæcunque bonæ famæ.* Non neglexit ponere bonæ famæ; duobusque cuncta conclusit, ubi ait: *Si qua virtus, si qua laus.* Ad virtutem autem pertinent quæ antea memoravit. Bona fama vero ad laudem.

10. AMBROS. *Gavisus sum.* In Domino dixit, ut non videretur ob pecuniam sibi directam lætari, sed propter propositum illorum qui miserunt.

11. LANFR. *Refloruistis*, id est, pristinum largi-

refloruistis pro me sentire; sicut et sentiebatis: occupati autem eratis (*Ne hoc sibi objiceretur, removet.*) Non quasi propter penuriam dico; ego enim didici, in quibus sum, *in his quæ habeo*, sufficiens esse. Scio et humiliari, scio et abundare; *si abundet, non extollor; si desit, non dejicior*, [ubique et in omnibus institutus sum] 12. et satiari, et esurire, *non fractus*, et abundare, *non elatus*, et penuriam pati, *et hoc non per me; sed* **162** omnia possum in eo qui me confortat. *In omnibus sufficio.* 13. Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ, *aliquid largientes mihi tribulato; et etiam prius dedistis.* Scitis autem, et vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit 14. in ratione dati et accepti, *voluntarie dando terrestria pro cælestibus*, nisi vos soli, quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis; 15. non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra, *id est, fructus justitiæ vestræ abundavit, cum rationem Deo reddidistis de factis.* Habeo autem omnia, et abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis; *scilicet in* odorem suavitatis hostiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas, in gloria in Christo Jesu. Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen. Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

COMMENTARIUS.

tatis florem resumpsistis, ut aliqua mihi daretis, sicut dare mihi solebatis.

12. AUGUST. (lib. II, *Quæst. Evang.*, quæst., t. IV.) *Et satiari.* Interest non quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ, et pro suæ valetudinis necessitate quis capiat, sed quanta facilitate et serenitate animi careat, cum his vel oportet, vel etiam carere necesse est, ut illud in animo Christiano [*al.*, Christiani] impleatur quod Apostolus dicit: *Scio et minus habere, scio et abundare in omnibus, et in* [al., *in omnibus*] *imbutus sum, et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati.*

13 AMBROS. *Verumtamen bene fecistis.* Hoc adjecit, ut tale habens institutum, non existimetur contemnere illa quæ ab illis missa sunt.

14. LANFR. *In ratione dati.* Nulla, inquit, mihi aliquid Ecclesia dedit, considerando quid daret, et quid a me acciperet. Est enim ratio dati et accepti, quoties perpenditur quod accipitur, et, secundum id, aliquid rependitur.

15. AUGUST. (lib. XIII *Confes.* c. 25, tom. I). *Non quia quæro.* Datum, est res ipsa quam dat qui impertitur hæc necessaria, veluti est nummus, cibus, potus, vestimentum, tectum, adjutorium. Fructus autem bona opera, et recta voluntas datoris est.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

ARGUMENTUM. Colossenses, et hi sicut Laodicenses, sunt Asiani, et ipsi præventi erant a pseudoapostolis. Nec ad hos accessit ipse Apostolus; sed et hos per Epistolam corrigit. Audierant enim verbum ab Archippo, qui et ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus jam ligatus, scribit eis ab Epheso per Tychicum diaconum et Onesimum acolytum.

163 CAPUT PRIMUM.

1. Paulus apostolus Jesu Christi, *non Ananiæ*, per voluntatem Dei, *non meritis, vel hominis*, et Timotheus frater, eis qui sunt Colossis, sanctis, *baptizatis*, et fidelibus fratribus, *catechumenis* in Christo Jesu, *in fide Christi.* Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi, 2. semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis; quam audistis in verbo, *prædicatione* veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos. 3. sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicut in vobis, 4. ex ea die qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate, *re-*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — I. AMBROS. In hac Epistola ostendit eminentiam eorum qui in Christo sunt, et superfluam legis custodiam, et post hæc ad exhortationem egressus, super multis ac necessariis rebus, illis loquitur.

2. *Semper pro vobis.* Ordo est: orantes pro vobis propter spem quæ reposita est vobis in cœlis, id est ut assequi possitis cœlestia bona.

3. LANFR. *Sicut et in universo mundo.* Ne se solos putent esse Christianos, et per hoc deceptos. Vel ne sibi arrogent, si soli credidissent.

4. *Ex ea die qua audistis.* Multi audiunt, et non cognoscunt, id est approbant.

missionem peccatorum in fide Christi, sicut didicistis 5. ab Epaphra charissimo 6. conservo nostro, (*hic eos instruxerat*) qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu, qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. Ideo, *quia fidem Christi, et dilectionem habetis*, et nos ex qua die audivimus, *hoc ad Epaphra*, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, *ut Dei voluntatem agnoscatis et impleatis*, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes ; in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, *id est, secundum quod potentia claritatis ejus potest vos confortare*, in omni patientia et longanimitate (*ecce quod dixit in omni virtute*) cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, qui *illuminando* dignos nos fecit *ut essemus* 6. in partem, *id est, participatione*, sortis sanctorum, *hæreditatis gratis datæ*, 7. in lumine *Christi existentes*, 8. qui eripuit nos de potestate tenebrarum, *dæmonum, vel tenebrosorum*, 9. et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, *dilecti sui;* in quo, *in cujus fide*, habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, 10. qui est imago (*Filius commendatur*) Dei invisibilis, *secundum divinitatem æqualis* **164** *Patri*, 11, 12. primogenitus omnis creaturæ *ante sæcula*, quoniam in ipso *per ipsum* condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, (*partes invisibilium*) sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates ; *ergo a pari*, omnia per ipsum, *facta*, et in ipso creata, *existentia*, sunt, *ergo a relatione*, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput *sui* corporis, *id est*, Ecclesiæ, qui est principium *ejus Ecclesiæ*, 13. primogenitus (*secundum humanitatem commendat*) ex mortuis, *id est prior resurrexit*. 14. Ut sit in omnibus ipse primatum tenens, *sive secundum divinitatem, sive humanitatem* : 15. quia (*ecce cur*) in ipso, *Patri* 16. complacuit, *id est, placitum habuit*, omnem plenitudinem *divinitatis, vel membrorum massam*, inhabitare, *vel habere realiter*, et per eum, *Christum, placuit Patri* reconciliare omnia, in, *per*, ipsum, pacificans 17. per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt Et vos *reconciliavit* cum essetis aliquando 18. alienati *a Deo*, et inimici sensu, (*exponit quomodo*) in operibus malis; nunc autem reconciliavit *Deus Pater sibi* in corpore carnis ejus, *Filii sui* per mortem, exhibere *ut exhibeamus, vel ut ipse exhiberet*, vos sanctos et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso, *non solum coram hominibus; quod erit*, si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe Evangelii, *ab eo quod promittit Evangelium*, quod audistis, 19. quod prædicatum est in universa creatura, *principali, id est, hominibus*, quæ sub cœlo est, (*persuadet ut libenter audiant*) cujus (*Evangelii*) factus sum ego Paulus minister. 20 : Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis,

COMMENTARIUS.

5. *Conservo nostro*. Hunc commendat sciens quoniam utile est ut venerabilis sit discipulis magister.

6. *In parte sortis sanctorum*. Sors dicitur æterna hæreditas, quia sicut illud quod forte capitur, non meritis acquiritur ; sic ea non meritis, sed Dei gratia donatur.

7. AMBROS. *In lumine*, id est, per suam cognitionem.

8. AUGUST. (*epist.* 107 *ad vitalem*, tom. II.) *Qui eripuit nos*. Potestas enim tenebrarum quid est, nisi potestas diaboli et angelorum ? qui cum fuissent angeli lucis, in veritate per liberum arbitrium non stantes, inde cadentes facti sunt tenebræ.

9. AUGUST. (lib. XV, *De Trin.*, c. 19, tom III.) *Et transtulit*. Quod autem dictum est, *Filii charitatis suæ*, nihil aliud intelligatur quam Filii sui electi [*al.*, dilecti].

10. AMBROS. *Qui est imago*. In homine Christo quasi in imagine invisibilem illam videmus naturam ; nam apparens in futuro imaginis nobis ordinem retinebit, quoniam in eo quasi in imagine quamdam divinam continemus naturam.

11. LANFR. *Primogenitus* Per hoc probat quia genitus est a patre ante omnem creaturam.

12. *Primogenitus creaturæ*. Prior, inquit, est omnibus ; omnia enim eo sunt posteriora ; nam omnia ab eo sunt creata.

15. *Primogenitus ex mortuis*, id est, primus resurgens, quia ipsa resurrectio quædam generatio est, sicut in Evangelio : *In regeneratione cum sederit*, etc.

14. AMBROS. *Ut sit in omnibus*. Non causam dicit, sed illud quod consequebatur.

15. *Quia in ipso*. Plenitudinem Dei Ecclesiam vocat, et dicit, quoniam placuit Deo in Christo omnem plenitudinem, ut dicat omnem creaturam quæ ab eo repleta est, probavit illi conjungere, et hoc latius consequitur.

16. LANFR. *Complacuit in ipso*. Complacuit sibi Pater, ut in Christo habitaret omnis plenitudo tam divinitatis quam omnium virtutum.

17. *Per sanguinem crucis*. Qua hora sanguis redemptionis de latere Domini in cruce pendentis exivit, dimissum est peccatum Adæ humano generi, et pacificata sunt cœlestia et terrestria, quia tunc patuit hominibus introitus in regnum cœlorum.

18. *Alienati*, id est, habentes alienatum et inimicum consensum.

19. AMBROS. *Quod prædicatum*. Grave admodum erat ut discederent ab illa re quæ in communi ab omnibus clamabatur.

20. LANFR. *Qui nunc gaudeo*. Duplici causa commendat se, quia patitur, et gaudet in passionibus pro eis illatis.

et adimpleo 21. ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus *Ecclesiæ* factus sum ego minister secundum dispensationem *Evangelii* Dei, *non hominis*, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei (*ecce verbum*) mysterium *incarnationis*, quod absconditum fuit a sæculis, et generationibus *præteritis*, nunc autem *in tempore plenitudinis* manifestatum est sanctis **165** ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ, *gloriosas, vel gloriosi* sacramenti hujus *prædicandi* in gentibus, quod est Christus. (*ecce sacramentum*) in vobis *gentibus* spes gloriæ, *per quem speratis glorificari*, quem nos annuntiamus, corripientes *primo* omnem hominem, *male viventem, ut resipiscat*, et *post* docentes *fidem Christi* in omni sapientia, *vel de divinis, vel de humanis, ad hoc docentes*, 22. ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu, in quo et laboro, certando *non viribus, id est, meritis, sed* secundum operationem ejus, quam operatur in me, in virtute *sua, non mea.*

CAPUT II.

1. Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ, et quicunque non viderunt faciem meam in carne, *præsentialiter* ut consolentur *ipsi* corda ipsorum, instructi in charitate, 2. et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris, et Christi Jesu in quo sunt omnes thesauri sapientiæ *de divinis*, et scientiæ *de moribus*, absconditi. Hoc autem dico, *ut sitis instructi*, et ut nemo vos decipiat 3 in sublimitate, sermonum *loquens dialectice, vel rhetorice in sublimitate locorum et syllogismorum*. 4. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum; gaudens, et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum nostrum, in ipso ambulate, radicati et superædificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, *dialecticam*, et inanem fallaciam, *loquens*. 5. secundum traditionem hominum, *ut Aristoteles*, 5. secundum elementa **166** mundi, et non secundum Christum, 7. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, *realiter, non umbraliter* et estis in illo, *per illum*, repleti *charismatibus*, qui est caput, *principium*. omnis principatus, et potestatis; 8. in quo, *in cujus fide*, et circumcisi estis 9. circumcisione non manu-

COMMENTARIUS.

21. *Ea quæ desunt.* Passiones Christi fuerunt vin- A cula, sputa, colaphi, verbera, ad extremum mors ipsa; quorum partem jam se passum, partem passurum se esse fatetur. Fortasse ea quæ desunt vocat mortis angustias, quas adhuc passus non erat. Et est ordo: adimplebo in carne mea eas passiones.

22. AMBROS. *Ut exhibeamus omnem.* Perfectionem statum futurum vocat cui boni nihil deesse videbitur.

CAP. II. — 1. LANFR. *Volo enim vos scire*, etc. Ratio cur se laborare dixerit, videlicet ne diceretur ex jactantia dixisse *laboro*.

2. *In omnes divitias plenitudinis intellectus.* Ut habeant divitem et plenum intellectum, cognoscentes mysterium Dei Patris, quod est Christus Jesus. Qui enim perfecte scit Christum, scit quid de Deo sentiendum sit, et quomodo, et in quibus vivendum sit.

3. *In sublimitate*, id est, in altitudine verborum, et syllogismorum, et aliorum generum disputantium; non artem disputandi vituperat, sed perversum disputantium usum.

4. *Nam etsi corpore absens sum.* Ac si quis dicat: Vult nos aliquis decipere? ita; sed vos, inquit, contra illos firmati estis in fide. Quod satis scio, quamvis absens.

5. *Secundum traditionem.* Tradiderunt philosophi (quos homines vocat) Creatorem omnium non posse fieri creaturam; hominem non potuisse nasci ex virgine: Hominem mortuum revivere non potuisse, C considerantes elementa mundi, has visibiles creaturas, in quibus animalia quæ nascuntur, ex utriusque sexus commistione generantur, et in quibus quidquid moritur ultra vivere impossibile est.

6 AMBROS. *Secundum elementa*, id est, secundum dierum et temporum observantiam. Elementa enim mundi dicit solem et lunam, ex quibus dierum et temporum cursus effici videtur.

7. AUGUST. (lib. XII, *De Genes. ad litt.*, cap. 7, tom. III) *Quia in ipso habitat.* Quia inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter neque enim divinitas corpus est, sed quia sacramenta Veteris Testamenti appellat umbras futuri; propter umbrarum comparationem corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, quod in illo impleantur omnia quæ [*al*, in] illis umbris figurata sunt, ac si quodammodo umbrarum illarum ipse sit corpus, hoc est figurarum illarum et significationum ipse sit veritas.

B 8. AUGUST. (lib. XVI, *contra Faust.*, cap. 29. tom. VI) *In quo circumcisi.* Quid significat circumcisio carnis, nisi exspoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus? hæc est fides nostra.

9. *Circumcisione non manufacta.* Resurrectio Christi quæ facta tertio quidem a die passionis, sed octavo in diebus hebdomadis, ipsa nos circumcidit. Audi circumcisos vera petra, Apostolo admonente: *Si ergo resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* Resurrexit Christus abstulit nobis desideria carnalia, abstulit concupiscentias malas; abstulit superfluum cum quo nati eratis, et multo pejus quod male vivendo addideratis; circumcisi per petram, quare adhuc sapitis super terram?

facta (*hæc et circumcisio Christi, vitia mortificare*) in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, *circumcisione spirituali, scilicet* consepulti (*exponit quomodo*) ei in baptismo, in quo et resurrexistis *a vitiis* per fidem operationis Dei, *quam operatus est in Christo (ecce operatio)* qui suscitavit illum a mortuis. Et vos (*determinat quomodo intellexit in quo et resurrexistis*) cum mortui essetis in delictis, 10 et præputio carnis vestræ, *et cum in gentilitate essetis*, convivificavit cum illo, donans, *condonans*, vobis omnia delicta 11. delens quod adversus nos, *utilitatem nostram*, erat chirographum 12. decreti, quod erat contrarium nobis, *idem quod adversus nos ; vel contrarium nostræ utilitati*, et ipsum tulit (*murus enim erat inter nos et Deum*) de medio *nostri, et Dei*, affigens, *abolens*, illud cruci, *per crucem*, et 13. exspolians principatus *Judæorum, vel dæmonum*, et potestates, traduxit confidenter, 14. palam triumphans, *vel vincens, vel refaciens*, illos in semetipso, *non in alio exercitu. In quo Christo circumcisi estis, circumcisione non manu facta.* 15, 16, **163** 17, 18. Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, *ut vos faciat participare festis Judæorum*, aut, *scilicet*, neomeniæ, *novæ lunæ*, 19, 20. aut Sabbatorum, 21 quæ sunt umbra futurorum ; corpus, *veritas*, autem Christi. 22. Nemo vos seducat, 23, 24. volens in humilitate, *facta in se*, et religione angelorum, *vel impendenda angelis*, *dicens* quæ non vidit et ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, *si sperat salvari se carnali lege, et ex hoc inflatus sit*, et non tenens, caput, *id est, Christum*, ex quo totum corpus, *Ecclesia*, per nexus *fidelium* et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum, *ad honorem*, Dei. 25, 26. Si ergo mortui estis (*ad hoc quod dixit consepulti in baptismo*)

COMMENTARIUS.

10. AUGUST. (*epist.* 59, *ad Paul in quæst.* 7 t. II.) *Et præputio carnis*. Præputium vocat, quod significatur præputio hoc est delicta carnalia, quibus exspoliandi sumus.

14. AMBROS. *Delens quod adversum nos*. Chirographum adversum nos legem vocat eo quod erat contraria nobis hoc est non permittens assequi propter suam scrupulositatem. Hanc delevit resurrectione et immortalitate.

12. LANFR. *Decreti*. Decretum Dei fuit, *de ligno quod est in medio paradisi, ne comedas*. Hujus decreti violati chirographum (*id est*, memoria) delevit Deus, quando peccatum primi parentis humano generi, per fidem sanguinis Christi dimisit et ipsius prævaricationis peccatum oblivioni tradidit.

13. *Exspolians*. Spoliavit Christus infernales potestates animabus quas habebant, vel habituræ erant, in cruce pendens vel ad inferna descendens traduxit easdem potestates, id est, ab Ecclesia sua exterminavit, sicut in Evangelio dixit : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Vel fideles suos de infernis secum duxit confidenter, velut homo Deus sine peccato.

14. *Palam*, id est, in cruce, vel cum angelicis legionibus ad inferna descendens, triumphans illos, id est, vincens in semetipso, id est, in passione sui corporis, in præsentia suæ majestatis.

15. *Nemo ergo*. Quia ergo in Christo circumcisi estis spirituali circumcisione, nemo vos nihil debentes legi judicet, id est, damnabiles faciat, suadens cibo vel potu abstinere, vel uti Judæorum.

16. AMBROS. *Nemo ergo vos*, id est, nemo vos decipiat, aut bravium vestrum tollat.

17. HIERON. *Nemo vos judicet* Nemo vos superet, nemo adversum vos bravium accipiat, sicut quis in certamine iniquitate agonistæ, vel insidiis magistrorum perdit bravium.

18. *Nemo vos judicet*. Nemo vos judicet, et de his qui magistros legis esse jactant, in cibo et potu, quod alia munda sunt, alia immunda, aut in parte diei festi, ut alios dies festos putent esse, alios non A festos, quæ erant umbra venturæ felicitatis ; spiritualis [*f.*, spiritualiter] autem intellectus, veritas et corpus.

19. AUGUST. (*Or. advers. Judæos*. c. 1, tom. VI.) *Aut Sabbatorum*. In illo requiem cum invenimus, vere sabbatizamus, et novæ lunæ observatio, vitæ novæ sanctificatio est, et Pascha nostrum immolatus est Christus, et azymum nostrum sinceritas veritatis, fermentum veritatis [*al* ,non habens vetustatis]; et si qua alia sunt, in quibus nunc immorari non opus est, quæ illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cujus regni non erit finis.

20. LANFR. *Aut Sabbatorum*. Dies festi, inquit, neomeniæ et Sabbata significabant futura, et in B ipsa significatione erant corpus Christi, id est, significabant corpus Christi, vel assumptum ex Virgine, vel Ecclesiam, qualis nunc est, vel in alio sæculo futura.

21. AMBROS. *Quæ sunt umbra*, id est, in comparatione futurorum umbræ sunt omnia ista, unde ad significantiam umbræ, corpus adjecit, hoc dicens : *Quoniam Christus veritas est*.

22. LANFR. *Nemo vos seducat*. Nemo, inquit, vos decipiat, volens persuadere vobis ea quæ nunquam intellexit, ostendens vobis in semetipso humilitatem et religionem angelorum, ut citius eis credatis. Angelos autem vocat vel cœlestes spiritus, vel sanctos prædicatores.

23. HIERON. *Volens in humilitate*. Adorabant enim C militiam cœli. Unde Amos : *Tradidit eos ut servirent militiæ cœli*.

24. AMBROS. *Volens in humilitate*. Nolite, inquit, intendere illis qui angelos dicunt indignari si lex non fuerit custodita, eo quod per angelos lex data esse dicatur et humilitatem quamdam simulantes, ostendere properant quasi qui legem contemnere metuant.

25. *Si mortui estis*. Si sic constituti estis quasi qui jam commortui estis Christo, et consurrexistis. Hoc dicit ab elementis mundi hujus.

26. HIERON. *Si mortui estis*. Elementa mundi, a

cum Christo 27. ab elementis (*per elementa, animalia, per animalia, carnes ; per carnes abstinentiam intellige*) hujus mundi, *a carnalibus observantiis ; a creaturis observandis, ut suillibus, et cæteris*, quid adhuc tanquam viventes in mundo, *secundum mundum, id est, carnales*, decernitis? *dicentes :* ne tetigeritis, *quæ in lege prohibentur*, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum *animæ* ipso usu, *ea dico dicta*, secundum præcepta et doctrinas hominum ; quæ sunt rationem quidem **168** habentia sapientiæ in superstitione, *quæ videntur agi secundum eorum seperstitionem sapienter*, et humilitate *ficta*, 28. et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

CAPUT III.

1. Igitur, (*ad id quod dixit, in quo et resurrexistis*) si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens *æqualis Patri :* quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Singula singulis.* 2. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo *absconso* in Deo. Cum *autem* Christus apparuerit, vita vestra ; (*nam Christo apparente apparebit vita vestra*) tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. *Huc usque de fide, nunc de moribus.* Mortificate ergo, *ut cum Christo vivatis*, 3. membra vestra (*pravos actus*) quæ sunt super terram ; (*ecce quæ membra*) fornicationem, *recedendo a Deo*, immunditiam *in consanguineos*, libidinem *contra naturam*, concupiscentiam malam *non habitorum*, et avaritiam *habitorum*, quæ est simulacrorum 4. servitus, propter quæ *supradicta* venit ira Dei super filios (*intransitive*) incredulitatis ; in quibus *vitiis* et vos ambulastis aliquando, cum viveretis illis. Nunc autem deponite et vos omnia, *scilicet*, iram, indignationem, malitiam, *rapinam*, blasphemiam *in Deum*, turpem sermonem, *jocularia*, de ore vestro. Nolite mentiri invicem 5. exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, *massa vitiorum*, 6. et induentes novum eum, 7. qui renovatur 8. in agnitionem *Dei ad cognoscendum* **169** *Deum*, secundum imaginem ejus (*ecce ubi renovatur in anima, scilicet in ea parte quæ similis est Creatori*) qui creavit illum. Ubi (*in qua renovatione nullus excipitur, nec propter personam accipitur*) non est gentilis *tantum*, et Judæus, circumcisio, et præputium. Barbarus, et Scytha, servus, et liber; sed omnia, et in omnibus *habitat* Christus, *recipit Christus ex omnibus*. Induite vos ergo (*pravos actus in vobis morti-*

COMMENTARIUS.

quibus mortui sumus, lex Moysi intelligenda est, A quibus quasi elementis, et religionis exordiis Domini discimus quomodo elementa appellantur litteræ, per quas, syllabas ac verba conjungimus, et ad texendam orationem procedimus : sic elementis Veteris Testamenti ut ad Evangelicam plenitudinem veniat, sancti viri eruditur infantia.

27. Lanfr. *Ab elementis.* Elementa vocat has visibiles creaturas, quæ in tota universitate partes mundi sunt Si, inquit, cum fidem Christi acceperitis, mortui, id est, separati estis ab abstinentia creaturarum mundi, Judaico ritu abstinebatis, quid adhuc tanquam viventes in eadem creaturarum mundi abstinentia Judaico ritu decernitis dicentes : *Ne tetigeritis, neque gustaveritis*, etc. Potest etiam intelligi cum [*f*, de] Christo, quasi diceret : si mortui estis sicut et Christus, id est, et Ecclesia Christi. B

28. *Et ad non parcendum corpori.* Quæ, scilicet carnes suillas non esse comedendas, constituta sunt ad non parcendum corpori, ut corpus affligatur ; cibo enim substracto corpus affligitur. Vel non sunt constituta ad parcendum corpori, hoc est ad providendum corpori nostro; cum enim a mortiferis cibis abstinemus, corpori nostro providemus. Sed propter hoc non abstinent Judæi ab hujusmodi carnibus; nec ideo quod honestius possit saturari aliis quam prohibitis carnibus.

CAP. III. — 1. August. (*Cont. Faustum* lib. xi, cap. 7, sub finem.) *Igitur si consurrexistis.* Non C utique resurreximus sicut Christus, sed tamen secundum spem quæ in illo [*al.*, nobis in illo] est, jam nos cum illo resurrexisse testatus est.

2. August (lib. *De resurr. mort.*, inter frag. 31, tom. X) *Mortificate.* Spiritalia nequitiæ dicit membra super terram. Nam sequitur, et exponit avaritiam, immunditiam, etc., quæ illic exsequitur. *exspoliantes*, etc.

3. Lanfr. *Membra vestra,* id est, partes veteris hominis, qui universitas peccati intelligitur, vel membrorum nostrorum concupiscentias.

4. *Servitus.* Hoc dicit propter imagines imperatorum quæ nummis reperiuntur insculptæ ; unde qui nummis inserviunt quasi idolis, et simulacris servire videntur.

5. August. (lib. xxiv *contra Faust.*, tom. VI.) *Exspoliantes veterem.* Veterem hominem nihil aliud Apostolus dicit, quam veterem vitam, quæ in peccato est, in quo secundum Adam vivetur.

6. Lanfr. *Induentes novum*, id est, induentes vos novitatem, facite vos novum hominem.

7. August. (lib. xiv *De Trinit.*, c. 16, tom. III.) *Qui renovatur.* Ista renovatio, est reformatio mentis secundum Deum, vel secundum imaginem Dei ; sed ideo dicitur secundum Deum, ne secundum aliam creaturam fieri putetur. Ideo autem secundum imaginem Dei, ut in ea re intelligatur fieri hæc renovatio, ubi est imago Dei, id est, in mente. Non itaque sic intelligamus secundum imaginem ejus qui creavit eum; quasi alia est imago secundum quam renovatur, non ipsa quæ renovatur.

8. Lanfr. *In agnitionem.* In agnitione Dei renovatur homo ad imaginem Dei : hæc est enim imago Dei, ad quam creavit hominem, ut videlicet rationalis esset, et cœlestia semper diligeret.

ficate; viscera autem misericordiæ induite) sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera, *partes*, misericordiæ (*ecce*) benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes *vos* invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, *sitis habentes*,9. quod, *id est charitas*, est vinculum perfectionis, *massæ virtutum, vel perfectorum*, et pax Christi, *qua reconciliavit homines Deo*, exsultet in cordibus vestris, *exsultare faciat corda vestra*, in qua, *per quam*, et vocati estis, *sitis*, in uno corpore, *Ecclesia*, et grati estote, *gratias agite*. Verbum, *prædicatio*, Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, *sitis*, docentes, et commonentes vosmetipsos, (*ecce in qua sapientia*) psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia, *gratiarum actione*, cantantes in cordibus vestris, *non ore tantum*, Deo, *non hominibus. Ut breviter vobis et abundantius dicam:* Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi *facite*, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum, *Jesum mediatorem*. Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo, *in patiendo, aut fugiendo*, fiant. Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum *Patrem*. Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, *non respicientes quid homines sunt*, scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. 10. Domino Christo servite. 11. Qui enim injuriam facit, accipiet id quod inique gessit; et non est personarum acceptio apud Deum.

CAPUT IV.

Domini, quod justum est et æquum servis præstate, scientes quod et vos Dominum habetis in cœlo. Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul et pro nobis ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, *os ad prædicandum, vel os* [illegible] *auditorum, id est, cor eorum*, (propter quod, *quia manifesto*, etiam vinctus sum), *ita aperiat ostium*, ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos (*ne blasphement Christianitatem*) qui foris sunt, *infideles*, 1, 2. tempus *quia male vixistis*, redimentes *bene vivendo*. 3. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, *temperatus*, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, et fidelis minister et conservus in Domino, quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt et consoletur corda vestra, cum Onesimo charissimo, et fideli fratre qui ex vobis est (*Colossensis erat*). Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis. Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, 4. et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata *a me ne eum reciperetis*, si venerit *Marcus* ad vos, *nunc*, excipite illum; et Jesus (*proprium nomen*) qui dicitur justus, *salutat vos; qui, supradicti*, sunt ex circumcisione, hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, 5. ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi, *Epaphræ*, perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ, et qui Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiciæ, et Nympham, et quæ in domo ejus est Ecclesiam. Et cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur 6, 7. et eam quæ Laodi-

COMMENTARIUS.

9. Ambros. *Quod est vinculum.* In futuro, inquit, A sæculo ubi constiterimus, charitati colligati invicem permanebimus, nullam separationem ulterius sustinentes.

10. Lanfr. *Domino Christo.* Quasi diceret: Quamvis jubeam quosdam ex vobis debere aliis subditos esse, quosdam diligere, alios aliis obedire et cætera quæ sequuntur, in his tamen omnibus Domino Christo servite.

11. *Qui enim injuriam.* Ratio superiora probans, ab eo loco quo dicatur: *Mulieres*, etc.

CAP. IV, —1. Ambros. *Tempus redimentes.* Præsens tempus ad utilitatem nostram comparantes.

2. Greg. *Tempus redimentes.* Tempus quidem redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus.

3. Lanfr. *Sermo vester in gratia.* Hic gratiam vocat bonam observantiam, quæ per gratiam Dei datur, sicut ad Ephesios: *Ut det gratiam audientibus.*

4. *Et Marcus.* Propter hunc Marcum dissensio fuit inter Paulum et Barnabam, sicut in Actibus apostolorum legitur (*Act.* xv, 39). Quo audito, Colossenses ut auderent [*f.*, non auderent] nec Marcum nec Barnabam recipere, nisi imperatum eis ab Apostolo fuisset; ad utrumque enim referri potest, de quo...

5. August. (*lib. De corrept. et grat.*, cap. 7, t. VII). *Ut stetis perfecti.* Nec aliud oramus, ut qui stat stet, nisi ut perseveret. Item Judas apostolus, cum dicit: *Ei autem qui potens est conservare eos* [al., *vos*] *sine offensione, et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia.* Nonne apertissime ostendit Dei donum esse in bono perseverare usque in finem?

B 6. Lanfr. *Et eam quæ Laodicensium.* De dubitationibus suis Laodicenses epistolam ad Apostolum scripserunt, quam Apostolus Colossis legi præcipit, ut eorum Laodicensium nunc visa dubitatione, sciant quid respondeant, et eam quam eis scribit

censium est, vos legatis. Et dicite Archippo : Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Salutatio, mea manu Pauli. 8, 9. Memores estote vinculorum meorum. Gratia *Dei* vobiscum. Amen.

COMMENTARIUS.

Epistolam (54) ipsi Laodicensibus legi faciant : hæc si esset Apostoli ad Laodicenses, diceret non Laodicensium, et plusquam tredecim [*f.*, quatuordecim] essent Epistolæ Pauli.

7. AMBROS. *Et eam quæ Laodicensium.* Apostolus non ad Laodicenses dicit, sed ex Laodicia, quam illi scripserunt ad Apostolum, in qua aliqua digna A reprehensione inferebantur.

8. *Memores estote.* Hoc est, ad meam imitationem pro veritate nolite pigere.

9. LANFR. *Memores estote vinculorum meorum.* Memores eos esse vinculorum suorum rogat, vel, ut pro eo vinculato orent vel ut necessaria subministrent.

(54) Negat Lanfrancus Epist. ad Laodicens. esse B. Pauli.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES I.

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS

ARGUMENTUM.—Thessalonicenses sunt Macedones, qui, accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide etiam in persecutione civium suorum. Præterea nec receperunt falsos apostolos, nec ea quæ a falsis apostolis dicebantur. Hos collaudat Apostolus, scribens eis ab Athenis per Tychicum diaconum et Onesimum acolythum.

CAPUT PRIMUM.

1, 2. Paulus, et Sylvanus, et Timotheus. Ecclesiæ Thessalonicensium *constituti*, in Deo Patre et Domino
Jesu Christo. Gratia vobis et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri fa-
cientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ *quod exigit fides vestra, vel*
quod vos fideles facitis, et laboris, et charitatis, *largiendo vestra aliis*, et sustinentiæ *tolerantiæ*, spei Do-
mini nostri Jesu Christi *habitæ* 3. ante Deum et Patrem nostrum, *non ad oculum hominum*, 4. scientes
fratres dilecti a Deo, *scilicet esse*, electionem vestram, (*ecce cur sciat vos a Deo esse electos*) quia Evange-
lium nostrum, non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute *miraculorum*, 5. et in Spiritu sancto
dato vobis, et in plenitudine multa, *plene*. 6. sicut scitis, et *ita esse vos scitis*, quales fuerimus in vobis
vel in nobis, propter vos 7. Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribu-
latione multa, *quam patiebamini pro Christo*, 8. cum gaudio Spiritus sancti, *quod dabat Spiritus sanctus*,
ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, et in Achaia. 9. A vobis enim diffama-
tus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra, quæ est
ad Deum profecta est, ita ut non sit nobis necesse *de fide vestra* quidquam loqui. Ipsi enim de nobis, *vel*
vobis, annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos, *id est quia nos, et prædicationem nostram liben-*
ter audistis; et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, 10. servire, *ad serviendum*, Deo vivo et
vero, et exspectare, *ad exspectandum* Filium ejus de cœlis (11. quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui
eripuit nos ab ira ventura.

COMMENTARIUS.

CAP. I.— 1. AMBROS. Apostolus scripsit ad Thessalonicenses hanc primam Epistolam, laudans eos quod sustinuerint fideliter in adversis pro fide certantes. Instruit vero eos et de illis quæ apud eos inconvenienter geri cognoverat.

2. LANFR. *Paulus.* Non ponit nomen officii sui Apostolus, sicut in aliis Epistolis, ostendens hos esse bonos et perfectos.

3. AMBROS. *Ante Deum.* Ut dicat : quoniam placita Deo ista facitis.

4. LANFR. *Scientes, fratres dilecti.* Gratias agimus, vel quia scimus electionem, vel et vos, fratres, estis imitatores nostri.

5. *Et Spiritu sancto*, id est, in ostensione sancti Spiritus, per quem credentes spiritualia charismata accepistis.

6. AMBROS. *Sicut scitis.* Propter vos hoc dicit, ut B eos ad reverentiam invitaret.

7. *Et vos imitatores.* Domini commemorationem faciens optime videtur exhortationem fecisse.

8. *Cum gaudio.* Neque enim aliter gauderent pro illis quæ nondum videbantur.

9. LANFR. *A vobis enim diffamatus est.* Diceret quis : Sciebant tunc Macedones et Achaici eos verbum Domini accepisse. Ad hoc respondet : *A vobis enim diffamatus est*, sermo habetur de vobis inter eos de fide vestra.

10. AMBROS. *Servire Deo vivo.* Notandum est autem quod in simulacrorum abdicatione Deum et vivum et verum esse asseruit.

11. AUGUST. (lib. XV *De civit. Dei*, c. 25, tom. V). *Quem suscitavit.* Ira Dei non perturbatio est, sed C judicium quo irrogatur pœna peccato.

CAPUT II.

1. Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, 2. quia non inanis, *vacuus, vel levis* fuit : sed ante passi *multa*, et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. *Ideo fiduciam habuimus.* Exhortatio enim nostra non *fuit* de errore, neque de immunditia, neque in idolo ; sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, *ut probemur a Deo digni esse quod nobis suum credat Evangelium*, ita loquimur, 3. non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat, *laudat*, corda nostra. Neque enim *placentes* (*probat*) aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis ; neque in occasione avaritiæ, *pro lucro prædicantes.* Deus testis est ; 4. nec *fuimus* quærentes *prædicando* ab hominibus gloriam, neque a vobis, (*a partibus*) neque ab aliis. Cum possemus vobis oneri esse, *gloriando, vel vestra suscipiendo*, ut *alii* Christi apostoli ; sed facti sumus parvuli, *humiles et immunes*, in medio vestrum, 5. tanquam si nutrix, *quæ mater est*, foveat filios suos, *non alienos.* Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras *ut pro vobis mereremur* (*ecce cur*) quoniam **373** charissimi nobis facti estis, *quod ita esse scitis ; vel non fuimus vobis oneri vestra capiendo.* 6. Memores enim estis fratres laboris nostri et fatigationis (*ecce labor*), nocte, et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, (*ecce fatigatio*) prædicavimus in vobis Evangelium Dei. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, *non adulando*, et juste, *non propter lucrum prædicando*, et sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus, *affuimus*, sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum (sicut pater filios suos) deprecantes vos et consolantes, testificati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam *quia vocavit vos Deus et vos tantum desiderabamus.* Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, 7. quoniam, cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei (*per quod auditur Deus, ut : Qui vos audit, me audit*) accepistis illud, non ut verbum hominum, *non viliter*, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis (*vel miracula, vel quod creditis*), qui credidistis. *Alia ratio cur gratias agat, vel ostensio quod in eis operetur.* 8. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu, *in fide Christi ; in hoc imitatores facti estis*, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, *gentibus*, sicut et ipsi a Judæis qui et Dominum occiderunt Jesum (*si me persecuti sunt et vos persequentur*) et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus, *utilitati omnium hominum*, adversantur, prohibentes nos *præ invidia* gentibus loqui, *prædicare*, ut salvæ fiant, ut impleant *Judæi* peccata sua semper, *ut, qui in sordibus est, sordescat adhuc ;* pervenit enim (*quia jam præjudicati sunt*) ira Dei super illos, *in superiori eorum, vel desuper*, 9. usque, *duratura neque* in finem *sæculi* : nos autem, fratres, desolati *quia absentes sumus* a vobis ad tempus horæ, *verbis*, et aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio, quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus (*ne videretur dixisse de aliis, non de se*), et semel et iterum, *bis*, sed impedivit nos (*quædam tribulationes, vel in membris suis,*) Satanas. *Ratio cur venire desideret.* Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum Jesum Christum *spes nostra et gaudium* estis in adventu ejus ? *Ideo volumus* (*vel sola antipophora*), vos enim estis gloria nostra et gaudium.

374 CAPUT III.

Propter quod, *quia estis spes nostra*, non sustinentes amplius, placuit nobis, *mihi soli*, remanere Athenis, solis, et misimus *nuper* 1. Timotheum fratrem nostrum et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad

COMMENTARIUS.

CAP. II. — 1. Lanfr. *Nam ipsi scitis.* Ipsi annuntiant quod verum est ; vos enim scitis qualem introitum. Vel alia ratio, cur ei non sit necesse loqui. Vel, eripuit nos ab ira ventura, nam ipsi scitis introitum nostrum, quanta in eo passi sumus.

2. Ambros. *Quia non inanis fuit.* Scitis, inquit, quoniam non absolute neque fortuitu ad vos venimus, sed passi multa.

3. Lanfr. *Non quasi hominibus placentes.* Placere et in bono, et in malo invenitur, sed de quo placendi mihi hic locus sit, subjungit : *In sermone adulationis.* Adulari enim in malo semper invenitur.

4. Ambros. *Nec quærentes.* Cautissime posuit, *non quærentes ;* hoc est non hoc auspicantes, nec hanc habentes actus nostri intentionem.

5. August. (*enar. in ps.* XLIX, circa finem, tom. VIII). *Tanquam si nutrix.* Non nutrix filios alienos, sed nutrix fovens filios suos.

6. Lanfr. *Memores enim.* Ostendit quomodo animam, id est vitam suam, eis tradidit.

7. Ambros. *Quoniam cum accepissetis.* Eorum laudem commemorat, ut illorum alacritatem suscitet. Quæ erga se sunt commemorat, ut eos ad reverentiam adducat.

8. *Vos enim imitatores.* Bene autem eos est adhortatus, commemorans illos, ut et ipsi sustineant.

9. Lanfr. *Usque in finem.* Usque in finem quidam Judæi increduli erunt ; tunc enim omnis Israel salvabitur.

CAP. III. — 1. Lanfr. *Timotheum.* Non in hac vice cum hac Epistola misit eum, sed priusquam hanc

confirmandos vos *in fide*, et exhortandos *in moribus* pro fide vestra, ut nemo moveatur in tribulationibus istis, *quas patimini*; *nec debetis moveri*; 2. ipsi enim scitis quod in hoc positi simus, *ut patiamur*. Nam et cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis. Propterea, *quia tribulabamini*, et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentaverit vos is qui tentat, *diabolus*, et inanis fiat labor noster. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram, et quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos, ideo consolati sumus,fratres, in vobis, *licet simus* in omni necessitate et tribulatione nostra, per fidem vestram, quoniam nunc vivimus, *gaudemus*, si vos statis in Domino.Quam enim *dignam* gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte ac die abundantius orantes ut videamus faciem vestram et compleamus ea quæ desunt fidei vestræ? *nullam utique*. Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. Vos autem Dominus multiplicet et abundare faciat charitatem vestram in invicem et in omnes, quemadmodum et nos in vobis, *scilicet abundantius charitate*, ad confirmanda corda vestra sine querela, *ne Deus queratur de vobis*, *ut sitis vel* et in sanctitate, ante Deum et Patrem nostrum, in adventu, *in die judicii*. Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus sanctis ejus. Amen.

CAPUT IV.

1. De cætero, *de aliis præceptis*, ergo, fratres, rogamus vos, et obsecramus, in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ, *quam sancta*, præcepta dederim vobis 175 per Dominum Jesum. *Ecce præcepta*. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, 2. ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, 3 non in passione desiderii, *quam desiderium perficit*, sicut et gentes, quæ ignorant Deum; et ne quis supergrediatur, *adgravet in negotio*, *vel superbiendo* neque circumveniat, *promittendo nihil dando*, in negotio, *in aliqua re*, fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, (*ne sitis fornicarii*, *vel sancti*, et testificati sumus. 4. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, *ut sitis immundi*, sed in sanctificationem. 5. Itaque, *quia voluntas Dei est*, *nolite spernere*; qui hæc, *mandata Dei*, spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui *non solum superiora præcipit*, *sed* etiam 6. dedit Spiritum suum sanctum in nobis. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis; 7. ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. 8. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia 9. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis. 10, 11, 12. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, *defunctis*, ut non contristemini, sicut et cæteri,

COMMENTARIUS.

Epistolam mitteret. Alioquin non cum eo salutasset A eos in proœmio.

2. *Ipsi enim scitis*. Causam submovit cur moveri eos non oporteat, ipsamque auctoritatem [*f.*, auctoritate] eorum confirmat.

3. *Nam et cum apud vos*. Eamdem causam sua auctoritate confirmat.

CAP. IV. — 1. AMBROS. *De cætero, fratres*. Postquam laudes consummavit, quas super fidei eorum dixerat infirmitate [*f.*, firmitate], hortatur ut de cætero vitæ eorum diligentiam adhibeant.

2. LANFR. *Ut abstineatis vos*, etc. Præcepi vobis ut abstineatis a fornicatione, etc., usque ad hoc, *ut sitis sancti*, *quod vult Dominus* et hoc est: *Hæc est enim voluntas Dei*.

3. *Non in passione*. Passio desiderii, quando pec- B catum desideratur, et non perficitur.

4. *Non enim vocavit*. Contrarium destruit, ut statuat alterum contrarium, id est, essemus mundi.

5. *Itaque qui hæc spernit*. Hoc ex superiori sententia colligitur, qua dixit: *Hæc est enim voluntas Dei*.

6. *Dedit spiritum suum*. Id est quia non solum superiora præcepta prædicandi nobis invexit sed ut majoris auctoritatis in prædicando essemus Spiritum sanctum suum nobis dedit.

7. *Ipsi vos didicistis*, per inspirationem divinam, vel per evangelicum præceptum, ubi a Christo de dilectione præcipitur.

8. *Etenim facitis*. Alia causa cur de charitate non habeat eis necesse scribere.

9. *Rogamus vos*, etc. Contra eos qui inquirebant omnia otiosi, nihil laborantes.

10. *Nolumus autem vos*. Ad illos qui dolebant de amicis, quasi non resurrecturis.

11. AUGUST. (serm. 31, *De verb. Apost.* cap. 7, tom. X). *Nolumus autem* Nam ideo et dormientes eos appellat. Scripturæ veracissima consuetudo, ut cum dormientes audimus, evigilaturos minime desperemus.

2. AMBROS. *Nolumus autem*. Bene non tristitiam ademit, sed immensam eam perhibuit comparatione adversariorum, ad verecundiam eos devocans, et quod illi non habent spem.

qui spem *resurrectionis* non habet. Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, *(resurgent, nam Christus resurrexit, quod credimus)* *(a simili)* ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo *(ab auctoritate sui, et Dei)*. 13. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt, *sed simul rapiemur*. 14. Quoniam ipse Dominus in jussu *Patris*, *vel jubens ut Deus*, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt, *boni*, resurgent primi. 15. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus *ferentibus nos* obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Itaque, *quia sic futurum est*, consolamini invicem in verbis istis.

CAPUT V.

Diceret quis : Quando hoc erit? 1. De temporibus autem, 2. et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis. 3. Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, *improviso*, *cum alii sunt in quiete*, ita veniet. 4. 5. Cum enim *sæculares* dixerint : Pax et securitas *est*, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient, *omnes morientur. Illis nescientibus superveniet interitus, quia sunt in tenebris.* Vos autem, fratres, non estis in tenebris *peccatorum*, ut vos dies illa, tanquam fur *improvisos*, comprehendat; *non estis in tenebris*, omnes enim vos filii lucis estis, *(a pari)* et filii diei *ergo* *(a contrario)* non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut et cæteri; *quia non sumus noctis*, *non quiescamus in peccatis*, sed vigilemus *in bonis*, et sobrii simus, *non ebrii*. Qui enim dormiunt, 6. nocte dormiunt, *noctis sunt*, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt, *noctis sunt*. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, *(intransitive)* induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis, *et possimus sperare salutem* quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum qui mortuus est pro nobis, 7. ut sive vigilemus, sive dormiamus *actu*, *vel moriamur*, simul cum illo vivamus. Propter quod, *quia vos dies*, *Deus non comprehendet improvisos*, consolamini invicem, et ædificate alterutrum, sicut et facitis. Rogamus autem vos, fratres, 8, ut noveritis eos, *benefaciatis prædicatoribus vestris*, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, 9. ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus *bonum prædicationis* illorum, et

COMMENTARIUS.

13. *Hoc vobis dicimus*, hoc est, secundum revelationem.

14. *Quoniam ipse Dominus.* Jussum vel tubam vocat vocem archangeli qui dicet : *Surgite.*

15. August. (lib. xx *De civit. Dei*, cap. 20, tom. V). *Deinde nos.* Si ergo sanctos qui reperiuntur Christo veniente viventes, eique in obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortaliaredituros, nullas in verbis Apostoli patientur [*al.*, patiemur] angustias, sive ubi dicit : Tu quod seminas non vivificabitur, nisi moriatur. Sive ubi dicit : Omnes resurgemus, ut [*al.*, aut] omnes dormiemus.

CAP. V. — 1. Lanfr. *De temporibus.* De temporibus, an æstate vel hieme, an die vel nocte, venturus sit ad judicium Christus.

2. *De momentis*, id est, qua hora diei vel noctis.

3. *Ipsi enim diligenter.* Quasi dicat : Non indigetis, quia nihil aliud scriberem nisi quod vos scitis, diem videlicet Domini clam venturum, nec tempora nec momenta aliquo sciente.

4. *Cum enim dixerint : Pax.* Defuncto Antichristo putabant stulti se amplius securos ; sed tunc cito veniet interitus, et tunc bene erit nobis qui evademus, sicut mulier partum.

5. August. (epist 80, *ad Hesich.*, tom. II). *Cum dixerint pax.* Quid est quod ait Apostolus : *Cum dixerint pax et securitas?* Cum enim dixisset Evangelium : *Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione;* continuo subjunxit : *Nam virtutes cœlorum movebuntur ; et tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna et majestate.* Videamus itaque, ne forte melius intelligatur, non ea modo impleri quæ prædicata sunt in illis verbis, sed tunc potius esse ventura, quando sic erit tribulatio universo orbi ut ad Ecclesiam pertineat quæ in universo orbe tribulabitur, non ad eos qui tribulant eam. Ipsi enim dicturi sunt : *Pax et securitas*, ut repentinus illis superveniat interitus, et eos adventus Domini, sicut fur in nocte, comprehendat.

6. August. (*expos. psal.* cxxxi, tom. VIII). *Nocte dormiunt.* Noctem dicens iniquitatem, in qua illi obdormierunt cupiendo ista terrena, et omnes istæ felicitates quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium ; et quomodo qui videt thesauros in somniis, dormiens dives est ? sed vigilabit et pauper erit : sic omnia vana ista hujus sæculi, de quibus gaudent in somno. Evigilabunt quando nolunt, si non modo evigilant quando utile, et inveniunt somnia fuisse illa.

7. Ambros. *Et sive vigilemus*, id est, sive secundum præsentem vitam in adventu Domini habeamus, sive egressi fuerimus a vita hac omnes vitam incorruptam acquiramus.

8. Lanfr. *Ut noveritis eos.* Genus locutionis, cum dicimus cui nihil dare volumus : Non nosco te, nescio te.

9. Ambros. *Ut habeatis illos*, id est, plurimo honore dignos existimate, non resultantes quando vos

pacem habete cum eis. 10. Rogamus autem vos fratres, *doctores*, 11. corripite inquietos, consolamini pusillanimes, *in fide vel in passione*, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 12. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. 13. Semper gaudete. 14. Sine intermissione orate. In omnibus, *prosperis vel adversis*, *vel dictis et factis*, 15. gratias agite, hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, *in iis, quæ sunt in fide Christi Jesu*, in omnibus vobis. 16, 17. Spiritum nolite exstinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate; quod bonum est tenete. Ab omni specie mala, *quod malum videbitur*, abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia (*sic promisit*), 18. ut integer, *immunis a malo*, 19. spiritus vester, *rationabilitas*, et anima, *sensualitas*, et corpus sine querela, in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. *Quod faciet, quia* ‖ **178** 20. Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adjuro vos per Dominum ut legatur Epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.

COMMENTARIUS.

corrigere cupiunt, et horum contumaciam videtur significasse. A

10. *Rogamus vos.* Ad doctores vertit sermonem: necessarium enim erat et hos exhortari, ut non discederent ab opere propter quorumdam contumaciam.

11. AUGUST (*lib. De corrept. et grat.*, cap 16, t. VII). *Corripite inquietos.* Ubi intelligendum est tunc potius malum pro malo reddi, si corripiendus non corripitur, sed prava dissimulatione negligitur.

12. LANFR. *Videte ne quis malum.* Malum pro malo reddit qui quem corrigere potest impunitum dimittit.

13. AMBROS. *Semper gaudete*, id est, pro omnibus tristitiis quæ vobis accidunt.

14. AUGUST. (*lib. De hæresib. ad Quodvultdeus*, B hæres. 57, tom. VI.) *Sine intermissione.* Dominus ait: *Oportet semper orare, et non deficere.* Et Apostolus; *Sine intermissione orate.* Quod sanissime accipitur sic ut nullo die intermittantur certa tempora orandi.

15. AUGUST. (*lib. Sent. Prosp.*, sent. 3, tom. III). *Gratias agite.* Vera fidelium humilitas est in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse, ne querulum, sed in omnibus judiciis gratias Deo agere. Dominumque laudare, cujus omnia opera aut justa sunt, aut benigna.

16. AMBROS. *Spiritum nolite.* Apud Thessalonicenses quidam erant qui non suscipiebant ea quæ in operationem spiritualem profitebantur, quia confingebant, seductorum causa, studio cautelæ, se id declinare. Fiebant autem ista ab indisciplinatis, eo quod a prophetis arguebantur. Ideo dixit: Nolite spiritualem operationem prohibere, sed si, inquit, seductores timetis, accipite illa quæ dicuntur probantes illa.

17. AUGUST. *Spiritum nolite exstinguere.* Si quis per Spiritum loquitur nolite impedire; nolebant enim quosdam audire, quia Apostolus dixerat ne reciperent pseudoapostolos. Vel scientiam per Spiritum eis collatam, vel Spiritum in aliis nolite exstinguere.

18. AMBROS. *Integer spiritus.* Orat ut tributa Spiritus gratia integra in illis custodiatur, nullam sustinens minorationem.

19. AUGUST. (lib. IV. *De anima et orig. ejus, ac Vincent. Vict.*, cap. 2, tom. VII). *Spiritus vester et anima.* Quamvis proprie dicatur spiritus, non universa anima, sed aliquid ipsius; sicut dicit Apostolus: *Et integer spiritus, et anima, et corpus.* Vel illud multo expressius in libro Job: *Absolvisti animam meam a spiritu meo.* Tamen universa anima vocatur hoc nomine. Cum enim constet aliquid esse in anima quod proprie spiritus nominetur, illud etiam ego dico proprie vocari spiritum quo ratiocinamur et intelligimus, quando ita distincte ista dicuntur.

20. AMBROS. *Fidelis est.* Hoc adjecit ut de oratione dubii habeantur.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES II.

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

ARGUMENTUM. — Ad Thessalonicenses secundam scribit Epistolam Apostolus, et notum facit eis de temporibus novissimis et de adversarii dejectione. Scribit hanc Epistolam ab Athenis per Titum diaconum et Onesimum acolythum.

CAPUT PRIMUM.

1, 2. Paulus, et Silvanus, et Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, *existenti* in Deo Patre nostro et

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. AMBROS. Scribit hanc Epistolam C primum collaudans eos; deinde instruit eos ne existiment incumbere sibi consummationem temporum; et de Antichristo.

2. LANFR. *Paulus*, etc. In superiori Epistola dixit de die judicii: *Nos, qui residui sumus, non præveniemus eos qui dormierunt.* Modo autem, ne isti suo tempore existiment hoc futurum, determinat

Domino Jesu Christo. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. 3. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem, ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide *perseverante*, et in omnibus persecutionibus vestris, et 4, 5. tribulationibus, quas sustinetis 6. in exemplum justi judicii Dei, pro quo et patimini; si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant, et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo *venturi* cum angelis virtutis ejus, *cum quibus exercebit virtutem suam*, in flamma ignis dantis, *Christi dico, vel ignis*, vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi; qui pœnas *ex se* dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, *dando immortalitatem*, 7. et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, *vobis dabit requiem*, 8. quia creditum est testimonium nostrum super vos 9. in die illo, in *die*, quo *non tantum gratias agimus, sed* etiam oramus semper pro vobis; ut dignetur, *dignos faciat*, vos vocatione sua Deus noster, (*hac: Venite, benedicti Patris mei*) et impleat omnem voluntatem bonitatis, *modo vel tunc cum reddet mercedem plene*, et opus fidei, *quod fides Christiana exigit*, in virtute *divinitatis suæ*, ut clarificetur (*hic: Ut videntes opera bona glorificent, vel in futuro, ut: Qui habitant in domo tua, Domine*, etc.) nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, *glorificemini*, (*ut: Fulgebunt justi, sicut sol, in regno Patris mei*) secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi, *non meritis*.

CAPUT II.

Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, 1. et nostræ congregationis (*hic in Ecclesia, vel futuræ in cœlis*) in ipsum, *Christum, vel in unum*, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque 2. terreamini, neque per spiritum, *si quis dicat sibi esse revelatum per spiritum*, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos, *a nobis*, missam, 3 quasi instet dies Domini, *judicii*. *Rogamus* 4. ne quis vos seducat ullo modo, 5. 6. quoniam *non erit dies Domini*, nisi venerit discessio pri-

COMMENTARIUS.

quando sit futurum, quod nisi fecisset, vel falsus esse crederetur, vel dies judicii a posterioribus amplius non exspectaretur.

3. AUGUST. (*lib. De grat. et lib. arb.*, c. 18, tom. VII). *Gratias agere*. Hoc dixit ne forte de tanto bono, quod ex Deo habebant, tanquam ex seipsis id habebant [*al.*, habentes], extollerentur. *Quod ergo supercrescit fides vestra*, inquit, *et abundat charitas uniuscujusque vestrum, gratias agere debemus Deo*, non ita vos laudare, tanquam hoc ex vobis habeatis.

4. AUGUST. (lib. XXII *Cont. Faust.*, c. 20, ante finem. *Tribulationibus quas sustinetis*. Hinc enim intelligitur quomodo non pareatur impiis, tanquam præcisis ad combustionem, quando justis non parcitur propter perficiendam purgationem.

5. LANFR. *Tribulationibus quas sustinetis*. Tribulationes quas sancti in hac vita tolerant in exemplum justi judicii Dei, quo judicabit reprobos in fine mundi; qui enim sic horribiliter, et tamen juste, judicat eos qui peccant, et prius peccata plangunt, quam juste judicabit eos qui nunquam plangunt, et tamen peccare non desinunt.

6. *In exemplum justi judicii Dei*. Vel, opera hominum sunt exemplum, id est, ostensio, quod Deus justus sit, in dando bonis bona, malis mala.

7. AMBROS. *Admirabilis*. Ordo est: admirabilis fieri in die illo; vult dicere, admirabilis videbitur in die illo in his qui crediderunt, et quod nostram doctrinam suscepisti [*f.*, suscepistis].

8. LANFR. *Quia creditum*. Causam reddit cur requiem tribuat illis, quia videlicet testimonium quod de die judicii super eos protulit, velut de loco altiori loquens, creditum sit ab illis.

9. *In die illo in quo*. Ordo: in quo judicii die ut dignetur (id est, dignos judicet) vocatione sua vos

A Deus, oramus semper. Vel in quo, id est, pro quo vitando periculo, semper orandum est.

CAP. II. — 1. AMBROS. *Et nostræ congregationis*. Dicit enim Christi adventu congregationem tunc ad eum futuram.

2. *Terreamini*, id est, sive quis spirituali in operatione id permittat se dicere, sive ex verbo et Epistola nostra sit edoctus.

3. AUGUST. (ep. 80 *ad Hesic.*, tom. II). *Quasi instet*. Vigilare debet Christianus ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem illum inveniet dies ille, quem imparatum inveniet suus vitæ hujus dies ultimus.

4. AUGUST. (lib. XX *De civit. Dei*, cap. 19, tom. V). *Ne quis vos seducat*. Ne quis vos seducat ullo modo: B *Quoniam, nisi venerit refuga primum*, etc. Nulli dubium est eum de Antichristo ista dixisse, dieque judicii: hunc enim appellat diem Domini non esse venturum, nisi ille prior venerit, quem refugam vocat, utique a Domino Deo.

5. *Quoniam, nisi venerit*. Impossibile est discessionem fieri ubi accessio prius facta non sit; necesse est ergo, inquit, impleri acessionem, de qua dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; et: *Venient omnes gentes ad eum*. Quo impleto incipiet discessio, de qua dicitur: *Ex abundantia iniquitatis refrigescet charitas*, quia discessione completa, quasi jam parato jumento, opportunum erit adesse sessorem, id est, revelati filium perditionis. Dicit autem, cum apud eos esset, hæc eadem illis C dixisse, eosque advertere debere quod non sit revelandus Antichristus, nisi suo tempore, id est, opportune. Quem enim locum inventurus erat tempore apostolorum, martyrum, confessorum, vel non refrigeratæ charitatis? Quod autem in tantum quandoque

mum, *apostasia Romani imperii, vel fidei*, et revelatus fuerit homo peccati, *Antichristus*, filius perditionis, *suæ, et aliorum*, qui adversatur, *adversabitur*, et extollitur, *extolletur*, supra omne 7. quod dicitur *esse* Deus, aut quod colitur *a Christianis*, 8 ita ut in templo Dei, *Hierusalem*, *vel Ecclesia*, sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. *Hoc dixi vobis, et* Non retinetis quod, cum adhuc essem apud vos, hæc *supradicta* dicebam vobis ? 9. Et nunc quid detineat *Antichristum, vel diem Domini*, scitis, (*ecce quod detinet*) ut reveletur in suo *convenienti* tempore. *Ipse revelabitur*, 10, 11. Nam mysterium jam operatur iniquitatis, *id est, secrete operatur per membra*, 12. tantum, *hoc tantum restat*, 13, 14. ut qui tenet, [illegible] nunc teneat, *Romanum imperium, vel fidem, vel ad nos nihil, nisi tenere fidem*, donec de medio fiat, *donec destruatur Romanum imperium, vel Antichristus nascatur ; vel, qui tenet fidem, teneat donec moriatur.* Et tunc revelabitur ille iniquus, 15. quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, *virtute Spiritus sancti ab eo procedentis*, et destruet 16. illustratione, (*id est, claritate, quæ tanta erit ut ea visa moriatur*) adventus sui eum, *Antichristum ;* cujus est adventus secundum operationem Satanæ, *dispositam, vel Satanas in ee operabitur* ; in omne virtute *resurrectionis*, et signis *miraculorum* et 17. prodigiis mendacibus *ad salutem, vel quia videbitur, nec revera operabitur*, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, *eo quod prædicabat pro charitate, vel redemptione.* Ideo mittet illis Deus operationem erroris, *operatorem Antichristum*, ut credant mendacio, ut judicentur, *damnentur*, omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, *diabolo.* Nos autem, *sed vos credidistis veritati, unde nos* debemus gratias agere Deo semper 18. pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias, *primitivam Ecclesiam*, in salutem, *datam vobis*, in sanctificatione *primum sancti* Spiritus, et in fide veritatis, *Christi ;* in qua et vocavit vos per Evangelium nostrum. 19. in acquisitionem gloriæ, *ut vos acquiratis gloriam Dei, vel ut vos acquiramini a Deo gloria* Domini nostri Jesu Christi. Itaque, *quia gloriam acquiretis*, fratres, state, et tenete *Evangelii* traditiones quas didicistis, sive per sermonem *mei præsentis*, sive per, *absentis*, Epistolam nostram. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster,

COMMENTARIUS.

abundatura sit iniquitas, ex eo, inquit, colligi potest quod in ipsis principiis accessionis apparent quædam primitiæ discessionis, ut quidam se Christi discipulos simulent, neque de futuro debere, cum hoc tantum sufficiat, ut teneat quisque in religione quod tenet, in quo in eo permaneat, donec de medio fiat, id est, de aperto innotescat homo ille, impleturus personam iniquitatis, qui tunc futuri sunt illi videant ; mihi autem in anima moritura, quo valet rescire post quot annos prius esse fieri ascensionem, consequenter descessionem, et sic demum adesse diem Domini.

6. AMBROS. *Nisi venerit.* Discessionem vocat tempus illud, eo quod paulo minus omnes tunc discedent a pietate ; et peccati hominem dixit, eo quod peccatum ministrabit ; et filium perditionis, utpote perditioni subdendum.

7. LANFR. *Quod dicitur Deus*, id est, super omnes sanctos, qui dicuntur dii, et supra Deum [*f.*, eum], qui colitur Deus.

8. AUGUST. (lib. XX *De civit. Dei*, cap 19). *Ita ut in templo.* Hoc loco intelligi Antichristum volunt, rectiusque putant etiam Latine dici, sicut in Græco est, non in templo Dei, sed in templum Dei sedeat, tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia, sicut dicimus sedet in amicum, id est, velut amicus.

9. AMBROS. *Et nunc quid detineat*, id est, Deus interim detinet eum.

10. *Nam mysterium*, hoc est, non aperte apostasiam operatur, sed ministerio per suos a pietate tentat divellere.

11. LANFR. *Nam mysterium.* Mysterium iniquitatis suæ in Nerone, et cæteris membris suis Antichristus tunc operatur, quia per unanimitatem et magnitudinem iniquitatis, quæ per eos exercebat, quanta sit iniquitas quæ per semetipsum exercebat [*f.*, exercebit], ostendebat. Et est probatio quod revelandus sit.

12 AMBROS. *Tantum ut qui tenet*, hoc est, ubi diffinitio Dei, quæ ejus prohibet adventum, cessabit, tunc ille apparebit.

13. LANFR. *Ut qui tenet.* Romanum designat imperium, quo destructo veniet Antichristus. Hoc est enim quod dicit : tantummodo hoc restat ut Romanus imperator, qui tenet hunc mundum, teneat donec de medio fiat, id est, penitus auferatur ; de medio enim fieri, est de communi hominum aspectu auferri.

14. AUGUST. (*idid.*). *Ut qui tenet.* Illud tamen quod Apostolus dicit, tantum quomodo tenet, teneat donec de medio fiat, id est, de medio tollatur ; et tunc revelabitur iniquus, per quem significari Antichristum nullus ambigit.

15. AMBROS. *Quem Dominus Jesus.* Subito de cœlo apparens Christus, et solummodo clamans, cessare faciet ab opere totum illum expendens hoc dicit : *Spiritu oris.*

16. LANFRANCUS. *Illustratione*, id est, claritate, quæ tanta erit ut visa ea moriatur.

17. *Prodigiis mendacibus.* Mendacia vocat, prodigia Antichristi, vel quia non erit quod apparebit, vel quia perituris mendacia suadebunt.

18. *Pro vobis fratres.* Pro vobis, subaudis instruendis, ut et vos pro collatis beneficiis, similiter gratias referatis ; vel quia et vos vocati estis, ut paulo post dicitur.

19. *In acquisitionem*, id est, ut vos essetis ei acquisitio, in qua Dominus Jesus Christus glorificetur, ut et vos acquiratis gloriam quam Dominus Jesus Christus habet.

qui dilexit nos et dedit consolationem æternam, *mittendo Christum vel Spiritum sanctum*, et spem bonam in gratia, *non meritis*, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.

182 CAPUT III.

De cætero, fratres, orate pro nobis ut sermo Dei, *quem prædicamus*, currat, *non rejiciatur*, et clarificetur, sicut et, *scilicet alias*, apud vos, et *orate* ut liberemur ab importunis et malis hominibus, *qui nobis insidiantur (sola antipositio)*, non enim omnium est fides, 1, 2. Fidelis autem Dominus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo, *diabolo*. Confidimus autem de vobis in Domino quoniam quæ præcipimus et facitis et facietis. 3. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, *ut Deum diligatis*, et patientia Christi, *et pro eo patiamini*. Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, *extra viam rectæ fidei*, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. 4. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, *hac et illac vagantes*, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore *operis manuum*, et in fatigatione *prædicationis*, nocte *operando manibus*, et die *prædicando* operantes *fuimus*, ne quem vestrum gravaremus. *Ne quis objiceretur: non poteras.* Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 5. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. *Ratio cur laboris sui mentionem fecerit.* Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, *otiose*, nihil operantes, sed curiose agentes, *rumorizantes*. Iis autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio *ne sint curiosi etiam* operantes, suum, *non alterius* panem manducent. Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes, *qui benefacitis, nolite deficere; vel si nesciunt operari, sustinete eos.* 6. Quod si quis non obedit verbo nostro, *quod per Epistolam loquimur*, per epistolam hunc notate, *arguite separando a vobis*; et ne commisceamini cum illo, ut confundatur; et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. 7. Salutatio, mea manu Pauli *scripta*, quod est signum in omni Epistola; ita scribo. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

CAP. III.— 1. LANFR. *Fidelis autem*, id est, verax, qui adfuturum se promisit fidelibus suis usque in finem sæculi.

2. AMBROS. *Fidelis autem.* Hoc ad verba orationis quæ fecerat reddidit.

3. *Dominus autem dirigat*, id est, contingat vobis permanere in illa charitate, quæ est erga eum, tolerantes etiamsi aliquid conveniat pro eo pati. Et quod dixit, Dei et Christi, in commune id positum esse videtur.

4. LANFR. *Ipsi enim scitis.* Quasi diceret: Non est opus ut exponam hanc traditionem, de qua loquor, quia vos eam scitis.

5. *Nam et cum essemus.* Alia ratio, cur in labore et fatigatione incessanter apud eos operatus sit; sic enim eis facere, dum apud eos esset, suadebat.

6. AMBROS. *Quod si quis*, id est, per Epistolam loquimur.

7. *Salutatio mea.* Hoc adjecit, quia qui consummationem sæculi dicebant esse propinquam, suadebant hoc quasi ex Epistola Apostoli; hoc autem additur ut nihil contrarium recipiant his quæ hic scripta sunt.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM I

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS

182 ARGUMENTUM. Timotheum instruit et docet de ordinatione episcopatus, et diaconii, ac ecclesiasticæ disciplinæ, scribens ei a Laodicea per Tychicum diaconum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ, *qui est spes nostra*, Timotheo dilecto filio in fide, *quem in fide genui*. Gratia, misericordia (*causa inter effecta sua posita*) et pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro. Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, *hoc rogavi*, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, *quam nos*, 1. neque intenderent fabulis et 2. genealogiis interminatis, *sine termino, indefinitis, vel prohibitis a me, inquirerentur;* quæ

COMMENTARIUS.

CAP. I.—1. AMBROS. *Neque intenderent.* Eo quod Judæi tunc multam sollicitudinem expendebant, ut ostenderent Christum non ex Abraham, sed ex David descendisse.

2. LANFR. *Genealogiis.* Generationibus, quotannis videlicet vixerit Mathusalem et cæteri. Vel generationibus Christi, quomodo concordent, vel discordent; videtur enim discordare ibi Lucas a Matthæo.

quæstiones præstant magis [*quasi ubi nullum commodum, imo incommodum*) quasi ædificationem Dei, quæ est in fide. 3, 4, 5 Finis autem præcepti est 6. charitas, *effice ne intendant supradictis, sed charitati, quia finis, id est, completio legis est charitas procedens* de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta. A quibus, *genealogiis, vel conscientia et in fide,* quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes *quæstiones de quibus agitur*, neque quæ loquuntur, *auctoritatem Scripturarum*, neque *ipsas quæstiones* de quibus [84] affirmant. *Ne videretur legem incusare, hoc dicit.* 7. Scimus autem quia bona est lex *Judæorum*, si quis ea legitime utatur, *spiritualiter intelligens :* 8. sciens hoc (*ne videretur conversationem legis iterum introducere, hoc adjecit*) quia 9 lex, *carnalis observantia*, justo non est posita, sed injustis *coercendis*, et non subditis, impiis, *Deum negantibus*, et peccatoribus, *confitentibus Deum, et precantibus*, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, 10. plagiariis, *vel sicariis*, mendacibus et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est 11. secundum Evangelium gloriæ *gloriosum*, beati Dei, quod creditum est mihi, *unde* Gratias ago ei qui *ut auderem prædicare* me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in mysterio *Evangelii*, qui prius blasphemus *in Deum* fui, et persecutor *Ecclesiæ*, et contumeliosus ; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione (*quia condonans peccata addidit et fidem, et dilectionem*) quæ est in Christo Jesu, *qui ut superabundaret gratia ad hoc venit, et hoc est quod dicit, fidelis sermo*, etc. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: *ecce sermo :* quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, 12. quorum primus, *pejor* ego sum. Sed ideo *condonatis mihi peccatis per fidem* misericordiam consecutus sum, ut in me primo, *pejori*, ostenderet Christus Jesus omnem patientiam *quam habet in peccatores*, 13. ad informationem eorum (*ne desperarent*), qui credituri sunt illi in vitam æternam, *ut habeant illam. Unde*, Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, 14, 15. secundum præcedentes in, *de*, te prophetias (*prophetante mihi Spiritu sancto, vel per prophetiam Spiritus sancti electus erat, ut fieret episcopus et* [85] *doctor subditorum;*

COMMENTARIUS.

2. AMBROS. *Finis autem præcepti.* Dividens illa A quæ conveniebat præcipere eis, et a quibus se cohibere debuerant, inquit : *Finis præcepti est charitas.*

4. AUGUST. (serm. 39 *De tempore*, tom. X). *Finis autem.* Quid est autem præcepti finis, nisi præcepti adimpletio ? Et quid est præcepti adimpletio, nisi legis plenitudo? Quod ergo ibi dixit: *Plenitudo legis charitas,* hoc etiam hic dixit : *Finis præcepti est charitas.*

5. LANFR. *Finis autem præcepti.* Præcepti, id est, præceptorum, quorum finis est charitas, id est, dilectio Dei et proximi. Sicut in Evangelio : *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ.*

6. AUGUST. (lib. I *De doct. Chr.*, cap. 40, tom. III). B *Charitas de corde.* Cum enim diceret charitas, addidit de corde puro, ut nihil aliud quam id quod diligendum est diligatur. Conscientiam vero bonam subjungit propter spem. Ille enim se ad id quod credit et diligit perventurum esse desperat, cui malæ conscientiæ inest scrupulus. Tertio *et fide*, inquit, *non ficta ;* si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc et non diligimus, quod diligendum non est, et recte vivendo id speramus, ut nullo modo fides nostra fallatur.

7. AMBROS. *Scimus autem quia bona.* Ne videretur legem incusare, hoc dixit.

8. *Sciens hoc.* Ne videatur conversationem legis iterum introducere.

9. AUGUST. (*expos. Ep. ad Galat.*, cap. II, tom. IV). *Lex non est posita.* Deo vivit, qui sub Deo est ; legi autem, qui sub lege est. Sub lege autem vivit, in quantum quisque peccator est, id est, in quantum a veteri homine non est mutatus : sua enim vita vivit, et ideo lex supra illum est; quia qui eam non implet, infra illam est; nam justo lex posita non est, id est, imposita, ut supra illum sit. In illa est enim potius quam sub illa, quia non sua vita vivit; cui cohærendo lex imponitur ; ut enim sic dicam, ipsam quodammodo legem vivit, qui cum dilectione justitiæ juste vivit.

10. LANFR. *Plagiariis.* Plagiarii sunt clam transferentes homines de patria in patriam, et vendentes.

11. AMBROS. *Secundum Evangelium.* Quæ ab illo nobis tribuitur, et beatum dicit eo quod beatitudinem in natura habeat immutabilitatem [*f.*, in mutabilitate].

12. AUGUST. (serm. 9 *De verb. Apost.*, cap. 6, tom. X). *Quorum primus.* Apostolus novissimus, peccator primus. Et hic quomodo primus peccator ? *Quorum primus ego sum.* Quia omnibus prior sum, ergo pejorem voluit intelligi primum.

13. LANFR. *Ad informationem*, id est, hi qui in Christum sunt credituri, in magnis peccatis non desperent de misericordia Dei, in eo videlicet exemplo informati.

14. *Secundum præcedentes.* Spiritus sanctus semper prædicebat Apostolo quidquid oportet eum injungere Timotheo. Et est sensus : Commoneo te secundum quod inspiratio sancti Spiritus suggerit C mihi.

15. AMBROS. *Secundum præcedentes.* Hoc secundum revelationem divinam, tui faciens electionem, commisi doctrinæ opus.

vel secundum quod prophetat mihi Spiritus sanctus tibi injungendum), ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, *non dubitans de gratia, et retributione per fidem*, etc. 16 bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenæus et Alexander, 17. quos *puniendos, vel excommunicationi*, tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

CAPUT II.

Obsecro igitur (*quia per prophetiam es electus*) primum omnium fieri 1. obsecrationes, *in secreta*, orationes, *ante secreta*, postulationes, *cum benedicit episcopus*, gratiarum actiones, *sumpta communione sacramenti* (*totum missale officium tangit*) pro omnibus hominibus: pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate, *in principatu aliquo constituti* sunt, 2. ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. 3. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult, *vel ex operibus*, salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. 4. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus, Jesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, 5. testimonium temporibus suis, *scilicet incarnationis* in quo positus sum ego prædicator, [illegible] et Apostolus (veritatem dico *in prædictis*, non mentior) *causa cur verum dicere debeat*, doctor gentium in fide et veritate. Volo ergo, *vel præcipiendo, vel quia doctor*, viros orare 6. in omni loco levantes, *vel in cœlum, vel per bona opera*, puras manus, *juste reprehendentes*, 7. sine ira, et disceptatione, *sive desperatione retributionis*. Similiter et mulieres in habitu ornato *competenti* cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed, quod decet mulieres, promittentes pietatem, *quam promiserunt Christiana religione tenere*, per opera bona, 8. Mulier in silentio discat, cum omni subjectione 9. Docere autem mulieri non permitto, 10. neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva; 11, 12, 13.

COMMENTARIUS.

16. Lanfr. *Bonam conscientiam.* Conscientiam vocat cogitationes, in quibus summopere observanda est humilitas, qua spreta, in magnos quidem devenerunt errores, sicut in Epistola ad Romanos legitur.

17. Ambros. *Quos tradidit.* Ecclesiæ alienationem Satanæ traditionem vocat, ostendens per hoc quantum malum sit de Ecclesia excludi.

CAP. II. — 1. August. (epist. 59, *ad Paulin.* qu. 5, solut). *Obsecrationes.* Obsecrationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; orationes, cum benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quam totam benedictionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit; interpellationes autem, sive, ut vestri codices habent, postulationes fiunt, cum populus benedicitur; quibus peractis et participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam etiam in his verbis ultimam commendavit Apostolus. Hæc autem præcipua causa fuit ut, his breviter præscriptis atque significatis, non putaretur esse negligendum quod sequitur.

2. Lanfr. *Ut quietam.* In pace principum quies et regimen servatur Ecclesiarum; nam in bellis et discordiis eorum tranquillitas dissipatur, tepescit pietas, distinctio solvitur, distinctione soluta morum castitas violatur.

3. Ambros. *Hoc enim bonum est* Et hoc probat adjiciens: *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Quod ostendit dum adjecit. Unus est enim Deus, hoc est, quia omnium est Dominus; sed et ille Mediator, qui nos homines nititur Deo copulare, unus est et hic homo, et per omnia necessarium ostendit quod conveniat de omnibus sollicitudinem impendere, eo quod Deus curam omnibus adhibet, et omnium Dominus est, et quod ipse Christus similiter omnibus appropinquare videtur proprietate naturæ; et omnibus præbuit beneficium, pro omnibus passionem suscipiens.

4. Lanfr. *Unus enim Deus* Ad hoc respondet quod dixit singulariter: Salvatore nostro Deo, *vult omnes salvos fieri*, quia unus Deus omnium, et unus Mediator est causa. Vel ab effectu probat: *Vult omnes salvos fieri*, quia seipsum dedit redemptionem pro omnibus.

5. *Testimonium.* Testimonium vocat quæ de Christo prædixerunt prophetæ vel quod de seipso Christus protulit, videlicet quando passurus, resurrecturus, etc., congruis temporibus reipsa et eventu confirmatum est.

6. Ambros. *In omni loco.* Ordo: in omni loco extollentes sanctas manus, in quo orant

7. *Sine ira.* Quod dixit, *sine ira*, hoc est neminem odientes. Quod dixit sine disceptatione id est, ut fideli mente non dubitent accipere quod postulant; et ex altero charitatem erga proximum, et ex altero erga Deum commendat

8 Lanfr *Mulier in silentio.* Mulier in silentio discere jubetur, quia, dum loquitur, magis ad luxuriam irritat et irritatur.

9. Ambros. *Docere autem.* Necessaria erat illo tempore hæc præceptio, quando prophetissæ erant,

10 Lanfr. *Neque dominari in virum.* Mulier non debet dominari, indignior enim est homine ut Eva, posterius enim quam Adam formata est, quia ille prius. Item quia indignior est, nam seducta est, quæ per partem damnata, per partem liberabitur. Dicitur Adam non esse principaliter seductus, sed amore mulieris, sicut Salomon et alii multi.

11. August. (lib. xiv *De civit. Dei*, cap. 11, t. V). *Adam non est seductus.* Sicut enim Aaron erranti ad idolum fabricandum non consentit inductus, sed cessit obstrictus nec Salomonem credibile est errore

et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit 14, 15. Salvabitur autem per filiorum generationem, *si filios in fide nutrierit religiose, vel per bona opera*, si permanserit in fide, et dilectione et sanctificatione cum sobrietate.

187 CAPUT III.

Fidelis, *dignus fide*, sermo : *ecce*, 1. si quis 2. episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo, *quod intentionem tantam quærit*, episcopum (*per episcopum et presbyter intelligitur*, irreprehensibilem esse, 3. unius uxoris virum,(*si non virginem, non tamen bigamum*) 4. sobrium, prudentem, 5. ornatum, 6. pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. 7. Si quis autem domui suæ *bene* præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit ? Non neophytum. 8. ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli, *ne judicet se esse magnum, et sanctum, sicut diabolus judicavit se æqualem Deo.* Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et 9, 10. in laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos *oportet esse*, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, 11. habentes mysterium fidei, *quod jubet Christiana fides*, in conscientia pura. Et hi autem, *diaconi et cæteri* probentur primum ; et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres, *sanctimoniales* similiter pudicas, 12. non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene *prius* præsint, et suis domibus. *Ratio cur tales debeant esse.* Qui enim bene ministraverint, 13. gradum bonum, *honorem*, sibi acquirent, (*non in præsenti sæculo dicit*) et multam fiduciam *habere possint* in **188** fide, quæ est in Christo Jesu. Hæc *tam pauca*

COMMENTARIUS.

putasse idolo esse serviendum, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum. Ita credendum est illum virum suæ feminæ uni, unum hominem homini conjugem conjugi, ad legem Dei transgrediendam non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse.

12. Lanfr. *Adam non est seductus*. Seductus in ea re in qua Eva ; neque enim vel Deum, vel Dei similem pro pomi comestione futurum esse se credidit, certissimeque se noverat male facere, et mendacium esse quod suadebatur sibi a muliere ; sed utrumque posse fieri existimavit, et uxori suæ morem gerere, et peracti sceleris acta pœnitentia a Deo, posse veniam obtinere. Minus ergo peccavit qui pœnitendi intentionem habuit quam ea quæ neque de pœnitentia neque de venia in prævaricatione aliquid cogitavit, sed Deum Deoque similem potius per inobedientiam se fore existimavit.

13. Ambros. *Adam non est seductus*, eo quod illius seductionis mulier causa videtur exstitisse.

14. *Salvabitur autem*. Ostendit quod salute videtur digna esse progenies per eas mulieres quæ ad pietatem respiciunt. Nec de Eva hoc dixit, sed de genere loquitur.

15. August. (*expos. in psal.* LXXXV). *Salvatur autem*. Salvabitur ergo mulier, quæ in typo carnis accipitur per filiorum generationem, id est, si faciat bona opera (sed non ubicunque) in fide vera, in fide catholica, in societate unius Ecclesiæ pariat opera sua; propterea et de illa cum quereretur Apostolus, subjecit: *Salva autem erit per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione et sanctificatione.*

CAP. III. — 1. August. (lib. x *De civit. Dei*, cap. 19). *Si quis episcopatum*. Ait Apostolus : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, super-

A intendat, curam eorum scilicet gerens. Scopos quippe intentio est; ergo ἐπισκοπεῖν si velimus Latine *superintendere* possumus dicere, ut intelligat non se esse episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse curat.

2. Lanfr. *Episcopatum*. Episcopatus est super suam et aliorum vitam intentio, quod qui desiderat, bonum opus desiderat.

3. *Unius uxoris*, id est, qui unam tantum uxorem habuerit, vel in laica persona, vel in gradibus licitis.

4. Ambrosius. *Sobrium*, ita ut cum sollicitudine prospiciat ea quæ conveniunt.

5. *Ornatum*, conversatione, motu, specie.

6. *Pudicum*, eo quod in commune virorum et
B mulierum constituitur doctor.

7. Lanfr. *Si quis autem domui suæ*, etc. Talis debet eligi qui sciat domui suæ præesse; nescius enim minoris, ignorat majora.

8. Ambros. *In superbiam elatus*. Unde extollens se propter magisterium, nihil differt a diabolo qui minister Dei creatus est, adnisus est sibi nomen et honorem Dei.

9. *In laqueum diaboli*. Alia causa, id est, ne in antiqua præcipitet delicta eo quod nuper ab exterioribus recessisse videtur.

10. Lanfr. *In laqueum diaboli*. Solet evenire iis qui ab aliis despiciuntur, ut despicientes se et ipsi despiciant, et sic in iram et odium, et cæteros dia-
C boli laqueos incidant.

11. Ambros. *Habentes mysterium*. Mysterium vocat illud dogma quod est de Christo.

12. *Non detrahentes*. Eo quod necessarie fieri soleat ut cæteræ mulieres confidenter ea quæ desunt referant.

13. *Gradum bonum*. Non in præsenti sæculo dicit.

tibi scribo, sperans me ad te venire cito. Si autem tardavero, *et propterea scribo, si tardavero,* ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est 14. Ecclesia 15. Dei vivi. 16. columna et firmamentum veritatis, *quæ tuetur, et firmat veritatem.* 17. Et manifeste 18. magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, 19. justificatum est in spiritu, *per spiritum in Jordane, vel assumendo carnem* 20. apparuit angelis (*Deus esse, vel angelis bonis famulantibus natus, vel in deserto malis*) prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, *in assumptione.*

CAPUT IV.

1. Spiritus autem manifeste dicit (*exponit contra quos Ecclesia veritatem, scilicet contra hæreticos*) quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, *docent quod non faciunt,* 2. et cauteriatam, *adustam, corruptam, vel adurentem et alios corrumpentem,* 3. habentium suam conscientiam. 4. prohibentium nubere, (*diversarum hæreseon mentionem facit*) abstinere, *scilicet præcipientium*, a cibis, (*exponit quæ mendacia loquantur*) quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. *Qui cibi rejiciendi non sunt, boni enim sunt.* 5. Quia omnis creatura Dei bona est, nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim [illegible] per verbum Dei et orationem *sacerdotis.* 6. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, 7. enutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ, quam assecutus es. Ineptas autem et aniles fabulas devita; 8. exerce autem teipsum ad pietatem, *pasce gregem tibi commissum spirituali cibo et carnali ut sis pius.* Nam *sine pietate* 9. corporalis exercitatio ad modicum, *parum* utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, 10, 11. promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. Fidelis sermo, *quem dixi,* et omni acceptione dignus. In hoc enim, *in promissione illa*, laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator

COMMENTARIUS.

14. LANFR. *Ecclesia Dei vivi, columna,* etc. Ecclesia, id est, fideles sunt columna veritatis, id est, ut ipsam veritatem, id est Christum, ne perversi subvertant, directe sustentant.

15. AMBROS. *Dei vivi.* Optime adjecit Dei vivi, ut ostendat ex hoc Ecclesiæ dignitatem.

16. LANFR. *Columna.* Ecclesia Dei in magnis viris columna est, qui alios sustinent; in eisdem etiam firmamur cum veritatis firmamento, quia ipsi verbis et miraculis veritatem Evangelii confirmant.

17. AMBROS. *Manifeste.* Quia Ecclesiam columnam veritatis dixit, ostendit ipsam veritatem, quæ sit.

18. LANFR. *Magnum est pietatis sacramentum.* Veritas et sacramentum quod hic habetur, id est, Christus, qui est veritas et sacramentum, manifeste magnus est.

19. AMBROS. *Justificatum.* Humanæ naturæ hoc aptatur, quia spiritus habitationem in baptismate accepit.

20. *Apparuit.* Hoc est, perspicuus angelis factus est.

CAP. IV. — 1. LANFR. *Spiritus autem manifeste,* etc. Vel columna Christi firmabit Ecclesiam contra impugnantes a fide discedentes, et quod discederent spiritus manifeste dicit.

2. *Et cauteriatam.* Cauterium, ferrum quo aduritur rei facies.

3. AMBROS. *Habentium suam.* Qui enim de castitate se simulant disputare, omnem spurcitiam in se perpetrare inveniuntur.

4. LANFR. *Prohibentium nubere,* etc. Præcipit ei ut interdicat eis spernere cibos, non nubere, et prædicare per spiritum, quia hoc prohibetur eis a pseudoapostolis.

5. AUGUST. (*exposit. in psal.* CXLIII, tom. VIII et lib. VI *Cont. Faust.* c. 7, initio). *Quia omnis creatura.* Animalia quædam non natura sed significatione immunda dixisse; itaque [*al.*, ita quod], verbi gratia, si de porco et agno requiratur, utrumque natura mundum est, quia omnis creatura Dei bona est; quædam vero significatione agnus mundus, porcus immundus.

6. LANFR. *Hæc proponens fratribus,* Duplex commodum sibi promittit, scilicet quia bonus minister, et doctrinam ipso usu assequitur.

7. AMBROS. *Enutritus.* Proficit, inquit, hoc et tibi; nam dum debita sollicitudine doces alios, assidua meditatione nutriris.

8. *Exerce autem te.* Exercitationem pietatis, diligentiam doctrinæ dixit.

9. LANFR. *Corporalis exercitatio.* Datur intelligi quia in vigiliis, jejuniis, labori manuum et cæteris corporalibus laboribus se exercebat operibus misericordiæ non adeo intentus.

10. AUGUST. (*exposit. in psal.* CXLIII. tom. VIII). *Promissionem.* Sinistra ejus sub capite meo. Non me deserit et in temporalibus necessariis, sed tamen ipsa sinistra sub capite erit non capiti præponetur, sed erit sub capite. Et dextera ejus amplectitur me, pollicens vitam æternam. Ita enim sinistra sub capite, dextera super caput, impletur quod sic dictum est, *promissionem habens præsentis vitæ, et futuræ;* quod in præsenti, sinistra sub capite; quod in futuro, dextera ejus complectetur me.

11. LANFR. *Promissionem habens vitæ.* Quia per opera melius habet homo et in hoc sæculo et in futuro.

12. *Per prophetiam.* Prophetiam vocat inspiratio-

omnium hominum, maxime fidelium. Præcipe hæc, *prædicta*, et doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat, *ita vive ut vita contemptibilem ætatem non faciat*; sed exemplum esto fidelium, in verbo, *id est, talis a quo bonum sumatur exemplum*, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio *interim considera qualiter vivas, et qualiter doceas*, attende lectioni, exhortationi, *in moribus*, et doctrinæ, *in fide*. Noli negligere *episcopatus* gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi 12. per prophetiam, cum impositione manuum 13. presbyterii, *vel cum accepisti ipsum presbyterium*. Hæc meditare; in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende enim tibi, *tuæ utilitati*, et doctrinæ *propagandæ*; insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

CAPUT V.

1, 2. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes, ut fratres; anus, ut matres; juvenculas ut sorores in omni 3. castitate: **190** 4. viduas honora, *dans eis necessaria de ecclesiasticis*, quæ vere viduæ sunt, *remotæ ab omni cura sæculari*. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: 5. discat, *id est, doceat*, primum domum suam regere, et mutuam vicem *patri et matri, sicut illi sibi*, reddere 6 parentibus; hoc enim acceptum est coram Deo. 7. Quæ autem vere vidua *a mundo separata* est, et desolata, *nihil habens*, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus nocte et die. *Illa tantum speret in Domino*. Nam quæ in deliciis est, vivens *corpore*, mortua est *in anima*. Et hoc præcipe ut irreprehensibiles sint. 8, 9, 10. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior. 11. Vidua eligatur *ad ministerium Ecclesiæ* non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in, *de*, operibus bonis *factis* testimonium habens, *scilicet*, si filios educavit, si hospitio *peregrinos* recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas *ad ministerium Ecclesiæ* devita 12, 13. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, *impinguatæ de ecclesiasticis*, nubere, *relicto castitatis voto*, volunt, habentes 14. damnationem, quia primam fidem, *votum, vel quam de castitate fecerunt promissionem*, irritam fecerunt. 15. Simul autem et otiosæ discunt circuire domos, non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet. 16. Volo ergo, *ne iterum redeant ad sæculum* juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, 17. nul-

COMMENTARIUS.

nem sancti Spiritus, per quam præsciebat quid de A hoc et de cæteris esset acturus.

13. *Presbyteri*. Presbyteri pro presbyterorum; pauciores enim tribus esse non possunt, et vocat presbyterum episcopum.

14. *Attende*, id est considera qualiter vivas, et qualiter doceas.

CAP. V. — 1. AMBROS. *Seniorem ne increpaveris*. Vult dicere: Nulli invehas te, neque sis acerbus aut amarus.

2. LANFR. *Seniorem*. Non tantum ætate quantum moribus seniorem oportet hic intelligi; de qua senectute Salomon dicit: *Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis, vita immaculata*.

3. *Castitate*. In alloquio juvencularum, rectissime juvenis de omni castitate admonetur, ut nec saltem B minima titillatione moveatur.

4. AMBROS. *Viduas honora*, id est, ecclesiasticis bonis ale.

5. *Discat*. De filiis ac nepotibus dixit, non de viduis.

6. LANFR. *Parentibus*. Parentes vocat, quos superius filios et nepotes vocavit. Tota progenies parentela dicitur; unde et in mundana lege parenti et a parente jam succedere jubentur, quibus mutuam vicem reddere, et in servitutis [*f*., senectute, *vel* servitiis] eorum subsidia et adminicula rependere.

7. *Quæ vere vidua*. Vere vidua est, quæ et moribus ornata est, et neminem habet qui [*f*., cui] diligentiam adhibeat.

8. *Si quis autem suorum*. Melius est veritatem ignorare quam cognitam postponere; quod facit qui suos non curat.

9. AUGUST. (lib. XIX *De civit. Dei*, cap. 14., tom. V.) *Si quis autem*. Ad eos quippe habet opportuniorem, facilioremque aditum consulendi, vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ.

10. AMBROS. *Si quis autem*. Hoc ad illud refertur: *Si qua vidua filios et nepotes habet*, discant.

11. *Vidua eligatur*. Redit aliud [*f*. ad illud]: *Viduas honora*.

12. *Cum enim luxuriatæ*, hoc est, ubi fuerint inter duas receptæ, et ecclesiasticum sumptum consecutæ.

13. LANFR. *Cum enim luxuriatæ*. Ratio cur devitandæ sint, quia sæpe contingit ut, relicto proposito castitatis, per multos amatores luxurientur, et post multam luxuriam in Christo nubere, id est copulare [f., copulari] viris legitimis volunt.

14. AUGUST. (*lib. De bono viduit*., cap. 9). *Habentes damnationem*. Ut voluntate [*al*., voluntatem], quæ a proposito cedit [*al*., cecidit], appareat esse damnatam, sive subsequantur nuptiæ, sive desint.

15. AMBROS. *Simul autem*. Quoniam nullam habentes sollicitudinem temporalium, dum secure assequuntur quæ usui sunt necessaria, discunt et ipsa largitate studere otiositati.

16. *Volo ergo*. Ut juventutis impetus erga plurimam sollicitudinem occupatæ possint compescere.

17. *Ullam occasionem*. Illis qui nobis derogare C properant.

iam occasionem dare adversario, *quo possit eas sibi vindicare*, maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam, *sequentes illum*. Si quis fidelis habet viduas, *apud se congregatas*, subministret illis, *id est, viderit unde illas regat*, non gravetur Ecclesia, [illegible] *subministratione eorum*, ut iis quæ vere viduæ sunt sufficiat. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, *verbis, et rebus honorentur; vel majori quam alii*, maxime qui laborant in verbo, *ad mores*, et doctrina, *ad fidem*. Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti, et, dignus est operarius mercede sua. 18. Adversus presbyterum accusationem *cujusvis* noli recipere, nisi sub duobus, aut, 19. tribus testibus. 20. Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant. Testor coram Deo et Christo Jesu, *adjuro, teste Deo*, et electis angelis, *non reprobis*, ut hæc custodias sine præjudicio, *dijudicatione, id est, discretione*, nihil faciens in alteram partem declinando, *quæ declinanda sit*. Manus cito nemini *ad gradus ecclesiasticos dandos* imposueris, *neminem cito ordinaveris*, neque 21. communicaveris peccatis alienis, 22. Teipsum castum custodi. 23, 24. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates (*ad hoc quod dixit, sine præjudicio nihil faciens*). 25, 26, 27. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, *ante discussionem*, præcedentia ad judicium : *qui latenter peccant, eorum peccata in ipsius judicii discussione manifestantur*; quosdam, *vel quorumdam* autem et subsequuntur; *quidam quidem ante*, [illegible] *quidam post disquisitionem*; similiter et facta bona manifesta sunt; et quæ 28. aliter se habent (*id est, quæ mala sunt, vel bona, quæ manifesta non sunt*), abscondi non possunt.

CAPUT VI

Quicunque sunt subjugo *hominis fidelis* servi *Christiani*, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, 1. ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, 2. quia

COMMENTARIUS.

18. *Adversus presbyterum*. Prospexit ergo Apostolus quam facile adversus presbyteros accusationes adnasci possunt, eo quod interdum increpant obnoxios pro amissis deliciis.

19. LANFR. *Tribus testibus*, id est, nisi accusator habeat duos aut tres testes criminis quod contendit.

20. AUGUST. (*lib. De verb. Dom.* serm. 16, cap. 7). *Peccantes*. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipsa corripienda sunt secretius, quæ secretius peccantur.

21. LANFR. *Communicaveris*. Cui indignum ordinat, peccatis ordinati et ipse communicat.

22. *Te ipsum castum*. Quasi diceret: qui indignos juberis repellere, teipsum debes in vitæ munditia custodire.

23. *Noli adhuc aquam*. Quia castitatem servandam præcepit, ne immoderatam abstinentiam vel augere, vel tenere vellet, hoc subjungit. Vel quia infirmatus fuerat, necdum ad plenum convaluerat. Vel ideo dicit, adhuc cum juvenis sis, donec majoris sis ætatis.

24. AMBROS. *Noli adhuc aquam bibere*. Contemplatione continentiæ adhuc aquam bibebat, et quia frequenter aliorum causa, talia agimus, ne videamur indifferentes esse erga conversationem, bene adjecit.

25. *Quorumdam hominum*. Vult dicere quia sicut delinquentium hominum non recte intuentium delicta manifestata sunt, quæ illis in futuro sæculo pœnas sunt provisura, licet faciant aliqua quæ multos latere potuerunt : sic et de illis qui recte vivere instituerunt, plurima quidem illorum manifestata sunt hominibus. Sunt etiam multa quæ lateant multos : hoc enim significat dicens : *et quæ aliter se habent, et abscondi non possunt*. Utere vero vino pro ipsa infirmitate, sciens et illa quæ homines conjiciunt, etsi recte vivamus, bona esse, plurima

A ex parte perspiciantur, nec ullam ex his nocuitatem sustinebimus; licet videantur multi actus nostri a multis ignorari.

26. AUGUST. (lib. II *De serm. Dom. in monte*, cap. 18). *Quorumdam hominum*, manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant : hæc præcedunt ad judicium, id est, quia si fuerit ista subsecutum, judicium non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt, quæ nec ipsa latebunt tempore suo. Sic et de bonis factis intelligendum est, nam ita subjungit; *Similiter et bona facta manifesta sunt; et quæcunque aliter se habent, abscondi non possunt*. De manifestis ergo judicemus. De occultis vero, judicium Deo relinquamus, quia et ipsa abscondi non possunt, sive bona, sive mala, cum tempus advenerit quo manifestentur. B

27. LANFR. *Quorumdam hominum*. Causam supponit cur manus nemini cito sunt imponendæ. Judicium autem vocat concilium, synodum, seu aliquem locum, in quo fit discussio personarum : *Quorumdam*, inquit, *hominum peccata ita manifesta sunt* ut eorum fama vel notitia prius perveniat ad judicium, quam ipsi infames qui veniant ad ordinandum. Quosdam autem peccata sua ad judicium subsequuntur; quia tunc primum manifestantur cum ordinandi discutiuntur.

28 *Aliter se habent*. De quibus peccatis hic intelligendum est, non enim omnia ipsa discussione panduntur, plurima namque aliquando latent.

C CAP. VI. — 1. LANFR. *Ne nomen Domini*, etc. Blasphemaretur nomen Dei, et doctrina, si propter quod humiliari deberent, superbirent, et dominos contemnerent.

2. *Quia fratres sunt*. Per hoc videbantur pares esse servi et domini, quia Christiani utrique, ac per hoc servi contemnebant dominos.

fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt, *domini eorum, vel ipsi*, et dilecti *a Deo*, quia beneficii participes sunt, *Christianæ religionis, vel humaniores.* Hæc doce, et exhortare. Si quis aliter docet (*eum devita*), et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, *anathema sit*, et ei, quæ secundum pietatem, *religionem*, est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, 3. sed languens (*quia nescit solvere quæ proponit*) circa quæstiones et pugnas verborum ; ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, *an alter alteri maligne opponat*, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt. 4. existimantium 5. quæstum *temporalem* esse pietatem, *religionem, prædicationem*. 6. Est autem quæstus (*æquivoce quæstum accipit*) magnus, pietas cum sufficientia, *fides cui sufficit quod a Deo datur. Ratio cur sufficere debeat, quo impræsentiarum est.* Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus, *nec ista sunt nostra, non enim nobiscum deferemus.* Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus. *Nec curemus ditari.* Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem. 7. Radix enim omnium malorum est cupiditas ; quam 8. quidam appetentes, erraverunt, [illegible] a fide, et inseruerunt se doloribus multis. 9. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge ; sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, *quod pro fide Christiana certandum est : sic certando* apprehende vitam æternam, in qua, *ad quam habendam*, vocatus es, et confessus bonam confessionem, *catholicam fidem*, coram multis testibus, *in baptismi die vel susceptione presbyterii*. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit 10. sub Pontio Pilato *non erubescens* bonam confessionem, *Patrem scilicet*, ut serves 11, mandatum sine macula, *(non erubescas coram regibus evangelicum præceptum, de quo in psalmo: Lex Domini immaculata)* irreprehensibile, usque 12. in adventum Domini nostri Jesu Christi ; quem suis, *congruis*, temporibus ; 13. ostendet *Deus* beatus, et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium qui solus habet 14, 15. immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem ; quem nullus hominum *permanens in hac corruptibilitate* vidit, sed nec 16. videre potest : cui honor, et imperium sempiternum. Amen. Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, *in divitiis gloriari*, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde adfruendum *non congregandum*) *ad hoc scilicet, vel præcipe* bene agere, divites fieri in bonis operibus facile tribuere, communicare *proximis indigentibus*, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. O Timothee, 17. depositum, *fidem, episcopatus gratiam*, custodi, devitans profanas vocum novitates, *deceptivas propositiones*, et oppositiones falsi nominis scientiæ, (*artem sophisticam dicit*) quam quidam 18. promittentes, *profitentes*, circa fidem exciderunt, *in hæreses*. Gratia tecum. Amen.

COMMENTARIUS.

3. AMBROS. *Sed languens.* Languorem dicit cogitationum eorum, eo quod relinquentes pietatem ad quæstiones evolvebantur.

4. LANFR. *Existimantium.* Existimabant Christum esse colendum tantummodo propter lucra hujus vitæ.

5. *Quæstum esse.* Ab hoc se pios exhibent, ut terrena assequantur, quibus sua non sufficiunt.

6. *Est autem quæstus.* Quasi diceret : est quidem religio Christiana quæstus, sed non qualem ipsi putant, sed magnus, id est æternus.

7. *Radix omnium malorum*, etc. Avaritia, id est, cupiditas divitiarum infert hæc mala ; nec mirum, quia cupiditas omnium est radix malorum.

8. AMBROS. *Quidam appetentes.* Pro illis quæ sibi acciderunt.

9. *Tu autem, o homo Dei.* Aperte visus est eum exhortasse, hominem Dei illum dicens.

10. LANFR. *Sub Pontio.* Quando dixit, *Omnis qui ex veritate est, audit meam vocem*, etc.

11. *Mandatum*, id est, evangelicum præceptum, de quo in psalmo : *Lex Domini immaculata.*

12. AUGUST. (lib. III *contra Maxim. Arian.*, c. 12).

A *In adventum.* Quem scilicet adventum Domini nostri Jesu Christi ostendet.

13. AMBROS. *Ostendet beatus.* Beatum vocavit ad confirmationem invertibilitatis naturæ in nobis futuræ, quæ illi est in natura potentiæ. Et regem ac dominum, quia potens est, et dæmones subjugare, et mortem adimere. Et lucem habitat, quia corpora sanctorum illustrabit.

14. AUGUST. (*ibid.*). *Immortalitatem.* Immortalitatem autem dicitur habere solus Deus. In omni enim mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio ; quia facit aliquid in ea non esse quod erat.

15. LANFR. *Immortalitatem*, id est immutabilitatem ; omnis enim creatura mutabilis.

16. *Videre potest.* In hac vita intelligendum est, non posse ab hominibus videri Deum. Nam de alia B scriptum est : *Videbimus eum sicuti est.*

17. *Depositum*, id est, spiritualia charismata, quæ tibi Deus disposuit, id est commendavit.

18. *Pœnitentes.* Ordo. Scientiæ [*f.*, scientiam] falsi nominis autem sophisticam dicit, quæ falso nomine scientia dicitur ; cum error et fallacia rectius diceretur.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM II.

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

194 A ARGUMENTUM. Item Timotheo scribit de exhortatione martyrii, et omni regula veritatis, et quid futurum sit temporibus novissimis, et de sua passione scribens ei ab urbe Roma.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum 1. promissionem vitæ, (*Apostolus prædicans promissionem vitæ æternæ, secundum quod promisit Deus*) quæ est in Christo Jesu, *in fide Christi, non meritis,* Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, (*causa inter effecta sua posita, id est, gratiam, et pacem*) pax a Deo Patre, *ex quo genitus sum in Ecclesia, vel in massa sanctorum Patrum, ex quibus sum,* et Christo Jesu Domino nostro. 2. Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus *meis Anania, et aliis,* in conscientia pura, *non in hypocrisi,* quod sine intermissione (*ecce unde gratias agit*) habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, *desiderio mei effusarum,* ut gaudio implear, recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ et habitavit primum (*bonus a bonis progenitus*) in avia tua Loide, et matre tua Eunice, (*non facit mentionem patris, qui in gentili errore permansit*) certus sum autem quod et in te *habitet fides.* Propter quam causam admoneo te, (*hic innuit eum pigrum esse in prædicatione*) ut ressuscites (*torpebat enim præ timore*) 3, 4. gratiam Dei, *episcopatus,* quæ est in te per impositionem manuum mearum. *Non debemus timere,* Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. Noli itaque erubescere, *timere,* testimonium, *prædicationem,* Domini nostri, neque me vinctum ejus, *pro eo* 195 *vinculatum.* 5. Sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei, *prout virtus Dei opitulabitur tibi,* qui nos liberavit, et 6. vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et *secundum* gratiam, quæ data est nobis *a Deo* in Christo Jesu ante tempora sæcularia, *in prædestinatione.* Manifestata est autem nunc *in tempore plenitudinis* per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui 7. destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, *illuminando dedit vitam,* et incorruptionem, *hanc incorruptibilem,* per Evangelium; in quo *prædicando* positus sum ego prædicator, et Apostolus et magister gentium. Ob quam causam etiam hæc *vincula* patior : sed 8. non confundor, *non erubesco.* Scio enim cui credidi, *pro quo patior,* (*a simili creditoris sumptum*) et certus sum, *quod non ero immunis.* 9. quia potens est depositum meum, *quod sibi deposui, id est, opus bonum, quod ego feci,* servare *et reddere* in illum diem. Formam habe sanorum verborum, *collabora Evangelio, vel esto habens formam verborum, quæ sanant,* 10. quæ a me audisti in fide *habenda,* et in dilectione, in Christo Jesu. Bonum depositum, *doctrinam a me commendatam tibi,* custodi per Spiritum sanctum, *per auxilium Spiritus sancti,* qui habitat in nobis. *Ut firmus custodiat hoc, dicit;* 11. Scis hoc, quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus et Hermogenes. Det misericordiam Dominus Onesiphori (*qui a me non discessit, nec erubuit*) domui, quia sæpe me refrigeravit, *visitando me, et aliis modis,* et 12. catenam meam non erubuit; sed, cum Romam

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. AUGUST. *Promissionem vitæ,* hoc est : Apostolus creatus sum, ut prædicem vitam per Christum promissam.

2. *Gratias ago.* Gratias ago Deo cui servio; unde hoc ita se habet : quoniam sine intermissione memoriam tui habeo in orationibus. Ordo est : Gratias ago memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear, ut non causam, sed quod sequitur, significet.

3. *Gratiam Dei.* Divinam donationem in ordinatione concessam.

4. LANFR. *Gratiam Dei.* Gratiam episcopatus admonet eum ressuscitare, ut confidentius prædicet verbum Dei, non timens terrenas potestates, nec erubescens se dicere discipulum crucifixi, et vincti; aliquantisper enim timidus et negligens erat.

5. AUGUST. *Sed collabora.* Ut prædices virtutem Dei, qui nos salvos fecit.

6. LANFR. *Vocavit vocatione,* id est, invitavit, dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam.*

7. *Destruxit,* id est, perspicue ostendit ubi esset vita et corruptio.

8. AMBROS. *Non confundor.* Bene posuit *non confundor,* quia dixerat *non erubescas.*

9. *Potens est depositum,* id est, perfectam spiritus gratiam, in qua spe ad præsens hanc spiritus gratiam, ut pignus vel arrham, assecuti sumus.

10. LANFR. *Quæ a me audisti,* id est, cum insinuarem fidem et dilectionem quæ oportet haberi in fide Christi Jesu.

11. *Scis enim quod.* Ad hoc ei istos commemorat, ut et ipse cautus sit, ne similiter sese avertat.

12. *Catenam meam.* Consequenter hoc adjunxit, quia ad exhortationem ejus dixerat, nec erubescas testimonium Domini.

venisset, sollicite me quæsivit et invenit. Det illi Dominus *Pater* invenire misericordiam a Domino *apud Christum, quia omne judicium dedit Pater Filio,* 13. in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti, *quam alii, tu enim intereras.*

CAPUT II.

Tu ergo, fili mi, *quia illi discesserunt*, confortare in gratia quæ est in Christo Jesu. *in fide Christi Jesu :* 1. et quæ audisti a me 2. per multos testes, *præsentibus multis testibus*, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Jesu, *non implicitus sæcularibus.* Nemo militans Deo implicat, *debet implicare,* se negotiis sæcularibus, ut ei, *Deo* placeat, qui se probavit, *placiturum elegit.* 3. Nam et qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit. 4, 5. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. *Quasi metaphorice loquor*, Intellige quæ dico : dabit enim *et faciet* tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis. *natum* ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro *prædicando* usque ad vincula, *quo usque vinciar*, quasi male operans : *Ego quidem ligor*, sed verbum Dei 6. non est alligatum. Ideo, *ut Evangelium prædicem*, omnia sustineo propter electos *salvandos*, ut et ipsi salutem, *remissionem peccatorum*, consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti, *salutem, et gloriam futuram*. Fidelis sermo, *quem dixi, et dicturus sum, ut salutem consequantur ; quod et facient ;* nam si commortui sumus *Christo*, et convivemus, si sustinebimus, *sicut ille*, et conregnabimus ; si negaverimus, et ille negabit nos ; si non credimus, 7. ille fidelis, *verax*. permanet, (*qui erubuerit me coram hominibus, et ego eum erubescam coram Patre meo*) negare se ipsum non potest. Hæc commone, testificans coram Domino, *testem Deum adhibens.* Noli contendere verbis ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium, *nisi contendas ut convertas, nihil utile est.* Sollicite autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, *non erubescentem prædicare*, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem *verba*, et vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem : et sermo eorum ut 8. cancer (*morbus*) serpit; ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui a veritate exciderunt, (*vel quia nullius crediderunt resurrectionem, nisi Christi, vel nisi mortalem in baptismo*) dicentes 9. resurrectionem esse jam **196-197**
factam, *Christo resurgente cum quibusdam, vel in baptismo,* et subverterunt quorumdam fidem. Sed (*qui templum Dei sunt*) 10, 11. firmum fundamentum Dei stat, (*ecce cur firmum*) habens signaculum hoc, *munimentum hoc quod a Deo cognoscuntur secundum prædestinationem* ; cognovit Dominus qui sunt ejus ; *et ideo stat ;* et, discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. 12. In magna autem domo, non solum

COMMENTARIUS.

13. *In illa die.* Quasi diceret : de quo semper loquor tecum. A

CAP. II. — 1. AMBROS. *Quæ audisti a me.* Quæ audisti a me, frequenter alios docere : hoc dicit, *per multos testes.*

2. LANFRANCUS. *Per multos testes.* Per multos, id est, inter multos. Ut Virgilius : Via secta per ambas, id est, inter ambas. Vel ita : quæ audisti a me sunt probata per multos testes, id per multa testimonia Scripturarum.

3. LANFR. *Nam qui certat in agone.* Certa legitime ut coroneris, a contrario : aliter non coronaberis, a simili : *Nam qui certat in agone*, etc.

4. AMBROS. *Laborantem.* Quia hortatus est ut in illa sollicitudinem de sæcularibus habeat, necessitas flagitat humana de illis perquiri quæ erga escam et B indumenta sunt.

5. *Laborantem.* Timotheus iste exemplo Apostoli labore manuum suarum volebat vivere, et ab auditoribus, quibus verbum Dei prædicabat, nihil accipere, unde penuriam multam patiebatur, quia infirmus erat, et labori manuum vacare non poterat. Admonet ergo eum sub specie agricolæ ut de agro quem colit fructum, unde sustentet se, non aspernetur percipere.

6. *Non est alligatum.* Quasi diceret : me ligant, sed verbum Dei ligare non possunt, quia ubique prædico.

7. *Ille fidelis.* Prædixit Dominus, per prophetas suos, magnam in orbem terrarum futuram Ecclesiam, et populum grandem, in quo laudandus esset. Si ergo, inquit, nos non credimus ; ille tamen verax est, seipsum, id est, verba sua a se prolata negare non potest, inventurus alios per quos et in quibus laudetur.

8. *Cancer.* Morbus ad similitudinem animalis, quia sicut undique hic habet pedes, ita hic undique occupat.

9. *Resurrectionem.* Vel quo tempore Dominus resurrexit, et cum eo multa corpora mortuorum, vel in baptismo, in quo secundum quemdam modum homines moriuntur, et resurgunt.

10. AMBROS. *Firmum firmamentum.* Ista ad consolationem ejus videtur dixisse Apostolus, ne quando det illis Deus, id est, ut veritatem prospicere possint.

11 LANFR. *Firmum firmamentum.* Quidquid garriant hæretici, fundamentum Dei, id est homo, in quo fides Dei firmatur et fundata est, id non titubat, non vacillat, habens hoc signaculum, id est, hanc menti suæ impressam memoriam, *Cognovit Dominus*, etc. Per hoc enim et hæreses et omnia saluti contraria devitat ; quia scit debere discedere ab omni iniquitate omnis qui invocat nomen Domini.

12. *In magna autem.* Ne forte miraretur quia a fide quidam discederent, similitudinem hanc facit. Quidam stant, quidam excidunt, nec omnes unius modi sunt, sicut in magna domo.

sunt vasa aurea et argentea; sed et lignea et fictilia ; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, *vitiosi, qui si mundentur, erunt vas.* Si quis ergo emundaverit se 13. ab istis, *supradictis*, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Juvenilia autem desideria fuge, *profana, et inaniloquia devita* ; sectare vero justitiam, fidem, charitatem, et pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem, et sine disciplina quæstiones devita; sciens quia generant lites (*ecce cur.*) Servum autem Domini non oportet litigare ; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati ; 14. ne quando, *ut ne corripientem* Deus det illis pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, *Dei, vel diaboli, complendam.*

CAPUT III.

1. Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : et erunt homines seipsos amantes, cupidi, 2 elati, *ex non habitis*, 3. superbi, *ex his quæ habere videntur*, 4. blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione. sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, **198** 5. tumidi, *cæci*, et voluptatum amatores magis quam Dei; habentes speciem quidem pietatis, *Christianæ religionis*, virtutem, *charitatem*, autem ejus abnegantes. Et hos devita; ex his enim, *ex talibus*, sunt qui penetrant domos, *fures*, et captivas ducunt, *fornicatores*, mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur, *id est, seducuntur* variis desideriis ; semper discentes, *illos dico*, et nunquam ad scientiam veritatis *Christi* pervenientes. Quemadmodum autem Jannes, et Mambres, *incantatores Pharaonis*, restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, *a fide*. Sed ultra non proficient, *diu non durabunt, destruet eos Dominus, et sic ostendet eos stultos fuisse, sicut supradictos;* insipientia enim eorum (*Domino hoc agente*) manifesta erit omnibus, sicut et illorum *Ægyptiorum incantatorum* fuit. *Illi nunquam ad scientiam pervenient*, Tu autem assecutus es meam doctrinam *in moribus*, institutionem *in fide*, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones; qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris : quales (*suspensive*) persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus, *nec solum ego sustinui, sed* et omnes qui pie, *perfecte*, volunt vivere in Christo Jesu, 6. persecutionem patientur. Mali autem homines, et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes. Tu vero *quidquid illi faciant* permane in iis quæ didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo (*a me, non a profano quolibet*) didiceris, *et poteris facere*, quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, qui est in Christo Jesu. *Sacræ litteræ, quas dedicisti, possunt instruere, quia* Omnis 7. 8. Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum *virtutes*, ad arguendum *vitia*, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; *juste* ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

CAPUT IV.

Testificor, *adjuro te*, coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ipsius et regnum ejus : Prædica verbum *Dei*, 1. insta opportune, importune; argue, obsecra, **199** in-

COMMENTARIUS.

13. *Ab istis*, id est, a consortio istorum vasorum, quæ facta sunt in contumeliam.

14. *Ne quando det.* Ne, pro si, vel pro an : quod etiam in hac significatione præpositum reperitur.

CAP. III. — 1. LANFR. *Hoc autem scito*, etc. Dum tempus est idoneum, et suscipiunt doctrinam, corrigantur ; non enim hoc semper facient. Et hoc est quod dicit : *Hoc autem scito*, etc.

2. AMBROS. *Elati.* Elati sunt qui jactant se habere quod non habent.

3. *Superbi.* Superbi sunt qui magna sapiunt pro illis quæ habere videntur.

4. *Blasphemi.* Blasphemi, detractores, criminatores, delatores.

5. *Tumidi.* Qui magna sapiunt in his quæ non habent.

6. LANFR. *Persecutionem.* Hæc persecutio aliquando a vitiis, aliquando a dæmonibus, nonnunquam ab hominibus, sæpe ab omnibus.

7. *Scriptura divinitus.* Ostendit quæ Scripturæ arcem obtineant auctoritatis, videlicet quæ per spiritum prolatæ sunt.

8. AMBROS. *Scriptura.* Sive doceri conveniat debent [*forte* cogi], sive peccantes debeant argui, sive pœnitentibus debeat inferri aliqua correptio, sive erudire oporteat de his quæ possunt adducere ad justitiam.

CAP. IV. — 1. AUGUST. (in *exposit. Epist ad Galat.*, sub finem, t. IV). *Insta opportune.* Duplici distinctione legi potest. Insta opportune, importune, argue, ut opportunus sentiaris, cum instas ædificando, cum destruis arguendo, non cures si importunus videaris ; et sic duo quæ sequuntur superioribus redduntur. Obsecra cum opportune instas ædificandis. Increpa cum importunus in arguendo destruenda videaris. Deinde duo quæ sequuntur, superioribus referuntur converso ordine. In omni patientia, ad sustinendas indignationes eorum quos arguis; et doctrina ad instruenda eorum studia, quos ædificas. Alia distinctio : insta opportune; quod si hoc modo non proficis, insta opportune, id est, et si importunus illis videris, tu tamen, opportunum sciens quod facis, curam sanitatis ejus animo teneas mansueto. Nullum enim medicamentum sanat, quod non opportune adhibeas.

crepa in omn. patientia, *exterius ostensa, interius habita,* et doctrina. *verborum, et operum. Et sic oportebit :* Erit enim tempus cum, *quando,* sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, 2. prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. *Quidquid illi,* Tu vero vigila, in omnibus labora. 3. opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. 4. Ego enim jam delibor, *immolor,* et tempus resolutionis meæ instat. 5. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 6. In reliquo (*et quid relinquitur ? hoc scilicet*) reposita, *id est, servata,* est 7. mihi corona justitiæ, *quam mereor justitiam,* quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et 8. iis qui diligunt. 9. adventum ejus, *boni, non metuentes damnationem in die judicii.* Festina ad me venire cito. Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam ; Lucas est mecum solus. Marcum assume, et adduc tecum; est enim mihi utilis in ministerium. Tychicum autem misi Ephesum. Pænulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, *meos,* maxime autem membranas. Alexander Ærarius (*narrat ei quid sibi Romæ contigerit*) multa mala mihi ostendit : reddet illi Dominus secundum opera ejus, quem et tu devita, *ne alloquaris,* valde enim restitit verbis nostris. In prima mea defensione, *qua me apud Neronem defendi,* nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit et confortavit me; ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes; et *sic* liberatus sum de ore leonis, *Neronis.* Liberavit me Dominus ab omni opere malo ; et salvum faciet in regnum suum cœleste; cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. Saluta Priscam et Aquilam, et Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi ; Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia et fratres omnes. Dominus Jesus Christus cum Spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

COMMENTARIUS.

2. Lanfr. *Prurientes,* id est, leves, instabiles, nova semper audire volentes.

3. *Opus fac evangelistæ.* Opus evangelistæ est, bene vivere, et bene dicere ; moribus et verbis subjectos instruere.

4. *Ego enim jam.* Quasi diceret : ideo tam studiose te moneo, quia in præsenti moriturus sum, te postea non moriturus.

5. Ambros. *Bonum certamen.* Non ludens ista, sed ad exhortationem dixit Timothei.

6. Lanfr. *In reliquo,* id est, in reliqua æternitati

A

parte, quæ instat.

7. Ambros. *Mihi corona.* Bene justitiæ coronam vocavit illam quæ contemplatione [compensatione? Ed. P.] laborum datur.

8. *Iis qui diligunt.* Miraculi dignum quod non dixit, illis qui laboraverunt aut passi sunt, sed dixit qui diligunt, quia certaminum et passionum tempus non semper est.

9. Lanfr. *Adventum ejus.* Adventum Christi diligunt qui a malis cessant, et bona faciunt; hi enim in die judicii damnari non metuunt.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TITUM.

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

200 Argumentum. — Titum commonefacit et instruit de constitutione presbyterii, et de spirituali conversatione, et hæreticis vitandis qui in traditionibus Judaicis credunt, scribens ei a Nicopoli.

CAPUT PRIMUM.

Paulus servus Dei, Apostolus autem, *nuntius,* Jesu Christi 1. *prædicando* secundum fidem, *vel non meritis,* electorum Dei, et 2. agnitionem veritatis, quæ 3. secundum pietatem, *Christianam religionem,* est in spem vitæ æternæ, quam *vitam* promisit, qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia; manifestavit autem temporibus suis, *congruis,* 4. Verbum suum, *Christum, qui est causa illius vitæ,* in prædicatione,

COMMENTARIUS.

CAP. I.— 1. Ambros. *Secundum fidem electorum.* Dicit Apostolus : constitutus sum ut per me credant electi, ut vitam æternam assequi possint, quam dudum repræsentare præsumpserant. In opus vero nunc produxit adventum Christi, quando optime se rem habere existimavit.

2. Lanfr. *Agnitionem veritatis.* Veritas secundum pietatem, id est, Christianam religionem, est Creatorem creaturam factum, hominem de Virgine natum, mortuum resurrexisse, nosse.

3. *Secundum pietatem.* Per quam habemus spem æternæ vitæ. Diceret quis : satis potes sperare, et nihil consequi ; ad hoc respondet : *Quam promisit Deus.* Iterum objicienti : spes aliquando fallit, adjungit : *qui non mentitur.*

4. *Verbum suum.* Vitam æternam (quæ promissa et manifestata est) dicit esse Verbum Dei : *Ego sum,* inquit, *via, et veritas et vita.*

quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei ; Tito 5. dilecto filio secundum *(determinat quomodo sit filius)* communem fidem, gratia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Salvatore nostro. Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut 6. ea quæ desunt corrigas, *suppleas*, et constituas per civitates presbyteros, *episcopos*, sicut et ego disposui tibi. Si quis 7. sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. 8. Oportet enim episcopum, sine **201** crimine esse, sicut Dei dispensatorem ; non superbum, 9. non iracundum, non vinolentum, *effectus iracundiæ*, non percussorem, non turpis lucri cupidum ; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem, *adimplentem opere*, eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, *doctrinam scilicet Christianam veracem*, ut potens sit exhortari in doctrina sana, *sanante*, et eos qui contradicunt, *inobedientes*, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores, *(pseudo et incircumcisi quæstiones deceptorie cæteris faciebant)* maxime qui de circumcisione sunt; quos oportet redargui ; qui universas domos, *familias*, subvertunt *a fide*, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis 10. proprius ipsorum propheta : 11. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc *de Cretensibus* verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis, *traditionibus*, hominum avertentium se a veritate, *volentium judaizare, a cibis abstinere, quod non decet, quia* 12, 13, 14. Omnia munda mundis ; 15. coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, *abjecti a Deo*, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

CAPUT II.

Tu autem loquere quæ docent sanam doctrinam. *Admone* Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia; *admone* anus similiter *ut sint* in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, *se exhibeant* prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate *vitæ*, in gravitate *morum* verbum sanum *sit tuum* irreprehensibile **202** ut is qui ex adverso est, *infidelis vel diabolus*, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Admone*. Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, 1. ut doctrinam Salvatoris nostri Dei 2. ornent, *ornate habeant*, in omnibus *actis, et dictis. Est ne aliqua doctrina ? est hæc qua dicit :* 3. Apparuit enim gratia

COMMENTARIUS.

5. *Dilecto filio*. Qui est filius meus, non secundum carnem, sed secundum catholicam fidem, quam ei insinuavi ; catholicum enim Græce, *commune* vel *universale* dicitur Latine.

6. AMBROS. *Ea quæ desunt*. Bene dixit quæ desunt ; nam pietatis ratio omnibus credita erat ab Apostolo.

7. AUGUST. *(expos. in Evang. Joan.*, Tract. 41, tom. IX) *Sine crimine est*. Crimen autem est peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum.

8. LANFR. *Oportet episcopum*. Hic aperte ostendit presbyterorum nomine episcopos superius designatos fuisse.

9. AMBROS. *Non iracundum*. Hoc est reminiscentem iram, et per longi temporis spatia tenentem.

10. LANFR. *Proprius eorum propheta*. Attende non solum Judæos, sed et gentes habuisse prophetas.

11. *Cretenses semper mendaces*. Tales esse eos confirmat auctor Epimenides, poeta gentilis.

12. AMBROS. *Omnia munda mundis*. Quæ ad escam facta sunt, nihil in se immundum habent ; si tamen quis cum munda conscientia velit insumere. Si quis autem per suam incredulitatem habet conscientiam coinquinatam, nihil mundum poterit illi esse, qui talis est.

13. AUGUST. (lib. XXXI *cont. Faust.*, c. 4, tom. VI)

A *Omnia munda mundis*. Omnia munda mundis secundum naturam in qua creata sunt ; non tamen omnia secundum significationem munda : primo populo Judæorum ; nec nobis omnia vel propter salutem vel propter consuetudinem humanæ societatis apta sunt, sed cum sua cuique redduntur et naturalem ordinem servant, omnia munda sunt mundis.

14. LANFR. *Omnia munda*. Datur intelligi quod, ex mandatis ipsorum hominum, quidam cibi judicarentur immundi.

15. AUGUST. (*ibid.*) *Coinquinatis*. Immundos dicit Apostolus quod carnaliter saperent ; et infideles quod tempus gratiæ a legis tempore non discernerent, quibus ideo dicit nihil mundum, quia et his
B quæ respuebantur [*al.*, respuebant], et his quæ sumebant non sancte, non juste utebantur.

CAP. II. — 1. LANFR. *Ut doctrinam*. Hoc ad omnia superiora refertur, ex eo loco, quo dicit : *senes ut sobrii sint*.

2. *Ornent in omnibus*. Ornamentum doctoris est honesta vita discipulorum.

3. *Apparuit enim omnibus*. Quasi diceret : Doctrinam Christi ornare oportet omnis cui gratia Dei, id est remissio peccatorum, et vita æterna in promptu est, omnibus ornantibus eam.

Dei, et Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes 4. impietatem, et sæcularia desideria, sobrie et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum 5. gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi : qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio, *ita te habe, ut* 6. Nemo te contemnat.

CAPUT III.

Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. 1, 2. Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis, et voluptatibus variis, in malitia, *rapina*, et invidia agentes, odibiles, *odio digni*, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, 3. per lavacrum regenerationis, *vel lavacri regenerationem*, et renovationis, *renovationem*, Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes **203** simus secundum spem vitæ æternæ. Fidelis sermo est, *quem dixi*, et 4. de his volo te 5. confirmare, ut curent, *scilicet eos, qui credunt Deo*, 6. bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona, et utilia hominibus. Stultas autem quæstiones, et 7. genealogias, et 8. contentiones, et pugnas legis devita : sunt enim inutiles et vanæ. Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio 9. judicio condemnatus. Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim ; ibi enim statui hiemare. Zenam legisperitum, et Apollo sollicite præmitte, *Nicopolim ad ministerium illorum*, ut nihil illis *Arteman, et Tychico* desit. Discant autem, *Arteman, et Tychicus*, et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, *impendendo aliis similiter*, ut non sint infructuosi. Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

4. *Impietatem*, id est, idololatriam et culturam dæmonum. A

5. *Gloriæ*. De hac gloria dicitur in Evangelio secundum Matthæum : *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum angelis suis*. Et est ordo : gloriæ Jesu Christi magni, etc.

6. Ambros. *Nemo te*. Contemnat te nemo, dicit. Si valde sit aliquis ferox, arguas eum peccantem.

CAP. III.— 1. Ambros. *Eramus enim*. Objiciebant vero ei quorumdam impietatem, ob quam multi fidelium bonum existimabant, si adversus hujusmodi litem exercerent.

2. Lanfr. *Eramus enim*. Quasi diceret : Nulli spernendi, etiamsi insipientes sint et increduli, quia aliquando eis similes fuimus : sed per gratiam Dei salvati fuimus.

3. *Per lavacrum*. Per baptismum dicit, in quo regeneratur et renovatur homo, adveniente in eum Spiritu sancto, per quem fit remissio peccatorum.

4. Ambros. *Et de his volo*. Necessarium utique ut ipse cum multa fiducia de his doceas, et consilium des illis qui crediderunt Deo, quatenus diligentiam convenientium adhibeant. Et omnia ista ad illud reddidit quod superius dixerat commune eos principatibus et potestatibus subditos esse.

5. Lanfr. *Confirmare*. Ordo : confirmare, sed [*f.*, scilicet] eos qui credunt Deo, ut curent, etc.

6. *Operibus*, id est, ut studeant majora operari, sicut sunt in majori loco constituti.

7. *Genealogias*. Genealogias Christi aliter computabant quidam quam Evangelistæ et apostoli, quos vitandos potius quam confutandos præcipit.

8. *Contentiones*. Contentiones et pugnæ legis erant inter Judæos et Christianos, illis ad litteram, B his ad spiritualem intelligentiam legem oportere intelligi contendentibus.

9. *Judicio*. Proprio judicio se condemnat qui errorem laudat, vituperat veritatem.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

Argumentum. — Philemoni familiares litteras facit pro Onesimo servo ejus scribens ei ab urbe Roma de carcere, per ipsum Onesimum.

CAPUT PRIMUM.

Paulus 1. vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater, 2 Philemoni dilecto, **204** et adjutori nostro, et

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. Ambros. *Vinctus Jesu Christi*. In præsenti negotio neque servum Christi, neque Apostolum se dixisse [*f.*, dixit], sicut erat consuetudo scribendi ; nam de spiritualibus negotiis scribebat,

Appiæ *uxori* sorori charissimæ, et Archippo *filio ejus* commilitoni nostro, et Ecclesiæ, quæ in domo tua est. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro. et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, *quam charitatem habes* et 3. in omnes sanctos, 4. ut communicatio fidei tuæ evidens fiat. in agnitione omnis operis boni *patrati*, quod est in vobis, *vel nobis*, 5. in Christo Jesu, *ad Christi honorem*. Gaudium enim (*alia ratione reddit gratias*) magnum habui, et consolationem in charitate, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater, *sanctos refecisti dando de tuis*. Propter quod, *id est, charitatem tuam*, 6. multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet; propter charitatem magis obsecro, 7. cum sis 8. talis, ut *ego* Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi ; obsecro te pro 9. meo filio, quem genui, *baptizari*, in vinculis, 10. Onesimo, qui tibi 11. aliquando inutilis (*temperative*) fuit, nunc autem et mihi 12. et tibi utilis *erit*, quem remisi tibi. Tu autem illum ut mea viscera suscipe ; quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi 13. ministraret 14. in vinculis Evangelii ; sine consilio autem tuo nihil volui facere uti ne velut, *ut non*, ex necessitate, *exactorie*. bonum tuum esset, sed voluntarium. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut 15, 16. æternum, *hic, et in futurum fideliter* illum reciperes; jam non 17. ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime, *valde*, mihi, quanto autem magis tibi, et 18. in carne *servus*, et in Domino? *in fide firma*. Si ergo (*adjurative*) habes me 19. socium, suscipe illum sicut me ; si autem aliquid, *detrahendo res tuas*, nocuit tibi, aut debet ; hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu ; ego reddam, ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes ; 20. ita, frater. Ego 21. te fruar in Domino ; refice viscera mea, *hunc*, in Domino. Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico, (*vel liberum, vel aliud bonum*) facies. Simul autem et para mihi hospitium ;

COMMENTARIUS.

et nunc de his quæ in potestate Philemonis erant. Et illud magis proponendum censuit quod valde suadere poterat, quia pro aliorum salute habebatur in vinculis.

2. *Philemoni*. Marito junxit uxorem, deinde filium Philemonis et Appiæ, nec cæteros, qui pertinebant ad eos, fraudavit salutatione

3. *In omnes sanctos*. Ex hoc illud cognoscitur. Nam erga sanctos charitas in operibus demonstrata, affectum, quem erga Deum habes, comprobat. Unde et optime adjecit : *Ut communicatio fidei tuæ perfecta fiat in agnitione omnis boni*.

4. Lanfr. *Ut communicatio*, id est, communicans fidei nostræ fides tua.

5. *In Christo*. Qui me Apostolum fecit.

6. Ambros. *Fiduciam multam*. Non dixit : potestatem habeo præcipiendi, sed fiduciam. Non dixit propter apostolatum, sed propter charitatem quam erga omnes habebat. Qui enim erga omnes sanctos sic liberalis est, nunquam hunc gratiam postulatam dare pigebit.

7. *Cum sis talis ut Paulus*. Omne quod summum bonum intelligi poterat, hoc erat in Paulo. Adjiciendo seniorem et vinctum, ad reverentiam eum invitavit.

8. Lanfr. *Talis*. Senex erat iste sicut Apostolus, et ideo non vult sibi imperare, sed obsecrare ; ipse enim superius dixit : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*.

9. Ambros. *Pro meo filio*. Bene primum dixit, propositis ejus mutabilitatem [*f*., proposita ejus mutabilitate]; ac sic posuit nomen, eo quod sciret non bene habere de illo Philemonem, propter pristinam ejus mutabilitatem.

10. Lanfr. *Onesimo*. Onesimus iste servus Philemonis erat, qui fugiens dominum suum, quædam furatus est ; sed veniens Romam ab Apostolo baptizatus est ; quem remittens, pro eo nunc rogat.

11. Ambros. *Aliquando*. Adjecto aliquando, alium esse hunc ostendit ab illo qui dudum.

12. *Et tibi*. In primis dixit, tibi, ut non videatur alienum servum subtrahere ab ejus domino. Quod dixit, tibi, contemplatio [*f*., contemplatione] obsequii dixit; quod autem, mihi, secundum correptionem ejus dixit.

13. *Ministraret*. Vult dicere : etiamsi hoc fecissem, tuum lucrum erat ut is mihi ministraret. Nam si servus tuus ministraret mihi, mercedem utique tibi acquirebat. Nec dixit pro te, sed pro tuo commodo.

14. Lanfr. *In vinculis Evangelii*, id est, quæ sustineo propter Evangelium, quod prædico.

15. *Æternum*, id est, æternaliter tecum **205** futurum, ut non dicam tibi. Astute rogat ut quod servus ei debet, sibi dimittat. Quasi diceret : Possem dicere quod non solum hoc, sed et teipsum debes mihi, sed nolo.

16. Ambros. *Æternum*. Evidens est quoniam in fugam versus est arbitrii per pravitatem. Ex his vero quæ facta fuerant occasione accepta, dixit eum recessisse, ut melior fieret ; præbebat enim firmitatem verborum ejus, exitus ipsius negotii. Unde nec definitive, sed dubitative dixit.

17. *Ut servum*. Hoc est, recipias eum non solum servile obsequium persolventem.

18. *In carne*. Statum hunc temporalem dixit, qui in præsentia habetur.

19. *Socium*. Si, inquit, existimas nobis omnia esse communia, recipe hunc, eo quod eum recepi.

20. *Ita, frater*. Pro adjuratione posuit.

21. *Te fruar*. Hoc est sic videam te, in omnibus illis quæ secundum Deum sunt, profectum habentem spiritualem, quod meum æstimo esse lucrum.

nam spero per orationes vestras donari me vobis. *Veniam enim ad te.* Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adjutores mei. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS

CUM INTERJECTIS B. LANFRANCI GLOSSULIS.

ARGUMENTUM. — In primis dicendum est cur Apostolus Paulus in hac Epistola scribenda non servaverit morem suum, ut vel vocabulum nominis sui, vel ordinis describeret dignitatem. Hæc causa est quod, ad eos scribens qui ex circumcisione crediderant, quasi gentium Apostolus, et non Hebræorum; sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem demonstrans, meritum officii sui noluit anteA ferre. Nam simili modo etiam et Joannes apostolus propter humilitatem in Epistola sua nomen suum eadem ratione non prætulit. Hanc ergo Epistolam fertur Apostolus ad Hebræos conscriptam Hebraica lingua misisse. Cujus sensum et ordinem retinens Lucas evangelista, post excessum beati Pauli apostoli, Græco sermone composuit.

206 CAPUT PRIMUM.

1. 2. 3. Multifariam, 4. multisque modis *factis* olim Deus loquens patribus in prophetis, *per prophetas*, novissime diebus istis 5. locutus est nobis 6. in Filio, *per Filium, in eo, quod homo,* quem constituit 7. hæredem universorum, (*quæ tunc per ipsum facta sunt*) per quem fecit et sæcula, *secundum quod Deus.* 8. Qui cum sit splendor gloriæ, (*procedens a Patre, ut splendor a sole, non tamen diversus sed eamdem habens substantiam*) et 9. figura, *veritas*, substantiæ ejus, portansque, *regens*, omnia verbo virtutis suæ, *jussu potenti,* 10, 11. purgationem peccatorum faciens, *non tamen portans peccata, sed dejiciens,* 12. sedet ad dexteram majestatis (*cum dexteram nec sinistram Deus habeat, æqualitatem ejus et Filii, dexteræ sedem appellamus*) in excelsis; tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu; ego 13, 14. hodie, *in æternum*, genui te? **207** *Nulli*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — 1. LANFR. *Multifariam*, etc. Conscius A indignationis et invidiæ eorum audito nomine Pauli apostoli, solita cessat salutatione, etsi ideo ejus Epistola denegatur, quia ejus nomine non titulatur; nullius esse, simili ratione probatur.

2. *Multifariam.* Ut de propheta cui præcepit uxorem accipere fornicariam (*Ose.* I). Et de illo cui præcepit ponere lumbare sub lapide, et post quadraginta dies visere, quod visens invenit quia computruit (*Jer.* XIII). Et de illo cui præcepit panem suum tegere humano fimo; sed quia non posset comedi, post præcepit tegi bovino (*Ezech.* IV).

3. *Multifariam*, id est, aliquando prospera, aliquando adversa prædicens, aliquando prophetarum verbis, et aliquando eorum factis futura ostendens.

4. AMBROS. *Multisque modis.* Tota intentio B. Apo-B stoli, in Epistola, Hebræos ad fidem Christi convocare, eminentiamque gratiæ, quæ per Filium data est, a legalibus discernere verbis.

5. LANFR. *Locutus est nobis in Filio*, etc. Commendato Filio, commendat Novum Testamentum ab ipso datum; et humiliatis angelis, humiliatur per illos Vetus datum.

6. AMBROS. *In Filio*, quasi diceret : Per Filium, sicut in multis locis Epistolarum invenitur præpositionibus indifferenter uti.

7. *Hæredem*, hoc est Dominum totius mundi, nec jam portio Domini tantum Jacob, et sors ejus Israel, sed sicut in psalmo de eo legitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes,* etc.

8. *Qui cum sit splendor.* Ubique quidem religionis nobis est opus intellectus, maxime autem ubi de Deo aut loquimur aut audimus. Oportet autem, ubi sermo deficit vel cogitatio, glorificare nos Deum, quod talem Deum habemus qui et intellectum transcendit et cogitationis intuitum. Merito autem splendorem eum dicit, qui est lux mundi, lumen de lumine, insinuans nobis Patrem. Per splendorem autem unitatem declaravit essentiæ, et duas aperuit personas in gloria et splendore.

9. *Figura substantiæ.* Hæc figura æqualitatis præbet judicium, et figuram dicit quod alio loco formam : *Qui cum in forma Dei esset.*

10. LANFR. *Purgationem.* Aperte [*f.*, aperit, *vel* apud] Patrem exhibendo humanitatem, quam assumpsit pro nobis.

11. AMBROS. *Purgationem.* Ad humilia incarnationis descendit, dicens : Purgationem peccatorum faciens per passionem.

12. *Sedet.* De resurrectione et ascensione ejus nos instruit. Per dexteram autem magnitudinem demonstravit honoris.

13. LANFR. *Ego hodie*, id est, in hac æternitate, nec melius potuit exprimi æternitas quæ continuaverit.

14. *Ego hodie genui te*, etc. Probatur Filius esse; nam ipse est Pater, quia ipse dicit, quod est : *Ero illi in Patrem, et ipse erit*, etc.

itaque. Et rursum, *cui Angelorum dixit* : Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? 15. Et cum iterum *Pater* 16, introducit, *introducere disponit, id est, incarnari,* Primogenitum in orbem terræ, dicit : 17, Et adorent eum omnes angeli Dei. Et 18. ad angelos, *de angelis,* quidem dicit : Qui facit angelos (*dum sunt missi*) suos, spiritus, et ministros suos, (*dum assistunt Deo*) flammam ignis. Ad Filium autem, *per prophetam*, 19, 20 : Thronus tuus Deus. *Fili,* in sæculum sæculi ; virga æquitatis, 21. virga regni tui. 22. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem *(item dignior est, quia majori dono Spiritus sancti unctus est, quam alii sancti ; nam Scriptura dicit)* : 23. Propterea unxit te, *o* Deus, Deus tuus, oleo exsultationis, *spirituali gratia, quæ lætificat,* præ 24. participibus tuis, *plus aliis sanctis* : Et, tu *Fili* 25.. in principio (*ne videretur posterior; vel tu Pater in Filio, qui est principium*) Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum, *Filii, qui est manus Patris, vel ad litteram*, sunt cœli. 26. Ipsi peribunt, *mutabuntur,* tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. (*Item probat qui dignior est, ut supra.*) Ad quem autem angelorum dixit aliquando : Sede a dextris meis, 27. quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 28. Nonne omnes sunt 29. administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos *fideles*, qui hæreditatem capiunt salutis?

208 CAPUT II.

1. Propterea 2. abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus. *Ergo quia dignior angelis, dignius est præceptum, quam vetus datum per angelos, et quia dignius est, oportet nos illud servare,* ne forte 3. pereffluamus, *evanescamus opere in fide.* Si enim qui per angelos dictus est 4. 5. sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio, et inobedientia *veteris legis* accepit justam mercedis retributionem, quomodo *nullatenus*, nos effugiemus, si tantam 6. neglexerimus salutem, *Novi Testamenti scilicet, non tantum ser-*

COMMENTARIUS.

15. *Et cum iterum.* Ordo : et cum introducit, etc. Iterum dicit.

16. *Introducit Primogenitum*, etc. Item probatur quia dignior est angelis, nam adoratur ab eis ; et omnis qui adoratur dignior est adorante. Deinde etiam probatur ipsos esse indigniores, qui ministrant ei, et hoc ab auctoritate, quod est : *Et ad angelos*, etc., et : *Qui facit angelos*, etc.

17. *Et adorent.* Incarnatum Verbum adorare admonendi erant angeli ; in ipsa divinitate admonitionis non indigebant.

18. *Ad angelos.* Ordo : qui facit spiritus suos angelos, et flammam ignis suos ministros.

19. *Thronus tuus Deus.* Item probatur dignior ; nam thronus, id est, sedes ejus et sceptrum ejus manet in æternum : quod non est angelorum.

20. Ambros. *Thronus tuus.* Thronus Dei ad judicium pertinet futurum ; in sæculum sæculi ait, quia novissimum judicium æterna discretione stabit.

21. *Virga regni.* Hæc virga fortitudo est invicta, æquitas rectissima, inflexibilis disciplina.

22. *Dilexisti.* Ipsa est virga recta, amare æquitatem, odisse iniquitatem.

23. *Propterea.* Unctus Christus et regem significat et sacerdotem ; sed illa natura unctus dicitur, qua natus et passus ; quod dicit Deus, præconium magnæ dilectionis ostendit. Oleum lætitiæ est, peccati maculam non habere ; unde conscientia exhilaratur, quando nulla asperitatis recordatione mordetur.

24. *Participibus.* Filiis hominum dicit.

25. *In principio, Domine.* Post humanitatis excellentiam, iterum ad æternitatem Filii se convertit.

26. *Ipsi peribunt.* Pereunt ab eo quod sunt, dum immutantur in melius.

27. *Quoad usque* [al., *donec*] *ponam inimicos tuos.* Per pedes Domini stabilitas æterna significatur, ubi tanquam vestigiis positus, omnipotentiæ virtute consistit ; his pedibus constat esse subdendos qui, vitiis derelictis, ejus prædicationibus inclinantur. Donec vero non hic finem temporis, sed æternitatem demonstrat.

28. *Nonne omnes.* Filius solus salvat ; isti saluti prædestinatorum deserviunt, nam angelum ad Mariam legimus missum ; pastoribus etiam et mulieribus in resurrectione angeli apparuerunt.

29. Lanfr. *Administratorii spiritus.* Probato Filium esse digniorem probat quoque angelos esse indigniores ; sunt enim ei et hominibus administrantes.

CAP. II. — 1. Lanfr. *Propterea.* Quia tantam curam habuit et habet Deus, ut et Filium suum pro nobis fecerit incarnari, et angelos suos in ministerium nostrum quotidie invitet.

2. Ambros. *Abundantius.* Hoc est amplius quam in lege solebamus audire.

3. Lanfr. *Ne forte pereffluamus.* Ne pejus puniamur, ideo quod cognovimus, notum postposuimus. Vel, quia jam ex parte decidimus, ne ex toto decidamus.

4. *Sermo factus.* Veteris Testamenti legem dicit, quæ per angelos data est Moysi. Non enim Deus per propriam substantiam loquebatur, sed angeli in persona Dei.

5. *Sermo factus est firmus.* Oportet nos servare sermonem ejus ; nam firmus est : firmus enim factus est sermo datus per angelos. Oportet nos servare, et, si non servaverimus, puniemur; nam qui non servaverunt legem datam, per angelos puniti fuerunt.

6. Ambros. *Neglexerimus.* Per hoc significat quia non erat tanta salus in Veteri Testamento ; illa enim temporalis, hæc perpetua.

monem? 7. Quæ *salus* cum initium accepisset (*humilitatis gratia dicit in nobis, non ut in ipso confirmaretur, dixerat enim non ab eis accepisse*) enarrari per Dominum *Christum* ab eis, *apostolis*, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo, *testimonium perhibente verborum* signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti *spiritualium gratiarum* distributionibus *diversis* secundum suam voluntatem. Non enim 8. angelis subjecit Deus 9. orbem terræ futurum, de quo loquimur. (*Probatur quia dignior, quia Pater subjecit ei orbem terræ, nam omnia, quia Psalmista dicit, quod testatus est*, etc.) 10. Testatus est autem in quodam loco quis, *vel de quo loquimur testis est quidam*, dicens : Quid est homo, quod memor es ejus, aut 11. filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus 12 ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum (*omnia ei subjecta sunt, quia ipse super omnia constitutus est*) super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim (*omnia subjecit, nam nihil dimisit. In contrario*) quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum *et ita orbem subjecit* ei. *Probatur quod* **202** *dixit, futurum est de quo loquimur*. Nunc autem needum videmus *præsenti speculatione* omnia subjecta ei. 13. Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem 14, 15. mortis, gloria *resurgendo* et honore coronatum. 16. ut gratia Dei *id est, ipse Christus, vel per gratiam*, 17. pro omnibus gustaret mortem, *proprie gustavit* 18. Decebat enim eum. *Patrem* propter quem omnia, *pro ejus laude* et per quem omnia *facta*, qui multos filios in gloriam *per prædestinationem* adduxerat, auctorem *Christum* salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat *Christus*, et qui sanctificantur *homines*, 19, 20. ex uno *Patre* omnes. Propter quam causam, *qui ab uno sunt*, non confunditur, *erubescit*, 21. fratres eos vocare, dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum *probatur, quia ab eo pendent* 22 : Ego ero fidens in eum. Et iterum (*quia ipse episcopus, et sibi subditi pendent ab illo*) : Ecce ego, 23, 24. et pueri mei, quos dedit mihi Deus. 25, 26. Quia

COMMENTARIUS.

7. Lanfr. *Quæ cum initium*. Diceret quis : Quis nobis annuntiavit illam salutem? Respondet : *Quæ cum initium*, etc.

8. *Angelis*. Adhuc persistit in eodem, volens probare differentius præ angelis Christum habere nomen.

9. *Orbem*. Orbem terræ hic intelligit universitatem omnis creaturæ in futuro sæculo; de qua terra alias dicitur; *Portio mea in terra viventium*.

10. Ambros. *Testatus est*. Cur nomen prophetæ non posuit? Existimo non abscondentis affectu, sed ostendentis multam eos habere scientiam Scripturarum.

11. *Filius hominis*. Visitavit eum *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Nam visitare dicitur, quando medicus ad infirmos ingreditur.

12. *Ab angelis*. Bene autem dixit : *paulo minus ab angelis*, quia etsi corpus mortale assumpsit, tamen peccatum non habuit.

13. Lanfr. *Eum autem*. Ordo : eum autem Jesum qui modico quam angelis minoratus est propter passionem mortis, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, videmus gloria et honore coronatum : et est hyperbaton, id est, ordo confessus, qua figura frequentius utitur in Epistola hac.

14. *Mortis*. Quasi aliquis diceret : An Deus Pater morti tradidit Filium suum? Ita, inquit : *Qui enim sanctificat, et qui*, etc.

15. *Mortis gloria*, id est, mortis ita susceptæ, ut pro salute hominum gustaret mortem, hoc est cui jungitur : *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*: alioquin nisi gustaret pro omnium salute mortem, cassa esset et irrita.

16. Ambros. *Ut gratia Dei*. Ipsum gratiam nominat, qui pro omnium salute gustavit mortem; proprie gustavit, quia brevi tempore in illa fuit. Gloria coronatus est in resurrectione : honore in confessione paternæ majestatis.

17. Lanfr. *Pro omnibus gustaret mortem*. Ideo gustavit, nam decebat. Decebat Deum, et potuit per Christum consummare, id est, salvare nos, quia Christus et nos ab illo sumus, quod est : *Qui enim*, etc.

18. *Decebat*. Decebat enim, inquit, Deum Patrem ut per mortem consummaret Christum auctorem salutis humanæ. Cur autem decuerit, multis causis prætermissis, duas paulo post dicit : *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis principium, id est, diabolum : et liberaret*, etc.

19. *Ex uno omnes*, id est, ex unius Patris dispositione pendent.

20. Ambros. *Ex uno omnes*. Unus enim est Deus, a quo omnia; sed ille aliter, aliter nos; ille, quasi proprius Filius; nos, adoptivi.

21. *Fratres eos*. In eo quod dicit : Non erubescit fratres vocare, ostendit non naturæ esse fraternitatem nostram, sed misericordiæ ejus et humilitatis multæ.

22. *Ego ero*. De suscepto homine hoc est dictum.

23. *Et pueri mei*. Pueros propter innocentiam nominavit, de quibus ait Dominus in Evangelio : *Sinite parvulos venire ad me* (*Marc.* X).

24. Lanfr. *Pueri*. Pueros vocat fideles, sicut in Evangelio : *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* (*Joan.* XXI.) Et alias : *Nisi efficiamini sicut puer iste* (*Luc* XVIII.) Et Apostolus : *Malitia parvuli estote* (*I Cor.* XIV).

25. *Quia ergo pueri communicaverunt*, etc. Quia dederat Pater homines illi futuros honori, et illi, futuri sui, carne et sanguine compacti erant, placuit Christo homo fieri.

26. Ambros. *Quia ergo pueri*. Ut haberet unde gustaret mortem pro puerorum salute.

ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, *id est, sunt veri homines*, et ipse similiter participavit *factus homo versus* eisdem, *carni et sanguini*, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, (*cujus imperium mortificabat*) 27. et liberaret eos qui 28. timore mortis per totam vitam 29. obnoxii erant *legis* servituti. 30. 31. Nusquam enim angelos, *angelicam naturam*, apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, *sed humanam naturam*. 32. Unde (*quia semen Abrahæ apprehendit ; vel quia participavit carni et sanguini*) debuit per omnia *fragilitatum* fratribus similari, 33. ut *expertus in se hominis miseriam* misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, 34. ut repropitiaret, *condonaret*, delicta populi, *quod potest ; ideo similari*. In eo enim 35, 36. in quo (*in carne*) passus est ipse, et tentatus, potens est, *modo accepta incorruptibilitate*, et eis qui tentantur auxiliari.

CAPUT III.

1. Unde (*quia potens auxiliari*) 2. fratres sancti. vocationis cœlestis participes, 3. considerate, *cognoscite, honorate*, apostolum et pontificem confessionis *fidei* nostræ Jesum. 4. qui fidelis est ei qui fecit [illegible] illum, sicut et Moyses in omni domo ejus *populo Judæorum*. 5. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus (*exponit*), 6. quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam, *quam serviens in ea*. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo ; qui autem omnia creavit, Deus est 7. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum *dicendo* quæ dicenda erant ; Christus vero tanquam filius in domo sua ; quæ domus sumus nos, 8. si 9. fiduciam, et gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus. 10. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione *obduraverunt patres*, secundum diem, *in tempore*,

COMMENTARIUS.

27. Lanfr. *Et liberare eos.* Homines liberavit, quod probat a contrario : non enim angelos, nam si angelos liberaret, angelicam naturam assumeret, sed nusquam angelorum naturam apprehendit. ergo, etc.

28. *Timore mortis.* Fideles dicit qui timore mortis, seu corporis, seu animæ, per totam vitam observabant legem ; quos liberavit Christus seu ab inferno, seu ab importabili jugo legis.

29. Ambros. *Obnoxii erant.* Servi si quidem omnes fuerant mortis, quia mortem timebant.

30. Lanfr. *Nusquam enim.* Probat superiorem causam, quia ideo homo factus est Deus, ut mori potuisset, nisi enim pro humana salute mori disponeret, apparere volens hominibus, non hominem, sed angelum, in quo loqueretur, assumeret.

31. Ambros. *Nusquam enim angelos.* Quia dixerat : *Quoniam pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*, ideo, inquit, *nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Quare dixit apprehendit ? Quia nos quasi recedentes ab eo, et longe fugientes insecutos apprehendit ; et in unam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperavit.

32. *Unde debuit.* Non itaque alia fuit causa illi per omnia fratribus assimilari, nisi ut fidelis pontifex in nobis, nostrisque propitiaret peccatis.

33. Lanfr. *Misericors.* Revera non vocatur misericors nisi homo ; misericors a misero corde dicitur ; sic B. Gregorius in Moralibus.

34. *Ut repropitiaret.* Probat quod potest condonare delicta, id est, auxiliari ; nam per divinitatem, et per carnem ? Per divinitatem, quia etiam per carnem.

35. Ambros. *In eo in quo passus est.* In eo, id est in homine, in quo passus est, potens est tentatos adjuvare, ne vincantur, quia tentationes nostras, sicut homo, in seipso per experimentum cognovit.

36. Lanfr. *In quo passus est.* In carne passus est, et tentatus est, et in carne tentatis auxiliari potest.

CAP. III. — 1. Lanfr. *Unde fratres*, etc. Superius monstravit Christum digniorem angelis ; nunc monstrat digniorem et Moyse, ut Veteri Novum præferat Testamentum ?

2. Ambros. *Fratres sancti.* Animos eorum vult erigere ad excellentiam promissionum Dei, nominans eos fratres charissimos ad cœlestia vocatos.

3. *Considerate Apostolum*, id est, cognoscite quis est Jesus sacerdos et aliquis [*f.*, fidelis], et non habens opus alia consolatione.

4. *Quis fidelis.* Asserit eum fidelem, id est, devotum, defendentem ea quæ sunt ejus, non permittentem corrumpi.

5. Lanfr. *Amplioris enim est*, etc. Dignior est, nam amplioris gloriæ est, siquidem creator est, et Moyses creatura, omnis creator amplioris gloriæ est quam creatura ; nam fabricans domum majoris honoris est quam domus.

6. *Quanto ampliorem*, etc. Probat quia debent considerare, id est, honorare Christum, quia amplioris dignitatis est quam Moyses ; et hoc a simili, et a pari.

7. *Et Moyses quidem.* Probat quia dignior est Christus Moyse : Omnis enim filius dignior est in domo patris, et sua, quam famulus.

8. *Si fiduciam*, id est, fidem et bonam operationem, per quas spem habemus.

9. *Si fiduciam et gloriam*, etc. Ergo ut ejus domus simus, fidem habere debemus ; igitur non debemus esse increduli, quod est, *videte fratres*, potest enim illuc usque pendere sententia.

10. *Quapropter sicut dicit*, etc. Quasi dicat : Ergo, quia tantæ dignitatis est lator Novi Testamenti, non habeamus cor obduratum, sed illius præceptis acquiescamus.

tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt *me*, et viderunt opera mea *sicut Dei* quadraginta annis ; propter quod, *quia tentaverunt*, infensus fui generationi huic, et dixit : Semper,*nam assidue*, errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas, *præcepta mea*, sicut juravi in ira mea : Si (*aposiopesis*) introibunt, *non introibit quisquam*, in requiem meam. Videte, fratres, *ne sitis increduli*, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum,incredulitatis,discedendi a Deo vivo ; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie (*in præsenti dum licet*) cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis 11. fallacia peccati (*causa cur non debeamus obdurari*). 12. Participes enim Christi, *ut membra capitis*, effecti sumus ; 13. si tamen 14. initium substantiæ ejus, *fidei quando substitimus*, usque ad finem firmum retineamus. Dum dicitur : Hodie, *in præsenti*, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum *obduraverunt patres vestri* in illa exacerbatione. *Responsio.* Quidam enim audientes, exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis ? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, *vel terram promissionis*, nisi illis qui increduli fuerunt ? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

CAPUT IV.

Timeamus ergo (*a simili*) *ergo nec nos intrabimus existentes increduli, ergo timeamus*, ne forte relicta pollicitatione *fidei* introeundi in requiem ejus, *id est, æternam requiem*, existimetur aliquis ex vobis deesse. *Cur timeremus ? illis tantum nuntiatum est.* Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis ; sed non profuit illis sermo auditus, non admistus, *creditus*, fidei ex iis quæ audierunt. Ingrediemur enim (*nuntiatum est nobis, nam ingrediemur ; vel, sed nobis, qui credidimus, ingrediemur*) in requiem *ejus*, qui credidimus, quemadmodum dixit (*probat quod non profuit, nam non intrabunt in requiem*) : Sicut juravi in ira mea : Si introibunt (*aposiopesis*) in requiem meam, *terram promissionis*, 1. et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septima sic : 2. Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum : Si introibunt in requiem meam. 3. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem ; iterum terminat diem 4. quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supradictum est : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. 5. Nam si eis Jesus 6. requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die. 7. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus ; etiam 8. ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. 9, 10. Festinemus ergo

COMMENTARIUS.

11. *Fallacia peccati.* Peccatum vocat diabolum, A vel incredulitatem, quo vel qua fallantur infideles, ne credant quod credendum est.

12. AMBROS. *Participes enim Christi,* id est, unus effecti sumus cum illo si quidem ipse caput est, et nos membra.

13. *Si tamen initium.* Quid est initium substantiæ? Fidem significat, per quam subsistimus, et Deo nati sumus in filios.

14. LANFR. *Initium substantiæ.* Substantia vocat fidem, quia ipsa velut fundamentum bonis operibus substat, id est jacet.

CAP. IV. — 1. LANFR. *Et quidem operibus.* Probat duas esse requies, unam terrenam, quæ promissa est Judæis ; aliam cœlestem quæ promittitur nobis. Et est responsio, quasi aliquis diceret : Quare dixisti : B ingredimur in requiem, cum in nullam promissionis terram intrare nobis non tantopere utile sit ? Duæ, inquit, requies sunt.

2. *Et requievit.* Hæc est requies quæ promittitur sanctis, videlicet cœlestis, ineffabilis Dei suavitas.

3. *Quoniam ergo superest.* Quia quidam, inquit, intraturi sunt in requiem Dei cœlestem, et hi quibus annuntiatum est in deserto non introierunt, quia verbum non crediderunt. Admonentur præsentis temporis fideles, ne obdurent corda sua verbo Dei, sicut obduraverunt superiores increduli, eos enim vocat [*sup.*, incredulos], cum dicit : *Nolite obdurare corda vestra.*

4. *Quemdam.* Ordo : quemdam [*f.*, terminat diem quemdam] post tantum temporis hodie in David dicendo, sicut supra dictum est *Hodie si*, etc.

5. *Nam si eis Jesus.* Non est iste Jesus Salvator mundi ; sed Jesus, qui etiam Josue nominatur, a quo populus Judæorum ductus est in terram promissionis ; qui si veram requiem eis præstitisset, nunquam post illam hac die, id est hodie, hoc tempore David de alia loqueretur.

6. *Requiem præstitisset.* Illi ingressi sunt, id est, illis non dedit requiem illam, nam si illis præstitisset, nunquam de alia locutus fuisset. Vel respondit : non omnem requiem tribuit eis Jesus Nave (nunquam de alia) omnem requiem id est temporalem et cœlestem.

7. *Itaque relinquitur.* Concludit quod superius probabatur. Quasi diceret : ingredimur igitur in requiem.

8. AMBROS. *Ipse requievit.* Requies Dei operum perfectio intelligenda est ; per illam vero requiem quæ æterna est nos ad æternam provocat, quam sabbatismum nominavit, non requiem, qui Judæis loquebatur ; nec vult tale sabbatum in regno Dei, ut iterum quis exinde revertatur ad opera laboriosa, sicut in sabbato carnali fecerunt. Istud vero sabba.

ingredi in illam requiem, ut ne 11. in idipsum quis incidat incredulitatis 12. exemplum. 13, 14. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem 15, 16. animæ ac spiritus, 17, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, 18. ad quem nobis sermo. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia 19, 20. pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus 21. in auxilio opportuno.

213-214 CAPUT V.

1. 2. Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; qui condolere possit iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate; et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: 3. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem 4. Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ preces, 5. supplicationesque ad eum qui possit 6. illum salvum

COMMENTARIUS.

tum Dei quicunque intrat, requievit perpetuo ab operibus suis, sicut Deus a suis.

9. *Festinemus ingredi.* Quoniam non sufficit fides, sed debet addi fidei digna vita, si enim meruerunt terram, qui murmurati sunt, quomodo merebimur cœlum indifferenter viventes ut gentes?

10. Lanfr. *Festinemus ergo ingredi*, id est, quia requies illa æterna est, ergo festinemus fide ingredi. Vel, ergo quia illi per incredulitatem non ingressi sunt, ergo nos per fidem ingrediemur in illam.

11. Ambros. *In ipsum incredulitatis*, id est, ne in similia incidamus, ne eadem patiamur quæ illi passi sunt.

12. Lanfr. *Exemplum.* Exemplum incredulitatis vocat vindictam Dei, quæ tanta illata est, ut exemplo aliis esse valeat, ne increduli esse præsumant. B

13. Ambros. *Vivus est enim.* Ostendit hic nos eumdem habere judicem qui illos propter incredulitatem eorum damnavit.

14. Lanfr. *Vivus est enim*, id est, vivax, vivaciter et cum vigore agens, quasi incredulis respondet. An novit Deus si credo, vel non credo? Vivus est, inquit, Dei sermo id est, Verbum Patris homo Christus, etc.

15. Ambros. *Animæ ac spiritus.* Anima vivimus, spiritu intelligimus; et tam efficax est Dei judicium ut discernat inter carnalia et spiritualia.

16. Lanfr. *Animæ ac spiritus.* Discernit Filius inter animam et spiritum, quia ipse novit quid homo cogitet aut faciat propter terrena commoda, et propter cœlestia. C

17. *Compagum.* Compages vocat conjunctiones cogitationum, medullas intentiones eorum, et idem apertius repetit cogitationum et intentionum. Et est ordo: discretor compagum, etc. Si enim cogitatio cogitationi conjungitur, ipse novit quæ sit secundum Deum, vel secundum sæculum: ipse quoque qua vergat intentio cogitantis, sive bonum, sive malum videatur esse quod agit.

18. *Ad quem nobis sermo.* Ad Christum erit nobis sermo, quia sibi reddemus rationem de actibus nostris in die judicii.

19. Ambros. *Pro similitudine.* Similitudinem itaque peccati habuit, quæ tamen caro illius absque omni peccato fuit.

20. Lanfr. *Pro similitudine peccati.* Pro similitudine, id est, secundum similitudinem, videlicet secundum carnem, quia in similitudine hominum factus est. Vel pro similitudine, id est, pro exemplo dando fidelibus, ut et ipsi absque consensu peccati tententur; observantes ne inducantur in tentationem. Vel ita, pro similitudine, id est, propter similitudinem, propter carnem scilicet quam gerebat: nisi enim aliis hominibus similis esset, tentare eum diabolus non auderet. Ordo: tentatum per omnia absque peccato.

21. *In auxilio.* Auxilium Dei semper est opportunum; quia in necessitatibus subvenit; sicut in psalmo: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* (*Psal.* IX).

CAP. V. — 1. Lanfr. *Omnis namque pontifex.* Quasi diceret: Non est diffidendum quin per hunc pontificem misericordiam et gratiam consequamur, quia alii etiam pontifices, qui puri homines sunt, ad hæc impetranda hominibus constituti sunt.

2. Ambros. *Omnis namque pontifex.* Ponit hic Apostolus quædam communia Christo cum sacerdotibus; quædam vero altiora: Hoc commune est: pro omnibus constituitur, ut offerat pro peccatis.

3. *Tu es sacerdos.* Sacerdos dicitur Christus, qui semel se obtulit immolandum, sicut semel de Melchisedech in sancta legitur Scriptura.

4. Lanfr. *Melchisedech.* Melchisedech panem et vinum sacrificare Deo constituit; quem ritum Dominus Jesus Christus observavit, et in Ecclesia sua observari præcepit.

5. Ambros. *Supplicationes.* Dicit preces eum et supplicationes fundere non timore, sed nostræ causa salutis. Inde et in alio loco dicit sanguinem Christi melius clamasse pro nobis quam sanguinem Abel; qui ad accusandum de terra fraternum scelus

facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia 7. Et quidem, cum esset Filius Dei, 8. didicit ex iis quæ passus est obedientiam. 9, 10 et, consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo pontifex 11. juxta ordinem Melchisedech. 12. De quo nobis grandis sermo [illegible] et interpretabilis ad dicendum quoniam imbecilles 13. facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa 14. exordii sermonum Dei, et facti estis quibus 15. lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

CAPUT VI.

1. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, 2. ad perfectionem referamur, non rursum jacientes 3. fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum 4. baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, 5. et [illegible] judicii æterni. Et hoc facie-

COMMENTARIUS.

clamavit : Christi vero sanguis ad interpellandum A pro nobis de terra clamat ad Patrem.

6. Lanfr. *Illum salvum faceret a morte.* Non ut moreretur, sed ut resurgendus a morte non teneretur.

7. *Et quidem cum esset.* Exponit ipsam reverentiam. Magna enim religio fuit eum, qui æqualis erat Patri, duram in passione morte obedientiam [*f.*, mortem obedientia] experiri

8. Ambros. *Didicit ex his.* Obedientiam didicisse Filium Dei, hoc est voluntarie suscepisse.

9. ***Et consummatus est***, id est, perfectus et sufficiens ad salutem æternam omnium credentium.

10. Lanfr. *Et consummatus est.* Consummatus etsi aliis videtur seductor, illis tamen visus est consummatus, id est, perfectus qui obtemperaverunt B sibi causa salutis æternæ. Potest et ita distingui ut causa nominativus casus sit, hoc modo : et consummatus, id est, perfectus, vel, ab hoc sæculo mortuus, factus est causa salutis æternæ omnibus obtemperantibus sibi ; per fidem enim passionis et resurrectionis illius salvantur credentes.

11. *Juxta ordinem.* Juxta ritum offerendi panem et vinum, quod Melchisedech primus fecisse legitur ; quæ tamen in Christi carnem et sanguinem convertuntur.

12. *De quo grandis.* Si, inquit, vellemus vobis exponere cur Christus secundum ordinem Melchisedech factus est pontifex, grandis nobis sermo esset, necessariis [*f.*, necessarius] et interpretabilis, id est, habens multas expositiones mysteriorum et al- C legoriarum.

13. *Facti estis ad audiendum*, id est, ad intelligendum, sicut ad Corinthios : Nemo audit, id est, intelligit.

14. *Exordii sermonum Dei.* Exordium sermonum Dei vocat Symbolum Christianæ fidei, quod non solum non intelligebant, sed nec ipsam litteraturam qua præfertur [*f.*, profertur] memoriter sciebant.

15. *Lacte opus sit.* Lac est brevis insinuatio et facilis observatio morum. Solidus cibus est ratio ipsius fidei et perfecta institutio vitæ. Probare intendit quia illis opus est lacte ; omnis enim expers sermonis justitiæ particeps est lactis. Hæc probatio in libro conversa. Vos autem estis expertes sermonis, id est, probatione propositionis primæ, vel a causa, vel a genere subjungit, ubi ait : *Parvulus enim est.* Quod vero dicit : *Perfectorum enim est solidus cibus.* Probatio est quoniam non est opus illis solito cibo.

CAP. VI. — 1. Ambros. *Quapropter intermittentes.* Quia exercitatos sensus in lege Domini oportet vos habere, intermittamus inchoationis Christi sermonem. Sermo inchoationis Christi est initium fidei. Sicut enim qui in doctrina litterarum adducitur, elementa oportet primum audire, sic Christianus primum omnium de fide catholica erudiri debet. Si autem opus est de fide docere [*f.*, doceri], necdum fundamentum habet. Si enim opus est iterum audire, quia credere cum oportet de resurrectione et futuro sæculo, necdum fundamentum habet.

2. *Ad perfectionem.* Perfectum illum vocamus, qui cum fide vitam habet rectam. Si autem unum eorum deerit, perfectus non erit ; si ambo, merito parvulus [*f.*, perfectus] dicitur.

3. Lanfr. *Fundamentum* Quicunque doctor infideles ad fidem convertit, hic imprimis fundamentum mentibus jacit, dicens oportere eos peccatorum suorum pœnitere, in Deum credere, in remissionem peccatorum baptizari, pro accipiendis sancti Spiritus donis in impositione manuum episcopi consummari, resurrectionis et judicii diem præstolari.

4. Ambros. *Baptismatum.* Sicut una fides est, ita unum baptisma : sed pro varietate accipientium [baptisma] *baptismatum* dixit. Ne vero ullatenus qui secundum æstimaret post peccatum fieri posse baptisma, adjungit : *Impossibile est eos qui semel illuminati per gratiam sancti Spiritus, gustaverunt etiam donum cœleste* (hoc est remissionem peccatorum) *et participes facti sunt Spiritus sancti* (in distributione donorum) *et bonum Dei verbum gustaverunt* (hoc est doctrina Evangelica) *et virtutes venturi sæculi cognoverunt* (id est, resurrectionem et vitam beatam quæ sanctis promittitur), *si in peccatis incidant, iterum renovari.* Cujus baptismatis virtus in cruce et sepultura Christi constat ; proinde subjungit : Sicut enim semel Christus mortuus est carne in cruce ; sic nos semel morimur in baptismate, non carne, sed peccato.

5. Lanfr. *Et judicii*, quia quales de judicio exibunt, tales sine fine manebunt.

mus, siquidem permiserit Deus. Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum 6. Dei verbum virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum 7 crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes 8 Terra enim, sæpe venientem super se bibens imbrem, 9 et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo ; 10. proferens autem spinas ac tribulos reproba est, et 11. maledicto proxima ; 12. cujus consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti : tametipsi ita loquimur. Non enim injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis. Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem, ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. Abrahæ namque promittens Deus quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum, dicens : Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per majorem sui jurant; 13. et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, 14. ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem ; quam 15. sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem 16. usque ad interiora velaminis, 15. ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

CAPUT VII.

1. Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei; cui et decimas omnium divisit Abraham; primum quidem qui interpretatur *rex justitiæ;* deinde autem et rex Salem, quod est, *rex pacis*, 2. sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, 3. manet sacerdos in perpetuum

COMMENTARIUS.

Impossibile. Rationem reddit cur non expediat primum fidem relinquere et in peccata cadere ; non enim revertentes jam ultra baptizari possunt in remissionem peccatorum, sicut prius.

6. *Dei verbum*, id est, Patris, qui in perceptione corporis et sanguinis ejus gustatur.

7. *Crucifigentes.* In semetipsis crucifigunt Filium Dei, et ostentui, id est contumeliæ habent qui, gratiam ejus vilipendentes, in peccatis jacent.

8. AUGUST. *Terra enim sæpe.* Hic declarat quod hi ad quos ejus sermo fuit, susceperunt et combiberunt verbum cœlestis doctrinæ.

9. *Et generans herbam.* Nihil sic opportunum sicut fides in Filium Dei et vita optima.

10. *Proferens autem.* De his spinis Dominus dicit quia cura hujus sæculi et deceptio divitiarum præfocant verbum, et infructuosum efficitur.

11. *Maledictio proxima.* Quantam habet solationem hic sermo maledictioni proxima, non maledicta ; quæ enim necdum in maledictionem incidit, sed proxima est et longe fieri potest.

12. *Cujus consummatio in combustionem.* Hæc combustio non erit, nisi quis usque in finem permaneat in peccatis.

13. *Et omnis controversiæ.* Si hominum juramento credendum est, quanto magis Dei qui nec falli nec mentiri potest?

14. LANFR. *Ut per duas res.* Jusjurandum, et per semetipsum, quibus immobile sit quod dicitur.

15. AMBROS. *Sicut anchoram habemus.* Sicut anchora non permittit navim circumferri, licet venti commoveant eam, sic spes fide roborata introducit nos in rerum speciem quomodo fide et spe tenemus. ideo addidit : *Incedentem usque ad interiora velaminis.* Spes enim penetrat interiora velaminis, dum cœlestia absque dubitatione credit.

16. LANFR. *Usque ad interiora.* Spes nostra usque ad præsentiam Dei incedit, quam significabant interiora velaminis.

17. AMBROS. *Ubi præcursor pro nobis,* Non dixit simpliciter introit, sed, ubi præcursor pro nobis introiit, oportet prosequi præcursorem nostrum, præcursorem siquidem et consequentem in eodem esse convenit.

CAP. VII.—1. LANFR. *Hic enim Melchisedech.* Ratio cur secundum ordinem Melchisedech pontifex factus sit Christus, et non secundum ordinem Leviticum, videlicet quia majoris dignitatis est Melchisedech. (54) Nam si reprobamur, maledicto proximi erimus ; et probat a simili : nam si germinans tribulos proxima est maledicto, et hoc probat a contrario ; nam germinans herbam proxima et benedictioni.

2. *Sine patre.* Non revera sine patre et matre fuit; nec revera initio et fine dierum caruit; sed unde, et quando ortus sit, vel quo tempore obierit, Scriptura non commemorat. Illum namque significabat, qui revera nec patrem secundum humanitatem, nec matrem, nec initium vel finem secundum divinitatem habiturus erat.

3. *Manet sacerdos.* Melchisedech non mansit in perpetuum, sed sacerdotalis ejus constitutio manet in perpetuum.

(54) Hæc non videntur cohærere cum præcedentibus.

Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem 4. de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habens decimas sumere a populo secundum legem,id est a fratribus suis, quanquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc qui habebat repromissiones benedixit. 5. Sine ulla autem contradictione, quod minus est a meliore benedicitur. Et hic quidem, 6. decimas morientes homines accipiunt : ibi autem contestatur quia vivit. Et (ut ita dictum sit) per Abraham et Levi,qui decimas accipit, decimatus est ; adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. 7, 8. Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici ? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster; in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. Et amplius adhuc manifestum est si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius sacerdos,qui non 9. secundum legem mandati carnalis factus est, sed 10. secundum virtutem vitæ insolubilis. 11. Contestatur enim : Quoniam tu es sacerdos in æternum. 12. secundum ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter 13. infirmitatem ejus et 14. inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex 15., introductio vero melioris spei, per quam proximamur ad Deum. Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es

COMMENTARIUS.

4. *De filiis Levi.* De superiori sententia hoc objicitur. Quasi aliquis diceret : Non potes probare Melchisedech per hoc superiorem Abrahæ quia decimas ab eo accepit, quia sacerdotes de tribu Levi ab aliis tribubus secundum legem decimas accipiunt, fratres scilicet a fratribus, et coæquales a coæqualibus.

5. *Sine ulla autem.* Responsio, novi ita esse. Sed Melchisedech non tantummodo decimas accepit, sed etiam Abraham benedixit, ac per hoc sine ulla contradictione major eo est, quia minor a meliore semper benedicitur.

6. *Decimas morientes.* Quasi diceret : Per hoc non possumus approbare Melchisedech fuisse immortalem, id est, significasse immortalem, quia decimas Abraham accepit; quia hic etiam, id est, in lege et sacerdotio Levitico morientes homines decimas accipiunt. Sed ibi, hoc est ubi sine patre et matre sine initio et fine dierum Scriptura eum commemorat ; aperte contestatur ipsa Scriptura quia vivit, id est, viventem et immortalem significat.

7. *Si ergo consummatio.* Si inquit, lex consummata, id est, perfecta, non mutanda sed usque ad finem sæculi permansura ☧ ᛒ ☙, erat data per illud tempus quo constitutum est sacerdotium Leviticum, cur aliud sacerdotium subrogat? Quia enim simul, et ab eodem, et sub eadem sponsione utraque data sunt; quod de uno dicitur, de altero necesse est intelligatur. Tota enim ratio sic procedit : Si lex erat permansura, et sacerdotium, sed sacerdotium, transfertur, lex autem necesse est transferatur.

8. Ambros. *Si ergo consummatio.* Si consummatio, id est, perfectum sacerdotium Leviticum fuit, quid necesse fuit alium surgere sacerdotem? Si igitur sacerdotii translationem, necesse est et legis esse translationem ; neque potest sacerdos sine testamento esse.

9. Lanfr. *Secundum legem.* Christus non est factus sacerdos secundum legem Judæorum, quæ carnales observationes præcipiebat, quia non est de tribu Levi, unde sacerdotes eligi ipsa lex jubebat, sed secundum quod placuit virtuti divinitatis suæ, in qua et ex qua est vita insolubilis, id est, æterna, quæ morte interveniente non solvitur. Aliter. Non est factus sacerdos ut in sacrificiis observaret vel observari præciperet carnalia præcepta legis, sed spiritualem intelligentiam, quæ est virtus per quam datur vita insolubilis : *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat.*

10. Ambros. *Secundum virtutem*, id est, vitam in semetipso habens insolubilem. Quamvis enim ad tempus mortuus est carne, tamen in æternum divinitate vivit.

11. Lanfr. *Contestatur.* Probat auctoritate divina, quia secundum similitudinem Melchisedech, exsurrexit alius sacerdos.

12. Ambros. *Secundum ordinem Melchisedech.* Ordinem autem ejus multis modis interpretatur quod solus et rex fuit et sacerdos, ante circumcisionem functus sacerdotio, ut non gens ex Judæis, sed Judæi ex gentibus sacerdotium acceperunt.

13. Lanfr. *Infirmitatem.* Vetus lex infirma erat, quia cultoribus suis perfectam justitiam dare non poterat. Si enim cultores ejus perfecte justi essent, post mortem statim requiem habituri cœlum ascenderent. Sed erat per ejus observantiam justificatio nonnulla, peccatorum remissio aliqua, non tamen plena.

14. *Inutilem.* Inutile fuit post adventum Christi observare ea quæ ideo fiebant, ut ea quæ nunc fiunt, prædicerent esse futura.

15. Ambros. *Introductio.* Habuit quippe ex spem, sed non talem : sperabant enim bene placentes, et legem Dei custodientes possidere terram, nihil ærumnosum pati; evangelica autem præcepta custodientes, non terram sperant possidere, sed cœlum.

sacerdos in æternum)16, 17.in tantum 18.melioris testamenti 19.sponsor factus est Jesus. Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere? hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. 20. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per 21. semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis.Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et 22. excelsior cœlis factus; qui non habet necessitatem quotidie,quemadmodum sacerdotes,prius pro suis delictis hostias offerre deinde pro populi; hoc enim fecit semel se ipsum offerendo. 23. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo ejus jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

CAPUT VIII.

1.2.Capitulum autem super ea quæ dicuntur : Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, et tabernaculi veri quod fixit Dominus, et non homo. Omnis enim 3. pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur ; unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat. 4.Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos ; cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbræ deserviunt 5. cœlestium. Sicut responsum 219-220 est Moysi,cum consummaret tabernaculum : Vide, inquit, omnia facito secundum 6. exemplar quod tibi ostensum est in monte.Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et 7. melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset,non utique secundi locus inquireretur. 8. Vituperans enim eos dicit : Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda, testamentum novum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non per-

COMMENTARIUS.

16. *In tantum melioris.* Secundum quod juratum est de eo semper eum mansurum.

17. Lanfr. *In tantum.* In quantum superius dixi quia vita æterna promittitur, et non sine jurejurando.

18. *Melioris,* id est, Novi Testamenti, per cujus observantiam spem habemus eundi ad Deum.

19. *Sponsor.* Veteres sacerdotes promittebant cultoribus legis copiam frugum, longævam vitam, victoriam inimicorum, et cætera his similia. Jesus autem spondet spem per quam proximamus ad Deum, id est, vitam æternam, in qua videbimus Deum facie ad faciem. Vel sponsor est Novi Testamenti secundum divinitatem, quia omnia quæ Pater facit, et ipse facit.

20. Ambros. *Unde et salvare.* Quis est qui interpellat, nisi humanæ naturæ divinitati conjunctio, quam paterno solio advexit semper......... ad salvandum idoneos? Alii pontifices, quia semper non erant, semper non interpellabant ; hic non solum in hac vita salvat per interpellationem humanitatis suæ, sed etiam in futuro glorificat, dum tradet regnum Deo et Patri, et perducet sanctos ad visionem paternæ majestatis.

21. Lanfr. *Per semetipsum.* Ipse Salvator in Evangelio dicit : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV). Et alias : *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* X).

22. Ambros. *Excelsior factus.* Quia adorant eum omnes angeli Dei.

23. Lanfr. *Lex enim.* Ratio cur sacerdotes necessitatem habeant quotidie pro suis delictis sacrificandi; Christus autem non.

CAP. VIII. — 1. Ambros. *Capitulum autem.* Præcedentis dispositionis recapitulatio, ad rem ipsam deducens auditorem.

2. Lanfr. *Capitulum autem.* Capitulum est brevis

A sententia, ab eo sic nominatum quod breviter capiat totius rationis summam. Hoc autem capitulum incipit ab eo quod sequitur : *Talem habemus.* Et desinit ubi dicitur : *Non homo.*

3. *Pontifex.* Ad superiorem sententiam redit : *Hoc enim fecit semel offerendo.* Quasi diceret : Rationis fuit quod se obtulit, *quia omnis pontifex ad offerenda,* etc.

4. *Si ergo super terram esset.* Ratio cur Christus seipsum obtulerit, si, inquit, esset super terram quod pro peccatis totius mundi digne posset offerri, non esset sacerdos offerre dignus, et ideo mundus bene obtulit mundo.

5. *Cœlestium.* Cœlestia vocat præsentem Christi

B Ecclesiam, cujus pars est in cœlis ; pars secutura adhuc peregrinatur in terris. Hanc figurabant quæcunque in sacramentis Veteris Testamenti fiebant. Sicut alias : *Hæc omnia in figura contingebant illis.*

6. *Exemplar.* Exemplar vocatur, et illud quod fit, et illud ad cujus similitudinem aliquid fit, sicut species, imago, figura, similitudo.

7. *Melioris.* Melioris testamentum vocat præcepta evangelica, per quorum observantiam promittitur vera justitia et vita æterna, hoc est enim quod sequitur : *Quod in melioribus,* etc.

8. *Vituperans enim.* Probat prophetica auctoritate quia sæculi locus inquiritur. Quanta autem locorum et disputationum subtilitate hæ epistolæ plenæ sint, (licet ipse Apostolus in scribendo non curaret, ipse enim in sapientia verbi et subtilitate

C sermonum se non loqui alias testatur),perspicax lector poterit invenire. Summa disputationis sic se habet : *Si illud prius culpa vacasset, sæculi locus non inquireret, vituperans enim,* etc. Prius ergo culpa non vacavit, id est, hominem a culpa perfecte liberare non potuit, sicut econtra de Novo Testamento dicitur : *Mandatum sine macula;* et : *Lex Domini immaculata*.

manserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus, quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor. 9. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit prope interitum est.

CAPUT IX.

Habuit quidem et prius justificationes culturæ, et sanctum 1. sæculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur, Sancta sanctorum; aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ **221** fronduerat, et tabulæ testamenti, superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium; de quibus non est modo dicendum per singula. His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes; ita secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua et populi ignorantia, hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse 2. sanctorum viam, adhuc 3. priore tabernaculo habente statum. Quæ 4. parabola est temporis instantis, juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta 5. conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius 6. tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel 7. in Sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram 8. ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti 9. mediator est, ut 10. morte intercedente redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. 11. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim 12. in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lectio enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua, et lana coccinea et hyssopo ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum et **222** omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia

COMMENTARIUS.

9. *Dicendo autem novum.* Ita sunt inter se Novum A et Vetus, sicut magnum et parvum. Quotiescunque enim duæ res inter se conferuntur, si una vocatur nova, altera vetus; et econtra.

CAP. IX. — 1. LANFR. *Sæculare.* Sacrificium Judæorum vocat sæculare, vel quia transitorium, sicut omnia quæ hujus sæculi sunt, vel quia in modum temporis singulis annis eadem repetebantur.

2. *Sanctorum viam.* Sanctorum via est vel ipse Christus, vel spiritualis intelligentia legis.

3. *Priore.* Prius tabernaculum est carnalis intelligentia et observantia legis; secundum, spiritualis.

4. *Parabola est.* Allegoria Veteris Testamenti; hoc præsens tempus, in quo Ecclesia Christi fundatur et gratia Novi Testamenti prædicatur, significat.

5. *Conscientiam.* Juxta conscientiam dicit, vel quia legales hostiæ peccata cogitationum non purgabant, vel quia ab anima conscientiam perpetrati sceleris perfecte abstergere non poterant.

6. *Tabernaculum.* Tabernaculum quod Christus introivit, vocat cœlum, quod peramplius et perfectius est quam illud Judæorum tabernaculum quod vocabant Sancta sanctorum.

7. *In Sancta.* Exponit quod superius vocaverit tabernaculum non manufactum, videlicet sancta sanctorum cœlestia.

8. AMBROS. *Ab operibus.* Si quis tangebat corpus mortuum, polluebatur; et hic si quis tetigerit opus mortuum, contaminatur per conscientiam.

9. LANFR. *Mediator est.* In eo quod homo est, novi Testamenti mediator fuit; quia legem Dei hominibus attulit.

10. *Morte intercedente.* Christus mortuus est, non solum ut gentes, sed et Judæos, tam vivos quam mortuos, ad vitam æternam prædestinatos a prævaricationibus quas ipsi sub veteri lege commiserant, redimeret.

B 11. *Ubi enim testamentum.* Exponit causam cur Christus mortuus sit, videlicet quia testamentum conditurus erat. Testamentum autem nisi a moriente non conditur.

12. *In mortuis.* Secundum legales sæculi loquitur, in quibus præcipitur vivente testatore testamentum non esse ratum. Est autem testamentum, a quo ad divina testamenta similitudine ducitur, ordinatio

melioribus hostiis quam istis. 13. Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem 14. peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem, judicium; sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; 15. secundo 16. sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.

CAPUT X.

1. Umbram enim habens lex futurorum bonorum, 2. non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem 3. ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere; alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati, sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio; 4. in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam Superius dicens: quia [illegible] hostias, et oblationes, et holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam; aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Jesu Christi semel. 5. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero exspectans 6. donec ponantur inimici ejus 7. scabellum pedum ejus. Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos. 8. Contestatur autem nos et Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, 9. Dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas, et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato. Habentes itaque, fratres, fiduciam 10. in introitu Sanctorum in sanguine Christi, 11. quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen id est carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum

COMMENTARIUS.

hominis præcipientis quid post mortem ejus de rebus ipsius sit agendum.

13. *Non enim.* Exponit ipsas meliores hostias, quæ est una, id est corpus Christi

Visus [*f.*, usus] autem loquendi sic vellet: in manufactis sanctis exemplaribus verorum, vel in manufacta sancta exemplaria verorum.

14. *Peccati.* Peccati dicit pro peccatorum. Omnia enim peccata destruxit in his qui credituri erant.

15. Ambros. *Secundo apparebit.* Non enim tunc erat hostia pro peccato.

16. Lanfr. *Sine peccato.* Sine peccato dicit, sine similitudine carnis peccati. In primo enim adventu suo Dominus talem carnem gestavit qualem et cæteri homines qui peccatores erant; in secundo vero, in tanta gloria caro ejus apparebit quanta nec excogitari nec explicari ab aliquo mortalium potest. Potest etiam intelligi, sine peccato, sine hostia pro peccato; non enim tunc apparebit, ut peccata purget, sed damnet.

CAP. X. — 1. Lanfr. *Umbram enim.* Redit ad superiorem rationem, ubi dixit, legales hostias non posse facere servientem perfectum juxta conscientiam. Et est responsio, quasi diceret: cur dixisti peccata exhaurienda per Christum, et non per legem?

2. Ambros. *Non ipsam imaginem.* Hoc est enim ipsam veritatem.

3. *Ipsis hostiis.* Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus, sed ad reconciliationem mortis ejus, et una est hæc hostia, non multæ; hoc autem exemplar est illius quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem* (*Luc.* XXII).

4. *In capite libri.* Utique pastelii, ubi dicitur: *Beatus vir;* qui psalmus capitulum totius libri dicitur a quibusdam.

5. *Et omnis quidem.* Ministrare famulorum est; sedere vero dominorum.

6. *Donec ponantur.* Non solum inimici qui infideles sunt, sed etiam qui immunde vivunt. Prudentia enim carnis inimica est Deo.

7. Lanfr. *Scabellum.* Sub pedibus Christi erunt omnes qui sunt modo inimici ejus in die judicii, quia ad imperium ejus, aut conversi ibunt in vitam æternam, aut pertinaces perpetuam patientur gehennam.

B

8. *Contestatur*, id est, confirmat verba nostra, quibus asserimus una oblatione corporis Christi peccata penitus esse dimissa.

9. Ambros. *Dando leges.* Ista lex est charitas, ut quod nobis nolumus fieri, alteri non faciamus; et sicut in Evangelio dicitur: *Quæcunque vultis ut faciam vobis homines, eadem et vos facite eis* (*Matth.* VII, 12).

10. Lanfr. *In introitu.* Introitum vocat cœlum, quo sancti intraturi sunt redempti sanguine Christi.

11. *Quam initiavit.* Ordo: Quam viam novam quia nullus hominum ante illum cœlum ascendit, et viventem, id est, non deficientem, permanentem, quia usque ad finem sæculi ascensura sunt membra ejus: initiavit nobis Christus id est incepit vel dedicavit.

C

vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit), et consideremus, 12. invicem in provocationem charitatis et bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis 13. quanto videritis appropinquantem diem. 14. Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui 15. Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, **224** et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? 16. Scimus enim qui dixit : Mihi vindicta, et ego retribuam. Et iterum : quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis 17. passionum, et in altero quidem, opprobriis et tribulationibus spectaculum facti ; in altero autem, socii taliter conversantium effecti. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. Nolite itaque 18. amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet renumerationem. 19. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est, veniet, et non tardabit. Justus autem meus ex fide vivit ; quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus substractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

CAPUT XI.

1. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex 2. invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo ; per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo et per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus ; ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam 3. damnavit mundum et justitiæ, quæ **225** per fidem est, hæres est institutus. Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, et exiit, nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in alieno, in casulis habitando, cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus. Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. Propter quod et 4. ab uno orti sunt (et hoc emortuo) tanquam sidera cœli in multitudinem, et sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi ; nunc autem meliorem appetunt, id est,

COMMENTARIUS.

12. *Invicem.* Alter consideret quid boni alter faciat, non ut invideat, sed ut exemplum bonum inde sumat.

13. *Quanto videritis.* Diem dicit vel extremum judicii, vel temporalis afflictionis.

14. *Voluntarie.* Causam reddit cur charitas sit tenenda, et a malis sit cessandum ; dum enim voluntas peccandi est in nobis, nihil prodest hostia immolata pro peccatis nostris.

15. *Filium Dei.* Gratiam Filii Dei in semetipso conculcat, et sanguinem redemptionis pollutum, id est, peccata purgare non valentem putat : et Spiritui sancto, per quem confitenti peccata remittuntur, contumeliam facit, qui voluntarie in peccatis jacet.

16. *Scimus enim.* Superiorem sententiam probat : *Terribilis autem quædam.* etc.

17. *Passionum.* Passiones certaverunt contra eos, ut patientiam ipsi amitterent et fidem negarent.

18. *Amittere.* Confidentiam divinæ retributionis amittit, qui bonum deserit et malum facit.

19. *Patientia.* Ostendit quomodo non amittitur confidentia : *In patientia* enim, inquit, *possidebitis animas vestras.*

CAP. XI,— 1. LANFR. *Est autem fides.* Talis debet esse fides ut sperandas res in corde credentis faciat subsistere, etsi alius dubitet quod sine argumento possint esse : quod plerique divini eloquii tractatores fecerunt, probantes resurrectionem corporum et vitam æternam, multaque alia esse vel fuisse ex eo quod patriarchas, prophetas, apostolos, martyres constat ea credidisse.

2. *Invisibilis.* Invisibilia erant elementa ante mundi constitutionem.

3. *Damnavit mundum.* Per arcam Noe damnavit mundum ; quia tanto majus peccatum habuerunt homines, quanto majorem ejus in fabricanda arca instantiam videbant, et non credebant.

4. *Ab uno orti.* Ordo : Ab uno et hoc emortuo orti sunt tanquam, etc.

cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari eorum; paravit enim illis civitatem. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen 5. arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus; unde eum et 6. in parabolam accipit. Fide et de futuris benedixit Isaac, Jacob et Esau. Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit 7. fastigium virgæ ejus. Fide Joseph, moriens, de perfectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit. Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem et non timuerunt regis edictum. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans, thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis; invisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide celebravit Pascha et sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva tangeret eos. Fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram; quod experti Ægyptii devorati sunt. Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, **226** 8. Jephte, David, Samuel, et prophetis; qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum; 9. acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipient redemptionem, 10. ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt 11. in melotis, in pellibus caprinis, egentes, augustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt 12. repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

CAPUT XII.

Ideoque et nos tantam habentes 1. impositam nubem testium, deponentes 2. omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et 3. consummatorem Jesum, qui proposito sibi 4. gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad san-

COMMENTARIUS.

5. *Arbitrans quia.* Utrumque credidit Abraham, A et quia in Isaac semen habiturus esse, et placere Deo si ei ipsum Isaac immolaret; credidit enim quoniam mortuum Deus resuscitaret.

6. *In parabolam.* Aries qui inter vepres hærens cornibus repertus est, et Isaac unum Christum hominem et Deum significant. Per hoc igitur quod aries quidem est immolatus, Isaac vero morte subtractus, significatum est Christum secundum carnem passurum, secundum vero divinitatem, mortis discrimen non esse sensurum. Et hoc quod ait: in parabolam, id est allegoriam eum accepit. Ipsum enim prius ad moriendum dedit, sed post experimentum fidei reperto ariete ad videndum recepit. Hoc sibi propter fidem et obedientiam honore collato, ut per filii vitam, divinitatis significaretur a morte subtractio. B

7. *Fastigium virgæ.* Vel sceptrum ferebat Joseph more secundi a rege. Vel fastigium virgæ dicit altitudinem regiminis ejus, quam altitudinem Jacob adoravit, id est in summa veneratione habuit. Et hoc fide, quia a Deo factum esse credidit.

8. *Jephte, David.* Non ex eo ducitur Jephte in testimonium quod filiam occiderit, sed quod per fidem, adjuvante eum Deo, hostes superaverit.

9. *Acceperunt mulieres.* Ordo: Mulieres acceperunt, scilicet a sanctis Dei mortuos suos de resurrectione, id est, resurgentes, ut ab Elia unicum filium vidua Sareptana, et ab Eliseo Sunamitis.

10. *Meliorem invenirent.* Meliorem resurrectionem vocat excellentiorem gloriam in resurrectione, quanto enim magis quis patitur, tanto magis coronabitur.

11. *In melotis, in pellibus.* Vestimentum est ex pilis, ut aiunt, camelorum factum, quo vel caprinis pellibus quis in veteri populo Judæorum usus sit, aperte Scriptura non dicit: Joannes autem Baptista usus est.

12. *Repromissionem.* Beatitudine animarum recepta, resurrectio corporum, quam sanctis suis promisit Deus, ideo adhuc differtur, ut simul omnes resurgamus, quatenus, in communi gaudio omnium, majus fiat singulorum.

CAP. XII. — 1. LANFR. *Impositam nubem.* Multitudinem sanctorum vocat nubem, quia verbis pluunt et miraculis coruscant.

2. *Omne pondus.* Pondus vocat peccatum, sicut in psalmo: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; sicut onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII).

3. *Consummatorem*, id est, qui nos consummabit, id est, animæ et corporis perfectam beatitudinem dabit.

4. *Gaudio.* Vel regni cœlestis, vel regni terreni, quod sibi oblatum est.

guinem restitistis, adversus peccatum repugnantes, et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens. 5. Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. **227** Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus; quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, et reverebamur eos. Num multo magis obtemperabimus Patri spirituum et vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos; hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem 6. fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Propter quod, remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite 7. pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum; contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. 8. Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. 9. Non enim accessistis ad tractabilem montem et accensibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt excusaverunt se ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum et tremebundus. 10. Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis et judicem omnium Deum et spiritus justorum perfectorum et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem 11. melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus, cujus vox movit terram tunc, nunc autem repromittit, dicens: 12. Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et cœlum. Quod autem adhuc semel dicit, 13. declarat mobilium translationem **228** tanquam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est.

CAPUT XIII.

Charitas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite oblivisci; per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti, et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim, et adulteros judicabit Deus. Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus; ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam, ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor est; non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. 1. Jesus Christus heri, et hodie; ipse et in sæcula. Doctrinis variis, et pe-

COMMENTARIUS.

5. *Fili mi, noli.* In Proverbiis ita habetur: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, neque deficias cum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus corripit, et quasi Pater in filio complacet sibi.*

6. *Fructum pacatissimum.* Ordo: Fructum pacatissimum justitiæ, id est, quem justitia promeretur.

7. *Pedibus vestris.* Pedes vocat cogitationes, quæ tunc recte gradiuntur, cum bene credunt; tunc claudicant, cum errant.

8. *Scitote.* Ostensio quam fuerit Esau profanus, id est a conventu fidelium alienus.

9. *Non enim accessistis.* Quando lex data est Judæis, apparuit ignis tractabilis, id est, palpabilis, et accessibilis, in quo loquebatur Deus, et cætera terribilia quæ sequuntur. Non ita, inquit, in novæ legis latione factum est, omnia enim suaviter et dulciter indicantur vobis.

10. *Sed accessistis*, id est, ad altitudinem, in qua vel de qua videtur Deus. Sion enim *speculatio* interpretatur.

11. *Melius loquentem.* Aspersio sanguinis Abel clamat vindictam; aspersio sanguinis Christi misericordiam.

12. *Adhuc ego semel.* In Aggeo propheta sic: *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram* (*Agge.* II.)

13. *Declarat.* Per hoc quod dicit: Movebo, declaratur cœli et terræ translatio, id est, in alium statum transmutatio. Probat hoc vero, quod semel ostenditur, quod postea futura sunt immobilia. Quod vero dicitur: Ea quæ sunt, sic intelligendum est quasi diceretur: Id quod sunt. Quidquid enim erit sive in principalibus essentiis, sive extrinsecus sumptis, secundum id immobile erit.

CAP. XIII. — 1. *Jesus Christus heri et hodie.* Quasi diceret: Jesus Christus qui cum illis fuit, vobiscum est, et erit cum Ecclesia sua usque ad consummationem sæculi.

regrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, 2. non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis. 3. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. 4 Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci ; talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes ; hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis ; 5. confidimus **229** enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, 6. in sanguine testamenti 7. æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se, per Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo (si celerius venerit) videbo vos. Salutate omnes præpositos vestros, et omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

2. *Non escis.* Datur intelligi quosdam fuisse qui dogmatizarent peccatum non esse escis et voluptatibus affluere.

3. *Habemus altare.* Causa cur escis non sit immoderate affluendum. Cum sobrietate enim edendum est corpus Christi ; quod et in aliis divinarum locis Scripturarum altare vocatur, pro eo videlicet quod in ipso, id est, in fide ipsius, quasi in quodam altari oblatæ preces et operationes nostræ acceptabiles fiunt Deo.

4. *Quorum enim animalium.* Per duplicem allegoriam, unam Veteris, et alteram Novi Testamenti probat corpus Christi non esse edendum ab his qui tabernaculo deserviunt. Ad hoc enim corpora animalium horum extra castra cremabantur ; et propterea Christus extra portam civitatis Jerusalem passus est, ut nos qui corpore et sanguine ejus a peccatis mundari volumus, improperia et angustias passuri, tabernaculi delicias deseramus.

5. *Confidimus enim.* Causa cur orent pro eo, videlicet quod bonam conscientiam et ad eos et ad omnes [*sup.*, habeant].

6. *In sanguine.* Sanguinem more suo vocat mortem, per quam Christus de mortuis resurrexit. Nisi enim moreretur, nec ad inferos descenderet, nec ab inferis ascenderet.

7. *Æterni.* Æternum duobus dicitur modis, et quod initio et fine caret et quod tantum usque ad finem sæculi permanet, secundum quam significationem æternum hic ponitur, et per Moysen dicitur : *Dominus regnabit in æternum, et ultra* (*Exod.* xv).

Explicit Commentarius B. Lanfranci in Epistolas D. Pauli.

CLARISSIMUM VIRUM G. RATUM

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOREM,

A vicibus et pœnitentiis reverendissimi in Christo Patris ac domini D. Georgii Ambasiani, archipræsulis Rothomagensis,

FRANCISCUS QUADRATUS, BECCENSIS CŒNOBITA, SALUTAT.

230 Fere fit ut, cum aut ardua tentamus, aut ingenii nostri vires non probamus, eos summo nobis studio conciliemus quos rei nostræ usui futuros arbitramur. Ad te igitur theologorum oculatissime, liberius nostra progreditur epistola, ut quod nostro jure non possumus tuo munere consequamur. Ut autem ad nostri instituti scopum pervenias, paucis absolvam. Cum, hisce diebus, animi colligendi causa bibliothecam nostram revolvens, aliquid de Virginis assumptæ laudibus quærerem, ecce in manus nostras vetus quidam codex incidit, De corpore et sanguine Christi, in Berengarium quemdam hæreticum Lanfranco auctore conscriptus. Tum mihi persuadebam dignum quid accidisse, ætatique nostræ maxime necessarium, in qua et dispersi gregis Dominici fides enervatur et per pseudoapostolos ; ea est etiam apud domesticos controversia ut vix ullum civitatis alius desideratæ, id est, Christianæ pacis vestigium, aut simulacrum aliquod appareat. Ne igitur salutis frumentum a fideli populo maledictus absconderem, apud me tacitus cogitabam cuinam strenuo Christianæ militiæ duci, expertum Christi militem hactenus neglectum, longoque carcere, nec non incuria fere victum mitterem. Mihi itaque, tantum scelus non ferenti, venit in mentem tui nominis, qui rudioribus tirunculis evangelici lactis pabulum uberrimum indefessus porrigis, ut nimiam adulterantis aridique sæculi

sterilitatem,scaturientis inde sacri liquoris humore, ad fructum Deo dignum proferendum,renoves,quique, superbia stultorum dogmata ad angularem illum lapidem diligenti examine confutans,eliminas.Quid, dum hæc cogito? Num felix, o Rothomagensium civitas, quæ tantum cum archiepiscopo rectorem meruisti? Gravat animum cordis excessus? Accede cum fiducia, et dulce pharmacon, ut ratus, ita prudens medicus offeret. Ea est enim apud te, aut nusquam, recuperandæ salutis ratio, si mentem simplicem attuleris. Felix rursum mihi appellanda es, quæ, hujus viri dignis ornatisque declamationibus erudita,plane Christianam veramque innocentiæ puritatem retines. Illa enim (si qua fuit in te vis orandi concionandique facultas, nisi ad eas exercitationes non tam regio favore quam suis id postulantibus meritis delegatus fuisset, salvo cujusque jure loquar, pene exaruisset. Quod si enim retines corpore, diffusa per orbem Ecclesia sentit præsentem absentis discipuli fidem, doctrinam miratur, gaudet se fortissimum in eo propugnaculum reperisse. Hæc, ut ad te, vir ornatissime, revertar, mecum revolvens, ardeo cupiditate incredibili, neque arbitror reprehendenda, ut hoc qualecunque opus suscipias; nam ipsissimum te judicavi fore cujus salubri consilio, gravi auctoritate, adducti cæteri sacræ theologiæ professores meæ exspectationi facerent satis, et idem opusculum typis commendatum iri, vel libenter admitterent. Erit revera non alienum a tua dignitate, quod ipsis etiam regibus est honestissimum, si hoc ipsum contra domesticos Christianæ veritatis hostes defensare studueris, mihi quoque (citra fastum dixerim) gloriosum si meis ineptiis motus, ad multorum utilitatem divulgandam susceperis. Verum me, audax egregiumque facinus aggredientem (ut qui te Christianæ puritatis, ac totius litteraturæ unicum specimen, eisdem ineptiis conabar allicere) pudor quidam subrusticus hactenus deterruit. Sed gaudeo plane id fortunam attulisse quod novum hunc temporeque natum Christianæ veritatis defensorem, novus salutator, apud tantum virum (vel hac præfatiuncula) commendarem. Novum dixi, propter eos qui vel Desiderii Erasmi, vel nescio cujus opera hoc jam editum esse mentiuntur, certe non exstat. Sed ne multis nauseam provocem, auctoris vitam sciens prætereo, rem et Deo et hominibus gratissimam facturus si tua auctoritate, opera, consilio, etiam gratia, libellum ob Christianæ veritatis defensionem, semel in lucem emiserim. Eoque flagrantius urget hujus rei desiderium quo et vim patientibus contra hæreseos inveteratæ falsa dogmata, fidem faciat testis Barbatus, et ad eorum qui hactenus pugnarunt, subsidium inconcussus miles, hostium tela in suos auctores rejiciat. Et quamvis hoc ipsum zelo fidei motus prosequar, non tamen is sum qui nesciam quosdam fore qui memet temerarium clamitabunt quod, rudis bonarumque artium expers, hoc opusculum, apud tantum virum, commendandum susceperim, cujus etiam ipsa litterarum elementa mihi adoranda sint. Verum falsone an merito id fiet, tuum erit judicium. Ego vero cuncta lætus susquedeque feram, si laborem probaveris. Sin indignus te videbitur, ab optimo certe ac deditissimo tibi animo et sincere et jucunde susceptum putes. Vale.

Ex ædibus nostris Beccensibus, anno D. 1540, pridie Kalend. Febr.

BEATI LANFRANCI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI

ADVERSUS BERENGARIUM TURONENSEM

LIBER.

231 CAPUT PRIMUM.

LANFRANCUS, misericordia Dei catholicus, BERENGARIO catholicæ Ecclesiæ adversario.

Si divina pietas cordi tuo inspirare dignaretur quatenus respectu ejus atque animæ tuæ mecum loqui velles, locumque opportunum in quo id competenter posset fieri salubri deliberatione eligeres, multum fortasse tibi, proculdubio autem iis consuleres quos decipis, deceptos vero ac morte præventos in pœnas æternas transmittis. Etenim cooperante Spiritu, qui ubi vult spirat, evenire e duobus alterutrum videlicet ut aut tu ipse, deposito superbiæ fastu quo plenus contra orbem terrarum sentire cœpisti, auctoritati totius sanctæ Ecclesiæ rectisque sanctarum Scripturarum expositionibus acquiesceres, et sic te ac sequaces tuos de tenebris erroris ac profundo iniquitatis erueres, aut, te in tua pertinacia persistente, ipsi auditis rationibus miserante Deo resipiscerent, et ad veram fidem, quam sancta Ecclesia prædicare non cessat, consilio meliore

A redirent. Sed quia elegisti pravitatem, quam semel imbibisti, clandestinis disputationibus apud imperitos tueri, palam autem, atque in audientia sancti concilii orthodoxam fidem non amore veritatis, sed timore mortis confiteri, propterea refugis me, refugis religiosas personas, quæ de verbis tuis ac meis possint ferre sententiam. In quarum præsentia de nulla re te audire tecumque conferre libentius vellem quam quod sententias tuis sententiis commodas plectenda temeritate confingis, easque seu studio nocendi, seu ignorantia veri, sacris doctoribus attribuis dicens: Hoc vel hoc in illo, seu illo opere testatur Augustinus, Gregorius, Hieronymus, vel quilibet eorum quos in arce auctoritatis positos Ecclesia Christi insigniter veneratur. Ibi enim conquiesceret omnis versuta tergiversatio, cum sacri B codices te audiente legerentur, vel tibi ad legendum in manus traderentur, cœlestique lampade splendidius eniteret quædam, quæ de Scripturis sanctis te sumere nonnunquam dicis; aut penitus esse falsa,

aut aliqua ex parte, prout ratio tui negotii postulat, depravata. Per quam diabolicam fallaciam ignaras divini mysterii mentes tibique credulas invadis, decipis, subruis, tanto iniquior quanto in malo proposito ad eorum qui tibi in Christo fratres sunt subversionem et scandalum pertinacior, parvipondеrans verba Domini comminantis ei qui de pusillis suis aliquem scandalizat (*Matth.* XVIII, 6), nec satis tremens increpationem Apostoli, ad superbam Corinthiorum gentem scribentis et dicentis : *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis* (*I Cor.* VIII, 12). Quo peccato plurimum detineris, subvertens eos qui, nescientes tibi resistere, contemplantur ea quæ videntur, non ea quæ non videntur. Sed firmum fundamentum Dei stat immobile, habens signaculum, quo discedit ab iniquitate, quia invocat nomen Domini, nequaquam sine gravi scandalo ferens quod non es contentus **232** ut perversus perversa dicas, nisi etiam prava scripta per pravos discipulos tuos in diversas regiones transmittas. Et cætera quidem a beatæ memoriæ Nicolao, totius Christiani nominis summo pontifice, et a centum tredecim episcopis Romæ audita, examinata atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti concilii in eum conjecisti, jurans, per id quod rebus omnibus incomparabiliter majus est, fidem, a Patribus qui præsentes erant traditam, inviolabiliter te servaturum, veteremque doctrinam tuam de corpore et sanguine Domini, ab illa die, aliis non prædicaturum. Hujus propositi sacrilegus violator contra præfatam synodum, contra catholicam veritatem, contra omnium Ecclesiarum opinionem scriptum postea condidisti, cui in hoc opusculo, confisus de Christi misericordia, respondere disposui. Et ut evidentius appareat quid tu dicas, quid ego respondeam, alterutras sententias vicaria nostrorum nominum positione distinguam. Nec ad omnia responsurus sum, quia spinis rosas interseris, et albis atque nigris coloribus phantasma tuum depingis, quædam etiam dicis quæ nihil pertinent ad propositum quæstionis. Compendio autem in quantum potero, operam dabo. In talibus enim næniis nollem vitam deterere, si populum Dei antiquam permitteres pacem habere.

CAPUT II.

BERENGARIUS : « Scriptum Humberti Burgundi « quem fecerant Romæ episcopum cardinalem, quod « scripsit contra catholicam veritatem quod inferius patebit, ut cogeretur illud Berengarius, et « quasi profiteri errorem ineptissimi Burgundi. »

LANFR. Humbertum virum fuisse religiosum, fide Christiana et sanctissimis operibus perseverantissime decoratum, scientia divinarum ac sæcularium litterarum apprime eruditum testantur omnes qui vel propria experientia eum noverunt, vel ab aliis qui ipsum experti sunt, ejus cognitionem acceperunt. Hunc, non de Burgundia, sed de Lotharingia sanctus Leo Romam traduxit, ad prædicandum Siculis verbum Dei archiepiscopum ordinavit, postea vero sancta Romana Ecclesia præsulem sibi cardinalem constituit. Quo in loco positus taliter vixit, taliter docuit ut de fide vel doctrina ipsius nec saltem sinistræ suspicionis fama aliquando exorta sit. Hujus rei testis est tota fere Latinitas, quæ pro excellentia apostolicæ sedis, cujus conciliis et consiliis semper aderat ac præerat, eum ignorare non potuit. Qui si etiam Burgundus esset, insipienter tamen arrogantia tua nomen suæ gentis pro infamia sibi ascriberet, cum Spiritus Domini ubi vult spiret (*Joan.* III, 8), et quem vult aspiret, et Domini sit terra, et universi qui habitant in ea (*Psal.* XXIII, 1), et princeps apostolorum dicat : *In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam acceptus est illi* (*Act.* X, 34, 35). Item doctor gentium ad Galatas : *Deus personam non hominis accipit* (*Gal.* II, 6). Quem dum contra catholicam veritatem scripsisse asseris, non ipsum solum, sed et Romanos pontifices, Romanam Ecclesiam multosque sanctos Patres redarguis, incurrisque in illud quod beati doctores, si non eisdem verbis, eisdem tamen sententiis multis in locis concorditer astruxerunt, hæreticum esse omnem hominem qui a Romana et universali Ecclesia, in fidei doctrina, discordat. Evenitque tibi justo Dei judicio ut qui alios esse hæreticos astruere conaris, tu ipse in hæresim devolutus, esse hæreticus convincaris.

BERENG : « Anathematizo omnem hæresim, præci« pue eam quæ astruere conatur panem et vinum, « quæ in altari ponuntur, post consecrationem so« lummodo sacramenta esse, et non verum corpus « Christi et sanguinem. »

LANFR. Principium hujus tui jurisjurandum propterea, ut opinor, hic non inseruisti, ut lectores tui putarent hæc verba non esse tua, sed venerabilis Humberti episcopi. Nec id injuria. Nam quia hæretica esse pertinaciter probare contendis, si manifeste tua diceres, manifeste te ipsum hæreticum comprobares. Sed ne quis nescius Romani concilii indiscretam de negotio ferat sententiam, principium ejus medium atque finem simul hic apponam.

« Ego Berengarius, indignus diaconus Ecclesiæ « Sancti Mauricii Andegavensis, cognoscens veram « catholicam et apostolicam fidem, anathematizo « omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus « infamatus sum, quæ astruere conatur panem et « vinum quæ in altari ponuntur, post consecratio« nem solummodo sacramentum, et non verum « corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi « esse, nec posse sensualiter in solo sacramento « manibus sacerdotum tractari, vel frangi, aut fide« lium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ « Romanæ et apostolicæ sedi, et ore et corde pro« fiteor de sacramentis Dominicæ mensæ eam fidem « tenere quam dominus et venerabilis papa Nico« laus, et hæc sancta synodus auctoritate **233**

« evangelica et apostolica tenendam tradidit, mihi« que firmavit; scilicet panem et vinum quæ in « altari ponuntur, post consecrationem non solum « sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, et sensua« liter non solum sacramento, sed in veritate ma« nibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium den« tibus atteri, jurans per sanctam et homousion « Trinitatem, et per hæc sacrosancta Christi Evan« gelia. Eos vero qui contra hanc fidem venerint, « cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno ana« themate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse « aliquando aliquid contra hæc sentire aut prædi« care præsumpsero, subjaceam canonum severitati. « Lecto et perlecto sponte subscripsi. »

Ad hæc Gregorii septimi tempore cum in templo Salvatoris de his sermo haberetur, quorumdam tui similium stipatus agmine, erroris magister perseverabas. Tum cœlestis Patris Spiritu in animum instillante reversus, speratam veniam apostolica miseratione consecutus es, jurans et ea quæ sequuntur.

« Ego Berengarius corde credo et ore confiteor « panem et vinum, quæ ponuntur in altari, per « mysterium sacræ orationis et verba nostri Re« demptoris substantialiter converti in veram, et « propriam, vivificatricem carnem et sanguinem « Jesu Christi Domini nostri, et post consecratio« nem esse verum corpus Christi, quod natum est « de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in « cruce pependit, et quod sedet ad dextram Patris; « et verum sanguinem Christi, qui de latere ejus « effusus est, non tantum per signum et virtutem « sacramenti, sed in proprietate naturæ et veritate « substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, et ego « legi, et vos intellexistis. Sic credo, nec contra hanc « fidem ulterius docebo : sic me Deus adjuvet, et « hæc sacra Evangelia. »

Postea præcipit idem pontifex tibi Berengario, ex auctoritate Dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ut de corpore et sanguine Domini ulterius cum aliquo disputare non præsumeres, excepta causa reducendi ad hanc fidem eos qui per tuam doctrinam ab ea recesserant.

Cum autem sub Nicolao venisses Romam, fretus iis qui plus impensis a te beneficiis quam ratione a te audita opem tibi promiserant, non ausus defensare quod antea senseras, postulasti Nicolaum pontificem ejusque concilium, quatenus fidem quam teneri oporteret verbis tibi traderet, scriptura firmaret. Injuncta est hujus rei cura Humberto episcopo.

Itaque verba fidei superius comprehensa scripsit, assensu omnium ad legendum et confitendum tibi tradidit. Tu vero acquiescens accepisti, legisti, confessus te ita credere jurejurando confirmasti, tandem manu propria subscripsisti.

Nicolaus papa, gaudens de conversione tua, jusjurandum tuum scriptum misit per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, et ad quæcunque loca fama tuæ pravitatis antea potuit pervenire Ut sicut Ecclesiæ scandalizatæ prius dolebant de te a veritate averso, atque ita postea gauderent gratiasque Deo agerent de reverso atque converso. Cur ergo scriptum hoc magis ascribitur Humberto episcopo quam tibi, quam Nicolao pontifici, quam ejus concilio, quam denique omnibus Ecclesiis quæ id cum debita reverentia susceperunt, et pro conversione tua Deo gratias retulerunt? Cur inquam, nisi quia facilius persuades imperitis potuisse unum hominem errare quam tot personas, tot Ecclesias? Tibi vero si ascripsisses, cum ipsum destruere moliaris, perjurum te esse astruere videris. Sed jam qualiter redarguis videamus.

CAPUT III.

Bereng. « Apparet quia lux in tenebris lucet, et « tenebræ eam non comprehenderunt. »

Lanfr. Hoc rectissime in te retorqueri potest. Lucet namque lux fidei in tenebris hujus mundi, quantum per speculum et ænigma, revelante Deo, possumus contueri ; verum hanc lucem tenebrosa mens tua nequit comprehendere, despectis cæteris, putans se solam sapientem esse, evanescens in cogitationibus suis, stulta facta apud Deum.

Bereng. « Quia veritatis inimicus, velit nolit, « veritatem asserat. »

Lanfr. Parum videris attendere quid dicas, tantum ut servum Dei illatis opprobriis in contemptum adducas.

Assertorem Veritas, tam volentem quam nolentem, inimicum pariter constituis veritatis. Quisquis autem veritatem asserit, aut volens, aut nolens id agit. Nihil enim medii poterit reperiri. Omnis igitur assertor veritatis, te auctore, inimicus est veritatis. Sed absit. Ipsa namque Veritas assertores suos plurimum distanti nomine in Evangelio vocat dicens : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* XV, 15) ; Et alibi : *Vos amici mei eritis* (*Ibid.*, 14). Falsum est ergo assertorem veritatis, tam volentem quam nolentem, inimicum constituere veritatis.

Bereng. « Quia, sicut Goliath, proprio Burgun« dus ense depereat. »

Lanfr. Tui moris est alios deprimere, te efferre, te jactare, de te magna sentire. **234** Te quidem David, Humbertum vero Goliath appellas. Et quidem rectius te nominasses Goliath, quia homo arrogantissimus es, et ea sentis, scribis et loqueris quibus tu ipse velut ense proprio juguleris ; illum vero David, qui humiliter vixit, humiliter docuit, membrum Ecclesiæ, pugnans pro Ecclesia, assumens scutum fidei et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI, 17).

CAPUT IV.

Bereng. « Erat autem Burgundus in sententia, « imo vecordia vulgi, Paschasii atque Lanfranci, « minime superesse in altari post consecrationem « substantiam panis atque vini. »

Lanfr. Tempore sancti Leonis papæ, delata est hæresis tua ad apostolicam sedem. Qui cum synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo episcoporum, abbatum, diversique ordinis a diversis regionibus religiosarum personarum, jussum est in omnium audientia recitari quas mihi de corpore et sanguine Domini litteras transmisisti. Portitor quippe earum legatus tuus, me in Nortmannia non reperto, tradidit eas quibusdam clericis; quas cum legissent, et contra usitatissimam Ecclesiæ fidem animadvertissent, zelo Dei accensi quibusdam ad legendum eas porrexerunt, plurimis earum sententias verbis exposuerunt. Itaque factum est ut non deterior de te quam de me fuerit orta suspicio, ad quem videlicet tales litteras destinaveris, putantibus multis me fovere ac favere quæ a te dicerentur, vel gratia qua te diligerem, vel fide qua revera ita esse non dubitanter tenerem. Igitur cum a quodam Remensi clerico Romam perlatas recitator legeret, intellecto quod Joannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communis de eucharistia fidei adversa sentires, promulgata est in te damnationis sententia, privans te communione sanctæ Ecclesiæ, quam tu privare sancta ejus communione satagebas. Post hæc præcepit papa ut ego surgerem, pravi rumoris a me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris auctoritatibus quam argumentis probarem. Itaque surrexi, quod sensi dixi, quod dixi probavi, quod probavi omnibus placuit, nulli displicuit. Dehinc declarata est synodus Vercellensis, quæ proximo Septembri eodem præsidente pontifice est celebrata Vercellis. Ad quam vocatus non venisti; ego vero præcepto ac precibus præfati pontificis usque ad ipsam synodum secum remansi. In qua, in audientia omnium qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti liber De eucharistia lectus est, ac damnatus, sententia tua exposita ac damnata, fides sanctæ Ecclesiæ, quam ego teneo et tenendam astruo, audita et concordi omnium assensu confirmata. Duo clerici qui legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim aditu defecerunt et capti sunt. Ab hac sententia nunquam discessit sanctus Leo in omnibus conciliis suis, seu quibus ipse suam præsentiam exhibuit, seu quæ per legatos suos in diversis provinciis congregari instituit. Quæ sententia non effugit successorem quoque suum felicis memoriæ papam Victorem. Sed quidquid de hac re seu cæteris ipse statuit, statuive præcepit, hoc etiam iste sua atque omnium conciliorum suorum auctoritate firmavit. Denique in concilio Turonensi, cui ipsius interfuere ac præfuere legati, data est tibi optio defendendi partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non auderes, confessus coram omnibus communem Ecclesiæ fidem jurasti, ab illa hora te ita crediturum sicut in Romano concilio te jurasse est superius comprehensum. Porro quid de hac re tempore Nicolai gestum sit, breviter supra reseravi. Digrediendo hæc ideo dixi, quia dixisti: Erat autem Burgundus in sententia vulgi, Paschasii, atque Lanfranci. Nam cum catholica Ecclesia dividatur in clericalem ordinem atque laicalem, clericalis vero ordo consistat in episcopis ac reliquis Christi sacerdotibus, aliisque diversarum dignitatum ecclesiasticis personis, hos autem omnes, præter paucissimos schismaticos, hanc fidem tenere manifestissimum sit, rectius dixisses: Erat autem Burgundus in sententia catholicæ Ecclesiæ, sed non in mea, meorumque sequacium, qui maluimus nos ab ea superbe separare, et contra ad nostram perniciem schisma facere quam humiliter membra ejus esse, et communem cum ea fidem salubriter retinere. Hoc revera dixisses, si amator veritatis servator et justitiæ exstitisses, si, abjecto inanis gloriæ appetitu, peccata tua confiteri quam tueri maluisses.

Quod vero sententiam qua panem in veram Christi carnem, et vinum in verum Christi sanguinem converti credimus, vecordiam nominas; de hac re opportunius tibi respondebo, cum fidem hanc, auctore Deo, divinis auctoribus et manifestis rationibus veram esse monstravero. Porro autem quod dicis, Erat autem Burgundus in sententia vulgi, Paschasii, atque Lanfranci, me etiam cum vulgo deputas, certissimum **235** habeto tu, indubitanter credant amici mei, atque Ecclesia Christi, quasi etiam deesset mihi auctoritas, atque ratio, quibus fidem meam tueri possem; mallem tamen cum vulgo esse rusticus et idiota catholicus quam tecum existere curialis atque facetus hæreticus. Sed si Dominus Deus te atque me in audientia sancti concilii dignaretur conjungere, de pietate ejus confido quia mutares verba, mutares sententiam.

Bereng. « Quam sententiam superioribus suis « verbis ille ipse dejecit, nec attendit. »

Lanfr. Dum insatiabili odio illum insequeris, et ipsum turpiter infamare minime erubescis. Quisquis enim contraria jurat, necesse est in alterutro perjurii crimen incurrat. Ergo, cum verba ad jurandum tibi tradita inter se contraria esse astruas, manifesta voce perjurum te esse impudenter proclamas. O infelix homo! o miserrima anima! cur te credere jurabas, quæ tantopere inter se dissidere intelligebas? nonne præstabat, si veram fidem te habere putabas, vitam honesta morte finire quam perjurium facere, perfidiam jurare, fidem abjurare? Sed absit, ut scriptura sancti concilii aliqua inter se contrarietatis oppositione dissideat, si, remoto calumniandi studio, diligens lector ad intelligendum curam impendat! Et hoc posterius patebit.

CAPUT V.

Bereng. « Qui enim dicit: Panis et vinum altaris « solummodo sacramenta sunt; vel panis et vinum « altaris solummodo sunt verum Christi corpus et « sanguis, modis omnibus panem et vinum superesse « constituit. »

Lanfr. Nihil horum Romana synodus credendum

esse decrevit, nec Humbertus episcopus ad confi- A tendum vel jurandum horum tibi aliquid tradidit. Prior quidem sententia, per quam dicitur : Panis et vinum altaris solummodo sacramenta sunt, tua est, tuorumque sequacium. Posterior vero quæ enuntiat: Panis et vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus et sanguis, nullius hominum est. Nam et tu veritatem carnis ac sanguinis negas, et Ecclesia Christi, sic panem in carnem, vinum credit converti in sanguinem, ut tamen salubriter credat et veraciter recognoscat sacramentum esse Dominicæ passionis, divinæ propitiationis, concordiæ et unitatis, postremo assumptæ de Virgine carnis ac sanguinis singula suis distinctisque modis, de quibus suo loco ac tempore evidentius dissеretur. In præsentia tantum suscepi ostendere verba Romani concilii, quæ B te servaturum jurejurando firmasti, nulla a se invicem contrarietate differre. Arguentibus enim te amicis ac necessariis tuis quod aut non servanda jurare non debueris, aut jurata servare, infamare soles Nicolaum pontificem reliquosque Patres Romani concilii, videlicet quod, docentes ac scientes contraria, tui fuerunt causa perjurii. Id quoque in hoc opusculo, quod destruendum suscepi, ubique fere laboras efficere ; propterea conferenda sunt verba tua verbis eorum.

Nicolaus papa, comperiens te docere panem vinumque altaris, post consecrationem, sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere, concessa tibi, sicut superius dictum est, respondendi C licentia, cum non auderes pro tuæ partis defensione aliquid respondere, pietate motus ad preces tuas præcepit tradi scripturam tibi quam superius posui. Ejus principium hoc erat :

« Ego Berengarius anathematizo eam hæresim, « de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere « conatur panem et vinum, quæ in altari ponuntur, « post consecrationem, solummodo sacramentum, « et non verum corpus et sanguinem Domini nostri « Jesu Christi esse. »

Rectissime id quidem, et ipse præcepit, et synodus assensit, et tu exsecutus es, si labium dolosum in corde et corde locutus non fuisses, si ad pristinum vomitum et ad volutabrum luti infeliciter perjurus postea non redisses. Sacrorum namque canonum auctoritate instruimur, ut nemo, ab hæresi D revertens, ecclesiasticæ communionis particeps esse permittatur, quoadusque perversum dogma vinculo anathematis damnare compellatur. Verum in his verbis, nec verba tua superius posita, nec eorum sententias quisquam poterit invenire. Unde apparet perversorem ac subversorem te esse divinarum litterarum, et ex depravatis fictisque sententiis erroris nebulas spargere imperitis, falsumque esse quod ex falso principio constiterit emanare.

CAPUT VI.

Bereng. « Sicut enim qui dicit : Christus est summus angularis lapis, Christum non aufert, Christum esse omnino constituit ; ita qui dicit : Panis « altaris solummodo est sacramentum, vel : Panis « altaris solummodo est verum corpus Christi, panem « in altari esse non negat, panem et vinum esse « confirmat in mensa Dominica. »

236 Lanfr. Verum adnecteres, si ignarus veritatis priorem propositionis partem quisquam statueret, nisi forte figurato locutionis modo verbum illud proferret. Solemus enim aliquas res illarum rerum, ex quibus efficiuntur, nominibus appellare, quamvis, in aliam naturam translatæ, jam non possint esse illud quod sunt res illæ ex quibus probantur effectæ. Sicut beatus Augustinus (*in psal.* CXLVII) in extremo psalmorum explanationis opere, « cristallum » vocat « nivem multorum annorum duratam tempore, et serie sæculorum, » cum nix sit liquida et humida, cristalli vero natura existat dura et sicca. Ac per hoc cum tam diversæ naturæ sint in utrisque non recte quis cristallum nivem vocaverit, nisi eo locutionis modo quo res effecta materiali solet nomine appellari. Et Creator ex terra creato primo homini in Genesi dicit : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Quasi diceret : Quia factus es ex terra, quandoque fies terra, et reverteris in terram.

Verumtamen, ut dixi, has sententias nemo catholicus recipit, Christiana eas religio non admittit. Nam priorem tuam esse tantum, tuæque sectæ, nemo qui ambigat. Posteriorem vero neque tu recipis, qui carnis ac sanguinis negator existis, neque nos, qui sic utrumque fatemur ut tamen multarum et excelsarum rerum figuram ac sacramentum esse minime abnegemus. Porro similitudo, quam de Domino Jesu Christo et lapide angulari posuisti, te impedit, nos expedit. Sicut enim qui dicit : « Christus est lapis angularis, » non revera Christum lapidem esse constituit, sed propter aliquam similitudinem, quam ad se invicem gerunt, ei nomen imponunt ; eodem modo cum divina pagina corpus Domini panem vocat, sacrata ac mystica locutione id agit, seu, quoniam ex pane conficitur ejusque nonnullas retinet qualitates ; seu, quia animam incomprehensibiliter pascendo satiat eique æternæ vitæ substantiam subministrat ; vel, quod corpus est Filii Dei, qui est panis angelorum, *et in quem*, sicut ait princeps apostolorum, *desiderant angeli prospicere* (*I Pet.* I, 2) ; seu, aliquo alio modo qui a doctioribus comprehendi potest, a nobis non potest.

CAPUT VII.

Bereng. « Non enim constare poterit affirmatio « omnis, parte subruta ; et hoc, sicut dicit beatus « Augustinus in libro De doctrina Christiana : « In « ipsa æternitatis veritate, quæ Deus est, indissolu- « biliter constat. »

Lanfr. Relictis sacris auctoritatibus, ad dialecticam confugium facis. Et quidem de mysterio fidei auditurus ac responsurus quæ ad rem debeant pertinere, mallem audire ac respondere sacras auctoritates quam dialecticas rationes. Verum contra hæc

quoque nostri erit studii respondere, ne ipsius artis inopia me putes in hac tibi parte deesse; fortasse jactantia quibusdam videbitur, et ostentationi magis quam necessitati deputabitur. Sed testis mihi Deus est, et conscientia mea, quia in tractatu divinarum litterarum, nec proponere, nec ad propositas respondere cuperem dialecticas quæstiones vel earum solutiones. Etsi quando materia disputandi talis est ut [*f.*, per] hujus artis regulas valeat enucleatius explicari, in quantum possum, per æquipollentias propositionum tego artem, ne videar magis arte quam veritate sanctorumque Patrum auctoritate confidere, quamvis beatus Augustinus, in quibusdam suis scriptis, et maxime in libro De doctrina Christiana, hanc disciplinam amplissime laudet, et ad omnia quæ in sacris litteris vestigantur plurimum valere confirmet.

Denique contra Felicianum hæreticum Arianum contendens (cap. 4), ita hac arte eum conclusit, ut ipse hæreticus, non valens ferre locorum ac syllogismorum implicitas atque implicantes connexiones publica voce exclamaret dicens : « Aristotelica mecum subtilitate contendis, et omnia quæ a me dicuntur, torrentis more, præcipitas. » Igitur superius volens astruere panem vinumque altaris inter sacrandum essentialiter non mutari, duo quædam pro argumentorum locis assumpsisti, quorum unum tantummodo esse tuum, alterum nullius hominum manifestis rationibus approbavi. In qua re magno vitio rem prædictam effecisti. Nam quod tuum erat, quæstio erat. Ex eo quippe quærimus id opprimere atque evertere omnium argumentorum mole, atque impulsu satagimus. Porro nulla quæstio locus esse poterit argumenti. Argumenti quippe locum necesse est, aut per se esse certum, aut certis rationibus approbatum. Quod ergo tantummodo tuum erat, ad probandam rem dubiam assumi minime oportebat. Reliquum vero quod nullius hominum esse consistit, ne id quidem dubiæ rei fidem facere aliqua ratione oportuit. Quis enim certum esse aut certum fieri posse arbitretur quod omnes negant, nullus confitetur? Igitur ne id quidem ad argumentum sui rationis fuit. Male ergo utrumque posuisti. His duobus vitiosissimis principiis totam argumentationem tuam identidem repetendo ad finem **237** usque contexis. Ac propterea necesse est vitiosum, nec concedendum esse quidquid ex vitiosis, nec concessis principiis constiterit emanare.

Adhuc alio argumento probare contendis panem vinumque post consecrationem in principalibus permanere essentiis, dicens : « Non enim constare « poterit affirmatio omnis, parte subruta. » Ad cujus rei probationem non oportuit inferri particularem negationem, qua de præsenti quæstione nihil colligitur, sed universalem potius, per quam enuntiatur, nulla affirmatio constare poterit parte subruta. Age, enim particularis sit negatio tua, non omnis affirmatio constare poterit parte subruta ; rursus assumptio tua : Panis et vinum altaris solummodo sunt sacra-

A mentum, vel panis et vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus et sanguis, utrumque affirmatio est. His duabus particularibus præcedentibus, poterisne regulariter concludere, parte subruta, ea non posse constare? Absit! In nulla quippe syllogismorum figura, præcedentibus duabus particularibus consequenter infertur conclusio ulla. Male igitur eam collocasti. Illud vero perfunctorie non est prætereundum quod præfatæ propositionis tuæ veritatem in ipsa æternitatis veritate, quæ Deus est, indissolubiliter constare perhibuisti, idque beati Augustini, De doctrina Christiana, auctoritate firmasti. Et quidem propositio ipsa vera est, veræque propositionis vim suo loco posita obtineret; sed tu male et inefficaciter eam posuisti. Nec ejus magis quam om-

B nium tam rerum quam aliarum propositionum veritas, apud veritatem omnia scientis ac præscientis Dei æternaliter constat, qui et res ipsas in principalibus ac secundis essentiis condidit, easque tam verarum quam falsarum propositionum causas esse disposuit. Verumtamen, in opere De doctrina Christiana, nec hujus propositionis, nec alicujus ejus similis beatus Augustinus aliquo in loco mentionem fecit ; quod facile quivis scire poterit, si curet ipsum librum legere, si nunquam legit; vel relegere, si fortasse jam legit. In qua re vehementer miror sive errorem, sive stultitiam tuam. Errorem quidem, si prolata testimonia in sacris codicibus aut aliter esse, aut penitus non esse ignoras; stultitiam vero, si ita cæ-

C teros vecordes existimas ut dictis tuis contra antiquam Ecclesiæ fidem protinus credant, eaque velut sacrosancta indiscussa prætereant.

CAPUT VIII.

Bereng. « Est autem affirmatio ; notissimis par- « tibus suis constans, prædicato et subjecto, quæ « ita enuntiat : Panis et vinum, quæ in altari ponun- « tur, sunt solummodo sacramenta ; nihilominus « quæ ita enuntiat : Panis et vinum, quæ ponuntur « in altari, post consecrationem solummodo sunt « verum Christi corpus et sanguis. »

Lanfr. Eadem te repetere minime pudet ; propterea quæ paulo ante posui me etiam replicare oportet. Priorem sententiam tantummodo esse tuam,

D posteriorem vero nullius hominum superius esse dixi, et ita esse documentis clarioribus approbavi. Nam et tu carnem ac sanguinem negas, in solo sacramento rem totam constituens; et nos sacramentum fatemur, et tamen utriusque veritatem fideliter ac veraciter confitemur. Quod vero dialectica verba, affirmationem, prædicatum, subjectum, cæteraque in hunc modum tractatui tantæ rei laboras inserere, propter nihil aliud videris id facere nisi ut hac occasione peritum te disputandi imperitis valeas suadere. Nam et tu, sine his nominibus, quod moliris non impariter posses asserere ; et nos quæ a te dicerentur sacris solummodo possemus testimoniis abolere.

Bereng. « Susceperat autem Burgundus negare « panem et vinum in mensa Dominica superesse.

« Hoc minime negat, imo omnino panem et vinum « esse confirmat. »

LANFR. Membrum Ecclesiæ ab Ecclesia discrepare non debuit. Confitetur enim Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa, panem et vinum ad sacrandum proponi in altare, sed, inter sacrandum, incomprehensibiliter et ineffabiliter in substantiam carnis et sanguinis commutari. Quod, suo loco opitulante eo de cujus sacratissimo corpore loquimur, diversis diversorum Patrum testimoniis ita esse nec aliter posse esse monstrabitur. Non tamen panem negat, imo confirmat. Sed panem qui de cœlo descendit et dat vitam mundo, panem quem Ambrosius et Augustinus eisdem verbis vocat epiousion, id est *supersubstantialem*, quia caro Christi omnibus creatis substantiis major existit, omnes creaturas excellentissima dignitate præcellit. Vinum quoque non qualecunque, sed quod hominum, non quidem omnium, sed servorum Dei corda lætificat, quod animas inebriat, et a peccatis purgat.

BERENG. « Dum ita enuntiat : Panis et vinum quæ « ponuntur in altari, post consecrationem [illegible] « solummodo sunt verum Christi corpus et san- « guis. »

LANFR. Dixit quidam Spiritu Dei plenus : *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 2). Hanc timidam sententiam si timeres, falsam servo Dei calumniam non imponeres. Cætera namque dixit, adverbium *solummodo* nequaquam posuit. Quidquid igitur ex mendacio te mendaciter astruente colligitur, quidquid infertur, necessario totum dispargitur, infirmatur, cassatur. De quo quia in anterioribus satis egi, plura hic dicere transiturus ad alia supersedi.

CAP. IX.

BERENG. « Per consecrationem altaris fiunt panis « et vinum sacramentum religionis, non ut desinant « esse quæ erant, sed ut sint quæ erant, et in aliud « commutentur quod dicit beatus Ambrosius in li- « bro De sacramentis. »

LANFR. O mentem amentem! o hominem impudenter mentientem ! o puniendam temeritatem ! Ambrosium testem accire præsumis, quod panis et vinum altaris per consecrationem non desinunt esse quod erant, sed commutantur in aliud quod non erant. Et quidem si de sacramentis seu cæteris de quibus Ambrosius scripsit omnes revolvas libros quos Ecclesia in usu nunc habet, tale aliquid ab Ambrosio dictum, taliterque expositum nusquam reperire valebit. Quod si dixisset, præclarissimæ famæ suæ plurimum detraxisset, sibi ipsi contrarius exstitisset, rem incredibilem credendam esse constituisset. Quis enim compos sui credat rem aliquam converti in aliam, nec tamen in ea parte desinere esse quod erat ? Sed veritas ipsa, quæ Deus est, procul semper avertat ut testis veritatis contra veritatem testis existat. Accipe potius quid in libro De mysteriis sive initiandis dicat. Volens enim discrepantiam ostendere inter manna Judæorum et sacrificium Christianorum, per hoc videlicet quia illud umbra et figura erat, hoc vero lux et veritas ; illud e cœlo, hoc corpus Domini cœlorum, ne tantam elementorum in tantarum rerum conversionem mens credere refugeret, subjunxit, dicens (cap. 9) : « Quantis igitur utimur exemplis, probemus hoc non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. » Panem vinumque à natura formari nullus qui ambigat, nemo qui nesciat. De quorum vera in verum corpus Domini conversione non oportere dubitari manifestis ostendit exemplis congruis per similia asserit argumentis, narrans imprimis Moysi virgam in serpentem versam, deinde serpentem in virgam, postea aquas in sanguinem mutatas, dehinc sanguinem remeasse in aquas. Pluraque in hunc modum. Ad ultimum præmisso illo magno ac singulari miraculo de partu Virginis, inquit : « Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. » Et ne naturam potentiæ divinæ præponeres, quasi non posuit Deus cujuslibet rei mutare naturam, occurrit dicens: « Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine ? » Sextum quoque De sacramentis librum, in quo opere præfatum mendacium eum dixisse mendaciter affirmasti, sic incipit : « Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non per gratiam quemadmodum cæteri homines, sed per naturam, ita vera caro ejus est, quam accipimus, et verus ejus sanguis est quem potamus. » Paucissima de multis me dixisse sufficiat ut lectores tuarum atque mearum sententiarum perspicaciter agnoscant qua fraude fingis non inventa ; qua astutia depravas inventa qua pervicacia in aliud detorquere conaris quæcunque relinquis illæsa. Cui nequitiæ nulla fere hæreticorum pravitas a tempore Luciani et Isichii similis exstitit, quorum uterque propheticas, et evangelicas atque apostolicas Scripturas ad suæ causæ commodum depravavit. Quæque hæresis sacras quidem litteras male intellexit, sed tamen sine ulla eversione suo eas statu manere permisit. In quarto vero de sacramentis sermone cum præfatus doctor satageret approbare non esse mirandum, si ea quæ sunt divina potentia in aliud transeant, propterea quod ipsa quoque jubente omnia ex nihilo facta subsistant subjunxit : « Si igitur tanta vis est in sermone Domini Jesu ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est ut sint quæ erant et in aliud commutentur ? » Esse quidem secundum visibilem speciem testatur quæ erant, commutari vero secundum interiorem essentiam in naturam illarum rerum quæ antea non erant. Hoc modo ante et post ipsemet exponit, diversis quidem verbis, sed non diversis sententiis. Atque hinc arbitror te assumpsisse quod superius intulisti, quodque tolerabiliter dictum, intolerabiliter exposuisti. In quibusdam tamen codicibus præfata sententia verbis aliis invenitur hoc modo : « Si igitur tanta vis est in sermone Do-

mini Jesu ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut quæ erant in aliud commutentur? Quæ litteratura plurimum concordat **239** in sententia cum ea quæ in libro (cap. 9) ab eodem de mysteriis sive initiandis edito, in hæc « verba reperitur : « Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat non potest « ea quæ sunt in id mutare quod non erant. »

CAPUT X.

Bereng. « Sacrificiumque Ecclesiæ duobus constat, duobus conficitur, visibili et invisibili, sacramento et re sacramenti ; quæ tamen res, id est « Christi corpus, si esset præ oculis, visibilis esset; « sed, elevata in cœlum sedensque ad dexteram Patris usque in tempora restitutionis omnium, quod « scribit apostolus Petrus, cœlo devocari non poterit, sicut Christi persona Deo constat et homine. »

Lanfr. Caiphas, cum esset pontifex anni illius, verum de Salvatore nesciens prophetavit, dicens expedire magis pro mundo mori unum hominem quam totius mundi perire omnem hominem (*Joan.* XI, 49-51). Verum quidem dixit, verumtamen quo ejus verbum vergeret ignoravit. Sic et tu, volens loqui contra causam nostram, manifeste quam defendendam suscepimus asserit partem nostram. Hoc est namque quod dicimus, hoc modis omnibus contra te ac sequaces tuos approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini Jesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti ; quæ res (ut verbis tuis utar) est corpus Christi, sicut Christi persona, te quoque auctore, constat et conficitur Deo et homine, cum ipse Christus sit verus Deus, et verus homo, quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet ex quibus conficitur. Conficitur autem, te etiam teste, sacrificium Ecclesiæ sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi. Est igitur sacramentum et res sacramenti, id est, corpus Christi. Christus tamen *resurgens ex mortuis jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur (Rom.* VI, 9). Sed, sicut dicit Andreas apostolus, cum vere in terris carnes ejus sint comestæ et vere sanguis ejus sit bibitus, ipse tamen usque in tempora restitutionis omnium in cœlestibus ad dexteram Patris integer perseverat et vivus. Si quæris modum quo id fieri possit, breviter ad præsens respondeo : Mysterium fidei credi salubriter potest, vestigari utiliter non potest.

CAPUT XI.

Bereng. « Unde beatus Augustinus in Evangelio: « Quando Christus manducatur, vita manducatur. « Nec quando manducamus, partes de illo facimus. »

Lanfr. Beatus Augustinus in Evangelio nihil dixit, quia aliquid in Evangelio dixisse aliquem nusquam legitur præter Dominum, et evangelistas easque personas quæ, pro qualitate rerum et eventu temporum, loqui in Evangelio a scriptoribus Evangelii perhibentur. Scripsit vero prolixum opus, historialiter exponendo Evangelium Domini secundum Joannem. In quo opere præfata sententia reperitur, quam nos devote suscipimus, et debita reverentia honoramus, quia pro nobis facit, et veritati consonat, ubi ait : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 55). « Nec quando manducamus, partes de illo facimus. » Absit enim ut sic intelligamus manducari Christum quemadmodum intellexerunt illi qui, cum audirent dicentem Dominum : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Ibid.* 54), continuo responderunt : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?* (*ibid.*, 61.) Putaverunt namque, sicut præfatus auctor multis in locis dicit, quod in terris degentem Dominum in frusta essent conscissuri, et sic carnes ejus, aut elixas in lebetibus, aut assas in verubus, essent comesuri, aut, si hoc nollent, non possent esse ejus discipuli. Propterea elegerunt abire et jam amplius cum eo non ire. Procul avertat Deus ab Ecclesia sua talem sententiam ! Sic nempe in terris immolatum Christum manducamus et bibimus, ut in cœlestibus ad dexteram Patris integer semper existat et vivus.

CAPUT XII.

Bereng. « Unde beatus Augustinus, in libro De « civitate Dei : « Sacramentum est sacrum signum. » « Signum definit in libro De doctrina Christiana : « Signum est res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem « venire. »

Lanfr. Et nos sacramentum, de quo agimus, sacrum esse signum credimus, et credendum suademus. Quo signo, præter speciem quæ se oculis intuentium ingerit, longe aliud valdeque diversum in cogitationem salubriter intelligentium venit. Quid autem illud sit seu potius quæ illa sint breviter superius commemoravi, latius paulo post explicaturus. Verumtamen beatus Augustinus in libro De civitate Dei (lib. x, c. 5, tom. V) non ita abrupte, ut tu dicis, sacramentum sacrum esse signum definivit. Nihil vero eo in loco de corpore et sanguine Domini loquebatur, sed tractans de ritu Judaicorum **240** sacrificiorum, quod, per sacrificia quæ viderentur, res invisibiles, per quas humanæ societati ad diligendum Deum proximumque consulitur, significarentur, paucis approbatam sententiam conclusit, dicens : « Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. » Quid vero visibile, quid invisibile sacrificium vocaverit, post aliqua his verbis exponit. « Non vult ergo Deus sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. » Et paulo post : « Porro autem misericordia verum sacrificium est. »

CAPUT XIII.

Bereng. « Augustinus in epistola ad Bonifacium « episcopum : « Si sacramenta rerum, quarum sa- « cramenta sunt, similitudinem non haberent, omnino sacramenta non essent. » Idem de catechizan-

« dis rudibus : « Signacula quidem rerum divinarum « sunt visibilia, sed res invisibiles in eis honoran- « tur; nec sic habenda est species benedictione « sanctificata, quemadmodum habetur in usu quo- « libet. »

LANFR. Hoc ignorare quisquis nequit, quicunque vel tenuem sacris litteris operam impendit. Sacramenta enim illarum rerum quarum sacramenta sunt semper similitudinem gerunt, sicut in sacramento, de quo hæc quæstio ventilatur, dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis de latere effusio designatur? Alioquin sacramentum non esset, si tamen sacramenti nomen eo intelligatur modo quo nunc intelligimus, et intelligi a lectoribus seu auditoribus æstimamus. Dicitur namque sacramentum etiam jusjurandum, non quod rei cujuspiam similitudinem habeat, sed quia supra res sacras alicujus rei confirmatio, vel negatio fiat. Unde beatus Gregorius (epist. 23) in epistola ad Justinum: « Ad beati, inquit, Petri, sacratissimum corpus districta eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere. » Dicitur quoque sacramentum alicujus rei sacratio, sicut argumentum dubiæ rei approbatio, fulcimentum casuræ rei sustentatio. Illud vero quod ex libro De catechizandis rudibus assumpsisti, asserens in rebus visibilibus res invisibiles honorandas, nec sic habendam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum non sanctificatam, quid tuæ parti prosit, plane non video; imo magis videtur tuam oppugnare sententiam, nostræ ferre subsidium. Nos etenim in specie panis et vini, quam videmus, res invisibiles, id est Christi carnem et sanguinem, honoramus. Nec similiter pendimus has duas species, ex quibus consecratur Dominicum corpus, quemadmodum ante consecrationem pendebamus, cum fideliter fateamur, ante consecrationem, esse panem vinumque, id est, eas res quas natura formavit. Inter sacrandum vero converti in Christi carnem ac sanguinem, quas utrasque res benedictio consecravit, quamvis beatus Augustinus, in eo libro, non magis loquebatur de hoc sacramento quam de cæteris quæ Christiana consuetudine exerceri jubentur et solemniter exercentur, instruens diaconum quemdam Carthaginensis Ecclesiæ qualiter ipsum quoque rudes de his et de cæteris oporteret instruere.

CAPUT XIV.

BERENG. « Unde beatus Augustinus in epistola ad « Bonifacium : « Sicut, inquit, sacramentum cor- « poris Christi secundum quemdam modum corpus « Christi est, sacramentum sanguinis Christi secun- « dum quemdam modum sanguis Christi est : ita « sacramentum fidei, fides est.

LANFR. Sacramentum corporis Christi, quantum ad id spectat quod in cruce immolatus est ipse Dominus Christus, caro ejus est, quam forma panis opertam, in sacramento accipimus, et sanguis ejus, quem sub vini specie ac sapore potamus. Caro, videlicet carnis, et sanguis sacramentum est sanguinis. Carne et sanguine, utroque invisibili, intelligibili, spirituali, significatur Redemptoris corpus visibile, palpabile, manifeste plenum gratia omnium virtutum et divina majestate. Quorum alterum quidem dum frangitur, et in populi salutem dividitur; alterum vero effusum de calice ab ore fidelium sumitur, mors ejus in cruce, et sanguinis ejus de latere emanatio figuratur. Utrumque beatus Gregorius et solerter attendit, et enucleate in quarto Dialogi libro exponit dicens (lib. IV, cap. 58) : « Ejus quippe caro ibi sumitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Pensandum ergo est quale sit hoc sacrificium quod pro absolutione nostra mortem unigeniti Filii semper imitatur. » « Imitatur » dixit, non operatur, quia *resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Caro ergo et sanguis, quibus ad impetrandam pro peccatis nostris Dei misericordiam quotidie alimur, Christi corpus ac sanguis vocantur, non solum quia essentialiter idem sunt, qualitatibus plurimum discrepantes, verum etiam eo locutionis modo quo res significans significatæ rei solet vocabulo nuncupari. Nec juste quisquam movebitur, **241** si eadem caro, idemque sanguis sui ipsorum sacramenta existant secundum aliud atque aliud accepta, cum ipse Dominus Jesus, post resurrectionem suam, sui ipsius diversa temporum ratione typum gesserit et figuram. Apparens enim duobus discipulis, locutusque eis, quantum satis esse judicavit, dum finxit se longius ire (*Luc.* XXIV, 13-28), sicut beatus Augustinus dicit, significavit se post paucos dies in cœlum ascensurum esse. Quod iter longe remotum est a communi hominum vita, quæ ipsis et duobus discipulis evidentissime figurata. Christus ergo Christi est sacramentum. Longius videlicet ire se fingens; longius suo tempore ascendentis in cœlum. Idem ejusdem, nec tamen usquequaque ejusdem. Verus namque Deus, et verus homo, et fingens, et ascendens. Verumtamen aliud est figmentum terreni itineris, aliud in cœlum veritas ascendentis. Nec aliquis ita desipuerit ut propterea abnegare præsumat fingentem se longius ire esse Christum verum, quia ipso figmento longioris itineris significavit verum Christum ascensurum in cœlum.

Porro sacramentum fidei in ipsa ad Bonifacium epistola beatus Augustinus baptismum vocat. Verus autem baptismus constat non tam ablutione corporis quam fide cordis, quemadmodum apostolica doctrina tradit dicens : « Fide mundans corda eorum (*Act.* XV, 9); » et alibi : « Sic et vos salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum (*I Pet.* III, 21). » Alterum tamen significatur per alterum. Nam per ablutionem quæ corpori extrinsecus adhibetur, purgatio animæ exprimitur, quam fides interior operatur. Vocaturque baptismus fides, secundum eam locutionis formam qua mysterium ejus rei, cujus

mysterium est, censeri nomine consuevit. Hujus rei causa similitudo est quam in sacramento, et in re sacramenti reperiri semper necesse est, sicut in baptismo et fide. Utrumque enim lavat, purgat, purificat; illud carnem, hoc mentem.

Sicut ergo cœlestis panis, quæ vera Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, illius videlicet quod visibile, palpabile, mortale, in cruce est suspensum; vocaturque ipsa carnis ipsius immolatio, quæ sacerdotis manibus fit Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio, sic sacramentum fidei, quod baptisma intelligit, fides est.

CAPUT XV.

Bereng. « Beatus Augustinus in epistola ad Bonifacium: « Semel immolatus est Christus in semetipso. » Et tamen in sacramento non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed et omni die populis immolatur. »

Lanfr. In seipso semel immolatus est Christus, quia in manifestatione sui corporis, in distinctione membrorum omnium verus Deus et verus homo semel tantum in cruce pependit, offerens seipsum Patri hostiam vivam, passibilem, mortalem, vivorum ac mortuorum redemptionis efficacem, eorum videlicet quos divini concilii altitudo redimendos judicavit, præscivit, prædestinavit, vocavit, modis atque temporibus quibus id fieri congruebat. In sacramento tamen quod in hujus rei memoriam frequentat Ecclesia, caro Domini quotidie immolatur, dividitur, comeditur, et sanguis ejus de calice fidelium ore potatur. Utraque vera, utraque de Virgine sumpta. Sumitur quidem caro per se, et sanguis per se non sine certi mysterii ratione. Quamvis alio locutionis modo totus Christus manducari dicatur et credatur, scilicet cum vita æterna, quæ ipse est, spirituali desiderio appetitur, cum recordatio mandatorum ejus super mel et favum dulcior in mente habetur, cum fraterna charitas, cujus signum hoc sacramentum gestat, pro Christi amore diligitur, cum dulciter atque salubriter in memoria reconditur quod pro salute hominum contumeliis sit affectus, cruce suspensus, clavis affixus, lancea vulneratus. Utraque comestio necessaria, utraque fructuosa. Altera indiget alterius, ut boni aliquid operetur. Nam prior si desit, posterior non solum peccata non purgat, sed etiam auget, et præsumptores judicat. *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI, 29). Porro posterior sine priore esse non potest aut non debet. Hinc namque panis quotidianus a Domino dicitur, sicut a beato Ambrosio (*Sacram.*, c. 4), et sancto Cypriano exponitur, et in Evangelio legitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebibis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Et sacri canones jubent non habendos inter catholicos qui sacramento corporis Christi non communicant, nisi forte pœnitentium more, et episcopali judicio, pro capitalibus peccatis abstineant. Frustra ergo infers et dicis: « Si semel passus est Christus in semetipso, semel etiam in corpore suo, eo quod corpus suum nullo modo separari potest a seipso. » Quod non procedit. **242** Multa quippe sunt in rebus, quæ rerum partibus convenire non possunt. Nam cum ipse Dominus Jesus verus Deus sit, et verus homo, omnisque homo constet anima rationali et corpore, non tamen anima ipsa, aut ipsum corpus recte vocabitur homo, vel Deus.

CAPUT XVI.

Bereng. « Consentio, inquit Burgundus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Revera non sanctam Ecclesiam experta est veritas ipsa, sed Ecclesiam malignantium, concilium vanitatis, nec apostolicam, sed sedem Satanæ. »

Lanfr. Non deberes dicere: « Consentio, inquit Burgundus, » sed consentio ego Berengarius; tua enim hæc verba fuerunt, hæc te credere sanctum concilium fefellisti, hæc te servaturum jurejurando firmasti. Venerabilis Humbertus, quem quasi exprobrando Burgundum nominas, quasi non possit Deus habere in Burgundia servos suos, nihil aliud fecit, nisi quod scripturam ipsam, præcipiente synodo, manu in manum tibi porrexit. Oerum, o infelix anima, de hæresi ad perjurium prius transisti, nunc iterum de perjurio ad hæresim remeasti; propterea traditus in reprobum sensum sanctam Romanam Ecclesiam vocas Ecclesiam malignantium, concilium vanitatis, sedem Satanæ. Et hoc impio ore garristi, quod garrisse nemo legitur, non hæreticus, non schismaticus, non falsus aliquis Christianus. Quotquot enim a primordio Christianæ Ecclesiæ Christiani nominis dignitate gloriati sunt, etsi aliqui, relicto veritatis tramite, per devia erroris incedere maluerunt, sedem tamen beati Petr apostoli magnifice honoraverunt, nullamque adversus eam hujusmodi blasphemiam vel dicere vel scribere præsumpserunt. Quod indubitatum habet qui eorum scripta legit, quæ diversis temporibus, ac diversis de causis sedes apostolica ab eis transmissa vel porrecta recepit. Denique ipse Dominus honorifice alloquitur eam in Evangelio dicens: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis. Et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 18, 19). Quæ tametsi de pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur, et a quibusdam catholicis exponantur, præcipue tamen de Romana Ecclesia intelligenda esse sacri canones et pontificum decreta testantur.

CAPUT XVII.

Bereng. « Quis enim aut ratione concipiat, aut per miraculum fieri posse concedat, panem frangi in Christi corpore, quod post resurrectionem tota viget incorruptibilitate, et usque in tempora restitutionis omnium cœlo manet indevocabile. »

LANFR. Quonammodo panis efficiatur caro vinumque convertatur in sanguinem, utriusque essentialiter mutata natura, justus, qui ex fide vivit, scrutari argumentis et concipere ratione non quærit. Mavult enim cœlestibus mysteriis fidem adhibere, ut ad fidei præmia valeat quandoque pervenire, quam fide omissa in comprehendendis iis, quæ comprehendi non possunt, supervacue laborare, sciens scriptum esse : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus* (*Eccli.* III, 22). Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis. Divina tamen potentia mirabiliter operante fieri posse concedit. Nec defuere quibusdam dubitantibus digna miracula, quibus rerum visibilium atque corruptibilium ablatis tegumentis, sicuti revera est, appareret corporalibus oculis caro Christi et sanguis, omnipotente Deo misericorditer sanante infirmorum imbecillitatem, et terribiliter damnante atque evertente omnium hæreticorum detestabilem pravitatem. Quorum officii interest simplicem infantium atque lactentium, ex quibus laudem perfecit Christus (*Psal.* VIII, 3 ; *Matth.* XXI, 16), fidem irridere, rationibus omnia velle comprehendere, cum ipsi sint rationis expertes, facti, propter arrogantiam et sterilitatem, sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI, 9). Quod vero incorruptionem Dominici corporis, et quod cœlo usque in diem judicii devocari non possit : fidei nostræ qua ipsum vere a fidelibus suis manducari credimus, quasi causam impossibilitatis opponis, profecto fidem nostram aut non intelligis, aut intellectam male exponendo ad tuam ipsius perniciem depravare contendis. Sic enim credimus vere salubriterque manducari in terris a digne percipientibus Dominum Jesum Christum, ut certissime teneamus existere illum in cœlestibus incontaminatum, incorruptum, illæsum. Ineptus sis si propterea dicas Sareptanam viduam non potuisse comedere oleum quo plenus erat lecythus suus, quia sacra testante historia lecythus olei non est imminutus, cum eadem Scriptura dicat : *Abiit, et fecit juxta verbum Eliæ, et comedit ipse, et illa, et domus ejus* (*III Reg.* XVII, 15). **342** Non dissimili gravaris vecordia, si idcirco moliaris astruere non posse ali Ecclesiam carne ac sanguine Redemptoris sui, quia Apostolus dicit : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9) ; cum ipse Dominus loquens discipulis suis testetur, dicens : *Accipite, et manducate ; hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur* (*Matth.* XXVI, 26 ; *Marc.* XIV, 22) ; et : *Hic est calix sanguinis mei : mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur* (*Luc.* XXII, 10). Et *panis quem ego dedero caro mea est pro mundi vita* (*Joan.* VI, 52), et : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*ibid.*, 54). Ex quibus Domini verbis ortæ sunt duæ hæreses antiquis temporibus. Et in hoc quidem consenserunt omnes, quod panis et vinum in veram Filii hominis carnem verumque ejus sanguinem converterentur. Sed quis esset iste Filius hominis, non omnes eamdem sententiam tenuerunt. Quidam arbitrati sunt hunc oportere intelligi quemlibet hominem, sive justum, sive peccatorem in cujus carnem ac sanguinem conversa terrena substantia sumeretur in remissionem peccatorum. Alii arbitrati sunt non hunc esse de turba quemlibet hominem, sed virum justum, sanctificatum, a communi hominum vita per suæ vitæ celsitudinem segregatum, qui templum Dei esset, qui divinam in se habitationem verissime possideret. In hujus carnem ac sanguinem commutari posse panem vinumque altaris, hæretica pertinacia delirabant. Factum est hoc paucis annis post obitum beati Augustini, tempore Cœlestini papæ et Cyrilli Alexandrini episcopi, quibus præcipientibus atque adnitentibus indicta ac celebrata est synodus Ephesina, una de quatuor quas beatus Gregorius (lib. I, ep. 34) in epistola ad patriarchas fatetur se ita suscipere, complecti et venerari quemadmodum sancta quatuor Evangelia Domini nostri Jesu Christi. In qua synodo damnatæ sunt utræque superius comprehensæ lethales pestes, roborata est fides qua credimus panem converti in eam carnem quæ in cruce pependit, vinumque in eum sanguinem qui de pendentis in cruce latere emanavit (55). Denique ducenti qui eidem concilio interfuere episcopi, inter cætera de hoc sacramento sic scripserunt, et Nestorio episcopo quasi hæreticorum capiti transmiserunt. « Ad benedictiones, inquiunt, mysticas accedimus et sanctificamur, participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit ! nec ut viri sanctificati et verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem et ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriæ carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo, quamvis dicat ad nos : *Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem* (*Joan.* VI, 54), non tamen eam, ut hominis unius ex nobis, existimare debemus. (Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit ?) Sed ut vere propriam ejus factam, qui propter nos filius hominis, et factus est, et vocatus. » Et circa finem concilii (cap. seu anathematismo 11) : « Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse, et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi vivificare valentis, anathema sit. » Quid manifestius audire desideras, si studiosum novæ contentionis animum studio

(55) In Symb., circa med., vel in Ep. Cyrilli et synodi ad Nestorium part. I.

antiquæ pacis omittas? Non est, ut sancta synodus definit, hæc caro alicujus de vulgo hominis, non justi et sanctificati hominis, sed potius cui ipse unitus, id est, incarnatus est Dei et hominis. Quod vero ait benedictiones mysticas, sic dictum accipe, quasi diceret secretas. Mysterium namque, sicut beatus Augustinus in libro De catechizandis rudibus dicit, a secreto nomen accepit. Quid enim secretius quam panis vinique speciem conspicere, saporem gustare, tactum sentire, et tamen mirabiliter operante Deo veram carnem verumque sanguinem credere, comedere, bibere? Has, et hujusmodi scripturas per totum fere divinarum litterarum corpus sparsim diffusas, si amoto inanis jactantiæ appetitu, pro intentione vitæ æternæ humiliter legeres, si inter legendum effusis ad Dominum precibus impetrata divina gratia intelligeres, si ea quæ ad litteram accipi, et ea quæ spiritualiter oportet intelligi, Christiana cautela distingueres, procul dubio crederes quod universalis Ecclesia credit, prædicares quod apostolica doctrina in tota mundi latitudine prædicandum instituit, carnem scilicet ac sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et ore corporis, et ore cordis, hoc est corporaliter ac spiritualiter manducari et bibi. Corporali siquidem ore corporaliter manducamus et bibimus, quoties de altari Dominico ipsum Dominicum corpus per manum sacerdotis accipimus; spirituali vero ore cordis spiritualiter comeditur et hauritur, quando suaviter et utiliter, sicut beatus Augustinus dicit, in memoria reconditur quod unigenitus Dei Filius pro salute mundi carnem accepit, in cruce pependit, resurrexit, apparuit, ascendit, venturus in die judicii dignas singulis mercedes rependere pro suis operibus. Quæ comestio tunc **241** est utilis pauperibus Christi, si, ad tanti divitis tam magnam mensam sedentes, sic edunt ut saturentur, sic recolunt ut imitentur, parati semper mori pro Christo, mortificantes jugiter membra sua quæ sunt super terram (*Coloss.* III, 5), et crucifigentes carnem suam cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V, 24), sicut scriptum est: « Ad mensam magnam sedisti, scito quoniam talia te oportet præparare (*Eccli.* XXXI, 12). » De corporali comestione discipulis a Domino dicitur: *Accipite, manducate, et bibite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur* (*Matth.* XXVI, 26); et: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur* (*Luc.* XXII, 20). Et Apostolus ad Corinthios: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* XI, 29). Spiritualem autem comestionem demonstrare satagebat beatus Augustinus in homilia vicesima sexta super Joannem, cum diceret: « Panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. » Et post pauca: « Hic est ergo panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente. » Quæ autem sit hujus sacramenti virtus paulo post exponit dicens: « Nolunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. » Et post aliqua: « Inde est quod exponens nobis apostolus Paulus hunc panem. *Unus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus* (*I Cor.* X, 17). O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis! »

CAPUT XVIII.

Propulsatis, quantum satis visum est, calumniis, quas in contumeliam Humberti episcopi sanctæque Romanæ Ecclesiæ temere protulisti, scripsisti, edidisti, reliquum est ut fidem sanctæ Ecclesiæ atque opinionem tuæ sectæ compendiose exponamus; expositas paucis auctoritatibus brevibusque rationibus, unam probemus, alteram improbemus. Plurima enim ac prolixa vel testimonia Scripturarum, vel firmamenta disputationum epistolaris brevitas inseri non permittit, nec ratio aut necessitas ulla exposcit. Nam qui fideles sunt, seu [*al.*, sed] depravati, pravitati suæ defendendæ pertinaciter non insistunt. Sed potius intellectis auctoritatibus, auditisque rationibus, ad viam veritatis humiliter reverti concupiscunt pauca eis, et a paucis sufficere possunt. Qui vero contentionibus deservire, atque in sua infidelitate persistere decreverunt ne [*al.*, nec] si plura apponerentur, possunt pluribus esse contenti.

Credimus igitur terrenas substantias, quæ in mensa Dominica, per sacerdotale mysterium, divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter, operante superna potentia, converti in essentiam Dominici corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus, et quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda et cruenta, horrerent, et ut credentes fidei præmia ampliora perciperent, ipso tamen Dominico corpore existente in cœlestibus ad dexteram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato, illæso: ut vere dici possit, et ipsum corpus quod de Virgine sumptum sumere, et tamen non ipsum. Ipsum quidem, quantum ad essentiam veræque naturæ proprietatem atque virtutem; non ipsum autem, si species panis vinique speciem, cæteraque superius comprehensa; hanc fidem tenuit a priscis temporibus, et nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem catholica nominatur. Unde sicut superius dictum est, Dominus in Evangelio: *Accipite, et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; et: *Hic est calix sanguinis mei, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Beatus Ambrosius discernens sacramentum Christianorum a sacramento Judæorum in sermone de mysteriis ad Neophytos (cap. 9), sic ait: « Considera nunc utrum præstantior sit panis angelorum an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud e cœlo, hoc supra cœlum: illud cœli, hoc Domini cœlorum; illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni

corruptione. Quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo, illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit ut sitit; tu, cum biberis, sitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in veritate. Sed illud quod miraris umbra est, quantum istud cujus et umbram miraris?» Et paulo post: « Cognovisti præstantiora. Potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus Auctoris quam manna de cœlo. Forte dicas: « Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? » Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis ut probemur non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? Virgam tenebat Moyses, projecit eam, et facta est serpens. Rursus prehendit caudam serpentis, et in virgæ naturam revertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse **245** naturam et serpentis et virgæ. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu. Subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis. Rursus ad prophetæ voces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. »

His et aliis hujusmodi miraculis, quæ ineffabili divinitatis operatione fiunt enarratis, post aliqua subjungit: « Advertimus igitur majoris esse gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legis quia *ipse dixit et facta sunt*, *ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare quam mutare naturas. Sed quod argumentis utimur, suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus mysterii veritate. Nunquid naturæ usus præcessit, cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta femina generare consuevit.

Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? » Item, in quarto De sacramentis (cap. 4): « Tu forte dices: Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum. Ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi. » Et paulo post: « Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem David: *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Ergo, ut tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quia jam est corpus Christi. *Ipse dixit*, et factum est, *ipse mandavit*, et creatum est. » Et post aliqua (cap. 5): « Antequam consecratur, panis est. Ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite, et edite ex eo omnes: Hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini et aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis quod corpus suum accipiamus et sanguinem. Nunquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare? » Item in sexto De sacramentis (cap. 1): « Quod et superius dictum est. Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera ejus caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus ejus sanguis est, quem potamus. Sed forte dicas quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi, audientes dicentem: Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam (*Joan.* VI, 54); forte dicas: Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut possit mutare, et convertere genera instituta naturæ. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli ejus, audientes quod carnem suam daret manducandam et sanguinem suum daret bibendum, recedebant. Solus autem Petrus dixit: « Verba vitæ æternæ habes, et ego a te quo recedam? (*ibid.*, 69). » Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudine quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. *Ego sum*, inquit, *panis vivus qui de cœlo descendi* (*ibid.*, 44). Sed caro non descendit e cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis e cœlo, et panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est divinitatis et corporis. Et tu qui accipis carnem, divinæ ejus substantiæ in illo participaris alimento. » Item in epistola ad Hireneum (lib. VIII, ep. 62, sub initio): « Quæris a me cur Dominus Deus manna pluerit populo patrum, et nunc non pluat. Si cognoscis, pluit, et quotidie pluit de cœlo manna servientibus sibi. Et corporeum quidem illud manna hodie plerisque in locis invenitur, sed nunc non est tanti res miraculi, quia venit quod perfectum est. Perfectum autem, panis de cœlo, corpus ex Virgine, est de quo satis evangelium te docet. Quanto præstantiora hæc superioribus! »

Augustinus in homilia secunda psalmi tricesimi tertii: « Accesserunt Judæi ad Christum ut crucifigerent, nos ad eum accedamus ut corpus et sanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum et bibendo illumi-

namur. » Et post aliqua : « Vere magnus Dominus, et magna misericordia ejus, vere qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, et sanguinem bibere. » Item, in homilia psalmi quadragesimi quinti, ad Judæos loquens : « In illius nomine quem occidistis baptizamini, et dimittuntur vobis peccata vestra. Medicum vel postea cognovistis; jam securi bibite sanguinem quem fudistis. » Item, in homilia psalmi sexagesimi quinti : « Modo homicidis **246** donatus est, et fusus sanguis innocentis, et ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. » Item, in homilia psalmi nonagesimi octavi : « Quæro quid sit scabellum pedum ejus, et dicit mihi Scriptura (*Isai.* LXVI, 1) : *Terra scabellum pedum meorum.* Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit, et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis ad manducandum ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. » Et paulo post : « Tunc autem quando hoc Dominus commendavit, de carne sua locutus erat, et dixerat : « Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam (*Joan.* VI, 54). » Scandalizati sunt discipuli ejus quidam septuaginta ferme, et dixerunt : « Durus est hic sermo, quis potest eum intelligere? » Et recesserunt ab eo, et amplius cum eo non ambulaverunt (*ibid.* LXI, 67). Durum illis visum est quod ait : « Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam. » Acceperunt illud stulte. Carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis, et dixerunt : « Durus est hic sermo. » Ipsi erant duri, non sermo. » Et paucis intermissis, « Spiritualiter, » inquit, « intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. »

In his postremis beati Augustini verbis exsultas. In his vicisse te, et superiorem esse gloriaris, hic firmamentum tuæ defensionis te invenisse gratularis. Quomodo, inquis, persuadere contendis quod veram carnem verumque sanguinem in hoc sacramento sumamus, cum manifeste audias quod corpus quod videbant non essent discipuli comesturi, neque bibituri sanguinem quem crucifigentes erant effusuri? Calumniosa quidem ista objectio est. Qui enim superius testatus est quod carnem, quam de matre Virgine sumpsit, et in qua in terris ambulavit, ad manducandum nobis salubriter tribuit, quomodo huic tam præclaræ sententiæ aliqua contraria sententia potuit obviare? Absit a sobrio lectore et catholico expositore tam perverse sentire de Ecclesiæ columna, de firmamento veritatis, de quo Cœlestinus papa in decretis suis asserit (epist. 1 *Ad episc. Gall.*, cap. 20) quod nec saltem sinistræ suspicionis rumor, dum viveret, eum asperserit. Imo revera id dixit quod catholica Ecclesia in omnibus membris suis fideliter fatetur et credit, quod ego quoque in professione fidei breviter posui, breviter comprehendi, videlicet ipsum esse corpus, et non ipsum. Neque enim eo quo ipsi putabant modo credimus quod visibile Christi corpus comedamus, aut sanguinem quem fusuri et oculis suis conspecturi erant persequentes bibamus. Sed potius id credimus quod non videmus, ut valeat esse fides, quæ non potest esse, si res quæ creduntur corporalibus sensibus constiterit subjacere. Unde exponens quod obscure posuit : « Et si necesse est, » inquit, « illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. » Existimabant namque quod præciperet eis Dominus, aut bestiali more, aut humano, corpus comedere quod videbant, aut bibere sanguinem quem persequentes fusuri erant hoc est aut crudum, aut aqua coctum, aut subtractis carbonibus in verubus assum. Hanc carnalem eorum intelligentiam redarguens Dominus, in Evangelio secundum Joannem, dixit : *Spiritus est qui vivificat; caro autem non prodest quidquam (Joan.* VI, 64). Quod exponens beatus Augustinus in vicesima septima ejusdem Evangelii homilia, ait : « Quid est ergo, non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt : quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. » De his hactenus : ad propositum revertamur.

CAPUT XIX.

Augustinus in homilia undecima super Joannem : « In populo enim Judæorum figuratus est populus Christianorum. Ibi figura, hic veritas; ibi umbra, hic corpus. » Item in homilia tricesima prima : « At illi viderunt Christum suo scelere morientem, et crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. Quousque biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperaverant. » Item, in quadragesima : « Qui sævientes occiderunt, imitati crediderunt; et quem sanguinem sæviendo fuderunt, credendo biberunt. » Item, in sermone ad Neophytos : « Hoc accipite in pane quod pependit in cruce. Et hoc accipite in calice quod effusum est de Christi latere. Erit enim illi mors, non vita, qui mendacem putaverit vitam. » Item, in libro quarto De Trinitate (cap. 13) : « Apud eum paucissimi remanserunt, agnoscentibus gentibus, et pia humilitate bibentibus pretium suum, ejusque fiducia deserentibus hostem suum. » Et in subsequenti capitulo (cap. 14) **247** post aliqua : « Quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero, et ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi posset quam caro sacrificii nostri corpus effectum sacerdotis nostri? » Leo papa in sermone de jejunio

septimi mensis (serm. 6). « Hanc confessionem, dilectissimi, toto corde promentes, impia hæreticorum commenta respuite, ut jejunia vestra et eleemosynæ nullius erroris contagio polluantur. Tunc enim et sacrificii munda est oblatio, et misericordiæ sancta largitio, quando hi qui ista dependunt, quod operantur intelligunt. Nam dicente Domino : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis (Joan.* VI, 54), sic sacræ mensæ communicare debetis ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, et frustra ab illis *amen* respondetur, a quibus contra id quod accipitur, disputatur. » Item, in epistola Anatholio episcopo missa : « Aliter enim in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos pontifex reconciliet, verus immaculati Agni sanguis emundet. Qui licet in Patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex Virgine sacramentum propitiationis exsequitur. » Item in sermone de passione Domini (serm. 11) : « Fefellit ergo illum malignitas sua, intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit sanguinem justum, qui reconciliando mundo et præmium esset et poculum. » S. Gregorius in homilia paschali (homil. 22 *in Evang.*) : « Quid namque sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. »

His divinorum eloquiorum testimoniis, quæ ex multis, compendii causa, pauca excerpsi, clare, ut arbitror, innotescit quod vera Christi caro, verusque ejus sanguis in mensa Dominica immoletur, comedatur, bibatur, corporaliter, spiritualiter, incomprehensibiliter. Et ne quis perversus atque perversor aliter ea intelligeret vel exponeret quam universalis Ecclesiæ spirituales filii intelligunt et exponunt, facta sunt, tam antiquis quam modernis temporibus, in diversis Ecclesiis huic fidei congrua miracula, quando, et ubi, et quibus tantum secretum demonstrare voluit æterna sapientia, cui nulla sunt non possibilia, attingens a fine usque ad finem, et fortiter atque suaviter disponens omnia (*Sap.* VIII, 1). Quæ miracula facta esse ignorat nullus quisquis in ecclesiasticis historiis, seu sanctorum Patrum gestis est aliquantulum studiosus. Quæ scripturæ tametsi illam excelsissimam auctoritatis arcem non obtinent qua donatæ sunt quas propheticas seu apostolicas nuncupamus, hoc tamen probare sufficiunt quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt a priscis temporibus habuerunt. Alioquin, cum in decretis Romanorum pontificum sacrisque canonibus apocryphæ scripturæ nominatim damnatæ sunt, hæc quoque specialiter damnarentur, nec in Ecclesia catholica a catholicis solemniter legerentur.

CAPUT XX.

Adversus tantam divinarum auctoritatum lucem quæstionis caliginem opponere non desistis dicens : Quod tu verum Christi corpus esse asseris, in sacris litteris appellatur species, similitudo, figura, signum, mysterium, sacramentum. Hæc autem vocabula ad aliquid sunt. Nulla vero, quæ ad aliquid referuntur, possunt esse id quod sunt ea ad quæ referuntur. Non est igitur corpus Christi. Hoc enim in quodam scripto tuo diversis ac prolixioribus verbis, sed non mutata sententia reperi; hoc garriunt discipuli atque sequaces tui, subversores quidem aliorum et ipsi auro et argento cæteraque pecunia tua a te subversi, errantes, et alios in errorem mittentes, *non intelligentes*, sicut dicit Apostolus, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I, 7). Verum his vocabulis in nullo præscribitur fidei qua credimus, et veritati quam defendimus. Species namque, et similitudo illarum rerum vocabula sunt, quæ ante fuerunt, et ex quibus corpus Christi sanguisque conficitur. Panem dico, ac vinum, unde in fine cujusdam missæ oratur, et dicitur : « Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta, quod continent, ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. » Postulat quippe sacerdos ut corpus Christi quod sub specie panis vinique geritur, manifesta visione, sicuti revera est, quandoque capiatur. Veritas enim pro manifestatione in sacris sæpe litteris reperitur. De qua manifesta visione Dominus in Evangelio secundum Joannem discipulis dicit : *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo. Et ego diligam eum; et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV, 21). Et David in persona Dei Patris : *Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum* (*Psal.* XC, 16). Quamvis non improbabiliter quidam exponant hoc in loco esse carnis ac sanguinis veritatem, ipsam eorumdem efficientiam, id est, peccatorum remissionem. **248** Illis namque omnibus modis vera Christi caro ac sanguis existit qui digne percipiunt, qui percipiendo dilectorum indulgentiam consequuntur. Unde in canone missæ sacerdos dicit : « Ut nobis corpus, et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, » nobis, inquam, id est credentibus, et misericordia tua digne sumentibus. *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI, 29).

Hinc et sanctus Gregorius in quarto Dialogi libro (cap. 59) : « Tunc vera pro nobis Deo hostia erit, cum nosmetipsos hostiam fecerimus. » Est quidem etiam peccatoribus, et indigne sumentibus vera Christi caro, verusque sanguis, sed essentia, non salubri efficientia. Hujus rei testis est beatus Augustinus in quinto libro De baptismo dicens (cap. 8) : Sicut enim Judas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo præbuit, sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem ac-

cipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini et sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Ambrosius in sexto De sacramentis (cap. 1): « Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. » Et paulo post: « Ideo in similitudine quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. » Similitudinem hoc in loco nullo dubitante panis vinique speciem intelligit, sub qua corporis Christi natura contegitur, et sine cruoris horrore a digne sumentibus in salutem accipitur. Invenitur etiam species, similitudo, figura pro veritate. Unde Dominus in Evangelio secundum Joannem: *Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis* (*Joan.* v, 37). Apostolus ad Corinthios: *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (*II Cor.* v, 7). Ambrosius in libro De mysteriis (cap. 4 in fine): « Speciem autem et pro veritate accipiendam legimus et de Christo: Et specie inventus ut homo (*Philip.* II, 7), et de Patre Deo: *Neque speciem ejus vidistis.* » Item, in quarto De fide ad Gratianum (cap. 5): « Caro enim mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI, 56). Carnem audis, sanguinem audis, mortis Dominicæ sacramenta cognoscis. » Et paulo post: « Nos autem quotiescunque sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium in carnem transfigurantur et sanguinem, mortem annuntiamus. » Augustinus in libro De catechizandis rudibus: « Efficiemur enim, sicut ab illo speramus et exspectamus, æquales angelis Dei et cum eis pariter illa Trinitate perfruemur jam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus. » Apostolus ad Philippenses: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II, 7). Item, ad Hebræos: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* (*Hebr.* I, 3). Porro signum, mysterium, sacramentum, et si quid hujusmodi est, Dominicæ passionis designativa nomina sunt, si tamen sacramentum ea significatione accipiatur, qua sacrum esse signum in libro De civitate Dei a beato Augustino definitur. Unde beatus Gregorius in quarto Dialogi libro (cap. 58): « Hæc namque singularis victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat. » Et paulo post: « Hinc ergo pensemus quale pro nobis sit hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. » Et post aliqua (cap. 59): « Quia passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod colimus. » Item in homilia Paschali (*hom.* 22 *in Evang.*): « In utroque etenim poste Agni sanguis positus est, quando sacramentum passionis ejus cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. » Sacramentum sane in divinis codicibus non una tantum significatione positum reperitur. Denique sanctus Ambrosius, in libro ad Gratianum, apparuisse dicit hominibus Unigenitum Patris per sacramentum assumpti hominis. Quod tantumdem significat, quantum si diceret apparuisse eum per hominem, quem assumpsit, et quem divinitati suæ dignum habitaculum consecravit. Habet autem et alias significationes, de quibus satis superius dictum est.

Quod vero panis dicitur, consueto sacrorum codicum more id fit, qui res quaslibet sæpe vocant nominibus illarum rerum, ex quibus fiunt, seu quæ esse putantur, et non sunt, sive quibus aliquo modo similes existunt. Unde beatus Hieronymus in secundo Explanationum libro in Osee (in fine prooemii): « Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos qui scribimus quam eos qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit. » Et superbo homini a viro sapiente dicitur: *Quid superbis, terra, et cinis?* (*Eccle.* X, 10.) Et Abraham tres viros vidisse legitur (*Gen.* XVIII, 2), cum essent angeli. De qua re beatus Augustinus in secundo libro De Trinitate dicit (cap. 10, sub finem): « Sub ilice autem Mambræ tres viros vidit Abraham, quibus et invitatis hospitioque susceptis, et epulantibus ministravit. » Et in libris Judicum, mulier sterilis ad virum suum de angelo dicit: *Vir Dei venit ad me* (*Jud.* XIII, 6). Et paulo post: *Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram* (*ibid.*, 10). Et post aliqua: *Et nesciebat Manue quod angelus Dei esset* (*ibid.*, 16). Et beatus Hieronymus in eodem Explanationum **249** libro super Osee propheta de Deo dicit: « Quasi tinea efficitur et putredo, non quod Deus tinea sit vel putredo, sed quod sustinentibus pœnas hæc universa videantur. » Et in Evangelio secundum Joannem: *Maledixerunt ei, et dixerunt: Tu discipulus illius sis* (*Joan.* IX, 28), cum non maledictio, sed benedictio sit esse discipulum Christi. Unde beatus Augustinus in expositione ejusdem Evangelii dicit (*Tract.* 44): « Tale maledictum super nos, et super filios nostros. Maledictum est enim si cor discutias, non si verba perpendas. » Et in Evangelio secundum Matthæum, et similiter secundum Lucam: *Si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris.* (*Matth.* VII, 11; *Luc.* II, 13). De qua sententia beatus Augustinus in secundo libro De sermone Domini sic disputat (cap. 21): « Quomodo mali dant bona? Sed malos appellavit dilectores sæculi hujus, et peccatores. Bona vero quæ dant, secundum eorum sensum, bona dicenda sunt, quia hæc pro bonis habent. » Et Dominus Jesus Christus propter quasdam similitudines in eisdem litteris vocatur leo, agnus, vermis, lignum, petra, lapis angularis, multaque in hunc modum. Sic et corpus Christi vocatur panis, vel quia ex pane conficitur, seu quia contuentium oculis cum caro sit, panis videtur, sive quod corporali et visibili pani similitudine quadam conjungitur. Nam sicut quia iste materialis panis discrete sumptus humanam carnem nutrit et sustentat, sic spirituale et invisibile corpus Christi animam digne sumentis alit et vegetat. Adhuc objicis et auctoritate Ambrosii ipsum Ambrosium infirmare moliris

dicens: Ambrosius in libro De sacramentis ait A (lib. IV, c. 4): *Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis.* Hæc verba exponens, quid comparatius, inquis, quid similius? Negari non potest beatum Ambrosium sacramento baptismi sacramenta comparavisse altaris. Non est autem vera Christi mors in baptismo. Igitur nec verus ejus sanguis in hoc sacramento. Pace tua dictum sit, multum falleris in hac verborum intelligentia, neque enim similitudinis adverbia identitatem, seu æqualitatem ubique posita significant. In Evangelio namque Salvator dicit: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (*Luc.* VI, 36). Non tamen eadem, seu æqualis misericordia potest inesse Deo et hominibus. Et in B Evangelio secundum Joannem: *Et ego*, inquit, *claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus* (*Joan.* XVII, 22). Et alibi: *Dilexisti eos, sicut et me dilexisti* (*ibid.*, 23). Unde et beatus Augustinus in Expositione ejusdem Evangelii ait (Tract. 10): *Neque enim semper æqualitatem significat qui dicit, sicut illud, ita et illud: sed aliquando tantum, quia est illud, est et illud, aut quia est illud ut sit et illud.*

CAPUT XXI.

Est aliud quod objicitis, quod concessa loquendi facultate multis in locis clamatis, et dicitis: « Si panis in veram Christi carnem convertitur; aut panis sustollitur in cœlum, ut illic in Christi carnem transferatur, aut caro Christi ad terram defertur, ut istic in eam panis commutetur. Atqui nec panis C sustollitur, nec caro defertur. Non est igitur vera caro in quam panis convertitur. » Hoc vos colligitis secundum humanam sapientiam, non secundum divinam. Humana autem sapientia perquiri divina opera prohibet Apostolus ad Romanos dicens: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3); et ad Corinthios: *Sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* (*I Cor.* II, 4); et ad Colossenses: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi* (*Col.* II, 8). Et beatus Gregorius, in homilia Paschali (26 *in Evang.*): « Sciendum, inquit, nobis D est quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » Propterea in tanta rerum profunditate magis oportuit te orare Deum, ut aut intelligeres quæ pro humana capacitate intelligi possunt, aut patienter, et humiliter ferres, et tamen crederes quæ in tanto arcano humani ingenii vires excedunt, et in hac vita intelligi minime possunt, quam litem movere, ab universali Ecclesia dissentire, novum schisma verbis et scriptis contra sanctorum Patrum præcepta inferre. Profecto hoc modo ageres quod agi oportere præcipit Legislator dicens: *Ne transgrediaris terminos patrum* (*Prov.* XII, 28). Et beatus Augustinus in primo libro De sermone Domini in monte: « Quod vero, inquit, aut obscurum aut absurdum illi sonat, non inde concitet contradictionum certamina, sed oret ut intelligat. » Et in libro tertio De Trinitate (cap. 10): « Mihi autem, ait, utile est, ut meminerim virium mearum, fratresque meos admoneam ut meminerint suarum, ne ultra quam tutum est humana progrediatur infirmitas. » Et in libro Contra Felicianum hæreticum (cap. 2): « Scripturarum auctoritate contentus, simplicitati obedire potius studeo quam tumori. » Et paulo post (*ibid.*): « Quam rationem afferre potes si partum prædicas Virginis; si redditos oculos non negas cæcis, si sepultos ostendas **250** redisse a mortuis? Si ergo horum et incomprehensibilis est ratio, et veritas prompta est, facilius in negotiis fidei testimoniis creditur quam ratio vestigatur [*al.*, investigatur]. »

CAPUT XXII.

Probatis quæ probari oportebat, et exclusis quæ excludi ratio suadebat, jam tandem quid tu credas, et credulitatem tuam quid sequatur, videamus. Tu credis panem vinumque Dominicæ mensæ, inter consecrandum, quantum ad substantiam, immobilia permanere, hoc est panem et vinum exstitisse ante consecrationem, et panem vinumque existere post consecrationem, Christi carnem ac sanguinem propterea vocari quod, in memoriam crucifixæ carnis et de latere effusi sanguinis, in Ecclesia celebrentur, ut Dominicam passionem per hoc admoniti semper recolamus, et recolentes, carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis incessanter crucifigamus (*Gal.* V, 24). Quæ si vera sunt præstantiora et diviniora fuerunt sacramenta Judæorum sacramentis Christianorum. Quis enim nesciat manna quod de cœlo pluebat Dominus, seu animatas et sensibiles creaturas quas populus ille sacrificare consueverat, parva buccella panis, modicoque vini præstantiores exstitisse? Rursus quis non intelligat divinius fuisse prænuntiare futura quam narrare præterita, cum illud non possit facere nisi Spiritu Dei plenus, hoc autem sæpe faciat idiota etiam vel quilibet imperitus? Sed absit hoc a fidelium corde et Christiana intelligentia! Christi namque miles Ambrosius illa inferiora, hæc potiora et digniora esse in libro De mysteriis confirmat dicens (cap. 8): « Summo studio volumus comprobare quia et antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ quam Synagogæ, et præstantiora quam manna est. » Et paulo post (cap. 9): « Probatum est antiquiora esse Ecclesiæ sacramenta, nunc cognosce potiora. » Et post aliqua, cognovisti præstantiora: « Potior est lux quam umbra, veritas quam figura. » Item, in quarto De sacramentis (cap. 3): « Accipe quæ dico, diviniora esse sacramenta Christianorum quam Judæorum. » Ergo falsa sunt quæ proponis.

Amplius. Si verum est quod de corpore Christi tu credis et astruis, falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur et astruitur. Omnes

enim qui Christianos se et esse et dici lætantur, veram Christi carnem verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos qui Latinæ linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis quoscunque Christianos homines; uno ore hanc fidem se testantur habere. Porro si universalis Ecclesiæ fides falsa existit, aut nunquam fuit catholica Ecclesia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum quam perniciosus error. Sed non fuisse, aut periisse Ecclesiam, catholicus nemo consenserit. Alioquin non est verum quod Abrahæ Veritas promisit dicens : *In semine tuo benedicentur omnes gentes (Gen.* XXII, 18). Item in Psalmo : *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Item : *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ* (*Psal.* XXI, 28). Et alibi : *Quos redemit de manu inimici, de regionibus congregavit eos, a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari* (*Psal.* CVI, 2, 3). Item beatus Augustinus in prima expositionis psalmorum parte (*in psal.* XXI, *Tract.* 2) : « Ecclesia magna quid est, fratres? Nunquid exigua pars orbis terrarum Ecclesia magna est? Ecclesia magna totus orbis est. » Item in eadem (*Enar. psal.* XXXIX) : «*Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna.* Quam magna? Toto orbe terrarum. Quam magna? in omnibus gentibus. Quare in omnibus gentibus? Quia *in omnem terram exivit sonus eorum.*» Item, in tertia ejusdem operis parte : « Corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. » Item in eadem : « Tabernaculum Domini est ista sancta Ecclesia in toto orbe terrarum diffusa. » Et alibi : « Chorus Christi jam totus mundus est. Chorus Christi ab oriente in occidentem consonat. » Item, in libro De agone Christiano (cap. 29, tom. III) : « Nec eos audiamus qui sanctam Ecclesiam, quæ una catholica est, negant per orbem esse diffusam. » Et quibusdam intermissis (*ibid*) : « Populus autem ipsius, inquit, quando non audit prophetas, et Evangelium, in quibus apertissime scriptum est Ecclesiam Christi per omnes gentes esse diffusam, et audit schismaticos, non Dei gloriam quærentes, sed suam, satis significat se servum esse, non liberum. » Et Dominus in Evangelio : Ager est hic mundus (*Matth.* XIII, 38). Et paulo post : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti* (*ibid.*, 47). Et ad discipulos : *Ite in orbem terrarum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI, 15).

CAPUT XXIII.

Adversus tam clara ipsius Domini et sancti Spiritus ejus de Ecclesia et de statu Ecclesiæ testimonia, objicis tu, et objiciunt qui, a te decepti, alios decipere moliuntur. Itaque dicitis : « Prædicatum est Evangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, crevit, fructificavit, sed imperitia male intelligentium **25** postea erravit, et periit; in nobis solis et in his qui nos sequuntur sancta in terris Ecclesia remansit. Hanc sacrilegam vanitatem evertit evangelica veritas, et prophetarum atque sanctorum Patrum non violanda auctoritas. Unde Ecclesiæ suæ sanctæ in Evangelio suo Dominus pollicetur dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). » Quod minime diceret, si Ecclesiam suam ante consummationem sæculi perituram esse prænosceret. Et alibi : *Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite credere* (*Matth.* XXIV, 23). Augustinus, in secunda psalmorum expositionis parte (*enarr. in psal.* LVI) : « Corpus est autem Ecclesia, non ista, aut illa, sed toto orbe diffusa. » Item in eadem (*in psal.* LXIV) : « Spes omnium filiorum terræ. Non spes unius anguli, non spes unius Judeæ, non spes solius Africæ, non spes Pannoniæ, non spes Orientis aut Occidentis, sed spes omnium finium terræ, et in mari longe. » In eadem (*in psal.* LXXI) : « Hæc prophetia propter eos præmissa est, qui putant religionem nominis Christiani usque ad certum tempus in hoc sæculo victuram, et postea non futuram. Permanebit autem cum sole, quandiu sol oritur, et occidit. Hoc est, quandiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia, id est Christi corpus in terris. » Item in eadem (*in Psal.* XCII) : « *Domum tuam decet sanctitudo, Domine* (*Psal.* XCII, 5); domum tuam, totam domum tuam. Non hic, aut hic, aut ibi; sed domum tuam totam per totum orbem terrarum. Quare per totum orbem terrarum? *Quia correxit orbem terræ qui non commovebitur* (*Psal.* XCV, 10). Domus Domini fortis erit, per totum orbem terrarum erit. » Item in extrema ejusdem operis parte (*in psal.* CI) : « Quid est quod dicis, hæretice, jam perisse Ecclesiam de omnibus gentibus, quando adhuc prædicatur Evangelium, ut possit esse in omnibus gentibus. Ergo usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus gentibus. » In eadem : « Ubi sunt qui dicunt perisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest? » Item in eadem (*in psal*, CV) : « Quisquis putaverit Ecclesiam in una parte esse, et non eam cognoverit diffusam toto orbe terrarum, et crediderit eis qui dicunt : *Ecce hic est Christus, et ecce illic* (*Matth.* XXIV, 23), sicut modo audistis cum Evangelium legeretur, cum ille totum orbem emerit quia tantum pretium dedit, ille tanquam in proximo scandalizatur, a luna uritur. »

Falsum est igitur quod de corpore Christi a te creditur et astruitur. Ergo vera est ejus caro, quam accipimus, et verus est ejus sanguis quem potamus.

Explicit liber beati Lanfranci Cantuariensis archiepiscopi De corpore et sanguine Domini contra Berengarium.

BEATI LANFRANCI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

ADNOTATIUNCULÆ IN NONNULLAS JOANNIS CASSIANI COLLATIONES PATRUM.

252 *Ex vetusto monasterii S. Martini Sagiensis codice ms.*

AD COLLATIONIS VII CAP. XIII.

Licet enim pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt angeli, archangeli, etc., tamen incorporeæ nullatenus existimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus quo subsistunt, licet multo tenuius quam nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam ita dicentis : *Et corpora cœlestia, et corpora terrestria* (*I Cor.* XV, 40).

ADNOTATIO I.

Angeli cæterique spiritus, sicut beatus Augustinus dicit, ad comparationem illius purissimæ incorporalitatis quæ Deus est, corporei sunt ; iidem tamen comparati corporibus, quæ nos sumus, quæque videmus, incorporei sunt.

AD COLLATIONIS X CAP. II.

Post dies admodum paucos quam, etc., Theophili prædictæ urbis episcopi solemnes epistolæ commearunt, quibus cum denuntiatione Paschali contra ineptam quoque anthropomorphitarum hæresim longa disputatione disseruit.

ADNOTATIO II.

Anthropomorphitæ dicti pro eo quod, simplicitate rustica, Deum habere humana membra quæ in divinis libris scripta sunt arbitrantur; ἄνθρωπος enim A Græce, Latine *homo* interpretatur, ignorantes vocem Domini, qui ait : *Spiritus est Deus* (*Joan.* IV, 24). Incorporeus est enim, nec membris distinguitur, nec corporis mole censetur.

AD COLLATIONIS XIII CAP. XIV.

Non inveni tantam fidem in Israel (*Matth.* VIII, 10). Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus quod ipse donaverat pertulisset. Alioquin dixisset : Amen dico vobis : Non dedi tantam fidem in Israel, etc.

ADNOTATIO III.

In hoc tractatu De fide hominis contrarius est iste auctor cæteris sacræ Scripturæ doctoribus, qui evangelicis et apostolicis auctoritatibus asserunt fidem, sicut opera, gratia Dei hominibus dari.

B AD COLLATIONEM XVIII, POST CAP. XVI.

Nos hæc de incautæ definitionis (56-57) immutatione prædiximus, etc.

ADNOTATIO IV.

Ab hoc loco ad finem usque istius collationis, in quibusdam codicibus plures hæreticorum sententiæ (58) reperiuntur insertæ, docentes mendacium aliquando non esse peccatum.

(56-57) *Nos hæc de incautæ definitionis*, etc. Non exstant hæc verba tum in codicibus ms. bibliothecæ Corbeiensis beato Lanfranco antiquioribus, tum etiam in editis, præterquam in translatione seu paraphrasi Dionysii Carthusiani; quem sane vel exemplari simili huic correcto ab eodem Lanfranco usum fuisse, vel mentem ejus in sua translatione assecutum, par est conjicere.

(58) *Plures hæreticorum sententiæ*, etc. Quas composito prætermisisse in decem collationum emendatione videtur beatus archiepiscopus, quippe quæ forsan magis noxiæ lectoribus forent quam profuturæ. Consule doctissimi Gazæi nostri in easdem sententias commentarium, hoc est in cap. 16 et 17 collationis 17 Joannis Cassiani. Porro S. Lanfranci codex decem duntaxat collationes habet, queis nulla est capitum distributio (velut et Dionysianæ translationi). In vulgatis vero, ac in pervetustis mss. eædem in sexdecim, atque in capita dispertiuntur collationes.

BEATI LANFRANCI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

DECRETA PRO ORDINE S. BENEDICTI

HOC EST

ORDINATIONES QUAS MONACHI TUM IN MONASTERIIS, TUM ETIAM IN ECCLESIIS CATHEDRALIBUS OBSERVARE DEBEANT.

253 *Ex antiquo ms. Ecclesiæ Cantuariensis, quod habetur in palatio Dunelmensi Londini.*

PRÆFATIO.

Lanfrancus indignus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ antistes, dilectissimis fratribus suis, Henrico priori et cæteris, salutem et benedictionem.

C Mittimus vobis nostri ordinis cousuetudines scriptas, quas excerpsimus ex consuetudinibus eorum cœnobiorum quæ nostro tempore majoris auctoritatis sunt in ordine monachorum. Addidimus quoque

perpauca, et mutavimus nonnulla, et maxime in celebrandis (A) quibusdam festis, excellentius in nostra Ecclesia oportere ea agi censentes, propter primatem sedem. In quibus nec nobis qui præsentes sumus, nec iis qui post nos venturi sunt, in aliquo præjudicamus, ut non vel eis addere, vel ab eis tollere, vel in eis permutare aliqua valeamus, si aliter ea commodius posse fieri, vel magistra ratione, vel doctiorum auctoritate intelligamus. Quantumlibet enim quisquam proficiat, maximus ei defectus est existimare se ultra non posse proficere; nam numerus fratrum auctus, vel diminutus, facultates locorum, varietas rerum, quæ sæpe eveniunt, diversitates sensuum, quod alii quidem sic, et alii sic intelligunt, pleraque diu servata, plerumque aliter ordinari compellunt; hinc est quod nulla fere Ecclesia imitari (B) aliam per omnia potest. Illud tamen cautissime attendendum est ut ea sine quibus anima salvari non potest omnibus modis inviolata serventur: fidem dico, contemptum mundi, charitatem, castitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam, de perpetratis culpis pœnitudinem, earumque humilem confessionem, frequentes orationes, competens silentium multaque in hunc modum. Hæc ubi servantur, rectissime potest dici regulam beati Benedicti, et monachorum ibi ordinem custodiri, quoque modo varientur cætera, quæ pro arbitrio diversorum in diversis sunt cœnobiis instituta; cujusmodi sunt quod in præcipuis solemnitatibus alibi in tunicis tantum, quos frocos vocant, et alibi in albis et cappis cantores (C) ad vesperas responsorium canunt; quod in eisdem festivitatibus, in aliis locis in albis solummodo, et in aliis, cappis etiam induti procedunt; quod in quibusdam cœnobiis viceni, vel triceni, aut plus, aut minus simul in alveis, et in quibusdam singuli in singulis catinis pedes in claustro ante mandatum abluunt; quod pleraque monasteria mense Februario, transacta beatæ Mariæ festivitate, officium mortuorum post **254** vesperas dicere incipiunt, et pleraque usque ad Septuagesimam præstolantur. Hujus generis plurima alia existunt quæ pro sui prolixitate breviter enumerari non possunt. Hæc tamen ipsa, postquam servanda subjectis a pastoribus ordinantur, ab iis, quorum tota vita in obedientia sita est, sine culpa minime violantur. Inde (D) vero nemo turbetur, quod in tractatu earum consuetudinum nomen abbatis tantum, non episcopi, vel archiepiscopi, ponitur: ordo quippe monachorum describitur, quorum per abbates frequentius quam per antistites vita disponitur, quamvis et ipsi antistites, si paternam curam vice Christi subjectis suis impendant, non absurbe abbates, id est Patres, congruo suis actibus vocabulo appellari queant. Deus pacis et dilectionis vobiscum maneat, et ipse pace et dilectione sua vos repleat, et ab omnibus peccatis clementer absolvat. Amen. Amen.

CAPUT PRIMUM.

ORDINARIUM TOTIUS ANNI.

SECTIO I. — *Ab Octobri ad Adventum Domini.*

Kalendis Octobris remaneat meridiana quam facere solent monachi in æstate; a Dominica prima hujus mensis cantetur, et legatur de libris Machabæorum usque ad festivitatem omnium Sanctorum. Canantur hymni Dominicis diebus usque ad Adventum Domini; ad nocturna *Primo dierum omnium;* ad laudes *Æternæ rerum Conditor*. Privatis diebus, post matutina usque ad festivitatem omnium Sanctorum, revertantur ad lectos suos; illucescente autem die, pulsetur a custode Ecclesiæ parvulum signum modice. Surgentes fratres in nocturnalibus suis, et infantes, et juvenes cum luminaribus suis, veniant in ecclesiam, et facta oratione cantent primam, et psalmos familiares cum suis collectis, et septem psalmos et litaniam. Inde exeuntes sedeant in claustro. Pueri vero primitus alte legant, et postea, si opus fuerit, cantent. Omni tempore, antequam legant infantes, nullus in claustro legat aut cantet, nisi in silentio, nec ad confessionem pergat. Antequam sonet signum ad apparatum tertiæ nullus calceet se diurnalibus suis, exceptis iis quibus extra claustrum cura obedientiæ injuncta est, et hi priusquam exeant aliquantulum in claustro sedere debent, et exspectare ut prius infantes in stolis suis legant. Cum appropinquaverit tempus horæ tertiæ, pulsetur a secretario modice signum minimum, quam skillam (59) vocant, et statim pergant in dormitorium, et calceent se diurnalibus, et cultellos accipiant; deinde ad lavatorium vadant, et prius lavent se, et postea pectinent: dehinc ad ecclesiam veniant, aquam benedictam sumant, in chorum vadant, et incumbentes terræ infantes exspectent. Cum vero infantes loti fuerint, et se pectinare incœperint, pulsetur majus signum ad horam. Accedentes et ipsi ad aquam benedictam in chorum veniant, et, dimisso signo, omnes simul tres orationes faciant. Quibus factis pulsetur minus signum, et canatur tertia. Inchoato psalmo *Miserere mei, Deus*, surgentes missam matutinalem celebrent, ante et retro faciant, et se induere pergant. Celebrata missa sedeant omnes in choro, præter aliquos conversos, qui sacerdotem et eos qui ad missam servierunt adjuvare debent. Quod cum expleverint, redeant et ipsi in chorum. Tunc, jubente abbate, prior sonet signum minimum. Deinde eant omnes in capitulum duo et duo, sicut sunt priores, majores primo, postea infantes. Peracto capitulo, pulsata tabula, dicto ab abbate vel priore *Benedicite*, loquentur in claustro. Infantes capitulum suum teneant, et postea in refectorium pergant. Post sextam nullus in claustro loquatur, donec infantes de monasterio exeant, et minimus eorum alta voce *Benedicite* dicat, facto intervallo pulsata ad apparatum missæ skilla, pulsato ad missam signo oratione facta dicatur ab infante litania,

(59) Aliis scilla, seu squilla, id est campanula.

induantur qui celebraturi sunt missam, et servituri A sunt ad missam. Quarta et sexta feria si post sextam et ante missam per claustrum processuri sunt, non pulsetur skilla ad apparatum missæ, sed cum tempus processionis secretarius instare prospexerit, sonet unum de mediocribus signis; quo audito, statim silentium fiat in claustro. Discalceent se, manus abluant, in ecclesiam vadant, factaque oratione, et pulsatis duobus signis, dictis quæ dici solent, processionem faciant sicut in eisdem diebus in Quadragesima, et in æstate, de qua posterius dicendum est; post missam pulsato signo agatur oratio; post orationem vadant in refectorium accipere mistum hebdomadarii coquinæ, et mensæ lector. Si vero alii sint qui pro utilitate ecclesiæ majori missæ non possint interesse, in potestate abbatis vel prioris **255** sit utrum et B ipsi mistum accipere, et statutam hebdomadariis debeant quantitatem panis, et potus habere. Alii vero fratres interim in choro sedeant, et qui voluerint, legant. Servitoribus in chorum redeuntibus, pulsetur signum, cantetur nona. Cantata nona exeant, prior ad percutiendum cymbalum, hebdomadarii coquinæ, et cæteri qui servituri sunt ad injuncta sibi officia.

Kalendæ Novembris, si die Dominica evenerint, festivitas omnium Sanctorum solemniter agatur; sequentibus vero privatis diebus responsoria dicantur *Vidi Dominum*, et lectiones longæ ex prophetis. Si vero dies Kalendarum feria secunda, aut tertia, aut quarta evenerit, præcedente Dominica inchoetur historia *Vidi Dominum*, sed tamen intervalla non nisi post Kalendas incipiant. Si vero quinta, vel C sexta feria, vel Sabbato Kalendæ exstiterint, sequente Dominica inchoetur historia, et lectiones ex prophetis; lectiones vero grandes, et intervalla mox post festivitatem inchoentur. Ab hac festivitate usque ad quintam feriam ante Pascha, nisi ubi duodecim lectiones, aut octava fuerint, canantur, privatis diebus, post orationes ante officia nocturna, triginta psalmi ab *Ad Dominum cum tribularer*, usque *Omnis spiritus laudet Dominum*. Primi decem pro defunctis sine *Gloria*; sequentes decem pro congregatione bini cum una *Gloria*, extremi decem pro familiaribus et benefactoribus; et hi bini cum una *Gloria*, singuli cum precibus, et collectis suis. Et post nocturna et familiares psalmos, Officium mortuorum, et matutinæ laudes de omnibus Sanctis et D *Verba mea*, si tricenarium habent. Post hæc descendentes e dormitorio sedeant in choro; infantes cum luminaribus in capitulo diligenter a magistris custodiantur, canentes quod necessarium erit, aut si nimis profunda nocte surrexerint, pausent jacentes ad sedilia sua. Isto intervallo debet prior cum absconsa accensa (cæca laterna) per chorum ire ac videre quam regulariter sedeant; deinde per altaria, et membra monasterii, ne forte aliquis ibi dormiat. Si vero aliquem orantem invenerit, silenter pertranseat. Quod si aliquem dormientem repererit, evigilato in chorum, signo facto, reverti præcipiat. Deinde debet per claustrum et in capitulum ire, ac videre qualiter se habeant magistri et infantes, et per loca alia ubi necessarium esse perspexerit. Cum tempus fuerit, pulsato signo, venientibus pueris, facta oratione, canantur matutinæ laudes, commemoratio Sanctorum. Prima cum psalmis familiaribus, et precibus, et collectis suis cum septem psalmis, et litania. Post hæc ita omnia agenda sunt, ut supra dictum est in mense Octobri. Secretario autem sollicite providendum est, ut tali hora matutinas laudes faciat incipere, quatenus omnia luce clarescente finiantur. Si autem dubietate aliqua deluditur, et aliquid noctis post litaniam fuerit, sicut supra in primo intervallo ita se habeant fratres, videlicet ut præter sanguine minutos nullus revertat ad stratum. Clarescente vero die, exeant in claustrum sedere. Ad completorium hymnus *Christe qui lux es, et dies.*

SECTIO II. — *Ab Adventu ad Septuagesimam.*

Dominica ante Adventum Domini canatur historia de sancta Trinitate, hymnus *Primo dierum*, psalmi, *Domine, in virtute*, et reliqui. In tertio nocturno pronuntietur Evangelium : *Cum sublevasset*, et idem legatur a sacerdote revestito cum collecta *Excita, Domine.* Ad laudes psalmi *Dominus regnavit.* Antiphonæ de Trinitate, et similiter super horas usque ad Vesperas, cum capitulis, et versibus, et collectis, ad Benedictus antiphona, et collecta de Trinitate. Post collectam dicatur antiphona ex Evangelio *Cum sublevasset*, cum *Gloria Patri*, versus *Dominus regnavit*, collecta *Excita, Domine*, sermo in capitulo, et matutinalis missa de Dominica, major de sancta Trinitate. Si festivitas duodecim lectionum evenerit, non mutetur ipsa duodecim lectionum festivitas.

Sabbato præcedente Dominicam de Adventu Domini, dimittatur ad vesperas oratio de cruce, usque ad octavas Epiphaniæ. Si festivitas sancti Andreæ in hac die evenerit, agantur pleniter vesperæ de apostolo. Finitis vesperis incipiatur antiphona *Ecce nomen Domini* cum *Gloria Patri.* Dicta antiphona sequatur versus et collecta de adventu Domini. In crastino ad invitatorium, duo fratres in albis, in sede episcopali in cappis. Et ubicunque ordo monachorum qui hic describitur, ad invitatorium, et ad Benedictus, et ad Magnificat præcipitur esse in albis. In sede episcopali institutum est esse in cappis. Lectiones de Isaia propheta usque ad nativitatem Domini. In matutinis laudibus psalmi *Miserere mei, Deus*, et reliqui. Ad Benedictus sacerdos in alba incenset altaria. Ad **256** Primam capitulum, *Domine, miserere nostri*, omnibus Dominicis et festis diebus ad Nativitatem Domini. *Gloria in excelsis Deo* minime dicatur, ad majorem missam diaconus et subdiaconus casulis sint induti. Dominicis et aliis festis, quibus duodecim lectiones faciunt, adipem comedant. Si festivitas sancti Andreæ in hac die evenerit, præcedente Sabbato sicut in Vigilia jejunetur, et missa de Vigilia dicatur : commemoratio ad vesperas, et in crastino ad matutinas laudes, et missa

matutinalis de apostolo agatur. Festivitas vero in crastinum differatur. Ad vesperas ipsius diei capitulum, et cætera quæ sequuntur de apostolo dicantur; dehinc commemoratio de Adventu; privatis diebus preces *Oremus pro omni gradu Ecclesiæ*. Feria quarta, sexta, et Sabbato Quatuor Temporum pronuntientur Evangelia ipsorum dierum. Vigilia Thomæ apostoli, si dies Dominicus non fuerit, radantur fratres, et sic balneentur qui volunt balneari, ut duobus diebus ante Dominicam Nativitatis sint omnes balneati. Si necesse sit, ipso apostolicæ festivitatis die balneari possunt. Ipsa autem balnea hoc ordine disponantur : præcedente die debet abbas, aut qui ordinem tenet, providere unum seniorem religiosum atque prudentem, cui præcipiat curam habere de ipsis, qui commoneat fratres qua hora ire debeant, et videre quam ordinate ibi se contineant. Qui senior illuc pergens videat qualiter sint præparata et quales famuli ibi sint deputati, scilicet non infantes, nec juvenes, sed ætate provectiores. Quod si aliquid incongruum viderit indicet camerario, et ille statim emendet. Reversusque senior in claustrum commoneat fratres quod opus esse cognoverit. Sed hoc caveat ne adolescentes et novitii simul eant, sed cum senioribus. Illi vero fratres quos commonuerit, postquam rasi fuerint accipientes vestimenta, quæ mutare debent, pergant ad locum in quo balnea præparantur, ibique exuentes vestimenta sua sic ordinate, (ut in dormitorio facere consueverunt,) intrent unusquisque ubi ei fuit demonstratum, et, deposito velo quod ante eos pendet, sedeat cum silentio. Si quid vero ei necessarium fuerit, modeste signo aliquo petat, famulus velo elevato deferat illi celeriter quod petit, et statim revertatur. Postquam satis ablutus fuerit, non delectetur ibi diutius demorari. Surgens vero calceatus atque vestitus, sicut in dormitorio consuevit, ablutis manibus revertatur in claustrum. Adolescentes qui sunt in custodia, cum custodibus suis eant, et revertantur. A prima usque ad completorium omnibus horis possint ire fratres ad balnea, sed nullus præsumat ire absque licentia fratris cui hoc commissum est.

Si vigilia Dominicæ Nativitatis in Dominica die evenerit, duo fratres invitatorium de Dominica in Albis dicant, primum et secundum nocturnum de ipsa Dominica fiant, tertium et matutinæ laudes de vigilia. Post primam collectam commemoratio de Dominica; missa matutinalis de Dominica, major de vigilia. Alia vero die, sicut privatis diebus, signa pulsentur et triginta psalmi dicantur. Invitatorium duo canant, sed non in albis. Evangelium pronuntietur. Capitulum ad nocturnum, et oratio et versus de vigilia. Cætera sicut retroactis diebus, scilicet officium mortuorum, matutinæ de omnibus sanctis, infantes in dormitorium vadant, et in capitulum revertantur. Ad laudes sicut aliis diebus, pulsetur unum signum, factaque oratione supra formas pulsentur omnia signa; quibus cessantibus incipiant matutinas laudes. Psalmi *Dominus regnavit* et reliqui. Primam antiphonam hebdomadarius incipiat. Capitulum, *Paulus servus Christi Jesu*. Sacerdos indutus alba incenset altaria. Preces *Ego dixi, Domine*. Psalmum unum *Miserere mei, Deus*. Commemoratio sanctorum, prima, psalmi, litania; dicta tertia et missa matutinali, signum capituli diutius solito est pulsandum, ut cunctis occupationibus prætermissis ad initium capituli omnes conveniant, ut cum Christi Domini nostri Nativitas pronuntiatur prosternant se cuncti in terram, lector etiam ante analogium, pariter orantes, usque dum qui ordinem tenet, oratione facta, erigat se. Pronuntietur Evangelium, et ex eo sermo agatur. Post sextam, facto intervallo, pulsetur signum, conveniant fratres in ecclesiam, orationem communiter faciant, litania minime dicatur, induantur missam celebraturi, sacerdos honorifice, levita dalmatica, duo subdiaconi tunicis, unus ad prophetiam, et alter ad Epistolam, duo albis ad responsorium, cantor hebdomadarius cappa ad chorum, tres conversi unus ad thuribulum, duo ad candelabra, pulsetur classicum ad canonem supra formas, prosternantur tubulæ refectorii coopertæ.

In nocte Dominicæ Nativitatis omnia signa primum pulsentur, ad invitatorium quatuor fratres in cappis. In unoquoque nocturno ad tertiam lectionem duo sacerdotes cappis induti duo thuribula circumferant **257**, primo duobus altaribus, majori et matutinali, dehinc fratribus in choro sedentibus. In tertio nocturno pronuntientur hæc Evangelia: *Liber generationis*, *Exiit edictum*, *Pastores*, *In principio*. Quibus expletis cum responsoriis suis incipiat dominus abbas *Te Deum laudamus*. Quo dicto, legat Evangelium *Liber generationis*. Dicta oratione, incipiat cantor antiphonam *O beata infantia*. Quam canentes eant ad altare Sanctæ Mariæ, et ibi dictis matutinis de omnibus Sanctis, vadant in dormitorium. Deinde pulsetur unum de majoribus signis, sicut pulsari solet skilla in duodecim lectionibus post capitulum, ante matutinalem missam. Tunc fratres qui ad missam induendi sunt vadant ad locum constitutum, ubi sit optimus ignis a famulis camerarii præparatus, baccilia (60) quoque, et manutergia, et aqua calida ad abluendas manus. Hac sola vice, antequam lavent, pectunt capita sua; alio enim tempore prius lavant, postea pectinant. Post hæc pergant in ecclesiam, et facta oratione induant se ad celebrandam missam. Sacerdos honorifice, levita dalmatica, duo subdiaconi tunicis, unus ad prophetiam, et alter ad Epistolam, ad responsorium, et alleluia, quot cantor præceperit, et hi in cappis, tres conversi, tres cantores in choro, ante quos duo candelabra cum cereis accensis, infantes omnes. Pulsetur classicum (61), et post inchoetur

(60) Baccilium forte pelvis, vernacule *bassin* vel *baquet*.

(61) Classicum hic sumitur vel pro ultimo signo, vel pro majori campana, in turri ecclesiæ posita.

missa. *Gloria in excelsis Deo*, et sequentia cantantur. Celebrata missa, exeant sacerdos et qui ad missam servierunt et qui in choro albis, vel cappis induti fuerunt. Quibus devestitis, et pulsatis omnibus signis, cantent matutinas (62) (decretas Lanfranci) laudes. His ita expletis, factaque commemoratione de sancta Anastasia, et dictis familiaribus psalmis, revertantur ad strata. Apparente autem luce pulsetur, ut supra, unum de majoribus signis. Quo audito, expedite surgentes omnes, et abluti manus et facies, qui ad missam induendi sunt veniant in oratorium, factaque oratione induantur, sicut ad priorem missam. Ad quam missam, antequam incipiatur, pulsetur classicum. Expleta autem missa, vadant in dormitorium calceare se ; postea solito more loti, et pexi, faciant in oratorio orationes tres solitas ; dicta tertia, omnes induti cappis faciant processionem. Ad quam tertiam dicatur antiphona *Hodie intacta virgo*. Cum autem venitur ad locum ubi dicitur *ipsum adoremus*, ab omnibus flexis ad terram genibus supplicetur, et hoc servetur quotiescunque prædicta antiphona in monasterio cantatur.

Tres sequentes festivitates, id est beati Stephani, Joannis apostoli, sanctorum Innocentium, uno eodem modo celebrentur. Ecclesia his tribus diebus, sicut in die Dominicæ Nativitatis, ornata permaneat. Pulsentur signa, accendantur luminaria, agantur cætera omnia, sicut in aliis duplicibus et secundæ dignitatis festivitatibus, de quibus posterius dicendum est. Ad vesperas super psalmos imponant antiphonas de ipsis festivitatibus, quibus et quas cantor præceperit. Transactis primis diebus, de ipsis festivitatibus nulla commemoratio fiat, nisi in extremis ipsarum festivitatum diebus ; tunc tantum tres lectiones fiant. Per totam hebdomadam missa matutinalis, *Puer natus* ; major, in quinta die, *Dominus dixit* ; in crastino, introitus *Puer natus*, et quod sequitur de *Lux fulgebit*. Hi duo dies agantur, sicut in privatis duodecim lectionibus, nisi quod tres lectiones fiant. Pronuntientur vicissim in eis Evangelia Dominicæ Nativitatis. Festivitas sancti Sylvestri agatur sicut privata festivitas duodecim lectionum. Tertium nocturnum, et laudes de Dominica Nativitate ; officium *Dum medium silentium*, ante Epiphaniam, dicatur. Circumcisio Domini celebretur, sicut una de tribus superioribus festivitatibus, excepto quod aula monasterii non ornatur, quæ quinta Dominicæ Nativitatis die disparari debet.

In crastino post circumcisionem Domini, incipiant legere Epistolas S. Pauli. Post nocturna agant officia Mortuorum, postea pulsetur signum, cantent matutinas laudes, et matutinas de omnibus Sanctis. Postea revertantur ad lectos. Hoc modo agatur usque ad octavas Epiphaniæ, nisi fuerit festivitas duodecim lectionum.

In vigilia Epiphaniæ non jejunetur ; officium ad missam *Lux fulgebit* ; ad vesperas super psalmos, una antiphona, *Stella ista*. In crastino ad invitatorium tres in cappis. Processio non agatur ipsa die, nisi dies Dominica sit. Tunc enim fit in albis ante tertiam per claustrum, sacerdote eunte per officinas, sicut mos est Dominicis diebus. Ad vesperas dicantur antiphonæ, et psalmi usque ad capitulum, sicut in die Nativitatis. Ultima octavarum die agatur totum servitium noctis de ipsis octavis, commemoratio tantum de sancto Hilario, et missa matutinalis vesperæ usque ad capitulum, sicut die Epiphaniæ.

Post octavam diem Epiphaniæ, inchoentur responsoria de psalmis. Psalmodia vero, et cætera omnia agantur nocte ac die, **258** sicut ante Nativitatem.

Vigilia Purificationis sanctæ Mariæ dicantur ad vesperas antiphonæ *O admirabile*, et reliquæ ; psalmi de ipsa feria, capitulum *Ecce ego mitto angelum*. In crastino, cantica *Populus qui ambulabat*. Ad tertiam sint omnino albis induti ; dicta tertia ponatur ante altare tapetum, ubi supra ponantur candelæ, quas benedicat sacerdos, aqua benedicta aspergat, et incenset, alba et stola indutus. Postea custos dividat eas, singulis singulas tribuens. Cum autem cœperint accendi, cantor incipiat antiphonam *Lumen ad revelationem !* Qua dicta et cum versibus cantici *Nunc dimitis*, quantum cantor satis esse perspexerit, repetita, exeant ad processionem, cantore incipiente antiphonam. *Ave, gratia*, et alias, si necesse fuerit, per majores monasterii portas introeant, ante Crucifixum stationem faciant ; finito cantu quem incœperant, cantore statim incipiente antiphonam *Cum inducerent*, canentes chorum intrent, pulsentur signa, et missam celebrent. Post refectionem in claustro sedeant, donec servitores de refectorio exeant. Qui cum exierint, et monasterium ingressi fuerint, pulsentur duo majora signa et canatur nona. Qua cantata exeat prior, et sonet cymbalum, et postea vadant in refectorium. Hanc consuetudinem habeant usque ad Dominicam Psalmarum, exceptis jejuniorum diebus. Hoc die inchoandus est psalmus *Ad Dominum, cum tribularer*, qui pro Vigilia Mortuorum dicendus est usque ad Kalendas Novembris. Ad vesperas antiphonam *Tecum principium*, psalmum *Dixit Dominus*, antiphonam *Redemptionem*, psalmum *Confitebor*, antiphonam *Exortum est*, psalmum *Beatus vir*, antiphonam *De fructu*, psalmum *Memento*. Privatis diebus post vesperas agant Vigiliam Mortuorum, nisi in crastino sit festivitas duodecim lectionum. Post nocturna usque ad quintam feriam ante Pascha, privatis diebus, dicant solitos duos psalmos, cum precibus et collecta ; postea *Exsultabunt Domino*. Dehinc matutinas de omnibus Sanctis, reliqua omnia sicut ante Nativitatem Domini.

SECTIO III. — *A Septuagesima ad Dominicam Passionis.*

Dominica prima Septuagesimæ *alleluia* ex toto dimittatur ; loco *alleluia* per singulas horas *laus tibi*,

(62) *F.*, adjecta videntur hæc duo verba.

Domine, rex æternæ gloriæ, usque ad paschalis vigiliæ vesperas dicatur. Historia *In principio fecit Deus* canatur; quinque libri Moysis, et Josue, et Judicum, et Ruth, ad legendum ponantur Dominicis diebus et cæteris duodecim lectionibus usque ad Pascha. Capitulum ad primam *Domine, miserere nostri*; dicatur *Gloria in excelsis Deo*, et *Ite missa est* usque ad paschale Sabbatum minime dicatur; dalmatica, et tunica ad missam usque ad cœnam Domini minime induantur; loco earum casulis ministri vestiantur. Ipso die adipem comedant; deinceps usque ad Pascha abstineant.

Feria quarta in Capite jejunii, capitula *Convertemini ad me*, et cætera quæ sequuntur. Post sextam revertantur in claustrum locuturi, cum tempus fuerit pulsetur unum de mediocribus signis, quo pulsato statim silentium fiat in claustro. Discalceent se, et pergant abluere manus, et sic vadant in ecclesiam sine ulla mora, faciantque orationem unam communiter; qua facta pulsentur duo signa, inchoante infante *Exsurge, Domine*; psalmus *Deus, auribus nostris*. His expletis, dicat sacerdos *Ostende nobis, Domine*. Sequatur *Kyrie, eleison. Pater noster, et ne nos*; psalmus *Deus misereatur nostri*; capitulum *Et veniant super nos*, collecta pro peccatis *Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces*. Post hæc, benedicat sacerdos cineres, stolam tantum habens, et sparsa desuper aqua benedicta mittat cineres super capita fratrum dicendo: *memento quia cinis es, et in cinerem reverteris*. Interim cantetur antiphona *Immutemus* cum versibus psalmi *Deus misereatur nostri*, uno aut pluribus, si opus fuerit. Hoc facto exeant ad processionem, cantantes has antiphonas *Exaudi nos, Domine*; *Juxta vestibulum*. Quæ duæ antiphonæ, id est, *Exaudi nos* et *Juxta vestibulum*, ad omnes processiones Quadragesimæ, quæ quarta et sexta feria fiunt, eodem ordine cantentur. Percantatis antiphonis, incipiant duo infantes litaniam. Hoc ordine agatur processio sexta feria, quæ sequitur Caput jejunii, et quarta, et sexta feria per totam Quadragesimam, usque ad quartam feriam ante paschalem festivitatem, nisi festivitas duodecim lectionum in ipsis feriis evenerit. Notandum quia, si in capite jejunii festivitas duodecim lectionum evenerit, non celebratur ipsa die, sed differtur in crastinum.

Dominica prima Quadragesimæ, invitatorium, duo in albis; post completorium suspendatur cortina inter chorum et altare. Feria secunda ante tertiam, debent esse coopertæ crux, coronæ, capsæ, textus qui imagines deforis habent. Priusquam **259** fratres intrent capitulum, custos librorum debet habere congregatos libros in capitulo super tapetum extensum, præter eos qui præterito anno ad legendum dati sunt; illos enim intrantes capitulum ferre debent, quisque suum in manu sua. De qua re præmoniti esse debent a prædicto librorum custode in capitulo præcedentis diei; legatur sententia regulæ sancti Benedicti de observantia Quadragesimæ.

A Facto igitur ex eo sermone, prædictus librorum custos legat Breve, qualiter præterito anno fratres habuerunt libros. Cum vero audierit unusquisque nomen suum pronuntiari, reddat librum qui ad legendum sibi alio anno fuerat commendatus. Et qui cognoverit se non perlegisse librum quem recepit, prostratus culpam dicat, et indulgentiam petat. Iterum prædictus librorum custos unicuique fratri alium librum tribuat ad legendum; distributis per ordinem libris, præfatus librorum custos in eodem capitulo imbreviet nomina librorum, et eos recipientium. Si hac die festivitas duodecim lectionum evenerit, legantur duæ lectiones in capitulo, una de Evangelio, et altera de observantia quadragesimæ; B altera legatur statim post alteram; lecta posteriore lectione tunc primum dicat lector, *Tu autem, Domine*. Ipsa die incipiant preces *Oremus pro omni gradu Ecclesiæ*, psalmos prostratos, id est, septem pœnitentiales, et septem primos graduum, binos quidem, unum hinc, et alterum inde per singulas horas usque ad vesperas; ad vesperas vero quatuor cum capitulis, et collectis pro peccatis, adjungentes in fine, *et ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus, tribue venire gaudentes*. Hac die incipiant portare absconsam ad secundam tantum lectionem. Tribus diebus, id est, secunda feria, quarta, et sexta usque ad Pascha nec pulsetur tabula post capitulum, nec loquantur in claustro. Quarta et sexta feria post sextam antequam de choro exeant C dicant *Deus, auribus nostris*. In his duabus feriis post nonam sedeant in claustro, factoque parvo intervallo, pulset secretarius unum de mediocribus signis; tunc discalceent se omnes et lavent manus, veniantque in chorum, et facta oratione inchoet infans antiphonam *Exsurge, Domine, adjuva nos*. Pulsentur duo signa, dicat sacerdos *Ostende nobis, Domine*, subsequantur *Kyrie eleison, Pater noster*. Psalmus, quarta feria, *Deus misereatur nostri*; sexta feria, *Deus, in adjutorium meum*. Item sacerdos. *Et veniat super nos*; oratio pro peccatis. Postea inchoet cantor antiphonam, et eant ad processionem. Litania ut supra. Ad hanc processionem nullus vadat calceatus, nisi sacerdos et levita. Si quis pro aliqua infirmitate nudis pedibus ire nequiverit, de D processione remaneat. Redeuntes de processione nullus præsumat se calceare sine licentia. Expleta missa, et facta oratione ad vesperas lavent pedes et manus, et dicant vesperas.

Si festivitatem celebrari in quadragesima contigerit, præcedenti die dum canitur *Agnus Dei*, ad majorem missam colligatur cortina et auferantur de choro formæ, quæ auferri solent in duodecim lectionibus. Missa finita agatur oratio vespertina sicut Sabbato. Post collectam de festivitate dicatur antiphona de feria, cum *Gloria Patri*; psalmi prostrati minime dicantur. Post vesperas de omnibus Sanctis canantur vesperæ Mortuorum; vigilia mortuorum minime agatur; in die festivitatis post matutina de omnibus Sanctis dicantur matutina mortuorum. Postea revertantur ad

lectos. Post primam, dictis consuetis psalmis fami- A liaribus, cum capitulis, et collectis suis, dicantur septem psalmi cum litania. Per singulas horas usque ad vesperas, a prima incipientes, dicant psalmum *Inclina Domine*, pro his quos prostrati dicturi erant. Post capitulum sedeant in claustro cum silentio, usque dum pulsetur signum ad tertium; infantes quoque post capitulum suum, descendentes de dormitorio, hoc intervallo in schola sua sedeant et legant. Totam diem solemniter agant, utræque missæ ad majus altare celebrentur. Ad missam jejunii nec litania præmittatur, nec ad canonem supra formas curventur. Ad vesperas, nisi in crastino sit festivitas duodecim lectionum, inter signa dicant *Deus auribus nostris*, post collectam festivitatis collectam de feria, cum *Gloria Patri*; post vesperas de B omnibus Sanctis, vesperas pro defunctis. Vigilia mortuorum ipsa die minime agatur. Post completorium cortina extendatur, et formæ in chorum referantur.

SECTIO IV. — *Tempore Passionis Dominicæ.*

Sabbato ad vesperas ante Passionem Domini dimittatur oratio de cruce, nec ad responsoria, nec ad invitatoria, nec ad missas dicatur *Gloria*, usque ad Pascha, nisi missa familiaris sit in conventu, vel extra conventum, et nisi festivitatem alicujus sancti hoc tempore celebrari contingat. Quæ si evenerit, et ad responsoria, et ad missam dicatur *Gloria Patri*, sicut alio **260** tempore. Hoc tempore legatur Jeremias usque ad Pascha. C

Dominica in Palmis ad invitatorium, duo in albis. Evangelium pronuntietur *Cum appropinquasset*; de quo et lectio, et sermo in capitulo. In quo capitulo ordinet abbas, vel prior, processionem et quid quisque portare debeat, et qualiter ordinate eant ac redeant fratres. Sacerdotes ad privatas missas unam tantum collectam dicant, Evangelium *Cum appropinquasset*, Passionem nullus legat, nisi fratres qui in formis cantant; missa matutinalis cum una collecta. Post matutinalem missam benedicatur aqua, ad quam sint omnes albis induti. Fiat processio per claustrum, ut mos est, omnibus Dominicis diebus; Intrantibus ecclesiam pulsentur signa, et finito responsorio, et dictis quæ dici solent Dominicis diebus, cantatur tertia. Cantata tertia legatur Evan- D gelium *Turba multa*. Postea accedens abbas, aut sacerdos, benedicat palmas, et flores et frondes ante majus altare supra tapetum posita, aqua benedicta aspergat, et incenset. Accedentes secretarii distribuant ea, palmas abbati, et prioribus, et personis honestioribus, flores et frondes cæteris. Interim cantore incipiente, cantatur antiphona *Pueri Hebræorum*, et alia, *Pueri Hebræorum*. His ita expletis proficiscatur processio, cantore incipiente quæ ad hanc processionem cantari oportet. Qua de choro exeunte, pulsentur omnia signa. Præcedant famuli cum vexillis, sequatur conversus [*j.* novitius], ferens situlam cum aqua benedicta, alii duo portantes duas cruces; item duo cum duobus candelabris accensis desuper cereis, alii duo ferentes duo thuribula igne et thure referta. Quod thus in thuribulo debet ponere, vel abbas si in choro est, conversis thuribulis, et arculam (63) cum thure deferentibus; vel ipse cantor, si abbas deest. Ipse enim distribuit quæ portanda sunt, et processionem ordinat, Hos sequantur duo subdiaconi portantes duos textus Evangeliorum. Post quos laici monachi, deinde infantes cum magistris. Post quos cæteri fratres præcedentes abbatem qui ultimus procedit, duo et duo, sicut sunt priores.

Hæc sunt quæ ad hanc processionem cantanda sunt, vel omnia, vel quantum permiserit spatium loci quo ituri sunt: *Ante sex dies; Cum appropinquaret, Prima autem azymorum, Dominus Jesus, Cogitaverunt, Cum audisset populus, omnes collaudant.* Cum autem perventum fuerit ad ipsum locum, fiat statio a toto conventu. Cantore autem incipiente antiphonam *Occurrunt turbæ*, exeant duo sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, quod parum ante diem ab eisdem sacerdotibus illuc debet esse delatum, in quo et corpus Christi esse debet reconditum. Ad quod feretrum præcedant statim qui vexilla portant et cruces et cætera quæ superius dicta sunt. Et stantibus iis qui feretrum portant, stabunt et ipsi a dextera et a sinistra ipsius feretri, ordinate sicut venerunt. Pueri vero accedentes stabunt, versis vultibus ad ipsos reliquos, cum magistris suis et quibusdam cantoribus qui auxilio eis esse possunt. Majores vero versi erunt ad invicem, eo modo quo in choro stare solent. Sic autem ordinetur hæc statio, ut modicum intervallum sit inter pueros et majorem conventum. Finita antiphona *occurrunt turbæ*, incipiant pueri et qui cum eis sunt antiphonam *Hosanna filio David* flectentes genua et in principio, et in fine antiphonæ, quia in utroque *Hosanna* dicitur. Quam antiphonam chorus repetat, et similiter genua flectat. Deinde a pueris cantetur antiphona *cum angelis*, in fine tantum antiphonæ genua flectentibus. Quæ antiphona a conventu repetatur et similiter venia accipiatur.

Taliter his peractis, abbate vel cantore incipiente antiphonam *Ave, rex noster*, transeant portitores feretri per medium stationis, præcedentibus his qui vexilla portant, et cæteris superius dictis portitoribus, servato ab omnibus ordine in redeundo quem habuerunt in eundo. Quibus transeuntibus flectent genua, non simul omnes, sed singuli hinc et inde, sicut feretrum transibit ante eos. Percantata hac antiphona, cantent et alia, si spatium loci plura poposcerit. Cum venerint ad portas civitatis stationem faciant, separatis ad invicem, prout locus patietur, utrisque lateribus, feretrum vero ante introitum portarum sic ponatur super mensam pallio coopertam ut prædicti portitores, ex utroque latere stantes, habeant ad feretrum in medio eorum positum versas facies suas. Locus vero super intro-

(63) *Arculam;* nunc *naviculam* appellant.

itum portarum honeste debet esse paratus et cortinis [aulæis *seu* tapetibus] et dorsalibus.

Taliter ordinata statione, canant pueri de loco apto, et qui præcepto cantoris cum eis erunt, *Gloria laus*, et similiter chorus respondeat. Pueri, *Israel es tu Rex*, et chorus, *Cui puerile decus;* item pueri, *Plebs Hebræa tibi,* et chorus, *Cui puerile;* item pueri, *Cœtus in excelsis*, et chorus, *Gloria laus.* His dictis inchoet cantor responsorium *Ingrediente Domino;* et ingrediente civitatem processione, duo majora signa **261** pulsentur, donec cætera signa, processione intrante in chorum, pulsentur ad missam. Sic ordinata processio, veniens usque ante portas monasterii, faciat stationem, servantibus pueris ordinem suum inter utrumque chorum. Deponatur iterum feretrum super mensam pallio coopertam. Cantor vero sic antea incœptum habeat responsorium *Collegerunt pontifices* ut tunc prope cantatum sit; quo cantato tres aut quatuor fratres, induti cappis quas secretarius ibi paratas habeat, canant versum *Unus autem ex ipsis*, stantes inter chorum et reliquias. Quo finito, cum regressu intrent ecclesiam, cantore inchoante antiphonam *Principes*, et aliam *Appropinquabat.* Et ingressi Ecclesiam faciant stationem per omnia similem ante Crucifixum prius detectum. Atque ibi a tribus vel quatuor fratribus cantetur in cappis responsorium *Circumdederunt.* Quo cantato incipiat abbas responsorium *Synagogæ*, et intrent chorum sonantibus ad missam signis, missam celebrent, palmas et frondes in manibus habeant, easque post oblationem panis et vini, incipiente diacono, cuncti per ordinem offerant.

Tabulæ refectorii coopertæ sint. Post mensam meridiana hora in lectis suis quiescant. Appropinquante hora nona, pulset secretarius signum minus modice; tunc surgant omnes, et lavent manus et facies, et pectant se, et pergant in ecclesiam sedeantque in choro. Cum infantes loti fuerint et ad tersoria ire cœperint, pulsante majus signum secretario, surgant omnes de sedilibus suis, et, ingressis chorum infantibus, faciant prius orationem, postea cantent nonam. Qua cantata pulsato cymbalo a priore pergant omnes in refectorium. Talis ordo de meridiana servetur tota æstate, exceptis jejuniorum diebus, usque ad Kalendas Octobris.

Feria tertia radendi sunt fratres, in claustro simul ipsa die; et in crastino debent esse balnea præparata. Quæ quo ordine fiant, et quomodo illuc fratres ire et qualiter ibi se habere debeant, superius dictum est, cum sermo esset de balneis ante Christi Nativitatem præparandis.

Feria quarta non agatur processio; cætera agantur more solito usque ad vesperas. Ante vesperas non dicantur psalmi *Deus, auribus nostris*, pulsentur signa sicut in festis diebus, responsorium *Circumdederunt me.* Hebdomadarius canat preces *Ego dixi, Domine*, psalmus ad preces solummodo *Miserere mei, Deus*, psalmi prostrati non dicantur. Post vesperas de omnibus Sanctis, dicantur vesperæ pro

A Defunctis; officium Mortuorum, quod post mensam dici solet non dicatur; hymnus ad completorium *Te, lucis ante terminum*, qui similiter dicendus est omnibus diebus usque ad Kalendas Novembris. Post completorium cortina deponatur.

Feria quinta tot candelæ accendantur ante *Lætare*, quot antiphonas et quot responsoria cantari oportet. Finitis tribus orationibus sedentes psallant singuli silenter quindecim psalmos, absque *Gloria Patri*, cum capitulis et collectis consuetis. Ad *Pater noster* prosternant se super formas, et abbate signum faciente surgant. Inter psallendum et ante nocturnam pulsentur signa sicut in duodecim lectionibus. Pulsatis omnibus signis inchoet hebdomadarius antiphonam *Zelus domus tuæ.* Cum incipiunt
B psalmum, petant veniam super formas, et ad matutinas laudes similiter. Per singulas antiphonas et singula responsoria exstinguantur singulæ candelæ; lectiones sine *Jube, domne*, vel *tu autem* legantur. Primæ tres de lamentationibus Jeremiæ sine cantu et alphabetis præscriptis; in secundo nocturno, de expositione psalmi *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor;* in tertio de Epistola Pauli *Convenientibus vobis;* antiphonæ omnes et versiculi absque finis melodia. In matutinis laudibus, cum incipiunt psalmum *Laudate Dominum de cœlis*, vadant magistri inter infantes, qui et versi sint ad priores, sicut et ipsi infantes; juvenes vero, qui in custodia sunt, mistim sint in ordine seniorum. Candelæ exstinguantur in toto monasterio, præter unam, quæ
C in choro ardeat; quæ et ipsa, cantore incipiente antiphonam *Traditor autem*, exstinguatur. Finita antiphona curventur super formas sub silentio dicentes *Kyrie eleison, Pater noster*, preces *Ego dixi, Domine*, psalmum *Miserere mei, Deus*, solum sine *Gloria Patri*, collectam *Respice, quæsumus, Domine;* signoque facto ab abbate vel priore surgentes inclinent, sicut solent, ante et retro, et stet unusquisque in loco suo usquequo magister infantum laternas accensas in chorum deferat, et ipsis infantibus tribuat; secretarius quoque accendat lumen ante altare, unde juvenes laternas suas accendant. His ita peractis, revertantur omnes ad lectos suos.

Lucescente die, ita ut pueri et juvenes sine la-
D ternis possint exire, pulsetur a secretario parvulum signum modice. Statim surgentes fratres calceent se nocturnalibus suis, et sic veniant in chorum, curvantes se super formas in ordine suo, quousque **262** infantes veniant. Qui dum venerint, peracta oratione, factoque signo ab abbate, surgentes statim incipiunt hymnum *Jam lucis orto sidere*, absque *Deo Patri sit gloria.* Et inchoata antiphona, dicantur regulares psalmi, et *Quicunque vult* sine *Gloria Patri.* Finita antiphona, curvati super formas, dicat unusquisque apud se in silentio *Kyrie eleison, Pater noster, Credo in Deum*, preces usque ad confessionem, factoque signo ab abbate, dicatur confessio. Deinde silenter quæ sequuntur dicant: *Converte nos*, et cætera; *Miserere mei, Deus*, sine *Gloria*, collectam

Domine Deus, qui ad principium. Post hæc dicantur A in alto septem psalmi absque *Gloria*, cum solita litania; deinde sedeant in claustro usque tertiam. Cum tempus tertiæ fuerit, sonet secretarius minimum signum, sicut aliis diebus. Tunc pergant fratres se calceare, et cætera, sicut aliis diebus fieri solet, pulsato ad tertiam signo, factis tribus orationibus solitis. Pulsato alio signo inchoet infans statim hymnum *Dei fide qua vivimus*; sed non dicatur ultimus versus *Gloria tibi, Trinitas*. Et pronuntiata antiphona dicantur psalmi regulares a beato Benedicto instituti sine *Gloria*; dictis psalmis, et percantata antiphona, curvati supra formas dicant in silentio *Kyrie eleison*, et cætera quæ sequuntur. Collecta *Respice, quæsumus, Domine*. Post hæc pulsetur solitum signum ad capitulum, lectio sine *Jube*, B *domne*, versus in silentio dicatur, legatur sententia de regula sancti Benedicti sine *Tu autem*, factoque ex ea sermone, correctis quæ corrigi oportet, dicantur consuetudines quæ agendæ sunt ab ipso capitulo usque ad crastinum capitulum; dehinc ordinentur quæ ad servitium totius diei ordinanda sunt Quibus ordinatis surgant canentes alte *Verba mea* si defunctum, aut Breve pro defuncto habeant. In silentio autem dicant *Pater noster*, *A porta inferi*, *Absolve, Domine*. Pulsata tabula loquantur in claustro.

Cum tempus fuerit pulsetur signum ad sextam, et facta oratione pulsatoque alio signo, inchoet infans hymnum et cætera, sicut fecerunt ad tertiam; dehinc pulsato signo loquantur iterum in claustro. C Tunc secretarius pulset parum signum minimum, sicut in duodecim lectionibus ante matutinalem missam. Celebretur tunc ab hebdomadario minoris missæ missa pauperibus qui mandato interesse debent, ducente eos fratre eleemosynario, cooperantibus cæteris fratribus quibus injunctum fuerit. Expleta missa, communicet sacerdos ipsos pauperes de oblatis non consecratis, signo tantum sanctæ crucis, in nomine Domini super eos facto; dehinc ducantur ad reficiendum.

His actis, pulsato signo ad nonam, facta oratione pulsatoque alio signo, canatur nona, ut tertia et sexta. Qua cantata, induantur infantes et qui missam sunt celebraturi, sacerdos videlicet, vel abbas honorifice, diaconus dalmatica, subdiaconus tunica, D duo ad responsorium, tres conversi (64) ad candelabra, et thuribulum. Interim auferantur formæ de choro quæ auferri solent; pulsentur signa sicut in festis diebus. Cantor hebdomadarius chorum teneat in cappa, missa festive celebretur, *Gloria in excelsis Deo* minime dicatur, nisi episcopus missam celebret et chrisma faciat; nunc etiam in fine missæ *Ite missa est* dicitur. Tot hostiæ ponantur ad sacrandum quot sufficere possint ipso die et in crastino ad communicandum. Quatuor his diebus nullus a communione se subtrahat, nisi subtrahendi rationabilis causa existat (65) Celebrata fere missa reportentur in chorum formæ; pulsetur tabula ad vesperas. Expleta missa fiat oratio vespertina supra formas. Interea sacerdos præcedente processione cum ad altare venit, vadat ad locum constitutum decentissime præparatum, ibique reponat corpus Domini, incensato ipso loco, et ante repositionem, et post repositionem. Ante quem locum lumen continue ardeat. Quo completo, vadant in refectorium accipere mistum. Ingressi autem refectorium faciant ante, et retro ante sedilia sua, et considentes sumant mistum de pane tantum et potu, quem super justitias suas a refectorariis in scyphis positum invenerint.

Dum hæc aguntur, cellerarius et eleemosynarius, et cæteri quibus injunctum fuerit, introducant pauperes in claustrum, et faciant eos ordinate sedere, alterum juxta alterum. Qui pauperes, priusquam claustrum introeant, pedes suos abluere debent aqua calida, a camerariis ministrata. Omnia vero in locis convenientibus debent esse præparata, quæ ad mandatum opus sunt necessaria, scilicet aqua calida a camerariis, in vasis idoneis parata; alia quoque vasa, ac tersoria ad pedes, manutergia ad manus, a cellerario scyphi et potus, et si quæ sunt hujusmodi. Præsto sint ad serviendum famuli camerarii, et aliorum ministrorum qui ad hoc sunt idonei, Qui prius, per eos quibus jussum fuerit, bene debent esse instructi qualiter eos servire oporteat. His ita ordinatis, cum visum fuerit abbati, surgat. Reliqui **265** quoque fratres surgentes ante et retro inclinent. Egressi refectorium infantes divertant cum magistris suis in scolam suam, ibique stent misti magistris suis ante pauperes suos, reliqui quoque fratres surgentes veniant ante pauperes suos, et stent ordinate ante eos, sicut sunt priores, singuli ante singulos; abbas vero duos habeat. Tunc prior jussu abbatis percutiat tabulam tribus ictibus, et inclinantes se flexis ad terram genibus adorent Christum in pauperibus. Abbas vel cantor incipiat antiphonam *Dominus Jesus*, et alias quæ conveniunt. Singuli singulis abluant pedes, tergant et osculentur ore et oculis. Ablutis cunctorum pedibus pauperum, duo ex fratribus quibus jussum fuerit ministrent abbati, unus aquam, et alter manutergium, famuli autem reliquis fratribus. Postea accipiens abbas baccilia et manutergium a fratribus qui ei servierunt, reliqui fratres a famulis, serviant et ipsi pauperibus; a quibus subsequentes fratres accipientes ministrent abbati, et reliqui fratribus scyphos cum potu. Tum prior percutiat tabulam tribus ictibus, et dicatur ab omnibus moderata voce *Benedicite*, et data benedictione tribuant potum pauperibus osculantes eorum manus, et receptis scyphis dent singuli singulis pauperibus duos denarios, aut quot abbas præceperit, ite-

(64) Id est, novitii, seu tirones monachi, qui ex laico ordine convertuntur, ut patet infra c. 20.

(65) Nota quod fer. IV, V, VI, et Sabbato Eucharistiam percipiebant.

rum osculantes eorum manus. Ipsos denarios dare A debet fratribus cellerarius aut camerarius, secundum quod abbati visum fuerit. Fratres qui eo anno defuncti sunt, suos pauperes ad hoc mandatum habere debent; similiter et familiares illi, pro quibus unus in hoc mandato pauperes debere poni abbas decreverit Quibus pauperibus supradicto modo serviant fratres quibus injunctum fuerit, alter nullus præsumat. Quandiu ad hoc mandatum cantant, id est, dum pauperum pedes ac manus lavantur, sedere possunt qui volunt, eo tamen modo quo sedetur in choro, uno scilicet sedente inter duos stantes. Dum autem propinatur potus, sedere possunt omnes quicunque volunt, alter juxta alterum, non observato illo standi vel sedendi ordine. Inter hæc secretarius observare debet congrua intervalla quibus tabulam ad vesperas pulsare B debeat. Semel videlicet lotis pedibus, et semel lotis manibus, propinato omnibus potu, reversis singulis in loca sua, prior ter percutiat tabulam. Tunc abbas vel sacerdos mediocri voce dicat capitulum *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* Fratres omnes flexis ad terram genibus respondeant *Et salutare tuum da nobis*, dehinc inclinati super genua tantum dicant *Kyrie eleison, Pater noster;* abbas vel sacerdos dicet mediocri voce *Et ne nos. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam. In medio templi tui. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Oremus. Adesto, Domine Jesu Christe, officio nostræ servitutis, et, quia tu pedes lavare dignatus es tuis discipulis, ne despicias opera* C *manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandasti; sed sicut his exteriora abluuntur inquinamenta corporum sic a te omnia nostra interiora laventur peccata Quod ipse præstare digneris, qui cum*, etc. Ad cujus finem omnes respondentes *Amen*, et inclinantes se ante et retro, vadant ad ecclesiam mediocri voce canentes psalmum *Miserere mei, Deus.* Interim secretarius et aliqui fratres secum percutiant tabulas gradatim, eoque modo atque ordine quo signa pulsari solent in festivis diebus.

Dicto psalmo, et fratribus in ordine suo in choro stantibus, statim puer incipiat antiphonam *Calicem salutaris.* Ad cujus inchoationem petitur venia ab omnibus supra formas, dicto psalmo *Magnificat*, et repetita antiphona sine finis melodia; curvati supra D formas, dicant in silentio *Kyrie eleison, Pater noster*, preces *Ego dixi, Domine,* psalmum *Miserere mei, Deus*, collecta *Respice, quæsumus.* Si aliquis, de foris veniens, benedictionem petierit, omnibus horis accipiat ipso die quo venerit. His tribus diebus tabulæ refectorii coopertæ sint. Ad cymbalum et super tabulam abbatis ponantur tabulæ cum malleolis. Versus et benedictiones in refectorio, et *Miserere mei, Deus*, post mensam humili voce dicantur; lector sine petita benedictione legat, et sine *Tu autem, Domine*, terminet. Interim dum fratres in refectorio sunt, secretarii discooperiant omnia altaria, et parent duo analogia, unum quod in capitulo est, et alterum in monasterio, quod ante collationem in refectorium deportetur. Postquam fratres a mensa surrexerint, et de monasterio ac dormitorio solito more redierint, lavent sibi pedes, ut Sabbato fieri solet; præparentur cuncta quæ ad mandatum sunt necessaria. Refectis servitoribus et pedibus ablutis, pulsetur tabula, et ad bibendum in refectorium vadant.

Post hæc egressis fratribus de refectorio, prior claustri, jubente abbate, percutiat tabulam ad mandatum. Introgressis in capitulum fratribus, priore claustri sedente in loco abbatis, præcingant se linteis [illegible] abbas et prior, et inchoante priore claustri antiphonam *Dominus Jesus*, veniant in capitulum, abbas ad dexteram et prior ad sinistram, sequentibus eos fratribus qui ad servitium eorum ipsa die in capitulo fuerint ordinati, et utrique flexis genibus lavent pedes fratrum, et tergant et osculentur. Camerarii præsto esse debent, qui madefactis tersoriis alia ministrent, quoties opus fuerit; lotis omnium qui in capitulo sunt pedibus, sedeant foris ante capitulum prior et prædicti servitores cum eo. Quorum pedes præcinctus tersorio abbas flexis genibus abluat, et tergat et osculetur, servientibus sibi fratribus ad hoc obsequium deputatis. Post hæc redeat abbas in sedem suam; ad quem prior, præcinctus tersorio, veniens cum fratribus sibi deputatis, lavet pedes ejus, et tergat et osculetur, et ablutis manibus suis statim deferat sibi aquam ad abluendas manus, uno eorum qui sibi servierunt tenente manutergium. Deinde redeunte priore claustri in locum abbatis, exeat abbas, et accipientes ipse et prior baccilia cum aqua, et manutergia, duo fratres qui de coquina ipsa septimana serviunt, qui inter cæteros adjutores ad hujus mandati obsequium ordinari debent, serviant omnibus ad abluendas manus, sicut servierunt ad abluendos pedes. His expletis exeat abbas, et prior et servitores eorum, et ante capitulum præbeat eis abbas aquam ad abluendas manus, tenente manutergium uno eorum fratrum qui ad hoc obsequium ei deputati sunt.

Quo peracto, præcedens abbas et cæteri, sequentes eum, introeant capitulum, et faciant ante et retro, sicut solet fieri die Sabbati ab eis qui mandatum fecerunt. Postea pergat abbas ad sedem suam, surgente conventu donec sedeat, reliqui similiter ad loca sua Cessante autem cantu, et secretario percutiente tabulam ad collationem, qui petita licentia ad eam percutiendam perrexit, hora congrua ingrediatur diaconus capitulum, qui post manuum suarum ablutionem ad se præparandum ivit, alba, et stola et dalmatica indutus, textum Evangelii portans, præcedentibus tribus conversis portantibus candelabra, et thuribulum igne et thure refertum. Ipse enim diaconus antequam exeat de monasterio ponere debet thus in ipso thuribulo. Quibus ingredientibus capitulum, totus conventus assurget stans donec unus versus de Evangelio perlectus est.

Cum autem esse tempus perspexerit, innuat abbas priori ut vadat percutere tabulam. Et cum au-

dierit prior a diacono *Surgite, eamus hinc*, percutiat A tabulam, sicut solet percuti cymbalum. Quod dum fit, surgant omnes, ac, præcedente diacono cum textu et conversis cum candelabris et thuribulo, sequatur conventus in refectorium, sicut fit in Sabbato ad charitatem. Ibi secretarius habeat analogium de ecclesia paratum, impositoque desuper textu, iterum mittat diaconus thus in thuribulum, et incenset analogium et textum. Et sedente majore priore in loco abbatis, ad ejus nutum incipiat diaconus lectionem ab eo loco ubi dimiserat. Et percutiente refectorario tabulam uno ictu, abbas, et fratres qui ad pedes lavandos ipsius adjutores exstiterant, vadant ad locum ubi potus charitatis paratus est, ferentes vitreas phialas, aut scyphos fratrum in manibus suis. Et accepto vino in prædictis vasis, tacente lectore, B præcedant ad gradum, sicut mos est. Refectorarius vero, ex quo accepto potu incipiunt ire paulatim, percutiat tabulam suam quousque ad gradum perveniant ; quo cum pervenerint, ter aut quater festinantius percutiat et cesset. Tunc omnibus humili voce dicentibus *Benedicite*, sacerdos hebdomadarius surgat, et eadem voce benedictionem faciat. Benedictione facta, porrigat abbas priori potum et reliquis, sicut sunt priores, osculans eorum manus, ministrantibus ei fratribus qui cum ipso potum ad gradum detulerunt ; ministrato potu majoribus, et infantibus, post majores accedat abbas ad diaconum, qui collationem legit, et exspectato fine incœpti versus præbeat ei potum, dehinc tribus illis qui de C candelabris et thuribulo serviunt, servitoribus abbatis candelabra et thuribulum interim tenentibus. Qui et scyphos a diacono et ab eis recipientes, portent ad tabulam abbatis, et super eam ponant. His actis, prædicti servitores abbatis, qui cum eo potum ad gradum detulerunt, ante ipsum gradum simul veniant, et ante et retro faciant, et postea sessum vadant ; quibus abbas similiter potum ferat osculans eorum manus, ministrantibus illi fratribus illis qui ei ad lavandos pedes prioris et ipsorum servitorum ministraverunt.

Hoc facto, abbas ad sedem suam vadat, et ante eam ante et retro faciat, assurgente sibi conventu donec sedeat ; prior vero surgens porrigat illi potum osculans ejus manum ; lecto sermone quantum ab- D bati visum fuerit, innuente eo diaconus lectionem absque *Tu autem, Domine*, finiat, et clauso libro, ante et retro faciat, et postea dalmaticam et stolam et manipulum **265** supra analogium ponat. Conversi vero candelabra et thuribulum super mensam abbatis ferant, et ante ipsam mensam ante et retro faciant. Post hæc et diaconus et conversi, ad ipsam mensam sedentes, bibant, diaconus juxta abbatem, conversi juxta diaconum, sicut sunt priores. Abbas vero lecto sermone statim percutiat uno ictu tabulam, et postea tot vicibus quot vicibus skillam percuti consuetudo est Sabbato ad charitatem post mandatum. Interim duo secretarii surgant, et analogium et dalmaticam cum textu, et stola, et manipulo, ad monasterium ferant. Post hæc abbas surgat, et humili voce dicat. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, et eadem voce conventus respondeat, *Qui fecit cœlum et terram* : deinde præcedente diacono cum conversis candelabra et thuribulum portantibus, sequatur conventus ad monasterium, secretario percutiente tabulam ad completorium, et, facta confessione, dicant completorium, bini aut terni sub silentio. Post completorium tres orationes solito more faciant, prior tabulam percutiat tribus ictibus post orationes infantum, sicut skillam pulsare solet. Notandum est autem, in hujus diei obsequio, quia si abbas sufficere valet, omnium fratrum pedes solus in hac die lavare debet, testante enim beato Benedicto, vices Christi agit in monasterio, et maxime in hoc ministerio.

Feria sexta ante nocturna pulsetur tabula in claustro, et ante cellarium, et ante domum infirmorum, ad excitandos dormientes. Post orationes solitas, sicut in quinta feria, quindecim psalmi dicantur, candelæ exstinguantur, lectiones in primo nocturno et secundo legantur, unde lectæ sunt in quinta feria. In tertio nocturno de Epistola ad Hebræos *Fratres, festinemus ingredi*, et cætera omnia usque ad primam sicut in quinta feria. Ad primam pulsata tabula surgentes nudis pedibus vadant ad monasterium, et sic maneant omnes, donec impleatur diei officium, nisi jussu abbatis calceentur pro nimia asperitate frigoris. Quod si evenerit, officio tantum intererunt nudis pedibus.

Primam et omnes horas diei, præter vesperas, usque ad vesperas Sabbati dicant sicut in quinta feria, excepto quod in quinta feria in alto cantantur hymni, intonantur psalmi, cantantur antiphonæ ; in his vero diebus duobus hæc omnia in silentio et in directum dicuntur ; dicta prima, septem psalmos et litaniam in alto dicant. Postea sedeant omnes in claustro, et inchoante abbate, dicant psalterium ex integro ; quo completo vadant ad confessionem qui voluerint, usque ad horam officii.

Appropinquante hora tertia, pulsata tabula, sicut solent, pergant in dormitorium. Dehinc abluti et pectinati, pulsata tabula vadant ad monasterium, et factis solitis orationibus dicant tertiam. Post tertiam pulsata tabula pergant in capitulum ; in quo versus in silentio dicatur, et sententia, sicut in quinta feria, de regula legatur. Post sermonem narrentur et ordinentur quæ agenda sunt usque ad crastinum capitulum. Exeuntes de capitulo, sedeant in claustro non loquentes, sed cantantes aut legentes.

Dicta nona, induantur sacerdos et levita, et reliqui qui ad officium sunt servituri. Procedant ad altare sacerdos et levita soli, sacerdos in casula, diaconus in stola ; nullaque præmissa supplicatione dicat sacerdos *Oremus*, diaconus *Flectamus genua*, et ad alteram collectam similiter. Altare sit coopertum desuper uno tantum linteamine. Singulos tractus duo in albis canant. Passio absque *Dominus*

vobiscum legatur ; ad quam nec candelabrum, nec thuribulum, et, cum perventum fuerit ad locum ubi dicitur *Partiti sunt vestimenta mea sibi*, sint duo de indutis juxta altare, hinc et inde trahentes ad se duos pannos qui ante officium super altare missi fuerant, linteo tamen remanente subtus missale ; lecta passione dicantur orationes solemnes, sicut in missali continentur. Pro cunctis ordinibus flectantur genua, nisi pro Judæis.

His expletis deposita casula et stolis, revertantur sacerdos et levita in chorum in albis. Tunc duo sacerdotes quibus cantor jusserit, induti albis, accedant ad crucem, quæ debet esse præparata et cooperta ad altare matutinale, quam accipientes ferunt eam paulatim progredientes, et cantantes versus *Popule meus*, duo Levitæ, in albis stantes ante gradus, ante altare majus respondeant *Agios o Theos ;* chorus autem dicat *Sanctus Deus*, sacerdotes *Quia eduxi vos*, Levitæ *Agios* chorus *Sanctus*, sacerdotes *Quid ultra*, Levitæ *Agios*, chorus *Sanctus*. Tunc sacerdotes, crucem ferentes, veniant ante altare, et cum finierint *Sanctus*, statim discooperientes eam incipiant ambo antiphonam *Ecce lignum ;* et tunc demum omnes flectant genua. Repetatur antiphona cum versibus psalmi *Beati immaculati*, quantum cantori visum fuerit. Dehinc canantur alia ad hoc servitium pertinentia, quantum opus fuerit. Tapetia sint extensa **266** ante altare, super quæ prosternantur primum domus abbas, et induti ; interim in locum eorum qui tenent crucem succedentibus aliis, deinde cæteri, sicut est ordo eorum. Et non prolixe adorantes taceant, sed breviter et pure orantes : postea unusquisque osculetur pedes crucifixi, et post revertatur in chorum. Quod si convenerint aliqui vel clerici vel laici volentes adorare crucem, portetur eis crux in alium locum, ubi aptius adorent eam. Quæ si per chorum transierit, flexis ad terram genibus adoretur a fratribus, non simul omnibus, sed sicut portabitur coram eis. Adorata ab omnibus cruce, portitores ejus elevantes eam incipiant antiphonam *Super omnia ligna cedrorum*, et sic vadant ad locum ubi eam collocare debent. Tunc omnes petant veniam flexis ad terram genibus.

His ita gestis sacerdos resumpta casula cum stola, et diaconus stola, præcedentibus conversis cum candelabris et thuribulo, vadant ad locum ubi quinta feria corpus Domini fuit repositum ; et posito incenso in thuribulo incenset illud, et sic tradat diacono ad reportandum. In eundo et redeundo conversos sequatur diaconus, sacerdos extremus veniat. Cum appropinquant altari, adorent omnes fratres corpus Domini flexis genibus ; collocato super altare Christi corpore, facta in calice vini et aquæ commistione, dicta a sacerdote cum diacono confessione, facta suppliciter a sacerdote ad altare oratione, incenset sacerdos corpus Christi et calicem ; deinde dicat mediocri voce *Oremus* ; *Præceptis salutaribus moniti*, et cætera usque *Et ne nos inducas*

A *in tentationem*, et chorus respondeat, *Sed libera nos a malo*. Dehinc sacerdos in silentio *Libera nos, quæsumus, Domine*, et cætera usque *In unitate Spiritus sancti, Deus*. Et post moderata voce *Per omnia sæcula sæculorum*. Et respondente choro *Amen*, nihil amplius dicat ; missaque in calicem, sicut solet, particula Dominici corporis, communicet se et fratres omnes, sine osculo pacis. Communicatis omnibus pulsetur tabula et fiat oratio vespertina. Qua completa, exeant in claustrum, et lavent pedes de aqua calida et calceent se diurnalibus suis. Postea pulsatis tabulis redeuntes in chorum dicant vesperas in silentio, eisdem sicut in quinta feria psalmis, antiphonis, precibus, collectis ; nisi quod pro psalmo *Voce mea*, qui dictus est quinta feria,
B hac die dicitur psalmus *Benedictus Dominus Deus meus*.

Dictis vesperis et pulsata tabula, eant in refectorium, ubi reficiantur pane tantum et aqua, et herbis crudis. Cibi fratrum coquantur in coquina, sicut cæteris diebus, et inde portentur ad eleemosynam. Solitus quoque potus detur pauperibus. Reficiente conventu, secretarii adjunctis sibi sacerdotibus, quot necessarii fuerint et quibus jussum fuerit, remaneant in ecclesia, ad abluenda altaria omnia, quæ prius lavanda sunt aqua, deinde vino. Refectis servitoribus, postquam de monasterio et dormitorio in claustrum redierint, pulsata tabula, fratres eant in refectorium propter servandum ordinem, quasi ad bibendum, et bibant aquam qui voluerint, alium
C potum minime. Illis exeuntibus de refectorio et in claustro residentibus, facto congruo intervallo, pulsetur tabula, et vadant omnes ad collationem. A qua jubente abbate, percussa a priore tabula, surgentes pergant in refectorium ad charitatem bibendam.

Sabbato sancto percutiatur tabula ante nocturna, sicut in sexta feria, et cætera similiter fiant usque ad primam. In tertio nocturno legatur de Epistola Pauli apostoli *Christus assistens pontifex futurorum*. Ad primam surgant in nocturnalibus suis ; primam, et septem psalmos, et litaniam et cæteras horas usque ad vesperas dicant, sicut in sexta feria. In capitulo legatur sententia de regula sancti Benedi-
D cti, et disponantur quæ agenda sunt usque ad paschale capitulum. Ante capitulum, et post capitulum debent secretarii monasterium et omnia altaria ornare, cereos ubicunque esse debent collocare, cereum ad benedicendum in loco suo stabilire. In quo a cantore scribi debet quotus annus ille sit ab Incarnatione Domini, et crux designari infixus in quinque locis quinque granis incensi.

Post nonam induantur qui officium sunt celebraturi, et ad officium specialiter servituri, et infantes omnes, sacerdos alba et stola, cæteris albis induti, in chorum redeant ; dehinc procedant ad sacrandum ignem, canentes psalmum quinquagesimum, Primus omnium secretarius qui hastam portat, in qua sacratum ignem reportet : dehinc portitor aquæ

benedictæ; post hos, qui portant crucem et thuribulum; deinde sacerdos qui ignem sacraturus est; post quem infantes, dehinc reliqui induti; post quos alii fratres, sicut procedunt Dominicis diebus. Sacrato igne, projiciat sacerdos aquam benedictam super eum, et postea ex carbonibus ipsius ignis impleatur thuribulum, quo impleto, imponat sacerdos thus, et incenset ignem. Tunc accendatur **267** cereus, quem portare in hasta debet secretarius. Accendatur et candela in laterna, ut si forte in eundo exstinguatur cereus, ex ea accendatur; hanc laternam portare debet unus de magistris puerorum.

Ad hanc processionem candelabra non portantur; eumdem ordinem servent in redeundo quem habuerunt in eundo. Revertentes dicant hos psalmos: *Deus, in nomine tuo*; *Miserere mei, Deus, miserere mei*, *Deus misereatur nostri*; *Deus, in adjutorium*. In sede episcopali canatur a duobus pueris hymnus *Inventor rutili*. Ignis sanctificatus, qui in claustro remansit, a famulis cellerarii colligatur, et ex hoc igne omnes foci in omnibus officinis prius exstincti iterum accendantur. Plurima monachorum cœnobia faciunt hanc ad sanctificandum ignem processionem, in quinta etiam et sexta feria, secretario præferente cereum in hasta vel virga in quinta feria, priore in sexta, abbate in Sabbato.

Processione in chorum reversa sine candelabris et thuribulo, sacerdos indutus casula procedat ad altare; diaconus vero stola et dalmatica indutus veniat ante abbatem, et petat ab eo benedictionem; dehinc vadat ad cereum et benedicat eum, nec ante benedictionem, nec post benedictionem ante et retro faciens, unus autem ex conversis, cum tempus fuerit, indicante cantore, deferat abbati ignitis carbonibus plenum thuribulum; in quo thure injecto accedat ad diaconum, et juxta eum sit, ut, cum tempus fuerit, accipiat diaconus ab eo thuribulum, et incenset cereum. Secretarius vero sit paratus, ut cum dictum fuerit *Rutilans ignis accendit*, statim accendat cereum.

Benedictione peracta, diaconus, deposita dalmatica et stola, ad suum locum in chorum revertatur. Cereus vero non exstinguatur usque in crastinum post vesperas, lectiones statim inchoentur. Sacerdos absque cantu dicat orationes ad altare, sicut sunt per ordinem; ultima oratione dicta cantor, et alter frater quem voluerit, induti cappis incipiant in choro litaniam ternam, hoc modo: cantores *Kyrie eleison*, dexter chorus similiter respondeat *Kyrie eleison*, deinde sinister, et cætera eodem modo, usque ad finem litaniæ; ternos sanctos de unoquoque ordine dicant. Ad singula sanctorum nomina uterque chorus inclinet, cantores ad nullum. Incœpta litania fratres accedant ad formas, sicut in duodecim lectionibus, ad tertiam sacerdos revertatur in secretariam, et deposita casula et stola redeat in chorum. Cum dixerint cantores *Omnes sancti, orate pro nobis*, exeant de choro sacerdos, levita, subdiaconus, tres conversi, et induat se sacerdos casula, levita dalmatica, subdiaconus tunica.

Finita litania, pronuntient cantores tribus vicibus alta voce *Accendite*, et tunc primum accendantur candelabra et cætera luminaria quæ ante altare et circa altare sunt, et cantores incipiant festivum *Kyrie eleison*; et sacerdos, cum processione solita, ad altare procedat, et signa tunc pulsari incipiant, nec desinant, usque ad finem *Kyrie eleison*. Et tunc primum det cantor cappas his qui *Alleluia* et tractum cantaturi sunt. Finito *Kyrie eleison*, incipiat sacerdos *Gloria in excelsis Deo*. Quando legetur Evangelium, non teneantur candelabra, sed solum thuribulum In hac consuetudine concordant omnes fere principales monachorum Ecclesiæ quæ nostro tempore majoris auctoritatis sunt, sicut et in eo quod offerenda, et *Agnus Dei*, et *Communio* ad hanc missam non ducantur, licet cætera festive dicantur. In quibusdam quoque non improbandæ auctoritatis cœnobiis, nec ante sacerdotem ad altare procedentem hac die candelabra portantur.

Celebrata fere missa, sacerdote incipiente *Per Dominum nostrum*, incipiant pulsari duæ skillæ ad vesperas, ut mos est in maximis festivitatibus. Responso *Deo gratias* ad *Ite missa est*, fiat oratio vespertina; qua facta vadant infantes in refectorium, si aliqui adeo parvi sunt ut usque post vesperas exspectare non possint. Interim pulsentur majora signa duo et duo; ad extremum, pulsatis omnibus signis, canantur vesperæ, ut decet, solemniter. Hebdomadarius cantor incipiat *Alleluia* ex aliqua antiphona ex qua cantor præceperit. Psalmi *Confiteantur*, capitulum *Si consurrexistis*, responsorium *Angelus Domini locutus est*, hymnus *ad cœnam agni providi*, versus *Resurrexit Dominus*. Ad *Magnificat*, *Vespere autem Sabbati*. Collecta, *Deus qui hanc sacratissimam noctem*. Post vesperas, procedant ad crucifixum.

SECTIO V. — *De tempore sancto Paschatis.*

Die sancto paschæ ante vigilias matutinas pulsentur omnia signa; dehinc duo et duo, sicut mos est. Ad invitatorium quatuor in cappis, psalmi a beato Benedicto instituti, id est, *Domine in virtute* **268** *tua*, et cæteri. Ad lectiones circumferantur thuribula, sicut in Die Dominicæ Nativitatis institutum est. Totum denique officium more monachorum agatur. Processio ad crucifixum post matutinas laudes, et post vesperas, per totam septimanam vadat. Missa matutinalis hac die cum una collecta, processio in cappis. Ad vesperas psalmi regulares, id est *Dixit Dominus*, et reliqui qui diebus Dominicis dici solent. Super psalmos, antiphonæ quæ ad matutinas laudes dictæ sunt.

Tribus sequentibus diebus ante vigilias pulsentur signa, duo et duo; ad invitatorium tres in cappis; psalmi feriales dicantur, sex sub una antiphona, et sex sub alia; duo et duo primum, et secundum responsoriorum; tertium tres, laudes sub una antiphona. Ad thuribula duo sacerdotes cappis induti

ad laudes et ad vesperas. Missa matutinalis cum una collecta, ad majorem omnes sint cappis induti. Ad vesperas per totam hebdomadam sub una antiphona dicantur psalmi qui in die Paschæ ad vesperas dicti sunt.

Tribus sequentibus diebus, ad invitatorium duo in froccis, ad nocturna psalmi feriales, tres lectiones de pronuntiato Evangelio, major missa et cætera omnia, sicut in duodecim lectionibus. In hac hebdomada non loquantur in claustro. Missa matutinalis *Resurrexi ;* omnes horæ cum antiphonis canantur. Sabbato tantum ad vesperas psalmi cum *Alleluia* dicantur.

Octava die ad invitatorium tres in cappis. Ad lectiones legantur Paschales sermones ; in tertio nocturno pronuntietur Evangelium *Cum esset sero,* missa matutinalis *Quasi modo geniti.* Processio in albis Major missa *Resurrexi*, ad quam sint omnes cappis induti.

Feria secunda ponatur ad legendum liber Actuum apostolorum usque ad sequentem Dominicam ; ad utrumque nocturnum, et ad omnes horas *Alleluia* dicatur usque ad Ascensionem Domini. Post capitulum pulsata tabula, loquantur in claustro. Post nonam, cum exierint de refectorio, pergant in capitulum, et supplicent ante, et retro, pulsetque prior tabulam tribus ictibus, dicatque ter *Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina ;* et conventus idem ter respondeat adjungentes *Gloria Patri, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster ;* et prior *Et ne nos, Adjutorium nostrum in nomine Domini*, conventus *Qui fecit cœlum et terram*, et a priore dicto *Benedicite*, post loquantur in claustro Hic loquendi ordo teneatur usque ad Idus Septembris privatis diebus, nisi jejunium fuerit.

Dominica prima post octavas Paschæ legatur Apocalypsis, et canatur historia *Dignus es, Domine*, duabus septimanis. A Dominica tertia usque ad Ascensionem Domini legantur septem canonicæ Epistolæ, et canatur historia *Si oblitus.*

Diebus Rogationum dictis matutinis pro defunctis, fratres ad lectos redeant, et qui volunt plus solito dormiant. His enim diebus meridianis horis non dormiunt nec aliquo sonitu, ut aliis diebus mos est, mane excitantur, sed cum tempus visum fuerit congruum, excitare debent infantes magistri eorum quam quietius possunt : quibus in claustro legentibus, surgant sine mora qui in lectis adhuc quiescunt. Post primam et familiares psalmos primæ, et septem psalmos, et litaniam, dicatur missa de jejunio ad majus altare, post cujus primam orationem dicantur aliæ, quæ ad majorem missam quotidianis diebus dici solent, addita in fine alia, id est, *Sanctorum tuorum intercessionibus.* Omnes offerant ad pacem, solus prior, aut qui in loco prioris est vadat. Sententia de regula legatur in capitulo, et ordinetur processio. Post tertiam sumant mistum pueri, et infirmi qui jejunare non possunt. Cantata sexta

A vadant in dormitorium, sicut alio tempore, quando meridianis horis in lectis quiescere solent, et facto parvissimo intervallo pulsetur skilla, dehinc nudis pedibus de dormitorio descendant, manus abluant, ad ecclesiam vadant, orationem faciant. Qua facta incipiat infans antiphonam, *Exsurge, Domine.* Interim pulsentur duo signa. Cantata antiphona dicat sacerdos *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* Sequatur *Kyrie eleison, Pater noster*, Psalmus *Deus misereatur nostri.* In crastino *Deus in adjutorium meum.* Dehinc sacerdos *Et veniat super nos*, collectam pro peccatis. Postea sonantibus signis exeant processuri canentes, incipiente cantore, quæ ad processionem pertinent, præcedant famuli cum vexillis, sequetur conversus cum aqua, post quem

B alius cum cruce. Dehinc subdiaconus, ferens textum, post quem fratres laici, dehinc infantes cum magistris, post quos cantores, extremis prioribus, et præcedentibus junioribus, sicut est ordo eorum. In egressu monasterii sint famuli camerarii, habentes ibi baculos præparatos quos tribuant fratribus ad se sustentandos.

Cum pervenerint ad ecclesiam ad quam ituri sunt, incipiat cantor antiphonam, vel responsorium de sancto in cujus honorem **269** fundata est ipsa ecclesia Intrantes fratres reddant baculos prædictis famulis, ab eisdem iterum recepturi exeuntes. Finito incœpto cantu, dicat statim sacerdos capitulum de sancto illo, et collectam cum *Dominus vobiscum* alta

C voce et solemniter, infans *Benedicamus Domino,* quo dicto, inclinantes se faciant orationem. A qua facto signo surgentes inclinent ante et retro. Dum hæc fiunt sacerdos, et levita et cæteri qui circa altare servituri sunt, præparare se debent ad celebrandam missam, secretarius quoque pallio et honestis pannis altare decenter parare; omnia enim quæ ad hoc servitium sunt necessaria instantia secretarii illuc prius debent esse delata. Paratis omnibus, celebretur iterum missa de jejunio. Post primam orationem dicatur oratio de sancto illo cujus est ecclesia, nullaque amplius.

Celebrata fere missa, duo fratres qui cappis induti debent dicere *Agnus Dei*, ad portas monasterii inclinantes se ante et retro, egrediantur, sumentes

D secum aliquos ex famulis, quibus jussum fuerit, et dicentes inter se litaniam quam conventus in reditu cantaturus est.

Expleta missa accedant statim fratres, quibus jussum fuerit, et stantes in medio pronuntient litaniam. Interim sacerdos, et qui ad missam servierunt, expediant se, et sic revertantur in chorum. Post *Sanctum Joannem* et *Omnis chorus prophetarum*, pronuntient illum sanctum duabus vicibus in cujus nomen est ecclesia dedicata. Postea inclinantes se omnes ante et retro, regrediantur eo ordine quo venerunt. Cantores litaniæ producant aut brevient ipsam litaniam secundum quantitatem itineris, qui in redeundo pergere debent post infantes, ante reliquum conventum cantorum.

Cum autem processio rediens ante monasterii introitum venerit, statione facta litaniam finiant; qua finita cantores ejus in ordinem suum redeant, et prædicti duo cantores qui præcesserant, cappis induti nudis pedibus ante portas monasterii stantes dicant *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis ;* chorus similiter respondeat. Cantores *Suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram Patris;* Chorus *Agnus Dei*, sicut supra. Cantores *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Interim præcedentibus qui vexillum portant et cætera quæ superius dicta sunt, sequantur cantores et reliquus conventus. Dicto *Gloria* respondeat conventus *Agnus Dei,* ut supra. Conventu intrante monasterium pulsentur signa. Cantores *Exaudi, Deus*; conventus *Orationem populi tui.* Cunctis fratribus chorum ingressis, collocata cruce et reliquis quæ portata sunt in locis suis, prædicti duo cantores in medio chori stantes pronuntient litaniam *Sancte sanctorum Deus, miserere nobis*, priores a parte altaris sint, reliqui post eos, sicut est ordo eorum. Expleta litania pulsetur signum ad nonam, factaque oratione nonæ, vadant in claustrum lavare pedes; quibus lotis, revertentes in chorum, pulsato alio signo, canent nonam.

Ad vesperas, secunda et tertia feria pulsentur signa, sicut privatis diebus; inter signa dicantur psalmi *Deus, auribus nostris*; post vesperas de Omnibus Sanctis, dicantur vesperæ Mortuorum; Vigilia Mortuorum his diebus non agatur, si processio extra claustrum perrexerit, alioquin agatur sicut solet.

His tribus diebus ad nocturna, capitula et collectæ de resurrectione, et ad vesperas secundæ et tertiæ feriæ. Ad matutinas vero laudes, et ad tertiam, et ad sextam, et ad nonam capitulum et collectæ de jejuniis. Si in his tribus diebus festivitas duodecim lectionum evenerit, totum servitium noctis et diei de ipsa festivitate agatur. Dicta tertia et pulsatis omnibus signis, missa ipsius festivitatis, sicut alio tempore, solemniter celebretur. Processio vadat, sicut aliis diebus, excepto quod calceati et sine baculis ibunt. Missa jejunii ad monasterium quo processerint celebretur. Si autem festivitas trium lectionum evenerit, commemoratio ipsius tantummodo fiat ad vesperas, et ad matutinas laudes et ad priorem missam de jejunio.

SECTIO VI. — *Tempus Pentecostes.*

Sabbato in vigilia Pentecostes surgentes a meridiana, abluti et pectinati, ad ecclesiam veniant, et oratione facta, induantur officium celebraturi, et ad officium servituri. Agatur officium festive sicut in Sabbato sancto; cantor, et alius frater quem voluerit, induti cappis pronuntient litaniam ternam, sicut in vigilia Paschæ. Cum pronuntiatum fuerit *Accendite*, accendatur cereus benedictus, et reliquia luminaria, unus enim cereus solummodo ante illam horam debet esse accensus, A ante altare. Cum incœperint *Kyrie eleison*, pulsentur omnia signa. Sequatur **270** *Gloria in excelsis Deo.* Ad Evangelium teneantur candelabra et thuribulum. Post missam pulsatis duobus majoribus signis, faciant orationem. Nonæ etiam duo cantores in cappis. In crastino et totis octavis agatur sicut in paschali solemnitate et octavis paschalis solemnitatis, nisi quod octava hujus festivitatis die, utraque missa est *Spiritus Domini.*

Feria secunda, si nulla festivitas sit, dicatur missa *Domine, in tua misericordia.* Hac hebdomada inchoanda sunt jejunia quæ regula præcipit, quarta, et sexta feria, usque ad Idus Septembris, nisi rationabilis causa existat cur abbas vel prior bis reficiendi licentiam tribuat. Post capitulum ipsis jejuniorum B diebus sedeant in claustro loquentes. Secretarius vero non pulsabit minimum signum, sicut consuetudo est, post capitulum, ad apparatum missæ. Post tertiam pergant infantes, et minuti sanguine, et infirmi quibus licentia data est accipere mistum. Post sextam agatur meridiana; a qua surgentes, nudis pedibus in claustrum veniant, afferentes sua calceamenta. Post hæc abluti et pectinati veniant in ecclesiam, et facta oratione, pulsatisque duobus signis, inchoet infans *Exsurge, Domine*, et cætera, sicut longe superius dictum est. Hic ordo servandus est feria quarta et sexta, usque ad festivitatem Omnium Sanctorum, nisi sit vigilia, cujus missa solemniter celebretur; tunc enim processio ex toto C dimittitur.

Dominica prima post octavas Pentecostes canantur hymni ad nocturna, et ad matutinas laudes *Nocte surgentes. Ecce jam noctis*, qui canendi sunt Dominicis diebus, usque ad Dominicam primam mensis Octobris; ponantur ad legendum libri Regum et Paralipomenon usque ad Dominicam primam mensis Augusti; Historia *Deus omnium.*

Dominica prima mensis Augusti ponant Salomonem, usque ad Dominicam primam mensis Septembris. Responsoria *In principio.*

Dominica prima mensis Septembris ponant Job, Tobi, Judith, Hester, Esdram, usque ad Dominicam primam mensis Octobris.

Ab Idibus Septembris, privatis diebus agantur D continue jejunia quæ regula præcipit, atque ipsa die Iduum incipiant jejunare, sicut beatus Benedictus instituit, una tantum vice loquantur in claustro usque ad Kalendas Octobris, id est post capitulum usque ad tertiam. Post sextam in dormitorium vadant, et post parvissimum intervallum, pulsato minimo signo, descendant, lavent, ad monasterium pergant, factaque oratione dictaque litania, missam celebrent. Celebrata fere missa pulsetur signum ad nonam. Post missam, facta oratione, pergant servitores accipere mistum. Quibus revertentibus pulsato alio signo canatur nona.

SECTIO VII. — *Quinque festivitates præcipuæ.*

Quinque sunt præcipuæ festivitates, id est Natale Domini, Resurrectio ejus, Pentecostes, Assumptio

sanctæ Dei genitricis Mariæ, festivitas loci. Servatis omnibus quæ de Sabbato sancto dicta sunt, in harum festivitatum vigiliis ornetur totum monasterium, et omnia altaria, secundum facultatem loci, sicut honestius fieri potest.

Mundentur officinæ, et claustrum. Sedilia refectorii, capituli, claustri tegantur, bancalibus sternatur juncus.

Ad missam jejunii induantur honeste qui eam sunt celebraturi, sacerdos honorifice: diaconus dalmatica, subdiaconus tunica; tres conversi, cantor hebdomadarius cappa; duo fratres ad responsoria. Ante missam pulsentur signa, sicut in festis diebus, litania minime dicatur; *Kyrie eleison* festivum canatur, una tantum collecta dicatur. Si festivitas in hac die evenerit, missa matutinalis de ea cantetur. Ad nonam duo majora signa pulsentur. Ad vesperas duo minima, dehinc gradatim duo et duo, ad extremum omnia. Inter signa, luminaria monasterii omnia accendantur. Ante singula altaria quæ extra presbyterium sunt, singula luminaria ardeant. Antiphonas super psalmos, quibus cantor præceperit, incipiant. Responsorium quatuor in cappis canant. Antiphona ad *Magnificat* ter dicatur; abbas et prior cappis induti incensent utraque presbyterii altaria, ante et desuper utrique simul, singuli singula latera. Parati sint duo alii sacerdotes hebdomadarii, scilicet majoris missæ, et minoris, qui thuribula de eorum manibus accipiant, et hinc, et inde per altaria quæ extra sunt circumferant; qui revertentes in chorum abbati prius, priori postea ferant, post, eis qui responsorium cantaverunt, non ambo simul, sed unus hinc, et alter inde; dehinc duo conversi in albis, cæteris fratribus. Abbati de libro serviat qui thuribulum de ejus manu accepit.

271 In iis vigiliis tabulæ refectorii debent esse coopertæ.

In crastino ante nocturnas vigilias ad excitandos fratres pulsentur omnia signa; dehinc gradatim duo et duo, ad extremum omnia. Ad invitatorium quatuor in cappis. Terna responsoria in tribus nocturnis, duo et duo; quartum, quatuor; octavum, quinque; duodecimum, sex canant. In tribus nocturnis dum legitur tertia lectio duo sacerdotes, cappis induti, incensent altaria, majus et minus; dehinc ferant abbati, et priori, et cæteris fratribus per ordinem; octavum, et duodecimum responsorium post *Gloria* a capite repetantur; pronuntiato Evangelio altare discooperiatur, et omnia luminaria accendantur. Ad *Te Deum laudamus* duo majora signa pulsentur; lecto Evangelio, collecta dicta, pulsatis omnibus signis, inchoet sacerdos matutinas laudes. Dehinc in vestiarium rursus casulam et stolam deponat, et sic in alba cum manipulo in chorum redeat; incœpto hymno exeat, manipulum deponat, cappam induat, et cum alio fratre similiter cappa induto, sicut ad hesternas vesperas, cum thuribulis per altaria vadat, duobus conversis cum eis indutis A in albis. Si abbas Evangelium legerit, post Evangelium indutus cappa in chorum revertatur. Antiphona ad *Benedictus* ter dicatur.

Ad primam, duo majora signa pulsentur. Tres cerei ante altare accendantur, similiter ad tertiam et sextam, et nonam; capitulum breviter peragatur.

Missa matutinalis cum una collecta et præfatione dicatur. Dum sacerdos in canone est, remanentibus infantibus cum magistris suis in choro, qui ante missam debent esse induti, cæteri pergant induere se; qui, accipientes a secretario vestimenta, extra secretarium se induant. Si vero parvus locus est, exeant aliqui in claustrum vel capitulum, et ibi induant se. Meliores vero albæ tribuantur prioribus et honestioribus personis; unusquisque mox, ut B indutus fuerit, revertatur in chorum; missa peracta, si dies Dominicus non fuerit, cessante majore signo, quod incœpta ultima collecta missæ pulsari cœpit, fiat oratio tertiæ. Post orationem, pulsato alio signo, cantetur tertia.

Si vero Dominicus fuerit, expleta matutinali missa, non pulsato adhuc tertiæ signo, fiat aqua benedicta, sicut aliis Dominicis diebus fieri solet; dum cantat *Asperges me* pulsetur majus signum ad tertiam. Aspersa aqua benedicta, vadat sacerdos per officinas, cum portitoribus aquæ et crucis. Cessante signo fiat oratio tertiæ. Qua expleta, pulsato alio signo, canatur tertia. Sacerdos interim, qui per officinas ivit, revertens ante introitum monasterii, dicat orationem solitam; dehinc intrans ante unum de C altaribus, *Via sanctorum*.

Dicta tertia, distributis cappis, dispositis in choro a cantore, qui ea quæ portanda sunt portare debent [*f.*, debet], exeant omnes hoc ordine processuri. Primum conversus ferens situlam cum aqua benedicta: dehinc duo portantes duas cruces; post quos duo cum duobus candelabris, accensis desuper cereis; alii duo ferentes duo thuribula igne et thure plena; hos sequantur duo subdiaconi tunicis induti, portantes duos Evangeliorum textus; post quos, infantes cum magistris suis; extremi abbas et priores, præcedentibus aliis binis et binis, sicut est ordo eorum.

Cum processio de choro incipit exire, pulsentur duo majora signa, non cessatura usque dum D processio in chorum sit reversa, cessentque alia signa. Procedentes per majores januas monasterium introeant, et ante crucifixum stationem faciant. Qua facta, expleto cantu quem incœperant, incipiat abbas vel cantor quod ad ipsum idem pertineat, et sic sonantibus omnibus signis chorum introeant, eisque cessantibus missam incipiant.

Ante missæ introitum sternatur unum aut duo tapetia per transversum chori, ubi stare debeat cantor et cæteri quos ad se vocaverit ad chorum regendum. Omnes cerei, qui in coronis sunt, et cætera luminaria quæ in choro et presbyterio et ante crucifixum sunt, accendantur. Cantor provideat quot et qui, quæ singulariter, cantanda sunt, cantent. Ad sequentiam duo majora signa pulsentur.

Communio, si opus fuerit, repetatur cum versu, et *Gloria Patri*. Expleta missa pulsentur omnia signa; unusquisque vestimentum suum et cappam, utraque bene plicata, deferat secretario ad arcam.

Festivæ mappæ super tabulas refectorii sint extensæ, ita ut ante pendeant. Sint et quotidianæ, lotæ tamen, super quas manducent fratres. Manutergia etiam candida et honesta super tersoria quotidiana sint extensa; quæ manutergia post capitulum a camerariis sunt extendenda. Nullus tamen fratrum debet ibi manus tergere, nisi solummodo ad refectionem primam, et sero ad cœnam.

Ad nonam duo majora signa pulsentur. Ad vesperas agatur de signis et cereis, sicut [illegible] autem actum est ad vesperas præcedentis diei. Post cœnam refectis servitoribus colligant refectorarii mappas festivas, et bene plicatas reddant cellerario conservandas; camerarius vero honestiora tersoria accipiat et custodiat.

SECTIO VIII.— *Festivitates præcipuæ secundæ classis.*

Sunt aliæ festivitates, quæ magnifice celebrantur, quamvis non æqualiter superioribus; sunt autem hæ: Epiphania, Purificatio sanctæ Mariæ, festivitas sancti Gregorii, Annuntiatio Christi, octava dies paschalis solemnitatis, festivitas sancti Alfegi martyris, Ascensio Christi, Festivitas sancti Augustini Anglorum archiepiscopi, octava Pentecostes dies, Nativitas S. Joannis Baptistæ, Passio apostolorum Petri et Pauli, Translatio sancti Benedicti, Nativitas sanctæ Mariæ, festivitas sancti Michaelis, festivitas Omnium Sanctorum, festivitas sancti Andreæ, Dedicatio Ecclesiæ.

Harum omnium festivitatum præcedentibus diebus ornentur altaria, presbyterium, chorus, membra monasterii, ex utraque parte chori, pulsentur signa sicut in præcipuis festivitatibus, accendantur duæ partes cereorum coronæ presbyterii et omnia luminaria quæ circa majus altare sunt, et cereus ante crucifixum. Antiphonæ, si propriæ habentur, quibus cantor præceperit, super psalmos imponant; sin autem, cum una antiphona de ipsa festivitate canantur; responsorium duo in cappis; antiphona ad *Magnificat* bis dicatur; duo sacerdotes, cappis induti, ad thuribula, sicut superius de præcipuis festivitatibus dictum est.

Missæ vigiliarum Ascensionis Christi, Joannis Baptistæ, apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum festive celebrentur. Si quælibet harum vigiliarum, vel in aliqua, quæ festive celebratur, Dominica die evenerit, totum servitium noctis, et missa matutinalis de Dominica agatur; major vero missa, cum *Alleluia* post responsorium de vigilia dicatur, excepta Dominicæ Nativitatis vigilia, in qua si ita evenerit in tertio nocturno de ipsa vigilia cantatur, et legitur. In crastino ante nocturnas vigilias pulsentur signa bina, et bina, dehinc simul omnia. Ad invitatorium tres in cappis, tria responsoria in tribus nocturnis duo, et duo cantant, quartum tres,

(66) Videtur deesse vox *indigent*, aut alia similis.

A octavum quatuor, duodecimum quinque, quod post *Gloria* a capite repetatur. Pronuntiato Evangelio altare discooperiatur, luminaria, sicut ad vespera præcedentis diei, accendantur. Antiphona ad *Benedictus* bis dicatur, et thuribula similiter circumferantur. Ad primam duo signa pulsentur, tres cerei accendantur, similiter ad tertiam, et sextam et nonam. Ornentur sedilia, extendantur mappæ, et tersoria, sicut supra dictum est. Missa matutinalis de ipsa solemnitate cum una collecta, nisi sit festivitas alicujus sancti, unde commemoratio; quod si evenerit, matutinalis missa erit de sancto, et collecta prima, secunda de ipsa solemnitate, et non amplius. Sacerdotes ad missas privatas similiter collectam unam. Dicta matutinali missa, canatur tertia, celebretur missa in cappis, excepta Purificatione sanctæ
B Mariæ, in qua ad missam sint omnes albis induti propter cereos, præter cantorem, et eos qui circa eum sunt, quos cappis etiam indutos esse oportet.

Excipiuntur quoque beati Gregorii et Dominicæ Annuntiationis festivitates, quando intra quadragesimam celebrantur. In his enim similiter sint omnes albis induti, præter supradictos, et eos, qui responsorium et tractum cantant. Hi namque præcipiente cantore, accedentes ad cantandum cappas in choro induant, et cum percantaverint venientes in vestiarium eas ibi deponant. Cantor quot et quos voluerit ad se vocet. Numerus cantantium responsorium, et *Alleluia*, et cætera quæ cantanda sunt in arbitrio cantoris sit. Celebrata missa pulsentur omnia. Si
C aliqua harum festivitatum Dominica die evenerit, dicta matutinali missa, fiat aqua benedicta, et processio per claustrum, sicut solet Dominicis diebus, omnes tamen sint albis induti. Ad nonam pulsentur signa duo, et agantur vesperæ, sicut præcedenti die. Festivitatem beati Gregorii inter superiores ideo computamus, quia nostræ, id est Anglorum gentis apostolus est.

Si Dominicæ Annuntiationis festivitas aliqua quadragesimæ Dominica evenerit, in crastinum differatur; alioquin servitium Dominicæ diei restaurari non posset. Vesperæ usque ad capitulum de Dominica agantur, capitulum de festivitate dicatur. Post primam collectam commemoratio Dominicæ diei fiat.
D Si Sabbato evenerit, totum diei servitium de ipsa solemnitate agatur. Post primam vespertinam collectam, collecta de Dominica dicatur, excepto Sabbato ante palmas, in quo si hæc festivitas evenerit, de ipsa festivitate agatur servitium, usque ad capitulum [illegible] vespertinum. Ipsa die duo fratres in froccis responsorium cantent, unus sacerdos cappa indutus altaria incenset. Post primam collectam commemoratio festivitatis fiat. Si vero tertia feria post palmas evenerit, festivitas quidem, sicut dictum est, celebretur, sed fratres in crastino radantur, et tunc post capitulum, et post sextam in claustro loquantur. Qui autem (66) ipso die balneentur. Si vero quinta feria, vel sexta, vel sabbato ante Pascha

vel in paschali solemnitate, vel tribus sequentibus evenerit, in quintam feriam post paschalem solemnitatem differatur. Festivitas ista tunc ita solemniter agatur sicut paschalis solemnitas, excepto quod pro skilla ante nocturnas vigilias ad excitandos fratres classicum non pulsetur nec processio fiat. Antiphonæ et responsoria, quæ in hac festivitate in quadragesima canerentur, in hoc quoque tempore, cum adjunctis *Alleluiis* canantur, versiculi quoque omnes cum finali *Alleluia* dicantur. Invitatorium, *Alleluia, alleluia* secundum melodiam invitatorii, *Ave Maria*, cantica de Adventu Domini.

Die Ascensionis Christi fiat processio in albis, vel extra claustrum circa monasterii curiam, præcedentibus vexillis et reliquiis, cum reliquis quæ ad festivam processionem præcedere solent, vel per claustrum sine vexillis; ex quo incipit processio exire, pulsentur duo signa, sicut superius dictum est in die Nativitatis sanctæ Mariæ. Ad vesperas psalmi *Dixit Dominus, Lætatus sum in his, Nisi Dominus, Memento Domine* cum antiphona *De fructu ventris tui*. Qui psalmus cum hac antiphona quartus dicitur in omnibus festivitatibus sanctæ Mariæ.

In festivitate sancti Michaelis psalmi ad vesperas *Dixit Dominus, Confitebor, Beatus vir*, aliud *Confitebor* cum antiphona *In conspectu Angelorum*.

Vigilia Omnium Sanctorum ad vesperas psalmi cum antiphonis de ipsis psalmis qui quotidie ad eorum memoriam solent dici; preces, *Post partum virgo*, et cætera. Cum dictum fuerit *Adducentur regi virgines post eam*, adjungatur *Pro fratribus nostris absentibus; Mitte eis, Domine; Domine, exaudi orationem; Domine, Dominus virtutum; Dominus vobiscum*. Post collectam commemoratio solummodo de sancta cruce. In crastino ad laudes similiter preces *Post partum virgo*, ad vesperas psalmi, et super psalmos antiphonæ, sicut præcedenti die.

Dictis vesperis pulsentur omnia signa, et productius solito canantur vesperæ pro Defunctis, nisi in crastino sit dies Dominicus, vel quælibet festivitas duodecim lectionum. Collecta una *Fidelium Deus*. Sequente autem nocte ad Vigiliam mortuorum pulsentur similiter omnia signa. Ipsa die sacerdotes omnes celebrent missas pro omnibus fidelibus defunctis. Qui vero sacerdotes non sunt, injungantur eis in capitulo psalmi pro missis. Agatur missa matutinalis festive, pulsentur omnia signa, cappa sit in choro; levita et subdiaconus casulis induantur; duo infantes responsorium in albis, duo majores fratres tractum similiter in albis, tres conversi ad thuribulum et candelabra; septem diebus plena officia, usque ad tringinta dies *Voce mea*, et *Verba mea*.

In festivitate Ecclesiæ dedicationis cerei accensi ad priores vesperas per omnia altaria, quæ ipsa die sacrata fuerunt, non exstinguantur usque in crastinum post completorium. Cantica *Lætare Jerusalem; Urbs fortitudinis; Non vocaberis ultra*. Ipsa die celebretur missa per unumquodque altare, si numerus sacerdotum tantus est. Dicta tertia, agatur processio festiva in albis, aut circa monasterium, si locus aptus est, aut per claustrum, præcedentibus quæ festivam processionem præcedere solent, et ingrediatur monasterium per majores januas, fiatque statio ante crucifixum. Psalmi ad vesperas, qui in festivitate virginum dici solent. Hæc festivitas octavas habet.

Sectio IX. — *Festivitates tertiæ classis.*

Sunt aliæ tertiæ dignitatis festivitates, quæ non tantopere celebrantur. Hæc autem sunt: festivitates sancti Vincentii. Conversio sancti Pauli. Philippi et Jacobi. Inventio sanctæ crucis; Jacobi apostoli, sancti Petri in Kalendis Augusti; Laurentii martyris; Octava dies Assumptionis sanctæ Mariæ; Bartholomæi apostoli, Augustini doctoris; Decollatio Joannis Baptistæ. Exaltatio sanctæ crucis; Mathæi apostoli, Simonis et Judæ, beati Martini, Thomæ apostoli; et si quæ aliæ festivitates ita celebrari instituantur.

Pridie ante has festivitates parentur duo presbyterii altaria, presbyterium, et chorus. Ad nonam et ad vesperas pulsentur signa sicut privatis duodecim lectionibus, nisi quod majora signa pulsari debent. Tria candelabra ante altare, et cætera luminaria quæ circa sunt accendantur; Vesperæ cum una antiphona de ipsa festivitate canantur, nisi præcedat festivitas [illegible] de qua dicantur. Vesperæ usque ad capitulum; responsorium si propria historia est, duo fratres canant in froccis suis; si non est propria historia, sicut in festivitatibus quorumdam apostolorum, aut si jam cantata est, quemadmodum octava die Assumptionis sanctæ Mariæ, duo pueri canant breve responsorium. Sacerdos indutus cappa incenset altaria, conversus sit in alba. In crastino ad invitatorium duo in cappis. Tria responsoria in tribus nocturnis singuli singula; quartum responsorium duo, octavum tres, duodecimum quatuor, quod post *Gloria* repetatur. Pronuntiato Evangelio, discooperiatur altare, et accendantur luminaria, sicut pridie ad vesperas. Ad *Te Deum laudamus* duo mediocria signa pulsentur. Post lectum Evangelium sacerdos in chorum redeat in alba. Ad laudes duo pueri breve responsorium, sive sit propria historia, sive non. Et ad vesperas similiter. Ad primam pulsetur unum de majoribus signis; accendantur duo cerei ante altaria, et per omnes horas usque ad vesperas. Ad missam in choro omnes sint in albis præter cantorem, et eos qui secum erunt, qui etiam cappis induti chorum regere debent. Ad nonam pulsetur signum sicut ad primam. Antiphonas super psalmos ad vesperas imponant juvenes quibus cantor præcepit. Cætera agantur sicut ad vesperas præcedentis diei. Ad priores vesperas Inventionis sanctæ crucis hymnus *Vexilla regis*. In crastino invitatorium, et duo nocturna de martyribus. Tertium de sancta cruce, cantica *Domine, audivi*, quod dividatur in tres *Glorias*: Prima *Gloria* est ante versum *Pro iniquitate*: secunda ante versum *Egressus es*.

Hymnus ad laudes *Lustris sex*. Missa matutinalis de martyribus, major de sancta cruce, psalmi ad vesperas *Dixit Dominus*, *Confitebor*, *Beatus vir*, *Laudate pueri*, hymnus *Vexilla regis*.

In Exaltatione sanctæ crucis simile servitium est servitio Inventionis ejusdem, nisi quod in hac sancta crux adoratur, in illa minine. In hac itaque solemnitate, dicta Tertia, sternatur presbyterium tapetibus, usque ad majus altare; quo facto exeant de parte matutinalis altaris duo fratres in albis, quibus cantor præceperit, portantes crucem coopertam, donec veniant super gradum qui ante altare est propior ipsi altari; tunc a portantibus discooperta cruce, et ab eisdem incœpta Antiphona *Ecce lignum crucis*, omnes flectant genua, ac deinde super tapetia prostrati toto corpore adorent eam, et osculentur pedes crucifixi, sicut sunt priores. Cantata antiphona supradicta, incipiat cantor antiphonam *Crucem tuam adoramus*, quam repetant per singulos versus psalmi *Deus misereatur nostri*. Deinde alia quæ conveniunt, si opus fuerit. Adorata cruce, prædicti duo fratres qui eam tenent incipiant simul alta voce antiphonam *Super omnia*; et flectentibus omnibus genua, fixaque cruce in loco suo, pulsatis signis celebretur missa. Ad introitum *In nomine Domini omne genu flectatur;* Evangelium *Nunc judicium est mundi*.

Sectio X. — *Quinque Dominicæ principales.*

Quinque dies Dominici sunt, qui communia quædam inter se habent separata a cæteris diebus Dominicis : Dominica videlicet prima de Adventu Domini, Dominica prima septuagesimæ, Dominica prima quadragesimæ, Dominica in medio quadragesimæ, Dominica in Palmis. In his duo invitatorium canant in albis; sacerdos lecto Evangelio exutus in vestiario casula et stola, revertatur in chorum in albis, cum manipulo, exiturus incœpto hymno, et incœpta antiphona ad *Benedictus* similiter in alba intraturus, et incensum per altaria portaturus, chorus ab hesterna die debet esse paratus, et per chorum juncus sparsus. Ad utrasque vesperas et ad laudes duo fratres in froccis responsorium canant. Tabulæ refectorii sint copertæ, honesta manutergia sint extensa super tersoria, sicut in omnibus festivitatibus in quibus invitatorium in cappis canitur. Quæ extendantur et colligantur, sicut superius dictum est.

Sectio XI. — *Festivitates duodecim lectionum.*

In omnibus festivitatibus duodecim lectionum, quæcunque sint, et in omnibus diebus qui infra octavas sunt, in quibus in claustro non loquuntur monachi, quamvis ipsi dies trium lectionum sint, et in omnibus vigiliis, in quibus missæ pulsatis omnibus signis festive aguntur, et in omnibus Sabbatis jejuniorum Quatuor Temporum, cum cantor inchoaverit *Gloria Patri* ad officium, sacerdos ingrediatur ad altare ferens missale manibus suis, præcedentibus tribus conversis cum candelabris et thuribulo, subdiacono post eos cum textu, subdiaconum sequente diacono, et posito missali super altare faciat **235** orationem suppliciter inclinatus; diaconus quoque retro post eum similiter faciat; factaque oratione signet se sacerdos, et osculetur textum Evangelii, quem subdiaconus super altare positum habere debet; diaconus quoque similiter signans se faciat ante et retro, et veniens ad sinistram sacerdotis osculetur cornu altaris; dehinc faciant simul confessionem. Qua facta, imposito a sacerdote thure in thuribulo, tribuat diaconus sacerdoti thuribulum; sacerdos incenset altare ante et desuper, reddatque diacono; diaconus incenset utraque altaris latera, et altare matutinale, et sic reddat converso, qui, deferens in chorum, offerat primum cantori, et ipsis qui cum eo sunt; dehinc in dextro choro omnibus per ordinem, et sic in sinistro, deinde infirmis, qui extra chorum sunt. Duo vero conversi qui tenent candelabra ante altare, non dimittant ea usquequo inchoetur *Kyrie eleison ;* quo inchoato, depositis candelabris revertantur in chorum.

Ad Evangelium dum canitur offerenda, vel versus offerendæ, conversus afferat thuribulum cum acerra cantori quicunque ille sit qui chorum tenet, si festivitas sit duodecim lectionum, vel festivi dies sint trium lectionum intra octavas superius descriptas.

Cantor vero cum viderit tempus esse, ponat incensum in thuribulo, et mittat diacono ad altare, et diaconus tribuat sacerdoti, nisi abbas vel episcopus in choro sit, vel missam celebret; quod si evenerit, ad ipsum deferatur thuribulum cum acerra ad introitum et ante Evangelium, a diacono et converso, post offerendam, a cantore et converso.

Circa finem missæ cum perventum fuerit ad prioris collectæ *Per Dominum nostrum*, deponant duo conversi candelabra ante altare, et sic cum eo qui thuribulum tenet revertantur in vestiarium. Expleta missa sequatur sacerdos præcedentem diaconum ferentem missale.

Si festivitas trium lectionum eveniat in aliqua die Dominica, vel in alia festivitate alicujus sancti, quæ propriam historiam habeat, vel, si propriam historiam non habet, in albis tamen vel in cappis fit, commemoratio de festivitate trium lectionum solummodo fiat ad priores vesperas et ad matutinas laudes, et missa matutinalis de ea canatur. Si vero historia jam alia die Dominica cantata est, aut illa alia festivitas duodecim lectionum historiam propriam non habet, nec in albis nec in cappis fit, antiphona de festivitate de qua tres lectiones fierent, ad cantica pronuntietur, et deinceps totum servitium usque ad finem ultimæ collectæ de ea agatur. Post *Benedicamus Domino* fiat commemoratio festivitatis de qua octo lectiones fuerint; omnes quoque horæ de illa dicantur, sermo in capitulo, et major missa; matutinalis vero unde laudes fuerunt.

Si festivitas alicujus sancti, de qua duodecim lectiones fiunt, eveniat in die Dominica de qua historia jam cantata sit, aut subsequente die Domi-

nica cantari possit, totum servitium noctis, et diei de sancto agatur; missa tantum matutinalis de Dominica dicatur; tertium enim nocturnum de Dominica die nunquam erit, nisi præcedentia duo de ea fiant.

In omnibus Dominicis diebus, et in prima die Dominicæ Nativitatis ad majorem missam tantum, et in die Dominicæ Circumcisionis, et Epiphania, et in prima die paschalis solemnitatis, et in die Ascensionis, et in prima die Pentecostes, et in festivitate Omnium Sanctorum, et in Dedicatione ecclesiæ, et in omnibus festivitatibus beatæ Mariæ, et in die passionis apostolorum Petri et Pauli, et in cæteris festivitatibus aliorum apostolorum, dicatur ad majorem missam *Credo in unum Deum*. Nam ad matutinalem missam in conventu nunquam dicitur.

SECTIO XII. — *Exceptio personæ principalis.*

Quoties disponitur ut aliqua persona cum festiva processione suscipiatur, tangatur ter breviter unum de majoribus signis, ut hoc signo conveniant omnes fratres in ecclesiam ad induendum se. Et cum omnes cappis induti fuerint, si tanta capparum copia est, aut casulis, et dalmaticis, si cappæ desint, et pueri tunicis, exspectent sedentes in choro, donec procedant. Secretarius interim extendat unum tapetem, et desuper pallium ante majus altare super priorem gradum, et similiter faciat ante cruxifixum in medio Ecclesiæ; his peractis cum indicatum fuerit jam prope adesse personam, pulsentur duo majora signa.

Tunc aliqui de majoribus accipiant aquam benedictam, et cætera quæ ad festivam processionem portari solent; hos præcedentes sequantur abbas, et cæteri, ut sunt priores. Pueri cum magistris suis extremi veniant, et in ordine suo stent inter choros duos, cum facta fuerit statio ad susceptionem personæ. Quæ cum suscipitur [illegible] det ei abbas aspersorium cum aqua in manum, si episcopus fuerit, aliam personam aspergat ipse, dehinc porrigatur ei incensum, similiter ab abbate, textus a priore; dum hæc fiunt, pulsentur omnia signa. Cantor vero incipiat cantum qui conveniat personæ, dehinc revertatur processio, pueri cum magistris suis primi ingrediantur ecclesiam, hos sequantur reliqui sicut in statione fuerunt: extremus veniat abbas cum suscepta persona, præcedentibus eos supradictis portitoribus.

Ingressi monasterium faciant stationem ante crucifixum. Pueri vero similiter stent inter utrosque choros. Prædicti portitores paulatim progrediantur per medium eorum, et stent ante crucifixum versis vultibus ad eum. Interim oret suscepta persona; finito cantu, surgente ea ab oratione, incipiat cantor antiphonam, vel responsorium de sancto in cujus honorem fundata est ecclesia. Tunc præcedant prædicti portitores, depositurí in locis suis ea quæ portant statim cum ad altare venerint. Sequantur infantes, post hos reliqui, eo ordine quo superius dictum est. Ingressi chorum stent a parte altaris ex utraque parte sicut sunt priores. Oret iterum suscepta persona; finito quod cantatur, surgat, et si episcopus est qui suscipitur, post datam benedictionem osculetur omnes fratres per ordinem. Fratres vero, quia induti sunt, non flectant genua ante eum, sicut solent facere cum osculantur episcopum vel abbatem, vel principem terræ, sed humiliter inclinantes se procedant ad osculum ejus.

Si spiritualis persona fuerit et abbas expedire indicaverit, devestitis fratribus, et in capitulo, sicut solent, considentibus, ducatur illuc prædicta persona, et, petita benedictione, legatur ante eam lectio divina; qua finita cum *Tu autem, Domine*, sermonem si voluerit de ea faciat.

Si abbas fuerit qui suscipitur, ante introitum capituli egredientes fratres osculetur. Si vero capitulum non intraverit, servata competenti hora in claustro osculetur eos.

CAPUT II.

De abbate.

Abbas cum eligitur, omnes fratres, vel major et melior pars, in ejus electionem consentire debent. Electus autem si extra monasterium consecratur, cum redierit cum festiva processione suscipiatur. Ipse vero in utraque statione prostratus jaceat. Finito cantu secundæ stationis, episcopus, si adest, vel legatus ejus in loco et statione abbatis eum statuat. Quo statuto, si episcopus abest, incipiat prior *Te Deum laudamus*, quod dum cantant, accedant omnes fratres, sicut sunt priores, ad osculum ejus, bis flectentes genua, semel ante osculum, et semel post osculum. Ex illa die in omni loco singulari reverentia honorandus est.

In primo capitulo ubi sederit, omnes qui intra monasterium obedientias habent, et res monasterii servant, suarum obedientiarum claves ante pedes ejus ponant. Ipse vero recommendet eis ipsas obedientias, si non aliter ordinandas esse decreverit. Inclinari debet a toto conventu cum post incœptam antiphonam inclinat, cum in tabula in capitulo nominatur, si ibi præsens est, cum in psalmo, vel in alio aliquo fallitur in choro, pro quo veniam petat.

Eunte eo ad legendum vel redeunte a legendo, assurgat ei totus conventus. Transeunte eo per claustrum vel per quemcunque locum, assurgant ei omnes ante quos transit, quoadusque pertranseat. Cum capitulum introierit, fratribus jam in eo considentibus, de omnibus gradibus omnes descendant donec idem consideat. Ubicunque sit, ibi debet esse ordo et disciplina; quapropter in quocunque loco fuerit, sive in claustro, sive extra claustrum, cum reprehendit aliquem fratrem inordinate agentem, sive loquentem, mox ille coram eo humiliter veniam petat, sicut in capitulo, et tandiu stet ante illum donec illum jubeat sedere. Et si viderit illum irasci, tam diu satisfaciat ante ipsum veniam petendo, quousque illum reddat placatum. Abbas tamen providere debet ne hoc faciat coram sæcularibus hominibus.

Ubicunque sederit, nullus juxta eum sedere præ-

sumat, nisi ipse jusserit: jussus vero sedere, ad genua ejus se flectat et osculetur, et sic humiliter juxta eum sedeat. Quicunque ei in manum aliquid dederit, vel de manu ejus aliquid acceperit, osculetur manum ipsius; intraturo in refectorium duo fratres serviant ei de aqua et manutergio. Quandiu in choro fuerit, nullus infantibus, nisi eo jubente, audeat disciplinam inferre.

Quandiu dormierit in lecto suo mane, nullus sonitum audeat facere. Magister tamen infantum, si viderit transire horam qua sonitus a priore fieri solet, surgat, et quam quietius possit infantes excitet, virga tantummodo tangens pannos quibus cooperti sunt. Quo facto, exeuntes de dormitorio lavent se et pectant, et factis solitis orationibus, in scholam suam redeant et cum silentio sedeant, donec abbas de lecto surgat.

Cum alicubi extra monasterium moram faciens, mandat conventui salutes seu orationes, omnes qui in capitulo sunt inclinent, flexis usque ad suppedaneum scabellum genibus. Eodem modo fit pro papæ vel regis salutatione; pro aliarum vero personarum salutationibus humiliter inclinetur tantum. Cum autem alicui fratri mandat hujusmodi aliquid, ubicunque dicatur ei ipsa salutatio, continuo humiliter inclinet flexis ad terram genibus.

Quicunque frater ad eum extra claustrum venerit, primum dicat *Benedicite*, deinde indicet propter quam causam venerit. Nec sedere coram eo, nec recedere ab eo audeat sine ejus licentia; accepta ab eo recedendi licentia, primum dicat *Benedicite*, deinde recedat. Omnis totius monasterii ordinatio ex ejus arbitrio pendeat. Si quid novum, necessitate cogente, vel ratione suadente, eo absente, in monasterio, ordinatum fuerit, cum redierit indicetur ei, et postea fiat sicut ipse præceperit. Si de monasterio exierit, et vel una nocte extra moratus fuerit, mox ut redierit, cuicunque fratri abstinentia in capitulo injuncta fuerit, absolutus erit

Cum de hac vita decesserit, de proximo invitandus est abbas vel episcopus ad sepeliendum eum. Præter omnia quæ aliis defunctis fratribus fieri solent, addantur ei hæc: circumdentur ei sacerdotalia indumenta, et virga pastoralis ponatur in ejus dextro brachio; *Verba mea*, per unius anni circulum pro eo dicatur, et justitia ejus per totum ipsum annum ad mensam abbatis quotidie cum tribus pulmentis danda pauperibus ponatur Omni anno anniversarius dies mortis ejus festive celebretur.

CAPUT III.

De priore.

Servata abbati in omnibus reverentia, prior, qui et præpositus in regula nominatur, honorabilior est reliquis ministris domus Dei. Ipse solus cæterorum ministrorum primum suæ partis locum habet in choro, in capitulo, in refectorio. Ipsi soli servit sacerdos de thuribulo post abbatem, ad vesperas et ad matutinas laudes, quotiescunque ad easdem horas circumfertur thuribulum per chorum. Ea quoque quæ extra claustrum sunt, si abbas deest, juxta ipsius arbitrium disponuntur. Si abbas longius a monasterio fuerit, ipse deponere potest eos quos intellexerit non juxta proficuum Ecclesiæ res sibi commissas tractare. Quoties res expostulat, tenet aut teneri jubet capitulum de omnibus servientibus qui intra officinas monasterii conversantur, et secundum merita delinquentium, eo jubente, vindictæ inferuntur. Intrante eo capitulum, omnes ei assurgant, stantes in suppedaneis donec consideat. Quod si tardaverit, et prior claustri in loco superiori prius sederit, intrare non debet. Si causa fuerit quæ differri non possit, aut non debeat, ingresso eo, prior claustri ex altera ejus parte, prior omnibus sedeat. Transeunte eo per claustrum vel per chorum, non assurgetur ei; volente eo sedere in claustro ubi alii fratres sedent, assurgunt ei tantum juxta quos sedere vult; ubicunque extra claustrum fratres sedentes invenerit, assurgunt ei omnes. Prior claustri, quocunque major prior eat, si fieri possit in claustro, vel circa claustrum, debet semper esse et ordinem claustri omni sollicitudine servare.

Cum abbas et major prior absunt, si contingat quemlibet fratrum ex infirmitate laborare, potest ea præcipere in domum infirmorum ire, et si tanta ægritudo est, carnem comedere. Ad ipsum maxime pertinet infirmos fratres visitare, et quid agant et quid velint cognoscere, et in omnibus, quæ vel corporibus, vel animabus eorum necessaria sunt, consulere. Absente majore priore capitulum servientium debet tenere, et secundum culpas, vindictas inferre, sed non est sui juris quemlibet addere vel auferre.

Sui quoque officii est omni die post completorium, suscepta, dante hebdomadario sacerdote fratribus, aqua benedicta, remanere, donec omnes pertranseant, in aliquo congruo loco, unde bene possit observare qui sint qui non reverenter incedunt, et qui in exitu Ecclesiæ, ut mos est, non velant caputiis capita sua, et multa hujusmodi; egresso toto conventu, accepta absconsa, si nox est, vadit per cryptam et cætera membra monasterii ubi suspicio potest esse, per claustrum, capitulum, cæterasque officinas subtiliter observando, ne aliquis frater, qui non debeat, ibi remanserit. His ita expletis vadit in domum infirmorum, eodem modo consideraturus utrum omnes in lectis suis jam collocati sint, et habeant se silenter, et omnibus modis regulariter, sicut mos est. Revertens quoque in dormitorium hoc idem consideret.

In hieme autem ad intervallum quod fit inter nocturnas et matutinas laudes, si major prior abest, eamdem circam facit quam majorem priorem debere facere superius dictum est, cum in tractatu mensis. Novembris de hoc intervallo sermo fuisset. Facit et aliam circam, cum, tardantibus vesperis, servitores nocte in refectorio cœnant, et fratres qui majori cœnæ interfuerunt, accensis luminaribus in capitulo eos exspectant; circumit enim tunc supe-

rius dicta loca, observans ne aliqui qui cum cæteris in capitulo sedere debeant, otiosis verbis, aut alicui vanitati intendant. Quod cum accidit, si tanta noctis obscuritas est, accendantur luminaria in monasterio, claustro, dormitorio, ut exeuntes ab utraque cœna videant quo procedant.

Servitores vero surgentes a cœna, ante capitulum, tunc ad monasterium vadant. Et dum transeunt ante capitulum, incurvati eant quoadusque pertranseant. Ante introitum tamen capituli se erigant, et solito more ad orientem versi humiliter inclinent. Fratres quoque qui in capitulo sedent, surgentes a sedibus suis, illis transeuntibus humiliter se inclinare debent.

Quæcunque major prior dum in monasterio est concedere potest vel prohibere, ulcisci culpas vel indulgere, hæc quoque prior claustri absente eo facere potest, exceptis majoribus causis, quas vel ipsius majoris prioris vel abbatis judicio reservare debet; ubicunque vel in refectorio, vel in capitulo, sive in claustro, sive extra claustrum, assurgi debere majori priori superius dictum est; absente ipso majore priore, huic similiter assurgi debet.

CAPUT IV.

De circumitoribus.

Circumitores monasterii, quos alio nomine Circas vocant, juxta sancti Benedicti (*regulæ* cap. 48) præceptum certis horis circumire debent monasterii officinas, observantes incurias et negligentias fratrum et statuti ordinis prævaricationes.

Isti eligantur de totius monasterii melioribus et prudentioribus, qui nec malitiose pro privato odio unquam clamorem de quolibet faciant; nec pro privata amicitia negligentias aliquorum taceant. Numerus eorum sit secundum facultatem loci et necessitatem rei; hi religiose et ordinate, maxime in circumeundo, debent incedere et exemplum religionis videntibus ostendere. Dum circumeunt, nulli signum faciant, nulli quæcunque occasione loquantur, studiose tantum negligentias et offensiones inspiciant, et tacite prætereuntes, de eis postea in capitulo clamores faciant.

Cum autem extra claustrum inveniunt aliquos fratres loquentes, simul assurgant eis ipsi loquentes, dicatque eis unus eorum, si ita est, quia per licentiam ibi loquuntur. Circumitores vero, nec verbo nec signo ei respondeant, sed modeste pertranseuntes, intenta aure subaudiant, ne ipsa verba sint inutilia, quæ non oporteat dici. Cum autem cum famulo, seu cum alio quolibet laico inveniunt aliquem fratrem loquentem, non est mos ut ipse frater assurgat cuilibet eorum aut dicat eis quidquam. Nunquam, cum circumeunt, debent simul ire, sed unus hac, et alter illac, secundum quod injunctam curam inter se diviserint, et abbas, vel prior eis ordinaverit. Officinas monasterii nunquam pro hac cura ingrediantur, sed per ostia eorum prospiciant, si forte aliqui fratres per curiam vadant vagantes, aut stent, vel sedeant fabulantes.

A Hæc sunt horæ, quibus ex consuetudine circumire debent, quamvis et aliis horis, si abbas, vel prior ita oportere judicaverit. Completis tribus orationibus, quas conventus facit ante psalmos, quos ante nocturna dicere solet, tunc enim, accensa candela in absconsa, unus eorum in dormitorio debet circumire lectos omnium, et omnia sedilia in necessariis sollicite considerans, ne forte aliquis frater dormiens ibi remanserit; dehinc revertatur in monasterium, et circumeat omnia altaria in cryptis, et quæ ex utraque parte chori subtus sunt; cæteraque monasterii loca, ubi suspicio poterit esse diligenter observans, ne aliquis frater ibi dormiat, vel jaceat, vel inordinate sedeat. Sanguine vero minuti, et ægri et debiles ne clamentur in capitulo, si ea hora inve-B niantur, sedendo quidem, non jacendo quiescere. Cæteros vero cum dormientes invenit, non eos quocunque modo tangat, sed modeste, atque ordinate sonitum tantummodo quo excitentur, faciat.

Circa medietatem secundi nocturni, et 279 in laudibus paululum ante *Laudate Dominum de cælis*, accensa candela in absconsa, circumeat prædicta monasterii loca, observans omnia quæ superius dicta sunt. In die autem circumeat post offerendam minoris et majoris missæ, et post cœnam, cum bis fratres reficiunt, et post prandium, cum semel. Vadant in fine vigiliæ Defunctorum. Surgant etiam sæpe de prandio aut cœna, non omnes quidem, sed aliqui, cum suspicantur se inventuros aliquid negligentiæ, C hoc vero non longe a refectorio fiat, ut, si opus fuerit, statim possint occurrere cum aliis, ad versum qui finito prandio vel cœna dicitur; isti attente et reverenter audiendi sunt in capitulo. Auditis eis qui sponte venias petunt, istorum est primos clamores facere.

CAPUT V.

De cantore.

Cantor, quandiu abbas in monasterio est conventum sequens, non scribatur in tabula ad lectionem, vel ad responsorium, ut videlicet si forte abbati commodum non fuerit legere aut cantare, ipsi sine mora pro eo inveniatur paratus. Cum vero abbas extra monasterium vel intra monasterium, conventum sequi non potest, in locum ipsius scribatur cantor in tabula ad lectionem et ad responso-D rium.

Quicunque lecturus aut cantaturus est aliquid in monasterio, si necesse habet, ab eo priusquam incipiat debet auscultare.

Ipsius est omni hora sollicite providere ne eveniat negligentia in quocunque obsequio quod fit in monasterio.

Si quis obliviosus non incœperit, cum incipere debet responsorium, aut antiphonam, aut aliud hujusmodi, sive in eodem jam bene incœpto, aliquo modo deviaverit, ipse debet esse provisus atque paratus, ut sine mora quod incipiendum erat incipiat, vel eum qui fallendo deviaverat in viam reducat; ad ipsius arbitrium cantus incipitur, elevatur,

remittitur. Nulli licet cantum levare, nisi ipse prius A incipiat; ipsius est omnes fratres in tabula ad omnia officia adnotare, non considerato conversionis ordine, aut voluntate eorum, sed secundum quod ei visum fuerit, honestatem aut ædificationem in hoc vigilanter consideranti.

In festivitatibus quæ fiunt in cappis, secretarius debet eligere quod opus fuerit de melioribus cappis earum quæ ipso die habentur in choro, et ante initium missæ ponere eas supra dextram formam chori. Cantor vero distribuat eas fratribus illis quos secum in choro habere voluerit; ipsa enim capparum distributio eorum est ad regendum chorum advocatio, nullusque eorum ante finem missæ de choro debet recedere sine ejus licentia.

Cantor vero, cujuscunque ordinis vel ætatis sit, B in medio eorum debet esse in choro. Quotiescunque textus aut thuribulum affertur eis, utrumque prius cantori offeratur, nisi aliquis episcopus, vel abbas, seu major prior, vel ille qui tenet ordinem ibi sit inter eos. Cantor in dextro choro semper sit, et dum tenet chorum quidquid incipit, sive *Kyrie eleison*, sive aliud hujusmodi, dexter chorus prius suscipiat quod ab eo incœptum fuerit, et sequatur ipsum.

Omnes qui in choro sunt, inclinati quidem cantent *Sanctus, sanctus, sanctus*, nisi versus interponantur; erecti vero *Dominus Deus sabaoth*, et cætera. Cantor et illi qui cum eo sunt totum erecti canant. Ad collectas omnes, et cum sacerdos dicit *Orate fratres*, et ad totum *Pater noster* inclinentur, sed C ad finem ipsius *Pater noster*, responso *Sed libera nos a malo*, erigantur, quod aliis non licet.

Eodem modo fit, cum in festis in albis solus vel cum aliis chorum tenet, quod non licet ei qui in Dominicis et hujusmodi festis hebdomadarius cantor exstitit.

In omnibus præcipuis solemnitatibus, cum eveniunt in Dominicis diebus, scribatur in tabula ad officium missæ, et cum eo duo quos ipse voluerit. De thuribulo post offerendam ei deferendo, superius dictum est.

Cum fit opus manuum, ipsius est aut legere aut magistro infantum ostendere quo in loco infans debeat lectionem incipere. D

In Dominicis diebus et hujusmodi festis, incœpta offerenda accedat qui chorum tenet ad cantorem, faciatque illi signum incipiendi versus offerendæ. Ad ipsum enim pertinet tunc incipere eos etiam, si succentor chorum teneat. Cantor viso signo inclinet ei, et hebdomadarius cantor similiter ipsi. In cœpto unoquoque versu, cantor ante et retro faciat, et omnes infantes inclinent.

Ipsius est notificare abbati omnes cantus quos ipse cantat vel incipit. Cura Brevium, qui foras mitti solent pro defunctis fratribus, et cura numerandi tricenaria et septenaria, ad eum pertinet; de universis monasterii libris curam gerat, et eos in custodia sua habeat, si ejus studii, **280** et scientiæ sit ut eorum custodia ei commendari debea

CAPUT VI.

De secretario seu sacrista.

Ad secretarii officium pertinet omnia ornamen monasterii, et omnia instrumenta, et supellectile quæ ad ipsum monasterium pertineat custodir horas proædere [*f.*, providere, *vel* prævidere], duodecim lectionibus pronuntiato Evangelio in te tio nocturno, et in festivis octavis, altare discoop rire, textum tunc in vestiarium portare, quem s cerdos ferat, cum in cappa per singulos dies pr cesserit ad altare, sacerdoti ab altari ad analogiu reverso absconsam cum candela ministrare, finit que collecta eamdem absconsam recipere, et post textum ponere super altare.

Ipsius est signa pulsare, vel qualiter pulsent aliis indicare, de nulla hora sonanda a quovis lice tiam petit, nisi de sola prima et collatione, exc pto de tertia et vesperis, cum loquentibus fratrib abbas in claustro sedet. Candelas per officinas di tribuit, secundum quod opus fuerit, et abbas v prior præceperit. De sepulturis, tam monachoru quam laicorum, curam gerit, ut videlicet fiant, ubi fiant.

Sui officii est calices bis in hebdomada, aut, opus fuerit, sæpius lavare, corporalia quoque ar Pascha semper et quoties reliquis anni partibus e pedit, utrumque, si diaconus aut presbyter sit; vero non sit, priori vel abbati indicare, et ipsi licentia alicui, qui hujus ordinis sit, hanc cura commendare; lavandis corporalibus quanta pos diligentia adhibeatur; vasa ænea, ad nullos al usus destinata, ad hoc opus habeantur; aqua q lavantur, sicut et calicum, in sacrarium projiciatu lotis, dum siccantur, ne aliquæ sordes adhærea omnibus modis provideatur.

Cura faciendi hostias super eum est; quæ ut mu dissime et honestissime fiant, summopere stud debet. In primis, si fieri potest, frumentum cu magno studio granatim eligatur, electum in saccu mundo, et de bono panno facto et ad hoc opus ta tum ponatur, et a famulo boni studii ad molen num deferatur. Quo delato famulus aliud frume tum in ipso molendino moli prius faciat, ut illu unde hostiæ fieri debent, sine aliqua sorde m postea valeat. Reportata farina secretarius vas locum quo farina buletari debet, in circuitu corti paret; ipsemet vero, indutus alba et velato an ctu capite, hoc opus agat.

Ea autem die qua hostiæ fieri debent, secretari et fratres qui eum juvare debent, antequam in piant, manus et facies lavent, albis induantur, pita amictibus velent, præter eum qui ferra ten rus et inde serviturus est. Horum unus super ta lam mundissimam ipsam farinam aqua consperg et manibus fortiter compingat et maceret; frat qui ferra, in quibus coquuntur, tenet, manus c rothecis habeat involutas. Interim dum ipsæ h stiæ fiunt et coquuntur, dicant iidem fratres psaln

familiares horarum et horas canonicas, vel de psalterio ex ordine quod tantumdem valeat, si ita potius voluerint. Silentium loquendi omnino teneant. Ille tamen qui ferra tenet, si necesse sit, breviter quod vult indicare potest famulo qui focum facit et ligna portat; quæ debent esse valde sicca et ante multos dies de industria præparata.

Ejus sollicitudinis est ampullas vinarias et aquarias bis in hebdomada, id est, quarta feria et Sabbato lavare, omni die vinum et aquam ad missas celebrandas portare, offerentibus ad utramque missam hostias ministrare, candelas ad lectiones et in matutinis laudibus, ad primam collectam accendere. Quæ matutinæ laudes, si ultra modum et indecenter tardaverint, secretarius, cui hujus rei cura tunc commissa erit, ante gradum satisfactionum prosternatur, quousque ipsa collecta usque ad *Benedicamus Domino* finiatur; quo incœpto nulla exspectata licentia recedat, et ante et retro non faciat. Hoc modo satisfaciat, quocunque die hujusmodi negligentia eveniat; et inde postea in capitulo aliam veniam non petat.

Et quia hujus ministerii, et in his quæ scripta sunt, et in multis aliis quæ scripta non sunt, multiplex et valde implicita cura est, non uni tantum, sed multis commendari atque inter eos dividi debet; unus eorum sit magister aliorum, ad cujus dispositionem cæteri agant, majoribus causis servatis arbitrio abbatis vel prioris.

281 CAPUT VII.
De camerario.

Camerarii est procurare omnia vestimenta, et calceamenta, et lectos et stramenta lectorum, quæ fratribus sunt necessaria et juxta regulam habere concessa; rasoria quoque et forfices, tersoria ad radendum, tersoria in claustro pendentia, tersoria, et manutergia mandati, et omnia vasa ejus; vitreas dormitorii facit et reficit, cum opus est, dat ferra quibus ferrantur equi abbatis et prioris, et omnium hospitum, quibus ferra dari abbas vel prior præceperit, fratribus quoque in iter profecturis cappas, fasciolas, calcaria. Semel in anno renovari facit fenum in omnibus lectis fratrum et tunc etiam mundari dormitorium.

CAPUT VIII.
SECTIO I. — *De cellerario.*

Ad cellerarii ministerium pertinet omnia quæ in pane et potu, et diversis ciborum generibus fratribus sunt necessaria, secundum facultatem loci procurare, omnia vasa cellarii et coquinæ, et scyphos, et justas, et cætera vasa refectorii, et omnem horum trium necessariam supellectilem ministrare. Pater totius congregationis debet esse, de sanis et maxime infirmis fratribus sollicitudinem habere, præter consilium abbatis vel prioris de majoribus causis nihil facere.

Rogandus est ab eo cantor, ut ante aliquot dies præmoneat eum et prænuntiet ei diem quo sententia sua de regula legenda est in capitulo, ut

A videlicet honestum et festivum servitium ipsa die possit facere fratribus et refectorio; tabulæ tamen refectorii non sint coopertæ. Lecta vero in capitulo, et exposita prædicta sententia, cum dictum fuerit a priore: « Loquamur de ordine nostro » statim prostratus in loco ubi mos est, dicat: « Istam obedientiam, quæ mihi injuncta est, mea culpa, negligenter, et tepide, et multo aliter quam oportet tracto, et in ea in multis offendo Dominum, et nostros seniores, mea culpa; et requiro inde absolutionem vestram et seniorum. » Quo dicto absolvat eum, qui capitulum tenet de his offensis, quas ibi enumeraverit; et de omnibus reliquis, quæ in eo sunt. Ad cujus absolutionis finem responso ab omnibus cum omni devotionis affectu, ut mos est, *Amen*, B vadat ad pedem ejus, et deinde jubeatur ire sessum.

Finito capitulo, et dicto *Verba mea*, si ipsa die dici debet, in eodem capitulo dicant fratres pro eo quinquagesimum psalmum, quo completo cum *Gloria Patri*, et *Pater noster*, dicat hebdomadarius, *Et ne nos inducas*, *Salvum fac servum tuum*, *Dominus vobiscum*, *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo*, et reliqua.

Quod si suscepto Brevi pro defuncto, ipsa die canentes *Verba mea*, in monasterium ituri sunt, priusquam eant, prædictum psalmum cum capitulis et collecta dicant. Si autem prædictam sententiam contigerit tali die legi, qua non possit refectio honorabiliter fieri, sicut est in vigiliis Quatuor Temporum et hujusmodi diebus, petat cellerarius a C priore et capitulo licentiam quo differre possit refectionem in aliam diem, qua honestius et plenius fieri valeat.

SECTIO II. — *De hospitum curam habente.*

Frater qui ad suscipiendos hospites deputatus est, in ipsa hospitum domo hæc præparata habere debet: lectos, sedilia, mensas, manutergia, mappas, scyphos, scutellas, coclearia, baccilia, et si quæ sunt hujusmodi; ligna quoque; panem, vero et potum et cætera cibaria, ad opus hospitum per famulos sibi deputatos, in cellario recipit.

Quicunque abbati, vel priori, seu alicui de claustro loqui vult, legationem suam huic debet injungere. Ipse vero, nihil inde alicui aliquo modo indicans, D ad abbatem, vel priorem voluntatem hospitis perferat, et postea quod ipse decreverit fiat. Si autem fratri, qui in claustro est, loquendi cum hospite, vel propinquo vel extraneo concessa licentia fuerit, istius est ipsum fratrem de claustro ad hospitem ducere. Quod si abbati vel priori non placuerit ut simul loquantur, nec verbum, nec signum, nec aliquem nutum ipsi fratri faciat quo aliquid inde percipere quolibet modo valeat.

Ipsius est præ omnibus sollicite observare de fratribus qui in obedientiis sunt, cum ad monasterium redeunt, utrum famulos idoneos et cellam regularem habeant, et quomodo se in curia contineant, ut si extra ordinem aliquid fecerint, **282** clamorem inde super eos in capitulo faciat.

Si extranei clerici se dixerint in refectorio velle comedere, istius est voluntatem ipsorum abbati vel priori indicare; quod si abbas vel prior petitioni eorum annuerit, iste eos quomodo in refectorio se habere debeant bene instruat, et ita instructos, pulsato jam cymbalo, in locutorium adducat, ibique abbas, vel prior, si abbas deest, manibus eorum aquam tribuat, et postea prædictus frater eos ad mensam abbatis ducat. Completo autem prandio atque exeunte conventu de refectorio, præfatus eorum ductor post abbatem vel priorem solus cum illo remaneat, et sequatur cum eis processionem, donec de ostio refectorii exeat; postea ducat eos extra claustrum mediocri voce psallendo cum eis *Miserere mei, Deus*, et cætera quæ sequuntur.

Ipsius est extraneum monachum, qui ignarus loci sit, per claustrum in monasterium ad orationem ducere. Breves pro defunctis per manum illius magistro infantum dari, vel in capitulum deferri debent. Ad eum pertinet sæculares homines, qui societatem fratrum suscepturi sunt, adducere in capitulum. Ipsius est volentibus videre officinas, ipsas officinas ostendere, observato ut conventus tunc in claustro non sedeat, nec aliquem ocreatum, vel calcaria habentem, nec aliquem qui nudis pedibus sit, vel solis femoralibus calceatus in claustrum pro qualibet causa introducat. Suum præterea est novitios, qui de sæculo veniunt, in capitulum adducere et docere eos priorem petitionem facere.

SECTIO III. — *De eleemosynario.*

Eleemosynarius aut per se, si opportunum sibi est, perquirat, aut per veraces et fideles homines, cum multa sollicitudine perquiri faciat ubi ægri et debiles jaceant qui non habeant unde se sustinere valeant.

Si autem ipsemet ad perquirendum et visitandum perrexit, duos famulos secum habeat, et priusquam intret domum ad quam iturus est, mulieres si aliquæ in ea sunt, exire faciat. Ingressus domum blande consoletur ægrum, et offerat ei quod melius habet et sibi intelligit esse necessarium. Quod si æger aliud requirit, et ipsum perquirat si aliquo modo habere potuerit. In eas autem domos in quibus mulieres ægræ vel debiles jacent nunquam introeat, sed, per unum de famulis suis quod habere potest et eis necessarium est, transmittat; prius tamen quam aliquid de supradictis agat, abbati vel priori indicet, et secundum eorum dispositionem eleemosynam monasterii eis dispenset.

CAPUT IX.

De infirmario.

Frater, cui cura domus infirmorum commissa est et infirmis fratribus servire deputatur, cocum suum habeat et coquinam separatim, si loci situs et facultas talis sit, ut quod infirmis præparari necessarium est opportuno tempore parari possit. Omnia fercula apponenda infirmis ipse administret eis. Omni die post completorium spargat aquam benedictam per omnes eorum lectos; factis tribus orationibus, quæ fiunt ante nocturna, circumeat cum absconsa lectos infirmorum omnium, observans sollicite ne aliquis, qui valeret surgere, in lecto remanserit. Ipsius est præcipue manifestare, et clamare in capitulo negligentias omnium in prædicta domo commorantium.

Cum perceperit infirmum jam esse prope finem suum, suum est præcipere famulis suis ut calefaciant aquam ad lavandum ipsum. Cura de feretro custodiendo et administrando, cum opus fuerit, super eum est et super famulos suos, sicut et cura de administranda tabula, quam ex more prior semel percutit, completa ablutione ipsius defuncti; defuncto fratre et in monasterium deportato, locum in quo jacuit mundari et feno vel junco renovari faciat.

Abbas vel prior omnibus modis sollicitudinem gerat ne aliquid, quod ad hoc ministerium necessarium est, in illa domo unquam deficiat.

CAPUT X.

De negligentia circa corpus Domini.

Cum de corpore vel sanguine Domini tanta negligentia alio casu accidit **283** ut cadat deorsum, sive in alium locum ubi plene percipi non possit quo ceciderit et utrum ad terram inde aliquid venerit, quam citius fieri possit, indicetur res abbati vel priori; qui adjunctis sibi aliquibus fratribus propere veniat ad locum ubi hoc contigerit. Et si corpus ceciderit vel sanguis effusus fuerit super lapidem, aut terram, aut lignum, aut mattam, aut tapetem, aut aliquid hujusmodi, pulvis terræ colligatur, pars illa lapidis radatur, pars ligni, mattæ, tapetis, aut si quid aliud est hujusmodi, abscindatur et in sacrarium projiciatur.

Quod si locus ubi ceciderit manifeste deprehendi nequiverit, et tamen deorsum cecidisse constiterit, in loco et circa locum, in quem maxime cecidisse crediderint, similiter colligatur, radatur, abscindatur et in sacrarium recondatur; hi vero quorum negligentia hoc evenerit, in proximo capitulo humiliter culpam suam dicant, judicium suscipiant nudi, et injungatur eis pœnitentia, vel de jejunio, vel judiciis, vel psalmis, vel aliquid hujusmodi. Quibus de judicio ad loca sua reversis, omnes sacerdotes qui tunc præsentes erunt surgant, et ad judicia suscipienda cum omni devotione se offerant. Tunc ille qui capitulum tenet, septem tantum quos voluerit de ipsis ad suscipienda judicia retineat, et cæteris ire præcipiat. Finito capitulo omnes simul prosessum præcipiat. Finito capitulo omnes simul prostrati dicant septem psalmos in monasterio, incipientes eos psallere, cum exeunt de capitulo. Quos sequatur *Pater noster*, cum his capitulis et collecta: *Et super nos misericordia tua, Domine*; *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*; *Dominus vobiscum*; *Oremus*; *Exaudi, Domine, preces nostras et confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per*, aut illam collectam: *Deus cui proprium est misereri semper*, aut aliam pro peccatis.

Si vero super corporale vel super aliquem honestum pannum sanguis ceciderit, certumque fuerit quo ceciderit, pars illa panni in aliquo calice abluatur, et prima ablutio a fratribus absumatur, reliquæ duæ in sacrarium projiciantur. In primo autem capitulo dicta culpa, hi soli tantum, quorum negligentia hoc evenit, supradictam disciplinam sustineant; fratres vero omnes septem psalmos cum capitulis, et collecta, sicut superius dictum est, in monasterio dicant. Si ipsa die Brevis pro defuncto in capitulo lectus fuerit, prius canant *Verba mea* pergentes in ecclesiam; postea septem psalmos sicut superius dictum est.

Si vero alio aliquo modo de hoc sacramento levior negligentia evenerit, ex judicio abbatis vel prioris leniori vindicta frater, cujus culpa hoc contigerit, puniatur.

CAPUT XI.

De rasura fratrum.

Qua die radendi sunt fratres citius solito pulsetur signum ad primam, vel ad tertiam, si ipsa tertia ante capitulum dici debet. In capitulo non diu sedeant, sed necessariis rebus explicitis surgentes pulsata tabula, dictoque *Benedicite* exeant in claustrum. Infantes ipsa die capitulum non teneant, sed statim post alios exeant, et in scholam suam pergant residentibus cunctis, et ad radendum paratis incipiat abbas, aut prior, quinque psalmos, id est *Verba mea* pro defunctis. Sacerdos hebdomadarius sedens dicat collectas; alter quoque hebdomadarius juxta eum sedeat, et cum eo psalmos teneat; post quinque psalmos dicant omnes canonicas horas, in quarum fine usque ad vesperas non dicat sacerdos *Dominus vobiscum;* nec *Benedicamus Domine*, sed post *Per omnia sæcula sæculorum*, statim incipiat *Adjutorium meum;* post vesperas vero dicto *Benedicamus Domino*, psallantur vesperæ mortuorum, dehinc completorium ut canonici; postea familiares psalmi horarum.

Nullus in cuculla radatur, sed prius cuculla exutus, et frocco indutus, cuculla plicata et juxta se posita radatur. Ille qui radit frocco exutus sit.

Juvenes qui sunt in custodia custodes suos radant: et custodes, ipsos juvenes. Quod si custos nequiverit aut nescierit radere, roget aliquem maturum fratrem, ut eum radat: ipse tamen custodiens ipsum juxta eum sedeat. Juvenes quoque, sive nutriti, sive de sæculo venientes, utrique tamen extra hujusmodi custodiam existentes non præsumant ut alter alterum radant, sed seniores ab illis et illi a senioribus radantur. Magistri pueros radant et ipsi a pueris radantur, si tamen hujusmodi scientiam habent.

Hiemali tempore, quando pueri, et sanguine minuti, atque infirmi post capitulum accipiunt mistum, refectorarii primi se radant, et post psalmos, tam cito apparatum refectorii faciant, ut fratres accepturi mistum omnia parata inveniant.

Quandiu psalmi dicuntur nemo tondeatur, vel caput abluat, vel ungues incidat, nec extra claustrum sine licentia ire præsumat. Finitis psalmis dicat abbas, vel prior *Benedicite*, et responso *Dominus*, postea loquantur. Tunc lesciva in claustrum deferatur, et qui vult caput lavet, quisque sibi, nullus alii, præter magistros infantum, qui parvulis pueris, qui id non possunt, capita lavare debent.

Frater dum raditur, si signum ad horam sonuerit, induat cucullam super froccum, et pergat in chorum si tamen omnino barbam rasam aut omnino adhuc intactam habet, alioquin extra chorum maneat Ipso die quo se radunt fratres mappæ in refectorio mutandæ sunt. Aliis diebus quando fratres in claustro loquuntur, qui necesse habet tonderi potest in claustro, sed per licentiam abbatis sive prioris.

CAPUT XII.

De sanguinis minutione.

Licentia minuendi sanguinem omni tempore statim post capitulum petenda est, et cellerario indicanda hora minuendi est; in hieme, post evangelium majoris missæ; in æstate, post nonam ante vesperas; in Quadragesima post vesperas. Cum ii qui minuendi sunt calceati nocturnalibus suis ad locum qui huic operi deputatus est venerint, versi ad orientem ante et retro inclinent, deinde priore eorum incipiente versum *Deus, in adjutorium meum intende*, ter dicant, *et cætera*, sicut in æstate post nonam in capitulo, quando fratres loquuntur in claustro. Si unus tantum fuerit, solus hoc faciat. Postea exuant froccos, et parent se ad minuendum.

Silentium ibi omnino teneant, nisi necessitas loqui cogat quæ differri aut non possit, aut non debeat. Quod si evenerit, breviter, et modeste et humillima voce id fiat.

Chorum non cogantur intrare usque in crastinum post orationem primæ, vel tertiæ, quo tempore ante capitulum tertia dicitur: si plus indigent, petita licentia diutius extra chorum remaneant.

Crastina die nocturnales suos calceent, duobus diebus mistum accipiant; cum ad ipsum mistum ventum fuerit, si tempus sit quo fratres semel reficiunt, simul omnes dicant versum, et ante mistum, et post mistum, cum psalmo *Miserere mei, Deus*, et reliquis eo modo quo dicitur a conventu, cum bis reficiunt omnes fratres. Benedictio a priore sacerdote detur, lectio ab uno aliquo memoriter recitetur; in refectorio totum fiat.

In crastino minutionis clamatus aliquis minutorum surgat, et ad petendam veniam se offerat; aliquis vero eorum quibus minutio nota est, priori dicere debet quod frater ille minutus sit, et prior ei præcipere ut stando loquatur, et maxime si de vena brachii minutus sit, si culpa levis indulgeatur ei; si autem talis fuerit quæ sine corporali disciplina dimitti non debeat, in aliud tempus differatur.

Hæc sunt tempora quibus fratres minui non de-

bent, nisi necessitas cogat : si in crastino festivitas duodecim lectionum sit, exceptis Sabbatis Quadragesimæ usque ad Passionem Domini, si crastina die festivitas trium lectionum sit, in qua missa in cappis celebretur, sicut sunt tres dies post Pascha, et tres post Pentecosten, quatuordecim dies ante Pascha, si ipsa die vel in crastino canonica jejunia sint, quæ violari non possint; festivitas Omnium Sanctorum, quia in crastino omnes sacerdotes pro Defunctis missas celebrare, et reliqui psalmos pro missis ordinatos dicere debent.

CAPUT XIII.

De hebdomadario missæ majoris.

Cum sacerdoti majoris missæ hebdomadario aliquid dormienti evenerit, propter quod ipsa die missam celebrare non debeat, si fuerit privata dies, non dimittat quidquam facere de suo officio, nisi missam, et benedictionem in refectorio, et completorium, quia aqua benedicta post completorium fratres aspergere ad ipsum pertinet qui completorium dixit et missam celebravit.

Quod si duodecim lectiones fuerint, dimittat etiam vesperas, matutinas quoque laudes, si ad ipsas revestiri debeat sacerdos. Finita autem principali oratione, cum sacerdos revestitus, qui pro eo facit officium, exierit de choro, sacerdos hebdomadarius in quacunque parte chori sit, nullo exspectato signo compleat reliqua omnia quæ sequuntur.

Cum autem ipse hebdomadarius revestitus cantat vesperas, aut matutinas laudes, et completa principali oratione egreditur chorum ut exuatur, tunc uni de suo choro cui voluerit signum faciat ut agat pro eo commemorationem Sanctorum. **285** Qua completa, hebdomadarius reversus in chorum compleat quæ sequuntur.

CAPUT XIV.

De itinerantibus fratribus.

Frater, in aliquod iter profecturus et in crastino non reversurus, accipiat benedictionem exeundi; si vero contigerit ut altera die revertatur, non accipiat benedictionem revertendi; si autem profecturus sperat se in crastino rediturum, non accipiat benedictionem eundi. Quod si evenerit ut ultra biduum moretur, reversus revertendi benedictionem accipiat. Ille vero frater qui, accepta pergendi benedictione, ultra biduum moratus fuerit, si ipso die quo redierit in aliquem locum extra monasterium perrexerit, et unius noctis moram fecerit, in crastino reversus omnes revertendi benedictiones accipiat, quia ex quo primum abiit non jacuit in monasterio. Si vero sine benedictione exeat, sperans se in crastino rediturum, et ita eveniat, atque ipsa die qua rediit extra monasterium, ubi una nocte moretur, in aliquem locum pergat, reversus ipsa die omnes revertendi benedictiones accipiat. Hoc propterea fit, quia duabus continuis noctibus extra monasterium fuit. In exeundo nullam benedictionem accipiat, nisi ultra biduum se moraturum existimet.

Si frater quilibet de foris veniens accipiat utramque benedictionem, veniendi scilicet atque exeundi, nec sit ei opportunum statim, vel etiam per totam ipsam diem exire, ad quotcunque horas in monasterio fuerit accipiat benedictiones veniendi, exeundi vero minime; nisi forte contigerit eum ipsa nocte in monasterio remanere, tunc enim in crastino, si exire voluerit, suscipiat eam.

Ad vesperas, vel ad completorium nunquam debet dari benedictio exeundi; frater, accepta benedictione, si priusquam de claustro exeat signum regularis horæ sonuerit, cum cæteris in chorum pergat, et dicta hora, in viam suam vadat; si autem extra claustrum fuerit, et priusquam portam curiæ egressus sit, ad regularem horam signum pulsatum fuerit, ad ecclesiam redeat et regularem horam extra chorum dicat, et postea viam suam teneat.

Fasciolatus, aut cinctus, sive cum cappa, nunquam in claustrum introeat. Fratres in viam directi, cum horam regularem dicunt aut orationem faciunt, aut *Deus in adjutorium meum*, cum *Gloria Patri* dicunt, si dies talis est, sicut in monasterio, genua flectant, sed ante et retro nusquam faciant, nec cum falluntur, veniam petant, nisi sint in ecclesia, diebus quibus super formas orant dicturi aliquam horam, si equitant de equis descendant, et inchoata hora, ac venia petita, a manibus chirothecas, et a capitibus capitia auferant, et sic ascensis equis horam finiant.

Quod si inter psallendum necessitas loquendi eveniat, finita locutione, iterum a capite horam incipiant; dum hora in hospitio canitur, aut cum manducant, froccis induti sint, aut solis cucullis cunctam psalmodiam, quam in nocte eis dicere commodum non est, equitantes per viam dicant, præter eam quam in die dicere solent ad complendum ordinem, ad vitandam curiositatem, scurrilitatem, otiositatem, antequam dormitum vadant, completorium dicant. Quo dicto si grandis, quæ vitari non debeat, necessitas loquendi eveniat, dicto versu, quam brevius fieri possit loquantur. Et si ante matutinas hoc accidat, completorium iterum dicant, et postea silentium teneant. Ubicunque monachus sit, tota nocte ante eum lumen ardeat.

De monachis in viam directis hunc morem cœnobia illa tenent quæ nostro tempore nostri ordini majorem auctoritatem habent. Beatus tamen Benedictus moram dierum non determinat, sed absolut imperat ut de itinere reversus monachus per omne canonicas horas benedictionem accipiat.

CAPUT XV.

De silentio regulari.

Cum regularis hora, præter completorium, i monasterio canitur, nullus fratrum loquatur intr officinas totius monasterii, nec infra totam curiam nec etiam in domo infirmorum, præter illos qu tanta infirmitas angustiat ut eos interim silentiu tenere non sinat. Completorium vero dum canitu licet priori et eis qui per licentiam de completor remanent, de utilibus et necessariis rebus loqui.

Similiter dum regularem horam fratres in ecclesia dicunt, nullus comedat in refectorio, excepto solo completorio; tunc enim licet eis qui, aliqua utilitate impediti, ante illam horam se expedire non possunt, et fratribus qui deforis veniunt comedere **286** in refectorio. Qui si ante collationem incipientes comedere circa finem completorii cœnam suam commode explere non valent, licet eis a mensa surgere, et in monasterium ad benedictionem ire, et postea in refectorium ad complendam cœnam redire.

CAPUT XVI.

De culpis et satisfactionibus.

Ad levis culpæ satisfactionem adjudicatus frater a communi mensa separatur, usurus cibo et potu quibus alii fratres, nisi ei nominatim fuerit interdictum, refecturus hora nona, si fratres sexta, vel ad vesperam, si fratres hora nona.

In monasterio et in capitulo, in loco ubi solet esse, sit aut ultimus omnium, aut inter utrumque, secundum quod culpa fuerit et abbas præceperit.

In ecclesia missam non celebret, epistolam vel lectionem, evangelium non legat, responsorium non canat, antiphonam super psalmos non imponat, nec aliquid hujusmodi, nisi cum cæteris agat, ad candelabrum, vel ad thuribulum non se revestiat, ad offerendam vel ad pacem non accedat.

Circa finem regulariter instituti operis Dei, tam in nocte quam in die, cum incipiunt *Kyrie eleison* prosternat se ante gradum ubi benedictiones accipiuntur, ibique tandiu prostratus jaceat, usquequo dicatur. *Qui tecum vivit*; si festivitas duodecim lectionum eveniat, tandiu ab hac satisfactione quiescat quousque privati dies redeant; dum fratres in refectorio comedunt, ipse sit in ecclesia.

Cum abbati placuerit ab hac satisfactione eum absolvere, si in monasterio fuerit in conventu, mittat ad illum cum prostratus fuerit, unum de prioribus, qui circa eum sunt, qui ex parte ipsius signum prostrato faciat, ut surgat, qui statim surgens humiliter inclinet abbati, et ad locum suum vadat. Porro si abbas in capitulo sederit, rogantibus fratribus, dicat ei: Indulta sit vobis hæc levis culpæ satisfactio, vel aliquid hujusmodi, et ille frater statim surgat, et ad pedes abbatis vadat, et postea in locum suum revertatur.

Si abbas in itinere fuerit, licet priori, vel ei qui ordinem tenet, absente priore, hoc totum facere.

Si frater aliquis (quod Deus avertat!) culpam gravem commiserit, et ipsa culpa manifestata secreto emendari competenter nequiverit, in capitulo ante abbatem in conventu fratrum examinetur, et communi judicio frater ille corporalem disciplinam acriter patiatur, et in gravis culpæ satisfactione esse jubeatur. Qui accepta disciplina vestitus atque cinctus, cultellum suum ibi deponat caput suum caputio cooperiat, et cum summo silentio ad locum huic negotio ordinatum pergat, præcedente fratre illo, qui clavem ipsius loci servat; tunc abbas provideat unum de senioribus, cui eum custodiendum secure possit committere, qui eum ad horas ducere, et post horas ad locum suum debeat eum reducere. Qui senior post capitulum secreto ab abbate inquirat quo ordine frater ille vivet, et quid aut qua hora comedere debeat, loquatur ei frater ille, et alii quibus abbas præceperit, cæterorum autem memo illi societur, neque colloquatur.

Cum pulsatur signum ad horam, custode suo ducente, cooperto capite, ante ostium monasterii veniat, et, si conventus adhuc monasterium non intravit, quousque totus introet ibi prostratus jaceat; si vero jam intravit, stet ibi, et inclinet, et genua flectat, sicut fratres qui in choro sunt, dum cantatur hora, si aliqui fratres juxta se transierint, humiliter inclinet eis. Transeunte tunc abbate prostratus veniam petat, si frater ille juxta se eum transire cognoverit. Finitis horis regularibus, exeuntium ab ecclesia pedibus, cooperto capite, prosternatur quousque omnes pertranseant. Egredientes vero dicant ei sub silentio *Misereatur tibi Deus.* Egressis omnibus operto capite, custode suo eum præcedente, ad locum unde venit revertatur.

In capitulum, statutis ab abbate diebus, prædicto custode eum ducente, veniat, et corporale judicium humiliter et patienter sustineat, de cibo et potu competens ei misericordia impendatur, ne forte nimiis angustiis oppressus immoderata tristitia absorbeatur, hoc modo tractetur quoadusque humilitate et patientia et emendationis promissione adjunctis fratrum precibus misericordiam consequatur.

Qua vero die, precantibus fratribus, decreverit abbas misericordiam ei impendere, eo modo quo superius dictum est in capitulum veniat, prostratus culpam suam fateatur, et emendationem promittat, et misericordiam quærat; jussus surgere frequenter se prosternat, et eadem verba, et similia dicat, cessaturus cum abbas dixerit ei: Sufficiat. Postea jubeatur exuere et corporalis disciplinæ **287** judicium sustinere. Quo facto, dicat ei abbas: Motus fratrum nostrorum precibus, et patientia et humilitate vestra et promissione emendationis vestræ, hanc misericordiam vobis impendo, ut dehinc cum fratribus sitis in refectorio, in loco, quem vobis designabimus, comedatis, disciplinam corporalem pro hac culpa ulterius non suscipiatis, de cæteris ad comprobandum adhuc humilitatem et patientiam vestram, ita vos habete, sicut frater qui in levis culpæ pœnitentia esse jubetur, excepto quod incœpto *Kyrie eleison*, ad gradum vos non prosternetis, sed expleta regulari hora, in loco in quo stabitis, sicut beatus Benedictus præcipit, flexis ad terram genibus sicut qui in psalmo fallitur, humiliter satisfacietis. Hoc audito frater ille ad pedes abbatis vadat, et rediens in locum, in quo stabat, tres genuum flexiones, ante scilicet et ad dexteram et ad sinistram cum omni devotione faciat, gratias referens fratribus quia pro se rogaverint, et humiliter supplicans quatenus adhuc rogare di-

gnentur. Postea designet abbas ei locum ubi debet esse, et eo præcipiente sessum vadat.

Hæc quidem culpa ad abbatem proprie pertinet corrigenda; qui tamen si desit a patria, nec ad præsens, ut veniat exspectatur, a priore corrigi potest totius congregationis assensu.

Si frater peccans peccatum suum defendere potius quam cognoscere et emendare voluerit, proclamatus etiam abbati vel priori contumaciter respondere præsumpserit, admonitus quoque ut resipiscat in sua pertinacia permanere decreverit, hunc talem surgentes fratres quot et quibus jussum fuerit violenter arripiant, et in carcerem hujusmodi arrogantibus deputatum trahant, vel ferant, ibique depositus tandiu servata discretione affligatur, quousque superbiam deponat, culpam cognoscat, humiliter emendationem promittat. Quod si inspirante Deo evenerit, res prius in capitulo ostendatur, dehinc a fratre, cui hujusmodi cura injuncta sit, in capitulum deducatur, introeat autem vel nudus, sicut fugitivus monachus, vel indutus, prout res poposcerit, considerata qualitate et quantitate vel præcedentis culpæ vel subsequentis arrogantiæ; postea tractetur sicut superius dictum est, hoc est, vel graviter, si gravi; vel leviter, si levi culpæ fuerit deputatus.

Quod si spiritu diabolico plenus superbire magis quam promittere emendationem elegerit, adhibeantur ei de toto conventu orationum suffragia. Si vero abbas nec sic suam industriam prævalere conspexerit, prudenter tractet cum consilio omnium fratrum utrum expediat eum vel diutius detineri, vel de monasterio expelli.

Fugitivus de monasterio monachus, si reversum ad monasterium suscipiendum eum esse abbas judicaverit, hoc modo suscipiatur. In hospitali domo aliquantis diebus primum maneat, ad claustrum, vel ad officinas claustri, vel ad monasterium, nisi jussus nullatenus accedat, ut interim pœnitudinis suæ, et humilitatis, et patientiæ aliquod documentum ostendat, nullus frater secum conversetur, nullus ei in aliquo consortio, vel colloquio conjungatur, nisi ei ab abbate, vel a priore, vel ab eo qui servat ordinem jubeatur.

Ea vero die qua in capitulum intraturus est, in locutorio vestimentis suis se exuat, staminia, si habitum non reliquit, circumposito cingulo se circumcingat, sinistro brachio cucullam plicatam, et in dextera manu virgas sumat, et sic nudis pedibus, et nudo desuper corpore ducente eum fratre cui injunctum fuerit in capitulum veniat. Quo ingressus, in loco ubi prosterni solet statim se prosternat, interrogatus more solito culpam dicat; dehinc sedens corporalem disciplinam ad imperium abbatis suscipiat. Qua suscepta, cuculla tantum ibi induta, sicut venit, sed non ferens virgas, in locutorium redeat, ibi se calceet et regulariter induat, et in capitulum rediens, tandiu se prosternat, donec ab abbate dicatur ei: Sufficiat. Injungatur ei satisfactio gravis culpæ, et in

A ipsa satisfactione habeat se, sicut superius dictum est, cum de gravi culpa ageretur.

Si abjectis monachi vestimentis in sæculari habitu ad monasterium redit, servatis circa eum cæteris, quæ superius dicta sunt, sæculari veste in qua reversus est circumcinctus, sicut supra de staminia dictum est, et non portans cucullam, capitulum ingrediatur, et post susceptam disciplinam, cuculla a camerario ante ipsum posita, ab eo suscipiatur, et ibi statim induatur.

CAPUT XVII.

De novitiis suscipiendis.

Veniens aliquis ad conversionem de sæculo, in primis, sicut alii hospites, suscipiatur in hospitio; cujus voluntate cognita, frater, qui cellæ hospi-
B tum procurator est, abbati, vel absente abbate, ei qui ordinem tenet rem nuntiet. Loquatur cum eo abbas, vel prior, vel aliquis spiritualis frater cui injunctum fuerit. Quod si desiderium petentis ex Deo esse cognoverit, ostendatur res fratribus in capitulo, quorum audito consilio, si suscipiendum eum esse abbas decreverit, statuta die, ducente eum prædicto hospitum susceptore, et doctus ab eodem qualiter petitionem facere debeat, in capitulum veniat in loco, ubi prosterni solet, se prosternat, interrogatus quid dicat, quam humiliter poterit, in his, vel in similibus verbis petitionem suam faciat: « Dei misericordiam, et vestram societatem, et fraternitatem hujus loci requiro; in hoc monasterio monachus fieri, et Deo servire desidero. » Respondet ei abbas, vel qui
C loco abbatis ordini præest: « Societatem, et consortium electorum suorum concedat vobis omnipotens Deus; » et responso a toto conventu, « Amen, » jussus surgere surgat, pronuntientur ei dura et aspera, quæ in hoc ordine perferunt qui pie et regulariter vivere volunt. Item duriora et asperiora, quæ, si indisciplinate se habeat, sibi poterunt evenire. Quibus auditis, si adhuc in proposito suo perstiterit, et duriora et asperiora se paratum perferre promiserit, respondeatur ei ab eo qui capitulum tenet: « Dominus Jesus Christus sic perficiat in vobis quod pro ejus amore promittitis ut ejus gratiam et vitam æternam habere possitis. » Et respondentibus omnibus, « Amen, » subjungat: « Et nos pro ejus amore
D hoc tenore concedimus vobis, quod tam humiliter, et tam constanter requiritis. » Hoc audito novitius vadat, et humiliter osculetur pedes ipsius. Tunc ipso præcipiente ducat eum magister novitiorum in ecclesiam, ibique coram quolibet altari extra chorum sedens præstoletur, donec capitulum finiatur.

Quo finito, ducat eum prædictus magister suus in cellam camerarii, vel in aliam domum, ubi id quod agendum est, opportunius fieri possit, benedicta sibi prius corona, si laicus sit, cum antiphonis, et psalmis, et collectis, ad hoc officium ordinatis, vel in ecclesia ante introitum missæ ad gradum ubi benedictiones fratres accipiunt, vel in capella infirmorum, aut in capella abbatis, secundum quod ipsi

abbati placuerit. Ductus itaque novitius sive laicus, A sive clericus, in prædictum locum tondeatur, et radatur more monachorum; dehinc vestibus sæcularibus exuatur et rebus monasterii regularibus, præter cucullam, capitio assuto tunicæ induatur. Dum hæc aguntur a fratribus quibus injunctum fuerit, septem pœnitentiales psalmi in directum dicantur. Sic paratus ducatur in conventum fratrum; in choro, si clericus est, ultimus sit in ordine clericorum; si laicus, laicorum, et ad processionem, similiter in capitulo, et refectorio, sicut est ordo conversionis ejus.

In cella novitiorum dormiat, aut in dormitorio, si cœnobium hujusmodi cellam non habet. In conventu non legat, solus non cantet, ad missam non offerat, pacem non sumat, in claustro separatim sedeat cum B magistro suo in loco novitiis deputato, nullus ei loquatur aut signum faciat absque magistri sui licentia; magister talis sit qui exemplo vitæ et verbo doctrinæ possit eum de anima sua monere et ordinem docere.

Loquentibus in claustro fratribus, si quis amore Dei et zelo justitiæ ad eum venire, eumque vel arguere vel monere voluerit, licet ut veniat, et, accepta a magistro licentia, quod dicere voluerit dicat; facto autem clamore, statim surgens coram magistro suo, sicut fratres in capitulo, veniam petat non sessurus, donec, emendatione promissa, idem magister præcipiat. Et de levibus quidem culpis hoc modo agatur; pro majoribus autem culpis, aut in capitulo, pro quantitate culpæ corripiatur aut, si ibi cella novitiorum est, in ea quemadmodum in capi- C tulo increpetur et verberetur; de capitulo, facto sermone, quotidie exeat, et interim in monasterio maneat, nisi pro majori culpa, ut dictum est, castigandus remaneat; de his culpis, quas in sæculo gessit, et quæ in hoc ordine sibi evenerunt, vel eveniunt, frequentes confessiones faciat abbati, priori, spiritualibus fratribus quibus hæc cura injuncta est.

Transactis plerisque diebus, si vita ejus fratribus, et fratrum conversatio sibi placuerit, monendus est a magistro suo quatenus roget priorem et aliquos majores fratres, ut et ipsi pro eo intercedant apud abbatem pro benedictione tribuenda, et professione suscipienda. Quod si eum benedicere abbati non placuerit, statuta die in capitulo finito ser- D mone, in loco ubi solet se prosternat, prostratusque pro impetranda benedictione petitionem faciat. Jusso eo surgere, narrentur ei rerum dura et gravia quæ in nostro ordine a sanctis Patribus sunt instituta. Qui si hæc omnia et adhuc graviora, si necesse fuerit, humiliter et patienter se ferre paratum esse responderit, interroget abbas considentes fratres quid inde sentiant, et utrum precibus ejus annuendum esse concedant Quibus respondentibus se [illegible] libenter concedere, adjungat: Et nos concedimus in nomine Domini. Quo dicto vadat ad pedes abbatis, vel ejus qui ordini præest, si abbas deest, dehinc reversus in locum, in quo stabat, flexis ad terram genibus, humiliter inclinet ante et ad dextram et ad sinistram, gratias referens fratribus pro misericordia eorum precibus sibi impensa. Postea præcipiente abbate cum magistro suo exeat, finitoque capitulo, si scribendi scientiam habet professionem suam scribat, aut si nescit scribere alium roget, qui pro se scribat; ipse tamen in fine ipsius professionis signum crucis faciat, deinde ablato a tunica caputio usque ad horam benedictionis suæ, extra chorum maneat.

Cantor vero procurare sibi debet membranam et incaustum, et scriptorem, si nescit scribere; hora benedicendi in arbitrio abbatis est, videlicet aut ante introitum missæ, si missam non celebrat, aut post evangelium, sive missam celebret, sive non. Ipse tamen in consecratione monachi, si ei commodum est, missam celebrare debet, sicut canones præcipiunt.

Lecto igitur evangelio, intrante chorum novitio, præcedente eum magistro suo, incipiente dextero choro, dicat conventus psalmum *Miserere mei, Deus.* Novitius ante altare veniens super gradum se prosternat, dictoque psalmo surgens professionem suam legat, et super altare ponat. Quod si ignarus litterarum est, magister suus debet eam pro eo legere, et ipse novitius super altare ponere. Quo facto, flexis coram altari genibus, veniam petat, et postea ad locum ubi se prostravit rediens versum *Suscipe me, Domine*, ter dicat, ibique inter dicendum ter genua flectat; quem versum ter repetens conventus, adjungat ad ultimum *Gloria Patri*, *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, *Pater noster*. Conventu incipiente, *Gloria Patri*, novitius inclinatus pervolvat se in circuitum, et statim prosternat se. Abbas, dicto *Et ne nos inducas in tentationem*, et responso *Sed libera nos a malo*, incipiat psalmum *De profundis*; quo finito a conventu, cum *Gloria Patri*, adjungat *Salvum fac servum tuum*, *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto*, *Nihil proficiat inimicus in eo*, *Esto ei, Domine, turris fortitudinis*, *Domine, exaudi orationem meam*, *Dominus vobiscum*; deinde collectam *Deus indulgentiæ Pater*; item aliam *Deus qui per coæternum*; item aliam *Domine Jesu Christe, qui es via.* Dictis his tribus collectis singulis cum integro *Per Dominum nostrum*, incipiat abbas hymnum *Veni Creator Spiritus.* Quo a conventu devote et solemniter decantato, dicat collectam *Sancte Spiritus qui te Deum ac Dominum.* Qua dicta, surgat novitius, et spargat super eum abbas aquam benedictam; eoque stante benedicatur cuculla, et aspergatur aqua benedicta; qua benedicta accedat novitius ad abbatem et flexis genibus, stet ante eum, quem tunica exuens abbas dicat: « Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. » Et induens eum cuculla subjungat: « Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. » Ad utrumque respondeant audientes fratres, « Amen. » Subsequatur super eum flexis genibus inclinatum Oratio *Deus misericors, Deus clemens.* Qua dicta, osculetur eum abbas, induens caput ejus caputio; dehinc ducatur per chorum ad osculandum omnes fratres, ultimus collocetur.

Tribus diebus communionem corporis et sanguinis Christi accipiat. Tertia die ad pacem missæ auferat ei caputium de capite abbas, vel cui abbas præceperit, si ipse id faciendi opportunitatem non habet. Ante hanc horam, ex quo benedictus est, summum silentium teneat ; de capitulo, facto sermone, exeat, ad processionem non vadat, cuculla indutus cucullato capite dormiat. In primo autem capitulo, quo ei licet loqui, debet magister ejus de eo memoriam habere coram abbate, dicens : « Domine, si placeret vobis præcipere, posset iste frater ab hac die in antea legere et cantare in conventu, sicut alii fratres : » respondente abbate : « Faciat cum Dei benedictione, » inclinet ipse novitius ad abbatem de loco in quo sedet.

Ex illa die cujuscunque ordinis sit habeat licentiam exsequendi omnia quæ sui ordinis sunt, nisi sit sacerdos, ipsi enim infra primum conversionis suæ annum missam celebrare non licet, nisi in sæculo probatæ castitatis fuerit, et abbas pro hac re specialem ei licentiam dederit.

Offerendus puer, facta sibi prius corona, manibus portans hostiam, et calicem cum vino, sicut mos est, post evangelium sacerdoti qui missam celebrat a parentibus offeratur. Qua oblatione a sacerdote suscepta, involvant prædicti parentes manus pueri in palla, qua altare coopertum est, et cujus pars anterius pendet, et tunc suscipiat eum abbas. Quo facto, præfati parentes coram Deo et sanctis ejus statim promittant quod per se, aut a se suppositam personam susceptum ordinem puer nunquam relinquat, neque se ei aliquid scienter daturos, unde puer, **290** quod absit! perire possit ; hanc promissionem prius scriptam coram testibus verbis ibi prius edicant, et postea super altare ponant.

His expletis, benedicat abbas cucullam, et exuens puerum cappa, vel pellibus, vel aliqua hujusmodi chlamyde, dicat : « Exuat te Dominus veterem hominem, » ut supra, et induens eum cuculla, subjungat : « Induat te Dominus novum hominem, » et cætera. Dehinc ducatur ad radendum et vestiendum, sicut nostri ordinis consuetudo est. Cum vero adulta ætate facturus professionem fuerit, fiant ei cætera, quæ superius debere fieri converso jam diximus ; hoc enim, quod modo factum est, iterari non oportet.

CAPUT XVIII.

De capitulo regulari.

Omni die minimi signi, ad designandum capitulum, incipiente sono, fratres omnes qui sedent in choro statim surgere, et versi ad orientem interim debent stare ; fratres quoque, qui alicubi in monasterio sunt, chorum intrare. Nullus eorum librum teneat, nullus in libro aliquid legat, aut incipiat ; nullus in claustro pro qualibet occasione tunc sedeat ; prædicti signi cessante sonitu, præcedentem priorem sequantur alii, sicut est ordo conversionis eorum.

Considentibus fratribus in capitulo, ad nutum ordinem tenentis, petita benedictione, lectis et pronuntiatis quæ legi et considerari consuetudo est, facto sermone, dicto « Loquamur de ordine nostro, » si clamatur aliquis qui commune cum uno, aut pluribus nomen habeat nisi clamans ita discernat et determinet ut nulla dubitatio possit esse, omnes qui ejusdem nominis sunt, cujus est ille qui clamatur, statim debent surgere, et ad venias humiliter se præsentare, donec clamator determinate eligat de quo dicat ; ipsa autem determinatio ab ordinibus, vel officiis, si possit fieri, debet esse hoc modo : Domnus Eduardus presbyter, diaconus, subdiaconus, secretarius, magister infantium, vel juvenum, vel aliquid hujusmodi, non archidiaconus, non Londoniensis, non aliquid cognominatum de sæculo.

Clamator, ei super quem clamatorem [*f.*, clamorem] facit, in ipso capitulo judicium non faciat. Interrogatus more solito, qui prosternitur, ad omnes venias « Mea culpa dicat, » excepto cum societatem postulat, aut obedientiæ absolutionem, aut cum aliquis frater minimam petit, pro suo propinquo, noviter et postquam ad ordinem venit defuncto, patre scilicet matre, fratre, sorore. vel cum unus, aut plures pro eo qui in gravis culpæ satisfactione positus est, misericordiam petunt, vel cum aliquis frater in longum iter profecturus est, aut cum aliquid magnum et arduum, et suis viribus impar fratri injungitur ; in his et in hujusmodi, hoc modo respondetur : « Dei misericordiam, et vestram requiro ; et obsecro, » et cætera, sicut ratio rei, pro qua petitur, postulat.

Suscepturus judicium, aut sola grossiori virga super stamineum verberetur, et prostratus jaceat, aut pluribus gracilioribus virgis, et nudus sedeat, utrumque ad arbitrium ejus qui præest ordini, considerata qualitate et quantitate culpæ, dum corporalis disciplina infertur. fratres omnes inclinato capite debent esse, et pio et fraterno affectu compassionem super eum habere. Interim in capitulo nemo debet loqui, nemo ad illum aspicere exceptis gravibus personis, quibus licet pro eo intercedere. Clamatus, super eum a quo clamatus est. in ipso capitulo clamorem facere non licet, disciplinam corporalem inferat. quicunque ille sit cui ab abbate vel priore injungitur, hoc observato, ne infantibus vel juvenibus, aut novitiis id facere injungatur ; nemo ibi cum uno aut pluribus secreto loquatur ; quidquid quis loquitur a rectore ordinis, et a toto conventu audiatur.

Sermo tantum sit de utilibus, et de iis quæ ad ordinem pertinent, loquente uno taceant alii ; verba loquentis nemo interrumpat præter eum qui rector est ordinis, cui licet loquenti præcipere ut sileat, si forte ei sermo ille superfluus, et inutilis videatur. Rectore ordinis incipiente loqui, etiamsi aliquis loquebatur, taceat, et ab omnibus silentium summum fiat.

CAPUT XIX.

Si quis frater altiori gradu donetur.

Si placet abbati aliquem fratrem pro suis meritis honorare, et considerata personæ ejus honestate, in superiori loco statuere, audito, frater ille, ab abbate

sedente in capitulo, Ite superius sedere juxta illum A fratrem; statim surgens ad pedes abbatis vadat, et postea ad locum ubi præcipitur sessum pergat, et ex illa die **291** in monasterio, et processione et refectorio ipsum locum habeat; laicum conversum beatus Benedictus non præcipit taliter promoveri. Si tamen abbati promovere eum placuerit, locum, quem in capitulo suscipit, in refectorio etiam tenebit, in monasterio vero, et processione, super eos conversos esse jubebitur, quibus frater ille, juxta quem locum habet, prior esse dignoscitur.

Evenire potest cum hujusmodi promotio ordinatur ut absentes sint aliqui fratres honesti et bonis actionibus præditi; quibus prior sit frater ille, juxta quem promotus sedere jubetur; et ideo determinate oportet ei in capitulo dici utrum super ipsos etiam B absentes, cum redierint, esse debeat. Ingrediens frater capitulum loquentibus aliis *Benedicite* dicat. Egrediens vero si est reversurus nec ante et retro faciat, nec *Benedicite* dicat; si non est reversurus, utrumqne agat.

CAPUT XX.

De confraternitate.

Monachus petiturus concedi sibi societatem et beneficium monasterii, introductus in capitulum, *Benedicite* dicat; deinde prostratus ad gradum ubi consuetudo est, interrogatus quid dicat, humili et devoto corde in his verbis respondeat: « Peto per misericordiam Dei et vestram, et omnium istorum seniorum societatem et beneficium hujus monasterii: » quo dicto, respondeat abbas: « Omnipotens C Dominus concedat vobis quod quæritis et ipse præstet vobis consortium electorum suorum. » Postea jussus surgere accedat ad abbatem, et ab eo per librum regulæ sumat monasterii societatem. Qua sumpta, acceptoque ab eo osculo inclinet se ad pedes abbatis, deinde osculetur omnes fratres in circuitu. Quo facto revertatur ad locum ubi se prostravit, ibique tres genuum flexiones solito more faciat. Fratres vero inclinent ei, dehinc præcipiente abbate sessum vadat, designato ei prius loco, ubi sedere debeat.

Porro si abbas fuerit, ingrediente eo in capitulum, totus conventus ei assurgat, et tandiu stet quousque humo prostratus, sicut superius, petitionem faciat, et erectus cum monachis suis societa- D tem suscipiat, eaque suscepta juxta abbatem considerat; monachi vero, ejus societate suscepta, reversi ad locum, ubi se prostraverunt, tres genuum flexiones, sicut superius dictum est, faciant. Egredientes fratres de capitulo osculentur abbas et monachi ejus.

Si major congregatio fuerit, ab osculo cessari potest, quod in multis jam cœnobiis fieri consuevit; si sæcularis persona fuerit ante abbatem, vel juxta abbatem; si honorabilis persona sit, sedeat; postea ostensa ejus petitione fratribus, per textum Evangelii societatem suscipiat; dehinc ad osculandum fratres, si mulier non sit, in circuitu pergat.

CAPUT XXI.

De disciplina puerorum.

Tali hora prior mane ad excitandos fratres sonitum debet facere, ut pueri factis solitis orationibus, in claustro valeant legere. Qui cum legere inchoant alte, quandiu legunt separati ab invicem ita sedeant ut alter alterum nec manibus nec vestibus contingere possit. Infans infanti non signo minuere, non verbo aliquid dicere, nisi vidente atque audiente magistro præsumat, non de loco in quo sedet sine præcepto vel licentia surgat.

Quocunque pergunt infantes unus magister inter duos infantes sit. Transeuntes ante fratres inclinent fratribus, et fratres eis sedentes tantum; duobus una laterna sufficiat; si tres fuerint, tertius alteram portet; si plures fuerint, hoc ordine disponantur: in nullius manum aliquid dent; de nullius manu aliquid accipiant nisi abbatis, prioris majoris, magistri eorum, et hoc non ubique, sed in congruis locis, ubi aliter esse non possit, aut non debeat; cantor quoque, cum in scholis eorum est, potest librum in quo cantari aut legi debet, dare eis, et accipere ab eis. Ad altare si serviunt, dant etiam ibi et accipiunt, sicut ordines eorum exposcunt. In capitulo suo vapulent, sicut majores in majori capitulo.

Confessuri ad abbatem, vel ad priorem vadant, vel ad eos quos specialiter in capitulo designaverit abbas, dum confitetur unus, sedeat alter in suppedaneo, magistro eorum extra capitulum sedente in proximo.

Si post versum, qui ante cibum dicitur, ingrediuntur refectorium, vel post *Gloriam* primi psalmi ad horas intrant chorum, ipsi quidem ad loca sua vadant, solito more inclinent; magister vero eorum ad loca quæ tardantibus instituta sunt eat.

292 Puero, qui ante mensam abbatis servit, abstinentia cibi vel potus sine ejus præcepto minime injungatur. Quod si præcipiente eo injungitur, aut ei indulgeatur, aut interim a mensa abbatis removeatur, in choro præsente abbate, nisi præcepto ejus, nullus eos percutiat, nullus exuere faciat. Absente eo, cantor de iis quæ sui officii sunt eos castiget. Prior vero de cæteris in quibus se leviter habent. Ubicunque sint præter personas superius designatas, nullus eis signum faciat, nullus arrideat.

In scholam eorum nullus ingrediatur, nullus cum eis alicubi loquatur, nisi sibi ab abbate vel priore ingrediendi vel loquendi licentia concedatur.

Meridianis horis in lectis suis nunquam legant, nihil aliud ibi agant, sed cooperti tantum quiescant: unus, super alios magistros, sit magister eorum maturus et discretus, qui, auditis clamoribus, culpas delinquentium moderata discretione sciat vel punire vel indulgere. Collocatis in lectis suis assistant magistri, dum sint cooperti, in nocte cum accensis candelis.

Juvenes, tam nutriti quam de sæculo venientes qui magistris custodiendi commendantur, in multis,

sicut infantes de quibus superius dictum est, custodiantur. Remoti, ut supra, a se invicem sedeant; extra locum custodiæ suæ sine custode nusquam procedant; duo, et duo laternas ferant; abbati, vel priori et nulli alii, nisi specialiter designatum sit, confessiones suas faciant. Meridianis horis in lectis suis non debent legere, non scribere, non quidpiam operis facere, sed cooperti tantum quiescere, lectos suos ante vel inter lectos magistrorum habere. Si necesse habent surgere, prius magistros excitent, et postea accensa laterna, si nox est, ad necessitates suas explendas, cum magistris ambulent.

Præter abbatem, priorem magistrosque eorum, nulli liberum sit in loco custodiæ eorum deputato sedere, nec verbo nec signo aliquid eis innotescere, nisi accepta licentia ab abbate, vel priore; quæ licentia cum conceditur, magister sedere debet inter juvenem et eum qui juveni loquitur. Juvenis cum juvene non loquatur, nisi audiente et intelligente magistro quid utrinque dicatur. Magistri inter eos sedeant, vel ante illos, sic ut eos, cum volunt, conspicere valeant.

Cum dormitum vadunt, tandiu stent ante ipsos magistri, usque dum ipsi juvenes in lectis jaceant cooperti. Si nox est cum candelis accensis assistant. In monasterio, capitulo, refectorio, processione misti sint senioribus, non observato, si necesse sit, ordine conversionis eorum. Si ad mensam legunt, vel de coquina serviunt, surgentibus a mensa fratribus cum eis ad monasterium vadant, et dicto, *Et ne nos*, cum custodibus ad refectorium revertantur; duo simul, aut plures, si fieri possit, de conventu remaneant. Quod si paucitas majorum, et pluralitas juvenum aliter agendum coegerit, sufficientes eis custodes deputentur.

Porro, si custodia illa juvenum, quæ in nonnullis cœnobiis tenetur, magis placet, ut videlicet in diversis ac separatis ab invicem locis per claustrum sedeant, singuli singulos, aut plures, si tanta copia est, custodes habeant; singuli singulas laternas in nocte ferant. Custos juvenem non relinquat, nisi commendatum alicui fratri, in quo, et de quo bene confidat. Omnis denique custodia ei adhibeatur quæ superius descripta est.

CAPUT XXII.

De misericordia concessa debilibus.

Frater aliqua sui corporis incommoditate detentus, si conventum sequi non potest, humiliter prius in capitulo petita venia, jussus surgere stans fateatur se non posse conventui interesse propter infirmitatem suam. Cui respondet abbas, vel qui loco abbatis ordini præsidet: « Omnipotens Dominus concedat vobis utilem sanitatem, sicut vobis expedire cognoscit. Amodo tractate vos, secundum infirmitatem vestram, et remanete de conventu, sicut vobis melius visum fuerit. »

Si ægritudo adeo invaluerit ut in conventu remanere non possit, præcipiat abbas fratri, cui hujusmodi cura imposita est, ut ducat ægrum in cellam infirmorum; in qua domo serviatur ei secundum loci possibilitatem, tam de communibus cibis quam de esu carnis, ut nullius rei, si fieri possit, indigentiam patiatur. Ex quo carnem comedere incipiet, quocunque perget caput opertus capitio, et baculo se sustentans incedere debet.

Qua vero die sanitate recepta ad conventum redire voluerit, si carnem comederit, prius rasus, ad horam, quæ ante capitulum canitur, chorum introeat, et si post ipsam horam in conventu missa dicitur, ad ipsam non offerat. Ingressus capitulum, cum indictum fuerit de ordine loqui, primus **293** surgat, et in loco, ubi consuetudo est, prostratus veniam petat. Interrogatus et respondens, ut fieri solet, jussus surgere hæc vel similia verba dicat: « Domine, infirmitate mea gravatus in domo infirmorum diu fui; in cibo, et potu, et aliis multis offendi, et contra ordinem nostrum feci, et inde peto absolutionem vestram. » Hoc dicto absolvat eum abbas dicens: « Omnipotens Dominus absolvat vos ab his et ab omnibus aliis vestris delictis. » Conventu respondente, « Amen, » offerat se frater ille ad pedem abbatis; postea reversus ad locum ubi se prostravit gratias referens abbati, et toti conventui, quia ministrata sunt ei, quæ infirmitati suæ fuerunt necessaria, tres genuflexiones solito more faciat. Ipsa die, et deinceps, quantum opus fuerit, jubeatur mistum accipere.

Si vero carnem non comedit, in dispositione abbatis sit qua hora in conventum petita licentia redire, et quomodo se de cætero habere debeat.

CAPUT XXIII.

De ægrotantibus morti proximis.

Si infirmus magis ad mortem quam ad salutem tendere videatur, et se petat inungi, frater qui domui infirmorum præest rem fratribus in capitulo narret; tunc jubente abbate, vel qui loco abbatis in capitulo sedet, exeant sacerdos hebdomadarius, secretarius, quatuor conversi, et parent quæ ad hujusmodi negotium parari oportet.

Quibus paratis, expletisque quæ in capitulo agi ordo requirit, exeuntes de monasterio transeant ante capitulum, hoc ordine procedentes: primus ex conversis unus cum situla aquæ benedictæ, dehinc alius cum cruce, post hos duo cum candelabris, extremi secretarius cum oleo, et sacerdos alba indutus, et stola, cum manipulo portans librum.

Istis transeuntibus surgens conventus, percussaque tabula, si dies talis est, egrediens de capitulo jungatur eis, et psallentes septem psalmos ad ægrum veniant; et ordinate circumstent, sicut locus, in quo jacet, fieri permittit. Primum spargatur aqua benedicta, dehinc finitis psalmis sequatur *Kyrie eleison*, et capitula, et collectæ quæ ordinatæ sunt usque ad confessionem; facta confessione absolvatur ab omnibus, et ipse absolvat omnes. Dehinc osculetur ab omnibus. Interim dicantur aliæ collectæ usque ad unctionem; facta unctione, lavet sacerdos manus, et projiciatur aqua in ignem, vel in sacrarium de-

feratur. Quo facto dictis collectis quæ sequuntur, vadat sacerdos, præcedentibus duobus conversis cum candelabris vadat (67) et tertius ad thuribulum deferendum. Quibus revertentibus flexis genibus adorent omnes corpus Domini quod a sacerdote affertur. Quo allato, abluto prius ore ejus, communicetur infirmus, nisi forte ipsa die communicatus sit.

Si fratres ipsa die post capitulum psallentes *Verba mea*, in monasterium ituri sunt, expletis in choro psalmis, dictaque collecta, paratis ante majus altare, quæ supra dicta sunt, exeant, et sequantur eo ordine quo superius indicatum est. Quod etiam finitis quibuslibet horis a prima usque ad completorium observandum est, si necessitas urgeat non exspectare capitulum. Porro si nec hora ipsa, qua percantata id fieri debet, exspectari potest, disponat abbas, vel prior sicut melius possit, quia necessitas lege non tenetur. His expletis revertatur conventus in claustrum. Sed infantes minime ingrediantur ad tenendum suum capitulum. Ab hac die nisi melioretur infirmus carnem non comedat.

Quotidie istud pro eo servitium impendatur : ad missam matutinalem collecta, *Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium*, cum cæteris duabus : aliquando si dies vacuus fuerit ipsa matutinalis missa pro eo canatur ; ad majorem missam post *Sanctus* psalmus primus *Domine, ne in furore tuo* ab unoquoque sub silentio dicatur : *Kyrie eleison, Pater noster, Salvum fac servum tuum, Mitte ei, Domine, auxilium de sancto, Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium*. Et hoc tandiu agatur quousque ad sanitatem redire videatur.

Porro si ad sanitatem minime redire mortique potius appropinquare dignoscitur, ex quo certa in eo mortis signa apparere incœperint, sine duobus fratribus esse non debet, qui diebus et noctibus, quandiu intellectum tenet, legant coram eo passiones Domini et Evangelia, et cum intellectu privatus fuerit, quandiu supervixerit, psalterium ex ordine decantare non cessent. Et sic ordinetur ut, discedentibus duobus, succedant duo alii ; horas vero regulares ibi dicant ; ægro autem in agonia posito, et jamjam si ita visum fuerit morituro, famulus, qui ad hoc deputatus est, cilicium expandat, et supra illud ad mensuram longitudinis et latitudinis, quam ipsum cilicium habet, signum crucis de cineribus faciat, morientemque fratrem desuper ponat. Cui postea indesinenter **294** assidens studiose consideret, quia hora exitum ejus conventui debeat indicare.

Cumque eum jam in exeundo viderit laborare, gestans manu tabulam ad ostium claustri currat, ictuque creberrimo acriter eam ibi percutiat, quousque in conventu auditum esse cognoscat. Quo percepto sonitu si ad majorem, vel minorem missam, vel ad regularem horam fuerint, remanentibus in choro infantibus cum magistris suis, et aliquibus fratribus, quibus jussum fuerit, reliqui omnes ad

A ægrum currant, et meliocri voce canentes *Credo in unum Deum*, ad eum veniant ; fratres vero qui remanserunt, expleto quod cœperant, eodem modo currentes, et canentes ad morientem properent, ubicunque vero alias, vel quocunque alio negotio occupatos prædictus sonus, invenerit, sine aliqua excusatione vel mora similiter currentes, et *Credo in unum Deum* canentes, ad ægrum veniant. Quo pervenientes, et *Credo in unum Deum* communiter explentes, canant septem psalmos pœnitentiales sine *Gloria Patri*. Quibus expletis subjungat sacerdos capitulum *Parce, Domine, parce famulo tuo, quem redimere dignatus es pretioso sanguine tuo ; ne in æternum irascaris ei*. Hoc tertio a sacerdote dicatur, et per singulas vices a toto conventu repetatur,
B deinde sequatur litania, quæ solet, quam protrahi, vel breviari oportet, secundum quod fratris exitus visus fuerit admonere ; si autem, ut aliquando fit, litania expleta nondum migraverit, conventus discedat, aliquibus fratribus, quibus jussum fuerit, ibi remanentibus, qui psalterium ex ordine psallere incipiant. Cum autem venerit hora, ut iterum vocari debeant, supradicto modo vocentur et veniant.

Egressa jam de corpore anima, tribus vicibus, cum parvis intervallis, pulsentur signa, cantor incipiat responsorium *Subvenite, sancti Dei*. Quo cum versu et regressu expleto, subjungat sacerdos *Proficiscere, anima Christiana*. Quo dicto incipiant commendationem animæ; dictaque prima collecta *Tibi, Domine, commendamus*, sacerdote et conventu prose-
C quente cætera, portetur corpus ad lavandum, ab his de quorum ordine fuit, id est sacerdos a sacerdotibus, diaconus a diaconis, et sic in reliquis ordinibus, conversus a conversis ; infans tamen non ab infantibus, sed a conversis.

Hi vero sunt qui lavare non debent corpus defuncti : sacerdos hebdomadarius, et reliqui ministri qui circa altare serviunt, et vasa sacrata contrectant. Hebdomadarii coquinæ, cellerarii, refectorarii; dum lavatur corpus, camerarius præsto esse debet, habens vestimenta idonea, et fila, et acus ad consuendum, et cætera quæ sui officii sunt et suo operi necessaria. Inter lavandum circumcinctus sit staminea, qua indutus antea erat, circa pudendas
D sui corporis partes.

Lotus autem vestiatur staminea nova, vel noviter lota, et cuculla, et in capite ejus ponatur sudarium, in modum caputii de staminea factum ; huic superducatur caputium cucullæ, et cum filo in tribus locis adnectatur. Calceetur caligis supradicto panno factis, usque ad genua attingentibus, et nocturnalibus. Manus cuculla sint coopertæ. Cuculla hinc et inde consuatur, et circa crura similiter; nocturnales, alter alteri filo connectantur, taliter paratum corpus feretro imponatur et pallio cooperiatur.

Quo expleto, expletisque quæ in conventu dici cœperant, percutiat prior tabulam uno ictu. Quo

(67) *Deest*, ad ecclesiam pro venerabili sacramento, *vel quid simile*.

audito inclinati fratres dicant *Pater noster*. Sacerdos circa corpus aquam benedictam spergat, et incenset. Dehinc dicat *Et ne nos*, *A porta inferi*, postea collectam. His ita gestis pulsentur signa, cantor incipiat responsorium *Subvenite, sancti Dei*. Et præcedentibus his qui situlam cum aqua, crucem, candelabra, thuribulum portant, sequentibus infantibus, et reliquo conventu, extremis eis qui corpus lavarunt, et portant, veniant in ecclesiam; positoque corpore in loco, ubi poni solet, cessent signa, figatur crux ad caput ejus, ponantur duo candelabra, unum ad caput, et alterum ad pedes, cum cereis desuper accensis, qui continue ibi ardeant usquequo ad sepulturam deferatur. Finito cantu inclinati dicant *Pater noster*; sacerdos *Et ne nos*, *A porta inferi*, collectam sicut superius dictum est. His peractis, si sonitus tabulæ de refectorio fratres adduxerat, ablutis manibus ad refectorium revertantur, perficiantque quod imperfectum remanserat, remanentibus cum corpore aliquibus fratribus, quot, et quibus injunctum fuerit, qui psalmos ibi interim canant, nunquam enim sine psalmodia corpus esse debet, excepto quando in choro aliquid communis officii celebratur.

Conventus in die circa corpus semper debet esse, nisi quando canunt horas vel missas, vel processionem circa claustrum vel extra claustrum, si ita contingat, faciunt, vel in capitulo sunt, aut in refectorio, aut in dormitorio meridianis horis, et tunc tantum deputentur aliqui fratres qui ibi remaneant, psalterium ex ordine **295** psallant, commendationem animæ agant, vesperas, vigilias, cum laudibus, *Verba mea*, et hæc eadem frequenter.

Nocte vero post completorium, incipiens primam vigiliam dexter chorus faciat, secundam sinister, persolventes utrique supradicta obsequia, prout quantitas noctium fieri permiserit, hoc observato diligenter ne utrique priores in una vigilia deputentur. Circa finem primæ vigiliæ exeat prior ferens absconsam, et vadat in dormitorium, excitetque fratres qui secundam vigiliam facturi sunt. Post matutinas laudes, dictis in choro quæ dici ordo deposcit, quidquid superest noctis infantes cum magistris canendo expendant, intersint quoque infirmi illi qui in domo infirmorum assidue conversantur et facultatem hoc faciendi habere videntur. Cæteri vero fratres in lectis suis quiescant usquequo facto mane surgentes, calceati, loti, et pexi factisque orationibus aggregentur et ipsi ad corpus. Quibus aggregatis pergant infantes se calceare, lavare, et pectere, solitasque orationes facere; et post accedant et ipsi, et hoc fit, si dies talis sit ut post matutinas laudes ad lectos redire fratribus licitum sit. In hieme vero, quando intervalla fiunt, si post litaniam aliquid superest noctis, licet prædictis reliquis fratribus in lectis suis usque ad diem quiescere; vestiti tamen et calceati quiescant.

Infantes, sicut superius dictum est, cum magistris et infirmis suam circa corpus agant vigiliam.

A Ea autem hora, postea omnes calceent se, et lavent, et pectinent, solitasque orationes faciant, quas ordo illius temporis poscit. Sedentes psallant nisi ad *Magnificat*, et ad *Benedictus*; tunc enim stare debent Ad *Pater noster*, et ad collectas quas sacerdos dicit inclinati sint super genua sua. Si ante nocturnas vigilias frater obierit, tanta jam noctis parte transacta ut duas vigilias facere commodum non sit, locato in ecclesia corpore, fratres omnes vigilantes et psallentes ibi remaneant; infantes cum magistris suis dormitum in dormitorium redeant.

Quandiu corpus super terram est, nullus in claustro loquatur. Tabula tamen, si dies talis sit, in capitulo pulsetur, et *Benedicit* dicatur, sicut aliis diebus; si tamen ipsa die post capitulum sepeliri de-
B bet, priusquam sepeliatur nulli liceat extra claustrum monasterii exire, nisi tam prope sit locus ut ad sepeliendum fratrem possit redire.

Omnes qui possunt ipso die pro eo missam celebrent. Missa matutinalis pro eo festive agatur, etiamsi dies præcipuæ festivitatis sit. Ad quam missam quoties diaconus incensat altare, ad corpus quoque incensandum cum thuribulo debet accedere.

Facto in capitulo sermone absolvat eum abbas, vel qui ordini præest. Deinde præcipiat pro eo celebrari triginta diebus tringinta missas, singulis videlicet diebus singulas missas, præter eas quæ in conventu celebrandæ sunt, ita ut nullus prætereat dies quo missa pro eo non celebretur, nisi Parasceve sit, aut
C Sabbatum sanctum; et qui inchoat non ipsa die qua sepelietur, sed in crastimo inchoare debet. Celebratis quisque sibi injunctis missis ipso die id in capitulo dicat, quatenus alii, qui subsequi debeat, ibidem abbas vel prior idem injungat. Ipso die infantes suum capitulum non teneant,

Quacunque hora, per totam diem, post sonitum quem prior ad excitandos fratres mane facere solet, frater moriatur, sepultura ejus usque post crastinum capitulum differatur, nisi rationabilis causa existat quæ vel post majorem missam, vel post nonam sepeliri eum suadeat, et maxime si ante horam quæ vel æstate, vel hieme ante capitulum dicitur, mori eum contingat. Quod cum accidit præter ser-
D vitium quod pro mortuo fratre facere solent fratres, integrum psalterium, cum integra mortuorum psalmodia, pro eo singulis est fratribus injungendum.

Si ante nocturnas vigilias moritur, subsequente similiter die post capitulum sepeliatur. Si inter ipsas vigilias, vel postea ante prædictum sonitum de hoc sæculo migret, post majorem missam tradi eum sepulturæ oportet. Si festivitas duodecim lectionum, aut trium, in qua in claustro minime loquantur fratres, ipsa die fuerit, post capitulum celebretur pro eo missa matutinalis festivo more, sicut superius dictum est.

Dehinc dicta tertia, missaque majore, pergant ad sepeliendum fratrem. Ad quem accedentes sive de

capitulo, sive de choro exeant, canendo *Verba mea* ad corpus veniant. Interim pulsetur tribus vicibus unum de majoribus signis, ut si qui forte absunt ad hunc sonum sine mora conveniant.

Secretarius abbati, et priori, et sacerdoti qui obsequium facturus est, cereos distribuat, candelas reliquis fratribus, magister infantibus. Sacerdos indutus sit alba, cum stola et manipulo, et in albis duo fratres ex iis qui antea laverant mortuum. Albæ vero sint ad hujusmodi negotium specialiter deputatæ.

296 Ii qui portant situlam cum aqua benedicta, crucem, candelabra, thuribulum, stent hinc et inde, ad caput defuncti, reliquus conventus ad dexteram, et ad sinistram, sicut est ordo eorum. Sacerdos adveniens prius aspergat corpus aqua benedicta, dehinc accedens ad caput defuncti, stet ita ut prædictos portitores ad dexteram suam et sinistram habeat. Accedant duo cantores, et stantes inter altare quod ibi situm est, et corpus, dicant, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*, conventu duo priora repetente, et ultimum *Kyrie eleison* cum eis dicente. Postea sacerdos, humiliter inclinatis omnibus, dicat collectam *Oremus, Non intres in judicium*. Qua dicta, prædictis cantoribus incipientibus, canatur responsorium cum versu *Qui Lazarum*. Quod dum canitur, incenset sacerdos altare, quod ibi est, et corpus. Hoc agatur secundo et tertio, excepto quod aliæ collectæ et alia responsoria dici debent, sicut in libris, ubi actio hujus officii est ordinata, continetur.

Finitis versibus tertii responsorii, quod cantor præcepit, repetatur a capite responsorium: quo percantato roget sacerdos pro eo orari, ita dicendo: *Pater noster. Et ne nos, Non intres, A porta inferi, Dominus vobiscum, Oremus. Inclina, Domine, aurem*, et reliqua.

His ita peractis, cantore incipiente antiphonam *In paradisum*, exeant canentes psalmum *In exitu Israel*. Præcedant prædicti portitores aquæ, crucis, candelabrorum, et thuribuli. Sequantur sacerdos, et cantor cujus officii specialiter interest omni sollicitudine providere, ne in hoc obsequio aliqua possit negligentia evenire. Post hos procedant infantes cum magistris suis, dehinc reliqui fratres, extremis prioribus, præcedentibus junioribus, sicut est ordo eorum conversionis. Post omnes veniant qui corpus portant, hi vero sint, si commode fieri possit, qui laverant illud, adjuvantibus eos, si opus fuerit, aliis fratribus, quibus abbas aut prior præcepit. Cum exire incipiunt, pulsentur signa usquequo corpus collocatum sit in sepultura.

Cum vero ad sepulturam pervenerint stent ordinate hinc et inde, sicut in choro stare solent. Sacerdos stet inter duos choros, non longe a sepultura; ad dexteram ejus et ad sinistram, qui portant aquam et crucem, et cætera de quibus superius dictum est; dicta collecta *Piæ recordationis affectu*, accedat sacerdos, et aspergat sepulcrum aqua bene-

A dicta, et imposito thure tribuat thuribulum uni eorum qui albis induti illuc descenderant, et incensetur sepulcrum. Dehinc dicta collecta *Obsecramus misericordiam tuam*, duo ex fratribus qui foris sunt pallium desuper extendant, alii duo, corpus de feretro accipientes, illis tribuant qui in tumulum descenderant. Illi diligenter illud in sepulcro componant, et absolutionem scriptam et a fratribus lectam super pectus ejus ponant et operiant, et statim exeuntes, et ad monasterium revertentes, exuti albis, et induti vestibus suis, ad conventum redeant. Corpore in sepultura posito, protinus exstinguantur candelæ et cessent signa.

Expletis reliquis, sicut in codice in quo hoc officium ordinatum est reperitur, revertantur canen-
B tes septem psalmos pœnitentiales. Sacerdos præcedens infantes, cum ad monasterium venerit, divertat in vestiarium, et, deposita alba et manipulo, atque indutus vestibus suis, revertatur in chorum, et prostratus cum cæteris prostratis, quod reliquum est de psalmis dicat. Quibus dictis subjungant *Requiem æternam dona eis, Domine, Pater noster, Et ne nos, A porta inferi, Dominus vobiscum*, collecta *Satisfaciat tibi, Domine Deus noster*; post hæc revertantur in claustrum, et dicto ab infante *Benedicite*, loquantur in claustro, si dies talis et hora sit. Septem plena officia pro eo in conventu agant; triginta diebus *Verba mea*, et ad omnes horas *Voce mea*, pro eo dicant. Singulariter unusquisque quantum abbas præcepit pro anima ejus faciat; triginta
C quoque diebus, aut pluribus, si abbas ordinaverit, panem unum cum potu et regularibus cibus eleemosynarius accipiat.

CAPUT XXIV.

De morientibus extra monasterium.

Si frater extra monasterium de hac vita migraverit, nec fratres secum fuerint qui eum abluant cæteraque quæ superius dicta sunt circa eum adimpleant, deportatus ad monasterium in feretro, quod sibi præmitti debet, cum pallio per portas curiæ ingrediatur, et cooperante fratre, cui infirmorum cura commissa est, in domo infirmorum deponatur; quo deposito famulus, ut solet, ad ostium claustri veniat, tabulam percutiat, conventus adveniat, fiantque cætera, ac si de hac vita migrasset in
D eadem infirmorum cella, excepto quod non dicitur *Proficiscere, anima Christiana*.

Porro si fratres secum fuerint, unus aut plures, factaque sunt ea quæ in tali negotio **297** fieri oportet, procedat ei conventus obviam per majores portas monasterii, psallendo hos psalmos *Miserere mei, Deus, secundum, Deus in nomine tuo, Miserere mei, Deus, Miserere mei, Ad Dominum cum tribularer*, et qui sequuntur donec ad corpus perveniant. At ubi pervenerint faciant stationem versi ad alterutrum; sacerdos, alba indutus et stola, accedat et aspergat corpus aqua benedicta, et incenset, deinde moneat ut orent pro eo, dicendo *Pater noster, Et ne nos, Non intres in judicium, Requiem æternam, A*

A *porta inferi. Dominus vobiscum, Oremus.* collecta *Suscipe, Domine, animam servi tui ;* aliam *Suscipe, Domine, servum tuum.* Inde revertantur cantore incipiente responsorium *Subvenite.* Dum intrant in ecclesiam pulsentur omnia signa, et deponatur in loco in quo cæteri fratres deponi solent, et agantur cætera quæ agerentur, si in domo infirmorum mortuus et de illa domo illuc deportatus fuisset.

Quacunque hora, ex quo infantes mane incipiunt legere usque ad collationem, de monacho congregationis alibi defuncto atque sepulto, vel sepeliendo certus nuntius, aut brevis ad monasterium venerit ; si fratres non sunt in capitulo, aut in refectorio, aut in dormitorio meridianis horis, aut si in monasterio, vel extra monasterium non intersint alicui B obsequio, quod deseri, et imperfectum relinqui commodum non sit, statim prior tabulam percutiat, et residentibus in capitulo fratribus, fratris obitum nuntiet, et subjungat : « Eamus, et faciamus ei quod justum est, et nostri ordinis consuetudo habet, » et surgentes et *Verba mea* canentes sonantibus signis in chorum veniant, expletisque incœptis psalmis cum collecta, vesperas Mortuorum, et officium cum novem lectionibus et laudibus dicant, accensis ante altare duobus luminaribus ; missa matutinalis pro eo festive dicatur, nisi dies Dominicus aut magna solemnitas sit. Quod si evenerit, in alium diem differatur. Post hæc in primo capitulo absolvatur.

Continuatio triginta missarum, si in eo loco, ubi mortuus est, non fit, pro eo injungatur, fiantque cætera, quæ pro fratre congregationis in congregatione defuncto fieri solent.

Pro cellerario.

Pater noster, Et ne nos, Salvum fac servum tuum, Mitte ei, Domine, auxilium de sancto, Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Finis statutorum D. Lanfranci.

BEATI LANFRANCI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

EPISTOLARUM LIBER.

C **298-299** EPISTOLA PRIMA.

AD ALEXANDRUM II PONTIFICEM ROMANUM.

Orat ut onus episcopale, quod ipsius maxime imperio coactus susceperat, ab humeris suis eximi jubeat ; excusatque se quod Romam præfixo tempore non venerit.

Summo sanctæ Ecclesiæ pastori ALEXANDRO papæ, LANFRANCUS indignus antistes, canonicam obedientiam.

Nescio cui aptius calamitates meas explicem quam tibi, Pater, etc. *Jam dedimus ad calcem epistolarum Alexandri II, Patrologiæ t. CXLVI.*

300 EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

De Hermano episcopo, quod senili ætate prolixaque ægritudine confectus impar jam oneri videatur : et de Lichfeldensi qui episcopatu se D *abdicavit, an ejus consecrationem permittere debeat, qui illius loco est subrogatus.*

Universæ Christi Ecclesiæ summo rectori ALEXANDRO, indignus Anglorum archiepiscopus LANFRANCUS, finem inferre bonum bono principio.

Necessitate urgente exspectare, etc. *Reliqua habes in Alexandro II, ubi supra.*

301 EPISTOLA III.

AD EUMDEM.

Eboracensis Ecclesiæ adversus Cantuariensem controversiam promit, quo pacto in Wentano conventu tractata et conclusa fuerit, perscriptæque sibi juxta illam concordiæ mittens exemplum petit ut privilegium apostolicum indulgeat; commemoratis dein pontificis erga se beneficiis, suam ad Berengarium epistolam mittit quam expetierat.

Domino totius Christianæ religionis summo speculatori ALEXANDRO papæ, LANFRANCUS sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ antistes, debitam cum omni servitute obedientiam.

Meminisse debet humiliter excellens excellenterque humilis beatitudo vestra, etc. *Vide ubi supra.*

302-303 EPISTOLA IV.

ALEXANDRI II PAPÆ AD LANFRANCUM.

Prædecessorum suorum decreta confirmat, ut monachis ecclesias cathedrales obtinere liceat contra eos qui Cantuariæ aliisque locis monachos exturbare clericosque inducere conabantur.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo fratri in Christo LANFRANCO venerabili Cantuariorum archiepiscopo, salutem et apotolicam benedictionem.

Accepimus a quibusdam venientibus de partibus vestris, etc. *Vide inter epistolas Alexandri II, Patrologiæ t. CXLVI.*

304 EPISTOLA V.

LANFRANCI AD HILDEBRANDUM, ROMANÆ ECCLESIÆ ARCHIDIACONUM.

De sua in illum benevolentia præfatus docet Eboracensem controversiam fuisse compositum, missamque ad sedem apostolicam rei gestæ relationem, quod ab ipso legi cupiat.

Domino sanctæ Romanæ Ecclesiæ archidiacono HILDEBRANDO, LANFRANCUS suus, sanctis principiis sanctum conjungere finem.

Explicare litteris mens mea non potest quanta dilectione vestræ sinceritati connectitur, etc. *Vide ad calcem epistolarum Gregorii VII, Patrologiæ tom. CXLVIII.*

EPISTOLA VI.

HILDEBRANDI AD LANFRANCUM.

Ideo pallium, quod ejus legati petebant, missum non fuisse, quod absentibus mitti non soleat. Proinde necessarium esse ut Romam veniat.

LANFRANCO, venerabili Cantuariorum archiepiscopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ HILDEBRANDUS archidiaconus, salutem in Domino.

Verba legatorum vestrorum, etc. *Exstat inter epistolas S. Gregorii VII, ubi supra.*

EPISTOLA VII.

VILLELMI CONQUESTORIS AD GREGORIUM PAPAM.

Admonitus rex a legato de fidelitate facienda pontifici, et de pecunia Romam mittenda : de pecunia annuit ; de fidelitate, quia inusitatum, recusavit.

Excellentissimo sanctæ Ecclesiæ pastori GREGORIO, gloriosus gratia Dei Anglorum rex, et dux Nortmannorum Willelmus, salutem cum amicitia.

Hubertus legatus tuus, etc. *Exstat ad calcem epistolarum Gregorii.*

305 EPISTOLA VIII.

LANFRANCI AD GREGORIUM VII.

Purgat quod objectum fuerat a pontifice, minus se ab eo, et Ecclesiam Romanam post adeptum episcopatum diligi, quam solebat; amorem contra pontificis remissiorem ait erga se videri. Se regi, quod per legatum suggesserat, suasisse, sed non persuasisse.

Reverendo sanctæ universalis Ecclesiæ summo pastori GREGORIO, peccator et indignus antistes LANFRANCUS, servitium cum debita subjectione.

Litteras excellentiæ vestræ, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA IX.

AD THOMAM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

De pœnitente triplicis homicidii reo, et commonitoriis ejus episcopi litteris.

LANFRANCUS indignus antistes, dilectissimo Eboracensi archiepiscopo THOMÆ, salutem cum orationibus.

Robertus Sagiensis episcopus hunc pœnitentem ad me misit, et mandavit quod iste miserrimus tres homines montem Sancti Michaelis adeuntes tertio Pentecostes die invaserit, et interfecerit. Cui ex more pœnitentia injuncta commonitorias litteras sibi tradidit, ut si quis episcopus pietate motus misericordiam ei vellet impendere, potestatem haberet, quantum vellet, ipsi ignosceret. Hujus itaque rei testis eum ad vos mitto, quatenus hoc verum esse A sciatis, atque animæ ejus, secundum quod visum vobis fuerit, consulatis.

EPISTOLA X.

THOMÆ AD EUMDEM.

De iis qui uxores fornicationis causa relinquere et alias sibi conjungere volunt quid sentiendum, et de eo qui eam, quæ uxor putatur, desponsasse se abnegat, quid agendum.

Dilectissimo fratri et amico Eboracensis Ecclesiæ archiepiscopo THOMÆ, frater LANFRANCUS, perpetuam salutem cum orationibus.

306 Illos quidem qui corporaliter tantum, et propter terrena lucra se amant, intervalla locorum quo prolixiora sunt eo a mutuo amore impensius separant ; eos vero quos sincera Christianæ religionis charitas jungit, corporalis absentia, seu B quælibet localis intercapedo minime disjungit. Studeamus ergo fraterno invicem amore proficere, pro invicem orare, alterius necessitatem propriam deputare ; quatenus in conspectu Dei atquo hominum evidenter appareat quod carnalis zelus, quo animæ uruntur, vindicare in nobis nihil prævaleat.

De his autem qui uxores desponsatas causa fornicationis relinquere, aliasque sibi conjungere volunt (hoc enim vestra prudentia a me requisivit). Dominus Jesus Christus quid sentiendum sit in Evangelio secundum Marcum apertissime dicit : *Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam : et si uxor dimiserit virum suum, et alium duxerit, mœchatur* (*Marc.* x, 11, 12). Item secundum Lucam : *Omnis qui dimittit uxorem suam,* C *et ducit alteram, mœchatur* (*Luc.* XVI, 18). Sunt etiam de hac re plurimæ sanctorum Patrum auctoritates, sed ubi sol lucet, candelam ad proferendum lumen proferri minime oportet. In his verbis Dominicis luce clarius liquet, quia, vivente viro, vel uxore, extraneam copulam quærere nulli eorum licet. Eum vero, qui mulierem, quæ uxor putatur, desponsasse se abnegat, aut evidentibus testimoniis, seu quibuslibet claris indiciis mentiri eum ostendite, aut in præsentiarum, quoadusque res melius clarescat, causam ejus omittite.

EPISTOLA XI.

THOMÆ ARCHIEPISCOPI EBORACENSIS AD LANFRANCUM.

D *Rogat ut ad sacrandum Orchadum episcopum Wingorniensem et Dorcacestrensem episcopos Eboracum mittat, spondens nullum propterea jus in illos se vindicaturum.*

Piissimo et sanctissimo Cantuariorum archiepiscopo, totius quoque Britanniæ summo pastori LANFRANCO, THOMAS fidelis suus, et nisi præsumptuosum sanctitati suæ videatur, Eboracensis, Ecclesiæ archiepiscopus, cœli portas Petri jure [*al.*, vice], justis et injustis juste aperire et claudere.

Ecce (Pater sanctissime) filius tuus ad te clamat, sed magis filia, Eboracensis videlicet Ecclesia, ad eam, cui dispositione divina præsides, Ecclesiam, tanquam ad maternum recurrens sinum pie postulat, ut ex abundantia maternarum deliciarum reparetur inopia suarum se deserentium ; imo longe, et inter

barbaras nationes positarum virium [*al.*, matrum]. A Siquidem venit ad nos clericus quidam, quem misit Paulus comes cum litteris sigillatis de Orchadum partibus, significans in eis episcopatum suæ terræ eidem clerico se concessisse; at ille antecessorum suorum ordine custodito postulat a nobis episcopum se consecrari: cui quod juste petit, injuste denegare non possumus.

Precatur [*al.*, precamur] ergo, ut nobis duos episcopos dirigat paternitas vestra, quorum fulti orationibus et auxilio, tantæ rei sacramentum compleamus canonice. Illa autem procul arceatur suspicio, quam nuperrime nobis noster frater et coepiscopus subintulit Remigius, me scilicet inposterum questurum [*al.*, quæsiturum] Dorcacestrensis, vel Vingorniensis episcopi hac de causa subjectio- B nem. Dico enim coram Deo me nunquam hoc facturum. Si placet igitur sanctitati vestræ, ut juxta petitionem nostram [*al.*, vestram] nobis facere dignemini, locum Eboracum, tempus quinto Nonas Martias nobis immutabiliter constituimus, et vobis significamus. Ergo vivas, et valeas, et spiritualibus incrementis usquequaque proficias.

EPISTOLA XII.

LANFRANCI AD VULFANUM WIGORNIENSEM ET PETRUM CESTRENSEM EPISCOPOS.

Ut ad sacrandum Orchadum episcopum Eboracum ad Thomam archiepiscopum proficiscantur, atque ut securi sint, ejus litteras mittit quibus fidem facit, nullum illi vel successoribus in ipsorum Ecclesias jus acquirendum.

LANFRANCUS Dei gratia sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscopus, venerabilibus fratribus VULFANO [*al.*, WULFSTANO] Wigorniensi et PETRO Cestrensi episcopis, salutem.

307 Insinuavit nobis venerabilis frater noster Thomas Eboracensis archiepiscopus advenisse de Orchadum insulis ad se quemdam clericum, quem in episcopatu ipsius terræ, præcipiente et insinuante Paulo comite, testatur esse electum. Et quia, ex antiquo more, sui juris est præfatarum insularum præsules consecrare, petiit a me ut mittam sibi de nostris suffraganeis duos, qui tantæ rei sacramentum cum eo valeant celebrare. Rogantes itaque præcipimus, præcipientes rogamus, quatenus omni excusatione submota, illuc eatis, et ex nostro præcepto secundum quod justum est, in tantæ rei mysterio D compleatis. Non enim decet ut qui sacrandus in hanc terram venit, et cum omni humilitate sacrari se postulat, inopia adjutorum a tanto regno non sacratus abscedat. Terminum hujus consecrationis lator vobis præsentium indicabit. Et ne forte solliciti sitis, putantes quod vel ipse, vel successores ejus hac occasione super Ecclesias vestras jus prælationis quandoque conentur arripere, litteras, quas ipse mihi transmisit, fraternitati vestræ, sollicitudinem de futuro gerens, curavi transmittere, quas et has, quas vobis transmitto, in archivis Ecclesiarum vestrarum ob memoriam futurorum servatum iri præcipio.

EPISTOLA XIII.

AD JOANNEM NORTHMANNORUM ARCHIEPISCOPUM.

Ex occasione litterarum ejus de nonnullis ritibus disserit, ad dedicationem ecclesiarum et subdiaconorum ordinationem spectantibus.

Domino merito sanctitatis insigniter offerendo JOANNI Northmannorum archiepiscopo, LANFRANCUS indignus vocari episcopus, bene cœptis meliora connectere.

Gratias ago colendæ benignitati vestræ, quia non solum præsens præsentem me indeficienti amore (propter Deum) dilexistis, verum etiam absens pro absente paternam vos curam gerere salubri admonitione evidenter ostendistis. Absit autem a me, longeque a sensibus meis hunc errorem avertat divina clementia, ut molestum mihi sit, si quis respectu salutis meæ, vitæ æternæ contemplatione, de anima mea sollicitudinem gerat, si ea, quæ de actibus meis sibi displicent, pietate motus indicare non differat, si aliter me corrigere non potest verbis quoque objurgare præsentem, aut litteris increpare absentem non negligat, sed amicus potius a me justus existimabitur qui in misericordia corripit me et increpat; hostis autem peccator, qui oleo pravæ adulationis caput meum aut impinguat, aut impinguare laborat.

Quidquid vero sanctitas vestra de stola scripsit, multum mihi placuit, nec unquam displicuit; sed quod subjunxit, quia ad dedicandam ecclesiam episcopus processurus sacris vestibus, ex institutione episcopalis ordinis debeat esse indutus, atque in C expositione ipsarum sacrarum vestium casulam posuit, valde stupui, quia tale aliquid me nunquam vidisse, meminisse non potui; diversos enim diversarum provinciarum præsules ecclesias dedicare sæpe conspexi, omnibusque, quæ ab eis facta sunt, quantam potui curam adhibui, qui etsi in nonnullis dissimilia egerint, omnes tamen cappis induti usque ad celebrationem missæ debita servitia sine casula expleverunt; denique sanctus Leo Romanæ sedis summus antistes Romericensem, me præsente, ecclesiam dedicavit, cunctaque, quæ ante missam fieri ordo depoposcerat, sine casula consummavit.

Porro quod in dandis ordinibus soli subdiacono dari manipulum perhibuistis, ubi hoc acceperitis, rogo me vestris litteris instruatis; a quibusdam enim id fieri audio, sed utrum id fieri sacris auctoritatibus præcipiatur, meminisse non valeo. Plerique autumant manipulum esse commune ornamentum omnium, sicut et albam et amictum; nam et in cœnobiis monachorum etiam laici cum albis induuntur, et antiqua Patrum institutione solent ferre manipulum; in nostris episcopalis ordinis codicibus, quos ex diversis regionibus multos habemus, et de ordinando subdiacono, inter cætera sic scriptum habetur: « Postea vero accipiat ab archidiacono urceolum cum aquamanili, ac manutergium. » In quibusdam sic: « cum aquamanile » In aliis ita: « cum aquæmanili. » Urceolus quid sit liquido patet, est enim vas superius, unde lavandis manibus aqua infunditur. Aquamanile, sive aquæmanile, Italici

unam partem dicunt, vocaturque lingua eorum vas A inferius, in quod manibus infusa aqua delabitur. Quod si fortasse sic **305** distinguendum putatis, urceolum cum aqua, et postea manile, ac manutergium, quatenus manile esse manipulum intelligatis. Cur inter urceolum ac manutergium ponatur manipulus, et cur cætera ornamenta ab episcopis dantur, dari ab archidiacono manipulus jubeatur, in qua scriptura sive sæculari sive divina sic vocatum manipulum reperitis [*al.*, reperieritis], posco sanctam paternitatem vestram ut indicare mihi competenti diligentia studeatis.

In Carthaginiensi consilio quarto omne hujus rei ambiguum excluditur, ubi sic legitur : « Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam et B calicem vacuum ; de manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, et aquamanile ac manutergium. » Item Isodorus in epistola de sacris ordinibus : « Ad subdiaconum, inquit, pertinet calicem et patenam ad altare Christi deferre, et levitis tradere, eisque ministrare ; urceolum quoque, et aquamanile ac manutergium tenere ; episcopo, presbyteris et levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere. » Omnipotens Dominus vitam vestram intus extèriusque tueatur ; augeatque in vobis, auctamque conservet dilectionem qua me quondam diligere solebatis, quatenus de me, quantum ad vos hoc quod pertinet [*al.*, quidem pertinet], quæ credenda sunt credatis, proculque ab auribus vestris linguas detrahentium pastorali semper auctoritate C repellatis.

EPISTOLA XIV.

AD JOANNEM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Indigne a suis habitum quibusdam consolatur, de vindicta suggerens quales capessere debeat, sibi curæ futurum ut ad regem hac de re det litteras quales debet.

Domino sanctæ Rothomagensis Ecclesiæ archiepiscopo Joanni, frater Lanfrancus indignus antistes, fidele servitium cum orationibus.

Visis litteris vestris, quibus temerariam superbamque temeritatem miserrimorum hominum adversus Dominum et pontificale fastigium præsumptam significasse studuistis, et dolui sicut dolere debui, et tamen in ipso dolore non gaudere non potui. D Dolui, quia id evenit celsitudini vestræ, quod a temporibus paganorum nulli legitur evenisse episcoporum ; gavisus vero sum quia spurcissima vita eorum, quæ multas regiones fetore suæ infamiæ jam aspersit, occasione publicata est, cognitumque evidenter quales coram Deo sint, qui, abjecto divino humanoque timore, tantum nefas in conspectu hominum moliti sunt. Et nunc sanctitas vestra omnem rancorem de corde abjiciat, nec plus æquo et bono pro hac re doleat ; omnem intentionem qualiter hæc nequitia ad honorem Dei sanctæque Ecclesiæ puniatur intendat.

Et quidem, quantum ad illos spectat, dolendum est vobis, quia filii vestri erant, si filii esse vellent ; quantum vero ad vos, gaudendum potius et exsultandum, exspectantibus vobis beatitudinem apostolis repromissam, quia vos oderunt, et exprobraverunt, et ejecerunt tanquam malum propter Filium hominis, quem vos amatis et honoratis, et ad cujus amorem et honorem illos trahere volebatis.

Litteras domino vestro [*al*., nostro] regi transmittere dispono, quales opertet et quales debeo ; et credo, miserante Deo, quia sicut tempora ejus obscurata sunt immanitate tantæ nequitiæ, sic enitescent competentis severitate vindictæ. Omnipotens Dominus vitam vestram custodiat, et contra omnes æmulos dextera sua protegente defendat, diligende Pater et omni laude colende.

EPISTOLA XV.

AD EUMDEM.

Laudat ejus in accepta injuria patientiam. De auctoribus facinoris rogatum a se regem per litteras, ut ulciscatur. Sibi quoque probari quæ ille de visione cujusdam monachi, et de altero a communi sepultura prohibito mandarat.

Zelo Dei et amore justitiæ præcellenti sanctæ Rothomagensis Ecclesiæ archiepiscopo Joanni, Lanfrancus indignus antistes, servitium et orationes.

306 Quando Robertum Beccensis Ecclesiæ [*al.*, cœnobii] monachum cum litteris ad vos transmisi, adhuc nullas paternitatis vestræ epistolas suscepi ; post abscessum ejus capellanus Hugonis unam detulit ; alteram vero laicus quidam, qui, interrogatus a me quis esset, servientem reginæ se esse respondit. Utrarumque sententia una fuit ; in utrisque enucleate ostenditis officium vestri ordinis, videlicet contra æmulos patientiam, et innocentiam vestram [contra] perditissimæ [*al.*, perditissimæque] congregationis horribilem puniendamque temeritatem ; et in utroque laudandus, in utroque benedictus Deus : quia et vos ejus gratia fecistis quod respectu episcopalis dignitatis facere debuistis ; et illi econtra, justo ipsius judicio traditi in reprobum sensum, hoc fecerunt quod nec quolibet impulsu, vel qualibet injuria provocati facere debuerant, certissimum pravitatis suæ his qui eos non noverant præbentes indicium, quo luce clarius omnibus innotescat quales in conspectu Dei eos esse ab omni populo existimari oporteat. De hac re litteras domino nostro regi mitto, eumque, ut decet, ad vindictam tanti facinoris, prout possum, rogo et moneo, quas jam pridem transmisissem, sed legatum reperire non potui ; et homo episcopi Walchelini, qui alias vobis detulit, ut eas exspectaret impetrare non potui.

De Roberto, et ejus somniatore [*al.*, sommatore], et monacho a communi sepultura prohibito, quidquid mandastis laudo, et quidquid de his rebus sentitis, ego quoque in omnibus et per omnia vobiscum sentio. Non est enim credendum visionem illam esse a Deo, quæ monachos prohibet a monasterio, cui ad serviendum Deo se devoverunt, et in quo de obedientia et conversione morum suorum et stabilitate sua professionem fecerunt, cum

Propheta dicat : *Vovete et reddite.* (*Psal.* LXXV, 12). Et Dominus de malis pastoribus loquens, non ait : Fugite eos, recedite de locis quibus præsunt, sed : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere* (*Matth.* XXIII, 2, 3). Et beatus Benedictus in Regula monachorum (cap. 4 *Regulæ*, instruc. 60) : « Præceptis, inquit, abbatis, in omnibus obedire, etiamsi ipse, quod absit ! aliter agat. »

De monacho fulgure interfecto vir sapiens apertissima sententia omnem ambiguitatis nodum solvit, dicens : *Justus quacunque morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit* (*Sap.* IV, 7). Denique Ecclesia Christi alios mortuos a suæ communionis consortio non repellit, nisi eos tantum quibus viventibus canonica censura communicare contempsit. Omnipotens Dominus vitam vestram custodiat, quia multum utilis est, inter cætera ad confutandas garrulorum ineptias.

EPISTOLA XVI.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM NORTHMANNORUM.

Excusat diuturnum suum silentium, optatque ut mutua inter ipsos et inviolabilis sit concordia.

Domino merito sanctitatis vestræ insigniter honorando, Northmannorum archiepiscopo JOANNI, frater LANFRANCUS, fidele servitium æternamque salutem cum orationibus.

Quod paternitatem vestram, quam, teste Deo, multo amore diligo, multa veneratione suscipio, longa temporis intercapedine litteris visitare supersedi ; rogo, multumque rogo ne sinistra a me id factum esse intentione interpretemini, neque existimeris fuisse causam aut indicem [*al.*, radicem] cujuslibet rancoris vel odii. Hoc potius hac in parte conjicite, quod [*al.*, quid] rei veritas habet, quod [*al.*, quid] experientia vestra, multis referentibus, quibus miserabilis vitæ meæ status motus est cognoscere valet ; tot enim tantisque hujus mundi impedimentis, nescio quo occulto Dei judicio, incessanter subjaceo, tot animi rancores, tam ex propriis quam ex alienis negotiis sine intermissione sustineo, tot calamitates ex consideratione præsentium venturas in futuro conjicio, ut perraro dictandi seu scribendi facultas detur ; aut, si quando datur, vel desunt qui perferant, vel personæ tam idoneæ non sunt ut per eas litteras mitti injuriam putem.

Ego tamen et ea quæ vobis accidunt, cum promissione servitii et auxilii mei, scire desidero, et ea quæ mihi eveniunt cognosci a vobis humiliter peto ; et hoc oro ut concors charitas charaque concordia, quæ inter nos hactenus mansit, omnibus diebus vitæ nostræ inviolata permaneat ; nec eam quælibet detrahentium lingua quolibet modo aut infirmare aut propulsare prævaleat. Quod aliter ratum esse non poterit, nisi amatores discordiæ aut vestris exhortationibus ad amorem concordiæ convertantur, aut persistentes in [illegible] sua stultitia a nostris colloquiis penitus arceantur.

De juvene cujus eventum usque ad aures vestras A fama vulgavit, lator præsentium, qui vidit et interfuit, qualiter gestum sit, vobis veraciter enarrabit.

EPISTOLA XVII.

AD JOANNEM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Falsum esse ostendit quod ejus facta carpere dicebatur : Robertum autem Pultrellum, qui sine ipsius licentia discesserat, ideo a se cum honore susceptum quia commendatitias ejus litteras attulerat. De fide ab archidiaconis petenda quid respondeat et de suo cum rege colloquio.

Venerabili sanctæ Rothomagensis Ecclesiæ archiepiscopo JOANNI, indignus antistes LANFRANCUS, servitium cum orationibus.

Litteris quas omnibus Christianæ legis amatoribus amanda paternitas vestra transmisit, quo tem- B pore porrectæ sunt, congruum dare responsum mihi non licuit, nam et impeditum me invenerunt ; nec, si liceret, posset ea tempestate nuntius inveniri qui ferret. Nunc mihi data opportunitate, differre ultra non debeo.

Retulistis vobis a multis fuisse relatum quod ego quædam vestra facta carpo, et maxime quod instituta sanctorum Patrum de servanda clericorum castitate male vos intellexisse redarguo, adjuncto quod ecclesiasticæ disciplinæ moderamina non bene vos tenere affirmo. Meminisse debet beatitudo vestra, præsentes verbis, absentes litteris non sæpe alterutrum monuisse esse multos detestabili invidia plenos, qui semper velint nos invicem dissidere, quatenus hac occasione suas nequitias veleant liberius exercere : quorum officii refert nova semper, et inaudita fingere, leviter, et injuriose [*al.*, incuriose] C prolata deterius exponere, bene et consulte dicta, quantum in ipsis est, in contrariam partem convertere. Ego tamen, teste conscientia, nullius eorum conscius sum ; nec aliquid de laudabili vita vestra vel dixisse vel dicendi assensum præbuisse me memini, quod in præsentia vestra, si res ita exposceret, non posset cum pacis vestræ securitate proferri ; imo vestro venerabiliumque Patrum exemplo provocatus, per totam terram Anglicam pastorali auctoritate prohibui ne cujuslibet ordinis quisquam canonicus uxorem accipiat, nec... antea, si presbyter, aut diaconus est, nisi præbenda carere D velit, habere ulterius liceat.

De Roberto, quem Pultrellum vocastis, quemque sine vestra licentia mare transisse perhibuistis, certissime id sciatis, quia litteras vestro sigillo, quod mihi bene notum est, signatas detulit ; in quibus, si veræ fuerunt, summopere me rogastis quatenus eum cum honore susciperem, apud abbatem Balduinum, in quantum possum, pro infirmitate sui corporis adjuvarem ; de meis etiam rebus, sicut mihi opportunum esset, opem impenderem. Quæ omnia exsecutus sum ; nam pro amore vestro honeste eum suscepi, tribus septimanis mecum habui, abbati Balduino precibus et promissionibus commendavi. Revertenti unde redire posset denarios officiosa charitate impendi, et miror valde, si falsas litteras por-

rexit, quonam modo tanti viri sigillum ad persuadendam falsitatem suam habere potuerit. A

De fide ab archidiaconis petita et data interrogantibus episcopis Bajocensi et Constantiensi, hoc tantum respondi, me nec legisse tale aliquid nec vidisse; vos tamen prudentem virum esse, et strenue scire quid agatis, quid omittatis, quid agendum, quid omittendum censeatis.

De negotiis vestris cum domino nostro rege, prout decuit et oportuit, noviter sum locutus; et puto, per misericordiam Dei, quia mordentibus vitam vestram aures excellentiæ suæ non est ultra facile præbiturus. Omnipotens Dominus vitam vestram ad honorem sanctæ Ecclesiæ suæ incontaminatam custodiat.

EPISTOLA XVIII.

AD OSBERNUM ANTISTITEM.

Quod Balduinum abbatem secum detineat, quominus Richardi placito adesse queat; excusari proinde illum, et causam differri rogat.

LANFRANCUS indignus antistes, OSBERNO digno antistiti, salutem cum orationibus.

Ad Frachenam villam nostram, quæ cœnobio sancti Emundi proxima est, veni, in qua, rege præcipiente, et corporis mei infirmitate urgente, aliquam accipere medicinam disposui. Pro qua re abbatem Balduinum detineo, cui rex curandæ hujus ægritudinis curam suo ore injunxit, qui contra Richardum ad hunc conventum de quibusdam querelis placitum accepit; sed, abbate apud vos et apud eum de hoc itinere excusato, causam ipsam dilatam esse C rogo et volo, quoadusque in unum [*al.*, alio tempore in unum] conveniamus, et pari studio pariter ipsum negotium sine aliquo partium favore definiamus. Omnipotens Dominus vos benedicat, et in omnibus vestris negotiis promptus auxiliator assistat.

EPISTOLA XIX.

AD HERFASTUM COEPISCOPUM.

Ut clericos Balduini abbatis ab excommunicatione absolvat, quoad ipse utraque parte audita litem dirimat.

LANFRANCUS archiepiscopus, confratri et coepiscopo HERFASTO, salutem.

Meminisse debet charitas vestra quia rex, dum vobiscum esset, præcepit ut querimonia de clericis D abbatis Balduini, quæ inter vos et ipsum abbatem versabatur, sopita remaneret, quoadusque ipsemet ipsam causam audiret, vel a me, si temporis opportunitas sic suggereret, audiri præciperet. Sed quia priusquam id fieret, mare transivit, volo et rogo quatenus prædictos clericos, quos a vobis excommunicatos didici, absolvatis, et quietos ab omni invectione atque exactione ad præsens dimittatis; post paucos etenim dies ad partes vestras venturi sumus, et utriusque partis assertiones diligenti cura audiemus et tam prolixe querimoniæ, in quantum salva fidelitate regis fieri poterit, finem legitimum imponemus.

EPISTOLA XX.

GREGORII VII PAPÆ AD LANFRANCUM.

Ut Argastum episcopum comprimat, ne Balduino abbati molestus sit, regemque oret ne illi faciat; quod si contempserit, ad sedem apostolicam cum abbate veniat ad contentiones dirimendas.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, LANFRANCO Cantuariorum archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Non minima admiratione dignum ducimus, etc. *Exstat inter epistolas Gregorii, Patrologiæ tom. CXLVIII.*

EPISTOLA XXI.

LANFRANCI AD HERFASTUM COEPISCOPUM.

Quo pacto erga eum gerere se debeat quem, nullis adhuc ordinibus initiatum, et uxoratum ad diaconatum ipse promoverat. B

LANFRANCUS, gratia Dei, non suis meritis archiepiscopus, confratri et coepiscopo HERFASTO, salutem.

Clericus iste noviter ad me venit, causam suæ infelicitatis mihi dixit, dictam testimonio vestrarum litterarum veram esse asseruit, testatus est se inordinate ordinatum; videlicet cum nullius esset ordinis, a fraternitate vestra factum esse diaconum: interrogatus a me si uxorem haberet, uxorem se habere, nec eam se velle dimittere respondit. Propterea tali pacto consulendum ei divina fultus auctoritate decerno: Diaconatum ei auferte, ad cæteros minores ordines congruis eum temporibus promovete. Diaconatus vero ordinem nunquam recipiat, nisi caste vivat, nisi de reliquo se caste victurum canonica attestatione promittat. Si vero cœlibem vitam egerit, et acturum se omni tempore respondere voluerit, non quidem eum ad ordinem diaconatus iterum ordinabitis, sed ipsum officium per textum sancti Evangelii vel in synodo vel in multorum clericorum conventu reddetis.

EPISTOLA XXII.

AD EUMDEM.

De pœnitentia clerici qui sacerdotis ordinem inordinate assumpserat.

Dilectissimo fratri et coepiscopo HERFASTO, LANFRANCUS indignus antistes, salutem et amicitiam cum orationibus.

De clerico quem ad nos misistis, sanctarum Scripturarum testimonio hoc sentimus, hoc tenendum decernimus: Pœnitentiam prolixi temporis, consideratis ejus viribus, pro arbitrio vestro ei injungite; sacerdotii ordinem, quod inordinate assumpsit, ei auferte, a cæteris ordinibus cessare jubete; quia in sacris canonibus scriptum est: *Qui aliena invadit, non exibit impunitus*: Et Leo papa ad Martianum; « Propria perdit, qui indebita concupiscit. » Sylverius ad Virgilium prævaricatorem: « Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesia servari catholica utque quod habuit amittat qui improbabili temeritate quod non accepit assumpserit. » Quod si infra pœnitentiæ tempus, carnis munditiam digne servaverit, cæterarumque bona-

rum actionum sollicitus observator exstiterit, miserante Deo, cujus misericordiæ non est numerus, experientia vestra indulgentiam ei præstare valebit, ut, sicut beatus Gregorius et præfatus Leo in decretis suis concorditer dicunt, si pœnitentia ejus fuerit digna, sit etiam fructuosa.

EPISTOLA XXIII.

AD HEREBERTUM EPISCOPUM.

Ut Berardum clericum rixare desistat; et quia ipsius litteras spreverat, sacros canones legat, ex quibus discat quæ reverentia metropolitanis debeatur. Effrenem denique monachum ut a suo consortio penitus eliminet.

LANFRANCUS, divina misericordia, non suis meritis Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscopus, HEREBERTO episcopo, humiliter sapere et sobrie intelligere.

Berardus abbatis Balduini clericus et famulus, nostras de negotio suo litteras tibi detulit. Quas, ut ipse postea mihi testatus est, procaciter irrisisti; **313** satis vilia multumque indigna de me, multis audientibus, protulisti; pro! me de eadem re nihil te facturum plurimis contestationibus affirmasti. De his alio tempore atque loco sermo erit. Verumtamen ad præsens præcipio tibi ne in his rebus sancti Eadmundi aliquid appetas, nisi id ab antecessoribus tuis appetitum fuisse certis documentis ostendas, præfatum Berardum quietum et inconcussum dimittas, quoadusque res in nostram audientiam veniat, finemque congruum canonica auctoritate nostrique judicii definitione recipiat.

Postpositis aleis, ut majora taceam, ludisque sæcularibus, quibus per totam diem vacare diceris, divinas litteras lege, decretisque Romanorum pontificum, sacrisque canonibus præcipue studium impende; ibi quippe invenies quod nescis, perlectis illis frivolum dices, unde ecclesiasticam disciplinam effugere te confidis. In decretis (BONIFAC. papa, *epist.* 111) sic legitur: « Metropolitani sui, in unaquaque provincia, in omnibus rebus ordinationem semper exspectet. » In Nicæno concilio (primo, cap. 4): « Firmitas omnium quæ geruntur per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur episcopo. » In Antiocheno (primo, cap. 4): « Per unamquamque provinciam episcopis convenit nosse metropolitanum episcopum totius provinciæ sollicitudinem gerere; propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant unde placuit eum honore præcellere. » Et in Toletanis conciliis: « Sic enim justum est ut inde unusquisque sumat regulas disciplinæ, unde consecrationis honorem accepit; ut, juxta majorum decreta, sedes quæ unicuique sacerdotalis mater est dignitatis, sit ecclesiasticæ magistra rationis. » Et paulo post: « Quisquis horum decretorum violator exstiterit, sex mensibus communione privatus, apud metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus. »

Sunt alia plurima de excellentia et potestate primatum atque archiepiscoporum, tam in præfatis
A scriptis quam in aliis orthodoxorum Patrum authenticis libris: quæ si studiosius legeres, lecta memoriæ commendares, nihil inconveniens contra tuam Matrem Ecclesiam sentires; quod dixisse diceris, non dixisses, imo dictum ab aliis salubri invectione reprehenderes. Nec sobrius quisquam putaverit hoc esse in aliena parochia aliquid temere præsumere, cum per misericordiam Dei totam hanc, quam vocant Britannicam insulam, unam unius nostræ Ecclesiæ constet esse parochiam.

Hermanum monachum, cujus vita multis reprehensionibus obnoxia perhibetur, a consortio tuo tuæque domus penitus remove; volo enim ut in regulari monasterio regulariter vivat, aut, si hoc renuit, de regno Anglorum abscedat.

EPISTOLA XXIV.

B

AD MAURITIUM LONDONIENSEM ANTISTITEM.

Electo episcopo diem designat quo presbyterii gradum ei collaturus est, simulque ad ejus interrogata respondet, de homine apud captores mortuo, de colloquio regis, et de clerico qui in ejus episcopatum sine servatis venerat.

LANFRANCUS divina misericordia archiepiscopus, dilecto fratri Londoniensis Ecclesiæ electo antistiti MAURITIO, salutem.

In primis gratias ago quod meam sicut tuam desiderare salutem te asseris, quodque profectum vivendi honeste, per meam qualemcunque doctrinam habiturum te esse confidis; hæc ex dilectione non modica procedere solent. Ad interrogata tua, brevia responsa mitto. De homine quem captum et apud captores mortuum fuisse inventum scripsisti, absoC lute tibi ad præsens respondere non possum, quoadusque præcedentes mortis ejus causas diligentius audiam, et sic, miserante Deo, quid agi oporteat, canonica auctoritate definiam, Interim injunge eis aliquam pœnitentiam, usque dum conveniamus, et alterno colloquio quid postea facere debeat decernamus.

De terris tuis domino meo regi nihil adhuc locutus fui, quia de meis etiam rebus, qualem volui, loquendi opportunitatem non habui. Gofridus clericus, qui apostasiæ calumniam habet, de episcopatu tuo non recedat [*al.*, tuo recedat]: aut formatas litteras ex parte sui episcopi, sicut canones jubent, ostendat. Cicestrum, sicut fraternitati tua insinuavi, venies, et ibi Sabbato ante *Lætare Hieru*D *salem*, cooperante Spiritu sancto, presbyterii gradum recipies.

314 EPISTOLA XXV.

AD WALCHERUM COEPISCOPUM.

Pulsis Britonnibus tranquilla esse omnia, Danos cert adventare; proinde ut vigilet, castrumque suu hominibus et armis muniendum curet.

LANFRANCUS peccator et indignus antistes, vene rabili fratri et coepiscopo WALCHERO, salutem.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi a vobi pacem vos vestris litteris habere didicimus, qua procul a vobis esse, multis multorum rationibu [*al.*, relationibus] territi credebamus. Nos ver

expulsis Britonibus et sedatis omnibus bellis, in tanta tranquillitate vivimus ut, postquam rex mare transiit, tranquillius nos vixisse nequaquam meminerimus.

Res domini nostri regis in summa prosperitate esse, et cum ad præsens ad vos [*al.*, nos] transire certissime sciatis. Dani, ut, rex vobis mandavit, revera veniunt; castrum itaque vestrum hominibus, et armis, et alimentis vigilanti cura muniri facite. Omnipotens autem Dominus ab omni malo vos defendat.

EPISTOLA XXVI.

AD EUMDEM.

Excusat quod monitorium non miserit, respondetque de presbytero qui in claustro monachorum sine benedictione nutritus fuerit, ad sæculum redire non posse.

LANFRANCUS indignus antistes, venerabili Dunelmensi episcopo WALCHERO, salutem.

Et longe ab urbe positum et multis hujus sæculi negotiis involutum me vestræ litteræ invenerunt; ob quam causam petitionibus vestris ex omni parte effectum præbere non licuit, nec, si licuisset, commonitorium, quod in festivitate sancti Martini habere voluistis, fieri potuisset; septima enim post prædicti sancti solemnitatem die, vester ad me nuntius venit.

Porro de illo presbytero, de quo mandastis quia in claustro monachorum sine benedictione nutritus fuit, aliquid me vobis mandasse recordari non possum; canones tamen decretaque sanctorum Patrum eos qui vestem religionis aliquot diebus in conspectu hominum deferunt, ad sæculum quocunque modo postea redire non sinunt. Qui si vobis obtemperare voluerit [*f.*, noluerit], evangelica auctoritate utimini, quæ ait: « Compelle intrare (*Luc.* XIV, 23). »

EPISTOLA XXVII.

AD STIGANDUM CISTRENSEM EPISCOPUM.

Ut clericis villarum Ecclesiæ Cantuariensis quæ in ipsius sunt diœcesi, exactas per ejus archidiaconos pecunias restitui jubeat. Nec ad episcopi ullius synodum deinceps veniant, nec respondeant, aut quidquam persolvant præter id quod institutum est pro chrismate.

LANFRANCUS Dei gratia archiepiscopus, dilectissimo fratri STIGANDO Cistrensi episcopo, salutem.

Clerici villarum nostrarum qui in vestra diœcesi existunt, questi nobis sunt quod vestri archidiaconi repertis occasionibus pecunias ab eis exquirunt, et a quibusdam jam acceperunt. Meminisse debet fraternitas vestra quia contra morem antecessorum nostrorum atque vestrorum vobis concessimus eisque imperavimus quatenus ad vestras synodos irent, et ea quæ ad Christianæ religionis notitiam prodesse possunt, sine interpellatione vel discussione aliqua a vobis audirent. Si quæ in ipsis culpæ invenirentur, suspensa interim vindicta, ad nostrum examen servarentur, et nobis vel in miserendo vel in ulciscendo, sicut semper consuetudo fuit, obnoxii tenerentur. Mandamus itaque (vobis) ut male accepta sine dilatione reddi jubeatis, et ministris vestris ne ulterius id præsumant, servandæ charitatis studio perhibeatis.

Nos vero presbyteris nostris qui extra Cantiam constituti, omnino præcipimus **815** ne ad vestram, vel alicujus episcopi synodum amplius eant, nec vobis, nec aliquibus ministris vestris pro qualibet culpa respondeant. Nos enim, cum ad villas vestras [*al.*, nostras] veniemus [*al.*, venerimus], quales ipsi vel in moribus vel in sui ordinis scientia sint pastorali auctoritate vestigare debemus.

Chrisma tantum [*al.*, tamen] a vobis accipiant, et ea quæ antiquitus instituta sunt in chrismatis acceptione persolvant. Sicut namque ea quæ antiquitus usque ad nostra tempora antecessores nostri habuerunt, solerti vigilantia cupimus illibata servare, ita aliis debita aliqua, quod absit! usurpatione nolumus denegare.

EPISTOLA XXVIII.

AD EUMDEM.

Ut mulierem, cujus causa a Lanfranco audiri papa jusserat, cum viro suo quietam manere sinat, donec una conveniant causamque definiant.

LANFRANCUS gratia Dei archiepiscopus, dilectissimo fratri STIGANDO, salutem.

Misit mihi litteras papa, in quibus præcepit ut causam istius mulieris, quam adversus eam habetis, diligenter audiam, et interim quietam et absolutam esse præcipiam; propterea mando vobis ut, pace vestra, cum viro suo maneat, quoadusque in unum conveniamus; et ipsam causam cum consilio episcoporum inter nos conferamus, et adjuvante divina gratia salubri fine definiamus.

EPISTOLA XXIX.

AD ROBERTUM CISTRENSEM EPISCOPUM.

Suo regisque nomine præcipit ut cœnobio Conventreiensi violenter ablata sine mora restituat; singulatim commemorans quam indignis modis eos afflixerit.

LANFRANCUS gratia Dei archiepiscopus, ROBERTO Cistrensi episcopo, salutem.

Litteras ante paucos dies tibi transmisi, et eas vix susceptas legere despexisti, et cum magna indignatione, sicut mihi dictum est, super quoddam sedile eas projecisti; nunc alias mitto, mandans et præcipiens, ex parte regis et nostra, quatenus ab omni gravamine quod cœnobio Conventreio inferre diceris omnino te subtrahas, quidquid de ipso cœnobio vel terris ipsius cœnobii violenter abstulisti sine mora restituas; clamorem enim fecerunt ad me tam abbas quam monachi ejus, quod dormitorium eorum per vim introisti, arcas eorum fregisti, et equos et omnes proprietates quas habebant rapuisti. Insuper domos eorum destruxisti, et materias earum ad tuas villas asportari præcepisti. In ipso quoque cœnobio cum familia tua consumens bona monachorum, octo dierum moram fecisti. Hæc nec tui officii nec tuæ potestatis esse cognoscas, imo magis oporteret te animabus eorum pastorali discretione consulere, bonorumque morum sanctarumque ac-

tionum verbis et operibus salutaria exempla præbere.

EPISTOLA XXX.

AD MANASSEM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Remensem archiepiscopum summi pontificis jussu monet ut latori litterarum res injuste sibi apud Rosnacum ablatas restituendas curet.

Domino in columnis Ecclesiæ plurimum honorando Remensi archiepiscopo Manassi, peccator et indignus antistes Lanfrancus, salutem, servitium cum orationibus.

Lator harum litterarum, regius ac noster homo, magnam rerum suarum apud Rosnacum se asserit injuriam pertulisse; et pro ea re auribus summi pontificis lacrymabilem querimoniam intulisse. Summus vero pontifex raptores suos [*al.*, ipsos], B nisi omnia sua ei redderent, terribiliter excommunicavit, et vobis, ut ei de raptoribus ipsis justitiam faceretis, sedis apostolicæ litteras destinavit. Et quamvis excellentia vestra in talibus monitore non egeat, rogo tamen multumque rogo ut ei benignitas vestra ita subveniat quatenus res suas, quæ ei injuste ablatæ sunt, sine diminutione acquirat.

EPISTOLA XXXI.

AD MAURITIUM EPISCOPUM.

Ut Bertingam eat, litemque inter abbatissam et priorem componat.

Lanfrancus archiepiscopus dilecto amico suo Mauritio episcopo salutem.

Sicut in aliis litteris, in his quoque rogamus et monemus, et pastorali auctoritate præcipimus qua- C tenus, si vobis opportunum est, Bertingen eatis, et auditis utrinque querelis abbatissam esse abbatissam, et priorem esse priorem jubeatis; utraque in suo ordine sit, sicut oportet, et, sicut beati Benedicti Regula (capitis 7, grad. 2, 3; et cap. 63) jubet, major præcipiat, minor obediat. Si tamen ea præceperit quæ congruis rationibus conveniant, et quibus sacræ auctoritates minime contradicant, utræque quæ Dei sunt et quæ sæculi sunt, servata suorum ordinum dignitate, communi consilio agant. Sanctimoniales et clerici, et laici, tam intus quam extra, eis serviant et obediant.

Quæcunque illarum hanc constitutionem nostram prætergressa fuerit, vestra adnitente instantia corripiatur, et, ne conceptam præsumptionem adimpleat, competenti severitate compellatur. Quod si D discordia in tantum partes armaverit ut earum sententia in unam concordiam convenire non possit, res nobis innotescat, ut cujus culpa fuerit regulari districtioni subjaceat.

EPISTOLA XXXII.

AD GOISFRIDUM EPISCOPUM.

De sanctimonialibus professis vel ad altare oblatis, et de iis quæ nec professæ vel oblatæ, aut quæ non amore religionis ad monasterium confugerunt.

Lanfrancus archiepiscopus, venerabili episcopo Goisfrido, salutem et servitium.

De sanctimonialibus, de quibus dulcissima mihi paternitas vestra ad me litteras misit, hoc vobis A respondeo : Sanctimoniales quæ de servanda regula professionem fecerunt, vel quæ, quamvis adhuc professæ non sint, ad altare tamen oblatæ fuerunt, secundum mores et vitas earum ad servandam regulam moneantur, increpentur, constringantur. Quæ vero nec professæ nec oblatæ sunt, ad præsens dimittantur sic, donec voluntates earum de servando ordine subtilius exquirantur. Quæ vero non amore religionis, sed timore Francigenarum, sicut vos dicitis, ad monasterium confugerunt; sic hoc firmo meliorum sanctimonialium testimonio probare possunt, libera eis recedendi concedatur potestas. Et hoc est consilium regis, et nostrum. Omnipotens Deus vitam vestram in beneplacito suo conservet.

EPISTOLA XXXIII.

AD DOMNALDUM HIBERNIÆ EPISCOPUM.

Infantibus ante usum rationis eucharistiæ perceptionem docet haudquaquam ad salutem esse necessariam; quæstiones vero sæcularium litterarum, ut episcopo indignas solvere detrectat.

Lanfrancus indignus sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ antistes, venerando Hiberniæ episcopo Domnaldo et iis qui sibi litteras transmiserunt, salutem et benedictionem.

In itinere positi, et a civitate in qua nobis sedes episcopalis est longe sepositi eramus, quando litteras vestras nuntio vestro deferente suscepimus. Quem cum rogassemus ut saltem paucis diebus nobiscum maneret, quatenus perquisitis libris congruum pro captu nostro ad consulta vestra responsum vobis referret, petitioni nostræ effectum negavit, et se diutius non posse morari multis assertionibus allegavit. Itaque dulcissimam nobis fraternitatem vestram paterna charitate monemus ne indignum vobis sit quod de tanta re tam breviter respondemus.

Revera, et procul pulsa omni ambiguitate, sciatis neque transmarinas Ecclesias, neque nos Anglos hanc de infantibus tenere sententiam quam putatis. Credimus enim generaliter omnes omnibus ætatibus plurimum expedire tam viventes quam morientes Dominici corporis et sanguinis perceptione sese munire. Nec tamen, si, priusquam corpus Christi et sanguinem sumant, contingit baptizatos statim de hoc sæculo ire, ullatenus credimus eos, quod Deus avertat! propter hoc in æternum perire; alioquin veritas non esset verax, quæ dicit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI, 16). Et per prophetam : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris* (*Ezech.* XXXVI, 27); Quod de baptismo esse dictum omnes hujus sententiæ expositores concorditer asseverant. Et Petrus apostolus : *Et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma* (*I Petr.* III, 21). Et Paulus apostolus : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III, 27); » Christum est enim induere, habitatorem Deum per remissionem peccatorum in se habere.

Nam sententia illa quam Dominus in Evangelio

dicit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54), quantum ad comestionem oris non potest generaliter dicta esse de omnibus. Plerique etenim sanctorum martyrum ante baptismum quoque diversis excruciati pœnis de corpore migraverunt; eos tamen in numero martyrum computat, et salvos credit Ecclesia per illud testimonium Domini, quo dicitur : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlo* (*Matth.* x, 32). Infantem quoque non baptizatum, si morte imminente urgeatur, a fideli laico, si presbyter desit, baptizari posse canones præcipiunt; nec eum tamen, si statim moriatur, a consortio fidelium sejungunt. Necesse est ergo prædictam Domini sententiam sic intelligi, quatenus fidelis quisque divini mysterii per intelligentiam capax, carnem Christi et sanguinem non solum ore corporis, sed etiam amore et suavitate cordis comedat et bibat, videlicet amando et in conscientia pura dulce habendo quod pro salute nostra Christus carnem assumpsit, pependit, resurrexit, ascendit; et imitando vestigia ejus, et communicando passionibus ipsius, in quantum humana infirmitas patitur, et divina ei gratia largire dignatur : hoc est enim vere et salubriter carnem Christi comedere et sanguinem ejus bibere.

Quam sententiam in libro De doctrina Christiana beatus Augustinus exponens sic ait (lib. III, c. 10) : « Facinus vel flagitium jubere videtur : figura vero est præcipiens passioni Dominicæ communicandum esse, et suaviter atque utiliter in memoria recondendum quod pro nobis caro ejus vulnerata et crucifixa sit. » Figuram vocat figuratam locutionem. neque enim negat veritatem carnis et sanguinis Christi (quod plerisque schismaticis visum est, et adhuc non cessat videri). Et Dominus in Evangelio : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* 57). Quod exponens beatus Augustinus ait (*In Evang. Joan.* tract. 26) : « Hoc est namque carnem Christi et sanguinem salubriter comedere et bibere, in Christo manere et Christum in se manentem habere : nam et Judas, qui Dominum tradidit cum cæteris apostolis ore accepit; sed quia corde non comedit, judicium sibi æternæ damnationis accepit. »

Quæstiones sæcularium litterarum nobis solvendas misistis; sed episcopale propositum non decet operam dare hujusmodi studiis. Olim quidem juvenilem ætatem in his detrivimus, sed accedentes ad pastoralem curam, abrenuntiandum eis decrevimus.

EPISTOLA XXXIV.

AD WILLELMUM ANGLORUM REGEM.

Regi dissuadet ne mare transeat. Radulphum comitem cum exercitu suo in fugam versum, et regis milites eos insequi nuntiat.

Domino suo, Anglorum regi, WILLELMO, fidelis
A suus LANFRANCUS, fidele servitium et fideles orationes.

Libenter vos videremus sicut angelum Dei, sed hoc tempore nolumus [illegible] vos mare transire, quia magnum nobis dedecus faceretis si pro talibus perjuris et latronibus vincendis ad nos veniretis. Rodulphus comes, imo Rodulphus traditor. et totus exercitus ejus in fugam versi fuerunt; et nostri cum infinita multitudine Francigenarum et Anglorum eos insequuntur; et ante paucos dies, sicut mihi mandaverunt principes nostri, aut ipsi perjuri de terra vestra per mare fugient, aut eos vivos vel mortuos habebunt. Cætera per hunc monachum vobis mando, cui bene credere potestis, quia fidelitatem mihi fecit. Omnipotens Dominus vos bene-
B dicat.

EPISTOLA XXXV.

AD EUMDEM.

Castrum Norvicense pulsis Britonibus receptum, totique Angliæ redditam quietem gratulatur.

Gloriosissimo domino suo Anglorum regi WILLELMO, fidelis suus LANFRANCUS, fidele servitium cum orationibus.

Gloria in excelsis Deo, cujus misericordia regnum vestrum purgatum est spurcitia Britonum, castrum Norwich redditum est, et Britones, qui in eo erant et terras in Anglica terra habebant, concessa eis vita cum membris juraverunt quod intra quadraginta dies de regno vestro exirent, et amplius sine vestra licentia in illud non introirent.

C Qui vero Rodulpho traditori, et sociis ejus sine terra pro solidis servierunt, ad hoc faciendum unius mensis spatium multis precibus impetraverunt.

In ipso castro remanserunt episcopus Gaufridus, Willelmus de Varenna, Robertus Malet, et trecenti loricati cum eis ballistariis, et artificibus machinarum multis. Omnis strepitus bellorum, miserante Deo, in Anglica terra quievit. Omnipotens Dominus vos benedicat.

EPISTOLA XXXVI.

CLERI ET POPULI ECCLESIÆ DUBLIENSIS AD LANFRANCUM.

Patricium presbyterum, quem elegerunt, Dublinensi Ecclesiæ ordinari petunt episcopum.

Venerando sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ metro-
D politano LANFRANCO, clerus et populus Ecclesiæ Dublinensis, debitam subjectionem.

Vestræ paternitati est cognitum quod Ecclesia Dublinensis, quæ Hiberniæ insulæ metropolis est, suo sit viduata pastore ac destituta rectore. Propterea elegimus presbyterum, nomine Patricium, nobis sufficientissime cognitum, natalibus et moribus nobilem, apostolica et ecclesiastica disciplina imbutum, fide catholicum, in Scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum; quem nobis quantocius petimus ordinari episcopum, quatenus auctore Deo, regulariter nobis præesse valeat et prodesse, et nos sub ejus regimine salubriter militare possimus : quia integritas præsidentium,

salus est subditorum; et ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.

EPISTOLA XXXVII.

LANFRANCI AD GOTHRICUM HIBERNIÆ REGEM.

Patricium a se consecratum episcopum significat, regemque hortatur ut quæ nefarie circa matrimonium fieri dicuntur corrigat, Patricii consiliis libenter utatur.

LANFRANCUS non suis meritis, sed gratia Dei archiepiscopus, glorioso Hiberniæ regi GOTHRICO salutem cum orationibus.

Venerabilem fratrem ac coepiscopum nostrum Patricium, quem, charissime fili, excellentia vestra ad nos consecrandum transmisit, honeste suscepimus, **319** debitis officiis secundum canonicam institutionem, scilicet Spiritus gratia cooperante, sacravimus; sacratum ad propriam sedem, cum B testimonio litterarum nostrarum, more antecessorum nostrorum remisimus.

Qui quamvis de gloria vestra multa nobis bona multisque laudibus digna retulit, non abs re tamen credimus esse si prædicanda vestra studia nostra adhortatione pulsamus; sicut enim ignis flante vento clarius lucet et major efficitur, sic vera virtus veris præconiis pulchrius enitescit et in melius augmentatur. Rogamus igitur, sicut rogari oportet pretiosum sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium, quatenus fidem rectam, ab ipso Deo, et apostolis ejus sanctis atque orthodoxis Patribus traditam, cum omni mentis sinceritate inviolatam teneatis; fidei congrua opera, in quantum vires suppetunt, exhibeatis; superbis C austeram, humilibus placabilem vestram celsitudinem ostendatis.

In regno vestro perhibentur homines seu de propria, seu de mortuarum uxorum parentela conjuges ducere, alii legitime sibi copulatas pro arbitrio et voluntate relinquere, nonnulli suas aliis dare et aliorum infanda commutatione recipere. Hæc, et si quæ sunt alia crimina, propter Deum et animam vestram in terra potestatis vestræ corrigi jubete, talesque vos cum divino adjutorio vestris subditis exhibete, ut et amatores boni bona amplius diligant, et appetitores mali pravas actiones nequaquam exercere præsumant; hoc enim facientes, et diutius cum rerum temporalium felicitate in terra regnabitis, et post terrenum regnum sine fine regnaturi D ad cœlestia regna migrabitis.

Plura et prolixius vobis scripsissem, sed habetis vobiscum prædictum antistitem vestrum monasticis institutionibus a pueritia enutritum, scientia divinarum litterarum strenuissime eruditum, bonorum operum ornamentis, in quantum cognosci a nobis potuit, decentissime adornatum, quem de anima vestra sæpius vobis loquentem si intentio corde audieritis; audientes, ut patri spirituali in his quæ ad Deum pertinent obedieritis; obedientes, ea quæ vobis ab eo prolata fuerint, in arca pectoris vestri reposueritis: speramus, per misericordiam Dei, quia neque vos perniciose errabitis, neque subditos vobis in privatarum [*al.*, pravarum] actionum pertinacia A stare diu permiseritis. Omnipotens Dominus contra inimicos mentis et corporis, et balteo [*al.*, brachio] virtutis suæ excellentiam vestram defendat, et, post longam hujus sæculi vitam, ad eam quæ finem non habet feliciter vos perducat.

EPISTOLA XXXVIII.

AD TERDELVACUM HIBERNIÆ REGEM.

Regem laudat ex iis quæ a Patricio cognoverat, monetque ut, ad pravas quasdam consuetudines exstirpandas, episcoporum aliorumque conventum fieri jubeat, et ipse intersit.

LANFRANCUS, peccator et indignus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscopus, magnifico Hiberniæ regi TERDELVACO, benedictionem cum servitio et orationibus.

Nullam Deus majorem terris misericordiam impendit, quam cum pacis ac justitiæ amatores ad animarum seu corporum gubernacula provehit, et maxime cum bonis regibus regna hujus mundi regenda committit. Hinc namque pax oritur, discordia sopitur, et, ut breviter cuncta complectar, Christianæ religionis observantia stabilitur. Quod populo Hiberniæ divinitus tunc collatum fuisse prudens inspector intelligit, quando omnipotens Deus excellentiæ vestræ jus regiæ potestatis super illam terram concessit; tot enim tantaque bona de magnitudinis vestræ erga bonos pia humilitate, contra pravos districta severitate, circa omne humanum genus discretissima æquitate, frater et coepiscopus noster Patricius narravit, ut, quamvis vos nunquam viderimus, tanquam visos tamen vos diligamus, et tanquam visis ac bene cognitis vobis salubriter consulere et sincerissime servire cupiamus.

Verum inter multa quæ placent, relata nobis sunt quædam quæ displicent, videlicet quod, in regno vestro, quisque pro arbitrio suo legitime sibi copulatam uxorem, nulla canonica causa interveniente, relinquit, et aliam quamlibet seu sibi vel relictæ uxori consanguinitate propinquam, sive quam alius simili improbitate deseruit, maritali seu fornicaria lege, punienda sibi temeritate conjungit; quod episcopi ab uno episcopo consecrantur; **320** quod in villis vel civitatibus plures ordinantur; quod infantes baptismo sine chrismate consecrato baptizantur; quod sacri ordines per pecuniam ab episcopis dantur.

Hæc omnia, et si qua sunt similia contra evangelicam et apostolicam auctoritatem, contra sanctorum canonum prohibitionem, contra omnium orthodoxorum Patrum qui nos præcesserunt fieri institutionem, nullus, qui sacras litteras vel mediocriter legit, ignorat. Quæ quanto in conspectu Dei sanctorùmque ejus amplius sunt horrenda, tanto studiosius vestris sunt sine aliqua dilatione jussionibus prohibenda, et, nisi prohibita corrigantur, districtissima terroris vestri severitate punienda; nullum enim Deo vel majus vel gratius munus offerre potestis, quam si divina et humana debitis legibus gubernare studeatis.

Memores igitur divini judicii, quo de commisso vobis regno rationem reddituri estis Deo, episcopos et religiosos quosque viros in unum convenire jubete, sacro eorum conventui præsentiam vestram cum vestris optimatibus exhibete, has pravas consuetudines, omnesque alias quæ a sacris legibus improbantur, a regno vestro exterminare studete, quatenus Rex regum et Dominus dominantium, cum viderit regiam majestatem vestram præceptis suis in omnibus esse subjectam, servis quoque ac fidelibus suis pro [*al.*, præ] timore et amore ejus mansuetam inimicis divinæ religionis divino zelo infestam; ipse quoque vos vestrosque fides clamantes ad se propitiatus exaudiat, hostes conterat pacemque vobis in hoc sæculo stabilem, et in futuro vitam æternam concedat.

EPISTOLA XXXIX.

AD ROGERIUM COMITEM.

Castrorum custodiam regis nomine commendat, patrisque ei exemplum proponit, qui fideliter servierat; et de vicecomitum placitis a rege, quoad redeat, inhibitis.

LANFRANCUS gratia Dei archiepiscopus, dilectissimo filio et amico ROGERIO comiti salutem et benedictionem.

Dominus noster Anglorum rex salutat vos et nos omnes, sicut fideles suos in quibus magnam fiduciam habet, et mandat ut, quantum possumus, curam habeamus de castellis suis, ne, quod Deus avertat! inimicis suis tradantur. Propterea rogo vos, sicut rogare debeo filium charissimum, quem, teste Deo, toto corde diligo et servire desidero, et cujus patrem sicut animam meam dilexi, quatenus de hac re et de omni fidelitate domini nostri regis talem curam geratis, ut a Deo, et ab eo et omnibus bonis hominibus laudem habeatis.

In memoria vestra semper tenete qualiter gloriosus pater vester vixit, et quam fideliter Domino suo servivit, et cum quanta strenuitate multa acquisivit, et acquisita magno honore retinuit.

Item mandavit rex ne sui vicecomites aliqua placita in vestris terris teneant, quoadusque ipse mare transeat, et inter vos et ipsos vicecomites per semetipsum causas vestras audiat.

Libenter vellem vobiscum loqui; de qua re, si vobis voluntas est, mandate mihi ad quem locum possimus convenire, et de rebus vestris ac domini nostri regis colloquium habere. Ego vero paratus sum vobis venire obviam quocunque præceperitis.

Rogo ut harum litterarum portitori nomine Beringerio justitiam faciatis de illis hominibus super quos clamorem facit pro equo suo quem furto sibi ablatum dicit. Omnipotens Dominus vos benedicat, et vitam vestram in omni bonitate disponat.

EPISTOLA XL.

AD EUMDEM.

Ut a perjurio et fraude abstineat, patrisque erga regem et alios fidelitatem imitetur.

LANFRANCUS Dei gratia archiepiscopus, dilectissimo A filio et amico ROGERIO comiti, salutem et benedictionem.

Auditis de te quæ audire nollem, doleo quantum dicere non possum. Neque enim deceret ut filius Willelmi comitis, cujus prudentia et bonitas, et erga Dominum suum et omnes amicos suos fidelitas multis terris innotuit, infidelis diceretur, et de perjurio vel fraude aliquam infamiam pateretur: imo **321** conveniret potius ut filius tanti viri imitator patris existeret, et omnis bonitatis et fidelitatis aliis exemplum præberet. Propterea rogo te, dulcissime fili et charissime amice, quatenus propter Deum et honorem tuum, si culpam de tali re habes, resipiscas; si vero non habes, manifestissimis documentis te non habere ostendas. Quidquid vero sit, rogo B ut ad me venias, securus procul dubio quod neque in eundo, neque in redeundo, per nos, vel regios homines impedimenti aliquid patieris. Omnipotens Dominus te benedicat.

EPISTOLA XLI.

AD EUMDEM.

Ab excommunicatione, qua illum obstrinxerat, solvi non posse nisi regis misericordiam imploret, ad quam impetrandam suam illi operam spondet.

LANFRANCUS Dei gratia archiepiscopus, dilectissimo quondam filio et amico, ROGERIO comiti, bene intelligere et salubrem de anima sua curam habere.

Doleo pro te, quantum dici non potest, quia, teste Deo, te amabam; et te amare et tibi servire toto corde desiderabam; sed quia, instinctu dæmonis et C consilio pravorum hominum, ea molitus es quæ te moliri minime oportuerat, necessitate coactus, mentem mutavi, et dilectionem non in odium tantum quantum ad [*al.*, in] rancorem mentis et justam severitatem converti. Legatis tamen et litteris semel et iterum te invitavi ut ad me venires, et consilium animæ tuæ a me sicut a patre spirituali et amico sincero acciperes, atque a stulto proposito quod conceperas, consilio meliore desisteres; tu vero id facere recusasti.

Canonica igitur auctoritate te et omnes adjutores tuos maledixi et excommunicavi, atque a liminibus sanctæ Ecclesiæ et consortio fidelium separavi, et per totam Anglicam terram hoc idem pastorali auctoritate fieri imperavi. Ab hoc vinculo anathematis D absolvere te non possum, nisi misericordiam domini mei regis requiras, sibique et aliis, quorum res injuste prædatus es, justitiam facias.

Mandasti quod adhuc venire velles; hoc ego libentissime vellem, nisi regalem iram pro hac re me incursurum metuerem, sed legato et litteris pœnitudinem tuam, et humilitatem, et preces ei intimabo, et te, salva ejus fidelitate, prout melius potero, adjuvabo. Interim rogo et moneo ut quiescas, nec aliquid coneris facere unde majorem ejus iram incurras.

EPISTOLA XLII.

AD ABBATEM B........

Rogat ut sua causa litterarum latori veniam indulgeat.

LANFRANCUS divina dignatione, non suis meritis archiepiscopus, abbati B... salutem cum orationibus.

Harum litterarum portitor iram vestram se dicit incurrisse, et propterea patriam, in qua natus et conversatus erat, parentesque et amicos reliquisse. Et quia putavit quod pro me multum facere debeatis, nostris apud paternitatem vestram se petiit litteris adjuvari. Mota igitur nostris precibus vestra ei benignitas indulgeat, quatenus ipse amicum nostrum pro commissi sui venia se petiisse cognoscat.

EPISTOLA XLIII.

AD ANSELMUM PATREM.

Fratris sui filium liberius ab eis susceptum fuisse lætatur, et gratias agit, simul insinuans quid erga illum observari cupiat.

Domino, patri, fratri, amico ANSELMO, LANFRANCUS peccator, perpetuam a Deo salutem.

Quid mihi expediat, beatitudo vestra optime novit; in Anglorum enim terram veniens, sive Romam proficiscens, omnia sanctitati vestræ reseravi quæ reseranda esse tunc temporis pro mearum necessitate judicavi. Sic ergo orate, sic ab amicis ac familiaribus vestris oratum iri deposcite, quatenus omnipotens Deus aut ad meliorem fructum me perducat, aut de ergastulo hujus carnis animam meam in sui sancti nominis confessione educat; tot enim tantisque tribulationibus terra ista, in qua sumus, quotidie quatitur, tot adulteriis aliisque spurcitiis inquinatur, ut nullus fere hominum ordo sit qui vel animæ suæ consulat, vel proficiendi in Deum salutarem doctrinam saltem audire concupiscat.

Litteras, quas per dominum Robertum transmisisti, lætus suscepi, lætior regi: cum quanto autem gaudio adhuc eas relegendo recolo, et recolendo relego, litteris explicare non possum, pro eo videlicet quod, sicut in eis scriptum est, dulcissimum mihi fratris mihi filium, quem sicut animam meam diligo, cum ingenti lætitia suscepistis, quod majorem erga vos amoris mei fiduciam ex hac occasione concepistis, et præcipue, ac super omnia, quod onus prioratus, quod importabile antea videbatur, ex ejus adventu levigatum vobis perhibuistis. De quo brevem veracemque sententiam vobis dico : si inter paganos etiam ipse viveret, plus cæteris paganis ego ipsos [*f.*, ipsum] diligerem, et prodesset eis [*f.*, ei] si quid in hoc sæculo possiderem. Quibus de rebus quantas possum Deo et domino abbati vobisque omnibus gratias refero, quia quales voluero [*al.*, volo], tales vos erga me et omnes qui diliguntur a me semper esse comperio.

Sed quia accedens ad servitutem Domini, et maxime id ætatis homo, multis variisque tentationibus per tentatorum spirituum suggestiones intrinsecus laniatur, multis diversisque carnis titillationibus intus exteriusque cruciatur, oportet valde ut vestri eum colloquii participem sæpissime faciatis, omnesque quorum doctrina salubris esse potest ei, colloqui cum eo, quoties expedit, jubeatis.

Discedenti ipsi a me, rogando præcepi et præcipiendo rogavi ne hoc anno aliquam vel in refectorio, vel in capitulo, aut in monasterio lectionem legeret quoadusque psalmorum scientiam suique ordinis usum aliquem haberet : hanc voluntatem meam omnino despexit, et ut legeret, suarum precum nimietate a vobis extorsit; pro qua re amarissimas litteras transmittere sibi disposui; sed visis aliis litteris vestris conceptum adversus temeritatem mentis rancorem omisi.

EPISTOLA XLIV.

ANSELMI FRATRIS AD LANFRANCUM.

Proximis Lanfranci litteris respondet ac Mauritium vicissim capitis ægritudine laborantem commendat.

Domino reverendo patri, vere diligendo et dilecto, catholicæ matri amplectendo archiepiscopo, LANFRANCO, frater ANSELMUS suus quod dignius potest, totus suus.

Quoties vobis est gratum aliquid mihi esse gratum utique mihi et hoc est gratum, et illud fit gratius quod prius erat gratum. Significastis vos inter lætos esse, quia ego, ut de aliis taceam, dilectissimum nostrum, nepotem vestrum, valde gaudens suscepi. Tanto igitur et hac vestra lætitia sum lætificatus, et gaudium, quod habueram de prædicto charo nostro, quamvis semper vigeat, augendo est renovatum, quanto id quod non verecundor fateri (me scilicet ex magna parte illum sic suscipiendo intendisse) ad votum pervenisse cognovi de meo meritis domino, fide fratre, sollicitudine filio Mauritio, quem pro vobis separatis ab illo a quo plus amabatur quam ab alio, et quem plus amabat quam alium; vos ipsi judicate, quo illi debeatis. Quamlibet namque vile sit quod sic amat, et a quo sic amatur, nimirum hoc illi debetis quod non minus amet, et a quo non minus ametur. Quoniam igitur et ego novi justitiæ vestræ rectitudinem, et vos nostis mutuam nostram dilectionem, omni ejus supersedemus commendatione. De ægritudine capitis ejus vestram pietatem, quantum apud vos possum, rogo præcipue quatenus, propter Deum et æternæ salutis retributionem, vobis instantibus a dilecto amico nostro domino Alberto medico, quantum potest, perquiratur et curetur.

EPISTOLA XLV.

AD GONDULFUM.

Fratris sui filium, ut ab eo instruatur, præcipue commendat, crucemque mittit cum reliquiis.

Dilectissimo suo GONDULFO dilectissimus suus LANFRANCUS, dilectionis cœptæ felicem perseverantiam.

Fratres, quos, charissime frater, litteris edocendos, bonisque moribus instruendos tibi præcipue transmisi, honeste et secundum voluntatem meam tractari quorumdam relatione cognovi; pro qua re

gratias benignitati tuæ refero, et ut cœptis insistas, si tamen admonitione indiges, admonere te cupio. Charissimum mihi fratris mei filium, fratrem videlicet tuum, charitati tuæ commendo, rogans, sicut rogari oportet a me jucundissimum filium fratremque meum, quatenus cum magna jucunditate animi tui eum diligas, et ad vitam laudabilem pro viribus tuis informare non desinas. Fratrem tuum propterea dixi illum, quem [*al.*, quoniam] revera sibi esse volo multumque rogo, nam et revera venerabilis mater tua, sicut mihi relatum est, filium suum eumdem vocare dignatur, cum illa de excellentissimo genere, iste humili loco sit natus, procul dubio recceptura ab eo mercedem suam qui dixit: *Qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Crucem cum reliquiis, fraternitatis tuæ oculis dum missam celebras conspiciendam, tibi transmitto; quam perpetuæ amicitiæ monumentum inter te et ipsum esse desidero.

Magno gaudio me replesti, quia promissionem in pueritia factam, in juventute adhuc per divinam misericordiam te servare scripsisti; quam si ad finem illæsam perduxeris, terribilem aliis judicem procul dubio cum magna securitate videbis. Omnipotens Deus cordi tuo per sancti Spiritus sui inspirationem inserere dignetur, quatenus in omni ætate tua sic me diligas, sicut in pueritia et adolescentia tua quondam diligere me solebas. Et ipse te benedicat, atque ab omnibus peccatis propitiatus absolvat.

EPISTOLA XLVI.

AD EUMDEM.

Ægrotantem consolatur, et pharmacum mittit quo utatur.

Dilectissimo fratri GONDULFO, frater LANFRANCUS, benedictionem a Deo, et perpetuam salutem.

Lectis litteris fraternitatis tuæ, multa te cognovi ægritudine laborare, pro qua re hortor ne doleas, imo gaudeas, tuoque Creatori, qui de te curam habet, indefessas gratias referas, sciens scriptum esse: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis* (*II Cor.* XII, 15). Et aliud: *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Non enim te in hoc sæculo tantis flagellis attereret, nisi post hoc sæculum sine flagello te esse disponeret. Tu ergo memento tui, memorare novissima tua, et confitere peccata tua; hoc enim faciens, aut corporalem salutem a Deo consequeris, aut mortem aliis metuendam sine metu exspectabis; quæ videlicet erit finis tibi malorum, principium vero bonorum.

Mitto tibi diaprasium magnum, quod ad hanc infirmitatem valde utile esse medici perhibent, de quo in modum sylvestris nucis tertia semper die accipies. Omnipotens Dominus custos tui semper existat, atque ab omnibus peccatis propitiatus absolvat.

EPISTOLA XLVII.

AD LANFRANCUM ET GUIDONEM FRATRES.

324 *Nepoti, ejusque olim amico, nunc fratri in monasterio, salutaria dat monita. Et nepoti*
A *privatim condonat quod ea non observarit quæ injunxerat.*

Dilectissimis fratribus LANFRANCO et GUIDONI, Frater LANFRANCUS, perpetuam a Domino benedictionem.

Quia divinitus, ut credo, vos dilexistis in sæculo, rogo ut rogetis Deum quatenus, ipso cooperante, vos diligatis in eo quod assumpsistis sancto proposito. Alter alteri sit in tribulatione solatium; alter ab alterius vita sumat sanctæ conversationis exemplum. Humilitatem omnibus ostendite, linguas vestras ab omni derogatione salubri [*al.*, fraterna] censura compescite; si quis cujuslibet fratris vitam Theodino dente rodere, si correctus a vobis emendare neglexerit, a vestro colloquio arceatur. Quidquid alii
B de vobis dicant laudantes fortasse et magnificantes, quod parentes, possessiones, carnalia oblectamenta pro Deo contempsistis, vos semper introrsus ad conscientias vestras redite, peccatores vos semper esse cognoscite, et peccatis vestris continuis orationibus Deum propitium fore deposcite.

Adversum te, charissime nepos, magnum mentis rancorem concepi, quia videlicet transgressus es præceptum; quod de hoc ordine primum tibi injunxi sed interveniente venerando Patre domino Anselmo, cui sicut Deo obedire desidero, sincero tibi corde illam noxam indulgeo, et moneo ne tale aliquid amplius facias, quia quo impensius amicum diligo, eo amplius majorem contra eum iram pro parva etiam culpa concipio. Omnipotens Dominus sua vos
C gratia protegat, atque ab omnibus peccatis clementer absolvat.

EPISTOLA XLVIII.

AD WILLELMUM PATREM.

Ut Ernostum priorem designet; quod si quid obstat, alia consilia suggerit quæ sequi liceat.

Dilectissimo Patri WILLELMO, LANFRANCUS quondam dulcissimus, et utinam nunc saltem dulcis! quidquid in hoc sæculo et in futuro honestius et melius.

In litteris quas nuper transmisistis, hoc præcipue inter cætera posuistis et rogastis, ut, moto eo qui nunc præsidet, de substituendo ecclesiæ vestræ priore vobis consulerem, consultaque sub celeritate
D scriberem; quam rem fratribus qui mecum sunt ostendi, mihique consulere volenti quatenus ipsi quoque consulerent obnixe rogavi. Communis omnium sententia fuit ut, si aliquo secundum Deum modo efficere valeatis, summum ecclesiæ vestræ priorem domnum Ernostum constituatis; quod si ipse renuerit, aut fortasse dominus abbas huic rei consensum præbere noluerit, ordinate quem concors fratrum electio ordinandum decreverit. Si vero vobis hoc consilium displicuerit, capite illud quod sanum sapienti displicere non poterit, videlicet ut agatis quod ex ore domni abbatis Herluini domnique Anselmi agendum esse cognoveritis. Nam ego, ut peccator homo, divini consilii ignarus existo, et ipsi utrique, ut credimus, Spiritu Dei pleni sunt, et secum habent, qui in hujus mundi negotiis apud

Deum adjuvare eos valent. Divina majestas, venerande Pater jocundeque frater, te benedicat, ab omnibus peccatis prorsus absolvat.

EPISTOLA XLIX.

AD ADELELINUM ABBATEM.

Intercedit pro monachis qui de monasterio recesserant et, agnita culpa, redire cupiebant.

Lanfrancus archiepiscopus, dilectissimo filio et amico Adelelino [*f.*, Adelelmo] abbati salutem et benedictionem.

Fratres isti ad me venerunt accusantes se, et dicentes in vos graviter peccasse, et sua culpa de monasterio recessisse; ego vero stultitiam eorum eis audientibus multum adauxi, et satis duris, **325** atque amarissimis verbis eos, prout decuit, increpavi. Postea interrogati a me si de cætero vellent emendare, responderunt se velle, et de hoc quod egissent plurimum se dolere; et precati sunt me quatenus pro eis apud vos intercederem, et mea eos intercessione monasterio, unde exierunt, reconciliarem.

Quapropter fraternitatem vestram precor, si meis apud eam precibus locus existit, ut pro amore Dei et nostro, quidquid in vos et contra ordinem deliquerunt, sincero corde remittatis; et in suis eos locis in quibus ante culpam erant, suscipiatis, et paternum eis affectum, ut Deus vobis misericors sit, de reliquo ostendatis.

EPISTOLA L.

AD REGINALDUM, SENTUNUM, ET HENRICUM.

Sanctum Hilarium adversus Berengarii calumnias defendit, ejusque verba, quæ in pravum sensum trahebat, orthodoxe dicta et interpretanda docet.

Lanfrancus antistes, dilectissimis fratribus Reginaldo Pictavorum urbis abbati, et Sentuno [*al.*, Sewino] monacho, et Henrico canonico, salutem.

Lectis litteris a vestra mihi per hunc hominem fraternitate transmissis voluntatem vestram intellexi, si facultas detur, ad me veniendi. Id commode fieri posse non arbitror; nam et iter prolixum est: pericula multa, terra, marique; et ego tot tantisque hujus mundi negotiis obvolutus sum, ut talibus studiis dare mihi operam hac tempestate non liceat. Si divina potestas expeditum me esse quandoque voluerit, et doceri pariter et docere promptus semper mihi animus erit.

Porro quod schismaticus ille (Berengarium dico), sicut vestra epistola testata est, constanter asserit quia beatus Hilarius vestræ urbis vestræque gentis quondam episcopus in tractatu Fidei perversa senserit: et in libro De divina Trinitate improbabiles sententias de Domino Jesu Christo protulit [*al.*, protulerit]; mirari non debet beatitudo vestra si is, qui de ipso capite tam multa et tam nefanda credere et docere verissimis relationibus infamatur; de ipsius capitis membro tam perniciosa dicere traditur, in reprobum sensum divino judicio permittatur.

Revera quisquis Hilario alicujus hæreseos notam imponit, multos orthodoxos principes, qui magnis eum laudibus extulerunt, ejusdem erroris macula involvit. Gelasius papa in decretis suis (dist. 15, can. 13) omnes libros ejus inter catholicas scripturas enumerat. Ejus auctoritas in sacris canonibus decentissime memoratur, recipitur et laudatur. Sanctus Augustinus in libro De Trinitate (lib. VI, cap. 11), excellenti cum laude extollit, et quædam ab eo de Patre, et Filio, et Spiritu sancto obscure dicta enucleatius exponit. Beatus Hieronymus quantis eum omnesque libros ejus in quibusdam scriptis suis præconiis effert, epistolari brevitate comprehendi non potest: vocans eum Romanorum luciferum, Ecclesiarum lucernam, lapidem pretiosum, ad quem mortalia vix ascendunt, pulchro sermone aureoque universa loquentem. Cæteri sacræ religionis doctores, quicunque de eo aliquid locuti sunt, ab horum sententia in hac parte minime dissenserunt.

Tutius igitur est lectori in difficillimis sanctorum Patrum sententiis, quas ingenii sui imbecillitas capere non potest, interrogato quod nescit, dicere se nescire, quam pertinaci arrogantia, et arroganti pertinacia, non sine sua et aliorum pernicie, fidei contraria definire: præsertim si talis persona sit, quæ vel scientia litterarum, vel probitate morum, vel potius utraque parte auctoritatis pondus præ se gerere videatur.

Verba præfati doctoris, quæ præfatus inversor in ejus calumniam conatur invertere, hæc in vestris litteris reperi (*De Trinit.*, lib. X, ante medium): « Dei Filius hominem verum secundum similitudinem nostri hominis non deficiens a se Deo, sumpsit: in quo [*al.*, in quem] quamvis aut ictus incideret, aut vultus [*al.*, vulnus] discinderet [*al.*, descenderet], afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans. » Et paulo post: « Virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit. » Hæc sine præjudicio melioris expositionis, consona, ut putamus, sanctis Patribus astipulatione, sic exponuntur a nobis. Dominus Jesus Christus in eadem persona verus homo et verus Deus, secundum humanitatem quidem esurivit, sitivit, fatigatus est, flevit: appropinquante hora mortis, pavere et tædere cœpit: unde et oravit dicens: **326** *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39). Plagas virgarum, vulnerumque discissiones, ut homo similis nobis, sensit, et doluit; cæterasque humanæ naturæ infirmitates assumendo hominem, præter peccatum, assumpsit. Secundum divinitatem vero, qua Patri et Spiritui sancto per omnia æqualis est, nihil horum sustinuit: cum apud omnes fideles hæc semper sit fueritque sententia, et sacra pagina hujusmodi documentis pene sit ubique referta; et tamen propter unitatem personæ, in quam conficiendam Deus et homo convenerant, sæpe quæ hominis sunt, et quædam etiam quæ solius Dei

sunt, dicitur habere homo, ut illud Apostoli : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Non enim revera, quantum ad ipsum spectat, Dominus gloriæ est crucifixus, si, propter assumptum hominem, quod hominis fuit dicitur pertulisse Deus. Et ipse Dominus in Evangelio : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo* (*Luc.* III, 13). Et rursus id quod Dei erat, homini est assignatum ; neque enim homo in terra degens, in cœlo tunc esse poterat ; sed quia Unigenitus Patris ita in mundum venit ut tamen a paterno sinu nunquam discederet, quod solus divinitatis erat, loquens in terra, assumpto homini propter unitatem personæ tribuebat.

Hoc locutionis modo superius dictum est quia homini assumpto a Filio Dei ictus et vulnera impetum passionis inferrent, non tamen dolorem passionis afferrent. Et hoc suppositis similitudinibus declaratur, ut si telum aquam perforet, et cætera quæ sequuntur, ac si diceret : Homo assumptus impetum passionis et vim doloris sensit, Deus assumens non sensit : et hoc paulo post declarat dicens : « Virtus corporis, » id est, divinitas assumens ipsum corpus « sine sensu pœnæ, » quantum ad ipsam pertinet, « vim pœnæ in se, » id est, in carne assumpta « desævientis excepit. » Quod si virtus corporis, magis robur ipsius corporis, hoc in loco intelligenda est, eadem sententia in cæteris manet, ut sit sensus : « Virtus corporis sine sensu pœnæ in se desævientis excepit ; » quantum ad assumptam humanitatem. Et hoc locutionis genere revera et salva Christianæ religionis fide dici potest quia Christus, sive corpus Christi, sive caro Christi in cruce patiebatur et non patiebatur, dolebat et non dolebat, moriebatur et non moriebatur. Et in hunc modum multa, numeroque carentia. Alioquin si præfatus doctor contra usitatissimam Ecclesiæ fidem, contra evangelicam auctoritatem, contra omnium sanctorum Patrum definitionem, carnem Christi insensibilem et doloris expertam intelligi voluisset, assumptam a Filio Dei hominem similem nobis hominem in præfata sententia minime retulisset. Quæ enim similitudo sensibili et insensibili? dolenti et doloris experti? Retulit autem, non igitur intelligi voluit.

Obsecro, vigilate omnibus modis, quia schismatici et fautores eorum circa vos et inter vos sunt; opponite eis scutum timoris Domini, impetentes eos jaculis divinorum eloquiorum; adminiculamini nobis memores nostri in orationibus vestris. Omnipotens Dominus det vobis bene agere, et feliciter quo tenditis pervenire. Amen.

EPISTOLA LI.

AD ABBATEM T.....

Ut excommunicatam adulteram de cœmeterio ejici præcipiat, quousque episcopo satisfiat.

Lanfrancus archiepiscopus, dilectissimo amico suo abbati 7...... [*Forte* Turstino *ad quem epist.* 53] salutem.

A Causam Godvini, et Lifginæ adulteræ suæ optime novi ; et revera Londoniæ coram me eam vestigari præcipi ; auditaque utriusque partis assertione, in adulteros sententiam diximus, et juste eos esse excommunicatos communi consensu decrevimus. Propterea nihil aliud restat, nisi quod fraternitas tua adulteram de cœmeterio ejici præcipiat; quousque vel corruptor ejus, vel aliquis pro ea, quod justum est, episcopo faciat. Libenter facerem quod tibi placere posse intelligerem, et multum doleo quod de præsenti negotio voluntatem tuam implere non valeo.

EPISTOLA LII.

AD ABBATEM G.....

327 *Orricium commendat, qui apud illum regis mandato detinebatur.*

B Lanfrancus indignus antistes, venerabili abbati G..... salutem et benedictionem.

Gratias quantas possum paternitati vestræ ago, quod præsentes et absentes nobis et de nobis bona dicitis, meliora optatis, utrumque verbis et litteris confirmatis. Et revera sciatis me eamdem circa vos voluntatem habere, et vobis et vestris sinceram dilectionem in omnibus et per omnia exhibere.

Quod de domino Orricio [Orricius] mandastis, gratanter accipio, sed contra præceptum regis nihil rogare et nil jubere præsumo; sed rogo multumque rogo quatenus propter Deum et propter amorem meum, et quia ipse dignus est, eum diligatis, C honeste tractetis, paternum ei affectum, sicut prudentia vestra judicaverit, impendatis ; pro justitia namque persecutionem patitur, et, cum superna voluntas fuerit, in gaudium sibi et lætitiam convertetur : misertus est tamen ei Dominus, quod inter vos eum voluit esse ; et putantes nocere, sicut Domino placuit, plurimum profuere.

EPISTOLA LIII.

AD TURSTINUM ABBATEM.

Solatur amicum, suadetque ut regem per se et per amicos flectere studeat, nec tristetur si spreverit.

Lanfrancus indignus antistes, abbati Turstino, salutem.

Consilium meum tibi breviter intimandum rogasti, et ego illud tibi paucis intimare curavi. Roga D Deum ut meminerit tui et misereatur tibi ; et hoc instanter, tam per te quam per amicos tuos; nos vero hoc agimus in quantum possumus. Domino nostro regi offer rectitudinem per amicos et fideles internuntios. Si spreverit, noli multum inde esse tristis neque sollicitus. Visitabit enim Deus plebem suam, cum expedire decreverit. Misericordia tecum sit.

EPISTOLA LIV.

AD DILECTUM ET FIDELEM G....

In comitatibus ipsi commissis nullum sibi esse dominium, sed ad victum monachorum terras ecclesiæ suæ omnes pertinere.

Lanfrancus indignus antistes, dilecto et fideli amico suo G.... salutem et benedictionem.

Gratias ago benignæ sollicitudini tuæ, et sollicitæ A benignitati tuæ, quæ amicitiam a primordio mutuæ cognitionis mihi promisisti; reipsa, cum opportunitas se ingessit, semper demonstrare studuisti, et nunc precor multumque precor, quamvis non tantopere precibus indigeas, quatenus de præsenti negotio tantum rebus vestris valeas, quantum valere fuerit tibi desuper data facultas.

Scias autem in illis comitatibus, quorum exquirendorum cura tibi commissa est, me nihil in domino habere, sed omnes in illis partibus vestræ Ecclesiæ terras ad vitam monachorum per omnia pertinere. Frater vester, qui has tibi litteras portat, multa laudanda de te mihi retulit, quorum pluralitas et epistolaris brevitas ea nunc enumerari non sinit. Sed omnipotens Deus cujus memoriam nihil B subterfugit, sicut novit, multipliciter tibi rependat, et ab omni opere malo prius [*f.*, pius] auxiliator, te incessanter defendat.

EPISTOLA LV.

AD ABBATEM. R.....

De monacho pro quo rogarat ut in monasterium reciperetur, rem integram nunc ei permittit, probaturus quod decreverit.

Lanfrancus archiepiscopus, abbati R .... salutem.

Quod fratrem de quo mihi scripsit fraternitas tua in monasterium recipiendum, cum meis litteris tibi direxi, **328** teste conscientia mea, divino id zelo et amore nostri ordinis feci, neque enim gratia vitandi scandali aliquid volo vel rogare vel præcipe- C re, quod aliquo modo in majus vel deterius scandalum valeat pervenire. Loquere igitur cum episcopo, si forte adest, et cum domno Godefrido priore ejus; et quidquid super hoc negotio inter vos consulueritis, et consultum opere complendum decreveritis, in omnibus et per omnia mihi quoque placere noveritis. Neque enim superbiam nutrire volo, quam procul ab omni genere hominum et præcipue a nostro ordine remotam esse desidero.

EPISTOLA LVI.

AD WILLELMUM ABBATEM.

Ut Rainaldo monacho Glocestrense monasterium petere, ibique Serlone abbate per anni unius spatium conversari liceat. D

Lanfrancus archiepiscopus charissimo amico suo abbati Willelmo, salutem.

Rogo te, quantum rogare possum et debeo, quatenus huic fratri Rainaldo concedas licentiam conversandi apud Glocestram cum abbate Serlone per spatium unius anni; expedit enim animæ suæ ut hoc fiat. Hujus namque indicium hinc permaxime capio, quod regularem locum petit, quamvis et monasterio tuo, in quo nutritus est, in nullo detrahat. Sed cur hoc facere velit, rationabilem causam enarrat. Iterum rogo ne moleste feras quod ad me venit, quod me amicum tuum pro necessitate sua expetiit.

EPISTOLA LVII.

AD O...... ABBATEM.

Arguit quod monacho suo vagandi licentiam concesserit, redire a se compulsum cum honore ut recipiat monet, atque illi, tanquam filio, paternam charitatem impendat.

Lanfrancus archiepiscopus O..... abbati, salutem.

Fratrem Gregorium monachum tuum volentem mare transire prohibuimus; et ad monasterium suum redire præcipimus, et præcipiendo compulimus. Tu non bene egisti, quod ipsi vagandi extra patriam licentiam concessisti. In hoc satis evidenter apparet qualis pastor existas, et qua sollicitudine gubernare commissas tibi animas scias.

Mandamus igitur et præcipimus, et præcipiendo rogamus quatenus cum honore eum recipias, et de cætero sicut filio tuo paternam ei charitatem impendas. Credimus enim per misericordiam Dei, si sollicitus tui ordinis esse volueris, quod consilium et auxilium tam in causis spiritualibus quam in sæcularibus per eum habere valebis. Lætificavit me multum, quod timorem Dei te habere, et bonum hominem esse perhibuit, sed tamen pro simplicitate tua negligentem esse nostri ordinis negare non potuit.

EPISTOLA LVIII.

AD REMIGIUM DILECTUM.

Multos de ipso apud regem male loqui, quibus rex fidem non adhibeat. Expedire ut ad se veniat, ut ex ejus ore plura audiat.

Lanfrancus Dei gratia archiepiscopus, dilecto fratri et amico Remigio, salutem.

Cum multi de te multa perversa dicant, et perpauci sint qui verbis detrahentium ingenita liberalitate [*al.*, libertate] contradicant, scias tamen dominum nostrum regem nullius detrahentis contra te verba recipere, sed potius contra omnes maledicos regali te auctoritate defendere. Itaque expedit tibi, si prope es et licitum habes, quatenus ad me venias, et ea quæ pro sui prolixitate breviter scribi non possunt, ore ad os audias.

329 EPISTOLA LIX.

AD HUG....

Gregorium papam ab eo vituperari, et Clementem laudibus efferri non probat. Etsi imperatori credat facti sui causas non defuisse, dissuadet ne in Angliam veniat sine regis licentia.

Lanfrancus, Hug..... [*forte*, Hugoni.]

Litteras tuas, quas mihi per portitorem mearum misisti, suscepi et legi, et displicuerunt mihi quædam quæ in eis inveni. Non probo quod papam Gregorium vituperas, quod Hildebrandum eum vocas, quod legatos ejus spinosulos nominas, quod Clementem tot et tantis præconiis tam propere [*f.*, præpostere] exaltas. Scriptum est enim non esse laudandum in vita sua hominem (*Eccli.* xi, 30), nec detrahendum proximo suo (*Jac.* iv, 11). Adhuc incognitum est humano generi quales nunc sint, et quales futuri sint in conspectu Dei. Credo tamen

quod imperator sine magna ratione tantum rem non aggressus patrare, nec sine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam consummare.

Non laudo ut in Anglicam terram venias, nisi a rege Anglorum licentiam veniendi prius accipias. Nondum enim insula nostra priorem refutavit, nec utrum huic obedire debeat sententiam promulgavit. Auditis utrinque causis, si ita contigerit, perspicacius quid fieri oporteat provideri, valebit.

EPISTOLA LX.

AD RODULPHUM ABBATEM.

Posse monachum qui in uno monasterio stabilitatem promiserit, justis de causis in aliud transmigrare.

Lanfrancus Cantuariæ archiepiscopus, Rodulfo abbati salutem.

Indicatum est mihi : de tuo monasterio recedere vis ; de promissa stabilitate sollicitus es, timens ne unde Deum placare studes [*al.*, debes], inde offendas. De quo rationem talem ostendo, et in ostendendo meipsum in exemplum sic do. Si ego Lanfrancus manu propria me de aliquo monasterio non recessurum jurassem, viderem autem quod ibi animam meam salvare non possem, exirem ; nec perjurii crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non solvitur ab ipso, nisi contra ipsum solvatur. Porro ab ipso contra ipsum mimine solvitur, qui propter amorem ejus, et ut sibi bene complaceat, a filiis discordiæ, superbiæ, diffidentiæ, et ut aptius [*al.*, apertius] dicam a filiis diaboli migrat ad filios pacis, humilitatis, spei, imo ad filios Dei. Qui enim sic transit, nonne plane fugit a sede diaboli ad sedem Dei ? Quis enim judicet illum a Deo damnandum, qui ut ad patrem, ut ad dominum et amicum. fugit ad ipsum ? Propterea qui sic transit, non ab Ecclesia ad Ecclesiam transit ; non enim plures sunt Ecclesiæ, sed una est toto orbe diffusa, et « uni Deo ubique servitur, et uni Regi militatur. » Postremo B. Benedictus (*Regul.*, cap. 61), sub medium), qui stabilitatem præcipit firmare, monachum ab alio monasterio ad aliud monasterium venientem jubet suscipi ; et, si bonæ vitæ fuerit, ut stabilitatem firmet, suaderi (*ibidem*).

Finis epistolarum beati Lanfranci.

Epistolas sequentes edidit D J.-A. Gilles, *Opp. B. Lanfranci ; Oxon.* 1844, tom.

EPISTOLA LXI.

AD MARGARETAM REGINAM SCOTORUM.

Lanfrancus, indignus sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ antistes, gloriosæ Scotorum reginæ Margaretæ salutem et benedictionem.

Explicare non potest epistolaris brevitas quanta cor meum lætitia perfudisti perfectis litteris tuis quas mihi, Deo amabilis regina, misisti. O quanta jucunditate verba profluunt, quæ divino spiritu inspirata procedunt ! Credo enim non a te sed pro te dicta esse quæ scripseras. Revera per os tuum locutus est ille, qui discipulis suis ait : « Discite a me qui mitis sum et humilis corde. » De hac Christi disciplina processit quod, regali stirpe progenita, regaliter educata, nobili regi nobiliter copulata, me hominem extraneum, vilem, ignobilem, peccatis involutum, in patrem eligis, teque mihi in filiam spiritualiter habendam precaris. Non sum quod putas, sed sim quia putas. Ne decepta remaneas, ora pro me ut sim dignus pater orare Deum et exaudiri pro te. Orationum et benefactorum sit inter nos commune commercium. Parva quidem tribuo, sed multo majora me recepturum esse confido. Dehinc igitur sim pater tuus, et tu mea filia esto. Mitto glorioso viro tuo et tibi charissimum fratrem nostrum, dominum Goldewinum, secundum petitionem tuam, alios quoque duos fratres, quia quod de servitio Dei et vestro fieri oportet, solus ipse per se explere non posset, et rogo multumque rogo quatenus quod pro Deo et pro animabus vestris cœpistis, instanter et efficaciter perficere studeatis, et, si possetis aut velletis opus vestrum per alios adimplere, multo desiderio vellemus hos fratres nostros ad nos redire, quia valde in officiis suis necessarii erant ecclesiæ nostræ. Fiat tamen voluntas vestra, quia in omnibus et per omnia desideramus obedire vobis. Omnipotens Deus vos benedicat, et ab omnibus peccatis clementer absolvat.

LXII.

AD ARCHIDIACONOS BAJOCENSES.

Lanfrancus, indignus antistes, sanctæ Bajocensis Ecclesiæ archidiaconis salutem.

Indicavit mihi litteris suis Constantiensis episcopus quemdam presbyterum villæ suæ, in parochia vestra sitæ, manibus suis fecisse homicidium, cum contra moriturum se defenderit et patrem suum. Addidit quoque consilium meum super hac re vos velle habere, si vel nunquam, vel post quantum temporis missam homicidæ liceat celebrare. Periculose, fratres mei, a me de hac re vobis respondetur : cum reus reique vita a me penitus ignoretur. Quam si aut propria experientia, aut veracium relatione cognitam tenerem, multo tutius fraternitati vestræ de tanta re respondere valerem. Vos igitur, quorum officii id interest, vitam ejus perquirite ; videlicet quomodo vixerit, quomodo vivat, si humiliter pœniteat, si doleat, si lugeat, maxime si castitatem ad finem vitæ suæ servaturum se esse promittat. Hæc et hujusmodi alia pœnitentis indicia : si in eo esse deprehenderitis, peracta pœnitentia licentiam celebrandi missam dare ei potestis ; alioquin periculosum vobis et illi perniciosum erit, si pollutis manibus corpus Christi et sanguinem sanctificare præsumpserit. Omnipotens Deus vos benedicat, et de pastore vestro desideratam vobis lætitiam tribuat.

LXIII.

CHARTA CANONICIS DE GRAVENNA CONCESSA.

LANFRANCUS, Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, WALTERO archidiacono, totique capitulo de Lenham salutem.

Concedimus et præsentis chartæ pagina confirmamus ecclesiam Omnium Sanctorum de Gravene canonicis regularibus Sanctæ Mariæ de Suthwerca, A in eleemosynam, cum omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, sive in terris, sive in decimis vel aliis quibuslibet beneficiis : Testibus Rogerio de Ponte episcopo; Walarico de Wroteham; Alano de Wellis, Joanne de Cantuaria; Thoma, de Londonia, clericis; Ricardo de Gravenel, Hugone passoriere, Joanne converso.

DOMNI LUCÆ DACHERII

MONACHI BENEDICTINI

IN EPISTOLAS B. LANFRANCI NOTÆ ET OBSERVATIONES

330-331 B. Lanfrancum epistolas scripsisse constans est omnium, et veterum et recentiorum, sententia. Ex antiquioribus instar omnium erit Guillelmus Malmesburiensis monachus, qui in gestis pontificum Anglorum lib. I, fol. 121, 2 n. 10, editionis Londoniensis, de epistola 2, Alexandro summo pontifici inscripta sic loquitur : « Sermonis hujuscemodi veritati assensit epistola initio papatus Angliam directa, quæ inter epistolas Lanfranci reperitur. » Item fol. 122, 2, n. 30 : « Ipse Lanfrancus pauca ingenii sui monimenta reliquit, decretales epistolas, et præcipuam contra Berengarium. » Qui de epistolis præfati archipræsulis agunt neoterici, indicatum est annotationibus ad Vitam, pag. 41, lit. *e*.

AD EPISTOLAM I.

Alexandro papæ. Sanctum pontificem Alexandrum hoc nomine secundum, Guillelmus Pictaviensis in gestis Guillelmi ducis, et regis Anglorum, inter scriptores Historiæ Northmannorum ab Andrea Duchesnio editos, pag. 197, summe extollit in hunc modum : « Is præsul Luciensis, cum altiorem gradum nullatenus appeteret, violento plurimorum consensu, quorum apud Romanos tunc præcellebat auctoritas, ingenti concilio assentiente, in eo locatus primatu, quo præsulum orbis terræ caput existeret atque magister. Allectionem hanc sanctitate memorat atque doctrina. Per eadem post ad ortum solis et occasum effulgebat. Neque cursus limitem sol immutabilius natura, quam per veritatis ille directum tendebat vita : quodquod ubiquaque per mundum potuit, iniquum corrigens, nulli concedens. »

De Beccensi congregatione. Cui pridem dederat nomen, atque in ea pluribus annis monasticam vitam duxerat, « omnem operam impenderat (ut Milonis ejus biographi verbis utar) quieti, et silentio cordis sui novalia verbi sacri excolens assidua lectione, irrigans ea dulci, quam sæpe obtinebat, lacrymarum compunctione. » Beccus, porro, seu Bec- B cum monasterium in Normannia situm a fluviolo interfluente nomen accipit : Gilbertus Crispinus in Vita B. Herluini fundatoris ejusdem cœnobii, et Chronicon Beccense pag. 1. « At verius, inquit Papirius Masson, in descriptione fluminum Galliæ in Ligeri, agens de Elaveri, Beccus dicitur veterum Gallorum seu Danorum lingua aquæ cursus in alium fluvium intrans : » quippe hoc in loco fluvioli duo exstant, quorum alter influit in alterum. Fundationis autem celebris hujusce monasterii hæc est brevis forma.

« Notum sit omnibus Christianæ religionis cultoribus, quod ego abbas Herluinus filius Ansgoti, astantibus et laudantibus fratribus meis Odone et Rogerio, jubente Gilleberto comite, et Alberto, et C Ranulpho consentiente, Roberto comite, et Roberto archiepiscopo, donavi Sanctæ Mariæ tertiam partem terræ de Burnevilla, et hoc quod pertinet ad eam, et Tavileio, et de Surceio, et hoc quod pertinet ad eas, et terram de Sarnaio, et hoc quod pertinet ad eam, quæ Ansgotus pater meus in vita sua habuit : dotem quoque matris meæ, jubente patre meo ex integro mihi datam, coram testibus Fulberto sacerdote, Vitale, Rainaldo, et aliis multis. »

Quidquid ad res Beccensis monasterii spectat, docebit Chronicon in appendice operibus B. Lanfranci subjectum, solummodo immunitates quasdam a Rothomagensibus archiepiscop. Guillelmo, atque Hugone, necnon et a Cœlestino papa tertio indultas et confirmatas adjicere visum est.

D **332** *Charta exemptionis monasterii et parochiæ Beccensis ab archiepiscopo Rothomagensi D. Anselmo concessæ.*

Virorum prudentium consuetudo est, et eorum maxime qui de statu sanctæ Ecclesiæ aliquid rationabiliter disponunt, ne per ignorantiam vel oblivionem a propria firmitate aliquando decidat, inscriptionis auctoritate firmare. Sed episcopalis curæ officium est diligenter procurare quatenus monaste-

ria servorum Dei in pace, et quiete firmata permaneant: ne divinis officiis mancipatæ mentes aliqua occasione a suo proposito impediantur. Hac igitur rationis æstimatione ego quoque Willelmus, Dei gratia Rothomagensium archiepiscopus, litteris mandare decrevi, tempore videlicet Roberti comitis filii Willelmi regis Anglorum, quod Beccensi Ecclesiæ et domno Anselmo abbati, ob reverentiam ejusdem loci et fratrum religiosissimam vitam, sed et propter salutem animæ meæ, antecessorumque meorum, necnon et successorum, concedo ut Ecclesia ipsa, ejusque ipsius loci parochia, cum residentibus parochianis suis, perpetuo sit libera ab omni episcopali exactione, præter ea quæ ab episcopali officio administrari non possunt: ut est monachos vel clericos ordinare, Ecclesias reconciliare, pœnitentiam publicam dare, et hujusmodi pœnitentes reconciliare: aut illa, pœnitentiam occultam, quæ sine consilio episcopi dari non potest, determinare, chrisma quoque, et oleum tribuere; ut in brevi cuncta complectar, monasterii et abbatis, prout decet, omnem pastoralem curam gerere sine acceptione pecuniæ. Si autem in eadem parochia talis causa orta fuerit, quæ ferri judicio finienda sit, tunc ex placito abbatis, aut apud matrem Ecclesiam causa finiatur, judiciumque portabitur; aut archiepiscopus ferrum judicii ad locum illum per ministros suos destinabit, judiciumque ibi coram archiepiscopi ministris portabitur. Quod si pecunia exierit, ubicunque judicium portatur, abbatis erit. In cæteris autem parochiis, quæ ad eamdem abbatiam pertinent, et sunt de nostra diœcesi, hoc solum ei concessimus, ut manu pastos suos laicos quietos habeat, illos tantummodo, qui terram, vel domos nullo modo possident. Si autem de his omnibus, quos liberos esse concessimus, aliquis contra Christianitatem egerit, et abbas ad hoc corrigendum tardus exstiterit, archiepiscopus eum ut corrigat monebit: quod si abbas postea corrigere noluerit, archiepiscopus emendabit. Pro his igitur quæ concessimus, abbas talem honorem et tale servitium ecclesiæ nostræ metropolitanæ exhibebit ut, si ab archiepiscopo invitatus fuerit et legitimam excusationem non habuerit, ad festum dedicationis ejusdem ecclesiæ veniat, sumptus archiepiscopi habiturus, ut archiepiscopo missam celebrante chorum teneat; aut si archiepiscopus aliqua causa missam celebrare noluerit, aut non potuerit, idem abbas missam festivam pro eo celebret. Hæc autem ex consulto clericorum nostrorum fecimus. At vero abbas ex consulto monachorum suorum querelas quasdam et calumnias, quas in quibusdam de præfatis Ecclesiis faciebat, clamavit quietas, et concessit, ut omnes episcopales consuetudines habeat archiepiscopus, et in illis ecclesiis, quas tunc temporis Beccensis Ecclesia in diœcesi nostra possidebit extra Beccensem parochiam, et insuper in his omnibus quas deinceps in diœcesi nostra acquisitura erat.

A *Hoc idem privilegium sub eadem forma iisdemque pene verbis ab Hugone Rothomagensi archiepiscopo, successore Guillelmi anno millesimo centesimo quadragesimo primo confirmatur.*

Confirmatio ejusdem tituli ab Alexandro papa tertio.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Rogerio abbati, et fratribus Beccensis monasterii salutem, et apostolicam benedictionem.

Ex rescripto quarumdam litterarum bonæ memoriæ Willelmi quondam Rothomagensis archiepiscopi nobis innotuit, etc. *Vide in Alexandro III inter Patrologiæ volumina proxime edenda.*

333 *Cœlestini papæ tertii privilegium.*

Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Galtero abbati et conventui Beccensi B salutem, et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia, etc. *Vide in Cœlestino III.*

334 *Calamitatum causa existis*, Refert sancti Lanfranci biographus quemadmodum ille toto animo, totis viribus conatus est, atque industria quanta potuit maxima, quatenus episcopale onus humeris suis minime imponeretur, ita ut frustra hortarentur prælati, primores Normanniæ efflagitarent, rogaret regina, ni jussisset B. Herluinus (a cujus nutu pendebat totus) rex imperasset, præcepisset summus Ecclesiæ antistes Alexander. At vero ubi eorum cessiset votis; et quam arduum, calamitosumque munus episcopale fuisset expertus, Alexandrum exorat, insistitque ut ab hoc munere eximatur. C Noverat siquidem verus sui inspector, et studiosus humilitatis Magistri S. Bened. discipulus quam ponderosum esset illud onus, noverat « quam difficilem et arduam rem susceperat regere animas (ut docet idem magister, cap. 2 Regulæ) et multorum servire moribus. » Noverat « quia ars est artium regimen animarum, « teste Magno Gregorio, Curæ pastoral. lib. I, c. 1. Noverat quia tanto gravius est pondus sacerdotum (verba sunt Gelasii papæ I ad Anastas. Augustum) quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. » Noverat quia seipsum intime noverat. Sed, inquies: « Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat (*I Tim.* III, 1) » Bonum opus desiderat do manus, « si quis hunc idcirco appetit, infit D D. Chrysostom. in idem cap., non principatus aut dominationis fastu, verum cura regiminis et charitatis effectu, non improbo, bonum quippe desiderat opus. » Si prius irreprehensibilis. « Hoc est (ait Theophylactus ad hæc verba) omni virtute conspicuus, ut neque illum alii, neque se ipsum reprehendat. Illum enim qui aliis præest, veluti stellam esse oportet ad omnes ipsum intuentes illuminandum et dirigendum. » De his hactenus.

A Principe Northmannorum Willelmo. Guillelmus Nothus vulgo dictus, quod procreatus ex concubina, quam postea legitimam duxit in uxorem Robertus pater. Conquestor vero armis, quia regnum Angliæ comparaverit Guillel. Malmesbur. lib. III de Gest. Reg. Anglo. in Guillelmo I et alii passim.

Cadomensi præessem cænobio, etc. Usu siquidem didicerat magnum Lanfrancum sapientia sublimem, vitæ quæque splendore, scientiarum facultate, et rerum sæcularium peritia illustrem; quem idcirco ad totius patriæ negotia administranda summum consiliarium assumpserat Normannorum dux Guillelmus, auctore Milone Crispino. Et sane ad dignitates ecclesiasticas, nisi religione, pietate, scientia, prudentia viros insignes, et dux Normannorum, et Anglorum rex nequaquam evehebat, ut asserit archidiaconus Lexoviorum Guillel. Pictavens., p. 195 et 208. Agens de electione Lanfranci in archiepiscopum Cantuariensem : « In sede metropolitana (*Cantuariensi*) meditabatur (*Guillelmus*) sanctum vita, fama charum, eloquentia divini verbi potentem, qui suffraganeis episcopis congruam formam præbere, et ovili Dominico præesse sciret, cunctisque prodesse cuperet studio vigilanti. Idem de ordinationibus Ecclesiarum præcogitabat, » etc. Matthæus Paris. ad an. Christi 1067. Porro causa exstruendi illius cœnobii S. Stephani affertur in gestis B. Lanfranci cap. 3, p. 5; Guillelmus Malmesb. l. III, Gest. Angelorum, p. 6162, n. 10; Orderic. Vital., lib. III Hist. pag. 459; Guillelmus Gemeticensis, Hist. Northmannorum lib. VII, cap. 21 et 26; solum hoc loco Guillel. Pictavens. **335** testem oculatum in Gest. Guillel. pag. 211, arridet proferre : « Cadomensi basilicæ modo specieque admirabilis suis impendiis ad titulum S. Stephani protomartyris a fundamento exstructæ, tum diversa donaria advexit materia artificioque pretiosissima, quæ ad sæculi terminum honora permanere valeant. Singula descriptionibus aut nominibus designare spatiosum foret, » etc. Et infra, qua mente id impleverit dux Guillelmus, ostendit his verbis : « Potentes quidem nonnulli sanctis inique largiuntur, plerumque in iisdem donationibus laudem suam in mundo, delicta sua coram Deo adaugentes : spoliant ecclesias, et rapinis ipsis alias ditant. » Animadvertant hæc nonnulli principes, prælati, abbates commendatarii imo et concionatores, qui, divina pietate afflati, hominibus ut appareant, novas religiosarum ædium structuras aggrediuntur, erogant eleemosynas, interim vero, diei noctisque divinis laudibus posthabitis, collabentes ecclesias et monasteria (quorum perpingues redditus quotannis percipiunt) diruta et solo adæquata misere derelinquunt. Sed heu! multo iis pejores perditissimi illi patrimoniorum Christi decoctores, qui omnia prandiorum gurgitibus absumunt, obliguriunt, ludis absorbent, libantque Veneri. Merito ejusmodi insectabatur olim piissimus Anglorum rex Edgarus elegantissima illa oratione quam habuit ad Patres synodi circa an. Christi 970 : « Sic, sic, inquiebat, patrimonia regum, eleemosynæ pauperum, (imo quod magis est) illius pretiosi sanguinis pretium profligatur? Ad hoc igitur exhauserunt thesauros suos patres nostri, ad hoc fiscus regius distractis redditibus multis, detumuit? ad hoc ecclesiis Christi agros, et possessiones regalis munificentia detulit, ut deliciis cle-
A ricorum meretrices ornentur, luxuriosa convivia præparentur, canes et aves, ac talia ludicra comparentur? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant, et saltant, et vos negligitis, vos partitis, vos dissimulatis? Ubi gladius Levi et zelus Simeonis? » etc. Ad cor tandem redeant illi, et S. Prosperum auscultent lib. II de Vita contemplativa obiter gesta sanctorum episcoporum Paulini, et Hilarii Arelat. describentem : « Tales ac tanti viri, qui volentes esse Christi discipuli renuntiaverunt omnibus quæ habebant, non ut possessores, sed ut procuratores, facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcirco scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, non eas vindicarunt in suos usus ut
B proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. » De his plus satis.

Rex Anglorum factus. Victo nimirum cæsoque Heraldo, universa sibi subjugata insula, rex est ab omnibus proclamatus, ac tandem consecratus ab archiepiscopo Eboracensi Aldredo, quia Simoniace tum Stigandus, cujus id muneris erat, sedem Cantuariensem occupabat, illique ab Alexandri pap. II, legatis corona est imposita. Ita Guillelm. Pictavens. pag. 196; monachus Malmesb., de Gest. Angl. pag. 56 et 57; Henric Huntindo, ad an. 1066; Roger. Hoveden., part. priore in Guillel. seniore; Gemeticensis lib. VII Hist., c. 34 et seq.; Orderic. Vit. lib. III, pag. 492. Quam ob causam, et quo jure Angliæ regnum sibi comparare aggressus fuerit,
C patefaciunt auctores prædicti; maxime vero coætaneus auctor Hugo Flaviniacensis abbas, in Historia sua ms. : « Anno, inquit, 1065, Eduardus rex Anglorum obiit; qui, quia sine filiis fuit, consanguineum suum Villelmum Normannorum comitem post se regem instituit. Sed Heroldus contra sacramentum quod Villelmo fecerat, regnum invasit. Ipso anno Villelmus rex mare transiit, et commisso prælio XI Id. Octobris ruit Heroldus, et Villelmus, die Natalis Domini, apud Londoniam in regem elevatus et coronatus est. » Alias superaddidit causas Robertus monachus de Monte, in Chronico ms. an. Ch. 1063, 1° « Quia Alvredum cognatum suum (Guillelmi ducis videlicet) Godvinus et filii sui dehonestaverunt et peremerunt; 2° quia Robertum episcopum, et Odonem
D consanguineum, et omnes Francos, Godvinus et filii, arte sua ab Anglia exsulaverant, » etc. Certe quidem Victoriam non Guillelmi viribus aut industriæ, sed soli Deo ascribendam prædicat Eadmerus, Histor. novorum lib. I, pag. 5, edit. Lond. 1623.

Hermenfredus Sedunensis episcopus. Sive Armenfredus, diversis est legationibus Alexandri papæ II jussu egregie functus. Florentius Vigorniensis coævus scriptor ad an. 1062 : « Contingit namque eo tempore, ut et legatos apostolicæ sedis ejus (Ulstani) electioni interesse Armenfredum scilicet Sedunensem episcopum, et alium qui a D. papa Alexandro pro responsis ecclesiasticis ad regem Anglorum Eduardum missi regio præcepto Wigorniæ

per totam fere Quadragesimam degebat, » etc. Rogerus Hoveden, ad an. Ch. 1070 : « Prædictus Sedunensis episcopus synodum tenuit, in qua Angelricus non canonice degradabatur,» etc. His astipulatur Orderic. lib. IV, pag. 516. Porro « Sedunum (cujus meminit Jul. Cæsar, de Bell. Gal. lib. III, cap. 1,) præcipuum oppidum Sedunorum est, in quo episcopum constituunt, qui regioni ut princeps et ecclesiasticus præsul 336 imperat, liberis tamen, non servis; nihil enim publice agit absque omnium civium consensu. » Hæc Henricus Glarenus in idem caput Cæsaris. Et Raymund. Marlian. in Descriptione veterum Galliæ locorum : « Sedusii, vel Seduni populi, Helvetiis et pro parte Celtis annumerantur, vel saltem eis sunt finitimi, ipsosque Rhodanus fluvius irrigat. Civitas est episcopalis. Tarentesiæ Latine nomen retinens. » At vero Marlianus postremis hisce verbis hallucinatur, nam Tarentesia archiepiscopatus est, quæ et Monasterium dicitur, vulgo *Moustier*, cui subest Sedunensis episcopatus. Sedunum Gallica sive Sabaudica lingua *Sion* nuncupatur.

Hubertus S. R. E. cardinalis. Quem S. Lanfrancus epistola 9, subdiaconum appellat. Subscripsit decreto de primatu Cantuariensis Ecclesiæ super Eboracensem facto. Vita B. Lanfranci cap. 11, pag. 13, et Guill. Malmesbur. de Pontif. Anglo. lib. I. Legatione fungitur idem Hubertus Gregorii pap. VII nomine in Britannia minori, libr. v, epist. 22 ejusdem Gregorii. Missus etiam est ad Guill. Angliæ regem, episcopos ne Romam peterent prohibentem; quem admonendum voluit summus pontifex per Hubertum. lib. VII, ep. 1 ; regem vero pontifici acquievisse epistol. 25 ejusdem lib. ad illum destinata fidem facit.

Episcopi, abbates, etc. De hocce conventu, consule prædictam Vitam loco citato pag. 12.

Ex apostolicæ sedis auctoritate. Uti refert Eadmerus Lanfranco æqualis, Histor. novorum libr. I, pag. 6 : « In hujus (Guillelmi) regni anno 5, Lanfrancus Cadomensis cœnobii abbas, vir strenuus et in divinis atque humanis rebus excellenti scientia præditus, Angliam ex præcepto Domini papæ Alexandri, et prædicti regis, advenit; et pauco post tempore archiepiscopatum Cantuariensem regendum suscepit. »

Tantumque sanctæ Ecclesiæ casum. Sic nimirum, in aliis constans atque infractus, premebatur flagitiis quæ in Deum et Ecclesiam perpetrabantur, ut nihil plane esset quod ejus dolorem allevare, nihil quod ejus in Deum zelum temperare posset. Ad vivum nefanda crimina queis erant obvoluti illis temporibus Angligenæ, exprimit S. Bedæ continuator, lib. II, cap 12 : « Verumtamen, inquit, litterarum, et religionis studia ætate procedente obsoleverunt, non paucis ante adventum Northmannorum annis. Clerici litteratura tumultuaria contenti, vix sacramentorum verba balbutiebant : stupori erat et miraculo cæteris qui grammaticam nosset. Monachi A subtilibus indumentis, et indifferenti genere ciborum regulam ludificabant. Optimates gulæ et veneri dediti, ecclesiam more solito non adibant, sed in cubiculo et inter uxorios amplexus matutinorum solemnia et missarum a festinante presbytero auribus tantum libabant. Vulgus in medio positum præda erat potentioribus, ut vel eorum exhaustis substantiis, vel etiam corporibus in longinqua distractis, acervos thesaurorum congererent. Illud erat a natura abhorrens, quod multi ancillas suas ex se gravidas, ubi lubidini satisfecissent, aut ad publicum prostibulum, aut ad externum obsequium venditabant, » etc. Sed tamen archiepiscopus noster in tam tetræ noctis obscuritate densaque caligine, velut lucidissimum sidus effulsit, quo universum B illustraretur Anglicanum regnum, ignorantiæ vitiorumque tenebræ dissiparentur.

Vitamque cœnobialem quam præ omnibus diligo. Non mirum sit tam impendio magnum Lanfrancum delectet vita monastica, quam et adeo religiose coluerunt, totique sese devoverunt primores Ecclesiæ catholicæ sancti doctores, magnus Basilius, Gregorius theologus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus, Augustinus Angliæ apostolus, et illis inferiores Beda Venerabilis, Rabanus Maurus, Anselmus, Bernardus, et alii pene innumeri. Hinc Chrysostomus, homil. 70 in cap. XXII Matth. : « Non cœlo diverticula monachorum minora æstimanda sunt ; angeli nempe, imo vero ipse quoque angelo- C rum Dominus, ad eos sepe numero divertuntur. » etc. Et homil. 59 ad populum Antiochenum : « Monachi sunt tanquam faces ab excelso loco venientibus in portu sedentes, et omnes ad suam trahentes tranquillitatem, neque sinentes fieri naufragia ad se respicientes, eo contuentes in tenebris non permittentes versari. »

Ut taceam multa. Ita forsitan quæ profert Milo Crispinus in Vita cap. 11, pag. II. Ipsummet Alexandrum, videlicet S. Lanfranci, scholas Becci cum adhuc teneret, auditorem exstitisse. Posteaquam enim Lanfranco papam assurrexisse honoris gratia, Romæ degenti, enarravit, tanti honoris rationem adfert his verbis : « Tum pro sua magna religione, et eminenti scientia, tum quia cum esset in Nor- D mannia, venientes Ecclesiæ ministros suscipiebat, et quosdam papæ consanguineos studiose docuerat. Fertur etiam papa dixisse : Non ideo assurrexi ei, quia archiepiscopus est, sed quia Becci ad scholam ejus fui, et ad pedes ejus cum aliis auditor consedi. » Sed audiamus testem locupletem Eadmerum, Hist. lib. I, pag. 6 : « Statuto die Pater Lanfrancus, ait ille, apostolicæ 337 sedis pontifici Alexandro præsentatur; cui quod Romanam scientibus consuetudinem forte mirum videatur, ipse papa ad se intranti assurgens, eum, ut gressum figeret, dulciter hortatus est; ac deinde subdens, honorem, inquit, exhibuimus non quem archiepiscopatui tuo, sed quem magistro (cujus studio sumus in illis quæ scimus imbuti) debuimus ; hinc quod ad te pertinet ob reverentiam

B. Petri te exsequi par est. » Hæc Eadmerus, cui haud refragantur Guillelm. Malmesbur. de Gest. Anglor. lib III, pag. 66, n. 20 Thomas Valsingham, Ypodig. Neust., an. 1070, et alii.

Ad vos venirem vobiscum in palatio, etc. Sapientissimum juxta ac doctissimum Lanfrancum volupe omnes auscultabantur, et præsules, et abbates, et principes, et potentes sæculi, cum verbis, tum litteris illum ad sese, quo ejus consuetudine nullo non tempore uterentur, allicere conabantur. Id ab ejus biographo Milone asseritur supra cap. 5, pag. 6, et cap 6, pag. 7; imo et Alexander ipse præfata dilucidat mirum in modum epistola sua ad Guillelmum Conquestorem; eo namque admonito, ut Christianæ pietatis officiis omnem operam impendat, Ecclesias earumque personas defendat; sic de beato Cantuariorum archiepisc. effatur: « Ad hæc igitur perficienda, et aliarum virtutum incrementa percipienda, fratris nostri Lanfranci Cantuariensis archiepiscopi monitis et consiliis, gloriam vestram hortamur acquiescere, quem charissimum membrum, et unum ex primis Romanæ Ecclesiæ filiis lateri nostro assidue non adjunctum esse dolemus: sed ex fructu quem Ecclesiæ in regno vestro tribuit, consolationem ejus absentiæ sumimus. »

Post mortem vero ejus nec pacem, nec aliquid bonum. Prædicit vir sanctus quæ mortuo Guillelmo Conquestore, et regnante Rufo ejus filio pullulare iterum cœpere mala, citius dixerim et grassari per Angliam universam atque Northmanniam; isthæc graphice more suo Bibliothecarius Malmes perstringit. « Hoc auctore (*Guillelmo secundo*) sacri Ecclesiarum honores mortuis pastoribus vænum locati: audita namque morte cujuslibet episcopi vel abbatis, confestim clericus regis admittebatur, qui omnia inventa scripto exciperet, omnesque in posterum redditus fisco regio inferret. Interea quærebatur quis idoneus loco defuncti substitueretur, non pro morum sed pro nummorum experimento. Dabaturque tandem honor, ut ita dicam, nudus, magno tamen emptus. Hæc eo indigniora videbantur, quod tempore patris post decessum episcopi vel abbatis, omnes redditus integre custodiebantur, substituendo pastori resignandi, eligebanturque personæ religionis merito laudabiles. Nullus dives nisi nummularius, nullus clericus nisi causidicus, nullus presbyter nisi (ut verbo parum Latino utar) firmarius. Cujuscunque conditionis homunculus, cujuscunque criminis reus statim ut de lucro regis appellasset, audiebatur; ab ipsis latronis faucibus resolvebatur laqueus, si regale commodum promisisset. Tunc fluxus crinium, tunc luxus vestium, tunc usus calceorum cum acutis aculeis inventus, mollitie corporis certare cum feminis, gressum frangere, gestu soluto et latere nudo incedere adolescentium specimen erat. Enerves, emolliti, quod nati fuerant inviti manebant, expugnatores alienæ pudicitiæ, prodigi suæ, etc. » Hactenus Malmesburg, de Gest. Anglor. libr. IV, cap. 1; Eadmerus, Hist. lib. I, pag. 14, et lib. IV, pag. 77;

A Ven. Bedæ Continuator, libr. III, cap. 29; Orderic. Vital., lib. VIII, pag. 682 et 683. Ejusmodi calamitatibus consulere jam e vivis sublato B. Lanfranco perperam conatus D. Anselmus sponte ab Anglia discessit, nequitiæ temporis cedens, auctore Roberto Montensi, in Chronico ms. ann. 1098: « Anselmus vero archiepiscopus recessit ab Anglia, quia nihil recti rex pravus (*Guillelmus*) in regno suo fieri permittebat, » etc. Chronicon Beccense, ad calcem operum S. Lanfranci, an. 1098.

AD EPISTOLAM II.

Hermannus siquidem. Vintoniensis episcopus, e Flandria oriundus, regi Eduardo sanctissimo a sacris fuit: suffectus autem in locum Brithuoldi. Et tandem animi cupiditate motus ab Eduardo petiit ut
B Meldunense cœnobium sibi ad constituendam sedem concederet, sed cum id consequi desperaret, abdicato episcopatu, monasticæ vitæ sese mancipavit. Rogerus, Annal. parte priore, ad an. Ch. 1055. Harpsfeld. sæculo XI, et Guillelm. Malbesb., de Gest. pontif. lib. I episcop. Schireburnensibus, ita depingit Hermannum: « Necdum plane initiatus expulsus est, quo pudore confusus Angliam indignabundus reliquit. Nec multo post ægritudine admonente simul, et quodquod sæcularia parum prosperaverunt, fortunæ iratus mundo renuntiavit, monachus apud S. Bertinum factus. Sed, ut fere fit in talibus, repentino illo impetu religionis frigescente, in dies in Angliam reditum meditabatur. Afflaverat secundus rumor aures ejus Alwoldum episcopum
C Schireburnensem obiisse. Et jam Godwinus, quem vehementer timebat, discesserat; filiusque ejus voluntati regis, et in hoc et in aliis accesserat. Accepit ergo Hermannus Schireburnensem [illegible] episcopatum integrum cum tribus pagis Eduardo rege dante, vivacitateque sui datoris annos transcendens ad Guillelmi tempora duravit, sub quo tribunal ad suum transtulit Schireburnia Salesberiam, » etc. Hæret profecto animus, et ubi pedem figere debeam ignoro. Lanfrancone testi oculato, quid Hermannum intus et in cute (quemadmodum illa ex epistola compertum habetur) optime noverat, fidem præstabimus, an vero Malmesburiensi, aliisque nonnullis scriptoribus, ad quorum aures Hermanni gesta ex vulgi
D duntaxat rumore ac relatione pervenerant? Penes lectorem esto judicium. Sed vero (ut dicam quod sentio sinistro animo præfatum episcopum quæ relata sunt actitasse, non est revera cur aliquis sententiam asserat. An non cœnobiticæ vitæ amore, et rerum sæcularium fastidio secedere potuit Hermannus? Forsan et pauperie oppressus et eleemosynarum erogandarum animo (uti præsulem decet) atque ut clericos ad canonicam vivendi formam perduceret, in abbatiam Meldunensem episcopatus transmigrationem est meditatus Nonne et passim legimus apud auctores, imo usu sæpe venit, plurimos scientia et sanctitate viros percelebres, censorum spongias et calumnias diu pertulisse? Et sane Hermannus « dum virili robore (*ut verbis loquar B. Lanfr.*) atque juventa viguit, scientia litterarum divinarum atque

mundanarum præditus, ad pastorale officium satis utilis persona exstitit. » At ego in unam eamdemque sententiam omnes pene scriptores antiquiores et recentiores adduci cum videam, nolim usquequaque illius episcopi causam suscipere, atque omni culpa vindicare. Verumenimvero, si auctorum opiniones cum beati Lanfranci sententia conciliare velimus, asserere necesse est Hermannum bis asceticam vitam appetivisse ; et hoc liquido constare videtur ex ipsiusmet S. archiepiscopi verbis : « Monachicam vitam petiit, nunc iterum hoc idem facere omnibus modis petit » Primum quidem dum in cœnobio S. Bertini apud S. Audomarum monachile collobium (ut a Malmesburiensi relatum est supra) assumpsit. Postmodum ubi in Angliam ex Bertiniano monasterio optimis documentis, pietate, virtutibus instructus remeasset, et egregie multos per annos episcopatum administrasset ; tandem ægritudine senioque confectus, vitæ solitariæ dulcedine (quam pridem delibaverat) illectus, et morti jam proximus, ad tutam regularis vitæ stationem appellere peroptat ; quo securus e cella (D. Bernardi sunt verba) ad cœlum quiret evolare. Non spernendum habes illis ferme temporibus exemplum Marbodi episcopi Redonensis, qui, deposito episcopatus onere, sese in monasterium S. Albini Andegavensis recepit, atque inibi induto monastico habitu sancto fine mortem oppetiit ; quod disces ex antiqua in membranis scripta formula denuntiandi mortem defuncti monachi cæteris ejusdem societatis monasteriis, ex eodem S. Albini cœnobio mutuata.

Universis unius sacrosanctæ ecclesiæ filiis humilis congregatio beati Albini Andegavorum episcopi, plenam de hoste victoriam, et de victoria coronam. Apostolica nos informat auctoritas ut pro invicem orantes, alter alterius onera portemus, et sic adimplebimus legem Christi. Legem igitur Christi nos servi Christi pia sollicitudine adimplere satagentes, denuntiamus vobis obitum domni Marbodi venerabilis episcopi, semper cum laude memorandi, lingua facundi, religione præcipui, morum honestate præclari, litterarum eruditione doctissimi, cujus sermo sale semper conditus erat, et ex ore illius omni dulcior melle fluebat oratio. Et quamvis eodem tempore, variis studiis tota Gallia resonaret ipse tamen oratorum rex Gallicanæ arcem eloquentiæ specialiter obtinebat. Tertio siquidem Idus Septembris infirmatus carne, sed spiritu fortior, excedens a sæculo, vivens in Christo, sua nos viduavit præsentia, et amoris sui jaculo vulneratos intolerabili dolore confecit. Qui post longa liberalium studiorum longe lateque versantium exercitia, quibus in Andegavensi civitate qui famosus ac nominatissimus exstitit magister efficacissime claruit ; electus a reverendissimo papa Urbano in Turonensi concilio, sanctæ sedis Ecclesiæ Redonensis, annuente Domino, pontifex ordinatus est. Quam ipse dignitatem, imo onus, accinctus gladio Spiritus sancti, licet inter barbaros et naturali quadam armatos feritate, per annos viginti octo A fideliter prudenterque gubernans, superborum colla justitiæ censura perdomuit ; arguendo, obsecrando, increpando, dissidia pacificavit, tandemque confectus senio, plenus dierum, in sancta confessione, ut præmissum est, in Domino requievit. Ingressurus itaque viam universæ carnis, mortemque vicinam præsentiens, onere pontificali deposito, sanctissimi Benedicti habitum, humilitatemque suscepit ; monachumque professus beato Albino se tradidit ; ac sic exoneratus pauperem Christum pauper et ipse secutus est. Ante quidem ut Martha sollicitus erat, et occupatus erga **339** plurima, nunc vero velut altera Maria unum esse necessarium recognoscens, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Commendamus etiam orationibus vestris, » etc.

B *Venerandæ memoriæ Leonis.* Noni scilicet, viri plane fide meritisque insignis, qui cum angelicam vitam duceret, consortio angelorum subinde dignatus est. Leo ostiens., lib. II, cap. 82, Chronici Cassinenensis. Berengarii hæresim duobus in conciliis Vercellensi et Turonensi damnavit ; ita Guitmundus Leoni compar lib. I de Corpore et Sang. Christi. Leonis summam animi demissionem enarrat Ottho Frisingensis, Chronic. libr. VI, cap 33 : « Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate regalis excellentiæ ad sedem B. Petri destinatus fuerat. Cumque assumpta purpura pontificali Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, ubi forte tunc Hildebrandus prioratus, ut dicitur, obedientiam administrabat : is Leonem adiens æmulatione C Dei plenus, constanter eum de incœpto arguit, illicitum esse inquiens per manum laicam summum pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introire. Verum si suis se credere vellet consiliis, utrumque et quod majestas imperialis in ipso non exacerbetur, quodque libertas Ecclesiæ in electione canonica renovetur, se pollicetur effecturum, inclinans se ad monitum ejus, purpuram deponit, peregrinique habitum assumens, ducens secum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad urbem usque veniens, consilio Hildebrandi a clero et populo Bruno in summum pontificem eligitur, sicque utcumque Romana Ecclesia ad faciendam electionem informatur. » S. Leonis gesta conscripsit Wibertus auctor coætaneus, quæ et evulgavit doctus Sirmon- D dus.

Litisfeldensis vero episcopus, sive Licefeldensis in Anglia. Petrus vocabatur antistes ille, si conjecturis indulgendum. Siquidem a Lichfeldio sedem, regnante Guillelmo primo, Cestriam removit. Vel sane dixerit quis decessorem illius, cui litteras hasce inscribit magnus Lanfrancus, Leovinum fore. At vero de utroque, ac de nefando, quod hic memorat crimine B. archiepiscopus, summum est apud historicos silentium. Petri autem successorem Robertum sugillant pene omnes, affirmantque illum ipsum avaritiæ vitio infectum, ecclesiarum dilapidasse facultates, redditus exhausisse. Verum chronologia cum repugnet, rationi minime nec tempori consen-

taneum video B. Lanfranco mentem esse ad Robertum scribere : Lichefeldensis siquidem episcopus exstitit nuspiam Robertus, sed Cestrensis, seu potius Conventrensis, quia sedem, defuncto Petro, e Cestria in Conventriam transportavit. Liquido constat præterea consecratum an. 1088, et summum pontificem Alexandrum ab humanis ereptum an. Ch. 1072, seu, ut aliis placet, 1073. Ergo de Petro, aut de Leovino illa in Epistola loquitur S. Lanfrancus. Porro prædictum episcopatum tria sortiri nomina compertum habetur ex dictis, 1° Lictifeldensis seu Licifeldensis, 2° Cestrensis, postremo Conventrensis. A

In locum ejus non præsumpsi. Non audet in Lichfeldensem episcopum (etsi Metropolitanus) sententiam proferre, neque alium in ejus locum sufficere, et consecrare; nam metropolitani, et comprovinciales, primatesque possunt quidem episcoporum in jus per accusationes depositionesque vocatorum causas audire, discutere, eventilare ; sed definire, atque ultimo determinare judicio, sine prævia summi pontificis auctoritate, nequeunt ullo modo : quod Julii papæ epistola ad Orientales episc. confirmatur : « Sicut B. Petrus apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita et hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituente prima et caput sit cæterarum, et ad eam quasi ad matrem atque apicem omnes majores Ecclesiæ causæ et judicia episcoporum recurrant, et juxta ejus sententiam terminum sumant, » etc. Eleutherius papa, epist. ad Galliæ provincias, cap. 3, c. *Quamvis* 2, q. 6 : « Quamvis liceat apud comprovinciales et metropolitanos, et primates, episcoporum ventilare accusationes, et criminationes, non tamen licet definire sine hujus sanctæ sedis auctoritate, sicut ab apostolis eorumque successoribus multorum consensu episcoporum jam definitum ; nec in eorum ecclesiis alii aut ordinentur antequam hic juste eorum terminentur negotia. » Id non latebat D. Cyprianum, qui passim in epistolis totius orbis summum hierarcham de rebus suis consulit ; maxime vero lib. III, epist 13, quæ est 67. Inspice, si placet. B

AD EPISTOLAM III.

In præsentia celsitudinis vestræ, etc. Quæ obiter hoc loco attingit archipræsul, affatim suppeditat monachus Cantuariensis, Historiæ novorum lib. I : « Calumniatus est (accusavit Lanfrancus) coram pap. Thomam cum Remigio, quod neuter illorum jure fuerit promotus ad pontificatum. Primus ea scilicet re, quod sacri canones filios presbyterorum quos religionis ordo non ornat, a sacrorum ordinum promotione removeant, sequens **340** vero pro eo quod facta conventione illum a Guillelmo post rege facto emerit, officio videlicet quo ei in excidium Angliæ properanti multifaria contentione ac multiplicibus impensis deservierat. Ad hæc illi nullam, qua excusari possent, probabilem causam habentes redditis baculis et annulis, cum cura pontificali, ad petendam misericordiam conversi sunt. Quorum precibus sese Lanfrancus medium injiciens, sicut erat vir pietate, ac sapientia pollens, eos multarum rerum scientia fultos, novo regi in novis regni dispositionibus pernecessarios, multis præstare, oratoria facultate ostendit. Quibus auditis, Pontifex summus conversus ad eum : Tu videris, inquit, Pater es patriæ illius, ac per hoc industria tua consideret quid expediat. Virgæ pastorales quas reddiderunt, ecce hic sunt ; accipe illas et dispensa prout utilius Christianitati regionis illius agnoscere poteris. At ille susceptis eis in præsentia papæ revestivit præfatos viros, quemque sua. » Eadmero accedunt Malbesbur. lib. I, de Pontif., fol. 121 ; Harpsfeld sæculo XI, pag. 271. Decretum exstat Alexandri II papæ, ut electus filius presbyteri, modo virtutibus polleat, minime respuatur.

Eboracum porro sive Eburacum civitatem (vulgo *York* graphice designat Camdenus in sua Britanniæ descriptione, verbo *Brigantes :* « urbs est totius Angliæ secunda, ait ille hujus regionis (Eboracensis, vulgo *Yorkeshire*) pulcherrima, universæ Septentrionali parti, et præsidio, et ornamento est singulari. Amœna, ampla, munita, ædificiis tam privatis quam publicis exsculta, opibus civibusque referta, et archiepiscopali sede præclara, » etc. Malmesbur. in præfatione ad lib. III de Pontif. B. Alcuinus apud eumdem Malbesbur. eodem loco in archiepiscopis Eboracens. post med. de insigni illa bibliotheca Eboracensi Carolum Magnum alloquens : « Date mihi, inquit, exquisitiores eruditionis scholasticæ libellos, quales in patria habui, per bonam et devotissimam magistri mei Egberti archiepiscopi industriam : et si placet excellentiæ vestræ, remittam aliquos ex pueris vestris, qui excipiant inde quæque necessaria, et revehant in Franciam flores Britanniæ. » C

Cæterum metropolim Ecclesiam Eboracensem constituit B. Gregor. apud Venerab. Bedam lib. I, cap. 29, ita B. Augustino Anglorum apostolo scribens : « Et quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, et te laborante, perducta est, usum tibi in ea ad sola missarum solemnia agenda concedimus : ita ut per singula loca duodecim episcopos ordines qui tuæ subjaceant ditioni. » Et paulo infra : « ad Eburacum vero civitatem te volumus episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinare, ita duntaxat ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim episcopos ordinet, et metropolitani honore perfruatur ; quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subjacere, » etc. Lege eumdem Bedam lib. II, cap. 17, et Vitam S. Augustini, post Vitas abbatum Beccensium, pag. 62. D

Primatum niterer obtinere. In medium hic discidium inter Thomam Eboracensem et Cantuariensem archiepiscopum Lanfrancum proferre operæ esse non putavi, quippe tot et diversi de eodem scripsere auctores, tam vetusti quam recentes, ut in immensum ferme exsurgeret materies ; et obtrudere toties jam repetita, viderer potius eruditi lectoris stomachum

ad nauseam provocare, quam ad legendum animum A everberare. In Vita proxime citata pag. eadem de primatu Cantuariensis Ecclesiæ in Eboracensem, et Gesta beati Lanfranci cap. 10 et 11, pag. 11, legere est. Meminere et ejusdem controversiæ Guillel. Malmesburiensis libr. III, de Gest. Ang., fol. 65, amplissime vero libr. I. De pontif., fol. 118 et seq.; Orderic. Vital. Hist. lib. III, pag. 518, ad ann. 1075 Harpsfeld. sæculo XI; Cæsar Baronius, Annal. t. II. A. Ch. 1071 et 1072, et alii complures. Nos quoque infra paucis admodum ex S. Beda, ne lectoris animum prorsus jejunum relinquamus.

Conventus Anglicæ terræ. De hoc conventu in Vita divi Lanfranci cap. 11, pag. 12.

Apud Wentanam civitatem. Camdeno, ubi supra verbo Belgæ: *Venta Belgarum* dicitur, vulgo *Vintchester*, urbs regia et amœnissima, episcopali sede insignitur. Plura vide ibidem; necnon et Malmesb. lib. II De pontif., in episcopis Vintoniensibus.

Ecclesiastica gentis Anglorum historia. Quæ habetur (ut notum est) tom. III, operum S. Bedæ Venerabilis; ubi libro I, a cap. 23 ad finem, ac libris sequent. passim de Dorobernensis sive Cantuariensis metropolitanæ sedis primatu, D. Augustino primo ejusdem civitatis archiepiscopo a B. Gregorio concesso, et ab inferioribus Ecclesiæ Romanæ pontificibus confirmato, disseritur: quorum privilegia seu litteras bullatas (ut vocant) sive etiam decretales ab ipsismet pontificibus in gratiam Cantuariensis primatus promulgatas ad sua usque tempora, scriptis ad verbum consignavit sæpe fatus Malmesbur. C de Gest. Anglor. libr. III, cap. ultimo; et lib. I De pontific.

341 *Anglorum doctor Beda.* Prænomine Venerabilis, vir equidem admirandæ sanctitatis, regulæ Benedictinæ religiosissimus observator, atque eruditorum omnium sui sæculi facile princeps fuit: verum quid de seipso (in calce nimirum Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum) ad posteros transmisit, audire non pigeat: « Beda Dei famulus et presbyter monasterii beatorum apostolorum Petri et Pauli, quod est ad Virimudam et Ingiruum: qui natus in territorio ejusdem monasterii, cum essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus Reverendo abbati Benedicto (cognomento Biscopo) ac deinde Ceolfrido, cunctumque ex eo D tempus vitæ ejusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter observantiam disciplinæ regularis, et quotidianam cantandi in Ecclesia curam semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. Nono decimo autem vitæ meæ anno diaconatum, tricesimo gradum presbyteratus, utrumque per ministerium Reverendissimi Joannis, jubente Ceolfrido abbate, suscepi. Ex quo tempore accepti presbyteratus usque ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum, hæc Scripturam sanctam meæ meorumque necessitati, ex opusculis venerabilium Patrum breviter adnotare, sive etiam ad formam sensus, et interpretationis eorum superadjicere curavi, » etc. Deinde operum subjicit elenchum. His plura referunt illius historiæ Continuator lib. I, cap. 5, 6, 7; Malmesb., lib. I, cap. 3, fuse. Sed vero eadem plane referunt et Malmesburiensis et Continuator ille, seu verius ipsissima exstant verba in utroque; ut conjectari liceat unum ab altero mutuatum fuisse quod eloquitur. Antequam excederet e vita quid gesserit doctor ille sanctissimus, descripsit ex ejus discipulis nonnullus apud Surium tom. III, die 10 Mai: refert autem die Ascensionis Dominicæ cilicio subjecto decumbentem, illibato sensu et hilari vultu hanc orationem seu antiphonam proferentem, *O rex gloriæ, Domine virtutum*, etc., atque illa peracta efflasse animam. De S. Beda Martyrologium Romanum die B 27 Maii; Baronius in notis ad id diei, et Annal. tom. ad ann. 731; Arnoldus Wion, Ligni Vitæ lib. III, die 27 Maii, et lib. V, cap. 111. Atque omnium amplissime Eduardus Malheus, Trophæorum tabula 1. Cur vero potius Venerabilis vocitetur Beda, quam sanctus, rationes interserit ultimo loco citato Arnoldus Wion, quarum hæc præcipua: « Viventem enim, inquit, aliter nuncupare, quanquam sanctitate clareret, fas non erat. » At ego (ut dicam quod sentio) eo nomine has ob causas insignitum puto, prima quod antiquitus, Bedæ ævo maxime, solemne fuerit presbyteros venerabiles vocitare; altera, viri eximia sanctitas, pietas singularis, cum pari doctrinæ, scientiarumque peritia, id effecerit ut illius homiliæ publice in Ecclesiis, eo in vivis existente legerentur unde et venerabilis nomen est adeptus; verum hujusmodi titulo ornatum nusquam apud coætaneos scriptores repetitur, uti Baronius Annal. eccles. ubi supra accurate pertractat.

Augustini primi Dorobernensis episcopi. « De sancto Augustino (quod observat doctissimus Hugo Menardus) Anglorum apostolo non hic prætermittendum censui insignem locum Aimoyni Floriacensis, in Vita S. Abbonis cap. 4, quo prædicatores in Angliam a S. Gregorio missos addictos regulæ S. Benedicti testatur. Eadem quippe natio (de Anglis loquens) ad amorem Patris nostri Benedicti memorati loci duabus ex causis maxime accessit. Una quidem, quia S. papa Gregorius missis ad eam convertendam fidei Christi prædicatoribus ejusdem dilecti domini Benedicti regulam observandam specialius inculcavit. » Ita Menardus notis ad Martyrologium Benedictinum ad VII Kalend. Junias Verum enimvero propius latiusque rem haud minimi momenti non abs re erit inspicere, discutere ac dubitationis tenebras pro viribus a mentibus excutere nonnullorum: sed quia nimium sibi in propria causa arrogare quisque judicatur, auctorem Anglum producere (puta cujus nihil interest) aptum congruumque existimavi, Seldenum intelligo, qui in notis ad Eadmeri historiam probat feliciter satis (si quid judico) illum ipsum Augustinum extra dubium familiæ benedictinæ dedisse nomen. Et primo quidem ex Guillelmo Malmesbur. in ms. codice de Antiqui-

tatibus Ecclesiæ Glastoniensis : « Hinc (inquit Guillel.) post adventum Augustini in diversis locis ordinantur sedes episcopales, construuntur monasteria secundum B. Patris Benedicti regulam Deo militantia, ita ut postea in gente Anglorum nulli reperiantur monachi, quin fuerint B. Benedicti Regulam professi. Inde his temporibus in monasterio Glastoniensi cœpit primo eadem regula exerceri, quod prius fuerat more cœnobiorum Ægypti. » « Qua de re consule, si placet, Henricum Vendenzypium in part. III de Monastico ordine S. Gregorii cap. 5, atque fusius disputat ille in ejusdem libri part. II, cap. 4, de Augustini nostri familia, quam haud aliam fuisse præter eam, in qua sacratus erat S. Gregorius, est, puto, apud omnes in confesso : etiam ipse Gregorius satis testatur lib. VII, epist. **342** 114, ad Syagrium episcopum Augustodunensem, ubi Augustinum quondam monasterii mei præpositum vocat. At Equitianam, non Benedictinam Gregorii familiam fuisse vult Baronius, atque is, ni fallor, hoc primus voluit, et receptissimæ vetustatis sententiæ demum refragari ausus est, ductus nimirum conjecturis nec sane contemnendis, nec magni sane ponderis. Videbis Annal. tom. VIII, sub anno 1096, et quæ in eum scripsit Vandenzypius locis jam dictis. Fateor apud veteres rerum nostrarum consarcinatores minime disertis, si bene memini, verbis alicubi doceri Augustinum ex sodalitio fuisse Benedictino, sed præcise monachum duntaxat vocari sæpius. Et Augustinum, et alios plures cum eo monachos legimus apud Bedam, quem plerique sequuntur. In veritatem Chronico Saxonico ms. sub anno 1096 : » « Hoc anno Gregorius papa in Britanniam misit Augustinum monachum, cum quamplurimis monachis, qui Anglicanæ genti verbum Dei prædicarent. » « Neque aliter, ad hanc rem mentionem ejusdem fieri apud veteres reperio. Sed interim τὸ monachus, nullius familiæ nota adjecta, de iis qui apud majores nostros eo nomine memorantur, dictum semper, nisi memoria me fallat, Benedictinum interpretatur, uti apud Græcos fere Basilianum. Accedit etiam cœnobii S. Salvatoris Cantuariæ incolas Benedictinæ familiæ etiam ab ipsis incunabulis semper apud nos esse habitos ; saltem nihil occurrere in vetustis quæ huic testimonio esse possunt monimentis quod alius cujuspiam familiæ nomen unquam aut induisse eos, aut exuisse, aut suadet, aut omnino innuit. Et apprime huc facit illud Bonifacii pontificis Romani in litteris suis ad Ethelbertum : » « Fili gloriose, inquit, quod ab apostolica sede per coepiscopum nostrum Mellitum postulastis, libenti animo concedimus, id est ut vestra benignitas in monasterio in Dorobernensi civitate constituto, quod Sanctus doctor vester Augustinus beatæ memoriæ Gregorii discipulus, sancti Salvatoris nomini consecravit, cui ad præsens præesse dignoscitur dilectissimus frater noster Laurentius, licenter per omnia monachorum regulariter viventium habitationem statuat, apostolica auctoritate decernentes, ut ipsi vestri prædicatores monachi, monachorum gregem sibi associent, et eorum vitam sanctitatum moribus exornent. Quæ nostra decreta, si quis successorum vestrorum, sive regum, sive episcoporum, clericorum, sive laicorum irrita facere tentaverit, a principe apostolorum Petro et a cunctis successoribus suis anathematis vocabulo [vinculo] subjaceat, quoad usque, quod temerario ausu peregit, Domino placita satisfactione pœniteat, et hujus inquietudinis veram emendationem faciat. » « Aut igitur prima, cujus auctor Augustinus, institutione sodalitium hujus cœnobii erat Equitianum, aut Benedictinum. Neque enim dubitatur a Baronio quin et Augustinus et Gregorius Equitiani essent, si non Benedictini. Si primo Equitianum fuisset, necessum plane erat ut novatio ejusmodi postmodum accederet, quæ in Benedictinum transmutaret. At non modo nihil ejusmodi reperitur, sed in ipsis etiam incunabulis a jam dicto Bonifacio sancitur ; ut monachi (sic ante legitur) qui ibi erant ab Augustino instituti, monachorum sibi gregem associarent, et eorum vitam sanctitatum moribus exornarent ; et ne quis omnino sancito illi adversaretur ; gravissima cautum est interminatione : ac si jussisset omnes ejusdem familiæ, ejusdem sodalitii, quo primum fuerant instituti, et nomen, et mores perpetuo ibi servare. Neque sane nisi mere fictis habenda sit fides, aut novationis hujusmodi, aut nominis, aut normæ transmutationis vestigium aliquod exstat. Qua de re diligenter etiam consului tabulas jam dicti cœnobii, ubi quam plurima eaque vetustissima pontificum instrumenta, quibus munitum est, comperio ; hujusmodi vero transmutationis neque volam comperio, neque vestigium. Et videsis Ordericum Vitalem, Histor. ecclesiat. lib. IV, pag. 516 et 517. At vero si primis in initiis Benedictinum esset cœnobium illud, eadem ipsa argumentandi ratio, qua in conjecturis suis de Gregorio usus est Baronius, Augustinum Benedictinæ familiæ fuisse demonstraret. Neque enim dubitat ipse quin ejusmodi fuerit antistes, quales ipsi sodales ab antistite adsciti. Sed porro viderint hic quorum interest. » Hactenus Seldeni observationes, quas huc ex integro (præter rationes superius allatas) transferre libuit, quod vix ac ne vix quidem occurrant.

At ego duos antiquiores inter alios testes adhibuero, quo D. Augustinus apertissime Benedictinus demonstretur. Primus aderit Anglus S. Adhelmus (a Ven. Beda commendatus his Anglor. lib V, cap. 19) apud Aymoinum Floriacensem serm. de S. Benedicto, post med.

Temporibus faustus Benedictus claruit iisdem.
Quem Deus Ausoniæ clemens indulserat auctor.

Deinde post alia subdit :

Primo qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia normam,
Quoque modo propter directo tramite sanctus,
Ad superum ascendens cœlorum culmina cultor.

343 *Hujus alumnorum numero glomerantur ovantes,*
Quos gerit in gremio fecunda Britannia cives.
A quo jam nobis baptismi gratia fluxit,
Atque magistrorum veneranda caterva cucurrit.

Sanctum Adhelmum illustrat secundus Joannes Diaconus, Italia oriundus, Vitam describens magni Gregorii lib. IV, cap. 82 initio : « Quod vero monachi qui a Gregorio missi S. Benedicti regulæ fuerint mancipati, inter alia etiam illud ostendit, quod ex ipsius discipulis vix potest inveniri. a quo non observetur, tam in proposito quam in habitu, regula Benedicti, » etc. His accedit quod Venerab. Beda (quem legibus Benedictinis astrictum dubitat nemo) circiter An. Ch. 678, et ætatis septimo tonsuram monasticam sub S. Benedicti cognomento Biscopi B disciplina susceperit; ille autem ipse Benedictus, ad decrepitam senectutem vita protracta mortem obierit, cum 14 annorum esset sanctus Beda, quod docet ipsemet in fine Hist. gentis Anglorum, necessario colligendum videtur discipulis B. Augustini (vita functi ann. 604, Bed. ubi sup., lib. II, cap. 3) comparem exstitisse Biscopum ; atque adeo regulam eamdem professum Bedam ac ipse Benedictus, et Benedictum eamdem quam monachi, sanctus videlicet Augustin. cæterique illius discipuli, qui in Angliam hisce temporibus instituta monastica invexerant, par est credere. Ecquem advocabo hujus assertionis auctorem ? Coætaneum profecto, atque, ut nonnullis placet, sancti Bedæ discipulum, hoc est, Alcuinum monachis Virensibus, seu Viremud., C ubi vitam monasticam egit venerabilis idem doctor, scribentem epist. 49 aut 23. « Regularis vitæ, inquit, observationem, quam statuerunt vobis sanctissimi Patres, Benedictus (Biscopus) scilicet et Ceolfridus, diligentissime custodite. » Et infra :« Regula S. Benedicti in conventu fratrum propria exponatur lingua, ut intelligi possit ab omnibus ; ad cujus institutionem unusquisque suam corrigat vitam, ut quod vovistis ante altare, inviolabiliter custodiatur a vobis. » Quid, oro vos, his verbis apertius ? Nihil plane : ac proinde haud indigent explanatione.

Cæterum fuisse magnum Gregorium Benedictinæ familiæ monachum probant Joannes diaconus locis citatis, Matthæus Lauretus, Arnoldus Vionus, Ligno D vitæ l. II, c. 1, ubi ex privilegio S. Bonito abbati Lateranensi concesso ab eodem Gregorio hæc profert : « proinde juxta vestram petitionem, pro amore quem in communi Patre, et magistro nostro Benedicto, et in discipulis ejus specialem et singularem gerimus, » etc. Sed fusius luculentiusque cæteris, mea sententia, Antonius de Yiepes tom. I. Chr. ordin. S. Benedicti ad ann. 576, cap. 2 et seq. Vitam sancti Augustini offendes post Beccensium abbatum ex pervetusto et optimæ notæ ms. ejusdem monasterii.

Super Eboracensem Ecclesiam totamque insulam. Uti supra laudatus Vener. Beda docet lib. I Hist. gent Anglorum, cap. 19 : Vita beati Augustini A pag. 62. Ubi magni Gregorii epistol. ad S. Augustinum Cantuariæ archiepisc. recensetur : « Tua fraternitas (inquit D. Gregorius) non solum episcopos quos ordinaverit, neque eos tantummodo qui per Eburacæ episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat Deo, Domino nostro Jesu Christo auctore, subjectos. Quatenus ex vita et lingua tuæ sanctitatis et recte credendi, et bene vivendi normam percipiant, atque officium suum fide ac moribus exsequentes ad cœlestia, cum Dominus voluerit, regna pertingant. » Si cui autem dubium fuerit qua in civitate vel ecclesia sedem collocaverit B. Augustinus, consulat Vitam eamdem, pag. 61.

Cæterum papæ alterius orbis nomine ornabat olim S. Anselmum Cantuariensem archiepiscopum Urbanus pap. II, ut auctor est Gervasius Dorobernensi ms. in declamatione contra Robertum abbatem S. Augustini : « Anselmus, inquit, in Cantuariensi civitate consecratus, ab Urbano papa pallium suscepit, et tantam ejus gratiam habuit ut eum alterius orbis papam vocaret. » Hæc Seldenus in notis ad Eadmeri Hist., pag. 205, n. 30. Ipsissima Urbani verba Vitæ S. Anselmi, lib. II, inseruit Edinerus : « Quasi comparem, inquit, velut alterius orbis apostolicum, et patriarcham jure venerandum (Anselmum) censemus. »

Antiquis temporibus ab ipsius terræ incolis Dorobernia vocabatur. Doroberniam sive Cantuariam, Camdenus in descriptione Britanniæ verbo *Cantium*, sic exhibet : « Stoure diviso alveo, Durovernum primariam hujus provinciæ (Cantii scilicet) urbem rapide alluit, nomenque fecit. Durwhern enim fluvium rapidum Britannis denotat. Ptolomæo pro Duroverno Darvernum, Bedæ et aliis Dorobernia, Saxonibus, Cantwarabyrig, id est urbs populi Cantii, nobis Canterbury, Latinis Cantuaria dicitur, urbs pervetusta, Romanoque sæculo procul dubio illustris. » Ita Camdenus. « Nec adeo magna (Malmesburiensis loquitur initio præfationis lib. I ad Gesta pontif.) nec exiliter parva, quæ et positione terræ quippe soli affinis, maxima 344 ubertate et integro murorum ambitu, cives suos fovet, » etc. Et paulo post :« Ibi prima sedes archiepiscopi habetur, qui est totius Angliæ primas, et patriarcha, etc. »

Antecessorum vestrorum Gregorii cognomento Magni, cujus meminimus sup De ejusmodi decretis uberius Venerabilis Beda locis citatis ; necnon et Guillelm. Malmesb., libr. I De gest. Pontif. ; qui expressim privilegia a summis pontificibus Cantuariensi Ecclesiæ concessa, describit : quem adi, si lubet.

Bonifacii. « Hic est Bonifacius quartus Romæ urbis episcopus, » ait S. Beda, lib. II Hist. Anglo., cap. 4.

Honorii. Hoc nomine primi ; de quo Beda ibidem, cap. 17 et 18.

Vitalini. Exstant ejus epistolæ et decreta inter concilia generalia.

Sergii. Primi videlicet.

Gregorii. Quarti (nisi memoria me fallat) sub quo habitum concilium Londoniæ A. C. 833.

Leonis. Leonem paucis laude sumus prosecuti adnotatione ad epistolam 3. lit. *b.*

In ea combustione atque abolitione. Quam vidit conflagrationem memoriæ prodidit Eadmerus monachus Cantuariensis, lib. I Hist. pag. 9. Ostenditque quantum in illa cum Thoma Eboracensi concertatione, curæ, laboris et olei insumpserit magnus Lanfrancus : « Qui eo quidem magis, inquit ille, in istis laboravit quod ipsius Ecclesiæ privilegia in ea conflagratione quæ eamdem ecclesiam tertio ante sui introitus anno consumpsit, pene omnia perierant. »

Epistolam illam, etc. Exstat apud Bedam ubi supra, lib. I, cap. 29. Postquam B. Gregorius D. Augustino quid de Eboracensi episcopo ordinandum præscripsit, sic loquitur : « Post obitum vero tuum ita episcopis quos ordinaverit (episcopus Eboracensis scilicet) præsit, ut Londoniensis episcopi nullomodo ditioni subjaceat. Sit vero inter Londoniæ et Eburacæ civitatis episcopos honoris ita distinctio ut ipse prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. » Futile profecto et ad rem minime, ex hoc loci sumebat argumentum Eboracensis, quemadmodum meridiana luce clarius ostendit eloquentissimus Lanfrancus ; cujus orationem eruditissimam (seu verius fragmentum) medio in concilio pronuntiatam descripsit Malbesb. lib. I De pontif., fol. 121, n. 20.

Quædam scriptura. Scripturam hic professionem intelligi conjicio, quam Thomas B. Lanfranco « Coram rege, et ejus curia manu in manum porrexit,» ut cum Malmesbur. bibliothecario loquar loco proxime adducto. Exstat illa in Vita cap. 11, pag. 12. Atque apud eumdem bibliothecarium, sic incipit : « Decet Christianum quemque, » etc. Constans fuit ista consuetudo tam Scotis quam Hibernis, et Anglis episcopis, archiepiscopo Cantuariensi velut totius Britanniæ primati obedientiam præstare ; formulas complures (quibus professio nomen est) ex antiquis membranis exhibet Jacobus Usserius suis in veteres epistolas Hibernicas adnotationibus. Ex his ipsis unam solummodo (quod ad nostrum faciat institutum) hoc loco apponemus, Donati scilicet Dublinensis episcopi.

Ego Donatus Dublinensis Ecclesiæ antistes, quæ in Hibernia sita est, canonicam obedientiam tibi promitto et successoribus tuis, o Lanfrance, sancte Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscope.

A. C. 1085, factam ejusmodi professionem attestatur idem Usserius.

Epistolam quam Berengario, etc. Inter epistolas haud quaquam adnumeravimus, quippe omnes propemodum scriptores eidem titulum fecerunt : « Libellus De corpore et sanguine Christi, sive, Liber de Eucharistiæ sacramento contra Berengarium. » Porro adversum sycophantam Berengarium illustres viri tum pietate, tum doctrina singulari instructi, tanquam catuli leonis illius de tribu Juda, ex asceteriorum Benedictinorum antris prodiere permulti ; scilicet Guilmundus Aversanus archiepiscopus, Algerus Cluniacensis, Durandus abbas Troarnensis, Guibertus de Nogento, Petrus Venerabilis, etc., quorum rugitu perterritis, imo et prostratis cum ipso capite sectariis, sopita demum est hæresis Sacramentariorum ad tempora usque nefandorum Lutheri et Calvini, sed optime omnium magnus Lanfrancus velut coryphæus argumentorum suorum vi ita confutavit et convicit tantum hæresiarcham, ut non modo palinodiam illum cantare, verum et scripta igni tradere coegerit, atque adeo gloriosi palmam deportaverit triumphi. Ita Lanfranci biographus pag. 4, 5, et libel. ejusdem Lanfranci cap. 1. Nec non et Robert. Montensis in Chronico ms. ad an. 1051. Cujus locus insignis maxime notandus est : « Unde contra eum (de Berengario loquens) multum a multis et verbis et scriptis disputatum est, inter quos domnus Witmundus monachus de cruce S Leufredi contra eum de corpore et sanguine Christi elegantem edidit librum. Lanfrancus etiam Papiensis **345** primum monachus Beccensis, deinde archiepiscopus Cantuariensis, omnibus luculentius et mirabilius librum super hac re contra eum composuit ; in quo singulis illius quæstionibus et oppositionibus laudabiliter respondit, male dicta ab eo et intellecta, Scripturarum testimoniis divinarum improbando convincens. »

AD EPISTOLAM IV.

Accepimus a quibusdam. Historiam hujus epistolæ fuse, et luculenter describit. Eadmerus Histor. lib. I, pag. 10. Quam (etsi prolixior forsan videatur) referendam existimo ; quia et ad elucidandam Alexandri epistolam, et quid præstiterit hac in re B. Lanfrancus exhibeatur. « Omnes circiter, ait Eadmerus, qui ex clericali ordine per regem Willelmum in Anglia constituti pontifices erant, monachos qui in nonnullis episcopatibus Angliæ ab antiquo vitam agebant, inde eliminare moliti sunt ; et regem ipsum in hoc sibi consentaneum effecerunt ; in quo tamen se effectu potituros certi exstiterant, ut Walchelinus episcopus adunatos pene quadraginta clericos, canonicorum more, tonsura ac veste redimitos haberet, quos, ejectis monachis, Wentanæ Ecclesiæ, cui præsidebat, mox intromitteret. Sola mora hæc peragendi, nondum requisita ab archiepiscopo Lanfranco, licentia fuit. Ut autem eam dicto citius impetraret, nulla menti ejus dubitatio inerat, sed aliter ac sibi mens sua spoponderat exitus rei provenit. Nam ubi quod episcopus moliretur insonuit auribus ejus, illico facinus exhorruit, nec se dum viveret ut effectum quoquo modo talis voluntatis obtineret consensurum asservit. » Et paulo post : « Namque pari voto, simili cognomine, uno consensu, concordi animo, pontifices, quos religionis ordo non sibi astrinxerat, eniti cœperunt quatenus saltem de primatu Cantuariensi monachos eradicarent, intendentes se hoc facto facillime alios aliunde exclusuros. De illis etenim potioribus sicut eis videbatur, rationibus ad id agendum fulciebantur, partim ob sublimitatem primatis sedis, quæ dispositioni et correctioni Ecclesiarum per suas personas quaque per Angliam invigilare habet,

partim ob alias multiplices causas quarum executio, juxta quod sibi confingebant, magis clericorum quam monachorum officium spectat. Deductus est in sententiam istam rex et alii principes regni, Lanfranco, ut sui moris erat, totis viribus obnitente, et omnium molimini ac invidiæ viriliter resistente. Ne tamen post obitum suum fieret quod se superstite sciebat per auxilium Dei nequaquam perficiendum, nesciens mortis suæ diem vel horam, egit sagacitate, et industria qua pollebat, ut auctoritate Romanæ et apostolicæ sedis monachorum habitatio in eadem Ecclesia confirmaretur, et inconvulsa dum sæculum duraret in perpetuum stabiliretur. Quod privilegio tali summus apostolicæ sedis antistes Alexander ita scripto suo roboravit. » Deinde subjicit Alexandri epistolam. Videsis etiam Malmesburiens. De pontif. lib. I, fol. 122.

Et clericos inibi constituere. Ab Ecclesia Vintoniensi clericos jamdudum eximius cœnobiorum instaurator et ædificator Edgarus rex (sæculo prior Alexandro) eliminaverat. Qua vero ad id ratione impulsus fuerit, in concilio A. C 966 celebrato, edisserit his verbis : « Timens igitur ne æternam incurrerem miseriam, si adepta potestate non facerem quod ipse qui operatur omnia quæ in cœlo et in terra suis exemplis justus examinator innotuit, vitiosorum cuneos canonicorum e diversis nostri regiminis cœnobiis Christi vicarius eliminavi. Quod nullis mihi intercessionibus prodesse poterant, sed potius, ut beatus ait Gregorius, justi vindictam provocarent, qui variis vitiorum nævis contaminati non agentes quæ Deus jubendo volebat, omnia quæ nolebat rebelles faciebant, avidus inquisitor advertens gratos Domino monachorum cuneos, qui pro nobis incunctanter incederent, nostri juris monasteriis devotus hilariter collocavi. » Et quia præscierat forsan optimus ille rex per clericos aliquando a præfata Ecclesia monachos exturbandos, anathematibus illos, qui simile quid molirentur, percellit hoc sermone : « Si autem qualibet occasione, diabolo instigante, contigerit, ut fastu superbientes arrogantiæ, dejecti canonici monachorum gregem, quem ego venerans cum pastore in Dei constitui possessione, dejicere insidiando voluerint, agatur de eis et de omnibus qui quolibet munere cæcati juvamen eis impenderint, quod actum est de angelis superbientibus, et de protoplasto diaboli fraude seducto, ut, paradisi videlicet limitibus sublimibus regni cœlorum sedilibus ejecti cum his qui domini famulatum aspernantes contempserunt, barathri incendiis detrusi jugi crucientur miseria, » etc. Et infra gratias cœlestes iis impertitur qui beneficiis monachos affecerint : « Quicunque, ait, monachos bonis quibuslibet locupletans ditare voluerit, Creator cunctitenens clementer eos eorumque progeniem totius ubertate prosperitatis, hic et in futuro sæculo, ditando locupletet, » etc. Hæc ex ms. codice ejus jussu litteris aureis pulcherrime exaratis deprompsit Seldenus, atque suis notis in Eadmeri Historia, pag. 155 intexuit.

346 *Cui nefario operi.* Notent hæc interim illi qui tot clamores et strepitus edunt in monachos et toties obtrudunt, quæ a Vintoniensibus clericis obtendebantur. (Vide superius producta ex Eadmero) et nefario huic operi molitionis (ut loquar cum Alexandro) animum appellentes, velim sibi ob oculos ponant præclaros monachos, qui cum sanctis moribus, tum verbis et scriptis Christianam catholicamque fidem multis in locis inseruerunt, instaurarunt, propagarunt, illustrarunt, Cassiodorum dico, Gregorium Majorem ; apostolos, Augustinum Cantuariensem Angliæ, Bonifacium Moguntinum Germaniæ, Benedictum Poloniæ, Gerardum Hungarorum, etc. ; Bedam Venerabilem, Ildefonsum, Rabanum Maurum, Strabum Fuldensem, Petrum Damiani, Rupertum, Lanfrancum, Anselmum, Bernardum atque innumeros alios ; qua de re Arnoldus Wionus in Ligno Vitæ lib. II et V. Cæterum non modo episcopales Ecclesias monachi administrabant, sed et eisdem ex prisca consuetudine præsidebant antistites quamplurimi in Anglia monasticam vitam professi ; quin etiam si quis forsan, annuente rege, e clericali ordine vel ex laicis ad episcopalem dignitatem assumeretur, necessario priusquam consecraretur, monachi tonsuram, et habitum, nec non et normæ benedictinæ professionem emittere cogebatur. Quod produnt inter alios Malmesbur. De pontif. lib. I, in Cantuariensibus archiepiscopis agens de Odone episcopo Vintoniensi, post Cantuariensi archiepiscopo electo : « Ille qui nondum amisisset monachum, constantius reniti, ne morem majorum ambitione sua turbare videretur, nullum enim ad id tempus nisi monachili schemate indutum archiepiscopum fuisse. » Et post alia. « Itaque transito mari apud Floriacum monachilia accepit, » etc. Et Nicolas Harpsfeld. sæculo II. Ubi electionem S. Viri Edmundi in episcopum Dunelmensem describit : « Cum itaque nullum satisfactioni ulli locum videret, in monasticum primum ordinem cooptatus est (id enim omnibus a Cutberti tempore Dunelmi episcopis solemne erat) accersitque Egelricum monachum e cœnobio Burgensi, qui præceptis eum, et regulis monasticis imbueret, » etc. Imo et ipsos episcopos monasticis legibus subjectos (uti abbates) egregium habes monumentum in illis institutionibus monachorum (inter notas Seldeni ad historiam Eadmeri) Saxonice et Latine, ab Edgaro rege prolatas circa A. C. 900, sub medium : « Episcoporum quoque electio, uti abbatum, ubicunque in sede episcopali monachi regulares conversantur, si, Domini largiente gratia, tanti profectus inibi monachus reperiri potuerit. Eodem modo agatur, nec alio quolibet modo dum ejusdem sunt conversationis, a quoquam præsumatur, » etc. Deinde post pauca. « Qui ordinatus videlicet episcopus in omnibus eumdem morem regularem cum monachis suis, quem abbas tenet regularis,

diligenti cura, et magnopere excellenti, sine intermissione custodiat. Nec episcopatus occasione, regulæ præcepta timidus (forte tumidus) vel obliviosus temere intermittat, sed quantum excellat et opere. »

AD EPISTOLAM V.

Romanæ Ecclesiæ archidiacono Hildebrando. Qui et Gregorius VII postea dictus, de quo ad epistolam 3 lit. *b*, Otto Frisingensis. Nunc vero ipsum pleno ore laudantem coætaneum scriptorem et oculatum Hugonem Flaviniacensem in Chronico nondum edito sub annum 1078 placeat audire : « Natus est igitur in urbe Roma parentibus civibus Romanis, et, quod maximum est, religiosis, ascribendus civis curiæ cœlestis, et ab ineunte ætate ecclesiasticis mancipatus officiis, pueritiam suam non sine certis, quæ eum illustrem futurum jam tunc esse signarent, documentis. Religiosis personis comitatus, excoluit adolescentiam, assumpto sanctitatis proposito inter mundi contemptores, non sine magnis perfectionis indiciis; perdomuit juventutem nihilominus militiæ Christianæ dedicatam, sicut ætate, ita sana doctrina, et firmamento veritatis roboratam, sub præclaris totius Christiani nominis tutoribus, et præsulibus, publicis sanctæ Ecclesiæ mancipavit utilitatibus. Hic ob singularem excellentis ingenii prærogativam a Nicolao papa in archidiaconatum matris Ecclesiæ provectus, strenua et laudabili hujus officii administratione, in totius orbis notitiam et religiosorum dilectionem brevi devenit. Decedente vero papa Alexandro, ad summum Christiani regiminis culmen accitus, et electus, divinitate in electi sui exaltatione communem servorum suorum devotionem incitante ad perferendum quod abhorrebat jugum ; quodque semper quidem animi, aliquando autem corporis fuga declinaverat, mansuetum animal Domino suo cervicem subdidit. Consecratus igitur in justitia et sanctitate, miro modo, assiduis votis, pro se et grege sibi commisso excubans, urgente pastoralis officii necessitate distorta perversorum corda ad **347** rectitudinis lineam summa vi corrigere nitens, veritatem Dei absque personæ acceptione omnibus patefecit, nactus omnium bonorum dilectionem, ob zeli Dei fervorem, et justitiæ exsecutionem. Sed quia nulla est societas lucis ad tenebras, perditorum hominum odium, et detractionem, imo persecutionem, acerrimam incurrit, regiam tamen viam, quam semel intraverat, inconcussus, immotus, per arma justitiæ, a dextris et a sinistris, fortiter incessit. Ac primo quidem apostolica auctoritate et veridicis sanctorum Patrum animatus sententiis, ad eliminandam Simoniacam hæresim, et præcipiendam clericorum castitatem, pro commissi sibi officii debito vehementer exarsit. Atque ad an. 1085, pergens auctor gesta S. Gregorii describere, felicem ipsius obitum recenset in hunc modum : Sciens ergo, inquit, imminere diem vocationis suæ, longe ante convocatis cardinalibus, episcopis, et cæteris concaptivis, diem obitus sui prædixit; consummatisque omnibus ecclesiasticæ institutionis officiis, xv Kal. Junii, prædictos fratres sub districti judicii interminatione, et sanctæ obedientiæ præcepto constrinxit ut si qua in se corrigenda deprehendissent, nullatenus tacere præsumerent. Quibus collaudantibus, et vitæ conversationem, et disciplinam doctrinæ sanctæ, morumque institutionem, et secundum scientiam sancti zeli fervorem compulit eos apostolica auctoritate singillatim sibi dexteram dare, promittentes quod hæreticum illum invasorem sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ nunquam reciperent, nisi forte canonice resipiscens puram confessionem cardinalibus episcopis offeret nudatus omni ecclesiastici ordinis dignitate, contestans, et affirmans omnes simul in perpetuum condemnandos, quicunque communicare præsumpsissent Henrico archipyratæ usurpatori imperii; nisi deposita dignitate regni secundum præceptum eorum. et reliquorum religiosorum in Theutonico regno commorantium, condignam pœnitentiam ageret. Deinde confirmavit vicem suam potestatemque ligandi, et solvendi omnibus vicariis suis, sicut ipse per orbem constituerat, ut quos ipse ligaverat, ipsi post condignam satisfactionem absolverent, sed apostolicæ fidei normam, non sicut quidam seipsos fallentes, errantes, et alios in errorem trahentes, confingunt ; quos omnes excommunicatos indiscrete absolveret, ac si posset vivificaret eos qui non vivunt. Deinde quod vanitas ipsa per multa regna dissiparetur, divina inspiratione cognovit et prædixit Demum absolvit omnes qui in fide ista, quæ per illum innotuit, usque ad fidem perseveraverint, ab omnibus peccatis suis, et sic spiritum creatori tradens, anno ab Incarnatione Domini 1085 obiit martyr et confessor. » Hactenus Hugo Flaviniacensis, qui res Gregorii VII accurate ac uberrime persecutus est. Et historia ms. Guillelm. Nangiaco ascripta, ad id anni 1085. « Hildebrannus papa, qui et Gregorius VII. apud Salernum exsulans mortuus est, et post mortem multis miraculis claruit. »

AD EPISTOLAM VI.

Absenti personæ vestræ privilegio. Per privilegium hoc loco pallium procul dubio denotat Hildebrandus. Et quia absenti archiepiscopo nullatenus mitti soleret, vetarentque id sacri canones, et pontificum Romanorum decreta, iter Lanfranco Romam necessarium affirmat Quomodo autem pallium e manibus Alexandri papæ susceperit B. Lanfrancus, declarat ejusdem Vita cap. 11, pag, 11. Hac in ipsa Vita, cap. 5, pag. 7, constat nihilominus Joanni Rothomagensi archiepiscopo pallium absenti concessisse Alexandrum papam, et ipsummet Lanfrancum, qui ejus rei gratia Romam sese contulerat, illud attulisse.

AD EPISTOLAM VII.

Fidelitatem facere nolui. Miror ego regem Guillelmum summo Ecclesiæ pastori obedientiam seu fidelitatem (alioquin sedis Apostolicæ observantissimum) denegare, qui et ultro tributum, sive denarium S. Petri (quod vocant) persolvere non dubitet ipse;

siquidem nihil aliud intellexere, puto, prisci reges per illum denarium annuatim persolvendum, quam tributarium, vel feudatarium libera atque Christiana voluntate S. Petro ejusque successoribus regnum consecrare; ex uno sequitur alterum, nempe ex tributo persoluto, subsequi fidelitatem necesse est. Huic veritati suffragatur Polidorus Virgil., lib. IV Hist. Angl., pag. 89. Verum propius rem intueamur, et ex fontibus nonnihil hauriamus. Lex Canuti regis Anglorum sic habet : « Nummum Romæ debitum ad festum S. Petri reddito, qui tum non solverit, episcopo denarium illum, aliosque præterea ter denos numerato, ac regi eo nomine **348** ducenos dato, et viginti solidos. » S. Eduardus explicatius lege 10. « Omnis qui habuerit triginta denariatus vivæ pecuniæ in domo sua, de suo proprio, Anglorum lege, dabit denarium S. Petri, et lege Danorum dimidiam marcam, iste vero denarius debet submoveri in solemnitate apostolorum Petri et Pauli, et colligi ad festivitatem quæ dicitur ad Vincula, » etc. Non solum Anglorum regnum ejusmodi censum solvere, verum etiam omnium (paucos si excipias) diversorum regnorum orbis Christiani regum, summorumque principum, mos fuit. Dithmar., l. VI, Baronius ad an. 1059, 1062, 1076, 1081.

Cum opportunum fuerit transmittetur. Avaritiæ vitio passim ab auctoribus notatur Guillelmus rex, carpiturque quod in aggregandis sibi non debitis pecuniis animum plus æquo applicuerit ; sed monitis B. Lanfranci assurgens demum ad meliorem frugem se recepit; quod infra ad epist. 50, lit. 6, ostendemus.

AD EPISTOLAM VIII.

Gregorio. Alias Hildebrando; cujus res gestas obiter perstrinximus, ep. 5, lit. *a*.

Paterna me dulcedine reprehendere studuistis. Binis respondet epistolis ad sese a Gregorio destinatis; exstant lib. VI, epist. 30, et libr. IX, epist. 20. Illa Lanfrancum arguit his verbis : « Sæpe fraternitatem tuam apostolica legatione invitavimus Romam venire, etiam pro fidei et religionis Christianæ comprobatione; quod hucusque, sicut apparet, aut superbe aut negligenter nostra abutens patientia distulisti, cum nec etiam canonicam excusationem prætenderis, » etc. Hac vero illum a pristina dilectione defecisse conqueritur : « Quod ex illo tempore, » inquit, « quo sacerdotale summæ sedis jugum cervici nostræ, licet indigni, suscepimus, venire ad nos non multum curavit fraternitas tua, quanto minus de dilectione tua sperare potuimus, » etc.

Verbis tuis calumniam ingerere. Iis videlicet quibus summus pastor ille epistola priori ubi supra, archiepiscopum Lanfrancum (quod remissior ac segnior in libertate ecclesiastica defendenda, et promovenda gesserit sese) objurgat, culpat, criminatur : « Nisi apostolica mansuetudo (verba sunt epistolæ) nec non et amoris pignus antiquum nos hucusque detinuisset, profecto nos hoc graviter ferre jamdudum constitisset. Verum adventum tuum vel metus Regis (Guillelmi primi) ejus scilicet quem inter cæteros illius dignitatis specialius semper dileximus, vel maxime tua culpa nobis negavit, » etc. Isthæc igitur crimina sibi imposita diluere B. Lanfrancus, atque perperam de se queri pontificem ostendere conatur. Quid renuat Guillelmus rex, sua ad Gregorium papam epistola manifestat. Cur tandem ita compellat Lanfrancum Romam proficisci, mentem suam aperit his verbis : « Quatenus nos his et aliis negotiis præsentialiter conferre, atque utilitas Ecclesiæ nostro colloquio augmentum valeat, Deo favente, percipere. »

AD EPISTOLAM IX.

Eboracensi archiepiscopo Thomæ. « Thomas canonicus Bajocensis (ait Guillel. Malmesburiensis, lib. De pontif. in episcopis Candidæ Casæ) a Guillelmo rege archiepiscopus Eboraco datus est, permansitque in honore triginta annis, omni vita integer, et cui nihil vel in gestis, vel in dictis succenseri debeat, nisi quod primo archiepiscopatus tempore in causa primatus Cantuariensis magis errore quam pertinacia certavit, » etc. Guillelmi Conquestoris fatis functi næniam scripsisse attestatur Ordericus, hist. libr. VIII quam et refert ipse ad verbum. Thomam sanitati redditum meritis beati Cuthberti Rogerus Hoveden. commemorat ad an. 1083, in Willelmo Seniore. Ob cujus gratiam Dunelmensi episcopo concedit ipsemet Willelmus canonicos ab eadem ecclesia submovere, sufficereque monachos in eorum locum.

Robertus Sagiensis. Ordericus Vitalis lib. IV. Hist. pag. 520. « Ivone Sagiensium præsule defuncto, Robertus Huberti de Ria filius successit, qui fere duodecim annis prælatui præfuit; et ipse circa Dei cultum fervens Religiosos multum dilexit. » pag 527. Interfuit concilio Rothomagensi a Joanne archiepiscopo congregato, A. C. 1072. Et lib. IX, pag. 833, Roberti doctrina indicatur.

Montem S. Michaelis. De celebri monasterio in Northmannia sanctissimo archangelo Michaeli sacro, non de illo monte Gargano, loquitur hic haud dubie B. Lanfrancus. « Hic locus Tumba vocitatur ab incolis (ut fert Historia ms. hujusce monasterii) qui in morem tumuli quasi ab arenis emergens in altum, in spatio ducentorum cubitorum porrigitur. Oceano undique cinctus locus, angustum admirabilis insulæ præbet spatium. Ab Abrincatensi urbe sex distans millibus; occasum prospectans Abrincatensem pagum dirimit a Britannia, » etc. Illius fundationem obiter perstringit Sigibertus in Chronico ann. 709. Childeberto II, **349** Francorum monarchiam tenente; fundatorem vero S. Aubertum Abrincensem exstitisse, posuisseque in eadem ecclesia clericos. Verum illi ipsi cultu divino susque deque habito, et laxata prorsus ecclesiastica disciplina, cum et gulæ et Veneri indulgentes, toti in vitiis immersi viderentur, neque Deum, neque homines revererentur, Richardus I dux Northmannorum iisdem eliminatis Benedictinos monachos suffecit; quod late descri-

bit Robertus de Monte in Historia ms. ejusdem monasterii, e qua, dum evulgaverit quidam ex nostris, nec non ex chartulario, in antecessum describere non gravabimur chartam Richardi II ducis Northmannorum, quæ instar est alterius fundationis. Proxime et subsequetur celebris illius monasterii catalogus abbatum.

Charta Richardi secundi Northmannorum comitis, in qua donationes a Patre suo Richardo abbatiæ S. Michaelis factas confirmat. Uti privelegia ejusdem monasterii videre est.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

« Antecessorum nostrorum institutionibus sancitum decretumque est quatenus, si quis suarum facultatum quiddam loco sanctorum alicui, vitæ supernæ accensus amore, perenniter possidendum tradere voluerit, solemne exinde idonearum personarum pluribus astipulationibus fulcitum, ut id inconvulsum permaneat, testamentum faciat. Referentibus enim quamplurimis sanctæ Ecclesiæ Dei doctoribus, divinum esse receptum didici, ut illic nostri recondantur thesauri, ubi omnis aberit furum formido, omnisque tinearum demolitio, esseque quoddam peccatorum purgatorium eleemosynam ; et quod Deus in largiendo munificos exposcit, qui se præparat munificentissimum. Detur igitur Deo non nostrum, sed suum. Quid enim aliud nos habere putamus, quam hoc quod ab eo accepimus? tribuatur frigidæ aquæ calix, ut æterna recipiatur merces. Tanti valere audivimus regnum Dei quantum habemus. Suffecit viduæ quadrans ; profuit et Zachæo bonorum dimidii distributio. Quæ denique ad id quod finitur, ad quod non finitur comparatio? Scilicet pro terrenis cœlestia, pro perituris mereri perpetua.

« Iis et aliis divinæ auctoritatis incitatus hortamentis, ego Richardus, gratia Dei dux, et princeps Northmannorum, pœnas inferni cupiens effugere, et paradisi gaudia desiderans habere post mortem, loco Sancti archangeli Michaelis sito in monte, qui dicitur Tumba, fratribusque ibidem Deo monastice famulantibus, trado abbatiam sancti Paterni, sitam in pago Constantiensi, cum terris cultis et incultis, cum ecclesiis et molendinis, cum pratis, et silvis, ab oriente via publica tendente Constantias, a septentrione rivulo nomine Venleio, a meridie fluviolo nomine Tarn, ab occasu mare Oceano, cum insula quæ dicitur Calsoio. Do etiam villam quæ dicitur Chanteleu, cum ecclesia et molendino, cum silvis et omnibus appenditiis ; terram quoque Grombaldi, quæ sita est in Briquevilla, et in Flamemvilla, et in Lengrona, et medietatem Erengervilla ; terram etiam Durandi, quæ est intra terminos villæ, quæ nuncupatur Verlei : et terram Petri monachi, quæ est in Batula Gerfoy. Columbam iterum sitam in eodem supra nominato pago, cum ecclesia et molendino, et cum silvis, terram etiam Bernardi Patris domini Hildeberdi abbatis, quæ est in territorio villæ quæ nominatur Rotoloi, cum molendino et pratis. Trado etiam donatione perpetua quamdam villam sitam in pago Bajocasino, nomine Versum, cum omni terra, quæ ad eam pertinet, culta et inculta, cum ecclesiis, et molendinis omnibus et silvulis, medietatemque villæ Mondrevillæ, quæ huic adjacet terræ. Confirmo insuper donationem matris meæ de Britavilla, quam de suo dotalitio, loco superius dicto obtulit, pro patris nostri suaque salute, ac mea, meorumque fratrum. Villulas quoque quas avus meus Willelmus, in pago Abrincatino, Sancto Michaeli tradidit, sed Robertus comes postea vi abstulit, reddo, quæ his vocitantur notionibus Maldrei, Carcei, Marrinei, Curei, Forges, Solinei, Dummanei, Macei, Scallei, Peleton, dimidium Gomerei, Verguncei, Mannei, Sancti Joannis iterum villam prope littus maris sitam, cum ecclesia, et vineis, et molendino, et pratis, et villam in valle castelli Moretoin, quæ dicitur Maisnilranger do ; teloniumque totius abbatiæ, et de mercatoribus venientibus et pertranseuntibus. Monasterium etiam Sancti Petri apostolorum principis, situm in latere montis ipsius, tribuo, ea lege ut abbas, vel monachi ibidem pro mea, meorumque filiorum salute clericos constituant quos voluerint ; si quem autem ex illis sordide, aut negligenter res sanctæ Dei Ecclesiæ tractare perspexerint, potestatem habebunt divinum officium ei interdicendi, et nisi correxerit, eo **250** deposito, alium in illius locum subrogandi. Omnes ad postremum consuetudines ipsius villæ, tam ad me quam ad Abricatensem episcopum pertinentes, sicut sanctæ memoriæ pater meus Richardus Romani papæ constituit, perpetualiter possidendas tribuo, ea ratione ut in omni successura generatione abbas, vel monachi ipsius montis, omnes leges, omnesque forisfacturas, clericorum ac laicorum, virorum ac mulierum ejusdem burgi, absque calumnia cujusquam nostrorum successorum, seu prædictæ sedis episcoporum possideant, et quæque corrigenda fuerint, corrigant ; qui si in aliquo rectitudinis tramite, quod quidem absit, deviaverint, curamve animarum incolarum loco neglexerint, jam dictæ sedis episcopus, sive Deum timentes vicini, in notitiam deferre curent principis, qui illis temporibus Northmannorum dux fuerit, ad quem deinceps pertineat corrigere ea consilio Rothomagensis archiepiscopi, cæterorumque optimatum provinciæ. Porro de ordinatione abbatum vel monachorum, sive clericorum loci, hoc decernimus, ut juxta quod a supradicto meo genitore sancitum est, generali assensu Romani concilii, monachi sæpe fati monasterii ordinando sibi eligant, ut sibi placuerit a quolibet episcopo suæ vicinitatis, aut in illius sede, aut in suo monasterio ordinari faciant. Hæc autem omnia prænotata Deo, sanctoque archangelo Michaeli, in ejus prædicti montis monasterio placuit tradere, pro meæ redemptione animæ, pro mei quoque patris, vel matris, et uxoris, filiorumque meorum Richardi et aliorum salute ; quorum voluntate consensuque id ago sub testimonio Christi, totiusque Ecclesiæ,

eo tenore, ea lege, ut absque calumniatione omnium A succedentium, sive parentum, seu quorumcunque aliorum præfatus locus, et habitantes in eo habeat, teneat, possideat. Quod si aliquis diabolicæ pravitatis telo jaculatus qualicunque modo his calumniationis vim inferre præsumpserit, ipse, consentiensque sibi totius execrationis, atque maledictionis cum Juda traditore, et Dathan et Abiron perennibus perenniter irretiatur vinculis. Ut autem hujus donationis auctoritas verius credatur, ac diligentius per omnia servetur, firmiusque futuris teneatur temporibus, manu propria subterfirmare curavi, fideliumque nomina meorum, quorum consensu id egi, subscribi imperavi.

« Signum Richardi secundi comitis filii magni Richardi, qui et Vetus dicitur; signum Richardi filii B ejus; signum Roberti filii ejus.

« Ego Maugisius, sanctæ Abrincatensis Ecclesiæ episcopus, hanc donationis chartulam manu propria voluntarie confirmo.

« Robertus archiepiscopus Rothomagensis; Hugo episcopus Bajocensis; Robertus episcopus Constantiensis; Hugo episcopus Ebroicensis; Herbertus episcopus Lexoviensis; Niellus vicecomes; Tursten vicecomes; Aluerel vicecomes; Walterius vicecomes; Richardus vicecomes; Guimundus vicecomes; Hubertus; Osbernus frater comitissæ; Humfredus frater ejus; Bocelinus; Nortmannus Silver; Bernardus filius ejus; Osbernus filius Arsast; Ranulphus frater ejus; Hugo clericus, » et multi alii.

C Sed vero eisdem immunitatibus derogat in nonnullis pactio Abrincensem episcopum inter et abbatem, ac monachos Montis Sancti Michaelis ann. 1236, facta.

Catalogus abbatum S. Michaelis de monte Tumba.

1. Maynardus I, expulsis canonicis a Richardo I duce Northmannorum præficitur ann. 966; rexit monasterium 25; obiit 991.

2. Maynardus II, ann. 991; moritur 1009.

3. Hildebertus I, an. 1009; migrat e vita an. 1017.

4. Hildeberdus II, ann. 1017; mortem obiit an. 1023.

5. Almodus, an. 1023; abbatiam abdicavit an. 1032.

D 6. Theodoricus Almodo suffectus est eodem anno, moritur an. 1033.

7. Suppo an. 1033; cui in prælatura 15 anni tribuuntur; sed duce Northmannorum cogente reliquit abbatiam ann. 1048.

8. Rodulphus de Beaumont Supponi successit an. 1048; vita functus an. 1058.

9. Ranulphus, postquam duobus annis sedes vacasset, electus est an. 1060; obiit 1084.

10. Rogerus I, eodem anno. In Angliam relegatus, ibidem moritur an. 1112.

351 11. Rogerus II, Rogero I adhuc vitam agente, eligitur an 1106, e monasterio ejicitur an. 1123.

12. Richardus de Mere in locum Rogerii II sufficitur 1123, mortem oppetiit an 1131.

13. Bernardus ex monacho Beccensi ann. 1131 migrat e vita an. 1149; Chronic. Beccense ad. an. 1149.

14. Gofridus I an. 1149; obiit an. 1150.

15. Robertus de Thorigny, vulgo Robertus de Monte nuncupatus. Prius monachus ac Prior Beccensis monasterii, cujus Chronicon ad annum 1154 Robertum de Tougeyo appellat. Inde communi monachorum S. Michaelis assensu in abbatem assumitur an. 1154. In omni genere doctrinarum præstantissimus fuit.

Centum quadraginta volumina edidisse, atque turris sub ruinis et impluvio computruisse refert Historia S. Michaelis calamo exarata; A. C. 1169; jussu Alexandri papæ III interest concilio Turonensi. Orator, ut Godefridum Britanniæ ducem publico cum apparatu exciperet, legatur. Stephanus Redonensis episcopus circa A. C. 1176 Roberti laudes versibus est prosecutus. Exstant etiamnum ejus Chronicon seu Appendix ad Sigibertum; aliud item Chronicon nondum editum, nec non et Historia Montis S. Michaelis, ac in Epistolas B. Pauli commentarius; obiit an. 1186.

16. Martinus I, an. 1187; vita functus an. 1191.

17. Jordanus, an. 1191; mortem oppetiit. an. 1212.

18. Rodulphus des Iles, ann. 1212; obiit 1218.

19. Thomas des Chambres, an. 1218; excessit e vita an. 1225.

20. Renatus de Villedieu, an. 1225; moritur an. 1236.

21. Richardus de Tustin, an. 1236 a summo pontifice insignia pontificalia obtinet; mortem oppetiit an. 1264.

22. Nicolaus Alexandre, an 1264; animam exhalavit 1271.

23. Nicolaus II cognomento Famigot, an. 1171; obiit an. 1279.

24. Joannes le Fae an. 1279: vitam egit. an. 1298.

25. Guillelmus du Château, an. 1299; moritur an. 1314

26. Joannes de la Porte, hoc nomine II an. 1314. Hoc anno præsidiarii milites regis auctoritate in monte S. Michaelis collocati sunt; quorum administrator exstitit Joannes abbas, qui e vita discessit an. 1334.

27. Nicolaus le Vitrier III an. 1334; obiit 1362.

28. Gofridus de Servon II, an. 1363; vita functus an. 13 6.

29. Petrus Regius (le Roi) ex abbate S. Taurini Ebroicensis fit abbas S. Michaelis ann. 1386, vir non minore morum probitate quam doctrina præditus. Publice sacros canones Parisiis est interpretatus. Præfectus ejusdem monasterii litteras postliminio ad pristinum splendorem revocavit, effecitque ut inibi celeberrimum foret scientiarum omnium gym-

nasium. Postquam diversis est legationibus functus, A nomine Caroli VI regis Francorum in Aragonia, Hongria et Anglia, Pisas proficiscitur, qua in urbe, vel, ut aliis placet, Constantiæ, facunda atque vehementi oratione ita cardinalium sibi conciliavit animos ac voluntates ut communi consensione Othonem (Martinum III, vulgo V, postea vocatum) summum pontificem omnes proclamarent. Posthac dum rediret, Bologniæ Tuscæ obiit an. 1410.

30. Robertus Jolivet II, an. 1410; e vita migrat an. 1444.

31. Guillelmus d'Estouteville II, cardinalis tituli Sancti Martini, an. 1444: summa contulit beneficia monasterio. Ædificia miræ structuræ (quæ exstant hodieque) exædificasse ferunt. Legatus a latere fuit. Quæ in electione rectoris academiæ Parisiensis per- B aguntur, aiunt ipsummet ordinasse. Vita Parisiis fungitur an. 1430.

32. Andreas Laure, an. 1482; moritur an. 1499.

33. Guillelmus de Lamps III, an. 1499; obiit an. 1510.

34. Guerinus Laure, an. 1510; mortem oppetiit an. 1513.

35. Joannes de Lamps II, an, 1513; obiit e vita an 1523.

36. Joannes le Veneur III, episcopus Lexoviensis, et E. R. cardinalis. I commendatarius. Abbatia quoque Beccensi potitus est. Moritur an. 1539. Deinceps abbates commendatarii.

37. Jacobus d'Anebaut cardinalis, an. 1539; de vita decessit 1558. C

38. Franciscus le Roux protonotarius apostolicus, ann. 1558; animam egit 1570.

39. Arturus de Cosse episcopus Constantiensis, an. 1570; obiit an. 1582.

40. Franciscus de Joyeuse cardinalis an. 1588; diem extremum clausit an. 1615.

41. Henricus de Lorraine de Guise, ann. 1615; et post annos 26 abbatiæ cessit **352** Illustrissimi, illius abbatis sub auspiciis, anno 1622, monachi congregationis S. Mauri, in hoc cœnobium introducti, monasticam resarciunt disciplinam.

42. Jacobus de Souvré, an. 1643; de ordine Benedictino quamoptime promeritus, atque illius monasterii immunitatum acerrimus propugnator.

Et hanc abbatum seriem chartasque præpositas D ex veteribus S. Michaelis monumentis excerpsit unus e sodalibus meis, atque ad me transmisit.

AD EPISTOLAM X.

Quatenus in conspectu Dei et hominum evidenter appareat. Ideo hæc profert propter litigiosam illam de primatu Cantuariensis Ecclesiæ in Eboracensem quæstionem toties agitatam; de qua superius dictum est sæpe. Optima sane hoc loco (etsi compendio allata) suppeditat documenta S. Lanfrancus; etenim proximum si in Deo minime diligamus, Deum haudquaquam amare convincimur: *Si quis dixerit* (inquit apostolus Joannes Epist. II, cap. IV) *quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Quod attente revolvens B. Augustinus, lib. VIII De Trinit., cap. 8, sic eloquitur: « Manifestum est quod justitiæ perfectionem in fratris dilectione posuerit (S. Joannes). Nam in quo scandalum non est, utique perfectus est. Et tamen dilectionem Dei videtur tacuisse, quod non faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum. »

Plurimæ SS. Patrum auctoritatis. Passim in decretorum libro, atque in conciliis, potissimum can. 48 Apostolorum; concil. Arelat. I, sub Silvestro I, cap. 10; et Forojul. sub. Adriano I, cap. 10; Innocentii I epist 3. ad Exup cap. 6. Qua de re legendus D Augustinus, cap. 7. De bono conjugali, lib. II De adulterinis conjugiis, cap. 4 et 5.

AD EPISTOLAM XI.

Ecce, Pater sanctissime. Hac in epistola animadvertere est quantum Thomas a pristino statu deflexerit, dum adeo mordicus ac præfracte obedientiam negaverat archiepiscopo Cantuariensi Lanfranco (ut ex dictis superius compertum habetur), at nunc ultro ei sese submittit, illumque rogat enixe ut duos episcopos, more solito (episcopi consecrandi gratia) transmittat. De hac et subsequenti epistola Vita B. Lanfranci. capit 13, p. 14.

Paulus comes. Orcadum. « Qui quamvis Noricorum regi hæreditario jure subjectus, ita regis (Henrici primi) amicitias suspiciebat, et crebra ei munuscula missitaret, » etc. Guillelm. Malmesbur. lib. V in Henrico primo, fol, 91; et Florent. Vigorn. ad an. 1066.

De Orcadum partibus. Orcadum Insularum graphica legitur descriptio apud Guill. Camdenum in Insulis Britannicis: « Objacet Cath regioni Scotiæ, quam ob promontorium Cathenesse nunc appellitant, » etc. Et paulo post: « Ex his (insulis) Pomonia episcopali cathedra celebris, primaria est, » etc.

Eidem clerico concessisse. « Rodulpho nempe », (verba sunt Seldeni de hac epistola in notis ab lib. I, Historiæ novorum Eadmeri), « cujus nomen quod jam in dictis litteris minime occurrit, ediscimus ex Thoma Stubæo, veteri archiepiscoporum Eboracensium Vitarum scriptore, nondum edito. »

Duos episcopos dirigat. Id moris continuo in Ecclesia episcopum a tribus saltem episcopis consecrari, perseveravit. Concil. Nicænum cap. 4: « Episcopum convenit maxime ab omnibus qui sunt in provincia episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et absentibus pari modo decernentibus et per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. » Consule Menardum in observat. ad librum Sacramentorum D. Greg papæ.

Remigius. Linconiensis episcopus ad epist. IV Romam eum una cum Thoma Eboracensi petiisse vidimus. « Ille primis annis egregia apud Dorkecestram meditatus, et aliqua facere ingressus, novissime curam omnem et sedem transtulit ad Lindocol-

niam (Linconiam) civitatem. » Et infra. « Quod eo jucundius erat, quia ipse pro exiguitate corporis pene portentum hominis videbatur, luctabatur excellere et foris eminere animus, eratque gratior exiguo veniens e corpore virtus (VIRG. *Æneid.* v, 344). Quem ideo natura compegisse videtur, ut sciretur beatissimum ingenium in miserrimo corpore habitasse posse. » Hactenus Malmesbur. lib. IV De pontif. in episc. Lincoln.; Henric. Huntindon. sub finem lib. VII Historiæ.

353 AD EPISTOLAM XII.

Wlstano Vigorniensi. Quam insigni sanctimonia eluxerit S. Ulstanus perhibent Rogerus Hoveden. in Guillelmo seniore ad an. 1070 et 1703; Guillel. Malmesbur. De gest. Anglorum lib. III, et lib. IV De pontif. in episcopis Vigorn. uberius. Sed præ cæteris Florentius Vigorniensis (diu familiariter cum B. Ulstano in eodem monasterio conversatus) ad an. 1062. Pauca interim ex ipso hæc habe : « Electo Aldredo ad archiepiscopatum Eboracensis Ecclesiæ, fit unanimis consensus tam cleri quam totius plebis (Vigorniensis) in ejus (Ulstani) electione. Illo vero obstinatissime renuente, seque indignum acclamante, et cum sacramento affirmante se multo libentius decollationi quam tam altæ ordinationi succumbere velle, tandem a viro Dei Vulso incluso correptus, divino etiam oraculo territus, consentire cum maximo dolore cordis compulsus est » etc. Eximium vero Ulstani effatum, ubi veterem ecclesiam a S. Osualdo exædificatam detegi ac subrui conspiceret, lacrymas tenere nequivit * unde a familiaribus modeste redargutus quod magis gaudere deberet, respondit : « Ego longe aliter intelligo quod nos miseri sanctorum opera destruimus, ut nobis laudem comparemus; non noverat illa felicium virorum ætas pompaticas ædes construere sed sub qualicunque tecto ipsos Deo immolare, subjectosque ad exemplum attrahere ; nos econtra nitimur ut, animarum negligentes curam, accumulemus lapides. » Ita ille in Malmesburiensi ubi supra. Quod ponderent, precor, qui nimia prurigine (ut ita dicam) occupantur vetera abolendi monumenta.

AD EPISTOLAM XIII.

Joanni Northmannorum archiepiscopo. Northmannorum appellat archiepiscopum Rothomagensem, eam ob causam quia juri ipsius subsint universi Northmanniæ episcopi. Eo etiam loquendi modo utitur epist. 34. Scribens Domnaldo totius Hiberniæ metropolitano, Hiberniæ episcopum nuncupat. Joannis gesta stylo suo prosecuti sunt Guillelm. Gemeticensis Hist. lib. VII, cap. 38, et lib. VIII, cap. 3; Robert. de Monte in Chronico ms, ann. 1067 et 1074. Sed maxime Orderic Vital. Hist. lib. IV. pag. 507 : « Joannes de sede Abrincatensi, quam 7 annis et quatuor mensibus rexerat, et metropolitanus Rothomagensis factus est. Hic ardore virtutum in verbis et operibus multipliciter fervebat, nimioque zelo in vitia, ut Phinees sæviebat, » etc. Plura vide apud eumdem, lib. IV, pag. 527 ; lib. V, pag. 551. Et Chronica S. Stephani Cadomensis A. C. 1061. et seq. Joannes tum Abrincensis episcopus libellum edidit De officiis ecclesiasticis; quem primum evulgavit notisque adornavit doctissimus Joannes le Prevôt, Rothomagensis Ecclesiæ canonicus. De Joanne Rothomagensi in Vita B. Lanfranci, cap. 5, pag. 7, et notis ad eamdem, pag. lit. d, inferius iterum.

Casulam posuit. Casula eo loci pro veste sacra sumitur. Alcuinus lib. De divinis officiis ; Amalarius, lib. II, cap. 19; Rabanus, libr. I De institutione clericorum, cap. 21.

Cappis induti. De capparum sive pluvialium ecclesiastico usu, Isidor. lib. XV Originum, cap. 12; Helgaudus in Vita Roberti regis Francorum, agens de capella. Porro ritus capparum deferendarum in dedictione ecclesiarum etiamnum observatur, ut notum est ex libro Pontificali.

Leo Romanæ sedis, etc. Cujus supra meminimus ad epist. 3 *b*. Nonnullarum [eum] egisse consecrationes ecclesiarum, atque inter alias Romaricensis (Remis habita synodo), cum Gallias primo sui pontificatus anno lustraret, testantur Annales ecclesiastici Cæsar. Baronii, tom. I, ad. ann. 1049.

Romericensem Ecclesiam. Romericum seu Romaricum mons, locus haud procul a Mosellæ ripa in Vogeso monte. S. Romaricus inibi cœnobium sanctimonialium construxit; unde locus est appellatus Mons Romaricus, et vernacule, vocabulo corrupto *Remiremont*, quasi Romaricmont, vocitatur et *Sanctus Mons*. Multa de S. Romarico et ejus cœnobio, nec non de Sancto Monte Hugo Menardus in observationibus ad martyrologium Benedictinum ad diem 8. Decemb.

Manipulum esse commune ornamentum. Alcuino et Rabano communis est cæteris ordinibus manipulus, velut amictus et alba, siquidem pro mappula, quæ sinistro aptatur brachio, ad humores e naribus atque oculis defluentes extergendos, accipitur. Mappulam, phanon seu mantile dicunt illi auctores, primus lib. De divinis officiis, alter vero De institut. clericorum lib. I, cap. 18. De manipulo seu mappulo prædictus Menardus Concordiam regularum explicans, pag. 894; Gavantus in rubricas missalis part. II. tit. 1.

Solent ferre manipulum. Abrogata postmodum fuit ista consuetudo. Concil. Pictavense II, **354** sub Paschali II, cap. 5 : « Ut nemo monachorum deinceps manipulis utatur, nisi fuerit subdiaconus ordinatus. »

Et de ordinando subdiacono. Quæ in ordinatione subdiaconi sunt peragenda, perdocte cum ex conciliis, tum ex antiquis Patribus idem qui supra Menardus in librum Sacrament. D. Gregorii papæ, pag. 280 edisserit.

Cum aqua manili. De aquæ manilis, urceoli, ac mamanutergii significatione videsis eumdem, loco citato, 281.

AD EPISTOLAM XIV.

Temerariam superbamque temeritatem, etc. Hic

innuere videtur quod Joanni inter missarum solemnia in ecclesia S. Audoeni accidit, ut ex verbis hisce insequentis epistolæ conjicio *Perditissimæ congregationis*; quod adnotabimus ibidem. Atque id quidem speciatim coætaneus auctor, res pontificum Rothomagensium persequens, expressit, cujus verba tametsi longius excurrunt non abs re fuerit audire. Sic igitur habent :

De tumultu in A. Audoëni festo die et abbatia, per archiepiscopum, tempore Guillelmi Northmannorum ducis.

Causa fuit quia insolitum, ut loco nobilissimo, et ab omni re seu consuetudine archipræsulis hujus urbis, privilegio Caroli Magni libero sit memoriale, quo se præbent nec in magnis excessibus ipsorum aliquod justitiæ deberi. Causa erat quia Guillelmus, Northmannorum comes et Anglorum rex gloriosus, Cenomanis cum expeditione sua morabatur. Aderant ei inter reliquos proceres iste Joannes sedis istius archiepiscopus, ut vir excellentis ingenii, et non mediocris consilii. Nicolaus quoque reverendus abbas supradicti cœnobii. Imminebat celeberrima totisque votis excipienda sanctissimi Audoeni dies natalitia, et quia moris est ut archiepiscopus ipsa die inibi missarum solemnia celebret, non pro ulla quidem vel ipsius jentaculi vicissitudine, sed quasi in recompensationem consecrationis suæ, quam non nisi in præfata ecclesia, cujus sedes memorata, licet accipere, missione a rege petita, redibat concite, abbate prænominato interim ad occupatiora remanente. Quid plura? adest dies veneranda, clerici majoris ecclesiæ solito eo conveniunt, et quia præmisso nuntio venturum se mandaverat, solemne missarum interim differtur. Post aliquandiu vero e communi consilio, ne quid tantæ diei subtraheretur, dum veniat, initiatur. Tanta vero morositate, tanta id factum est devotione, ut non mirum totis animis hostem generis humani ad hanc lætitiam turbandam exarsisse, qui maximo sibi lucro credidit accedere, sic illud veneno suæ nequitiæ tempus inficere quod interim sibi dolebat deperire. Finito itaque *eleison* cum duobus rhythmis exacto *Gloria in excelsis Deo*, quod incœptum ab abbate Ricardo Sagiensi chorus celeberrime fuerat exsecutus cum laudibus suis; id vero totum expendebatur in præstolatione archipræsulis. Ecce accurrit, ut turbo tempestatis omnem confundens illius gratiam celebritatis. Hic namque totam mentis indignationem animo concipiens quod non usque quaque fuerat exspectatus, torvis oculis ore furibundo cunctis maledixit, conversusque ad ipsos monachos excommunicavit ex auctoritate Dei et sua, officium præsens interdicens cessare fecit. Abbatem ab altari evellens divini officium ministerii prohibuit. Ipse ad complendum officium se præparat; clericis suis ut a loco intercepto peragerent imperat.

Nihil hic reticendum fore censuimus, quod dum alteri parti favendo dissimulamus, alteri totum derogando imputare videamur. Verum falsi astipulatione non indiget. Fratres, etsi decorem sibi tanti sui gaudii præripi dolentes, pontificali tamen auctoritati cedunt, festivis se ornatibus exuunt, satis cum tumultu ecclesia egrediuntur. Huc quidam, pars illo alii alio succedunt, invicem et ad suos supra suo pudore mœrentes, conqueruntur. Cum subito quidam, mœroris impatiens, dubium quidem an ex ipsis vel eorum famulis, plus furoris, minus consilii animo colligens, turrim properat, majus ecclesiæ signum pulsat. Hinc foras ocior advolat; archiepiscopum sancti Audoeni glebam ad majorem ecclesiam asportare velle proclamat. Prosiliunt omnes e domibus, alii gladium, hi bipennem, diversi quod primum in manibus occurrerat, arripiunt, ecclesiam cum furore irrumpunt. Quidam curiositate acti celata monasterii conscendunt. Archiepiscopus circum circa furentium se turmis appeti expavescens, plus tamen desuper imminentes metuens, ab altari ad valvas monasterii fugam arripuit. Vix elapsus infra ambitum earum, ipsis prius clausis, se recepit: undique circum se sedilia et formas aggregari fecit. Nonnulli tamen **855** partis ipsius arreptis candelabris, cereis et perticis, in monachos efferati, sed ab eis non segniter excepti Pudet dicere quam fœdo exemplo res eo die debuit determinari. Consistit satis ipso die meritum sancti omnibus adfuisse, qui hinc sævientium manus comprimendo, hinc archiepiscopo cum suis eo eximendo periculo, tantum nefas non parvo cunctis miraculo potuit avertere. Nam tanta subito nubis caligo id spatium sanctuarii quo loculi sanctorum continebantur obtinuit, ut vix vel oculorum acie corripi potuerit. Rei congruit miraculum. Quia enim sacræ Scripturæ diversis in locis nunc delinquentium cæcitas, nunc Domini protectio figuratur, jure hoc in ipsa nube prætendebatur. Hinc nempe insensibiliter furentium nubilum, velut fumus ascendens, divinæ gratiæ serenum turbabat. Hinc manum Domini reatu ipsorum ad feriendum provocatam sanctus Audoenus meritis suis protegendo continebat. Dicto nihil subrepit quod refragetur. Tantum ratio ipsa a toto pendens suffragatur. Ipsi sane cujus patientia sit altissimus redditor, æstimare licuisset, ni, se in sua pertinacia continens, a consideratione rationis animum revocasset. Sed animositatis ejus animositas non destitit eo usque quo se invehens in se, irruit in se.

Igitur vicecomes civitatis archiepiscopum sic circonventum ut agnovit, veritus ne quid inconsulto adversus ipsum ageretur, et ipse post ne argueretur, militarem manum cogit, regis bannum omnibus prætendit, suppetias accurrit. Jam nil reluctantem, imo penitus diffidentem, periculo eximit.

Fratres in crastinum de suis eligunt, per quos abbati suo quod factum fuerat innotesceret, et regem super hoc suggesturus adiret. Sed archiepiscopi nuntius præcesserat, invidiam omnem in monachos retorserat. Sic infecto negotio reditum est. Rex, licet post ipsius archiepiscopi et quorumdam aulicorum instinctu, animo in monachos motus,

rem tamen ex æquo pensans, hinc immoderatam arrogantiam, hinc inconsultum tumultum justis liberationibus præponderat. Jubet igitur ecclesiam statim ab archiepiscopo reconciliari. Quod cum satis irato et reluctanti animo abnueret, rex Michaeli episcopo Abrincacensi loci reconciliationem injunxit, pudorem vero suum, in futuro vindictam prætendens, dissimulavit. Quatuor igitur monachos loci, quos et factionis auctores audierat, totidem aliorum cœnobiorum abbatibus commisit quatenus et achiepiscopo satisfaceret, et illi in peregrinatione sua luerent quod minus consulti peccassent. Non multo post tamen, et rationis consideratione et petitu abbatis ipsorum flexus, in præsentiam sui eos revocavit, et Ecclesiæ reconciliatos reddidit. In his omnibus semper apud ipsum cautum exstitit ne quid sibi archiepiscopus, quasi sub ecclesiastico vigore, in causis hujus ecclesiæ insolenter arrogaverit. Imo postquam ei gemino fratrum eorumdem exsilio satisfecit, rem in consilium ponit, concilium cogit, quod abbatiam suam irato et tumultuante animo intrasset, quod turbæ causa et materia exstitisset, quod loci reconciliationem sibi denegasset, judicio primatum suorum trecentas libras exegit. Delicti satis hac vindicta exsolvisset, si intime facti pœnituisset, Dominique patientiam non negligendam putasset. Sed animi rancorem, nec tamen primum adversus S. Audoeni cœnobitas acceperat, et hoc modo potuit potius exaggerari quam leniri. Trium annorum spatium evolutum erat, et semper repulsam sui dolorem continuo secum corrodebat, congruenti sane exemplo suspensus, velut evangelicæ illius ficulneæ fructus, unde sic quædam exspectata tribus fructum non attulit annis. Cum post id temporis, redeunte eadem festivitate, paucis ante mensibus paralysi perculsus, sed ab hac infirmitate jam respirans ad solemnitatem venit, et quia per se missam celebrare non potuit, Vasleberto Ebroicensi episcopo vices suas commisit. Ipse in medio cantorum specie præcentoris stetit. Tandem regia auctoritate, imo consultu omnium pulsatus episcopatu cedit, et ad quamdam sui patrimonii villam, sancti Philiberti die, secedit; ubi et aliquantisper supervixit. Duodecimo vero sui præsulatus anno, viam universæ carnis ingressus, hominem exuit. Inde tamen ad propriam sedem refertur, et honorifice in ipsa ecclesia tumulatus est.

Hactenus anonymus ille ex chronologia ms. abbatiæ S. Audoeni. Et hæc eruditione æque ac pietate [illegible]. V. Joannis le Prevôt indicio et beneficio ex parte debemus; quæ et integra inter antiquas schedas ad historiam ordinis nostri paratas occurrere. [illegible]oncisius descriptam superiorem historiam reperies in Chronico S. Stephani Cadom. ad calcem script. vet. Historiæ Northman. ad annum 1073. Mathæo [illegible]aride, et Florilego ad hunc annum. Cæterum, etsi Joannes (alioquin religione et scientia clarus) inconsulte et parum prudenter, quin et ira succensus, hac in re sese gesserit, viris tamen Christianis,

A nedum religiosis, nefas est tuendorum **356** privilegiorum gratia, violentas manus (contra Psalmographi præceptum: *Nolite tangere Christos meos*) (*Psal.* CIV, 15) in unctos Domini, episcopos injicere; qui ab Apostolo, per antonomasiam, ministri Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (*I Cor.* IV, 1), hoc est prædicationis, sacerdotii et aliorum sacrorum ordinum (ut fert glossa B. Lanfranci) successores sunt apostolorum, principes Ecclesiæ, angeli, dii.

Quia vos oderunt, et exprobaverunt, ejecerunt. Quanquam superius dixerim monachos S. Audoeni tangere hac in epistola B. Lanfrancum, nihilominus presbyteri qui Joannem archiepiscopum lapidibus appetiere possunt intelligi; quod prodit Ordericus, lib. IV, p. 507: « Multum contra impudicos pre-B sbyteros pro auferendis pellicibus laboravit (Joannes): a quibus dum in synodo concubinas eis sub anathemate prohiberet, lapidibus percussus aufugit, fugiensque de ecclesia, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam* (*Psal.* LXXVIII, 1), fortiter clamavit. »

AD EPISTOLAM XV.

Perditissimæ congregationis. Congregationem, hoc loco monachos sancti Audoeni innui videtur; quos, laxata monastica disciplina, dissolutioris vitæ tum exstitisse argumento est subsecuta cœnobii reformatio sub Helgoto Cadomi priore, Nicolai successore; quod memoriæ prodidit Robertus de Monte in Chronico ms. post appendicem ad Sigibertum, abbates recensens monasterii prædicti; *Hic* (Helgo-C tus) *ordinem emendavit.*

Episcopi Walchelini, seu Walchelmi. Bibliothecarius Malmesbur. in episcopis Vintoniens., lib. II De pontif. « Stigando deposito successit Valchelmus, a Willelmo rege datus, cujus bona opera famam vincentia senium a se vestustatis repellent, quandiu inibi sedes episcopalis durabit. Et primo quidem advena novus monachos exosus fuerat; sed facile correctus umbraticum illud odium sæpe deploravit, deinceps fovens eos ut filios, diligens ut fratres, honorans ut dominos. Unum est permaximum in quo peccavit quod ad trecentas libratas terras monachis auferens, suis et successorum usibus implicuit. »

D *In omnibus obedire etiamsi ipse, quod absit! aliter agat.* Apposite hunc locum B. Lanfranci discipulus Anselmus illustrat lib. III epist. 39 ad Beccenses: « Necesse est ut, sancta unanimitate colligati, et corde et voluntate prælato vestro obediatis, facta et dicta ejus non dijudicetis, sed sine omni retractatione, quasi divinitus inspirata, venerando mente benigna servetis. Ubi enim prælati judices fiunt (subjecti) aperte Dei ordinationi detrahunt et contradicunt, quibus Deus et suæ gubernationis subtrahit auxilium, et eos in proprii erroris præcipitari permittit consilium; ubi vero prælatus cum veneratione, tanquam Christus, suscipitur; ita tota domus Christi regitur consilio, et protegitur et sustentatur auxilio, » etc.

AD EPISTOLAM XVIII.

Obserno digno antistiti. Obserni nomen ascribere episcopo illi Exoniensemque ipsum affirmare non dubitamus; quippe id tum ex epistolæ contextu, ubi una cum B. Lanfranco (cui regni summa, rege absente, demandata erat) ad decernendum negotium admittitur, tum ex iis quæ de Obserno habet Malmesburiensis, lib. II De pontif., haud dubie statui potest: « Successit Leofrico, inquit ille, Obsernus regis Willelmi tempore, natione Northmannus, frater Willelmi præcellentis comitis, in Anglia sub Eduardo rege liberaliter et domestice conversatus; quippe qui cognationem regiam vicino attingeret gradu, » etc.

B *Cœnobio S. Edmundi.* Illius meminere scriptores quamplurimi. Guillelm. Malmesbur. De gest. Anglo., libr. II, cap. 11, et lib. II De pontif in episcopis Oriental.; Harpsfeld., sæculo II cap. 17, in fine, qui de cœnobii Sancti Edmundi privilegio disserit in hunc modum: « Edmundus rex Edgarii pater cœnobium a publicis omnibus tributis et omni episcoporum jurisdictione liberat. » Et post alia: « Solebant antiquitus reges diadema suum eo mittere, posteaque magno pretio redimere. »

Abbatem Balduinum detineo. Quia apprime medicinam artem callebat iste. In Angliam jussu sancti Eduardi regis transfretavit, ut Leftanum Sancti Edmundi archimandritam, qui curiositate motus, ubi sanctum ejusdem corpus attrectare præsumpsisset, ambarum manuum digiti retorti sunt « Ille Balduinum S. Dionysii monachum ejus artis (medicinæ) peritum dirigendum curavit. Qui cum in cæteris probe, in digitorum curatione nihil promoveret, mirari cœpit homo; sed causam morbi a scientibus edoctus, in loco remansit, amorem martyris totis præcordiis amplexus. Leftano non tam successit quam accessit abbas, illo amittente [*f.*, annuente, Ed. P.], rege volente. Sub eo et per eum libertas monasterii ab Alexandro papa data, ut nulli episcopo locus ille subdatur in aliquo, archiepiscopi tantummodo nutum in legitimis 357 spectaturus. » Ita Malmesburiensis, loco proxime citato; Florent. Vigorn. A. C. 1097. Est ad Balduinum, sancti Anselmi lib. II, epist. 4.

AD EPISTOLAM XIX.

Herfasto episcopo. Hunc primum Becci monachum, atque inibi litteras didicisse asserens, turpiter allucinatur Godwinus, lib. De præsulibus Angliæ. Namque et id silent scriptores omnes, et perhibet luce meridiana clarius Chronicum Beccense, nec non et B. Lanfranci Vita, ante ipsummet archiepiscopum scholas aperuisse, vel docuisse neminem. Ille est Herfastus, qui concilio Londoniæ, an. 1075, interfuit: « Et ne nihil fecisse videretur (verba sunt Guillelmi Malmesb., lib. II De pontif.), ut sunt Northmanni famæ in futurum studiosissimi, episcopatum de Halmaham transtulit ad Thetfordum. Parcæ (ut aiunt) mentis homo, et nonnulla ex parte litteris eruditus. »

A *Querimonia de clericis abbatis Balduini.* Ne jura privilegiaque cœnobio S. Edmundi a summis pontificibus concessa ulterius infringat Herfastus, præcipit hac in epistola B. Lanfrancus. Ille etenim, ægre ferens ejusmodi immunitates, qualibet data occasione usurpare tentabat: sed ventum ponderare videbatur; nam Balduinus sese eidem strenue opponebat, illiusque conatus haud impigre metropolitanus Lanfrancus, quin etiam et Gregorius VII papa, illidebant, ut patet ex ejusdem Gregorii epistola sequenti.

AD EPISTOLAM XXI.

Cum nullius esset ordinis. Receptissima fuit ista consuetudo in Ecclesia, ut nullus nisi a minimis ad majores evehatur ordines. Caius papa Felici episcopo: « Illud nos statuentes vobis et omnibus servare mandamus, ut ad ordines ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia qui ordinari merentur, id est, si quis episcopus esse meretur, sit primum ostiarius, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur acolythus, demum vero subdiaconus, deinde diaconus, et postea presbyter, et exinde, si meretur, episcopus ordinetur. »

Diaconatum ei auferte. Quantum ad exercitium videlicet, non quoad statum. Ita passim loquuntur Patres in Decretis distinct. 50: *Accedens ad Gorgonum*, et glossa in idem cap. Difficultatis hunc nodum docte solvit Estius in 4 Sentent., distinct. 25, § 6. Et de his qui prætermissis inferioribus ad superiores ordines provehuntur, distinct. 52: « Sollicitudo dilectionis tuæ studuit utrum portator istarum litterarum diaconatus et presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne; cum id præpostero cursu, subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde non consulendo charitati tuæ mandamus ut ab omni officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo Quatuor Temporum jejunio subdiaconatus ministerium sibi rite imponas, sic et deinceps ad majora officia eum redire concedas. » Quid porro pœnæ prolapsis in carnis vitium imponatur, docent inter alios canon. apostol. 25: « Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, post diaconii gradum acceptum fuerit fornicatus, aut mœchatus, deponatur, et, ab ecclesia projectus, inter laicos agat pœnitentiam. » D. Gregorius Januario episcopo Calaritano, lib. II epist. 26: « Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit sacro ordine ita careat ut ad altaris ministerium ulterius non accedat. » Distinct. 50, c. 16: « Si quis amodo episcopus presbyter, vel diaconus feminam acceperit vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat, usque dum ad satisfactionem veniat. »

Vel in synodo. Non modo ob crimen, verum etiam injuste depositos, media in synodo, atque hac ratione restituendos episcopos presbyteros, diaconos et subdiaconos, præscribit concilium Toletan. IV sub Honorio I, cap. 28: « Episcopus, presbyter, diaconus aut subdiaconus, si a gradu suo injuste dejectus i

secunda synodo innocens reperitur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario, de manu episcopi orarium, annulum et baculum. Si presbyter, orarium et planetam ; si diaconus orarium et albam ; si subdiaconus patenam et calicem. » Notandum vero est posterioribus sæculis, atque etiamnum, solum papam restituere depositos 2, quæst., 6, Ideo et glossa super cap. episc. 11, quæst. 3.

AD EPISTOLAM XXIII.

Hereberto Episcopo. Hujus epistolæ titulo Hereberti nomen indidimus, quantoquidem et tempus et res ipsæ concordant. Ea tempestate vitam egisse Herebertum episcopum Norvicensem, nec non et S. Edmundi cœnobii (quod ad diœcesim Norvicensem pertinet) jura sive privilegia infringere voluisse, notum **358** est ex Eadmeri Hist. lib. III. Herebertum autem, voluptatibus nimium indulgentem ac Simoniacæ hæresis labe aspersum, sed juventutis calore tepefacto ad emendatiorem vitam traductum asserit Guillel. Malmesbur., De pontif. lib. II, in episcopis orientalium Anglorum. Luctuosa plane res est antistites intueri nonnullos, qui, animæ ac diœceseos cura prætermissa, ad abrogandas monasteriorum libertates, a sanctis Ecclesiæ præsulibus pia et justa de causa concessas, animum appellant, totamque industriam et oleum impendant, verius dicam, deperdant, uti Herebertus ille, et Richardus Dunelmensis episcopus, cujus miserandum exitum cernere est apud Matth. Paridem, Histor., pag. 215, num. 1, et 229, num. 1, ultimæ editionis.

Divinas litteras lege, etc. Vestigiis sanctorum Patrum firmiter religioseque inhærens B. archiepiscopus Herebertum admonet, concil. Tolet. III, cap. 24 : « Ignorantia, mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. » Et post pauca : « Sciant igitur sacerdotes Scripturas sacras, et canones meditentur, ut omne opus eorum in prædicatione divina et doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina. Siquidem pastor (ut aiebat S. Antiochus, homil. 111) totus mens et oculus esse debet, ut ne una quidem sibi credita pecudum ridicula fiat, et indigna quæ recipiatur a Domino, » etc. Vide Hormisdæ epist. 4, cap. 1, ad episc. Hispan. ; Turonense concil. III, c. 4 ; Nicenæ synod. II, c. 2 ; S. Gregor. lib. VII, epist. 110. Solus Salvianus Massiliens. presbyter producatur, episcopos sic alloquens, libr. II ad Eccles. cathol. post med. : Quidquid de aliis omnibus dictum est, magis absque dubio ad eos pertinet qui exemplo omnibus esse debent, et quos utique tanto antestare cæteris oportet devotione quanto antestant omnibus dignitate. Nihil enim est turpius quam excellentem esse quemlibet culmine, et despicabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine ? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto ? » etc.

In decretis legitur. Decreta intelligit, ut res docet. tum summorum pontificum epistolas decretales, tum etiam synodica conciliorum decreta ; quæ Corpus canonum continet, cujus meminit Nicolaus I, dist. 19 : *Si Romanorum.*

In aliis orthodoxorum Patrum authenticis libris. Inter alios Hincmarus Remensis archiepiscopus pluribus de primatum atque archiepiscoporum jure disputat opusculo 44, ad episcopos de jure metropolitanorum, pag. 719 tom. II.

AD EPISTOLAM XXIV.

Mauritio salutem. A. C. circiter 1089, regnante Guillelmo Rufo, electus est Mauritius Londoniæ episc. « Hugoni successit Mauritius (inquit Malmesbur. lib. II De pontif.), regis cancellarius, quamvis in quibusdam prosperæ famæ, prædicabilis efficaciæ, magnanimitatis certe ipsius est indicium basilica B. Pauli quam inchoavit Londoniæ ; tanta est decoris magnificentia ut merito inter præclara numeretur ædificia. » Considebat in concilio in ecclesia S. Petri juxta Londoniam ann. 1102, præsidente B. Anselmo. Edmerus, Hist. novorum l. III, pag. 67.

Aut formatas litteras. Id genus litterarum formulam habes post concil. Chalcedonense I, nec non in appendice ad tom. II Conciliorum Galliæ permultas opera Jacobi Sirmondi primum evulgatas. Canonicæ, ecclesiasticæ, commendatitiæ, commendatoriæ, et dimissoriæ appellantur. Et vero antiquitus formatis litteris ad unitatem Ecclesiæ servandam uti solebant antistites, sicut auctor est Optatus Milevitanus contra Parm., lib. II, de Romanis disserens pontificibus his verbis : « Cum quo (Siricio) nobis totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat, » etc. D. Augustin, Eleusio disputationem quam cum Fortunio habuerat referens, epist. 163, post initium, sic loquitur : « Quærebam utrum epistolas communicatorias, quas formatas dicimus, posset quo vellem dare, et affirmabam quod manifestum erat omnibus, » etc.

Sicut canones jubent. Canon. apostolorum 32 : Μηδένα τῶν ξένον ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων ἄνευ συστατικῶν προσδέχεσθαι, καὶ ἐπιφερομένων δὲ αὐτῶν, ἀνακρινέσθωσαν. καὶ εἰ μὲν ὦσιν κήρυκες τῆς Εὐσεβείας, προσδεχέσθωσαν. εἰ δὲ μή γε, τὰ πρὸς χρείας αὐτοῖς ἐπιχορηγήσαντες, εἰς κοινωνίαν αὐτοὺς μὴ προσδέξησθε. πολλὰ γὰρ κατὰ συναρπαγὴν γίνεται, id est, « Nullus peregrinorum episcoporum vel presbyterorum, vel diaconorum sine commendatitiis recipiatur : et eas dum secum ferunt ipsi diligenter examinentur, et si quidem fuerint præcones pietatis, recipiantur ; sin minus, illis ad victum necessaria cum præbueritis, ulterius ipsos in consortium ne recipiatis ; multa enim per subreptionem fiunt. » Synodus Chalcedon., can. 13, idem præcipit. Et synod. VI in Trullo, can. 17 : **359** Ὁρίζομεν ὥστε μηδένα τῶν ἁπάντων κληρικῶν, κἂν ἐν οἱῳδήποτε τυγχάνῃ βαθμῷ, ἄδειαν ἔχειν, ἐκτὸς τῆς τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου ἐγγράφου ἀπολυτικῆς, ἐν ἑτέρᾳ κατατάττεσθαι Ἐκκλησίᾳ· ἐπεὶ ὁ μὴ τοῦτο παραφυλαττόμενος καθαι-

ῥίφθω δὲ αὐτός, καὶ ὁ παραλόγως αὐτὸν προσδεξάμενος. A « Statuimus ut nullus omnino clericus in quocunque sit gradu, potestatem habeat sine proprii episcopi scripta dimissoria in alienæ Ecclesiæ catalogum referri ; quod si quis hoc non servaverit, deponatur et ipse qui eum præter rationem suscepit, » etc. Vide Theodorum Balsamon. in earumdem synodorum canones.

Civestrum. In quam e Selengeio seu Silesio sedem transtulit Stigandus annuente Guillelmo I, et auctoritate concilii Londoniæ an. 1075, ut est in Vita B. Lanfr. cap. 12, pag. 13.

AD EPISTOLAM XXV.

Coepiscopo Walcherio. Dunelmensi episcopo, cujus et res gestas et necem acerbissimam multis sunt prosecuti compares Valchero scriptores : Flo- B rentius Vigorn. ad an. 1080 ; et Guillelmus Malmesbur., libr. III De pontif., a quo hæc desumpsi : «Superpositus est, » inquit « adhuc viventi (Egelrico) Valkerus, qui esset dux pariter provinciæ et episcopus, frænaretque rebellionem gentis gladio, et reformaret mores eloquio. Qui dum id exsequeretur sedulo, indigne peremptus occasionem dedit regi ut provinciæ illius reliquias, quæ aliquantulum respirarant, funditus exterminaret. » Valcherum inter missarum solemnia occisum asseverat, eumque æquiparat B. papæ Stephano Robert. de Monte in Chronico ms. A. C. 1085. Ei successit Guillelmus ex abbate S. Karilefi, qui monachos posuit in Dunelmo.

Ut rex nobis mandavit. Eo quod videlicet S. Lan- C francus ita universum orbem Anglicanum per regis absentiam regebat, administrabat, moderabatur, ut in illo solo totius insulæ, quin etiam et Scotiæ et Hiberniæ summa esse videretur, quemadmodum in ejus actis tradit Milo Crispinus. pag. 15, cap. 15 ; Robert. de Monte, ubi supra ann. 1089. Neque hoc sanctitati illius adversatur; etenim cui jam animarum regimen est, haud rationi ac pietati dissonum fuerit eumdem et corporum facultatumque temporalium sibi subditorum curam suscipere, illos ipsos tutari, efficereque eis ne quid adversi eveniat. veluti viros complures sanctitate percelebres egisse narrant Historiæ. Unicus aderit testis sanctissimus Anselmus, lib. III epist. 35. Qui Waltero cardinali et D Angliæ legato scribens, cum eo non posse colloqui asserit, nisi haud procul a Cantuaria : « Quoniam inquit, quotidie exspectamus ut hostes de ultra mare in Angliam per illos portus qui Cantuarberiæ vicini sunt irruant. Propter quod dominus meus rex ore suo mihi præcepit et mandavit per litteras proprio sigillo signatas, ut Cantuarberiam custodiam, et semper paratus sim ut quacunque hora nuntium eorum audiero, undicunque convocari jubeam equites et pedites, qui accurrentes violentiæ hostium obsistant, » etc.

AD EPISTOLAM XXVI.

Dunelmensi episcopo Walcherio. De quo priori epistola.

Commonitorium. Alias commonitoriæ litteræ; quibus legati quid agere deberent per singula commonebantur. Commonitorium misit ad Faustum magistrum (legationis officio Constantinopoli fungentem) Gelasius papa, epist. 4, eum instruens quid daret responsi objectis adversariorum.

De illo presbytero, etc. Perspicuum fit ex regulæ Benedictinæ cap. 60, solitos fuisse presbyteros, diaconos et quosvis clericos, ubi arctiorem perfectionis aut pœnitentiæ vitam optarent, ultro collum suavi obedientiæ jugo sæpe sæpius in monasteriis subjicere (quod etiamnum observatur). Hinc can. 49 concilii Tolet. : « Clericis, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt liberos ab episcopo in monasterio largiri oportet ingressus. » Idem in concil. Augustano A. C. 952, can. 7, statuitur. Unde et factum est ut nonnullis sæculi amatoribus clericis sub gravissimis pœnis prohibitum fuerit ne habitus monachales (quos ideo amiciebant, uti facilius auram captarent popularem) extra monasterium gestarent. Constat id ex capitulari Aquisgran. Caroli Magn., cap. 77 : « Ut illi clerici qui se fingunt habitu vel nomine monachos esse et non sunt, omnimodis videntur esse corrigendi, ut vel monachi sint, vel canonici. » Concil. Aquisgran. anno imperii Ludovici Pii tertio, cap. 125 : « Reprehensibilem et ecclesiastica emendatione dignum apud plerosque canonicos inolevisse usum, eo quod contra morem ecclesiasticum cucullas, quibus solis monachis utendum est, induant; cum utique illorum habitum penitus usurpare non debeant, a quo proposito quodammodo distant, » etc.

Qui vestem religionis aliquot diebus, etc. **360** Nititur id decreti in concilii Tolet. IV, c. 48 : « Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit; quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. » Ita quoque concil. Triburiense, cap. 6. Sed ad propositum idem concil. Toletanum, c. 55 : « Quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, et rursus prævaricantes, laici effecti sunt comprehensi ab episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. » Et post pauca : «Non aliter hi, qui detonsi a parentibus fuerint, aut sponte sua, amissis parentibus, seipsos religioni devoverunt, et postea habitum sæcularem sumpserunt, et iidem a sacerdote comprehensi ad religionem, acta prius pœnitentia, revocentur, » etc. Videsis concil. Tolet. VI, cap 7, sub medium ; concil. Barcinocense, ann. 599. c. 4 ; et Burchard. lib. VIII, cap 34. Verum priscus ille usus posterioribus sæculis obsovelit (maxime obligatio paternæ oblationis) ex oppositis conciliorum decretis. Qua de re perdocte ample, dilucide, Antonius Yepes. tom. II Chron. ord. S. Bened. ad an. 678 ; Hugo Menard. in cap. 66 Concordantiæ regularum Benedict. ; Haestenus lib. IV, tract. 1, disquisit. 5.

AD EPISTOLAM XXVII.

Hujus epistolæ meminit Eadmerus Historiæ Novorum lib. I : « Quam vero secura libertate, inquit, et

libera securitate quæque ad jura Ecclesiæ Cantuariensis pertinentia potiri, sæpe fatus Pater Lanfrancus intenderit, et ex iis quæ designavimus, et ex epistola quam ecce subscribemus, cuivis scire volenti patere satis erit, » etc.

Stigando Cicestrensi. « Stigandus non ille (ait Malmesburiensis, lib. II De pontif. in calce) qui postea fuit episcopus Vintoniensis, et archiepiscopus Cantuariensis. Hic Stigandus a Willelmo rege ibi factus episcopus, mutavit sedem in Cicestram diœcesis suæ civitatem prope mare, ubi antiquitus et S. Petri monasterium et congregatio sanctimonialium fuerat, » etc. De Stigando ad epistolam 25, d.

Archidiaconi. Quid agere, quid cavere debeant, docet Hincmarus, tom. I. pag. 738, in capitulis archidiaconibus presbyt. datis; maxime, cap. 5, ne pecunias a presbyteris exigant interdicit. Et Ivo Carnotensis episcopus ut monachos S. Petri ejusdem civitatis ab archidiaconorum vexatione vindicaret, illorum et quieti in posterum consuleret, Paschali papæ dat litteras in hunc modum :

Paschali summo pontifici Ivo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum debita obedientia quidquid in terrenis et cœlestibus desiderare et sperare potest mens humana.

Cum auctoritate apostolica moniti et muniti, paci ecclesiasticæ et quieti monasticæ operam dare debemus, in quibus ad hoc implendum nisibus nostris non sufficimus, apostolicam sedem consulere cogimur, ut eam sentiamus adjuvantem, quam habuimus imperantem, quatenus excellentiæ apostolicæ non incongrue dicamus : « Da quod jubes, et jube quod vis. » Quod ideo celsitudini vestræ prælibavimus, quia volumus notum esse sollicitudini vestræ in suburbio Carnotensi situm esse monasterium in honore B. Petri, ab antecessoribus meis fundatum, et de bonis Carnotensis ecclesiæ, prout facultas ferre potuit, ampliatum, in quo aliquando religio viguit, aliquando tepuit, cum, sicut mos est, deficiente integritate prælatorum, subsequi non potuit sanitas subditorum. Sed quia, Deo præveniente, et nonnullo studio nostro cooperante, in prædicto monasterio religionis vigor refloruit, necessariam monasteriis quietem vellemus eidem monasterio providere; et ab angariis et gravaminibus, quæ sua quærentes archidiaconi ibi facere moliuntur, penitus liberare; quod etiam quidam antecessores nostri se fecisse putaverunt, sed libertas illa integras vires non habuit, quia apostolica auctoritate munita non fuit. Postulat itaque prædicti monasterii tota congregatio ut, per mediationis nostræ mediocritatem, idem monasterium cum suis appendiciis sub tutelam sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscipiatur; et libertas, quam prædecessores nostri monasterio et possessionibus monasterii concesserunt, salvo jure Carnotensis episcopi, apostolica auctoritate roboretur. Quod enim principalis clavis

A per se clauserit, minor clavis aperire non valebit; et quod aperuerit, claudere non valebit. Misimus ergo quemdam prædicti monasterii fratrem præsentium laborem, qui plenius et specialius ea quæ liberari et defendi apostolica auctoritate convenit, nominatim determinet; et instrumenta confirmare [*f.*, confirmatæ] libertatis nobis reportet.

Hactenus Ivonis epistola e scriniis B. Mariæ de Ebronio, diœcesis Cenomanensis, nostræ congregationis monasterii.

Quæ antiquitus, etc. Quam viriliter 331 sane atque ad horam a B. Lanfranco Ecclesiæ Cantuariensi consultum est! quippe cujus possessiones ab omnibus (præsertim optimatibus) distrahebantur ante ejus in Angliam adventum, et libertates seu immu-
B nitates jam multis retro annis susque deque habebantur; pro quibus inquirendis atque ad usum revocandis, immensos labores et sudores exantlasse memoriæ consignavit Eadmerus, loco citato, pag. 9, ubi Odonem regis fratrem, episcopum Bajocensem, et Cantiæ comitem, ad disceptandas Cantuariensis Ecclesiæ causas coram regni primoribus, jussu regis, provocarat magnus Lanfrancus : « Tandem valida ratione subnixus, ex communi omnium astipulatione et judicio, ibi cuncta recuperavit quæ ostensa sunt antiquitus ad jura Ecclesiæ Christi Cantuariensis pertinuisse, tam in terris, quam in diversis consuetudinibus, » etc. Ad privilegia Cantuariensis Ecclesiæ quod attinet, solebat archiepiscopus, quacunque in diœcesi villæ illius et ecclesiæ existerent,
C episcopalia jura tanquam in propria exercere; velut inter quam plurimos auctores docet S. Anselmus lib. III, epist. 19 : « Semper archiepiscopus Cantuariæ hanc habuit potestatem et consuetudinem, ut intra cujuscunque episcopi diœcesim haberet Ecclesia Cantuariæ villam aut ecclesiam, quæ ejusdem archiepiscopi proprii juris essent, quidquid de eadem villa vel ecclesia pertineret ad episcopale officium. Adhuc vivunt innumerabiles homines qui viderunt antecessorem meum, venerabilis memoriæ Lanfrancum dedicare ecclesias villarum suarum intra diœceses aliorum episcoporum, ipsis scientibus sine calumnia. Quod etiam S. Dunstanus, » etc.

AD EPISTOLAM XXVIII.

D *Stigando.* De quo dictum est proxima epistola.

AD EPISTOLAM XXIX.

Roberto Cestrensi. Hujus epistolæ titulo nomen restituendum duxi, siquidem litteram P. præfixam, librarii inscitia scriptam facile apud omnes scriptores deprehendi; qui de hic exaratis a B. Lanfranco, ne verbulum quidem ascribunt Petro (quem indicare videtur P.) sed Roberto illius successori, quod a nobis declarabitur infra : « Illa autem Cestrensis civitas, (ait Malmesbur. lib. IV, De pontif.) Cestra legionum dicitur, quod ibi emeriti legionum resedere, » etc.

Cœnobio Conventreio. Seu Conventreiæ; cujus originem explicat idem auctor eodem loco : « Erat

in diœcesi Cestrensi Conventreiæ cœnobium, a magnificentissimo comite Leofrico et uxore Godiva constructum, tanto auri et argenti spectaculo ut angusti viderentur ipsi parietes Ecclesiarum thesaurorum receptaculis, miraculo porro visentium oculis. »

Arcas eorum fregisti, etc. Dilapidasse facultates cœnobii Conventreiæ Robertum sugillat, ubi supra Malmesburiensis : « Ex una trabe, inquit, quingentas marcas argenti corrasit quæ scrinia sustentabant. Plures ibi moratus annos, nihil probitatis exhibuit loco * adeo sacras opes dilapidans peculatus crimen incurrit, repetundarum reus futurus episcopus, si esset accusator paratus. Monachos miserabili stipe cibans nec regularis ordinis amorem curavit accendere, nec nisi ad popularem litteraturam passus est aspirare, ne regulæ rigor, et scientiæ vigor redderet elatos contra se, » etc.

Cum familia tua consumens bona monachorum. Quamobrem concilium Ilerdense pontifice Joanne I, A. C. 224 : « Ea quæ in jure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege ab episcopis contingantur. » Concil. Herudfordense, cui præsidebat Theodorus Cantuariensis, Hist., cap. 5, præcipit cap. 3 : « Ut quæque monasteria Dei consecrata nulli episcoporum liceat ea in aliquo inquietare monachos, nec quidquam de eorum rebus violenter abstrahere. » S. Beda, libr. IV, Hist., cap. 5: « Discant ergo vel hoc illius episcopi exemplo qui in monachorum privilegia oblatrant, ludificantque hac in re Patrum sententias, num immerito summi Pontifices identidem eximant monasteria ; enimvero *privilegia* (Gallicanos episcopos olim alloquebatur Nicolaus I, epist. 32 ad episcopos Synodi Sylvanect. sub finem) sedis apostolicæ termina sunt, (ut ita dicamus) totius Ecclesiæ catholicæ ; privilegia, inquam, hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum. » Et Petrus Blesensis de privilegiis edisserens monachorum, ep. 68: « Scimus equidem quod ob quietem monasteriorum, et episcoporum tyrannidem, has exemptiones plerumque Romani pontifices indulserunt. » Nec quidem prætereundus est locus insignis ex concilio Tolet. IV, c. 51, quia epistolam hanc totam illustrare videtur. « Nuntiatum est præsenti concilio quod monachi episcopali imperio servili operi mancipentur, et jura monasteriorum, contra instituta canonum, illicita præsumptione usurpantur, ita ut pene ex cœnobio possessio fiat, autem illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque deveniat. Quapropter **362** monemus eos qui Ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant, » etc.

AD EPISTOLAM XXX.

Remensi archiepiscopo Manassi. Hoc nomine primo; quem obiter sic perstringit Albericus Cistertiensis in Chronico nondum edito, ad ann. 1070 : « Manasses fit episcopus Remensis, et sedet annos 16 ; filius fuit Manassis Calva Asina dictus ex Beatrice de Roceio. De qua ann. 1031, fratres hujus Manassis patris fuere Hilduinus de Rameru, Guillelmus comes Suessionensis, qui genuit Renaldum, et Joannem, et Manassem qui fuit episcopus Suessionensis, » etc. Ob pravos mores verbis vehementioribus increpatum (a S. Brunone Carthusianorum institutore maxime, cui et ansam præbuere, ut mundo extremum vale diceret) suspensum ac tandem depositum Manassem non semel dicit Hugo Flaviniacensis, testis locuples in Historia ms. « Accusatus ait ille, in eodem concilio (Lugdunensi) Remensis Ecclesiæ invasor Simoniacus Manasses a clericis Remensibus, et suspensus ab officio ; qui advocatus ad concilium, ut se purgaret, non venit. Qui, cum canonicis Remensis Ecclesiæ accusatoribus suis, a concilio redeuntibus, plurimas parasset insidias, demum domos eorum fregit, præbendas eorum vendidit, et bona eorum diripuit. Inde cum a Roma litteras accepisset, et ut in concilio cum sex se purgaret episcopis, Romam ivit. » Et post multa, de concilio congregato, cui præsidebat Hugo Diensis episcopus, loquens, ait : « Synodali judicio est depositus (Manasses) quia se purgare noluit ; tum quia audientiam Eduensis, Pictavensis, et ipsius Lugdunensis subterfugit. »

Regius ac noster homo, etc. B. Anselmus tum abbas Beccensis, lib. I, epist. 46, furtum istud aperit (ni fallor) his verbis : « Tam crudelis tamque effrenata malitiosorum hominum in Francia debacchatur sævitas, ut nec me, nec aliquem monachum, aut quempiam equitem audeam tanto committere periculo. Re enim vera dominus Rodulfus cum te reducto rediret, in archiepiscopatu Remensi cum famulis, equis ablatis omnibus, captus est, quanquam se sub archiepiscopi Remensis tuitione ire clamaret. Qui aliquandiu detenti, vix tandem uno equo retento, relaxati sunt. »

Rosnacum. Ronnay pagus (ut opinor) duo milliaria distans a Remis.

AD EPISTOLAM XXXI.

Mauritio episcopo. De quo dictum est ad epistolam 25, quæ eidem inscribitur.

AD EPISTOLAM XXXII.

Goisfredo, sive Goffrido Constantiæ in Northmannia episcopo. Adfuit inter cæteros Angliæ præsules concilio Londoniæ, A. C. 1075. Milo in Vita B. Lanfranci, cap. 12, pag. 13 ; Goffridum sic commendat Ordericus noster, lib. IV Hist. pag. 523 : « Gaufredus Constantiensis episcopus de nobili Northmannorum progenie ortus, qui certamini Senlacio fautor acer et consolator interfuit, et aliis conflictibus, » etc. Item, lib. III, pag. 493 : « Eodem tempore Northmannia præclare vigebat sapientibus ecclesiarum prælatis et optimatibus ; nam sacer Maurilius ex monacho metropolitanus præsidebat cathedræ Rothomagensi, etc. Goisfridus Constantiensi, » etc. Et tandem, lib. IV, pag. 514.

Quamvis adhuc professæ non sint. Priscus mos fuit religiose observatus, ut vir nimirum aut femina, cujuscunque status vel conditionis existerent, simul ac vestem monachalem induissent, seu pro altari

stati fuissent summo universorum Domino, nullatenus in posterum fas esset jugum excutere, velut conciliorum auctoritate ad epist. 26, d, observatum est; nam quidquid inibi de viris profertur, plane de feminis debet intelligi. Patet id ex concil. Tolet. VI, cap. 6 : « Quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerit spontanee religiosum ; aut si vir deditus ecclesiæ choro, vel femina fuerit, ac fuit delegata puellarum monasterio; in utroque sexu prævaricator ad propositum invitus reverti cogatur, ut vir detondeatur, et puella monasterio reintegretur, » etc. Ita cap. 4 concilii Barcinonensis, summo pontifico Gregorio Magno ; concilium Aurelianense V, c. 19.

Altare tamen oblatæ fuerunt. De ejusmodi oblatione dictum est ad epist. 26, d, et ad hanc b. Formulas oblationis si hoc loco intexuero, lectorem, spero, non pigebit ; facit enim ad antiquas res monasticas elucidandas non parum ; sic ergo se habent ex vetustissimis membranis monasterii nostri S. Remigii Remensis.

363 *Anno Incarnationis Domini* 868 VIII *Kalend. Maii, feria* VII.

« Dum legaliter sancitum antiquitus teneatur et cautum cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini feliciter servituros, procul dubio hoc de nostris filiis faciendum salubriter præbetur exemplum. Æquum etenim iudico Creatori nostro de vobis [*f.* nobis] reddere fructum. Idcirco ego Hildegrimus hunc nepotem meum, nomine Rifuinum, cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manu mea involuta, ad nomen sancti Remigii, vel ad sanctorum quorum etiam hic reliquiæ continentur, et abbati præsenti trado coram testibus permansurum, ita ut ab hac die non liceat illi collum de sub jugo regulæ excutere, sed magis ejusdem regulæ fideliter agnoscat instituta servare, et Domino gratanti animo militare. Et ut hæc mea traditio inconvulsa permaneat, promitto jurejurando coram Deo et angelis ejus nunquam per me, nunquam per suspectam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates, aliquando egrediendi de monasterio occasionem tribuam ; et ut hæc mea traditio firma et inviolata permaneat, manu mea propria subterfirmavi. † Hildegrimi, qui hanc chartulam fieri et firmari rogavit. † Bovonis fratris ejus. † Walberti. »

Alia forma solius patris nomine facta.

Anno Incarnationis Dominicæ 880, XV *Kalend. Octob., feria* I.

Dum legaliter sancitum, etc. ut supra. « Idcirco, ego Achadeus comes hunc filium meum, nomine Hilduinum, cum oblatione, etc., Rofrido præposito ejusdem loci in vice abbatis præsenti trado coram testibus supradicti loci monachis Teutboldo presbytero, Hardrado presbytero, Guntario et Bernario diaconibus ; Stephano et Sigloardo subdiaconibus, » etc., ut supra. « Signum Achadei comitis, qui A hanc chartam fieri et firmari rogavit. Sign. Bectonis, » etc.

Item alia forma nomine patris et matris.

Dum legaliter sancitum, etc. « Idcirco ego Leudo hunc filium meum, nomine Conimbertum, etc. Signum Leudonis, etc. ; sig. Rothildis matris ejus ; signum item Leudonis, » etc.

Oblationis puerorum forma illis multo posterior, tempore videlicet Philippi primi regis Francorum, iisdem pene verbis expressa, ex monasterio Belliloci.

Dum legaliter sancitum, etc. « Idcirco, ego N. et uxor mea N. hunc filium nostrum, una cum consilio parentum suorum nostrum N. cum oblatione, etc. Signum N. N. Actum regnante Philippo rege B Francorum. »

Et illæ omnes formulæ ex præscripto fiebant regulæ Benedictinæ, cap. 58 et 59.

Ad servandam regulam. Ita olim concilia et Patres per antonomasiam, ubi de regula sancti Benedicti facerent verba, eam « regulam, sanctam regulam, Ordinem sanctum, » insignire solebant. Concil. Suessionense ann. 744, cap. 3, tomo I Conciliorum Galliæ prescribit « ut ordo monachorum vel ancillarum Dei secundum regulam sanctam stabilis permaneat. » Conc. in palatio Vernensi, ann. 755, c. 5, « ut monasteria tam virorum quam puellarum secundum ordinem regulariter vivant. » Et infra : « Si abbas ejusmodi decreto contradicat, vocetur C ad concilium, et huic sufficiatur qui secundum ordinem sanctam regat. » Sed ne dubium alicujus mentem pulset, num in illis decretis subintelligatur regula Benedictina, proferendum est cap. 11 concil. Mogunt., sub Leone papa tertio : « Ac deinde decrevimus, sicut sancta regula dicit, ut monasterium, ubi fieri possit, per decanos ordinetur, quia præpositi sæpe in elationem incidunt, » etc. Sumptum est hoc decretum ex regulæ sancti Benedicti, cap. 65, cujus ecce verba : « Sæpius quidem contingit ut, per ordinationem propositi, scandala gravia in monasteriis oriantur, dum sint aliqui spiritu superbiæ elati, » etc. Et paulo post : « Si fieri potest, per decanos ordinetur, ut antea disposuimus, omnis utilitas monasterii, » etc.

D Quia vero in regulæ Benedictinæ sermonem incidimus, audivimusque paucis abhinc annis subdubitatum fuisse a viro alioquin doctissimo, utrum olim universaliter per Galliam (ante tempora potissimum Ludovici Pii) regula sancti Benedicti servaretur ; cui sane possem **364** facere satis unica hac interrogatione Caroli Magni, imperatoris ad episcopos Galliæ, capitulari interrogationum cap. 12, tomo II Conciliorum Galliæ : « De conversatione monachorum, inquit, et utrum aliqui monachi esse possent præter eos qui regulam sancti Benedicti observant. Inquirendum etiam si in Gallia monachi fuissent, priusquam traditio regulæ sancti Benedicti in has parochias pervenisset. » Et ibidem in brevi capitul. cap. 12. « Qua regula monachi vixissent in Gallia,

priusquam regula sancti Benedicti in ea tradita fuisset, cum legamus sanctum Martinum et monachum fuisse et sub se monachos habuisse qui multo ante sanctum Benedictum fuit. » Ecquid, amabo, his verbis expressius? Nonne imperator ille (multa eruditione præditus) docet solam Benedictinam tum exstare regulam, atque in eam sententiam ire universos? illa scilicet tempestate solos Benedictinos asceticam vitam agere, cum et quærat utrum aliqui monachi esse possent præter eos qui regulam sancti Benedicti observant, et ullorum monachorum haud meminerit, nisi Martinianorum duobus sæculis divo Benedicto antiquiorum.

Verum, ut nihil intactum remaneat, et habemus impositam nubem testium (*Hebr*. XII, 1) (si Apostoli verba liceat usurpare) quibus evidentissime appareat regulam hanc per universam Galliam fuisse a monachis susceptam tribus ferme sæculis ante Ludovicum Pium (de sancto Mauro, qui primus illam advexit, ex industria, quippe qui sit notior quam de eo dici multa debeant, silebo); libet altius repetere ac protrahere sermonem, ideoque fontes ipsos adire. Concilium Turonense, ann. Chr. 813 celebratum, cap. 25: « Monasteria monachorum, in quibus regula beati Benedicti Patris conservabatur, sed nunc forte qualicunque negligentia subrepente remissius ac dissolutius custoditur, vel certe penitus oblita negligitur, bonum videtur ut ad pristinum statum revertatur, » etc. Explicatione ista non indigent, verba namque: « Olim regula sancti Benedicti conservabatur, » et, « ad pristinum statum revertatur, » nihil aliud denotant quam, multo ante tempora quibus illud decretum sancitum est, regulæ Benedictinæ usum exercitiumque exstitisse apud monachos. Et illa ipsa confirmat concilium Cabillonense II, ab episcopis provinciæ Lugdunensis ann. imperii Caroli Magni XIII, cap. 22: « De abbatibus et monachis idcirco hic pauca scribimus, quia pene omnia monasteria regularia in his regionibus constituta, secundum regulam sancti Benedicti se vivere fatentur. Inquiratur ergo diligenter ubi secundum ipsum ordinem vivitur, et ubi ab ipso ordine digressum est, ut juxta ejusdem beati viri institutionem vivere certent, » etc. Nec morari debent quempiam illa verba, « pene omnia monasteria regularia, » quippe præter monachorum cœnobia, erant et mansiones clericorum canonice, hoc est sub regula viventium (inde canonicus) quæ monasteria quoque appellabantur; potissimum vero ubi Codegrandus Metensis episcopus canonicorum regulam edidit (quam ms. asservant eruditissimi viri Jacobus Sirmondus, et Joannes le Prevôt) quanquam et exstet alia regula seu forma institutionis canonicorum tom. II Concil. Gall., pag. 329.

Atque ad propositum ut redeam, en argumenta illis longe vetustiora: ex antiquissima Vita ms. beati Juniani abbatis, Clotario primo rege Francorum, anno circiter, 64: « Post multam collocutionem gloriosissimus rex interrogavit eum (Junianum) quid operis haberet, quæ vita, aut cujus religionis esset. Cui ille dulcissimo alloquio respondit se sub monastico ordine vitam degere, et monachis prælatum, beatissimi Benedicti instituta servari, regularem ejus vitam in omnibus observari, nisi quod propter angustiam loci non eam plenissime custodire cum suis valeret, nec se habere ubi exercitium operis fieret secundum regulam jam supradicti Benedicti Patris, » etc. Habentur et ipsissima verba apud Andream du Chesne, tomo primo Histor. Franc. script., pag. 543, C., ex fragmento Vitæ sancti Juniani. In testamento Leodebodi abbatis sancti Aniani Aurelianensis, seu tabulis fundationis monasterii Floriacensis, ab ipsomet abbate conditæ, anno Dominicæ Incarnationis 623, hæc de Benedictina regula perhibentur: In quo (monasterio) monachi juxta regulam sanctissimi Benedicti et domni Columbani consistere debeant, singulariter de facultate proprietatis meæ Christo præsule conferre delibero, etc. Iis ex verbis in cœnobio Sancti Aniani eamdem regulam ante illa tempora fuisse receptam perspicere est. Nec ullus exinde sibi facessat negotium, quod hic mentio fiat regulæ sancti Columbani; illam siquidem nonnullis in Galliæ monasteriis **365** una cum Benedictina colebant cœnobitæ ea tempestate, quod inter alios prodit Orderic. Vital. Histor., libr. VIII, sub finem; siquidem regula, seu verius regulæ, cum trifariam reperiatur, nihil aliud esse videtur quam constitutiones, sive, ut vocant, declarationes in regulam sancti Benedicti; binæ etiam parænetica præcepta tantummodo subministrant; alia vero infligendæ pœnæ modum pro culpæ gravitate specialius quam D. Benedictus, præscribit, quemadmodum ex vetere præfatione ms. ad Columbani regulam docet Stengelius in Corona lucida, pagina 128. Atque id quidem obscurum hasce regulas inspicienti haudquaquam, mea sententia, patebit. His finitimum est illud Vitæ sancti Mommoli primi Floriacensis cœnobii abbatis, ac discipuli beati Leobodi, ex veteri codice monasterii Sanctæ Crucis Burdigal. « Normam regularis vitæ concupivit (Mommolus) contemplationi divinæ cupiens adhærere, religionem eximii Patris Benedicti quæsivit, soli omnium Regi intimo corde servire desiderans, sub Patre Leobodo Christo meruit famulari. » Judicael Britanniæ rex, factus postmodum monachus, in monasterio a se condito Sancti Joannis de Gaelo, nunc Sancti Menevenni, vulgo *Saint Meen*, fundatione ms. profert hæc verba: « Honor et gloria Deo omnipotenti, et famulo ejus Benedicto monachorum parenti, in terris jam defuncto sed in cœlis perenniter viventi. » Deinde post alia: « Hos autem redditus in perpetuum donamus huic monasterio Sancti Joannis de Gaelo, pro alendis viginti octo monachis Deo servientibus sub regula S. Benedicti, » etc. Hæc autem circa annum 630 acta constare videtur. Præceptum Clotarii III regis de fundatione monasterii Corbeiensis tom. I Concil. Galliæ, pag. 500, sub initium: « Igitur dum nos, et præcelsa

genitrix nostra domna Baldechildis regina, monasterium in honore sanctorum Petri et Pauli apostolorum, sancti Stephani protomartyris, super fluvium Somnam, in loco qui dicitur Corbeia, ubi præest venerabilis vir Theofridus abba pro æterni Numinis intuitu ædificari præcepimus, ut monachi sub sancta regula (Benedictina nimirum, ut supra probatum est) ibidem debeant conversari. » Et in privilegio a Bertefrido Ambianensi episcopo eidem monasterio concesso, ubi supra post medium : « Ut quieti sub regula sancta ipsi monachi vivere debeant ad ipsum monasterium deservientes. » At vero objicis : Infra cernere sunt ista. « Illud etiam addi placuit : ut ipsi monachi sub regula sancti Benedicti, vel Columbani, conversari, et vivere debeant. » Quid tum ? His videlicet ex verbis indigitat Bertefridus aliam esse sancti Benedicti a sancti Columbani regula, cum disjunctive hic loquatur. Itane vero ? Num particula *vel* semper disjunctiva est, et non aliquando pro copulativa, seu majori explicatione usurpatur ? Rem probemus exemplis : Terent. Eunuch. 2, 3, 23. « Maxime me tibi amicum facit vel virtus vel doctrina. » Cicer. De claris orat. 131. « Multorum vel honori vel periculo servire. » In utroque *vel* pro *et* sumi norunt grammatici. Sed ad rem : S. Benedictus in prologo Regulæ : « Succinctis ergo fide, vel observantia bonorum actuum lumbis nostris, » etc. Quæ sic elucidat doctissimus Petrus Boerius Sancti Aniani abbas, post episcopus, in commentario ms. in Regulam sancti Benedicti : « Expone hoc *vel* pro *et*, quia si boni actus desunt fidei, non habes meritum, teste Jacobo, fides sine operibus mortua est. » Idem in cap. 46 ejusdem regulæ, explicans hæc verba : « Ante abbatem vel congregationem, expone *vel* pro *et*, quia tales proditiones consueverunt fieri in capitulo, » etc. Et Hugo Menardus in illa verba, cap. 3 Concordiæ regularum : « Sub regula vel abbate pag. 102. Hæc conjunctim sumenda sunt, ita ut particula *vel* ponatur pro copulativa. Sic etiam loquitur S. Eulogius libr. II Memorialis sanctorum cap 4. Qui dudum sub regula vel abbate se dediderint. Et ita passim loquitur S. Benedictus, et auctores in hac Concordia citati. Nec cœnobitæ regulæ, vel abbati seorsim, sed regulæ et abbati simul subjiciuntur. » Ille ipse iterum, ad titulum capitis 46 De senibus, vel infantibus. « Hoc titulo, inquit, particula *vel* sumitur copulative, non disjunctive, quia caput agit de utrisque. » Quorsum autem in cœnobiorum fundationibus gestisve sanctorum regula SS. Benedicti et Columbani passim observanda proponatur præcipiaturque paucis hæc habeto. Eapropter utriusque fit mentio, quod (uti supra memoravimus) quasdam leges atque instituta considerat B. Columbanus, quo melius strictiusque regulæ Benedictinæ inhærerent cœnobitæ. Præterea adeo celebris Columbani et discipulorum ejus doctrina, pietas, sanctitas Galliam universam illustraverat, ut regulam sancti Benedicti, nomine Columbani, utpote illius observantissimi appellarent

A omnes, cum una eademque esset, duplex tamen sortita nomen ; quod et pari ratione hodieque identidem occurrit inter legendum, **886** videlicet regula Clunianensis, regula Cistertiensis, regula Cœlestinorum, Camaldulensium, etc. Ordo etiam Cluniacensis, Cistertiensis, Beccensis, Cœlestinorum, Silvestrinorum, etc., quamvis regulam profiteantur nullam, præter Benedictinam, constitutionibus tamen institutionibusque diversis, quibus ab aliis ejusdem regulæ cultoribus secernuntur, adornatam. Huic veritati suffragatur privilegium seu confirmatio fundationis monialium B. Mariæ Suessionensis a Drausio illius civitatis episcopo, regni Clotarii III anno 4, ubi in fine hæc leguntur : « Ut infra monasterium virgines et castæ debeant Domino mili-

B tare, secundum votum sæpe dictorum Deum timentium, qui construxerunt regulam S. Benedicti, ut, postquam in ipso monasterio introierint Domino militare, foras de ipso monasterio exire licentiam non habeant ; et ad modum Luxoviensis monasterii, quod B. Columbanus tenuit, regulam nempe supradictam, ad profectum animarum earum studeant in omnibus custodire. » Notes hic velim, lector, « ad modum Luxoviensis monasterii, » quibus profecto verbis docet illud privilegium adhortaturque ut regulæ S. Benedicti præcepta ad modum Luxoviensis monasterii, hoc est, prout inibi observatur, una cum statutis a B. Columbano digestis, studeant adimplere. Proferamus tandem, quasi robur et firmamentum eorum quæ de regula Benedictina et

C Columbaniana in medium produximus, e tabula fundationis cœnobii Solemniacensis (cujus conditorem S. Eligium episcopum Noviodunensem asserit hæc tabula) quæ in rem nostram faciunt nonnulla, Benedictinis omni veneratione exosculanda. Iis etenim prædicatur et ipse Eligius Benedictinæ familiæ alumnus (quod favente Christo, dum Vitas sanctorum nostri ordinis evulgabimus, luce clarius sumus ostensuri), B. quoque Columbanus, et ejus monasterii Luxoviensis cœnobitæ. In hac ergo fundatione post initium ita abbatem et monachos suos alloquitur B. Eligius : « Ea tamen conditione interposita ut vos vel successores vestri tramitem religionis sanctissimorum virorum Luxoviensis monasterii consequamini, et regulam beatissimorum

D Patrum Benedicti et Columbani firmiter teneatis. » Et multis interjectis : « Simili modo te, beatissime Pater Remacle abba, tuosque successores vel subjectos postulo, per individuæ Trinitatis majestatem obtestor, ut regulam supradictorum Patrum, quam in sæpe memorato monasterio Luxoviensi tenent, omni custodia teneatis. » Evidentiora sunt ista quam ut tempus in illis explicandis conteramus : stet ergo ex prædictis regulam sancti Benedicti regulam esse sancti Columbani, maxime vero cum semper regulæ, non regularum meminerint auctores ; quod et infra patebit. Ad alia nunc, seu potius eadem semper probanda, procedamus. Auctor vitæ S. Tillonis discipuli B. Remacli abbatis So-

lemniacensis, tirocinium persequens sanctissimi illius viri : « Cum igitur, inquit, ad istud monasterium (Solemniacense) Tillo devenisset, et ab abbate summa cum gratulatione susceptus fuisset, tirocinio Christi insignitus, ardentissimo amore solum Jesum desiderans, sub SS. Patrum Columbani et Benedicti regula inter fratres habitare cœpit. » Sic ms. liber ejusdem monasterii.

Ex Desiderii Cadurcensis episcopi vita ms (florebat circa annum 639). « Nullum quidem eo tempore in urbe Cadurcæ propositum monachi, neque habitum religionis, aut regulæ cœnobialis intraverat. Instituta Benedicti non longe distabant; Desiderii autem tempore hæc secta (Benedicti) Cadurcam intravit; hujus sub die hæc religio adolescere cœpit, nam et Moysiacense cœnobium hujus tempore a viris laudabilibus Ansberto et Leothadio completum est, et in ipso oppido a sanctis viris monasterium his diebus exorditum. Alia complura monasteria ejus sub tempore sata creverunt. » Ex Vita S. Agili primi abbatis Resbacensis monasterii (S. Columbano æqualis) antiqua atque optima manu exarata : « Apud se Agnoaldus (Pater S. Agili) Columbanum aliquantisper commemorari fecit in villa quæ Honorifiacus dicitur, a quo voluit Agilum jam septennem benedici; sed persuasit parentibus ut puerum Deo offerrent. Die ergo designata Pater Agili applicans sacris altaribus charam sobolem, obtulit in dicto monasterio, largiens per titulum testamenti copiam fundi et familiæ. » Inde vero quid colligere est? illam videlicet formulam Deo offerendorum pro aris puerorum petitam a regula sancti Benedicti, cap. 59, in quo hæc habentur : « Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes ejus faciant petitionem quam supra diximus, et cum oblatione ipsam petitionem, et manum pueri involvant in palla altaris, sic eum offerant. » Et infra : « Si aliquid dare voluerint (parentes) in eleemosynam monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus quas dare volunt, donationem, » etc. Vita sancti Rigomeri abbatis, ex ms. Floriacensis cœnobii hæc suppeditat. *Eodem tempore* (Childeberti regis Francorum) « Sanctus Avitus et Sanctus Carilefus **387** in vastæ eremi solitudine binas cellulas sub sancta regula (Benedictina videlicet) mirifice ædificaverunt Deo, fulti quoque S. Innocentis Cenomanicæ urbis auxilio, » etc. Vita ms. sancti Ansberti monachi Fontinellensis (nunc S. Vandregesili) monasterii, ac postmodum archiepiscopi Rothomagensis, passim sonat utrumque, et Vandregesilum et Ansbertum institutum Benedictinum fuisse professos, ac proinde cœnobitas illo in asceterio D. Benedicti normam coluisse vel iisdem temporibus (hoc est Lotharii et Dagoberti Francorum regum) fateri necessum est : At biographum audiamus : « Factus archiepiscopus S. Ansbertus, privilegii sui auctoritate edixit ut, per succedentia tempora, secundum S. Patris Benedicti regulam, et ut præcedentium regum, Clodovei videlicet et Clotharii, simulque Childerici et Theodorici privilegiorum auctoritates docent, ex semetipsis sibi perennibus temporibus abbatem eligerent (monachi Fontinellenses) in quo etiam justæ alligationis verbo præsentes futurosque qui ibidem militaturi erant constringit, ut, sicuti sub ejus regimine, ita et deinceps et ipsi et posteri eorum secundum regulam S. Benedicti fideliter Christo deservirent, » etc. Exstant etiam hæc inter concilia Gallicana, nec non et inter generalia ultimæ editionis ex Typographia Regia. Refertur in Vita B. Aichadri apud Surium, die 15 Octobris, S. Philibertum Gemeticensis monasterii abbatem, cum Ebroini persecutionem declinasset, confugissetque ad Ansoaldum Pictavensem episcopum, rogatum ab eodem episcopo quatenus monasterii quod ipse recens exstruxerat regimen susciperet ; cui annuit S. Philibertus ea lege si B. Aichadrus, qui tunc temporis monasterio Quintiacensi præerat, cœnobio Gemeticensi perfici non recusaret. « Quamobrem in somnis (ait Fulbertus Vitæ auctor) B. Aichadro apparuerunt; episcopus virgam pastoralem, beatus vero Philibertus regulam S. Benedicti porrigebat, ambo quasi uno ore dicentes : Surge, frater, et officium quod tibi a Deo imponitur obedienter suscipe. Accipe virgam, per quam subditorum errata corrigas et ad rectum disciplinæ reducas ; librum etiam, ut tu primo quæ in eo exarata sunt custodias, et in his tibi subjectos informare ne desistas. » Ex quibus antiquam illam traditionis regulæ et baculi pastoralis in abbatis benedictione consuetudinem, quæ hactenus perseveravit, notare est (vide Pontificale Romanum in benedictione abbatis); Deinde hisce in monasteriis, Quintiacensi nimirum, Hieriæ insulæ condito ab Ansoaldo, et Gemeticensi sanctam regulam vel ea tempestate viguisse. Canon 15 S. Leodegarii Augustodunensis episcopi, A. C. 670, haud quaquam prætereundus est silentio : « De abbatibus vero vel monachis observare convenit ut, quidquid canonicus ordo vel regula sancti Benedicti edocet, et implere et custodire in omnibus debeant. Si enim omnia fuerint legitime apud abbates vel monasteria conservata, et numerus monachorum, Deo propitio, augebitur, et mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis. » Canonicus ordo hic refertur ad abbates, siquidem ea tempestate qui canonicis præerant abbates etiam solebant vocitari ; regula vero S. Benedicti ad monachos. Huc accedit doctissimi Menardi ad præfationem in Concordiam regularum sancti Benedicti Anianæ abbatis, omnibus abbatibus, et monachis destinatam observatio, hæc verba illustrantis : « Occurrit animo ea quæ a tepidis, segnibusque monachis dici assolet. Quid cæteræ huic (Benedictinæ) conferunt regulæ? Quid ad me quas non promisi pertinet legere, » etc. « Cum his auctor omnibus monachis Ecclesiæ occidentalis loquatur; quidamque tepidiores opponant se solam sancti Benedicti regulam vovisse, alias, quæ in hoc opere continentur, ignorare ; planum est

solam sancti Benedicti regulam tempore hujus Concordiæ auctoris, hoc est Caroli Magni et Ludovici Pii a monachis Ecclesiæ occidentalis observatam esse, alioqui epistolæ dedicatio auctorisque objectio ineptæ essent. »

Sed operæ pretium est, ne quid scrupuli pungat iterum, objectiunculam audire nonnullorum, regulam B. Benedicti asserentium solummodo evulgatam universim in Gallia an. 743. Atque id nequidquam probare conantur ex illo synodi Liptinensis can. 1, tom. I, Concil. Gall. : « Abbates vero et Monachi receperunt regulam sancti Benedicti ad restaurandam normam regularis vitæ. » Quasi vero istud verbum « *recipio* » ex *re* et *capio* conflatum, rem semel depositam traditamve rursus assumere, iterum capere, resumere, recuperare, non significet ? Cicero, II De orat. « Recipere arcem amissam. » Et Livius, lib. IX: « Recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt. » Declarat ergo synodus illa abbates et monachos, qui Liptinas convenerant, regulæ Benedictinæ observationes susque deque habitas, (ejus sanctionibus ultro se se submittentes) ad pristinum velle rigorem revocare. Alioquin hæc si minime intenderet synodus, potiori jure clericos **368** episcopos, etc. primo leges ecclesiasticas tum accepisse fateri oporteret, quod equidem cogitare, nedum affirmare, absurdissimum est. Sic autem habet præfatus canon : « Et omnis ecclesiastici ordinis clerus, et presbyteri, et diaconi cum reliquis clericis, suscipientes antiquorum Patrum canones, promiserunt se ecclesiastica jura moribus et doctrinis, ministerio recuperare. » Tandem vero quæ supra retulimus elucidat confirmatque concilium itidem apud Liptinas, sed priori anno, hoc est 742 convocatum can. ultimo. « Ut monachi et ancillæ Dei monasteriales juxta regulam S. Benedicti cœnobia vel xenodochia sua ordinare, gubernari studeant; et vitam propriam degere secundum prædicti Patris ordinationem non negligant. » Vide hoc canone omnes dubitationis tenebras, si quas verbum *receperunt* ingesserit, prorsus expelli ? Nempe hic cœnobitas olim sodalitio Benedictino nomen dedisse supponit, cum et eos ut juxta regulam D. Benedicti atque ejusdem Patris ordinationem vitam instituere non negligant adhortetur concilium; siquidem nonnihil negligere quis dicitur, dum præceptum aliquod, cui antea obstringebatur, aut demandatum sibi officium, votumve emissum prætermittit vel contemnit.

Certo certius ergo ex prædictis omnibus infertur, antequam Ludovicus Pius imperaret (nec enim tum quamplurima monasteria monachis Benedictinis ædificata fuisse inficias eo) regulam sancti Benedicti saltem in his episcopatibus Andegavensi, Pictavensi, Aurelianensi, Cadurcensi, Parisiensi, Cenomanensi, Suessionensi, Vesontionensi, Rothomagensi, Meldensi, Moguntinensi, Turonensi, Cameracensi, Lemovicensi, Ambianensi, Augustodunensi, Redonensi exstitisse. Verum de his plus satis.

Sed timore Francigenarum. Quod obiter hic tangit B. Lanfrancus fuse (ni fallor) enarratur ab Eadmero Historiæ Novorum, lib. III, pag. 57, postquam probavit S. Anselmus medio in concilio vitæ monasticæ obstrictam non esse Mathildem Henrici primi Anglorum regis uxorem, quod nequaquam sponte sua septennis in monasterio velum suscepisset, sed quo pudicitiæ consuleret; episcoporum, qui eidem concilio intererant, rogat opinionem ; illi vero magnum Lanfrancum in medium producentes, sic B. Anselmum affantur : « Quod licet levi argumento probare possemus, eo tamen, cum opus non sit, supersedemus, nostris argumentis firmiorem tenentes parem judicii hujus sententiam a venerandæ memoriæ prædecessore vestro, et Patre et magistro nostro Lanfranco simili de causa promulgatam. » Et post alia: « At ipse (Lanfrancus) quæstionem ipsam concilio generalis concilii taliter solvit ut eis pro castitate, quam se tam manifestæ rei extensione amare testatæ fuerant, debitam magis reverentiam judicaret exhibendam, quam ullam servandæ religionis continentiam, nisi propria voluntate appeterent, violenter ingerendam. »

AD EPISTOLAM XXXIII.

Hiberniæ episcopo Domnaldo, sive Dofnaldo. Armachanum hunc (ut reor) vel Dublinensem intelligit, utpote metropolitanum totius Hibernicæ insulæ, quemadmodum superius, Joanni Rothomagensi archiepiscopo scribens, epist. 14. Northmannorum archiepiscopum nominat. Juri nihilominus Cantuariensis archiepiscopi subjacere metropolitanum illum, fidem facit Venerab. Beda, lib. II gent. Anglorum. Vide dicta ad epist. 4, b. Porro antiquum Hibernicæ Ecclesiæ statum describit in hunc modum ; idem Beda, loco citato, lib. III, cap. 4 : « Habere autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cujus juri et omnis provincia, et ipsi etiam episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti, juxta exemplum primi doctoris illius (Columbani) qui non episcopus, sed presbyter exstitit et monachus, » etc.

Hanc de infantibus tenere sententiam. Ex consequentibus verbis, loqui de communione corporis Christi infantibus ante usum rationis proxime post susceptum baptisma porrigi solita, perspicuum videtur. Prisca etenim consuetudo fuit in Ecclesia eucharistiæ sacramentum parvulis baptizatis conferre, ut planum est ex B. Dionysio, cap. 7 De ecclesiastica Hierarchia. Μεταδίδωσι δὲ τῷ παιδὶ τῶν ἱερῶν συμβόλων ὁ ἱεράρχης, ὅπως ἐν αὐτοῖς ἀνατραφείη, etc. id est : « Porro pontifex puerum consortem facit sacrorum mysteriorum, ut in eis educetur, » etc. Ex lib. Sacramentorum D. Gregorii (ab Hugone Menardo evulgato) De baptismo Sabbati sancti ; ubi de baptismo infantium : « Qui etiam non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit. » Ex epist. Jesse Ambianensis episcopi ad sacerdotes de baptismo post medium (exstat post epistolas Hincmari a Joanne Cordesio editas) : « Novissimi autem

corpore et sanguine Christi confirmatur infans, ut ejus possit esse membrum, qui pro eo passus est, et resurrexit, » etc., ex sancti Augustini epistola 102 ad Vitalem Pelagianum. Vide 869, si placet; velut et prædictum Menardum, notis ad productum lib. Sacrament., pagin. 106. Infantibus rationis usus nondum participibus de necessitate salutis eucharistiæ sumptionem haud esse probat de Lanfrancus hac in epistola. Id etiam declaravit concilium Trident. sess. 21, c. 4, et can. 4. Rationemque affert his verbis : « Siquidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit, » etc. Non modo in ipsa baptismi susceptione sacram eucharistiam sumebant infantes ; sed et postea sacrificii reliquias (ut antiquitatis more loquar) quarta et sexta feria innocentes (indicto eis jejunio) vino conspersas percipiebant. Concil. Matisconense II, can. 6 ; conc. Turon. III, can. 19 : Evagrius, Hist. Eccles. lib. IV, cap. 35.

A fideli laico, si presbyter desit, baptizari, etc. Adeo perspicua est ista sententia cum ex multimodis conciliorum decretis, tum ex diversis Patrum statutis (quod et pene quotidie usu venit), ut probatione minime indigeat; in confesso enim est apud omnes, absente ecclesiastico viro posse laicum, quin et mulierem, urgente necessitate, aqua Christiana tingere infantulum.

Nec eum tamen, etc., *a consortio fidelium sejungunt.* Propter rationes superius a concilio Tridentino allatas.

Abrenuntiandum eis decrevimus, Hiatus adeo enormis hac in epistola occurrit, ut nihil præter exordium, atque unam alteramve calcis lineam haberemus ; at beneficio Joannis le Prévôt, ecce integram (quam exscribendam ipsemet ex lib. Epistolarum Hibernicarum ab Usserio vulgatarum, et ad me transmittendam curavit) damus in lucem. Illam ipsam nihilominus numeris omnibus minime esse absolutam extremæ lineæ apographi a Jacobo Sirmondo mutuati scrupulum ingerunt. Illæ ergo ita habent : « Si pollutis manibus corpus Christi et sanguinem sanctificare præsumpserit. Omnipotens Dominus vos benedicat et de pastore vestro desideratam vobis lætitiam tribuat. » Quæ quidem verba in Usseriana editione non exstant. Unde haud ita alienum a vero fuerit asserere nequaquam hujus epistolæ, sed responsionis ad 37 epistolam Dublinensium, aut aliam id genus, fore conclusionem.

AD EPISTOLAM XXXIV.

Anglorum regi Willelmo. Primo seu Conquestori, cujus antitheses supplemento suo ms. ad Sigibertum intexuit Robert. de Monte ad ann. 1087 : « Willelmus, inquit, omnibus Northmanniæ consulibus fortior fuit, omnibus Anglorum regibus potentior, omnibus prædecessoribus suis laude dignior. Erat autem sapiens, sed astutus ; locuples, sed cupidus ; gloriosus, sed famæ deditus. Erat humilis Deo servientibus ; durus sibi resistentibus, » etc. Deinde concludit hoc modo : « Pacis autem tantus auctor fuerat, quod puella auro onusta regnum Angliæ pertransire posset impune. » Tam potenti atque adeo fortunato regi quid tandem, simul ac e vita migravit, evenerit, sic exhibet Orderic. Vital., lib. VII Hist. : « Ecce potentissimus heros, cui nuper plusquam centum millia militum serviebant avide, et quem multæ gentes cum tremore metuebant, nunc a suis turpiter in domo non sua spoliatus est, et a prima usque ad tertiam supra nudam humum derelictus, » etc. Cæterum ex adnotandis infra patebit regem Guillelmum, cum ad ipsum hanc et sequentem epistolam scriberet B. Lanfrancus, degere in Northmannia.

Sicut angelum Dei. Alludit (ut reor) ad sapientem Thecuam, Absalonis reditum a Davide expostulantem : *Sicut enim angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur (II Reg.* XIV, *17)*; velad Esther, XV, 16. Vel sane dixerim regem angelum nuncupasse, ut, sicut angeli est timorem expellere atque omnia prospera et saluti profutura subministrare, ita regem competit subditorum animos sedare, procul molestiam et hostes propulsare, nullisque parcentem laboribus, pacem præ omnibus toto in regno promovere.

Radulphus comes. De quo ad epistolam. 40, ad quem est eadem cum insequentibus 41 et 42.

AD EPISTOLAM XXXV.

Episcopus Gaufridus. Constantiensis in Northmannia; cujus ad epist. 33 meminimus supra.

Guillelmus de Warenna. Comes Sureiæ sive Suthregiæ in Anglia. Guillelmus Gemeticens., Hist. lib. VII, cap. 22, et lib. VIII, cap. 38 ; Fundator exstitit monasterii S. Pancratii in Anglia, teste Orderico 870 Vitali, lib. VIII Histor. ad ann. 1089. Testamentum Guillelmi regis Anglorum ecclesiæ S. Pancratii donationem profert, in Bibliotheca Cluniacensi, pag. 531.

Robertus Malet. Clarissima apud Caletes familia Maletana ; unde et illud Gallicum proverbium:

Les Malets et les Marteaux
Sont les plus nobles de Caux.

Inter cognomina eorum qui cum Guillelmo Conquestore Angliam ingressi sunt, in fine Historiæ Northmanniæ script. ab Andrea du Chesne, Malet recensetur ante medium, nec non et in fine catalogi proxime sequentis, qui prænotatur. « Magnates superstites, etc. Robertus Malet surr. » In consequentibus quoque duobus catalogis iterum Robertus Malet reperitur; et apud Orderic. Vital., Hist. lib. IX, pag. 804 et 805.

AD EPISTOLAM XXXVI.

Propterea elegimus presbyterum, etc. Antiqua consuetudo fuit, in primæva potissimum Ecclesia, cleri et populi suffragiis episcopos creari. In Oriente, licet usus postea invaluerit ut in episcoporum electionibus populi suffragia minime exposcerentur,

post Synodum nempe Nicænam, quæ, can. 3, episcopos, nulla cleri plebisque facta mentione, ab episcopis eligi atque ordinari jubet. Et Laodicena, can. 13, sacerdotum electiones turbis sive populis permitti vetat. In occidentalibus tamen Ecclesiis jus istud suffragii in renuntiandis episcopis populo remansit, ac diu perseveravit, donec, pulsis Romanis, exorti reges sua interesse ducerent episcopos eligi nonnisi arbitratu et voluntate sua. Et hæc eruditione clarissimus Sirmondus multis probat exemplis, in præfatione ad formulas antiquas promotionum episcopalium, ad calcem tom. II Conciliorum Galliæ.

Nobis sufficientissime cognitum, etc. Plures id genus litterarum formulas, loco proxime citato formula 7 et seq. videre est.

AD EPISTOLAM XXXVII.

Hiberniæ regi Gothrico. Dubliniæ regulo, ut auctor est Jacobus Usserius in Epistolarum Hibernicarum sylloge, nota in epistolam B. Lanfranci ad Terdelvacum, et ad hanc epistolam : « Gothricus hic, inquit, non alius fuisse videtur quam Godredus, cognomento Crouan ; de quo in Chronico regum Manniæ ad an. 1066. Godredus subjugavit sibi Dubliniam, et magnam partem de Laynostir. Scotos vero ita perdomuit, ut nullus qui fabricaret navem vel scapham. ausus esset plusquam tres clavos inserere. Regnavit autem 16 annis, et mortuus est in insula quæ vocatur Ile. »

Patricium, quem, etc., *ad nos consecrandum transmisit*, etc. Suspicor Dublinensis cleri et populi litterarum latorem fuisse Patricium, ut constare tum ex eisdem, tum etiam ex his ad Gothricum videtur. Porro antecessorum more, obedientiæ professionem, peracta ordinatione, edidit ad eam formulam.

Patricii Dublinensis episcopi professio.

« Quisquis aliis præsidet, si et ipse aliis subjaceat, dedignari non debet ; sed potius obedientiam, quam a subjectis suis desiderat habere, propter Deum studeat prælatis sibi per omnia humiliter exhibere. Propterea ego Patricius ad regendam Dublinam metropolim Hiberniæ electus antistes, tibi, reverende Pater Lanfrance, Britanniarum primas, et sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscope, professionis meæ chartam porrigo, meque tibi tuisque successoribus in omnibus quæ ad Christianam religionem pertinent obtemperaturum esse promitto. »

Alii legitime sibi copulatas pro arbitrio et voluntate relinquere. Huic serpenti morbo occurendum præmonuerat B. Lanfrancum Gregorius VII papa, epist. 1, in appendice, his verbis : « Tuam fraternitatem, etsi monitore non egeat, impellente tamen nos sollicitudine admonemus, quatenus graviora usquequaque resecare vitia studeat ; et inter omnia et præ omnibus nefas, quod de Scotis audivimus, quod plerique videlicet proprias uxores non solum deserunt, sed etiam vendunt, modis omnibus prohibere contendat, » etc. Adeo pestiferam luem adhuc grassari tempore B. Anselmi demonstrat ipsius

A epist. 142 et 147, libr. III. Non Scotis modo vel Hibernis, sed et Anglis longe ante tempora sancti Lanfranci, id vitii innatum fuisse commemorant antiquiores auctores. Gildas in excidio Britanniæ post initium : « Reges habet Britannia, sed tyrannos. » Et post pauca. « Quam plurimas conjuges habentes, sed scortantes et adulterantes. » D. Bonifacius archiepiscopus Moguntinus apud Malmesbur., lib. I De gest. Anglorum, nefanda illa Ethelberto 87[illegible] Anglorum regi objicit. Quod autem Scotis fuerit talis libido quasi hæreditaria, ostendit S. Hieronymus, lib. II, adversus Jovinianum, ante medium.

AD EPISTOLAM XXXVIII.

Hiberniæ regi Terdelvaco. Jacobi Usserii conjecturam hoc loco (cum et nihil aliunde suppetat de B Terdelvaco) inserere visum est ; ille igitur ad eamdem epistolam in notis ad Epistolas Hibernicas asserit Terdelvacum nequaquam Gothrici successorem, sed eodem simul tempore et Gothricum Dubliniæ regulum, et Terdelvacum summum Hiberniæ regem egisse.

Contra sanctorum canonum prohibitionem, etc. Tritas res adeo non hic retexendas judico. Quod ad conjugia adulterina, sat dictum proxima epistola. Non ab uno episcopo, sed a tribus episcopum ordinandum ad epistolam 12 e. nonnihil adnotatum est. Plures vero in una civitate episcopos minime constituendos passim prohibent antiqui canones et Patrum decreta. Hilarii papæ epist. 2, n. 4 ; conc. Lugdu. I, can. 5 ; Cabilonense, an. 650, can. 4. Velut et pecu- C nias ordinationum gratia haudquaquam exigendas concil. Turon. II, can. 27 ; Concil. Nicæni II, can. 19. De chrismatis unctione in baptismo conferendo fuse Menardus noster tum ex Patrum sententiis, tum etiam ex diversis conciliorum canonibus, in lib. Sacrament. D. Gregorii, pag. 108 et seq.

AD EPISTOLAM XXXIX.

Rogerio comiti. Guillelmi comitis filii Osberni (si conjecturam interserere liceat) filio. De quo Guillel. Gemet. Hist. lib. 7, cap. 25 ; Guillel. Malmesb. l. III De Gest. Angl. in Willelmo I : « Rogerus, inquit, a rege vinculis irretitus tota vita carcerem frequentavit vel potius incoluit detestandæ perfidiæ juvenis, nec moribus patrissans, » etc.

D *Gloriosus pater vester.* Willelmus. Infra ad epistolam 42.

Placita. Pro decretis identidem usurpantur apud peritos linguæ Latinæ auctores ; quod quæ decreta sunt, ea sic senatui vel majoribus placuisse videantur. Plin., l. XXIX, c. 1 : « Eadem ætas Neronis principatu ad Testum transilivit, delentem cunctorum majorum placita, » etc. At hic placita juridicos seu forenses conventus significant. Capitul. Carol Calvi, 20, seu Synodi Carisiacæ cap. 2 : « Episcopi quique in suis parochiis: et missi in illorum missaticis ; comitesque in eorum comitatibus pariter placita teneant, » etc. Ibidem in Annuntiatione ejusdem Caroli, et nepotis sui Lotharii apud S. Quintinum, post medium : « Per omne regnum

nostrum episcopi, et missi nostri, et comites placita teneant, et illa placita omnis homo, qui placitum custodire debet, sine exceptione, et excusatione custodiat. » Jubet concil. Arelat. VI, cap. 22 » ut placita publica et sæcularia, neque in atriis basilicarum, neque in ipsis basilicis fiant. » Placitum etiam sumitur pro lite, unde verbum Gal. *plaids* et placitare, id est, in judicio litigare, aut contendere secundum placita legum et judiciorum agere, Gallice *plaider*.

AD EPISTOLAM XL.

Willelmi comitis, cujus prudentia, etc. « Hic legitimus (ait Gemeticensis lib. VII, Hist. cap. 25) et liberalis vir Adelizam Rogerii Toenitæ filiam in conjugem habuit, ex qua duos filios, Willelmum et Rogerium contumacem, procreavit; duo cœnobia monachorum S. Mariæ cœli reginæ condidit, unum apud Liram, et alterum apud Cormelias. » Et post pauca: « Comitatum Herfordiæ cum magna parte regni, sensu et viribus obtinuit, » etc. Et Guillelm. Malmesb. De gest. Angl., in Willelmo I, ante medium : « Willelmus filius Osberni principis, optimis comparandus, haud scio an etiam præponendus. Ejus consilio rex Willelmus primo animatus ad invadendam Angliam, mox virtute adjutus ad manu tenendam. Erat in eo mentis animositas, quam commendabat pene prodiga liberalitas, » etc.

De perjurio vel fraude, etc. Per hæc verba quid B. Lanfrancus intendat perhibere videtur Florentius Vigorniensis ad. an. 1074 : « Herefordesis comes Rogerus, filius Guillelmi ejusdem pagi comitis, Bastanglorum comiti Rodulpho (contra præceptum regis Guillelmi) sororem suam conjugem tradidit ; nuptiasque permagnificas cum plurima multitudine optimatum in Grantebrigensi provincia, in loco qui Ixninga dicitur, celebrantes, magnam conjurationem, plurimis assentientibus, contra regem Guillelmum ibi fecerunt. Qui, mox ut potuit, Lanfrancum Dorobernensem archiepiscopum adiit, pœnitentiamque ab eo pro facto, licet non sponte, sacramento accepit, ejusque consilio regem Guillelmum in Northmannia degentem petiit, eique rem ex ordine gestam pandens, illius misericordiæ ultro se dedit, » etc. Verbis hisce postremis liquido constat regem Guillelmum in Northmannia exstitisse, dum ad eum
327 litteras 35 et 36 daret B. Lanfrancus.

AD EPISTOLAM XLIII.

Anselmo. Hic est magnus Anselmus prior, deinde abbas, ac demum B. Lanfranci Cantuariensis archiepiscopi successor ; cujus vitam admirandam Edmerus (quem ille charissimum, utpote amanuensem, habebat) conscripsit. Quantos etiam labores et sudores pro ecclesiastica libertate, cum pietate, tum doctrina et constantia incomparabili ad mortem exantlaverit vir sanctissimus, fuse idem auctor, libro cui titulum Historiam Novorum præfixit, enarrat. De S. Anselmo, Chronicon Beccense, pag. 2, 5 et 6; Vita venerabil. Guillelmi III abbat. Beccens. pag. 41 et 42, in appendice; et alii prope innumeri auctores.

Romam proficiscens. Anno videlicet reparatæ salutis 1071, tam pallii recipiendi gratia quam dirimendæ litis se inter et Thomam Eboracensem. Qua de re superius ad epistol. 4, a, et in Vita D. Lanfranci, cap. 11, pagin. 11, 12. Quinto [*l.* Quinquies, E. P.] Romam S. Lanfrancus petiisse videtur : 1, causa Berengarii : 2, propter Guillelmi ducis matrimonium; 3, ut concilio Romano interesset ; 4, ut confirmationem Joannis Abrincensis in archiepiscopum Rothomagensem electum, obtineret; ultimo cum archiepiscopo Eboracensi, quod proxime adnotabamus.

Dulcissimum mihi fratris mei filium. De quo infra ad epist. 47 et 49.

Lectionem legeret, Id documenti dedit ex Regulæ Benedictinæ cap. 38 : « Fratres non per ordinem legant, sed qui ædificent audientes. » Et mos quidem iste ab antiquis monachis religiose observabatur, ut asceticæ vitæ tirones exercitarentur, imbuerenturque aliquanto tempore monasticis rebus ; sed et perdiscendis memoriter psalmis, atque ecclesiasticis ritibus, priusquam in publicum prodirent, addicebantur; (uti etiamnum ipsemet Lanfrancus, in omnibus licet scientiis fuisset versatus, ultro summa animi demissione, cum primum Beccense cœnobium intrasset, egit.) Quod uberius probat Menardus in cap. 65 Concordiæ regularum, pag. 936 et seq.

AD EPISTOLAM XLVI.

Gondulpho. Cum sola littera G. huic epistolæ præfixa esset, Gondulphum apposui, hac nimirum conjectura ductus quod B. Anselmus, lib. I epist. 4, ad Gondulphum, salutem ascribat Lanfranco nepoti: « Saluta, inquit, dominum Lanfrancum juvenem, nepotem domini, et reverendi, et Patris nostri Lanfranci archiepiscopi, » etc. Et epist. 7 ad eumdem : « Reverendum et diligendum, dominum et Patrem nostrum archiepiscopum Lanfrancum, et nepotem ejus etc., saluta. » Ex his ergo, et B. Lanfranci verbis, necessario affirmandum videtur illam epistolam inscribi Gondulpho, cui edocendus traditus fuerat Lanfrancus nepos. Vel profecto dicendum plures diversis in locis habuisse nepotes (Paulus enim qui et abbas exstitit S. Albani, ut supra ostensum est, erat nepos illius) unum Becci, alterum cum Gondulpho Cadomi mansisse. Aut forsan verius, colobium illum ipsum nepotem induisse Becci, et studiis alibi operam navasse prius, vel postquam monachus fuisset factus. Et sane patere videtur ex D. Anselmi, lib. I, epist. 10, 24 et 36, ubi gratulatur, acceptumque refert S. Lanfranco, quod Beccum potius quam alio nepotem ad induendum monachum, transmiserit. Verum in re dubia, et haud magni momenti, penes lectorem esto judicium. De Gondulpho ad Vitam supra, pag. 40.

AD EPISTOLAM XLVI.

Diaprasium. Electuarium ex marrubio herba, *marrube* vulgo, Græce πράσιον; phtisicis multum

confert pharmacum istud. Paulus Ægineta de arte medendi, lib. VII, cap. 11; Plin., lib. XX, cap. 22; et Jacobus Dalechampius, Hist. plantarum tom. I, lib. VIII, cap. 36, prolixe de virtutibus et diversis marrubii speciebus.

AD EPISTOLAM XLVII.

Lanfranco et Guidoni. Iste Guido sodalis erat nepotis Lanfranci, qui monachi tirocinium ambo tum Becci agebant. Et utrumque sic commendat S. Anselmus, libro I, epistol. 31, archipræsuli Lanfranco: « De dulcissimo et dilectissimo dilectore meo, nepote vestro, cujus conversationis vos scio præsentem habere velle notitiam hoc vobis mando, quod mea testatur conscientia. Sic utique cavet a quibus cavendum, ut nulli nostrum jure reprehensibilis videatur; sic studet humili benignitati, et benignæ humilitati, sic quieti et silentio, atque orationi, ut merito sit omnibus amabilis. Sed est quiddam, quod quamvis vere credam quia clementer ei facit divina providentia, non tamen illud videre possum absque charitativa compassionis molestia; dolore namque capitis **323** jam per plures menses sic eum paterne divina affligit castigatio, ut et aliquando a conventu communi ejus læta dissocietur conversatio, et omnino a lectione aut aliqua studiosa meditatione ejus prohibeatur intentio, » *etc.* Meminit iterum ejusdem Lanfranci, simul et Guidonis eodem lib., epistol. 63. At lib. II, epist. 42, illum ipsum Lanfrancum (qui clam et inconsulto B. abbate suo Anselmo, quin etiam renitente, assensum præbuerat ut in abbatem Sancti Vandregesili assumeretur) severissime objurgat, monetque ac præcipit quatenus electionem de se factam abjiciat (legenda ibidem epistola Gualtero priori sancti Vandregesili inscripta). Verum electus tandem abbas Lanfrancus haud solidum annum abbatia potitus est; nam. an. 1091, inquit breve Chronicon ms. S. Vandregesili, « Lanfrancus abbas Fontanellensis cœnobii obiit, cui successit Girardus abbas 31. » De Guidone autem loquitur idem S. Anselmus epistola prius citata: « Dominum Guidonem, quem magisterio puerorum addidimus, sic suavis commendat obedientia, et in strenuitate humilitas, ut pariter gloriari possimus, et vos per quem, et nos qui eum talem habemus. »

Theodino dente. Ita in utroque apographo et Cadomensi, et Jacobi Sirmondi legitur; sed Horatius, libr. I epistol. 18, ad Lollium, refert de Theonino, ficto nomine a Theone poeta petulantissimæ maledicentiæ:

qui
Dente Theonino cum circumroditur; ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?

AD EPISTOLAM XLVIII.

Willelmo. Hic primo Beccensis, opinor, post Cormeliensis abbatiæ monachus, et abbas denique ejusdem loci fuit, uti significare videtur hoc titulo B. Lanfrancus: « Dilectissimo Patri Willelmo, quondam dulcissimus, » etc. Quia nimirum Becci pridem simul vitam duxerant cœnobiticam; sed et spirituali necessitudine cunjunctos eosdem probat Milo Crispinus, in Vita pag. 10, D. ubi quid sibi acciderat, cum fugam meditaretur, soli Guillelmo aperit Lanfrancus. Guillelmum vero in abbatem Cormeliensem assumptum eadem Vita declarat, cap. 2, pagina 4.

Priorem domnum Ernostum constituatis. Cormeliensis monasterii, (mea quidem conjectura) quamvis forsan tunc temporis Becci moraretur; nam apud monachos et canonicos, quibus præsertim cordi erat disciplinæ ecclesiasticæ ac monasticæ rigor et observantia, in more positum fuit, dum electionum jure potirentur, ut indiscriminatim (nota loquor) ex diversis Ecclesiis et monasteriis episcopos, abbates, et priores, viros inculpatæ vitæ, probatæ prudentiæ, ac doctrinæ singularis, sibi seligerent, expeterent, cogerent.

Ernostum. Is est quem Ecclesiæ Roffensi præfecisse archiepiscopum Lanfrancum vidimus in ejus Vita toties producta, cap. 7, pag. 9, et cap. 13, pag. 15. Eademque repetit Robertus de Monte in chron. ms. an. 1089.

AD EPISTOLAM XLIX.

Et in suis eos locis, etc. Sumptum id præcepti ex regulæ S. Benedicti cap. 29. Quod monachum ob crimen e monasterio egressum, si revertatur in novissimum locum docet dejiciendum: « Et sic, inquit, in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. » Et cap 44. De iis qui excommunicantur: « Et tunc, si jusserit, abbas recipiatur in choro, vel ordine quo abbas decreverit. »

AD EPISTOLAM L.

Rainaldo Pictavorum urbis abbati. Hoc est cœnobii sancti Cypriani ad muros urbis Pictaviensis. Veteres membranæ ejusdem monasterii: « Rainaldus ex monacho Casæ Dei, factus est abbas Sancti Cypriani; quem Cluniacenses monachi sibi subjicere cupientes, multifariam fatigarunt, sed eo viriliter et sapienter resistente, non prævaluerunt. Restitit etiam tribus in conciliis favente sibi Amato legato, et Isamberto episcopo Pictaviensi, Majoris Monasterii monachis, » etc. Quomodo autem summis pontificibus opem (potissimum Urbano II in summam calamitatem redacto) præstiterit, habes ex epistola nondum (quod sciam) edita, ejusdem Urbani ad Episcopos et prælatos Aquitaniæ, Gasconiæ, etc.: « Dilectissimus ac familiaris noster filius Rainaldus monasterii Sancti Cypriani abbas, nobiscum aliquandiu commoratus, et oppressionem quam S. R. Ecclesia patitur, ac consolationem quam sperat in Christo diligenter intuitus; per ipsum itaque charitatis vestræ sollicitudinem admonemus, ut circa omnium vestrum matrem S. R. Ecclesiam debito vigore ferveat præsentibus ejus laboribus **324** succurrere, et quod aspirante Deo destinaverit, per fidelem ministrum latorum præsentium dirigere non cunctetur, ita tamen ut quod quisque contulerit, ascripto sui nominis titulo nostræ notitiæ repræsentet. » Iterum Urbanus Rai-

naldo : « De religione tua et prudentia confidentes, apostoli Pauli obedientiam injungimus ut, sicut de ministerio quod fiebat sanctis qui Hierosolymis habitabant, gentiles Paulus, quos Deo præstante converterat, admonebat ; ita tu quoque episcopis et proceribus, cæterisque catholicis terræ vestræ fideliter devotus insistas quatenus pauperum Romanæ Ecclesiæ memores sint, eorumque inopiam sua abundantia supplere non negligant. Ad quod exsequendum charissimum filium nostrum G.... abbatem S. Sabini laboris tui comitem esse constituimus, ut maturatius pressurarum nostrarum angustiis valeatis subvenire, etc. » Huc usque ex chartulario monasterii Sancti Cypriani congregationis Sancti Mauri. Cæterum ad eumdem Rainaldum B. Anselmus misit opusculum cui titulus *Menologium*, lib. I, epist. 74.

Berengarium dico. Pluribus supra in epist. 1, II, et 4, II, de Berengario ; cujus verba in extremis positi describit in hunc modum Guil. Malmesbur. lib. III De gest. Anglor. « Berengarius plane quamvis sententiam correxerit, omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. » Et infra : « Quia et ipse die Epiphanorium moriens, gemituque producto recordatus quot miseros quondam adolescens primo ætatis calore secta sua infecerat : « Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam ; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam. »

Vocans eum Romanorum Luciferum. Potius ex memoria quam ipsissima sancti Hieronymi verba referre videtur, sic laudibus adornans S. Hilarium ; ea siquidem (nisi memoria me fallat) inter illius doctoris opera haud quaquam licet invenire. Sic autem legitur apud eumdem Hieronymum, tomo III, epist. 141, ad Marcellam : « Tantum virum (Hilarium) et temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo, qui et confessionis suæ merito, et vitæ industria, et eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est prædicatur. » Item in præfatione lib. VIII Commentar. in Isaiam : « Qui si flumen eloquentiæ, et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, etc., et, ut ad nostros veniam, Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, » etc.

Dominus Jesus Christus in eadem persona, etc. Hæc et quæ sequuntur longissime absunt a crimine illo hæreseos Trinitariæ, quod S. Lanfranco, mortali vita functo, imponere nescio qua fronte fuerat ausus quidam Compendiensis clericus, nomine Roscelinus : et quidem, ut validius insibilare virus spargereque posset, pestiferæ suæ sectæ conscios seu magistros eumdem antistitem et B. Anselmum, sanctissimos viros et de Ecclesia catholica quam optime promeritos, susurrabat, asserebat, proclamabat ; quemadmodum legere est apud eumdem Anselmum, lib. II, epist. 41 ad episcopum Belvacensem : « Audio quia Roscelinus clericus dicit in Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres angeli, ita tamen ut una sit voluntas et potestas ; aut Patrem et Spiritum sanctum esse incarnatum, et tres deos vere dici posse, si usus admitteret. In qua sententia asserit venerabilis memoriæ archiepiscopum Lanfrancum fuisse, et me esse, » etc. Deinde partes tum præstantissimi magistri sui tum suas in concilio Remensi tuendas suscipere rogat episcopum Belvacensem : « Archiepiscopum quidem Lanfrancum (subdit ille) vita ejus multis religiosis et sapientibus viris nota, quia de eo nunquam aliquid tale sonuit, ab hoc crimine satis excusat, et absentia et mors ejus omnem de eo novam accusationem recusat. De me autem, etc. » Cæterum B. Lanfranci verba illa plus satis Roscelinum confutant, audaciam retundunt, diluunt calumniam. Ecquid, amabo, is nisi Christum in eadem persona hominem verum et Deum verum esse, atque solum ipsum humanam naturam assumpsisse profitetur ? In ipsa quoque persona cum asserat vere divinitatem, ac Patri et Spiritui sancto per omnia esse æqualem, nullatenus tres deos dici posse docet perspicue, juxta symbolum D. Athanasio ascriptum : « Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. » Postremo quoque illo effato : « Unigenitus Patris ita in mundum venit, ut tamen a paterno sinu nunquam discederet, » haud obscure demonstrat sejunctam aut separabilem nusquam posse esse divinæ naturæ æternam connexionem ; nonne mentis inops foret ille censendus, qui, quod unquam nequit separari, separatum affirmaret ? Audiamus porro ipsum loquentem in cap. 1 ad Romanos pag. 9, II, 20, ad hoc verbum *Justitia* : « Alia causa cur non erubescat, quia in eo revelatur qualiter justos faciat credentes ex fide Veteris Testamenti, qua unus Deus credebatur, proficiente in fidem Novi Testamenti, qua Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus et trinus Deus creditur ? » In cap. III ad Galat., ad [illegible] hæc : *Deus autem unus est.* « Quia, inquit, Christum dixit Mediatorem Dei videlicet et hominum et Christus est, videbantur esse duo dii ; sed absit ! Unus enim Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » Sunt et alia id genus sparsim toto in Commentario ad Epistolas D. Pauli innumera pene loca. Detraxisse demum magni Lanfranci singulari doctrinæ nonnullos, paucis ipsemet innuere videtur, I ad Corinth. II, 13, in fine, ad hæc verba : *Non in doctis*, etc. « Quæ per singula, inquit, exponerem, nisi imperitorum hominum talium doctrinarum murmur timeretur. »

Neque enim homo in terra degens, in cœlo tunc esse poterit. Solis nimirum humanæ naturæ viribus ; cum alioquin in confesso sit apud omnes SS. Patres atque Ecclesiæ catholicæ doctores, de veritate corporis Christi in sacramento disserentes, id modo supernaturali, ac divinitus fieri posse, quemadmodum et ipsemet Lanfrancus probat in libello De eucharistiæ sacramento.

AD EPISTOLAM LI.

Causam Godvini. Is est forsan cujus filiam duxe-

rat S. Eduardus rex Anglorum, quique maxima potitus auctoritate pessime se gessit, ac tandem miserrime mortem oppetiit. Guillelm. Pictavensis in Gest. Guillelmi, pag. 178, et infra, aliique permulti. Sed quia de adultera nihil occurrit, Godvinum illum esse affirmare non audeo.

AD EPISTOLAM LIII.

Abbati Turstano. Historia ms. quæ sub nomine Guillelmi de Nangiacio circumfertur : « In Anglia Turstanus abbas Glastingeberi turpe scelus et nefandissimum egit ; tres namque ex suis monachis super altare poni fecit, et occidi ; decemque et octo jussit graviter vulnerari ; sicque sanguis eorum cucurrit ab altari super gradus, et a gradibus super aream. » Causam vero tanti odii in monachos habet De pontif Angliæ Guillelm Malmesbur., lib. II, fol. 145, loquens de Glastoniensi abbatia : « Turstanus, dono regis Willelmi patris, ejus monasterii factus abbas, terras et pecunias in lectatorum [*f.*, sectatorum] suorum abusus consumpsit. A monachis severe ordinem exigere, sed inter hæc eos in victualibus miserabiliter tractare. Hinc lites verborum, animorum discordiæ. Post jurgia ventum ad arma, coactique a militibus monachi in ecclesiam sancto altari miserias adplorabant suas. Sed irrumpentibus militibus duo ex iis ibidem cæsi, quatuordecim vulnerati, cæteri repulsi, » etc. Florentius Wigorn. ad A. C. 1083 ; Henric. Huntindon., lib. VII Histor., anno Guillelmi primi XV.

AD EPISTOLAM LVI.

Apud Glocestram. Quam pleno ore laudat Malmesbur., ubi supra, lib. IV, in pontif. Wigorn. Glocestræ autem cathedram episcopalem Henricus VIII, eliminatis monachis collocavit, ut auctor est Godwinus De præsulibus Angliæ, pag. 590.

Cum abbate Serlone. Idem Malmesburiensis, loco citato describens monasteria, initio : « Est ergo in ipsa civitate Glocestriæ S. Petri monasterium, quod ibi Aldredum archiepiscopum incepisse non semel dixi. Paucos ibi, et non plus quam tres monachos invenit abbas Serlo, a rege Willelmo seniore donum exile adeptus ; sed quantum Dei gratia, cum illius conspirans industria, locum extulerit illum, quis congrua explicet facundia ? Nota est Glocestrensis religionis discretio, quam infirmus possit suscipere, nec validus possit contemnere. Hoc illis signifer intulit Serlo, ut Ne quid nimis. »

AD EPISTOLAM LIX.

Quod papam Gregorium vituperas. De S. Gregorio plura cum laude ad epistolas 3 et 6 attexui supra. Schismatis porro, quod hic tangit S. archiepiscopus, meminere Marianus Scotus comtemporaneus auctor lbr. III Chronici ann. 1081 ; Otto Frinsingensis in Chronico, lib. VI, cap. 36, et lib. VII, cap. 1 ; fuse nnales sacri Cæsaris Baronii tom. I. Solummodo ncti Gebehardi testis oculati epistolam (nondum pis, opinor, mandatam) ad Hermannum Metensem piscopum, qua Guibertum antipapam compendio erstringit non indignam luce arbitrati sumus :

GEVEHARDUS Salzeburgensis episcopus, HERMANNO Metensi episcopo, salutem. Wibertus quondam Ravennas archiepiscopus, cum obedientiam, quam apostolicæ sedi juramento promiserat, non attendere, sed etiam ipsam omnimode superbire studuisset, in Romana synodo irrecuperabiliter depositus **336** et anathematizatus est ab apostolica sede et ab episcopis totius Ecclesiæ ; nec hoc semel in una synodo, sed in omnibus synodis quotquot jam septennio Romæ celebratæ sunt. Hic igitur ita in perjuriis inveteratus, et pro eisdem irrecuperabiliter depositus et anathematizatus, sedem Romani pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematizatorum. utpote sui similium, invasit, legitimo pastore adhuc eidem sedi præsidente. Ipsorum auotem excommunicatorum nullus eum consecrare vel potius exsecrare præsumpsit, præter Mutinensem et Arithinum ex episcopis, qui ambo pro suis criminibus jam annis tribus officio et communione caruerant. Sed hi, etiamsi officium et communionem haberent, et Romana sedes pastore vacaret, nullum tamen eidem sedi pontificem ordinare possent ; hujus enim ordinationis privilegium solis cardinalibus, episcopis Albanensi, Ostiensi, Portuensi, a sanctis Patribus est concessum. Ergo Muntinensis et Arithinus exepiscopi, juxta testimonium sanctissimi papæ Innocentii, non benedictionem, sed damnationem quam habuerunt suo Ravennati imponere potuerunt, nec illum in Romanum patriarcham, sed in perditissimum hæresiarcham promoverunt. Caveat igitur omnis Christianus caput Antichristo inclinare, statuam, quam Nabuchodonosor erexit, adorare, sicque se ipsius hæresiarchæ perniciosissimo anathemati innodare. Nam quicunque illi obedierit qui dixit : *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 14), certissime in æternam damnationem ibit cum ipso. Amen.

Ita litteræ Gebehardi ex Chronico ms. Hugonis Flaviniacensis, mihi a rever. P. Jacobo Sirmondo libentissime concesso.

AD EPISTOLAM LX.

Historiam describit hujus epistolæ Hugo Flaviniacensis loco producto, ad ann. 1085. Rodulphus nimirum abbas (de quo mox) cum strenuissime partes sancti Gregorii papæ VII contra Guibertum, antipapam sub nomine Clementis tueretur, tantam a Theodorico Virdunensi episcopo, acerrimo Guiberti fautore, passus est persecutionem, ut tandem, in summam adductus ærumnam, cœnobium suum deseruerit, petieritque S. Benigni Divionensis monasterium, quo comitantibus nonnullis monachis (quos inter primas Hugo tenebat) ubi divertisset, atque ab archimandrita cæterisque cœnobitis ejusdem loci fuisset obviis ulnis exceptus, Rodulfi sodaliumque vita specimen exstaret virtutis, atque ad majora charismata provocaret æmulanda, ut stabilitatem firment in Divionensi monasterio, monentur. Verum quia jampridem in asceterio Sancti Vitoni Virdunensis professionem emiserant, illam repetere putant

non licere. « Quæsierat super hac re consilium (loquitur Hugo) abbas Rodulphus a quampluribus ; et Lanfrancus Cantuariorum archiepiscopus tale ei responsum reddiderat, scribens ad eum in hæc verba : » Deinde epistolam hanc 60 conscribit.

Rodulpho abbati. Cujus res gestas fuse lateque persequitur Hugo ubi supra. Unde hæc, ut vir tantus aliquousque in lucem prodeat, descripsi : « Anno Domini 1075, Grimoldus abbatiam dimisit die sancti Nicolai. Rodulphus successit ; ordinatio ejus die sancti Urbani. » Et ad ann. 1016 : « Beatæ memoriæ Pater Rodulphus tertius post eum (sanctum Ricardum) successor in regimine Ecclesiæ, et, ut credimus, hæreditariæ sanctitatis possessor, nunc felici beatus excessu, ubi locum ipsum regendum suscepit, et audiret a referentibus multa de eo relatu digna. Videret quoque unanimem erga cultum memorialem ejus omnium devotionem, amplexabatur quidem quod videbat et audiebat generaliter ab omnibus ; æstuabat vero intra seipsum, si tantæ sanctitatis vir ille fuisset ut referebatur, et quasi quærebat sollicitis et dispositis cogitationum excubiis, cujus meriti apud Deum esset. Solebat et ipse ad ejus sepulcri locum, quia senserat ibi faciles orationum proventus, creberrime orare, et multoties pernoctare. » Deinde prolixius describit quomodo Ricardi abbatis sanctitatem Rodulpho patefecerit angelus, cujus et verba hæc subdit postrema : « Tu itaque his de beato viro agnitis, viam quam cœpisti ne deseras, mortificationi carnis, humilitati, vilitati, et castimoniæ invigila, lucrandis animabus operam da, ut cum his et cum aliis doneris beatitudine æternæ jocunditatis. » Et post alia : « Anno ab incarnatione Domini 1090 Theodericus Virdunensis IV Nonas Maii defunctus erat, qui tamen in infirmitate de communione Witberti, et de expulsione fratrum pœnitentiam egit, culpam professus est, et a quodam fratre Gerardo nomine, **377** quondam canonico, et archidiacono Virdunensis Ecclesiæ, tunc autem monacho Sancti Vitoni, quem Rodulphus abbas pia sollicitudine pro hoc illo miserat, præcepto ejusdem abbatis, qui potestatem absolvendi eos qui ab excommunicatione redibant, ab apostolica sede obtinuerat, absolutus est. Ex tunc abbas Rodulphus cum fratribus ac cœnobium sibi commissum revocatus est, cum post discessum ejus intrassent in illud lupi rapaces, loco non parcentes, et Deum, et hominem non reverentes, a quibus ita omnia confusa sunt et destructa, ut memoria confusionis et pessumdationis illius hodieque oblitterari non valeat. » Et infra : « Reversus est autem ad cœnobium suum cum fratribus suis domnus abbas Rodulphus, anno ab incarnatione Domini 1092, cum jam Ecclesiæ Virdunensis Richerus prælatus esset in ecclesia Sancti Stephani Metensis, decani functus officio. » Tandem ad ann. 1099 : « Obiit domnus Rodulphus V Kal. Aprilis. »

Soli Deo honor et gloria.

PERICOPE ORATIONIS

QUAM IN CONCILIO A. C. 1072 CELEBRATO HABUIT B. LANFRANCUS, DE PRIMATU CANTUARIENSIS ECCLESIÆ, CONTRA THOMAM EBORACENSEM.

Ex Guillelmi Malmesbur. lib. I *De Gest. pontif. Anglorum.*

378 Opinio est veritatis egena, qua niteris ut dicatur soli Augustino concessum habere subjectionem omnium episcoporum Britanniæ, et eorum etiam qui essent ordinati per episcopum Eboracensem. Exile et omnino angustum id esset munus quod familiari ab olim suo, novo Anglo, vir largiretur apostolicus ; præsertim cum vivo Augustino nullus Eboracensis pontifex ordinaret quos subjectos haberet Augustinus, sed nec aliquis ubi exstiterit episcopus : beatus si quidem Paulinus primus ejusdem urbis præsul, non tempore Augustini, sed tempore Justi, qui quartus fuit Cantiæ pontifex, illuc directus est. Nescientem Gesta Anglorum docebunt quod dico. Hoc intelligentes sanctissimæ sedis apostolicæ præsules subjectionem omnium episcoporum Angliæ successoribus Augustini confirmarunt, sicut privilegia recitata testantur. Gregorianam, ut dicunt, constitutionem verbis ornantes amplissimis, et libertate munifica prosequentes ejusdem sedis arbitri, ejusdem sententiæ patroni, æquumque censent ut omnes Anglorum Ecclesiæ ab eo loco mutuentur vivendi disciplinam, a cujus fomite rapuerunt credendi flammam. Quis enim nesciat quod a Cantia manavit Christi credulitas in Eboracum et in cæteras Angliæ Ecclesias ?

Porro quod dicis potuisse beatum Gregorium, si voluisset, successoribus Augustini confirmare dicto quod concesserat Augustino, verum omnino est, nec potest ambigi. Sed quod, quæso, præjudicium hoc Cantuariensi sedi affert? A simili causam proponam. Nam quando Dominus et Salvator noster Jesus Christus dixit beato Petro : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI, 18), potuisset adjicere, si voluisset : Eamdem potestatem successoribus tuis concedo ; verum dicti prætermissio nihil reverentiæ imminuit successoribus Petri. Ibisne his verbis obviam? Referesne adversa? Enimver omnium Christianorum conscientiis est inditum u nihilominus quam beato Petro, successoribus eju

et minantibus attremant, et serenam dignitatem A indulgentibus gaudenter applaudant; estque tunc demum omnium ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit comprobata judicio. Quid illud agit, nisi vis divinæ liberalitatis per Dominum Jesum a beato Petro in vicarios ejus diffusa? Ergo de similibus idem pronuntiabis judicium, si dialecticam nosti.

Præterea quod valet in toto, valet in parte; quod valet in majori, valet in minori. Romana Ecclesia quasi totum est omnium, cæteræ Ecclesiæ quasi ejus partes. Sicut enim quodam intuitu homo est genus individuorum suorum, et tamen in unoquoque individuo inest totius hominis tota proprietas; ita quodam respectu sedes Romana est genus et totum omnium Ecclesiarum, et tamen in unaquaque Ec- B clesia totius Christianæ fidei tota regnat integritas. Ipsa est major omnium Ecclesiarum; et quod in ea valet, debet et valere in minoribus, ut potestas primi cujuscunque Ecclesiæ principis in succedentes dimanet, nisi si quid personaliter et nominatim excipiatur. Quare sicut Christus dixit omnibus præsulibus Romanis quod dixit beato Petro, ita quod dixit Gregorius, omnibus successoribus Augustini dixit in Augustino. Hinc conficitur ut, sicut Cantia subjicitur Romæ, quod ex ea fidem accepit, ita Eboracum subjiciatur Cantiæ, quæ eo prædicatores misit.

Jam vero quod allegas voluisse Gregorium ut Augustinus resideret Londoniæ, fluctuat plane. Qui enim firmari potest ut ipse, magistri sui voluntati resultans, in repulsam decretorum iret? Sed famæ tam multorum assensu firmatæ derogare fidem refuto. Esto enim, ut alias migraret, quid ad me, qui Londinensis episcopus non sum? Nihil enim mea interest, nisi quod usus antiquitatis non patitur, si tu cum Londinensi pontifice primatus honorem partiaris? Ea de re si, lite sequestra, pace media negotium ventilari desideres, pro mei juris officio non deero recto judicio.

BEATI LANFRANCI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

DE CELANDA CONFESSIONE

LIBELLUS

Ex duobus mss. codicibus Sancti Victoris Parisiensis, et C. V. Alexandri Petavii.

379 Argumentum.— Quæri videtur in hoc libello, cum proprius sacerdos pœnitentis confessionem publicaverit, cuinam pœnitens confiteri debeat. I. Probata Ecclesiæ virginitate et unitate, ostendit auctor quantorum malorum causa extiterit sigilli confessionis infractor. — II. In hoc casu, ubi nimirum pœnitenti sacerdotum inest penuria tanta ut nullus queat prorsus reperiri, posse eum clericis, quin etiam et laicis mundis, hoc est fidelibus confiteri; non quod illa confessio (ut proferam hac in re theologorum sententiam) gratiam ex opere operato conferat (neque enim sacramentalis est) sed ex opere operantis, nempe ex contritione, et humilitate quam testatam facit confitens in sui delicti revelatione, majorem ut sibi ruborem adsciscat; unde quodammodo Deus suppleat sacerdotis officium. — III. Ubi nec sacerdos, nec clericus, nec laicus invenitur non de salute desperandum, sed soli Deo confitendum ex diversis probat SS. Patrum auctoritatibus.

Rogatus super virginitate matris Ecclesiæ, quo- C modo virgo est, quæ non solum ex virginibus, sed etiam ex conjugatis, ex corruptis, et incorruptis carne constat, negare non debui charitati dare de virginitate testimonium. Virgo enim est, et vere virgo; nam, si intueamur in speculo puritatis et veritatis, et vere virgo imaginem habens [*al.*, hujus] virginitatis, quod est carne beata virgo Maria, mater est Ecclesia conscientia. Cujus rei in lineam cujus dirigimus, si quatuor ecclesiastica sacramenta diligenter inspicimus, fidem, baptismum, Dominici corporis et sanguinis consecrationem, peccatorum remissionem. Fide enim est mater Ecclesia, quod est carne beata Maria, quia quod illa in Spiritu Sancto concepit, ista in Spiritu sancto credit. Sacramentis baptismi, Dominici corporis et sanguinis, peccatorum confessionis divisa non est, et quia vere una, vere est virgo, quia omnis virgo, ex eo quod virgo est, in duo dividi non potest; etenim caro quæ virgo est, perfecte est virgo; beata ergo [*al.*, vero] mater Ecclesia una eademque in sacramentis, et fide, dum nihil corruptum in conscientia, sicut nec virgo Dei genitrix patitur; ut illa in corpore, ita ipsa quoque sensu virgo, est. In hujus itaque virginitatis speculo ad intuendam faciem veritatis in sacramentis confessionis nonnulli, et quod gravius est, qui imaginem videntur habere religionis, caligant; quæ diligentius intueamur, et omne quod unum non est in **380** sancta Ecclesia ab oculo veritatis evanescat.

Tria esse sacramenta (6) confessionis Dominus

in sua persona declaravit, figuram baptismi, unam conscientiam de duobus, Deum et hominem in eodem judicio. In figura baptismi (2), is qui confitetur, abrenuntiat per pœnitentiam, et credit per fidem, sicut is qui baptizatur (3) abrenuntiat et credit. Unde et Dominus idem testimonium accepit a Patre in transfiguratione, quod et in baptismo, et additum est : *Ipsum audite* (*Matth.* XVII, 6). De eo enim de quo audierat Joannes : *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33), audierunt discipuli : *Ipsum audite*, quia qui baptizat in baptismate, ipse auditur in pœnitentiam dante (4). Duæ conscientiæ in unam transeunt, confitentis scilicet in ejus cui confitetur, et judicantis in ejusdem qui judicatur. Hanc unitatem imprecatur Filius Dei apud Patrem : *Ut et ipsi in nobis*, inquiens, *unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te* (*Joan.* XVII, 21). Deus et homo in eodem judicio conveniunt, quia qui se judicat, jam cum Deo facit (*Aug. tract.* 12, *in Joan.* sub finem). Unde et latro in cruce cum dixisset : *Nos quidem digna factis recipimus* (*Luc.* XXIII, 41), quia cum Domino se judicavit, cum Domino in paradiso est.

In his sacramentis qui quocunque modo de confessis sibi aliquam suspicionem in publicum oriri scienter faciunt, vel confessos infamant, caligant; et hi qui in confessionem aliquam, vel consortem sui criminis produnt, peccant ; et illi qui in confessionem [*f.* confessione ; *vel sic :* peccant, et illi in confessionem, qui facta, etc.] facta aliorum perquirunt. Cum enim confessio figuram baptismi teneat (5), scimus quia in peccati abrenuntiatione, non alterius detractione baptizamur. In Judæ etiam proditoris Domini censentur participio, quia, licet is cui detrahitur, ex eo quod peccavit, personam Domini non significet, ex eo tamen quod traditur significare potest. Dominus namque, etsi non peccavit, tamen traditus est, de quo Judas ait : *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum* (*Marc.* XIV, 44) ; et is cui, cum imagine [*al.*, imaginem] familiaritatis, quasi osculum vel exhibet, vel exibuit, de crimine rogat teneri in confessione (6). Et Apostolus Joannes : Omni *qui facit peccatum, ex diabolo est* natus, *quia ab initio diabolus peccat* (*I Joan.* III, v. 8) ; hoc peccatum violationem charitatis intelligimus, quia ab initio diabolus peccat [*al.*, perdidit]. Horrendum vero est valde, cum is, qui per confessionem puram de Spiritu sancto renasci debuerat, in alterius detractione per violationem charitatis de diabolo renascitur. Et Scriptura : *Justus in principio sui accusator est* (*Prov.* XVIII, 17) : sui, non alterius. Et item *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V, 16) vestra, non aliena.

In quo revocemus ad memoriam quia Judas se solum laqueo suspendit; derogans enim in confessione solum sibi nocet, quia is, cui derogatur, nec publicatur, nec in quamcunque suspicionem quocunque modo adduci salvis sacramentis potest confessionis. Unde, in sacris canonibus et causis ecclesiasticis, de his tantum quæ in tractatu audivimus, et videmus in effectu tractari, palam loquimur et testamur. Et in Veteri Testamento bos cornupeta recludi præcipitur (*Exod.* XXI, 29) ; si enim non reclusus in campo publicationis aliquem occiderit, id est, in suspicionem mortalis criminis adduxerit, dominus ejus, is videlicet cui per confessionem se credidit, quia non eum reclusit, aliquod videlicet in confessione dictum peccatum, vel quemquam simpliciter a derogante nominatum, in causam publicam quocunque modo adducit, morte mori præcipitur. Revelator enim confessionis, mortalis criminis reus est : fidem namque mentitur, sacramenta confessionis non observat, in unitatem Patris et Filii peccat, in Spiritum sanctum, qui est vera remissio, blasphemat, et cum Judæis Domino dicit : *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu ; et dæmonium habes?* (*Joan.* VIII, 48.) Fidem mentitur, cum, quod fidei Christianitatis ejus creditum est non servat ; de qua beatus Augustinus in homilia 10 super epist. Joannis dicit : « Qui non credunt, id est, qui fidem non habent, pejores sunt quam dæmones, et tardiores. »

Sacramenta confessionis violat, quia nec pœnitentem in confessione baptizatum credit ; ipsumque secundum baptismum, id est confessionem, quantum in ipso est, destruit, nec unitatem conscientiæ custodit, nec Deum in suis judiciis convenisse veretur. In unitatem Patris et Filii peccat, cum unitatem quæ est inter Deum Patrem et Filium, in confitente sibi repræsentatam, quacunque publicatione dividit. Cum enim Filius ad Patrem dicat : *Et ipsi in nobis unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te* (*Joan.* XVII, 21) ; aut Deum unum, aut se in illo, qui unus est, aut omnipotentem in ipso posse operari unitatem negat. Sed quia Deus unus est, et membra Christi in unum conveniunt, profecto liquet quia, dum ab unitate Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, per tanti violationem sacramenti se præscindit, non in Deo, nec ex Deo, nec cum Deo est. In Spiritum sanctum blasphemat, dum quod in fide et advocatione ejus qui est remissio peccatorum, sibi creditum est revelat, ostendens quia apud eum nec Spiritus sanctus est advocatus. Apud Salomonem quoque [351] fraudulentus vocatur qui revelat arcana, et fidelis qui animi celat commissum (*Prov.* XI, 13). Et in Ecclesiastico : *Qui denudat arcana amici perdit fidem* *Eccli.* XXVII, 17), quæ est origo et fundamentum omnium virtutum, incurritque desperationem, quæ est blasphemia Spiritus, et ultimum maximumque omnium criminum. Cum Judæis Domino dicit : *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* (*Joan.* VIII, 48). Per dæmonium peccatum potest intelligi, teste evangelista, qui de Maria Magdalena septem dæmonia ejecta dicit ; et Dominus Samaritanus esse, et dæmonium habere dicitur, cum confessi culpa reducitur ; quia qui Samaritanus est, id est custos per confessionem, in eo quem custodit, dæmonium habere improperat per peccati communionem.

Si vero is qui confitetur in culpa perseverat, et

etiam anathema est is cui confessum est, cum Domino usque ad exitum Judam patiatur; nec etiam in illos aliquando [aliquam omnino vel] per se vel per aliquem vindictam exerceat, qui sibi denuntiati sunt in crimine, vel per confitentium malitiam vel simplicitatem, ne sacramenta confessionis violentur. Sunt enim quidam qui non arbitrantur indulgentiam consequi, nisi sociorum suorum nomina detexerint.

Sunt et alii qui studiosissime in confessione facta perquirunt aliorum quod vitiosissimum nobis videtur esse, quia, secundum papam Gregorium (*in Job*, l. v, c. 3, vers. 40), magnum curiositatis est vitium. Jam de his qui vel alios in confessione produnt, vel quod confessum est in causam publicam quocunque modo adducunt, vel a confitentibus crimina sociorum inquirunt, raro quidem, nec secundum rigorem Scripturarum, nec aures audire, quam horribiles sint horrescant.

Tamen quantulumcunque dictum est, videamus quibus tunc confitendum sit [7]. Hi in primis de quibus diximus cavendi sunt [8], quoniam, si B. Joannis Epistola prima requiritur (cap. II, 2), in omnibus sacramentis moribus Antichristi sunt. Quibus prætermissis, in Veteri Testamento sacerdotibus lepra ostenditur (*Levit.* XIII, 49); levitæ tabernaculum fœderis comportant, erigunt, deponunt. Tabernaculis populi a tabernaculo fœderis terminum ponunt, ne indiscrete appropinquent ad tabernaculum, et moriantur (*Num.* I, 50, 53). Tabernaculum fœderis corpus est Dei et hominum Mediatoris, a quo levitæ populo terminum ponunt, dum pro quibus peccatis a mensa Domini abstinere debeat, docent. De subdiaconibus dicitur: *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isai.* LII, 11). Vasa corda significant; unde in Evangelio: *Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus* (*Matth.* XXV, 4). Subdiaconi itaque vasa Domini lavant, cum conscientias mundant; acolythi luminaria accendunt Ecclesiæ. Exorcistarum est officium ex obsessis corporibus dæmonia effugare; lectorum est verbum Dei referre; ostiariorum est ecclesiam aperire. Quæ si omnia diligenter intuentur, ad hoc fiunt visibiliter, ut ab his a quibus fiunt fiant per mundationem conscientiarum invisibiliter. Unde B. Augustinus in tractatu sexto Epistolæ S. Joannis Apostoli, sic de Baptismo: « Aqua sacramenti visibilis est, aqua spiritus invisibilis; ista abluit corpus, et significat quid fiat [*al.*, quod sit] in anima. » Visibilia namque sacramenta et operantur, et significant [*al.*, signant] invisibilia. In hoc cognoscimus quia de occultis omni ecclesiastico ordini confiteri debemus [9]; de apertis vero solis convenit sacerdotibus, per quos Ecclesia, quæ publice novit, et solvit et ligat.

Sin nec in ordinibus ecclesiasticis cui confitearis invenis, vir mundus ubicunque sit, requiratur, sicut in Veteri Testamento præcipitur: *Ista lex est hominis qui moritur in tabernaculo. Omnes qui ingre-* A *diuntur tentorium illius, et universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus. Tollent de cineribus combustionis atque peccati, et mittent aquas vivas super eos in vas, in quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, et cunctam supellectilem ejus, et homines hujuscemodi contagione pollutos; atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio, et septimo die* (*Num.* XIX, c. 14-19). Longum est per singula allegoriarum mysteria currere. Sed diligenter intuendum quid est quod sine B determinatione cujusquam ordinis homo mundus lustrare immundum dicitur: et quosdam sanctorum Patrum legimus qui animas rexerunt, et tamen eorum ordines nescimus [10].

Quod si nemo cui confitearis invenitur, ne desperes [11], quia in hoc Patrum conveniunt sententiæ [12], ut Domino confitearis. Unde B. Joannes Chrysostomus super L psalmum (homil. 2, ad hunc versum: *Et peccatum meum contra me est semper*, ante medium): « Si confunderis alicui dicere quæ [*al.*, quia] peccasti, dic ea quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis conservo tuo, ut tibi exprobret, sed confitere Deo, qui ea curet. » Item idem super Epistolam ad Hebræos (super cap. 12 hom. 31, post medium): « Non dico tibi ut te prodas in pu- C blicum, neque ut te apud alios accuses; sed obedire te volo Prophetæ dicenti » *Revela Domino viam tuam* (*Psal.* XXXVI, 5), [illegible] et tunc demum spera misericordiam te posse consequi. Et in septem collationibus ultimis Joannes Cassianus (*collat.* 20, cap. 8): « Si verecundia retrahente revelare peccata tua coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas, qui et absque ullius verecundiæ publicatione curare, et sine improperio peccata donare consuevit. Maximus in sermone paschali dicit [13]: « Invenio quod Petrus fleverit, non invenio quid dixerit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego (68). » Et lingua Spiritus sancti Leo: « Lacrymis lavatur delictum quod voce pudor est confiteri. Misericors etenim D Dominus, et absque ulla confessione respexit Petrum, et indulsit ei trinæ negationis admissum. »

Sciendum vero minoribus summopere est sacerdotibus, et maxime prælatis, ne culpam dictam in occulto sub nomine alterius culpæ vindicent in publico. Unde in linea veritatis, sigillo videlicet evangelico, cum Filius Dei dixisset: *Ut ipsi in nobis unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te* (*Joan.* XVII, 21) non sine magno sacramento tacuit nomen Spiritus sancti, cum Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum sint. Unitas enim confitentis in tertiam adduci personam non debet, nec sub nomine alterius culpæ

(68) Hoc idem etiam S. Ambr. dicit super Lucam, lib. x in fine commentarii ad c. 22 de negatione Petri.

ista puritas infamari, sed secrete Spiritu sancto committi.

Omitto de his quæ confessa sunt, tantum loqui, cum Evangelium de his quæ videmus et patimur dicat : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum* (*Matth.* XVIII, 15). De qua sententia B. Augustinus sic in verbis evangelii dicit (Serm. 16 *de verb. Domini*, c. 4, tom. X) : « Corripe fratrem tuum inter te et ipsum solum, intuens [*al.*, intendens] correctioni, parcens pudori ; forte enim præ verecundia incipiet defendere culpam suam, vel peccatum suum ; et qui vis facere correctionem [*al.*, quem vis facere correctiorem], facis pejorem. Corripe ergo inter te et ipsum solum. » Item idem (ibid.) : « Tu scis quia peccavit, quia enim secretum fuit quando in te peccavit ; secretum quære, cum corrigis quod peccavit : nam si solus nosti quod peccavit in te, et eum vis coram omnibus corrigere, non es corrector, sed proditor. « Item idem (bid.) : « Ipsa corripienda sunt coram hominibus, quæ peccantur coram hominibus ; ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius : distribuite tempora, et concordat Scriptura. Sic agimus [*al.*, agamus], et sic agendum est, non solum quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ita ut ab altero nesciatur. » (Ibid. 8.) « In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne, volentes publice arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere et corrigere ; quid si inimicus quærit audire, et corripere [quod puniat] ? Novit enim nescio quem homicidam episcopus, et alius nemo illum novit. Ego publice corripere, at tu quæris inscribere : prorsus nec prodo, nec negligo. Corripio in secreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quia, quasi non corripiamus, aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos tacere quod scimus. Sed forte quod dicis [*al.*, scis] et ego scio ; sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant ; aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus. Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus ; ubi contingit malum, ibi malum moriatur. Non tamen vulnus illud negligimus, ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto, sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum. » B. Hieronymus sic super Matthæum dicit (in cap. 18, in medio, ad illa verba : *Si peccaverit in te*, etc.) : « Corripiendus est frater seorsum, ne, si semel pudorem ac verecundiam amiserit, permaneat in peccato. »

In his satis liquet quia si quæ videmus et patimur, salvo Dominico præcepto, nonnisi inter nos et fratres nostros peccantes secretum habere possumus. Si, corrigere voluerint, omnimodis confessa detegimus, teste Spiritu sancto, Antichristi et proditores habemur. De quibus Felix papa (FEL. 1, ep. 1, in medio tom. I Conciliorum editionis regiæ) : « Proditorum nec vox, nec calumnia audiatur. »

Quod vero quæ confessa sunt sub nomine alterius culpæ vindicari, vel secrete visa detegi non debeant, sic dicit Innocentius papa : « Latentia peccata non habeant vindictam, et, probatione cessante, vindictæ ratio conquiescat. » In his omnibus liquet quia unum cum Sponso suo mater est Ecclesia, et membra sua non divisioni, sed unitati parit in sæcula sæculorum. Amen.

DOMNI LUCÆ DACHERII

BENEDICTINI CONGREGAT. S. MAURI

AD B. LANFRANCI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI LIBELLUM DE CELANDA CONFESSIONE ANIMADVERSIONES.

383 (1) *Tria esse sacramenta.* Perspicuum est sacramentum hoc loco (uti et superius) pro re sacra usurpari, sublimi videlicet, arcana, et recondita ; id Græci μυστήριον appellant. Sic intelligendum est illud Sapientiæ, II, 22 : *Nescierunt sacramenta Dei* ; Ephes. I, 9, *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ* ; et Collectæ in solemnitate Transfigurationis Domini : « Deus, qui fidei sacramenta in Unigeniti tui transfiguratione Patrum testimonio roborasti, » etc.

(2) *In figura baptismi*, hoc est, in Joannis baptismate, quod umbra fuit et figura baptismi novæ legis ; illud enim pœnitentiæ erat, et ad gratiam præparatio. Ideo subjungitur : *Is qui abrenuntiat per pœnitentiam, et credit per fidem* ; quippe qui initiabantur baptismo Joannis, peccata sua confitebantur, iisque abrenuntiabant, et in Christum credebant venturum. De consecr. dist. 4, c. 135 ; Durand. de S. Portiano in 4 Sent., dist. 3, q. 3 ; Soto in 4 Sent, dist. 2, art. 2.

(3) *Sicut is qui baptizatur.* Christi videlicet baptismo peccata condonante, gratiam et virtutes theologicas conferente, ut, aqua Christiana tincti, Satanæ mundo et pompis ejus abrenuntient. Ita communiter theologi.

(4) *Quia qui baptizat, in baptismale, ipse auditur*

in pœnitentiam dante. Christus Dominus hic innuitur, siquidem ipse, ut causa principalis, et baptizat et absolvit a peccatis ministerio sacerdotis.

(5) *Cum enim confessio figuram baptismi teneat.* Est namque veluti secundus baptismus, et « secunda post naufragium tabula, cum peccaveris, erubescere, inquit B. Hieronymus, l. v, in cap. 16 Ezech. sub. med. Quemadmodum enim in baptismo peccatum originale et actuale abluitur, sic in pœnitentiæ sacramento universa actualia peccata solvuntur. Verum pœnitentia omnimodam baptismi haud quaquam præ se fert figuram, ut probant S. Thomas in 4 sent., dist. 17, a. 3, ad 2 Dominic.; Soto in 4 dist. 18, q. 4, art. 1. Et alii passim.

(6) *De crimine rogat teneri in confessione.* Id est (ut reor) peccata confitentem posthac eisdem optat teneri, scilicet pro impio haberi, ac in summum vitæ discrimen adduci. Non secus enim ac Judas osculi signo effecit ut in Christum manus injicerent Judæi, atque adeo morti traderent : ita sacerdos pœnitenti quasi osculum exhibet, dum sinistra mente ipsi in confessione paternum affectum, benevolentiam, seque singulari ejus salutis desiderio flagrare, profitetur, uti ab eodem pœnitente majorem peccatorum notitiam possit elicere, et postmodum ea, quæ æterna oblivione debuerant obvolvi, evulgat in publicum, sicque illum ab aliis intendit sceleris argui, opprobrio affici, ac tandem mortis dignus judicari.

(7) *Videamus quibus tunc confitendum sit.* Notes velim hoc loco non dici, videndum quinam tunc, puta in eo casu quo proprius sacerdos infringit confessionis sigillum, habeant potestatem absolvendi, sed tantummodo, *quibus tunc confitendum sit.* Unde intelligi datur iis, quos postea refert, detegenda duntaxat humili confessione peccata, ut exinde pœnitentibus magis contritis Deus misericordiam impendat, atque interna subsidia, vires et consilia, quibus in posterum ad meliorem frugem redire valeant, ab ecclesiastico viro, seu etiam a laico probo subministrentur.

(8) *Hi in primis, de quibus diximus, cavendi sunt.* Quandoquidem in consequentibus omnes ordines recenset B. Lanfrancus, de proprio sacerdote infideli, hoc est peccata subditarum sibi animarum propalante superius fuisse locutum, necessario colligendum videtur ; consulereque ne ejusmodi traditori, Dei Ecclesiam, quæ una est et casta, dividere atque infamare conanti, conscientiam aperiat qui consilium postulat.

(9) *In hoc cognoscimus quia de occultis omni ecclesiastico ordini confiteri debemus.* Hoc verbum *debemus* non semper necessitatem aut præceptum ingerit, sed consilium quandoque suggerit, uti inter alios docet 384 Soto in 4 sent., dist. 18. q. 4, art. 1, in fine, agens de confessione laico facienda : « Verbum debet, ait ille, non sonat præceptum, ut nonnulli ex Summistis arbitrantur, sed decentiam, quæ tempore sancti Thomæ frequentior erat in usu. » Illa, et quæ sequitur sententia, quadrupliciter potest intelligi. Primo quidem occulta dicit Lanfrancus confitenda omni viro ecclesiastico, seu etiam laico fideli, ad hoc ut confitens instruatur quam gravia nimirum sint a se commissa peccata, quænam a divinorum arceant participatione sacramentorum, et posthac quomodo sese a suis delictis temperare debeat. Et id ex mente sanctorum Patrum. S. Benedictus regulæ c. 7 de humilitate : « Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse commissa, per humilem confessionem abbati non celaverit suo. » Quæ sane directionis gratia aperiri vult beatissimus Pater, nam in confessione sacramentali non solum occulta, sed et aperta revelanda sunt. Docent hæc etiam sanctus Basilius regulæ interrog. 229. Concord. regularum, cap. 15 : « Confessio peccatorum hanc habet rationem quam habet vulnus aliquod corporis, vel passio quæ medicinæ demonstranda est. Sicut ergo non omnibus quis vitia vel vulnera corporis sui revelat, nec quibuslibet, sed his tantummodo qui summæ peritiæ testimonium habent, et curæ et medelæ disciplinam ; ita et confessio peccatorum fieri apud eos tantummodo debet, qui curare hæc prævalent et emendare, etc. S. Isidor., c. 13 regulæ : « Qui nocturna illusione polluitur, publicare hoc Patri monasterii non moretur ; culpæque suæ meritis tribuat, et occulte pœnitentiam agat, » etc. S. Fructuosus, regulæ cap. 13 : « Omnes actus sive occasionum necessitudines semper necesse est ut monachus Patri reseret, et ex illius cognoscat discretione vel judicio quid attendat. Cogitationes, revelationes, illusiones et negligentias proprias seniori nullus obcelet ; sed semper hujuscemodi vitia cum lacrymis atque compunctione cordis atque humilitate verissime abbati, præposito, sive prælatis senioribus revelanda sunt, et consolatione, oratione, castigatione sive etiam exercitatione idonei operis castiganda. » Ex regula cujusdam cap. 7, in cap. 15 Concord. regularum : « Abbas, vel præpositus, vel quilibet seniorum fratrum, cui ab abbate commissum fuerit ut confessiones recipiat, crimina majora vel minora nullatenus manifestet, nisi soli justo judici, qui omnium confitentium crimina lavat. » Quam sane doctrinam mentem assequi auctoris, non ita obscure superior mystica ordinum interpretatio, ex Veteris Testamenti allatis exemplis, demonstrat.

2. Per occulta peccata venialia, per aperta, hoc est aperte mala, lethalia possunt intelligi. Sic interpretor S. Bedæ locum, in c. 5 Epist B. Jacobi, ad hæc verba : *Confitemini alterutrum peccata vestra;* dicit : « In hac autem sententia illa debet esse discretio ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione salvari Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter et quanto tempore jusserit, purificare curemus. » Vener. Bedæ sententiæ

calculum adjicit. Suppar B. Lanfranco auctor, Radulphus Ardens, concione in litania majore post initium : « Cui fieri debet confessio? Confessio criminalium debet fieri sacerdoti, et nominatim, qui solus habeat potestatem ligandi atque solvendi, sicut et lepræ judicium solis sacerdotibus in lege erat commissum. Confessio vero venialium, alterutri et cuilibet, etiam minori potest fieri : quoniam propter venialia non separatur homo a Deo, nisi per incuriam : sicut nec per scabiem, vel per impetiginem, aliquis in lege separabatur a castris. Fit autem hæc confessio, non quod possit a peccatis absolvere, sed quia propter propriam humiliationem, et peccatorum nostrorum accusationem, mundamur a peccatis : Unde et non dicimus : *Ego dimitto tibi peccata tua*; sed dicimus orando : *Misereatur tui omnipotens Deus*, » etc. Huc usque Radulphus, qui mirum in modum sententiam hanc de occultis et apertis delictis illustrat.

3. Per illa verba, *occulta*, et *aperta*, confessionem in genere ac in specie notari volunt nonnulli : siquidem cum in genere dicimus : Ego gravissimus peccator in multis criminibus divinam bonitatem offendi : cum recitamus Confiteor Deo omnipotenti, etc., occultamus peccata, quandoquidem ea nominatim minime declaramus. Speciatim autem crimina sua quis aperire noscitur, dum v. g. fatetur se in blasphemiam, fornicationem, etc., toties incidisse. Et posteriori hoc modo peccata soli sacerdoti, qui ligandi habeat potestatem et solvendi, sunt confitenda. Ita Alexander de Alès in 4. sent. q. 78. art. 1.

4. Rationem cur olim fuerit usu recepta confessio coram laico, adferunt hanc theologi, quod ejusmodi confessio ad confusionem et erubescentiam, quæ pars est * 85 satisfactionis, ordinetur ; illi etenim qui laico, seu non sacerdoti, et sibi æquali aperiunt scelera sua, id ex contritione agant necesse est, ac proinde virtute humilitatis supplere Deus vicem sacerdotis, et gratiam (non sane sacramentalem, cum sacramentalis minime fuerit confessio) impertiri eisdem præsumitur. Ita ergo B. Lanfrancus occulta solum omni viro ecclesiastico detegenda consulit, siquidem ex hujusmodi peccatorum proditione generatur verecundia et sui ipsius abjectio ; unde confitens divina misericordia atque integra peccatorum venia fit dignus. De apertis vero, seu publicis non ita. Qui enim suffunditur humiliaturque homo, cum ea quæ omnibus sunt nota et coram universis peracta confitetur ? Nempe si hominem in foro quis occiderit, propter blasphemiam fuerit morte damnatus, in domo propria publicum lupanar foveat, etc. nihil exinde sumet humilitatis aut verecundiæ, ubi ea socio revelaverit, neque confessionis virtute delictorum indulgentiam merebitur ullam ; quippe deest, cui aperuit, peccatorum ligandorum solvendorumque potestas quæ soli competit sacerdoti. Atque hæc posterior sententiæ B. Lanfranci interpretatio mihi magis arridet : verum theologorum

A fulcienda corroborandaque auctoritatibus. Liber De vera et falsa doctrina (nomine B. Augustini a plerisque citatus), c. 10, in appendice tom. IV operum ejusdem Augustini, hæc suppeditat : « Verecundia magna est pœna ; qui erubescit pro Christo dignus est venia. » Et post pauca : « Tanta itaque vis confessionis est ut si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit quod pœnitens non potest confiteri coram sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. Et si ille cui confitebitur potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi, dum irent ostendere ora sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent (*Luc.* XVII, 14). Unde patet Dominum

B ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes accedere. » Petrus Lombard., libr. IV. Sentent., distinct. 17. « Si defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio. » Item, infra : « Quærendus est sacerdos sapiens et discretus, qui cum potestate simul habeat judicium; qui si forte defuerit, confiteri debet socio. » Deinde multis interjectis, ex D. Chrysostomo profert ista : « Qui timet judicium Dei, peccatum non erubescit confiteri. Perfectus timor solvit omnem pudorem ; confessio peccati pudorem habet, et ipsa erubescentia est gravis pœna. Ideoque jubemur confiteri peccata, ut erubescentiam patiamur pro pœna. » S. Thomas in 4 sent., dist. 17, q. 3, art. 3, ad I agens de confessione laico facienda, ubi deest copia sacerdotis, ait :

C « Quando necessitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest, qui quamvis sacramentum perficere non possit ut faciat id quod ex parte sacerdotis, absolutionem scilicet, tamen defectum sacerdotis summus Sacerdos supplet ; nihilominus confessio laico ex desiderio sacerdotis facta, sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei quod est ex parte sacerdotis. » Et paulo post « Quamvis ille qui laico confessus est in articulo necessitatis, consecutus sit veniam a Deo, eo quod propositum confitendi, secundum mandatum Dei, quod concepit, sicut potuit, implevit, non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est, ut ad sacramenta

D Ecclesiæ admitti debeat, nisi prius a sacerdote absolvatur » Rationem affert S Bonaventura, quare confessio fieri possit socio in 4 sent., dist. 17, par. III, dub. 1 : « Non fit socio, ut suppleatur locus sacerdotis, vel ut confessio sacramentum ex hoc habeatur, sed ut voluntas confitentis probetur, et innotescat, ut totum quod in se est faciat, » etc. Durandus de S. Porciano, in lib. IV. Sent, dist. 17, q. 11, ex opinione quorumdam hæc habet : « Quando deest sacerdotis copia, et necessitas imminet, debet facere pœnitens quod in se est (scilicet conteri et confiteri cui potest, clerico non sacerdoti, vel laico). Sed istud non videtur necessarium, quia cessante principali cessat accessorium ; sed confessio fit principaliter propter absolutionem ; ergo si deest

copia sacerdotis absolventis, qui solus potest in foro pœnitentiæ absolvere, absolutus est pœnitens ab obligatione confessionis. Propter hoc potest aliter dici quod nunquam est necessarium confiteri non sacerdoti; est tamen licitum, si fiat ex sola humilitate ad habendum consilium, vel ad verecundandum propter Deum, cum verecundia sit pars satisfactionis, dummodo confitens non se subjiciat non sacerdoti sacramentaliter ut ministro, » etc. Dominicus Soto in 4 sent., dist 18, q 4, a. 1, sub medium, de hac re inter alia hæc profert : « Erubescentia confitendi, et humilitas augebunt illi meritum, et poterit ab illo amico consilium accipere, et medelam suis curandis morbis. » Et paulo post [illegible] respondet Scoto, qui ejusmodi confessionem in detrimentum fore salutis affirmat : « Moderatius tamen, inquit ille, dicere possumus jam non esse in usu, neque esse consulendam, » etc. Videsis etiam Alexandrum de Alès in 4 sent. q. 78, membro I, art. 1; Gabrielem, dist 17, q. 1, dub. 7; Sylvestrum V Confessor. 1, q. 1; Navarri man., cap. 21, n. 41; Guill. Estium in 4. sent., dist. 17, § 1. »

(10) *Et quosdam sanctorum Patrum legimus, qui animas rexerunt, et tamen eorum ordines nescimus.* Quod compertum habetur in SS. Antonio, Hilarione, Pambo, Macario, Francisco de Paula, atque aliis quamplurimis; de quorum ordinibus ne verbum quidem apud probatos scriptores offenderis. Coram illis modo, quo supra in priore explicatione dictum est de occultis et apertis peccatis (nimirum directionis gratia), fiebant confessiones.

(11) *Quod si nemo, cui confitearis, invenitur, ne* A *desperes.* Hoc loco non obscure docet auctor de confessione in extrema necessitate facienda prius fuisse locutum; nec non et eadem prorsus mente, quæ sequuntur sanctorum Patrum auctoritates subjecisse; necessitatem vero intelligit eam, dum proprium, aliumve sacerdotem, et quos supra recensuit, quibus tuto et absque publicationis timore scelera sua deponat, nuspiam potest invenire.

(12) *Quia in hoc Patrum conveniunt sententiæ.* Magister sententiarum ubi supra, et cardinalis Bellarminus cap. [illegible] et 20, l. III De pœnitentia, hasce Patrum sententias de publica confessione interpretantur. Illos consule, si lubet. Easdem nihilominus sententias de revelatione seu infractione sigilli confessionis esse intelligendas, contendere videtur B. B Lanfrancus; ubi videlicet secure, cui possit committere sua peccata, adest nemo; velut ipse disertis verbis innuit : « Quod si nemo cui confitearis invenitur, ne desperes, quia in hoc Patrum conveniunt sententiæ, ut Domino confitearis. »

(13) *Maximus in sermone paschali.* Seu B. Ambrosius, lib. x in Lucam cap. 96. Hæc et quæ sequitur S. Leonis sententia, duobus modis a Bellarmino explicatur, loco citato, c. 20, sub finem : 1. « Eodem tempore nondum institutam fuisse confessionem sacramentalem, ac per hoc nihil esse mirum, si Petri confessio non legatur. Deinde S. Ambrosium loqui de lacrymis, quæ confessionem quamdam continent; sic enim S. Petrus, cum sciret Christo notum fuisse crimen suum, non voce, sed lacrymis, C confessus est; id quod omnino sufficit in confessione quæ fit Deo, qui omnia novit, » etc.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

DE OPUSCULO SUBSEQUENTI MONITUM.

(*Hist. litt. de la France*, VIII, 293.)

Les derniers éditeurs de la Bibliothèque des Pères ont ajouté aux écrits de Lanfranc publiés par Dom d'Acheri un autre opuscule intitulé *Sermon* ou *Sentences de l'archevêque Lanfranc*. Dom d'Archer, ne l'ayant découvert que plus de douze ans après avoir donné son édition, l'avait déjà publié dans son Spicilége t. IV, p. 227, 228, lorsqu'on l'a fait entrer dans l'autre recueil. C'est un court, mais excellent traité ascétique, où l'on reconnait aisément la plume et la piété de celui dont il porte le nom. Lanfranc y fait un détail admirable de toutes les principales pratiques qui sont nécessaires à un ascète et à un moine pour soutenir dignement la profession qu'ils ont embrassée. Il y touche à la fin ce qu'il avait déjà établi ou qu'il établit depuis dans une de ses lettres (ép. 33), touchant l'Eucharistie, qu'il est bon de donner aux enfants, mais qui ne leur est pas absolument nécessaire pour le salut avant l'âge de raison.

BEATI LANFRANCI
SERMO SIVE SENTENTIÆ.

Octo sunt quæ, si diligenter a religiosis observentur, per horum observantiam non esse segnes sui ordinis custodes, ab iis qui sanum sapiunt, facile judicabuntur. Primum est, ut claustrum suum teneant, neque de illo ullo modo sine licentia exeant, neque etiam tunc, nisi rationabilem causam habeant. Secundum est, ut silentium suum districte teneant, nec illud pro ulla omnino re, nisi rationabilis occa-

sio et inevitabilis eveniat, facile rumpant. Tertium est, ut nullam proprietatem habeant, nec etiam per licentiam plus habere quam necessitas postulat, expetant. Quartum est, ut prælatis suis in omnibus obediant, nisi forte (quod absit!) iis aliquid contra voluntatem Dei præcipiant; tunc enim nullo modo eis in hac re obediendum est; quia, sicut beatus Gregorius ait, malum propter obedientiam nunquam fieri debet; bonum vero aliquando intermitti potest. Quintum est, ut pro nulla causa, etiamsi eis justa videatur, murmurare vel detractionem facere audeant, ne omne bonum, si quod facere videntur, per hanc nequitiam perdant. Sextum est, ut invicem secundum Deum se diligant, et omne bonum quod singuli sibi ab aliis impendi desiderant, ipsi aliis hilariter et cum gaudio impendant. Septimum est, ut constitutum servitium secundum morem Ecclesiæ suæ, si possint reddere, non negligant; et in hoc agendo intenti et non vagi assistant; ne vagando oculos divinæ majestatis, ante cujus conspectum videntur assistere, offendant. Octavum est, ut puram confessionem de omnibus peccatis suis faciant: quam tamen confessionem non passim omnibus prout cui libuerit, nisi tantummodo suis prælatis, vel quibus fidem prælati potestatem tribuunt, faciant. Regnum Dei et justitiam ejus quærere, est cœlestis patriæ bona desiderare, et quibus justitiæ meritis ad hoc perveniri debeat indesinenter inquirere. Docere et non conviciari ignorantes debemus, sicut cæcos non conviciamur, sed manu ducimus. Quanto graviori tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi ardentius insistere debemus. Deo nostro jucunda fit laudatio, si quod ore canimus, opere non impugnamus. Cum psalmum dicis, cujus verba loqueris agnosce, et in compunctione magis animi quam in tremulæ vocis dulcedine delectare: lacrymas enim psallentis Deus magis quam garritum comprobat. Non vacet mens tua in variis perturbationibus; quod si pectori tuo insederint, dominabuntur tui, et deducent te ad delictum maximum.

Dixit...., verum Christi templum est anima credentis. Etiam in minimis caute age: non enim minimum in vita homini negligere minima. Otiosæ menti maligni spiritus pravas cogitationes inserunt, ut si quiescat ab opere, non quiescat a malorum operum delectatione. Omnia quæ blandimento, quæ occulta voluntate animum trahunt, rejice. Ede citra saturitatem, bibe citra ebrietatem; nec præsentibus deliciis inhærebis, nec absentes desiderabis. Victus tibi ex facili sit, nec ad voluptatem, sed ad cibum accede; desideria tua parvo redime, quia hoc tantum curare debes ut desinant. Gravior appetitus ex indignatione nimia nascitur, quem acceptæ plerumque accendit injuriæ dolor. Nulli est aliquatenus abigendum unumquemque fidelium corporis et sanguinis Dominici tunc esse participem, cum in baptismate membrum efficitur corporis Christi, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, et si, antequam panem illum comedat calicemque bibat, de hoc sæculo migraverit, in unitate corporis Christi constituto; sacramenti quoque illius participatione ac beneficio non privatur, cum in se hoc quod illud sacramentum significat, invenitur habere.

APPENDIX

AD ILLUSTRANDA B. LANFRANCI OPERA.

CHRONICON BECCENSIS ABBATIÆ,

Ab ipsa fundatione ad an. 1467, *ex veteri manuscripto codice ejusdem cœnobii.*

Anno ab Incarnatione Domini 1034, Henrici regis Francorum anno quarto, Roberto, filio secundi Richardi, et fratre tertii Richardi habenas Northmanniæ gubernante, Herluinus venerandæ sanctitatis abbas Beccensis Ecclesiæ primus, inspirante Domino nostro Jesu Christo omnium bonorum auctore, postposita nobilitate terrena, qua satis pollebat, abjecta sæculi pompa, qua ante non parum justa modum suum floruerat, fastuque terreno relicto, hoc anno cingulo militiæ deposito, ad Christi paupertatem tota devotione se contulit, et, ut soli Deo liberius vacaret, sola Dei dilectione habitum monachalem cum gaudio suscepit.

A Danis, qui primi Northmanniam obtinuerunt, originem duxit pater ejus; mater autem ejus proximam ducum Flandriæ consanguinitatem attigit. Ansgotus ille, ista Helloys nomen habebat. Quem Guilbertus Brionensis comes, primi Richardi Northmannorum ducis nepos ex filio consule Godefrido, illum enutritum penes se inter omnes curiæ suæ primates habuit acceptissime. Habilis ille ad arma plurimum erat, nec minore ea animositate gestabat. Omnes omnium totius Northmanniæ majorum in electis illum habebant. In armis omnisque rei militaris usu et cultu corporis sui attollebant. Domi et militiæ commilitonum suorum præstantissimus erat. Quibus de rebus, non solum singularem domini sui obtinuerat favorem, verum et apud Robertum,

totius Northmanniæ ducem, et apud exterarum dominos regionum pepererat sibi nomen plurimum et accessum familiarem.

Hic talis et tantus vir cum prædiis et facultatibus ad statum monachorum venire desiderat. In fundo juris sui qui Burnevilla dicitur, haud procul a Brionio, volens cœnobium construere, ecclesiam ædificavit in honore sanctæ Mariæ, ibique religionis habitum suscepit ab episcopo Lexoviensi, Herberto nomine, maxime sanctitatis viro, quadragesimo ætatis suæ anno, devoteque portavit; nec multo post ab eodem præsule sacerdos ordinatus est et abbas constitutus, quia, propter paupertatem loci illius, quivis alius regimen ipsum nolebat suscipere.

Unde sciendum est quod in Galliis erat et quædam provincia olim vocata Neustria, post a Northmannis, qui a Norst regione venerunt, cognominata Northmannia, in qua est quidam locus qui dicitur Beccus, et ita vocitatus a rivulo ibi decurrente, qui adhuc hodiernis temporibus decurrit juxta muros prati ubi construxit Herluinus, qui erat de genere Danorum, secundam ecclesiam, inde vocatam ecclesiam Becci.

Tribus de causis tam parvo tempore dicitur crevisse non solum divitiis, sed etiam religione, intus studio operis Dei, et fervore religionis; foris studio charitatis, in qua gratia Dei ab initio usque nunc plures virtutes sunt factæ et ostensæ.

Hoc cœnobium de quo loquimur, in initio suæ fundationis aliquanto tempore in maxima egestate et penuria exstitit, ut monens eos probaret Dominus, et probando impleretur illud in eis viri sapientis: *Omne quod applicitum tibi fuerit, fili, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum; homines vero receptibiles in camino humiliationis* (*Eccl.* II, 4, 5). Et ut ostenderetur quod illa fundatio non erat ex homine, sed ex illo et de ipso de quo dicit Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter illud quod positum est, quod est* Jesus Christus (*I Cor.* III, 11), noluit ut per reges et principes ipsa fundatio ageretur, sed per seipsum, et per humilem et timentem verba sua, sicut ipse per Isaiam testatur dicens: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* (*Isai.* LXVI, 2.)

Nota quod Bonnevilla erat proprium hæreditagium domini Herluini, et ibidem primam ecclesiam ædificavit in honorem sanctæ Mariæ, et ibidem habitum suscepit.

Verum quia campestris et inaquosus est locus, monitus per soporem a beata Dei genitrice ✠ Maria, in vallem ad rivum qui Beccus dicitur, Deo adjutore, successit; ibique nobile ædificare cœpit in honorem ejusdem matris Domini Mariæ monasterium, quod Deus perfecit ad sui nominis gloriam, et multorum hominum solatium et salutem. Cui Deus ad auxilium et consilium adducit, juxta desiderium cordis sui, Lanfrancum virum in liberalibus artibus undecunque

A peritissimum, deinde Anselmum virum per omnia approbatum, pollentem moribus, consilio affabilem, misericordem, castum, sobrium, in omni clericali officio mirabiliter eruditum; qui ambo, Dei adjuvante auxilio, archiepiscopi Cantuariæ postea consecrati sunt.

Inde ad eumdem locum Beccensem tot et tanti viri, tam clerici quam laici, ex nobili genere nati confluxere, ut sancto Herluino abbati satis decenter posset dici: « Ab ubertate domus tuæ inebriasti faciem terræ, et a torrente sapientiæ eorum replesti orbem terrarum. » Inter quos exstitit quidam nobilis vir, nomine Willelmus, qui ibidem veniens ad monachatum, dedit eidem monasterio Beccensi prædium ubi quondam fuerat monasterium Sancti Ebrulfi B apud Uticum, ad quem locum habitandum et procurandum venerabilis Herluinus misit prædictum Lanfrancum, cum tribus monachis Beccensibus. Postea idem Willelmus, et nepotes sui Robertus, et Hugo de Grentimenti, restauraverunt prædictum monasterium Sancti Ebrulfi, et dederunt ecclesiæ Becci villam Russerie pro commutatione prædicti loci Sancti Ebrulfi apud Uticum. Qui locus Beccensis quantum adhuc nostris temporibus charitatis resplendeat radicibus, expertis disserendum dimittimus.

Audiens Lanfrancus famam regionis Northmaniæ, quæ prius Neustria dicebatur, in qua ducatum tenebat hæreditario jure Willelmus ille qui postea subjugavit sibi totam Angliam armis, sciens certo relatu illic multum collapsum studium litteraturæ C barbaricæ gentis, et intelligens providentis ima inspiratione inde se posse adipisci majorem gloriam, et plurimum quæstum, venit illic cum paucis. Sed antequam pervenisset ad notitiam multorum, attraxit illum ad se qui Paulum vocavit de cœlo, hoc modo: Quadam die, dum iter ageret solus cum uno scholari, incidit in latrones, qui, et auferentes omnia quæ habebat, sinunt abire, tantum ei relinquentes vetustam chlamidem, cætera omnia secum retinentes. Tunc ille recordatus est alius cujusdam sancti facti, qui cum a Longobardis (ut narrat beatus Gregorius)(*Dialog. lib.* I. *cap.* 2) tentus esset, et ei suum caballum abstulissent, postea clamans, flagellum, quo equum solitus erat minari, obtulit eis dicens: Tollite, ut habeatis unde hoc jumentum minari pos-D sitis. Quibus dictis, ad orationem protinus se dedit. Illi vero cursu rapido venerunt ad fluvium nomine Vulturnum, quem nullo modo transire potuerunt, cumque nullo modo transire possent, intellexerunt quia ex culpa quam servo Dei fecerant, ista dispendia tolerabant; qui statim reversi non solum reddunt quod abstulerant, sed etiam ipsum Libertinum invitum in equum, de quo deposuerant, levaverunt, et protinus abscedunt, et iter suum libere peragunt. Sic, inquiens Lanfrancus, ego faciam, redibo, offeram eis quæ deseruerunt, et cum hoc fecero, reddent mihi omnia mea; et cum fecisset, nihil sibi profuit, sed in pejus illi provenit, et, ut ipse solebat referre. Libertinus alia intentione fecit, alia ego,

quia Libertinus pura mente, ut haberent et possiderent, ego autem calliditate et dolo, ut redderent mihi, non ut haberent. Cum enim obtulisset eis chlamidem quam ei dimiserant, illi in iram versi cæsum diutius ad arborem nudum ligaverunt, et scolarem ejus ad aliam, non longe ab eo, et sic discesserunt. Tunc videns se omni humano auxilio destitutum, cœpit intra se revolvere et pertractare quam fragilis et caduca sit hujus mundi gloria, et omne quod laborant homines super terram, vanitas. Promisit Deo omnino relicturum hujus mundi caducos honores, et sub illius jugo quod est leve et suave illis qui eum diligunt, suppositurum ex toto, si eum eripere dignaretur ab hac captione. Statim ut votum ex corde et ore Deo promisit, quasi uno momento soluta sunt omnia vincula, quibus ligatus erat; et liber effectus, Deo gratias agens, ad suum clericum accessit, et eum solvit, et votum apud Beccum perfecit.

Anno Domini 1042, Lanfrancus, de senatorum Papiæ nobili genere natus, in septem liberalibus artibus mirabiliter eruditus, Deo omnium bonorum auctore disponente, apud Beccense cœnobium, magnis tunc temporis facultatibus inornatum, secundum sancti Herluini ibidem abbatis desiderium, monachalem suscepit habitum; qui quanto miraculo illuc advenisset, quantum ibidem profuisset, et quomodo primus abbas Cadomi exstitisset, et quam laudabiliter archiepiscopus Cantuariensis diu viguisset, in Vita ipsius inveniri potest.

Anno Domini 1051, Franciæ turbatur Ecclesia per Berengarium Turonensem, qui asserebat eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse revera corpus et sanguinem Christi. Unde contra eum multum a multis et verbis et scriptis disputatum est; inter quos domnus Wimundus, monachus de Cruce Sancti Leufredi, contra eum de corpore et sanguine Christi elegantem edidit librum.

Lanfrancus etiam Papiensis, primum monachus Beccensis, deinde archiepiscopus Cantuariensis, omnibus luculentius et mirabilius librum super hac re composuit; in quo singulis illius quæstionibus et expositionibus laudabiliter respondit, male dicta ab eo et intellecta Scripturarum testimoniis divinarum improbando convincens.

Anno Domini 1053. Hunffredus de Vitullis, pater Rogerii de Bellomonte; et Albereda uxor ejus, duo monasteria, unum virorum et alterum feminarum, in fundo Pratelli ædificarunt.

Anno Domini 1060, sanctus Anselmus in Augusta nobili civitate, quæ confinis Burgundiæ est et Longobardiæ, oriundus, licet nobili parentum prosapia natus, disertorum studiis magistrorum in brevi Deo donante coæquatus, et per divinam visionem ad sedes cœlicas denique in spiritu raptus, salutis suæ arcana verba confestim audivit, quæ non multo post tempore complevit. Audiens igitur famam magistri Lanfranci, jam monachi Beccensis, et scholas ibidem tenentis et regentis, omnium pene doctorum nomina præcellere, spreta pro Dei nomine patris et matris multimoda hæreditate, cum aliquantis familiarum clericis, venit ad eum; in cujus scholis aliquandiu diligenter manens, et sibi et aliis multum proficiens, tandem Lanfranci incitamento et Maurilii Rothomagensis archiepiscopi consilio, divina providente clementia, in Beccensi ecclesia habitum monachalem tota devotione hoc anno suscepit, anno ætatis suæ vicesimo septimo. Qui ad quanta sanctitatis et dignitatis culmina postea pervenerit, in subsequenti diligens lector inveniet. Nam inter cætera dignitatis culmina, cum anno Domini millesimo sexagesimo secundo Lanfrancus supradictus Ecclesiæ Becci prior, regimen accepisset sancti Stephani Cadomi, prædictus Anselmus factus est prior Beccensis, qui tribus annis fuerat sine prælatione.

Item cum locus Beccensis adhuc indigeret multis rebus, in recepta pauperie, inter alia lucerna die ac nocte non semper ardebat in ecclesia (ut moris est) præ inopia, sed cum hora nocturnalis synaxis appropinquasset, secretarius surgens de cubili, ibat in pristinum, vel in coquinam, deferens inde lumen: nocte subsequente die dedicationis, id est sexto Kalendas Martii, cum hora matutinalis appropinquasset, secretarius, nomine Gothbertus, evigilans a somno vidit totam ecclesiam ita illuminatam cœlesti lumine ut potuisset acus reperiri in pavimento. Qui surgens pavefactus audivit quasdam voces in choro quasi psallentes sub silentio; tunc pedentium perrexit ad ostium chori, a parte altaris, et introspexit in chorum, et vidit beatissimam et gloriosissimam matrem Domini Mariam stantem in loco stationis venerabilis Herluini abbatis, et coram ea astantes beatissimos apostolos Petrum et Paulum, et tertium alium quem non agnoscebat vultu, decantantes ei matutinas. Cumque diu hæc aspexisset, cogitavit pergere ad ostium quod erat ex alia parte chori, juxta locum stationis abbatis, et ut melius et proprius valeret videre illas gloriosissimas personas, et audire quæ illæ dicebant et decantabant. Et cum hoc faceret suaviter, et quasi pedentim, antequam pervenisset ad ostium, lux substracta est, et voces subcinentium quieverunt; suavitas tamen miri odoris tanta ibi aspersa est ut cum fratres assurexissent ad vigilias, mirarentur, ad invicem se interrogantes nutu et signis quid hoc vellet esse. Quæ omnia prædicta dictus secretarius recitavit, ut vidit.

Item iratus rex Guillelmus contra Lanfrancum, eum alienavit a sua curia, cujus consiliarius exstiterat, quia contradicebat nuptias filiæ comitis Flandriæ, quam ipse sibi dux copulaverat matrimonio, quia proximitate carnis et consanguinitate jungebantur. Unde auctoritate Romani pontificis, tota Neustria supposita erat interdicto; quapropter Lanfrancus Romam adiit, quamvis iturus esset occasione cujusdam hæretici Berengarii, et tunc præsidebat Leo octavus, et etiam ut ageret pro duce Northmannorum et uxore ejus. Igitur locutus est

cum papa Nicolao, et ostendit quod ejus sententia, videlicet interdictum, eos tantum gravabat; qui nec conjunxerat, nec eo separare poterat, nam dux puellam, quam acceperat, nullo pacto dimittere volebat.

Hoc autem audiens et verum esse advertens summus pontifex, dispensatione habita conjugium concessit, eo tamen modo quatenus dux et uxor ejus duo monasteria construerent, in quibus singulas congregationes virorum ac mulierum coadunarent, quæ ibi sub norma sanctæ religionis die noctuque Deo deservirent, et pro salute eorum supplicarent; et paruit dux apostolicæ dispensationi, et ædificaverunt duo monasteria in prædio quod antiquitus Cadomum nuncupabatur. Dux unum monachorum in honorem sancti Stephani, et uxor ejus alterum sanctimonialium in honorem sanctæ Trinitatis, et post triennii completionem sola necdum completa basilica, Lanfrancus cœpti operis institutor, tam ducis Northmanniæ quam primatum supplicatione, cœnobio Cadomensi, quod dux hortatu papæ ædificaverat, abbas præficitur, in quod plures de Becco secum duxit; qui paulo post ad dignitates sunt promoti.

Anno Domini millesimo sexagesimo tertio tempore Herluini primi pastoris et fundatoris cœnobii Beccensis, Willelmus potentissimus dux Northmanniæ, qui postea Angliam acquisivit, cœpit ædificare ecclesiam juxta Ermentrudis villam prope Rothomagum, Sequana inter utrumque fluente, super terram et hæreditatem ipsius monasterii Beccensis, in campis inter Chevilleium et Ermentrudis villam, qua ambæ parochiæ sunt de patrimonio ejusdem monasterii. Quæ quidem ecclesia vocata fuit ecclesia Beatæ Mariæ de Prato [*al.*, de Bononuntio], et ibi constituti fuerunt monachi de monasterio Becci ad Dei servitium ibidem faciendum.

Deinde post annos ferme sexaginta duos (1135) obiit Henricus primus Anglorum rex, filius prædicti Willermi, videlicet anno millesimo centesimo trigesimo quinto apud Sanctum Dionysium in Silva Leonum (Forêt de Lions, *ou* de Forge); delatumque fuit corpus ejus Rothomagum; et in ecclesia Beatæ Mariæ apertum; et cor, lingua et viscera ejus sepulta et tumulata fuerunt in ecclesia Beatæ Mariæ de Prato ante majus altare, et corpus ejus sale conditum delatum fuit apud Cadomum, usquequo ventus esset aptus ad deferendum illud in Angliam.

¶ Anno Domini millesimo septuagesimo Lanfrancus prædictus, prius monachus Beccensis, deinde abbas Cadomensis, constitutus est archiepiscopus Cantuariensis, ubi laudabiliter et gloriose vixit ad exemplum omnium bonorum decem et octo annis.

Anno Domini millesimo septuagesimo tertio, in vigilia festivitatis Omnium Sanctorum, monachi Beccenses, exeuntes de prima veteri ecclesia, solemni processione et magnæ devotionis gaudio, venerunt in novam ecclesiam quam beatus Herluinus ejusdem loci gloriosus abbas, Lanfrancus, et Anselmus viri magnæ auctoritatis ædificaverant.

Anno Domini millesimo septuagesimo septimo, decimo Kalendas Novembris ecclesia Becci in honorem sanctæ Mariæ matris Domini dedicata est ab archiepiscopo Cantuariæ Lanfranco, quod opus pergrande ipse inchoavit, et post abbatem Herluinum primum lapidem posuit; quod opus in quindecim annis peractum est. Huic autem dedicationi interfuerunt episcopi Odo Baiocensis, Guilbertus Lexoviensis, Gilbertus Ebroicensis, Robertus Sagiensis, Ernaldus Cynomanensis [*al.*, Arnald. Cenomanensis]. De lætitia illius diei, et gaudio multiplici superfluum videtur proloqui, tum de adventu personarum virorum illustrium et mulierum nobilium, non sine magna largitione donorum, Franciæ, Nortmanniæ, Angliæ, et de superabundanti omnibus præparata procuratione [*al.*, pastu] nemo sufficienter vix posset disserere.

Anno sequenti, id est millesimo septuagesimo octavo beatus Herluinus, prædicti loci Beccensis abbas primus, miles Christi gloriosus, inter choros justorum ab angelis susceptus est, pretiosum corpus terræ reliquens, animam cœlis inserens, sepultusque est et tumulatus in medio capituli quod ipse ædificaverat; obitusque ejus dolor suis, gaudium angelis fuit. Cui etiam Dominus corda hominum revelavit, et animas de corpore exeuntes, a dæmone arreptas, plangentes audivit, et plangendo cognovit. De virtutibus ejus, vita et moribus, si dicere voluerimus, dies deficiet; mittimus igitur prudentem lectorem ad Vitam ejus descriptam, ubi abundanter inveniet quo instrui possit.

Nota quod venerabilis vir Herluinus, non sine nutu et providentia Dei qui omnibus in se sperantibus præparat bona meliora, ecclesiam cum omnibus officinis mutavit loco tertio, non longe a supradicto loco qui nunc dicitur Capella beati Herluini, quæ prima fuit in hoc rivo Beccensi fundata; et istam, de qua nunc loquimur, ædificavit multo majorem, et amplissimas officinas; qua fabrica expleta, per sexdecim annos, Lanfrancus Dorobernensis Ecclesiæ archipræsul dedicavit, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septuagesimo septimo, mense Octobri, feria secunda ultimæ hebdomadæ ejusdem mensis

Quidam vir, Goselinus nomine, de villa quæ dicitur Malavilla, sita in pago Rothomagensi, ardens ambis pedibus, innumeris angustiis et doloribus cruciabatur. Cum autem hoc pertulisset uno mense pleno, id est a Kalendis Novembris usque ad Kalendas Decembris, et illi nullum remedium provenisset, sed ex omni parte illum miseriæ occupassent; quia neque cibum, neque potum, neque somnum percipere poterat, neque aliqua requies illi esset, uxor, et amici atque vicini ejus monuerunt eum ut ad Sanctum Leobinum in Carnote pergeret, et in lectica ferri se faceret. Quibus ille respondit

se non longius ire quam usque ad Beccensem ecclesiam A quæ erat in vicino, non plus uno milliario, et testabatur habere se fidem illic posse recipere sanitatem precibus beatæ Mariæ matris Domini, in cujus honorem est consecrata ipsa ecclesia, et meritis aliorum sanctorum ; et ut dixit ita fecit, et ut credidit ita evenit. Veniens igitur ad sacram ecclesiam prima Dominica Adventus, quæ contingit tertio Nonas Decembris, perstitit in porticu ecclesiæ ipso die et sequenti, tertio vere die cœpit aliquantulum quiescere ; actum est autem ut quarto die evenerit festivitas beati Nicolai. Eo die, aurora jam illucescente, cum janitor ecclesiæ Becci, nomine Joannes, aperuisset januas, reminiscens infirmi, divertit ad eum ubi jacebat, qui invenit eum vigilantem, et antequam eum aliquid interrogasset, infir- B mus eum præveniens dixit se totum exstinctum et sanum ; janitor interrogans quando et quomodo? ille respondit. Tota ista nocte bene habui, media autem nocte obdormivi, et postmodum evigilans inveni me totum exstinctum, et refrigeratum, et nunc Dei gratia bene mihi est, meritis beatissimæ Virginis, in cujus honore ista ecclesia est consecrata. Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo undecimo, mense Decembri, qui est apud Hebræos decimus, apud nos duodecimus.

Defuncto itaque patre Herluino septimo Kalendas Septembris, anno ætatis suæ octogesimo quarto monachatus vero quadragesimo quarto, paucis interpositis diebus, electus est abbas ejusdem loci C Anselmus, qui prior quindecim annis fuerat. Sequenti vero anno in festivitate sancti Petri, quæ dicitur Cathedra, benedictus est abbas in ecclesia Becci, ab Ebroicensi episcopo Gisleberto.

Anno Domini millesimo octogesimo secundo, translatio monachorum Becci, apud Conflanitum commorantium, a veteri ecclesia, quæ Capella dicitur, ad novam ecclesiam, cum corpore sanctæ Honorinæ, cum Yvo de Bellomonte comes super Isaram, et Adelidis uxor ejus, volentes in ecclesia B. Honorinæ de Confluentium a monachis Deo deserviri, dederunt eam et omnia ad eam pertinentia monasterio Beccensi, sub libera potestate et ordinatione abbatum præfati cœnobii. Huic donationi reverendus episcopus Parisiensis Godfridus, de cujus paro- D chia beneficio est, 5 ut semper mos est bonis bene actis favere, cum canonicis ecclesiæ Sanctæ Mariæ Parisiensis, consentit ; Ecclesiæ suæ reservans ut, si quando aliqua ratione exigente per totum episcopatum Parisiensem, aut in prædicto tantum castro, divinum officium episcopus Parisiensis celebrare prohibuerit publice, monachi in dicta ecclesia deservientes, post perceptam ab episcopo, vel ejus nuncio, jussionem, observabunt.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo nono, obiit, piæ memoriæ Lanfrancus, prius monachus Becci, deinde abbas Cadomensis, ad ultimum archiepiscopus Cantuariensis decem et novem annis.

Tempore S. Anselmi abbatis Becci tres matronæ nobiles dederunt se in subjectionem Becci, videlicet Basilia uxor Hugonis de Garnato, et Amfrida neptis ipsius Basiliæ, et Eva uxor Guillelmi Crispini. Quæ tres cum simul Becci viverent, quasi condixerunt sibi ut de hoc mundo una post aliam transirent, et tres Dominicas elegerunt, in quibus vitam finirent. Prima autem, scilicet Amfrida Basiliæ neptis, quæ minor erat ætate, virgo autem corpore et Deo sacrata, decidit in ægritudinem, et venit ad extremum Dominica, quarto Nonas Januarii. Qua sepulta, cœpit infirmari Basilia domina ejus ; quæ cum per aliquot dies gravi incommoditate corporis molestaretur, velata est a Guillelmo Rothomagensi archiepiscopo, sicque defuncta est alia Dominica decimo septimo Calendas Februarii, et sepulta est ut talem personam decebat. Tertia, Eva, non diu supervixit, nam ætate et jejuniis attenuata, cœpit repente viribus corporis destitui. Post mortem enim viri sui Guillelmi Crispini omni continentiæ se mancipavit, Beccique usque ad finem vitæ in Dei servitio perseveravit ; hæc ante plures annos sacrum velamen acceperat a prædicto Guillelmo Rothomagensi archiepiscopo.

Cumque in dies languor cresceret et ipsa quotidie ad ecclesiam pergeret, die festivitatis sancti Vincentii, mane fecit se in ecclesiam duci, ubique a toto conventu visitata atque inuncta ante altare Crucifixi, et cætera quæ morientibus Christianis solent exhiberi persoluta sunt ei. Cumque conventus recederet, elevata manu signavit eos dicens : Deo vos commendo, filii ; diligebat enim tam tenere nos quasi omnes peperisset. Deinde domum reducta, dum ad focum sederet, sequenti nocte transiit. Cum ad exitum appropinquaret, aderant fratres ut psalmis et orationibus ei subvenirent ; inter quos fuit quidam frater, nomine Rodulphus, qui eam rogavit ut, si possibile esset, post mortem ei apparens diceret quod invenisset. At illa respondit, si Deus ei concederet. Sicque defuncta est tertia Dominica, decimo Kalendas Februarii, et, paucis interpositis diebus postquam defuncta est, apparuit fratri dormienti. Quam cum vidisset, ait : Quid est, domina? Quomodo te habes? Respondit se sexaginta annos pœnitentiæ accepisse ; et cum ille obstupuisset, quæsivit causam. Et ait : Quia parvos canes, et alia hujusmodi varia, quæ homines pro nihilo ducunt, amavi, et ultra modum in iis delectata sum ; ideo talem pœnitentiam accepi. Et sic vides quod hæ tres dominæ, tribus Dominicis sæculo migraverunt ; prima, in parte noctis ; secunda, media nocte, dum cantarentur matutinæ ; tertia, mane, dum cantaretur prima.

Nota quod, ut refert Historia de beato Anselmo,

per illum qui præsens cum illo erat (69), qui sic ait: Attestor Deum me sæpe illum sub veritatis testimonio audisse protestantem quod libentius vellet in congregatione monachorum, loco pueri inter pueros sub virga magistri pavere, quam per pastoralem curam toti Britanniæ prælatus, in conventu populorum, cathedræ pontificali præsidere.

Sublato de hac vita venerabili Patre, ut diximus Lanfranco, rex Anglorum Willermus ecclesias et monasteria totius Angliæ gravi nimium oppressione afflixit (70); cujus oppressionis anno quarto, id est millesimo nonagesimo tertio ab Incarnatione Domini, Anselmus abbas Beccensis Ecclesiæ, vir magnæ sanctitatis et doctrinæ, invitatus, imo districta interpellatione adjuratus, ab Hugone Cestrensis comite multisque aliis Anglorum regni principibus, qui eum animarum suarum medicum et advocatum elegerant, et insuper Ecclesiæ suæ prece et præcepto, pro communi utilitate, coactus Angliam ingressus est. Venienti optimates alacres occurrerunt; rex ipse solio exsiliit, et viro gaudens occurrit. Interea rex Willermus gravi languore corripitur, et pene ad extrema perducitur. Suadetur ei inter alia a principibus, ut de matre totius regni, Ecclesia videlicet Cantuariensi, cogitet, et eam a pristina viduitate et calamitate per institutionem pontificis relevet. Acquiescit ille consilio, et Anselmum in opus hoc dignissimum indicat. Tunc ille contradicens, et reluctans, et multis modis omnibus obtestans, capitur, et violenter in vicinam ecclesiam, cum hymno et laudibus portatur magis quam ducitur. Acta sunt hæc anno isto pridie Nonas Martii prima Dominica quadragesimæ.

Anno vero sequenti (1094), pridie Nonas Decembris, debito cum honore ab omnibus episcopis Angliæ Cantuariæ consecratus est, ad laudem et gloriam nominis Domini.

In cujus consecratione evangelica illa sententia super eum reperta est: *Vocavit multos, et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent quia jam parata sunt omnia* (*Luc.* XIV, 16). Qui cujus meriti exstitit, in Vita ipsius potest reperiri. Rexit autem sic sanctissimus vir Anselmus Ecclesiam Cantuariensem quindecim annis feliciter; qui monachus Becci claustralis exstiterat tribus annis, quindecim prior post venerabilem Lanfrancum, et quindecim abbas post sanctum Herluinum, ejusdem cœnobii abbatem primum. Cui successit in eadem Ecclesia Becci tertius abbas vir magnæ sanctitatis et doctrinæ Willermus, nobili Northmannorum prosapia originem trahens; in veteri castro super Rislam, quod dicitur Monsfortis, claris parentibus exortus. Pater ejus Turstinus, mater vero Albereda dicebatur. Rogerii de Bellomonte, patris Roberti comitis Mellenti, ex uxore neptis; qui anno sequenti benedictus est Rothomagi, in die festivitatis S. Laurentii, ab archiepiscopo Willermo.

Anno autem millesimo nonagesimo octavo, Anselmus archiepiscopus recessit ab Anglia, quia rex Willermus, filius Willermi Conquisitoris Angliæ, nihil recti in regno suo fieri permittebat, sed provincias intolerabiliter vexabat in tributis, quæ nunquam cessabant in opere muri circa turrim Londoniæ, in opere aulæ regalis, apud Westmonster. Idem rex Willermus hoc anno fuit in Northmannia, semper hosticis, et tumultibus, et curis armorum deditus, tributis interim ex exactionibus pessimis populos Anglorum non abradens, sed excorians.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nono, undecimo Kalendas Maii, feria quinta in cœna Domini, obiit piæ memoriæ venerabilis dominus Anselmus Cantuariensis archiepiscopus. Ipso anno ultimum Pascha fuit, septimo Kalendas Maii.

Scripsit vero idem vir reverendus nonnulla memoriæ digna, quæ subtus adnectere curavimus. Dum adhuc esset prior in Beccensi cœnobio scripsit tractatus tres; primum *De veritate*, secundum *De libertate arbitrii*; tertium *De casu diaboli*; et quartum, quem titulavit *De grammatico*, in quo discipulo, quem secum disputantem introduxit, respondet et multas dialecticas quæstiones proponit et solvit. Fecit quoque libellum quintum, quem *Monologion* appellavit; solus enim in eo et secum loquitur, ac, tacita omni auctoritate divinæ Scripturæ, quod Deus sit sola ratione quærit et invenit; et quod vera fides de Deo sentit, invincibili ratione, sic non aliter esse comprobat et instruit. Composuit etiam librum sextum, licet parvulum, sed suavioris ac subtilissimæ contemplationis pondere magnum, quem *Prosologion* appellavit; alloquitur etiam in illo opere, aut seipsum, aut Deum. Scripsit et septimum librum *Epistolarum* ad diversos, diversis eorum negotiis respondens, vel ea quæ sua intererant procurare mandans. Fecit et octavum *De Incarnatione Verbi*, quod opus epistolari stylo conscriptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici Urbano dicavit. Nonum librum edidit, quem *Cur Deus homo*, appellavit. Decimum *De conceptu virginali*. Undecimum de orationibus contemplativis, quem plurimi *Meditationes* vocant: in quibus, legentibus facile apparet quanta dulcedo supernorum mentem ejus repleverat. Duodecimus, qui est ultimus tractatus, *De processione Spiritus sancti*; confutaverat enim Græcos in Barensi concilio, negantes Spiritum sanctum a Filio procedere; unde sumpta materia rogatu Hildeberti Cenomanorum episcopi, hunc librum composuit. De natione ejus et vita et moribus dictum est.

Anno Domini millesimo centesimo decimo tertio fundata fuit ecclesia S. Neoti.

Anno Domini millesimo centesimo vigesimo quarto obiit piæ memoriæ dominus Willermus tertius abbas Beccensis Ecclesiæ, vir religiosus et honestæ vitæ, decimo sexto Kalendas Maii, sepultusque fuit in

(69) De Eadmero loquitur, qui hæc refert in Vita ipsius sancti, et in Historia Novorum.

(70) Guillel. Malmesbur.; Edmerus, Hist. Novorum; Harpsfeldius, sæculo XII.

capitulo, juxta tumulum venerabilis Herluini, in A dextra parte, et eodem anno translati fuerunt monachi Becci de Castello de Clara, apud Scotres, et hoc fecit Richardus filius Gisleberti.

Nota quod, tempore hujus Willermi, fuit ecclesiæ Philiberti tale concessum privilegium, de consensu Joannis episcopi Lexoviensis et totius capituli. Primo fuit a prædictis episcopo et capitulo concessa ecclesia prædicta, perpetuo jure obtinenda, cum tali libertate ut nunquam cessaret a divino officio, pro forifactura cujuslibet hominis (71). Unde monachi inibi cohibentes in rebellione qua Lexoviensem episcopum fuerint pro se vel hominibus suis in eadem parochia manentibus, vel non interdicta cantaverint, nec isti iidem homines monachorum, in eadem parochia commanentes, perdent divinum B officium, pro forifactura cujuslibet hominis, non pro sua; etsi eadem ecclesia, vel cœmeterium violatum fuerit, habebunt monachi secum aquam benedictam de Lexoviensi ecclesia, et per se et per presbyterum ejusdem ecclesiæ, reconciliabunt ipsam ecclesiam, vel cœmeterium, sine alio requisitu, excepto assultu, et homicidio. De iis enim duobus requiritur episcopus. Propter hanc autem reconciliationem, ecclesia Lexoviensis non perdet forifacturas suas de violatoribus, excepto manu pastu, id est servientibus monachorum; de iis enim forifacturam habebant monachi, videlicet de furto, vel de infractura ipsius ecclesiæ, vel cœmeterii : nam de incestu vel adulterio, vel aliis ad episcopum pertinentibus, ipse C episcopus forifacturam habebit. Ipsa vero ecclesia Sancti Philiberti debet de consuetudine episcopo per annum duos solidos tantum, et nihil amplius de synodo vel de circata. Presbyter autem ipsius ecclesiæ ad synodum veniet, sicut et cæteri; et si de ordine suo forisfecerit, episcopo emendabit : ad monstrationem vero ante archidiaconum, vel decanum, libros vel vestimenta sua non deferet, neque ad pascendum archidiaconum, vel decanum dabit : et pro hac concessione libertatis concessimus episcopo, et omnibus successoribus ejus, ut in obitu ejus fieret tantum, sicut pro uno monachorum, et de canonicis ipsius ecclesiæ fiet servitium unius defuncti, cum ejus obitus audietur. Et invenies antiquum originale in cophino, in quo reponuntur D chartæ ecclesiæ prædictæ in cartulario.

Huic successit primus Boso, in Novo et Veteri Testamento apprime eruditus, vir scientiæ admirabilis et doctrinæ incomparabilis; tantam ei insuper gratiam virtus divina contulerat ut nullus, tam tristis et egens consilio, ad ipsum accederet quin extemplo lætus, et consiliatus ab ipso recederet. Hic, dilectus a Deo et hominibus, regi Anglorum Henrico multum erat familiaris, quia veram religionem, et admirandam sanctitatem et consilium incomparabile reperiebat. Qui, licet continua premeretur ægritudine, tamen ipse per Deum, imo (ut credimus) Deus pro ipso, omnia necessaria conventui suo et supervenientibus, ut opus erat, affluenter tribuebat.

Anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto, obiit piæ memoriæ dominus Boso, quartus abbas Beccensis monasterii, vir magnæ auctoritatis, orbi clarus, sapientia, prudentia, præcipueque spiritu consilii pollens.

Anno Domini millesimo centesimo trigesimo septimo, Theobaldus electus Beccensis Ecclesiæ, vir magnæ bonitatis et scientiæ, benedictus est abbas ejusdem Ecclesiæ, omni conventu animo libenti concedente, apud Rothomagum a domino Hugone archiepiscopo Rothomagensi.

Hoc anno in adventu Domini Abricus [*al.*, Albericus] Ecclesiæ Romanæ legatus, et episcopus Ostiensis, tenuit consilium apud Londoniam, et ibidem, annuente rege Stephano et regina, Theobaldus abbas Beccensis Ecclesiæ, vir admodum venerandus, Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopus effectus est, transactis duobus annis, et dimidio postquam abbas constitutus fuerat, consilioque ejus fuit abbatia Becci sine abbate, sub Richardo de Belfou priore, a Nativitate Domini, vel paulo ante, usque ad Pentecosten, quousque prædictus archiepiscopus a Roma rediret.

Anno Domini millesimo centesimo trigesimo nono electus et institutus est abbas Beccensis, ab omni æqualiter congregatione, vir magnæ sanctitatis et scientiæ, dominus Letardus de Beccensi burgo natus, in utroque Testamento apprime eruditus, pollens consilio, affabilis colloquio, moderatus in verbis, discretus in disciplinis, tarde lætus in terrenis, semper gaudens in æternis, diligens bonos, corrigens malos. Qui pro qualitate temporis gregem sibi commissum optime rexit, licet in suo tempore assidua tempestate patria turbaretur.

Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo, incœptum est capitulum Becci, tam consilio quam adjutorio Roberti de Novoburgo; et anno sequenti data est ecclesia de Bellomonte Ecclesiæ Beccensi. Et eodem anno translatum fuit corpus sancti Neoti de veteri ecclesia in novam ecclesiam. Nota quod ecclesia, sicut prioratus de Bellomonte, fuit data a Rogerio comite de Bellomonte, et fundata in honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, et confirmata per Henricum regem Anglorum et ducem Northmannorum; et in confirmationem vocat Waliramnum comitem Mellenti, et fundatorem ecclesiæ Beati Nicasii, in testem ad advocatum Ecclesiæ Becci. Et ut conformetur Ecclesia aliis ecclesiis subjectis Ecclesiæ Becci, quæ solent aliquid in signum subjectionis annuatim dictæ Ecclesiæ reddere, voluit ut prior sanctæ Trinitatis de Bellomonte, in recognitionem subjectionis, reddat Ecclesiæ Becci ad minus unam unciam auri.

Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto, incœptum est capitulum monasterii Beccensis Ecclesiæ, pridie Kalendas Augusti, præsente

(71) Deest aliquid.

piæ memoriæ domino Letardo ipsius loci abbate. A

In hoc anno controversia quæ erat inter monachos Becci, et canonicos Exmefordienses pro Ecclesia de Bellomonte, Parisius in præsentia domini papæ Eugenii, terminata est. Itaque dicti monachi Becci remanserunt in prædicta ecclesia.

Circa hoc opus evenit miraculum per merita beatæ Fidis virginis et martyris, a Deo patratum, in persona domini Turoldi quondam episcopi Bajocensis, et pro tunc monachi Becci, germani Hugonis Ewremodiensis; de cujus Hugonis patrimonio fundatus fuit prioratus Sancti Laurentii de Ewremodio, a monasterio de Becco Herluini dependens. Qui quondam episcopus, et tunc monachus, vexabatur quadam infirmitate quæ vulgariter ruptura vocatur; a qua infirmitate mirabiliter per merita supradictæ beatæ virginis et martyris Fidis sanatus fuit, prout patet plenius in libro passionis ejusdem virginis. B

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo nono, obiit sanctæ recordationis dominus Letardus, sextus abbas Beccensis Ecclesiæ.

Huic sancto viro successit dominus Rogerius, hujus nomine primus, in utroque Testamento apprime eruditus, nec non clericali ac scholari scientia decenter ornatus, et ab omni æqualiter congregatione electus, in ipsis octavis, videlicet apostolorum Petri et Pauli. Qui benedictus apud Sanctum Vandregesillum, in die festivitatis sancti Jacobi apostoli, a venerabili Hugone Rothomagensi archiepiscopo. Extunc super gregem sibi commissum, pro posse suo, die ac nocte decenter invigilans. Et hoc anno obiit dominus Bernardus abbas Montis Sancti Michaelis, monachus Beccensis, qui multum intus et foris idem monasterium emendavit. C

Anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo, quidam monachus Beccensis, nomine Michael, factus est abbas Pratellis, in festo sancti Thomæ apostoli. Eodem anno Joannes Romanus qui a puero fuerat monachus Sancti Sabæ, et postea abbas Sanctæ Mariæ in Capitolio Romano, et relicta eadem abbatia factus fuerat monachus Becci, perrexit Romam, et inde rediens caput beati Felicis martyris, socii Adaucti, attulit secum, et gratuito dono dedit illud Ecclesiæ Beccensi. D

Anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio, obiit Guilbertus de Clara, filius Richardi de Clara, et sepultus est apud Clarum in cella, quam Guilbertus de Clara, avus ejus, dederat monachis Becci, qui vocatur Stol; cui successit Rogerius filius ejus.

Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, sexto Kalendas Junii, feria quinta, infra octavas Pentecostes, monasterium Beati Michaelis de Periculo maris, post tribulationem quam per quinquennium fere jugem passum fuerat, Deo miserante, aliquantulum respiravit, electo unanimiter ab omni conventu Roberto de Tougeyo, priore claustrali Beccensis monasterii.

Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono, Kalendis Augusti, Robertus de Novoburgo vicedominus totius Northmanniæ, vir magnæ prudentiæ et bonitatis, multatus infirmitate, factus est monachus Beccensis Ecclesiæ, sua omnia propria, quæ magna erant, prius pauperibus largiter distribuens. Obiit autem tertio Kalendas Septembris, qui quinque fere hebdomadis monachus existens, suæ abstinentiæ, et admirandæ religionis, virtutum etiam omnium in brevi Dei virtute ditatus, auspicio, omnibus Ecclesiæ majoribus bene vivendi reliquit exemplum, cum antea dives, nunc quidem pauperrimus secutus est Christum.

EPITAPHIUM EJUSDEM.

Respiciens augustum præcisa rupe sepulcrum;
Hic jacet in tumulo Robertus de Noviburg.
Qui mare, qui cœlum, qui totum continet ævum;
Hunc faciat vere paradisi regna videre. Amen.

Anno Domini millesimo contesimo sexagesimo primo, obiit venerabilis memoriæ dominus Theobaldus, archiepiscopus Cantuariensis, qui rexit abbatiam Becci duobus annis, et dimidio, archiepiscopatum autem viginti duobus annis, diebus totidem, et tribus mensibus.

Eodem anno intraverunt monachi Becci in novum opus ecclesiæ, in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ, præsente Rotrodo episcopo Ebroicensi, qui postea fuit archiepiscopus Rothomagensis.

Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo, Thomas Bechet Cantuariensis Ecclesiæ archidiaconus et cancellarius regis Henrici, ordinatus et consecratus est archiepiscopus Cantuariæ, tertio Nonas Junii.

Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio, Alexander papa tenuit concilium in Turonica civitate, in quo Thomas archiepiscopus sedit in dextera parte, et Rogerius [*al.*, Rotrodus] Ebroicensis in sinistra. In eodem concilio rex Henricus consuetudines, quas avitas appellabat, petiit confirmari a domino papa, sed non obtinuit, Thoma archiepiscopo Cantuariæ resistente.

Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, apud Claredunum ad regni Angliæ consuetudines observandas coacti sunt episcopi; exauctorisatos propter flagitium clericos rex dicebat curiæ tradendos, et illico puniendos, archiepiscopus contradicebat; qui quidem archiepiscopus, inscio rege, navem ascendit propter quod regis incurrit offensam.

Nota quod anno obitus nobilissimæ Matildis imperatricis, tria signa in cœlo visa suut; nam mense Martio cometa in Gallia apparuit; mense Julio circulus æthereus circa solem resplenduit; mense postea Septembri media nocte, luna tota sanguinea diutius visa est regibus Angliæ et Franciæ, post Pascha sequens, ad se incivem discordantibus. Et misit imperator Alemanniæ, cum duce Saxoniæ nepote ejus, nuntios ad regem Angliæ genero [*f.*,

generum] ducis Saxoniæ, quia dederat dicto duci filiam suam in conjugium, et mandavit ut cum rege Francorum pacem iniret, foretque ejus auxilium pro eo esse paratum, et misit dictos nuntios cum dicto duce Rothomagum. Rex autem paulo post secutus est eum, et eis consilium suum intimavit, et vasa aurea et argentea præclari ponderis dedit; sicque ad imperatorem consilio suo eis demandato, lætos remisit : et dedit dominus rex prædicto duci duos leopardos. Nota etiam quod de partu filii sui Gaufridi infirmata obiit.

Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo sexto, obiit Petrus abbas Gemeticensis, cui successit Rogerius monachus Beccensis, Deo et regibus, et multis aliis charus, et in diebus ejus multa bona provenerunt Ecclesiæ Gemeticensi.

Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo sexto, Thomas archiepiscopus venit Vicelíacum die Ascensionis, et observatores consuetudinum, quas avitas appellant in Anglia, solemniter excommunicavit.

Et hoc anno regina Angliæ Alienor peperit filium, quem vocavit Joannem sine terra. Item hoc anno Willermus Papiensis, et Joannes Neapolitensis, missi sunt audituri causam regis Angliæ et archiepiscopi Thomæ; sed infecto negotio redierunt; archiepiscopo autem in Francia commoranti, rex Francorum Ludovicus providit ei in expensis per quatuor annos.

Anno Domini millesimo centesimo sexagesimo septimo, Rothomagi apud Pratum obiit nobilissima domina Mathildis imperatrix Romanorum, filia primi Henrici regis Anglorum, quondam uxor imperatoris Romani Henrici quarti, quarto Idus Septembris; cujus corpus apud Beccum delatum est, et ante altare beatæ Mariæ genitricis Dei in eadem ecclesia honorifice sepultum. Fuit etiam comitissa Andegavensis, etiam regina Angliæ, et mater secundi Henrici regis Anglorum.

Hæc nobilissima domina in vita sua manu sicut larga, ita devota, thesauros suos orphanis, viduis, et reliquis pauperibus distribuit, et maxime ecclesiis et monasteriis. Monasterium vero Beccense abundantiori benedictione in auro, argento, et lapidibus pretiosis, ac multiplici ornatu ecclesiæ quam reliqua monasteria, decoravit; et multis humanis precibus a patre suo obtinuit ut ibidem post transitum suum sepeliretur.

Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo primo, interdicto supradicto non obstante, Henricus, filius Henrici regis Anglorum, Dominica post octavas Pentecostes apud Lundoniam unctus est in regem per manum prædicti Rogerii Eboracensis archiepiscopi, præsente Henrico patre suo. Deinde post paucos dies Thomas archiepiscopus Cantuariensis de Francia, ubi per sex annos et amplius exsulaverat, reversus est in Angliam; et in ecclesia Cantuariensi cum magno gaudio suscipitur ab omnibus, maxime a monachis clamantibus omnibus : *Benedictus, qui venit in nomine Domini* (*Joan*. XII, 13). Cum autem post hoc tenderet versus Wdescoalh ad videndum regem novum, et hospitaretur apud Suthowrd, audivit nuntios ex parte regis, ne peragraret regnum Angliæ, officium suum exsequendo, sed quantocius repedaret, residentiam facturus in Ecclesia Cantuariensi; ubi cum fere unicum mensem resedisset, die Nativitatis Domini excommunicavit Nigellum de Sachevilla et Robertum de Brooch, et postea in crastino festivitatis sanctorum Innocentium occisus a quatuor militibus in matre ecclesia Cantuariensi, ante altare Sancti Benedicti : mortem ipsius in conspectu Domini pretiosam mira miraculorum insignia protestantur. Postea missi sunt nuntii a rege Anglorum ad dominum papam, qui eum excusarent de morte ipsius, et innocentiam prætenderent. Nam [*f*., non] multo post prædictus archiepiscopus multis miraculis claruit, et sanctus Thomas appellatus est : et in anno millesimo centesimo septuagesimo octavo idem pretiosus martyr canonizatus est.

Purgatio Henrici regis Angliæ de morte sancti Thomæ.

HENRICO (72) regi Angliæ, ALBERTUS dignatione divina tituli sancti Laurentii, et THEDINES tituli Sancti Vitalis, presbyteri cardinales, et apostolicæ sedis legati, salutem in eo qui dat salutem regibus. Ne in dubium veniant quæ geruntur, et usus habet et communis consideratio utilitatis exposcit ut scripturæ serie debeant adnotari. Inde est si quidem quod mandatum istud in scriptum duximus redigendum quod vobis pro eo facimus quod malefactores illos qui sanctæ memoriæ Thomam quondam Cantuariensem archiepiscopum occiderunt, occasione motus et perturbationis quam viderunt, ad illud facinus processisse timetis. Super quo tamen facto purgationem in nostra præsentia, de voluntate propria præstitistis, quod videlicet nec præcepistis nec voluistis ut occideretur, et quando pervenit ad vos, plurimum doluistis; ab instanti siquidem Pentecostes usque ad annum, tantam pecuniam dabitis unde ad arbitrium fratrum Templi ducenti milites valeant ad defensionem Hierosolymitanæ terræ per spatium unius anni teneri. Vos autem a sequenti Nativitate Domini usque ad triennium, crucem accipietis; proxima tunc æstate illuc in propria persona, ducente Domino, profecturi, nisi remanseritis per dominum papam, vel catholicum ejus successorem. Sane si contra Sarracenos in Hispaniam pro urgenti necessitate profecti fueritis, quantum temporis fuerit ex quo arripueritis iter, tantumdem supradictum spatium Hierosolymitanæ profectionis poteritis prolongare. Appellationes non impedietis, nec permittetis impediri quin libere fiant in ecclesiasticis causis ad Romanam Ecclesiam [*al*., Romanum pontificem], bona fide, absque fraude et malo ingenio, ut per Romanum pontificem causæ tractentur et suum

(72) Absolvitur Henricus a nece S. Thomæ, BARON. *Annal*. ad an. 1172.

consequantur effectum. Sic tamen ut si vobis suspecti fuerint aliqui, faciant securitatem quod malum vestrum vel regni vestri non quærent. Consuetudines, quæ inductæ sunt contra Ecclesias tempore vestro, dimittetis; possessiones ecclesiæ Cantuariensis, si quæ ablatæ sunt, restituetis sicut habuit uno anno antequam archiepiscopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea et laicis utriusque sexus pacem vestram, et gratiam, et possessiones suas restituetis; quibus, occasione prædicti archiepiscopi, destituti fuerunt. Hoc autem auctoritate domini papæ in remissionem peccatorum vestrorum injungimus, et præcipimus observare, bona fide, absque fraude et malo ingenio. Juravit hoc rex, juravit et de consuetudinibus dimittendis, et filius ejus, et juraverunt ambo, quod a nobis et successoribus non recederent, quandiu eos Christianos reges et catholicos habueritis. »

Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo octavo, decimo tertio Kalendas Aprilis, Dominica qua cantatur : *Lætare, Jerusalem*, dedicata est ecclesia Sanctæ Mariæ Becci præsentibus Henrico rege Anglorum, et Henrico rege filio suo, et Rotrodo Rothomagensi episcopo, [illegible] et Henrico Briocensi, Richardo Abrincensi, nec non Egidio Ebroicensi episcopis.

Ad dedicationem vero altaris majoris, obtulit Henricus rex pater per capellum suum redditum annuum centum librarum ; hoc donum patris sui confirmavit Henricus rex junior, astans ibi per ablationem annuli sui. Statutum est autem ab archiepiscopo, et cæteris episcopis qui ecclesiam dedicaverunt, ac etiam ab abbate Rogerio, ut anniversarium ipsius dedicationis nunquam infra quadragesimam fieret, sed semper feria tertia post octavas Paschæ. Quidam archiepiscopus largitus est quadraginta dies indulgentiarum omnibus vere pœnitentibus, et confessis, qui prædictam ecclesiam visitaverint in anniversario ipsius dedicationis, prout plane patet in litteris dicti domini archiepiscopi.

Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo nono, obiit piæ memoriæ dominus Rogerius, septimus abbas Becci, qui rexit eamdem abbatiam strenue et religiose annis triginta, mensibus tribus decem diebus minus ; et sepultus est in capitulo ejusdem ecclesiæ, circa pedes domini Herluini primi ejusdem loci abbatis.

Huic venerabili viro successit in regimine ejusdem Ecclesiæ venerabilis et admodum religiosus vir dominus Osbernus prior de Bellomonte Rogerii.

Anno Domini millesimo centesimo octogesimo septimo, obiit piæ recordationis dominus Osbernus, octavus abbas Beccensis monasterii, vir summæ prudentiæ, religiosæ et honestæ vitæ, qui rexit idem monasterium annis septem, mensibus undecim una die minus, et sepultus fuit in capitulo, circa pedes tumuli Herluini, ejusdem loci fundatoris.

Huic successit in regimine ipsius monasterii A venerabilis et discretus vir dominus Rogerius, tunc prior claustralis Ecclesiæ Beccensis.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quarto, obiit piæ memoriæ dominus Rogerius, secundus hujus nominis, nonus abbas Becci, qui Ecclesiam Beccensem strenue rexit annis septem, mensibus duobus, diebus quatuor, et sepultus est in capitulo ejusdem loci, circa pedes sepulturæ domini Herluini abbatis.

Cui successit in regimine ejusdem cœnobii venerandæ discretionis vir, dominus Walterius, prædicti loci abbas decimus.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto, confirmatæ sunt libertates sancti Nigasii de Mellento, a rege Francorum Philippo, anno regni B sui decimo septimo. Quo quidem anno translata sunt corpora sanctorum Nigasii, Quirini, atque Bientiæ, et beati Gratiani martyris, in ecclesiam sancti Nigasii de Mellento, octavo Kalendas Junii.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo Walterius abbas Becci resignavit curam Beccensi monasterii. Cui successit in eadem abbatia Hugo prior de Prato ; qui præfuit prædicto monasterio abbas undecimus, anno uno et dimidio, cum tribus mensibus, et tribus hebdomadis ; et migravit a sæculo apud Pratum, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, die decima sexta mensis Maii, hoc est decimo septimo Kalendas Junii ; sepultusque est in capitulo Becci juxta pedes tumuli domini Herluini.

C Huic successit Willermus, secundus hujus nominis, abbas duodecimus Beccensis monasterii, ejusdem loci monachus.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo nono, Matthæus comes Bellimontis supra Isaram, et Alienor uxor ejus, fundaverunt ecclesiam Sanctæ Mariæ de Layo.

Anno Domini millesimo ducentesimo octavo, tertio Nonas Julii, Willermus abbas Becci duodecimus perrexit apud Layum, rogatu Matthæi comitis de Bellomonte super Isaram, qui ibidem ecclesiam construxerat : ibique prædictus abbas, cum omni sanctitate et reverentia spirituali, conventum instituit de monachis Becci, quos secum adduxerat, tam de congregatione Becci quam de Conflancio ; D qui dictus comes eodem anno decessit, et ibidem traditur sepulturæ.

Anno Domini millesimo ducentesimo undecimo, media nocte, Dominica, decimo quarto Kalendas Octobris, obiit piæ memoriæ Dominus Willermus duodecimus abbas Becci ; qui præfuit eidem cœnobio annis tredecim, mensibus duobus, et duabus hebdomadis, una die excepta ; et sepultus est in capitulo, juxta tumulum primi Willermi ejusdem loci abbatis tertii, in dextera parte domini Herluini prædicti loci fundatoris, quorum omnium animæ requiescant in pace. Unde versus :

Alter Willermus jacet hic abbas duodenus.

Cui successit in abbatia dominus Richardus de Sancto Leodegario, tunc infirmarius prædicti loci,

qui fuit ab omni congregatione sexto Kalendas Octobris electus, quarto Kalendas ejusdem mensis Philippo regi Franciæ præsentatus, et gratanter ab eo susceptus, et Kalendis supradicti mensis, die videlicet sancti Remigii, ab archiepiscopo Rothomagensi, et in ecclesia Rothomagensi benedictus.

Anno Domini millesimo ducentesimo decimo quarto, anno quarto postquam prædictus Richardus de sancto Leodegario suscepit abbatiam Becci regendam, cœpit idem Richardus renovare et reædificare ecclesiam prædicti loci, quæ tempore Walterii ejusdem loci abbatis, pro magna parte corruerat.

Igitur jactis in altum fundamentis, ipse manibus suis primum lapidem, circumstante conventu suo, super fundamentum posuit, prima die lunæ quadragesimæ; procurante et cooperante Ingelramno magistro operis Beatæ Mariæ Rothomagensis, cujus consilio se commisit ad illud opus inchoandum et procurandum. Idem vero Ingelramnus viriliter agens, opus incœptum primo anno cum magna virtute ædificavit, et frontem ecclesiæ, et navem in longitudinem auxit; et duabus amplissimis turribus mirifice adornavit; peracto autem anno et semi, retraxit se aliquantulum, opus retardando, et non, ut promiserat, perficiendo. Quo viso et comperto, abbas sapienti usus consilio, jam uno anno et octo mensibus expletis, amoto Ingelramno foro sancto [*edit. Gilles* facto], tradidit illud opus ad perficiendum magistro Walterio de Mellento, qui tertio anno adduxit et exaltavit prædictum opus in tantum, quod novum opus æquavit veteri, simul cum turribus et earum ciboriis; coopertorium presbyterii et turrim Sancti Nicolai plumbo ex toto renovavit. Super corpus ecclesiæ novam tecturam posuit, tam super opus antiquum quam novum, et tegula plumbea cooperuit.

Apud Vernonem, thalamum (*chambre*) super cellarium et capellam Sancti Nicolai renovavit et ampliavit, et alias domos, quæ antea ibi non fuerant, a fundamentis fundavit, et omnia tegula operire fecit, et curiam muro lapideo circumcinxit. Apud Murelos unam domum permaximam a fundamentis ædificavit, et eam tegula cooperuit; in qua domo duo pressoria constituit; tria vero alia pressoria quæ domus Becci habet circa Mellentum renovavit, et quæ discooperta erant, operire fecit; sed et domos Becci, quæ sunt in insula Sancti Cosmæ, renovavit, novam tecturam superponens et tegula cooperiens. Hæc et alia opera valde necessaria fecit idem Richardus abbas infra tres annos, tam in Francia quam in Northmannia, sine alicujus vel aliquorum auxilio.

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo, Nonis Julii, translatus est gloriosus martyr Thomas Cantuariensis quondam archiepiscopus, anno a passione sua quinquagesimo.

Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio, dominus Richardus abbas Becci electus est in episcopum Ebroicensem, decimo sexto Kalendas Augusti, sacratusque est sexto Kalendas Septembris; cui successit in abbatia Becci venerabilis memoriæ dominus Henricus de Sancto Leodegario, prior ejusdem loci, vir vita venerabilis, et progenie exortus; benedictusque est ab archiepiscopo Rothomagensi Theobaldo quinto Kalendas Augusti.

Iste Henricus in diebus suis, laudabiliter et religiose vivens, super alios, ut creditur, conventum suum diligens, de bonis, quæ multi nobilium et ignobilium large et affluentissime tempore suo ecclesiæ Becci contulerant, pitancias ad necessitates eorum liberaliter constituit. Iste dormitorium novum fieri fecit, quia antea monachi Beccenses jacebant in quodam veteri dormitorio, in tribus ordinibus lectorum confuse. Ipse etiam aquæductus ad cameras necessitatum emundandas, tam pro infirmitorio quam pro conventu, manare fecit, ad maximam domus emundationem, quia antea, ut dicitur, vix possent monachi in claustro propter fetorem diu stare.

Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo octavo dedicata fuit ecclesia Sancti Neoti Linçolniensis diœcesis in Anglia.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, pridie Idus Aprilis, die Martis, inter primam et tertiam, ante missam matutinalem, combusta fuit ecclesia Prati, cum omnibus officinis, excepto infirmitorio, ab igne de Ermentomvilla.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, obiit piæ memoriæ dominus Henricus abbas Becci decimus quartus, in vigilia Nativitatis sancti Joannis Baptistæ; traditur sepulturæ in capitulo ejusdem loci, circa pedes domini Herluini, præsentibus ad hoc prioribus omnibus ordinis Beccensis, tam cismarinis quam transmarinis, qui ad hoc ibi convenerant, ut interessent capitulo generali eodem die celebrando. Qui prædicti priores, cum omni congregatione, in eodem capitulo, elegerunt unanimi consensu dominum Robertum de Claro Becco, tunc vineatorem Becci in Francia, virum prudentem in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in festivitate beatæ Mariæ Magdalenæ, Qui receptus ab Hugone de Pise tunc decano Rothomagensi, et capitulo Rothomagensi, vacante tunc sede per mortem Odonis archiepiscopi Rothomagensis, quondam abbatis Sancti Dionysii, benedictusque est Rothomagi ab episcopo Ebroicensi, in die Nativitatis gloriosæ Virginis Mariæ.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, die Dominica ante festum sancti Michaelis, apud Conflantium, translatum est corpus sanctæ Honorinæ de veteri capsa in quadam alia capsa argentea, tempore Roberti abbatis Becci, et Willermi de Brætot prioris de Confluancio, præsentibus Rothomagensi archiepiscopo, et episcopo Parisiensi; una cum dictis abbate Roberto, priore Willermo, de licentia domini Innocentii papæ quarti, tunc apud Lugdunum existenti; regnante Ludovico illustrissimo rege Francorum, tunc in terra Ierosolymitana peregrinante, Blancha matre ejusdem Ludovici regnum Francorum strenue gubernante.

Anno Domini millesimo ducentesimo quinqua-

gesimo sexto, prædictus Ludovicus, rex Franciæ, fuit apud Beccum Hirluini, in die Annuntiationis Dominicæ; qua die comedit in refectorio, cum militibus et baronibus suis, domino Odone Rigaud archiepiscopo Rothomagensi ad sinistram, et domino Roberto abbate Becci ad dexteram suam, cum multis aliis prælatis sedentibus. Et exinde Pontem Audomari pergens, libertates plurimas ecclesiæ Becci confirmavit.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, Idibus Maii, feria tertia ante Pentecosten, ecclesia Becci combusta fuit, cum omnibus officinis et domibus, post completorium, ab igni villæ, qui incœpit in domo presbyterii, et miserabiliter consumpsit villam et ecclesiam villæ, et postea abbatiam ; abbate Roberto tunc apud Lexovias ad capitulum abbatum generale existente. Eodem anno non multo post turris Beccensis lapidea, quæ erat juxta cellarium, corruit, et dictum cellarium et partem ecclesiæ conquassavit.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, obiit piæ memoriæ, et laudabilis vitæ, gloriosissimus Robertus abbas Becci decimus quintus, in nocte sancti Clementis ; qui rexit abbatiam dicti loci, ante combustionem ejus, sexdecim annis, mensibus novem, hebdomadis tribus, et tribus diebus, post combustionem vero duobus annis et dimidio, octoque diebus ; qui in unum collecti, fiunt anni novemdecim, quatuor menses et quatuor dies. Et sepultus est in capitulo circa pedes domini Herluini in sinistra parte.

EPITAPHIUM EJUSDEM.

Becci cœnobium, quindenum plange Robertum
Abbatem ; cinxit te muris, teque refecit
Consumptum flammis, rebus ditavit et agris.

Nota quod, quando combusta fuit ecclesia Beccensis, summi pontifices, maxime Urbanus et Clemens, precibus nostris inclinati, in reædificationem et reparationem ecclesiæ nostræ, ignis conflagratione casuque miserabili sic consumptæ, ordinaverunt ut redditus et proventus unius anni ecclesiarum et beneficiorum omnium, in quibus nos vel priores prioratuum nostrorum jus patronatus habemus, existentium in Franciæ et Angliæ regnis, et usque ad decem annos vacare contigerint : primo anno, postquam vacare contigerint et vacaverint, in illis videlicet diœcesibus, in quibus illo anno, diœcesanis episcopis redditus et proventus hujusmodi, ex consuetudine non debetur : in illis autem in quibus illo anno, qui deportationis [*le déport*] vulgariter dicitur, debentur episcopis, hujusmodi deportationis anno immediate sequenti, possimus percipere in reædificationem dicti monasterii convertendos. Et etiam ordinaverunt quod in prioratibus ordinis nostri, certum tributum acciperetur, secundum compossibilitatem beneficiorum ; et aliis cunctis fidelibus pœnitentibus, qui erogaverint in piam eleemosynam de bonis eorum Domino anni ducentum dies indulgentiarum contulit.

Huic venerabili viro ex communi assensu totius ejusdem loci congregatione successit venerabilis Joannes, tunc prior Becci, benedictusque est Rothomagi, in die sancti Joannis evangelistæ. Confirmatoque et recepto, et non multo post, elegerunt in priorem dicti loci, fratrum concordante consensu, Joannem de Plesseis priorem de Goldelina; sed morte præventus, successit in prioratu Willermus de Bourgeanvilla prior de Prato.

Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, tempore Joannis abbatis Becci decimi sexti supradicti, translata est parochia sancti Nigasii de Mellento de monasterio monachorum in capellam Sancti Jacobi ejusdem parochiæ, et facta est illa capella parochialis et baptismalis ecclesia, interveniente assensu pontificis Carnotensis, abbatis conventus Beccensis, et prioris, et conventus Sancti Nigasii de Mellento supradicti, et Ivonis Ecclesiæ rectoris ejusdem, contradicentibus, et resistentibus et proclamantibus parochianis, sed non prævalentibus.

Postquam prædictus Joannes abbas Becci strenue gubernavit eamdem abbatiam, ferme septem annis, diem clausit extremum, in die sanctorum Nigasii, sociorumque ejus, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, et sepultus est in capitulo dicti loci, circa caput domini Herluini primi dicti loci fundatoris. Et eodem anno Ecclesia Becci conjuncta est fraternitati Ecclesiæ Fiscanensi.

Cui successit in abbatia eminentissimus vir, Petrus de Caniba juxta Beccum, tunc **13** prior de Evremodio ; benedictusque est ab Odone Rothomagensi archiepiscopo. Cui accidit in primo anno regiminis ejus tale infortunium quod, prædicto anno in crastinum Cinerum, decimo quinto Kalendas Martii, qui est annus ab Incarnatione Domini millesimus ducentesimus septuagesimus tertius, turris maxima Becci corruit, et ecclesiam fere consumpsit et conquassavit ; et plus ponderatum fuit damnum hujus consumptionis quam damnum combustionis, quia totum presbysterium in circuitu oportuit radicitus evellere usque ad fundamenta. Qui prædictus abbas cœpit augmentare ecclesiam, et incœpit crucem ecclesiæ et chorum, et locavit quatuor pillaria maxima per quadrum in cruce Ecclesiæ ad aliam turrim superædificandam. De qua ruina factum fuit illud proverbium Galliæ, quod sequitur :

L'an de grace mil deux cens
Soixante et treize, virent gens
La maistre tour du Bec descendre,
Lendemain du jour de la cendre ;
Entour prime, fut la ruine :
L'œuvre dessous n'estoit pas fine :
Pour ce la tour se descendit,
Tout le chœur cassa, et fendit
De la nef une grande partie,
Cassa la tour de l'abbaye ;
Mais Dieu mercy ce roy cheri,
Oncques homme n'y eust peri ;
Ce fut en temps de l'abbé Pierre.

Pource qu'en pierres abonda,
Sous ferme pierre la fonda.

Eodem anno in capitulo generali prædictus abbas Petrus, ex consensu et voluntate totius capituli ordinavit quod camerarius, qui officii vices gerit, percipiet quolibet anno in Ascensione Domini per manum grenetarii, qui pro tempore fuerit, triginta libras Turonenses, pro recompensatione cavarum maneriorum dicti grenetarii, quas dictus camerarius solebat percipere.

Incœptum est hoc opus anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, in quo primum lapidem posuit Petrus abbas Becci, secundum abbas Sanctæ Catharinæ prope Rothomagum, tertium Willelmus prior, et Almaricus de Mellento qui prior eodem anno decimo Kalendas Octobris obiit, et ei successit Robertus de Leone prior de Scotris; in quo opere prædictus abbas quandiu vixit diligentissime intendit.

Anno millesimo ducentesimo octogesimo sexto prædictus abbas Petrus transfretavit in Angliam, defuncto Richardo de Flamvilla procuratore Olehonniæ, ibique constituit fratrem Robertum de Leone procuratorem pro eo.

Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, die Lunæ post festum sancti Joannis Baptistæ, in Assisia Pontis-Audomari facta fuit discussio de emenda, [Gal., *Amende*. MARCULFUS, SPELMANN, in *Glossar.*], monetæ Becci, de villa quam rex volebat levare, nobis opponentibus per nostras chartas a rege Angliæ concessas, ac a suis successoribus confirmatas. Quibus inspectis et in parlamentis regis lectis et indicatis, dicta emenda fuit nobis reddita, et coram baillivo multisque militibus, ibidem assistentibus, declarata.

Nota quod pro præsentationibus beneficiorum, unde est quod priores non habent præsentare in beneficiis suis, causa est ut quotiescunque super jure patronatus contingit moveri quæstio, conclusum est ut talis quæstio ducatur sumptibus monasterii, et, propter nimios sumptus et metum muscarum, voluerint omnes priores monasterii quod præsentatio spectaret ad abbatem, qui subiret onera litium emergentium circa jus patronatus, excepto tamen priore de Cancico qui non comparuit.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo octogesimo primo, die Dominica circa vesperas, in die omnium fidelium defunctorum, obiit venerabilis memoriæ dominus Petrus de Caniba, abbas Becci decimus septimus, oriundus prope Beccum; cœnobiumque Beccense rexit strenuissime novem annis, et sex diebus, Nonisque Novembris, videlicet die Lunæ, traditus fuit sepulturæ in capitulo Becci circa pedes sepulturæ domini Herluini abbatis primi, præsentibus episcopo Abrincensi et abbate Bernaii. Et petita et obtenta licentia eligendi, assignataque die Mercurii in crastino sanctæ Catharinæ virginis, voti fratres concordes et unanimes

A elegerunt virum idoneum in temporalibus, et spiritualibus multum circumspectum omnique recommendatione dignum, dominum Ymerium de Sancto Ymerio, tunc priorem dicti loci. Qui dictus electus, fuit confirmatus apud Pontisiam, Martis die, post festum sancti Andreæ apostoli, in prioratu nostro Sancti Petri in dicta villa, a Willelmo Dei gratia archiepiscopo Rothomagensi, et die Mercurii proxima apud Parisius ab illustrissimo rege Franciæ Philippo receptus. Deinde Dominica sequenti, secunda adventus, videlicet [illegible] septimo Idus Decembris, apud Fraxinos archiepiscopi, ab eodem Willermo archiepiscopo Rothomagensi benedictus, et in Rothomago die Lunæ in ecclesia cathedrali fecit professionem consuetam, et die Mercurii subse-
B quenti apud Beccum cum solemnitate receptus est.

Nota juramentum quod fecit abbas Ymerius in receptione sua : « Ego frater Ymerius permissione divina abbas monasterii Beatæ Mariæ de Becco, de bona, et antiqua et approbata consuetudine hujus monasterii, juro, per Deum et sanctos ejus, et per hoc sacrosanctum Evangelium, quod ego tam per me quam per personas hujus monasterii idoneas monasterium Beccense, et omnia ejus membra, cum omnibus pertinentiis suis, tam in spiritualibus quam temporalibus, ac omnium prædictorum jura, jurisdictiones, libertates, charta, privilegia, consuetudines dicti monasterii antiquas et approbatas ad honorem Dei et utilitatem dicti monasterii, bene et fide-
C liter, de toto posse meo procurabo et servabo, custodiam et defendam. Sic me Deus adjuvet. » Et formam receptionis invenies in chartulario in Fardello signato per y.

Eodem anno prædictus abbas Ymerius transfretavit in Angliam pro negotiis et rebus Ecclesiæ suæ disponendis.

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo primo, declarata fuit libertas prioris de Prato, in pleno scacario Paschæ (73), coram magistris ejusdem scacarii, apud Rothomagum ; de quodam equo, qui occiderat quamdam mulierem in nundinis de Ermentruilla, et adjudicatus fuit dictus equus priori de Prato, per magistros in dicto scacario præsidentes, et super hoc confecta fuit littera bailliviæ Rothoma-
D gensis.

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo, decimo Kalendas Maii, abbas Ymerius dispositis rebus suis in Anglia, ab ea recessit, et ad partes Franciæ transfretavit, receptusque fuit apud Beccum ab omni conventu suo, octavo Kalendas ejusdem mensis.

Eodem anno quæstio facta est apud Beccum post tantum incendium, et ruinam, ubi corpus piæ memoriæ dominæ Mathildis imperatricis jacebat, et inventum fuit ante sedem majoris altaris, interclusum in quodam corio bovino.

Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, in crastino Omnium Sanctorum, quatuor

(73) Ærarium regium, vel tribunal fiscale.

forestarii, qui nemora domini Reginaldi de Trie militis custodiebant, fecerunt insultum terribilem apud Layum, clericum dicti prioratus vulnerantes, et duos monachos, videlicet Joannem de Leone superiorem, et fratrem Thomam de Tonilla, sic vulnerantes ut dictus Joannes infra quinque dies, et dictus Thomas infra quindecim dies vitam finierint. Et hoc anno obiit Robertus de Leone prior Becci, et ei successit frater Willelmus de sancto Elodoaldo tunc prior Sancti Petri de Pontisara.

Eodem anno Ymerius abbas Becci in capitulo generali, quod celebratur in vigilia sancti Joannis Baptistæ, de assensu totius congregationis permisit monachis claustralibus habere cappas, quando eis necesse erit exire foras pro aliquo negotio, aut aliqua necessitate, deposuitque sotulares corrigiis vinctos. Ordinavitque quod monachi Beccenses, qui per obedientiam mittuntur in aliquibus prioratibus in Anglia, sive alibi ad commorandum, dum ibi per sex annos moram fecerint, et honeste ibi se habuerint, ad claustrum Beccensis monasterii revocarentur, audita super hoc relatione et testimonio priorum suorum, sub quibus moram fecerint.

Et in eodem capitulo excommunicavit omnes conspiratores et compilatores malorum et omnes inobedientes, et qui imponunt sociis suis falsa crimina, et omnes qui procurant per sæculares personas de loco ad locum contra obedientiam removeri; et omnes qui procurant per sæculares personas habere prioratum, vel officium quodcunque; et qui procurant per se vel per alios, ut non possint, aut non debeant a prioratu, vel officio removeri.

Prædictus Ymerius, præ cæteris prædecessoribus suis, legitur capitulum generale quolibet anno frequentasse; et ibi multas constitutiones salutares instituisse; et præcipue per suas litteras patentes præcepisse et injunxisse prioribus omnibus ejusdem ordinis quod singulis annis in vigilia sancti Joannis Baptistæ, in capitulo generali apud Beccum, traderent in scriptis coram omnibus in dicto capitulo, statum domus seu prioratus sui.

Hic in tempore suo cum studio, diligentia et sagacitate institit operi et ædificationi fabricæ novæ ecclesiæ, quæ post ruinam incœpta fuerat tempore Petri abbatis prædecessoris sui, et locavit prædictum opus cuidam latomo magistro, Roberto de Fonte nomine, ad construendum prædictum opus usque ad tecturam, ut patet per litteras ipsius latomi. Tempore etiam suo viriliter tractavit negotia ecclesiæ, custodiendo, defendendo, et procurando jura, libertates, immunitates, et privilegia Ecclesiæ Beccensis, tam in Francia quam in Northmannia, tam Angliæ, quam Walliæ regnis. Item ordinavit quod succentor, qui multos Ecclesiæ labores die noctuque portat, perciperet quolibet anno super officium cantoris quinquaginta solidos Turonenses; et quod justitiarius solvat quolibet anno custodi chartarum sexaginta solidos Turonenses.

Anno Domini millesimo trecentesimo quarto, decima quinta mensis Novembris, postquam dictus Ymerius strenue et laudabiliter rexit prædictum monasterium ferme viginti tribus annis, diem clausit extremum, cujus animæ propitietur Deus, sepultusque est in capitulo, **15** juxta cuput Domini Herluini primi pastoris ejusdem.

Anno Domini millesimo trecentesimo quarto, die Jovis post festum Luciæ virginis, post transitum prædicti Ymerii, præsidente in capitulo Becci fratre Guillermo de Sancto Paterno priore, præsente toto conventu ipsius monasterii, una cum prioribus prioratuum ab ipso dependentium; ad hoc debite vocatus venerabilis et discretus vir frater Guilbertus de Sancto Stephano, tunc grenetarius loci, fuit electus per viam compromissi in abbatem, et Patrem ipsius monasterii; postmodum confirmatus et benedictus; prædictum monasterium sapienter et religiose rexit per spatium viginti duorum annorum, et octo mensium, vel eo circa. Hic consummavit novum opus ecclesiæ tempore suo; quod opus jam incœptum fuerat tempore domini Petri de Caniba decimi septimi abbatis prædecessoris sui; deditque prædictus Guilbertus conventui, pro salute animæ suæ, et pro anniversario suo faciendo, quolibet anno, viginti libras Turonenses redditus, ad officium pitanciarum capiendum et percipiendum in et super præpositura Becci.

Obiit anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo in die sancti Bartholomæi apostoli, nono Kalendas Septembris, sepultusque fuit in nova capella Beatæ Mariæ Virginis, retro chorum, ante altare ejusdem Virginis Mariæ.

VERSUS SUPER SEPULTURAM EJUS.

O vos qui transitis, memores mortis rogo sitis,
Quod sum, vos eritis; pro me rogitare velitis.

Huic venerabili viro successit in regimine ipsius Ecclesiæ circumspectus vir dominus Gaufridus, dictus Fare [*al.*, Fae], tunc prior de Prato, electusque fuit per viam compromissi, in die Sabbati, festo Decollationis sancti Joannis Baptistæ, anno Domini millesimo trecentesimo, vigesimo septimo, et postea confirmatus, et benedictus abbas vigesimus; qui postquam ipsum monasterium laudabiliter strenueque rexit, per spatium ferme septem annorum, suis cognitis meritis, ad episcopatum Ebroicensem electus est, anno Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo, trigesimo quarto, nec propter ejus dignitatem, habitum dimisit regularem Ecclesiæ Beccensis; sed semper omni loco usus fuit vestimentis albis, et maxime cuculla alba, quæ specialis habitus Ecclesiæ existit. Hic temporibus suis auxit et ampliavit fabricam ecclesiæ Ebroicensis, et præcipue chorum, et intuentibus clarescit de tempore quo de abbatia ad episcopatum Ebroicensem translatus est, factum est hoc proverbium:

Prend la teste d'un maquerel,
D'un chien, d'un congre, et d'un carpel;
De six vivres, et de quatre ytres,
Si trouveras sans autres tiltres,

Quand Gieufroy Parc se demist
D'abbé du Bec, et Evreux prist.
Le premier jour d'Avril, sans doute
Dieu garde l'hostel, et l'ordre toute.

Nota quod (1334), tempore domini Guilleberti, summus pontifex Clemens regnabat; filiali devotione moti, non inducti, sed mera libertate, prætextu negotii terræ sanctæ, et exaltationis fidei catholicæ, dedimus dicto summo pontifici quindecim millia florenorum parvorum de Florentia, pro dictis necessitatibus supportandis; quorum decem millia tradita sunt præ manibus, alia quinque millia, postea, ut patet in chartulario, per litteram super hoc confectam, quæ duplex est in armario litterarum electionum, et fuit decima generalis levata [vulgo, *une levée*], in regno Franciæ per diœceses, et pro illa decima ratione terrarum nostrarum diffusarum per prædictas diœceses solvimus, absque bonis prioratuum nostrorum, tria millia sexcies centum libras; tredecim libras, duos solidos, sex denarios, ut patet per litteras quittanciæ.

Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo fuit in capitulo ordinatum, ut bulla domini Benedicti papæ super ordinatione scholarium observaretur, et statutum est ut quilibet prior solveret dictis scholaribus de quolibet franco redditus prioratus sui tres solidos, cum tribus denariis, persolveret integraliter in manu pitantiarii; sic quod magister in theologia legens, quadraginta francos, et studens in theologia totidem, et doctor decretorum, jura canonica legens, quinquaginta; et scholaris studens jura, et baccalaureus in eisdem, triginta sex libras, ut patet in chartulario in fardello signato per x.

Anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo, fuit a sede apostolica indultum Philippo regi Francorum et Navarræ, certis de causis, in provincia Rothomagensi levare decimam; et pro parte et portione nostra fuimus taxati ad summam mille sexcentum septuaginta librarum; quas solvimus apud Beccum, præsente rege, die decima quarta Augusti anni prædicti, ut patet per quittanciam, quæ est in chartulario in fardello de..... Et in anno trecentesimo quadragesimo sexto (74); fuit collecta in regno Franciæ, et levata per prædictum Philippum, qui duxit bellum contra regem Angliæ; pro qua solvimus pro nobis et prioratibus summam centum viginti librarum. Et in anno millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, fuit levata alia decima concessa domino regi, pro qua solvit prior de Bellomonte pro portione sua, quinque centum francos. Et in anno millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, fuit abbas Thomas absolutus, **16** ob defectum solutionis decimæ datæ a domino Martino papa quinto duci Behfordiæ, super fructibus in ducatu Northmanniæ consistentibus, quia imposita fuit, et levata tempore domini Roberti prædecessoris sui regentis Parisius, et per bullam excipiebantur studentes Parisius....

Et in anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, præsidente in Ecclesia domino Clemente quinto, mere et liberaliter dedimus pro subventione sedis apostolicæ, decem mille florenos tum etiam pro negotiis nostris expediendis; et nisi fuisset procurator, vel magister Joannes abbatis, dedissemus quindecim mille, ut patet in chartulario.

Et anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono voluit papa levare unam decimam pro reparatione ecclesiæ aut monasterii Montis Casini; unde fuit pater noster Benedictus abbas, et commissum fuit abbati Sancti Audoeni colligere in provincia Rothomagensi, super ecclesias aut monasteria sancti Benedicti, qui penurias ecclesiarum declaravit: et decima nihilominus soluta est: et solvimus pro parte et portione nostra quadraginta novem florenos, ut patet in fardello 1.

Nota quod anno Domini millesimo trecentesimo septimo et trecentesimo quadragesimo quinto, venerabiles viri, magister Nicolaus de Quercu, rector ecclesiæ Sancti Silvini de Glos, dedit nobis quasdam decretales, cum apparatu ordinario, una cum quinto decretalium, cum suo apparatu; decretum cum apparatu ordinario; et magister Joannes de Boesseyo rector ecclesiæ Sancti Gregorii de Tilia, qui a juventute fuerat nutritus in domo nostra, et beneficiatus, dedit nobis omnes libros suos, post mortem habituros; et si contigerit eum infirmitate vel necessitate vendere, exsecutores sui tenentur nobis solvere ducentum libras; et erat ipse doctor in medicina, et ejusdem eximius professor.

Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto, die Jovis, ante festum sancti Joannis Baptistæ, die vigesima tertia mensis Junii, post spontaneam resignationem Gaufridi Fare factam, ut ad prædictum episcopatum transmigraret, astante et præsidente in capitulo Becci fratre Joanne de Sancto Mellanno priore Becci, una cum prioribus totius ordinis, electus fuit frater Joannes de Grangiis, tunc justiciarius Becci, in pastorem dicti monasterii; qui Ecclesiam laudabiliter regens, inter cætera bona quæ ibi gessit, fecit dedicare ecclesiam novam de novo completam laudabiliter, ut postea patebit.

Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo, decimo quinto die Aprilis, obiit piæ memoriæ dominus Gauffridus Fae, vigesimus abbas Becci, postea episcopus Ebroicensis, non immemor ecclesiæ Beccensis, sed apud eam delatus, et in ipsa sepultus in sinistra chori parte, ut ejus sepultura manifestat; cujus anima in pace requiescat.

Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, decimo quinto die mensis Septembris, decimo septimo Kalendas Octobris, pontificatus sanctissimi in Christo Patris domini Clementis divina clementia papæ sexti anno primo, regnante

(74) Anni confuse notantur.

Philippo Francorum rege, domino Joanne ejus filio primogenito duce Northmanniæ, abbate Becci tunc vigesimo primo domino Joanne de Grangiis, dedicata fuit ecclesia Becci a reverendo in Christo patre domino Joanne Abrincatensi episcopo in honorem sanctæ Mariæ virginis, et omnium sanctorum. Consecrata autem fuerunt ab ipso episcopo abrincatensi majus altare ad honorem sanctæ Mariæ, et minus similiter, præsentibus in Christo Patribus dominis Lexoviensi, et Joanne Papiensi episcopis, ac venerabilibus Patribus et dominis abbatibus de Fiscano, de Sancto Audoeno, de Cadomo, de Sancto Ebrulfo, de Gemeticis, de Sancto Vandresillo, de Sancto Georgio, de Blanquervilla, de Bernaio, de Cormelis, de Pratellis, de Grestano, de Sancta Catharina prope Rothomagum, de Sancto Victore, de Cornevilla, ac de prioribus de Sancta Barbara, Beatæ Mariæ de Parco juxta Haricuriam, de Friardello, et nobilibus viris dominis Joanne Malet, Roberto de Novoburgo, Joanne de Ferariis G.... de Friardello, R..... de Tournebu militibus, cum pluribus aliis militibus ac viris ecclesiasticis, ac sæcularibus, in die tali exultantibus. Et eadem die consecratum fuit altare in capella prioris, in honorem sancti Benedicti, et in capella quæ dicitur esse sacristæ, in honorem sanctorum apostolorum Petri et Pauli, altare fuit consecratum ab episcopo Lexoviensi, et eodem die, altare in capella quæ dicitur de Ferariis, in honorem sancti Joannis Baptistæ. Item in capella sequenti in honorem sancti Mauri, et in capella sequenti, in honorem sancti Martini, quæ dicitur esse subcellerarii, et in capella quæ dicitur esse camerarii, a domino Joanne Papiensi episcopo, altare in honorem sancti Stephani protomartyris. Et die lunæ sequente, consecrata fuerunt duo altaria de revestiario, unum in honorem sancti Nicolai, et Brandani, et aliud in honorem sancti Joannis Evangelistæ, et sancti Aniani episcopi, a prædicto Papiensi episcopo. Item altare beatæ Mariæ Magdalenæ, et beatæ Honorinæ virginis, in capella quæ dicitur esse eleemosynarii, ab eodem Papiensi episcopo, ad Dei gloriam et populi exsultationem. In ipsa dedicatione conducti fontis, qui dicitur Angelus in claustro prope capitulum, fluxisse vinum per spatium trium dierum fertur, ad omnium servientium sustentationem.

¶ Tempore hujus Joannis quidam honestus religiosus vocatus Guillelmus de Maria, alias Loeson, granatarius dicti monasterii, de licentia prædicti Joannis, in capitulo generali præsidentis, anno millesimo trecentesimo quadragesimo, in vigilia sancti Joannis Baptistæ totiusque capituli assensu, dedit religiosis claustralibus decem libras Turonenses redditus, de et super officio granatarii dicti loci, ad festum Assumptionis beatæ Mariæ, per manum granatarii, qui pro tempore fuerit, percipiendas, ac per manum prioris eisdem distribuendas, ut ad laudem et gloriam beatæ genitricis Mariæ antiphona quæ dicitur, *Salve Regina*, *Mater*, etc., completorio finito dicatur, et decantetur a fratribus ibidem existentibus.

Eodem anno dominus Joannes de Ferariis miles dedit prædictis religiosis, ad officium pitanciarum, certam partem decimæ, quam habebat in parochia de Grandicampo, solutis decem libris redditus, quæ super hoc debentur priori de Malopassu.

Tempore prædicti abbatis, anno millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, domina Maria de Hispania comitissa de Allençonio, de Stampis, dedit prædictis religiosis quingentas libras Turonenses pro emendis quadraginta libris redditus, prædictis religiosis claustralibus distribuendis, per manum pitanciarii, ut quolibet die per dictos religiosos missa celebraretur in capella Beatæ Mariæ de novo fundata; quæ summa tradita fuit priori de Prato, ut dictis religiosis solveret prædictum redditum in quatuor terminis Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Michaelis, Nativitatis Domini et Paschæ; quolibet termino decem. Et his temporibus missa, quæ quotidie celebratur pro congregatione, in honorem beatæ Virginis de mane, cœpit habere initium; ad quam missam accenduntur quotidie viginti quatuor cerei de quibus dominus abbas debet solvere quatuor, et alii decem officiarii, quilibet duos; et ad populum, fratresque excitandos, pulsatur cum una de majoribus campanis.

Iis etiam temporibus cœperunt oriri et emergere bella et discordiæ inter reges Francorum, et Anglorum et Navarræ, propter coronam regni Franciæ, quam sibi vindicabat, et dicebat Eduardus rex Anglorum jure hæreditario sibi licere.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo, die decima nona mensis Februarii, obiit felicis memoriæ dominus Joannes supradictus vigesimus primus, qui Ecclesiam religiose rexit quindecim annis et octo mensibus, et sepultus est in capella Beatæ Mariæ, retro chorum, juxta sepulturam domini Gilberti abbatis decimi noni, ante altare Virginis Mariæ.

VERSUS.

Concilia nato Genitrix hunc alma beato :
Ponatur cœlis hic qui fuit orbe fidelis.

Huic venerabili Patri successit in regimen Ecclesiæ Beccensis magnæ scientiæ vir frater Robertus de Rotis, alias Couroye, decretorum doctor, electus via scrutinii, ut forma ejus electionis testatur, qui quidem prædictam Ecclesiam rexit undecim circiter annis.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, tempore prædicti Roberti, post bellum Pictavense, in quo rex Francorum Joannes captus fuit ab Anglis, prædictis guerris in Northmannia vigentibus et de die in diem pullulantibus, ac ipsis Anglis plurima loca, villas, castella, municipia obtinentibus, dominus Ludovicus de Haricuria, tunc capitaneus et rector generalis Northmanniæ nomine regis Franciæ, auctoritate regia præcepit quod ecclesia Becci, quæ de novo magna, et spatiosa, imo speciosa, erat constructa, et nuper consummata, et dedicata (ut præmittitur) fuerat, demoliretur

usque ad fundamenta, et fortificaretur turribus, A propter securitatem patriæ, et ne ab Anglis, seu aliis hostibus, tunc in patria vigentibus, caperetur. Quare congruit consilio et auxilio baronum, militum, et nobilium ac vicinorum eam fortificare, una cum capitulo eidem consentiente. Et capellas circa chorum, et alias aperturas, lapidibus obstruere, ipsamque ecclesiam et beuffredum, cum turribus ecclesiæ, capitulumque cingere propugnaculis, ac fossatis circumdare; propter quod oportuit demoliri unam partem dormitorii capitulo adjacentem, et tria latera claustri juxta ecclesiam, et etiam quamdam partem cellarii, domos, et aulam quæ vocatur Noviburgi, juxta turres ecclesiæ, in damnum maximum ejusdem ecclesiæ. B

Oportuit etiam religiosos dimittere dormitorium et dormire quamdam partem ipsorum infra ecclesiam super vestiarium; cæteros autem officiarios, et seniores jacere in capellis chorum circumdantibus; alia ecclesiæ loca in ecclesia, propter bona ecclesiæ conservanda, fuerunt occupata. Sicque nihil planum, præter chori ambitum, et viam circa, propter processiones quia propter claustri demolitionem non poterant fieri in claustro. Coacta est ecclesia redditus et proventus ejus in stipendiis armatorum exponere, pro custodia et [illegible] conservatione dictæ forterициæ. Ob eam causam oportuit invadiare maneria, terras, decimas, ad prædicta onera supportanda, in maximum damnum ecclesiæ Et in ecclesia missa Beatæ Mariæ quæ nuper ordinata fuerat cantari retro chorum, coactione urgente cantabatur ad majus altare. C

Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo primo, prima die mensis Septembris, prædictus Pater Robertus abbas Becci vigesimus secundus migravit a sæculo, rexitque prædictam ecclesiam ferme undecim annis, et quinque mensibus; et sepultus est in capella Beatæ Mariæ retro chorum, in sinistra parte, juxta sepulturam domini Guilberti abbatis; et non est tumba, neque epitaphium.

Post ejus obitum anno millesimo trecentesimo sexagesimo primo, electus fuit ab omni congregatione vir magnæ religionis frater Guillelmus de Bensevilla, dictus Popeline, in pastorem ipsius monasterii; postmodum benedictus. Modestus, et mitis D fratribus erat; et strenue et laudabiliter rexit ipsum monasterium, viginti septem annis; guerris vigentibus, tam in Northmannia quam in Francia et Aquitania, et licet prædictum monasterium esset in maxima necessitate, sua benignitate et patientia, prædictum monasterium a multis adversis, damnis et periculis præservavit.

Anno millesimo trecentesimo octogesimo octavo, secunda die mensis Maii, migravit a sæculo et sepultus fuit in revestiario, ante altare sanctorum Nicolai et Catharinæ, ubi tunc temporis capitulum tenebatur, quia capitulum molendino, furno, granario, propter guerras occupabatur.

Prædictus etiam Pater, temporibus suis, ecclesiam nobilibus religiosis, quos vestivit, dotavit; de quibus postea floruerunt, Gauffridus dictus Harenc abbas Gemeticensis (*Jumiéges*), Vincentius de Rothomago, dictus de Lieno, abbas Pratellensis (*Préau*); Robertus de Rothomago, alias le Telier, abbas sancti Ebrufi (*S. Evroult*); Joannes de Bouleya, abbas Cerasiensis (*Cerisy*).

EPITAPHIUM EJUS.

Hic jacet in tumba Ginatus [*Guillelmus*]
[*Benseque villa,*
Becci, qui decem bis, et cum septem, constitit
[*annis*
Abbas; quo plures vestiret, ocius hinc tres
Fiunt abbates; ac horum Parisiensis
Unus Gauffridus; e cum Jo. [*Joannes*]
[*de Hors Gemeticensis*
Esse sinit, tandem Becci fit pastor ibidem,
Electus bis, jam fieri jubet, hancque figuram,
Guillelmi zelo victi, telo vocis; anno
Bisseptingento (id est 1388); *sed bis sex hinc*
[*removeto.*
Luce Maii bina, cui cœlos, Christe, propina.

Anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo octavo, post obitum domini Guillermi abbatis vigesimi tertii frater Gauffridus de Paris dictus Harenc, tunc temporis prior de Conflantio, vir acutissimi ingenii, bacalaureus in decretis, electus fuit ab omni congregatione in abbatem et pastorem ipsius monasterii: sed electio non est sortita suum effectum, quoniam quidam Estodus, nomine de Estoutevilla, prius monachus Fiscanensis, et tunc abbas monasterii Cerasii, auctoritate pontificis Romani, et omnium prælatorum vi, et amicorum et parentum potentia, obtinuit prædicti monasterii principatum. Iste primus fuit alienigena, qui Ecclesiæ Beccensis obtinuit regimen, qui de gremio ejusdem ecclesiæ a tempore fundationis non existeret; duobus annis et octo mensibus rexit dictum monasterium. Quod nuper guerris cessantibus respiraverat, occasioneque prædictarum guerrarum, in maxima necessitate erat, ac in multis debitis erga multos obligatum, per domos, per maneria, molendina, cum omnibus officinis, in maxima ruina, et decadentia erat. Et in ejus adventu, omnia et singula sunt deteriorata, quia ejus cura erat super pecuniis accumulandis, appropriavitque sibi officium thesaurarii, ponens receptorem sæcularem, quod nunquam visum est.

Expensæ quotidianæ inæstimabiles tam pro suo excessivo statu, tam occasione fratrum suorum, quorum aliqui erant pontifices, alii milites, alii archidiaconi, existebant. Ipse expensis ecclesiæ Beccensis, singulari fulgens ambitione, impetravit a sede apostolica ut solum vita comite posset uti mitra, et annulis, et insigniis pontificalibus. Vocatus ad regimen Ecclesiæ Fiscanensis, unde prius fuerat monachus, bona ecclesia Beccensis in tanta copia tam in libris quam jocalibus, auro, argento secum portavit, quod a fundatione non est memoria ecclesiam tantam ruinam fuisse passam.

Fundaverunt frater ejus episcopus Lexoviensis et ipse Estoldus collegium Lexoviense Parisius juxta Sanctam Genofevam, et distribuit Estoldus libros et cuncta quæ ab ecclesia Becci abstulerat, dicto collegio; de tanta offensa Dominus indulgeat ei.

19 Post discessum vero ipsius Estoldi, Gauffridus Parisiensis, dictus de Harenc, qui violentia ab amicis dicti Estoldi, papa consentiente, fuerat remotus, rursum est electus a tota congregatione in abbatem et pastorem Ecclesiæ Beccensis, et die decima quarta mensis Martii, id est feria tertia ante Ramos Palmarum, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo receptus cum gaudio magno, cunctis clamantibus : Noel ! Noel !

Ipse in primo anno sui adventus fecit fieri quadraginta cameras in antiquo dormitorio, et ibi fecit dormire religiosos, qui ante dormiebant super revestiarium, et vestivit eodem anno sexdecim monachos habitu religionis; et mundare fecit omnes officinas, et deponere lapides, et ea quibus capellæ obstruebantur, et revitrare de novo, et maxime capellam Beatæ Mariæ, in cujus medio fuerat murus maximus quem fecit destrui; et missa, quæ quotidie de mane dicitur, dicebatur ante majus altare, reincœpit celebrari in dicta capella. Fecit etiam mundare capitulum, quod fuerat occupatum quodam molendino, et furno, quodam granario, ac magnis tonniis ad ponendam siceram. Et fecit dictum capitulum et refectorium depingere et renovare, et de ipso capitulo omnia auferre, et reparavit omnia quæ fuerunt facta tempore guerræ.

Reparavit etiam ecclesiam, et officinas dicti monasterii de coopertura, quia in adventu suo ubique pluebat. Omnia maneria et molendina, quæ invenit in magna decadentia et ruina, studiose reparavit, ecclesiam acquitavit de multis debitis obligatam tempore Estoldi prædecessoris sui, et aliorum prædecessorum suorum.

Item exoneravit ecclesiam de centum libris redditus ad vitam, quas quidam vocatus Petrus le Veulles, alias Pontrel, habebat ad vitam suam super decimas et terras nostras de Caleto.

Item exornavit manerium, terram, et redditus de Quevilly, quæ invadiata erant Gervasio de Saux, et uxori suæ ad vitam suam; et solvit octingentas libras, de bonis patris et matris suæ, quæ nuper habuerat ex obitu eorum.

Item ad tuitionem libertatis nostræ de venditione piscium, fortiter laboravit contra mercatores qui recusabant afferre pisces suos venales ad coquinam ipsius monasterii, antequam exponerent eos ad vendendum, ut moris est. Impetravit a Romano pontifice quod tam ipse quam successores sui abbates Becci, de cætero possent uti mitra et aliis insigniis pontificalibus perpetuis temporibus.

Incepit clausuram murorum et turrium circa monasterium, ne de cætero ecclesia opprimeretur et occuparetur tempore guerrarum, sicut antea fuerat.

Et anno Dominicæ Incarnationis millesimo tre- A centesimo nonagesimo octavo, decima tertia mensis Julii, arripuit iter peregrinationis ultra mare, associatus multis nobilibus viris Franciæ et Northmanniæ, ad visitandam sanctam terram Hierosolymitanam et sanctum sepulcrum Domini, et alia sancta loca, nec non ad Sanctam Catharinam, in monte Sinai. Revertendo cecidit in quamdam foveam, in qua fuit per tres dies quod non potuit inveniri. De qua peregrinatione, dum per deserta reverteretur cum suis, contingit illum infirmari, adeo ut non poterat incedere nec pede, nec equo, et oportuit ut in lectica magno labore deportaretur cum suis, qui sic venerunt usque in Italiam apud quamdam civitatem, quæ vocatur Padua, et ibidem cum magno dolore B suorum, diem clausit extremum, decimo quinto die mensis Julii, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono; et ibidem in quadam ecclesia sepultus fuit. Et missi sunt quidam de religiosis Becci, qui ibidem sumptibus ecclesiæ fecerunt fieri servitium et sepulturam in memoriam ejus.

Nota privilegium concessum abbatibus Becci, favore Gauffridi Harenc, tunc temporis abbatis.

« Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gauffrido abbati, et conventui monasterii de Becco Helluini, ordinis sancti Benedicti, Rothomagensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Exposcit vestræ devotionis sinceritas, et religionis promeretur honestas ut tam vos, quos speciali devotionis affectu prosequimur, quam monasterium vestrum, cum dignis honoribus attolla- C mus; dudum siquidem cuidam Estoldo abbati dicti monasterii, et vobis filiis conventui, ut idem Estoldus abbas, et successores sui abbates dicti monasterii, qui pro tempore forent, mitra, annulo, et aliis pontificalibus insigniis, libere possent uti, nec non quod in dicto monasterio, et prioratibus eidem monasterio subjectis, ac parochialibus et aliis Ecclesiis, ad ipsum abbatem et vos filios, conjunctim communiter, vel divisum, pertinentibus, quamvis sibi, et vobis pleno jure non subessent, benedictionem solemnem super populum, post missarum, vesperarum, et matutinorum solemnia (dummodo in benedictione hujusmodi, aliquis antistes, vel sedis apostolicæ legatus præsens non foret) elargiri posse, D duximus indulgendum. Nos igitur volentes vos attolli ampliori prærogativa honoris, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu fili abbas, et successores tui ejusdem monasterii abbates, qui pro tempore fuerint, mitra, annulo, et insigniis hujusmodi, etiam in synodis et locis provinciæ Rothomagensis, et in quarumlibet personarum, etiamsi pontificali seu regali præfulgeat dignitate, præsentia, dummodo in synodis, et locis prædictis archiepiscopus Rothomagensis pro tempore existens, vel dictæ sedis legatus, aut nuntius, præsens non fuerit, nec non corporalia, calices, et alia ornamenta ad divinum cultum, in monasterio prioratus, et ecclesiis prædictis, ac **20** locis, et aliis, ab eodem monasterio dependentibus, necessaria benedicere, nec non

et monachis dicti monasterii tonsuram conferre clericalem, libere, et licite possitis, felicis recordationis Alexandri papæ quarti, prædecessoris nostri, quæ incipit : *Abbates*, et aliis quibuscunque constitutionibus apostolicis in contrarium editis, nequaquam obstantibus vobis, et eisdem successoribus, auctoritate apostolica, de speciali gratia, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc, » etc.

Pro sede capienda in synodo archiepiscopi Rothomagensis, fuit lis mota inter abbatem Becci et Gemeticensem, tempore istius Gauffridi Harenc, qui dicebat sibi secundum locum pertinere, alio contrarium asserente.

Tempore istius Gauffridi Harenc, presbyteri soliti erant pro stipendiis suis percipere annuatim decem francos et juvenes non presbyteri octo, et diminuit, propter forterıciam (propugnaculum, Gal. *forteresse*) construendam, quod presbyteri solum octo francos, et juvenes sex francos perciperent, et duravit usque ad tempora domini Willermi de Valle, abbatis vigesimi septimi.

Postea, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono, die decima septima Julii, post obitum felicis recordationis prædicti Gauffridi Harenc abbatis Becci vigesimi quinti, consensu totius congregationis et omnium priorum, ad electionem debite vocatorum, per viam sancti Spiritus, omnibus concordantibus, religiosus et honestus vir Guillelmus de Annullaribus, dictus de Valle, tunc prior claustralis Becci, divina dispensatione fuit electus, et postea a reverendo in Christo Patre domino Willermo de Vienne Rothomagensi archiepiscopo, in die Translationis sancti Stephani, benedictus. Deinde in die beati Bartholomæi sequenti, apud Beccum ovanter receptus in pastorem : omnibus mitis et affabilis, omnium morum probitate adornatus; qui prædictum monasterium strenue octodecim annis et quinque mensibus rexit et gubernavit.

Hic tempore suo feodum de Fengerito, et feodum de Bouleyo, apud Sanctum Martinum de Parco sitis, acquisivit ; similiter totum feodum de Calvomonte ex integro, apud Pontem Antonii et apud Russeriam ; feodum de Mellino Joscelinii, et apud Servavillam feodum Grandin, et feodum de Bosco apud Pomeriaux, feodum Henrici de Grongi. Item acquitavit viginti libras redditus, quas domicella Joanna Labeneste percipiebat annuatim super feodum nostrum de Muys apud Marbodium. Item acquisivit domum nostram Parisius, in magno vico Sancti Jacobi, et amortisavit et exoneravit ecclesiam de centum libris redditus, qui debebantur carturieniebus Parisiensibus, et collegio de Dormanno, mediante appənctamento inter nos et ipsos facto. Item ducenta scuta auri Joanni de Vadis restituit ; qui Joannes accommodaverat prædicto Gauffrido Harenc, et magistro militiæ de Rhodes, quadringenta scuta auri quæ ipse accomodaverat prædicto Gauffrido Harenc, in peregrinatione sua, et multa hæreditagia, de quibus per pacta potest apparere. Ipse etiam institit operi fortericiæ per prædictum Harenc incœptæ, et prædictum opus ad tantam perfectionem perduxit ut aspicientibus castrum inexpugnabile judicaretur.

Tempore isto, regente Ecclesiam universalem papa Alexandro, quidam cardinalis, Ludovicus de Flisco vulgariter nuncupatus, tituli Sancti Adriani cardinalis, impetravit prioratus de Bellomonte et Sancti Ymerii ; et per episcopum Placentinum procuravit decerni dictos prioratus ad ipsum pertinere et spectare, et mandavit singulis abbatibus et conventibus, sub pœnis contentis et fulminatis in processu, ut permitterent dictum cardinalem, aut ejus procuratorem pro eo nancisci et adipisci possessionem prioratuum prædictorum ; in qua possessione prioratus de Bellomonte, tunc erat frater Guillermus de Fiscano religiosus de Becco, et frater Richardus de Malavilla professi de Becco, et ab isto nobili Patre Guillermo fuit appellatio interposita et sortita est suum effectum. Feodum de Feugueray acquisivit a domino Guillermo milite, pro summa duorum mille ducentis et quinquaginta libris Turonensibus. A domino Joanne de Boulaio milite aliud feodum contiguum dictum de Boulay pro summa novem centum librarum.

Nota quod muros fortericiæ curavit fieri Gauffridus Harenc, maximæ latitudinis, videlicet quindecim pedum, vel circa in basso, et in alto decem pedum, altitudinis majoris quam sint muri civitatis Avenionensis, et infra dictos muros inchoavit quindecim turres magnas. Iste Willelmus habuit a rege præceptum ut dictum opus continuaret. Et fuit turris majoris altitudinis et latitudinis quam sit aliqua turris in Marsilia ; et complevit in spatio quinque annorum, pro quolibet anno exponens, in hujusmodi forterıcia, quinque mille libras Turonenses.

Iste Guillermus acquisivit feodum de Meslino Jocelin, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, a domino Dobeaux, et solvit mille quingentas libras, ut patet per quittanciam.

Nota etiam quod suo tempore quidam, nomine Joan. de la Lande de Tillia, propter processum motum inter nos et eum, associavit sibi duodecim homines, qui quotidie armati circuibant abbatiam et prioratus nostros, ut si invenire possent unum de nostris sive religiosum, sive [illegible] servitorem, mutilarent, aut occiderent, et mandaverunt prædicto abbati per quamdam cedulam signatam eorum signis quod eum occiderent, si eum exire contingeret ; et si non exiret, totam domum incenderent. Et de facto plures religiosos euntes ad negotia sua mutilaverunt, et apud Sanctum Philibertum unum occiderunt, et ei pedem amputaverunt, et alium mutilaverunt. Convictus de omnibus maleficiis prædictis, et etiam de furto nemorum nostrorum, quorum custodia ante erat sibi commissa, Parisius fuit bannitus, ut patet per processum suum, qui est in chartulario.

Postquam autem fuit in Ecclesia per spatium quinque annorum, anno millesimo quadringentesimo quarto, postquam obedientia fuit reddita Petro de

Luna, dicto Benedicto, quæ sibi antea subtracta fuerat, occasione schismatis quod tunc erat in Ecclesia, quidam Ludovicus dictus de Chantemelle, abbas de Troarno, procurabat apud præfatum papam institui in prædicto monasterio Beccensi, quia abbas Beccensis nondum miserat ad curiam, nec vacantem solverat, occasione prædictæ substractionis; idcirco arripuit iter ad Massiliam, ubi tunc temporis prædictus Benedictus degebat, qui, eo viso et gravi ejus constantia considerata et electione ejus visitata, ipse eam confirmavit, et licentia a sede apostolica accepta ad monasterium rediit; quæ controversia valde gravavit Ecclesiam, tam pro expensis quam pro vacante solvenda.

Nota quod anno Domini millesimo quadringentesimo quinto, regnante Carolo rege Francorum, in anno regni sui vigesimo quarto, fuit reddita obedientia domino papæ, per quam antea erant beneficia in dispositione ordinariorum conferenda, et ordine juris electiones celebrabantur; et post obedientiam redditam in manu papæ, voluit papa levare vacantiam beneficiorum tam regularium quam sæcularium, quæ vacaverant ante redditionem obedientiæ. Quod non potuit obtinere, rege contradicente. Et declaravit intentionem suam, et prædicare fecit in ecclesia nostræ Dominæ Parisius; quod non potuit obtinere, rege contradicente.

Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, mense Augusti, in vigilia sancti Laurentii, anno regiminis prædicti Guillermi decimo sexto, Henricus rex Anglorum quintus applicuit in Northmanniam, cum magno exercitu, et navium copiosa multitudine, et obsedit, ac in brevi obtinuit villam de Harefloto [vulgo *Harfleur*], et eam munivit gente sua, expulsis civibus. Postea arripuit iter versus Calesium, per pagum Caletensem, et per comitatum de Pontumal; et cum venisset in pagum Tarvanensem, in locum qui dicitur Agincort (*Azincourt*), habuit prælium cum exercitu Francorum in die sanctorum Crispini et Crispiniani. In quo prælio fuit magna cædes Francorum, et ibi corruerunt multi, tam duces quam comites et barones, necnon et multi nobiles, et eorum multi capti, et ducti in Angliam vinculis mancipati fuerunt, et alii de exercitu Francorum fugerunt. Postmodum prædictus rex transfretavit in Angliam, cum præda maxima accepta in prælio.

Et tempore durante, monasterium Beccense magnam passum est ruinam, totaque regio a Francis, qui insultum faciebant contra regem Anglorum, oportuitque munitionem habere in fortericia ipsius monasterii expensis ecclesiæ, propter cursiones et invasiones Anglorum, in damnum et destructionem ipsius ecclesiæ.

Et anno Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, prima die mensis Augusti, prædictus Henricus rex Anglorum iterum applicuit in Northmanniam, apud Tolcam (*Touque*); et in sex mensibus obtinuit totam inferiorem Northmanniam, usque ad fluvium Risle, excepto monte Sancti Michaelis. Et etiam obtinuit Cenomanorum comitatum, cum adjacenti regione.

Et illo tempore omnes fere habitantes et commorantes circa Beccum, tam nobiles quam incolæ, retraxerunt se cum bonis suis in fortericia dicti monasterii, in tanta quantitate quod oportuit dictam ferteriam gentibus et victualibus, expensis ecclesiæ, munire. Oportuit etiam consilio aliquorum destruere et demoliri omnia ædificia dicti monasterii, extra clausuram forteriiciæ existentia, scilicet aulam dictam la Malmaison, domos ante eleemosynam, domum fabrorum, domos hospitum, capellam Sancti Herluini, cum aliis multis domibus et officinis circa adjacentibus. Oportuit etiam taxare bladum in refectorio et fenum in capitulo, in maxima tribulatione et dolore ommium domesticorum. Et post tanta incommoda prædictus reverendus Pater Guillelmus abbas, hujusmodi incommodis anxius et tristis, ægrotavit fere per quatuor menses. Qua infirmitate ingravescente, decessit tertia die Januarii anni prædicti millesimi quadringentesimi decimi septimi, sepultus in medio chori ante pedaneum, ubi solet accipi benedictio. Cujus anima requiescat in pace.

Nota quod ad fortericiam Becci faciendam, homines tenentes de ecclesia Becci, compulsi sunt ad contribuendum pro qualibet acra terræ, quam inde tenebant, solvere dimidium florenum auri. Et iterum concessum nobis est a duce Northmanniæ, ut levare possemus per modum subsidii, ab uno quoque hominum nostrorum, pro quolibet mense, duodecim denarios, pro simili causa forteriiciæ, ut patet in repertorio novo, in titulo fortificationis.

Nota quod Joannes de Chambray fecit tumbam domini Guillelmi abbatis, et soluta ✠✠ sunt quadraginta scuta, ut patet in chartulario per quittanciam, in fardello signato per. .. et nota quod ipse tenebatur cameræ apostolicæ in mille florenis annuatim, ut patet per quittancias, in arca quittanciarum.

EPITAPHIUM.

Hic jacet exemplum bonitatis, regula morum,
Justitiæ templum, fidei vas, lux monachorum,
Guillermus, frater quondam de Valle vocatus,
Cœnobiique Pater Beccensis, origine natus
Ex Emullaribus, diœcesis Lexoviensis.
Abbas vigesimus sextus; quem flebilis ensis
Funeris exhausit, vitalia filaque rasit.
Nam nixus Christo, mundo migravit ab isto,
Anno milleno centum quater, addeque deno
Septem, tunc terna jamjam lucente lucerna.
Vivat sanctorum consors super astra polorum.
Amen.

Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, supra memorato die Lunæ, ante sacros Cineres, sexta die mensis Februarii, post obitum supradicti venerabilis Guillermi vigesimi sexti abbatis, venerandæ discretionis, ac eminentis scientiæ vir dominus Robertus de Becco, dictus Vallée, decretorum doctor eximius, de villa Becci oriundus,

tunc prior de Prato juxta Rothomagum, in capitulo A Beccensi, fratrum unanimi assensu, per viam Spiritus sancti, in abbatem et pastorem ipsius monasterii est electus; et postmodum mandato archiepiscopi est benedictus. Et propter guerrarum discrimina, et occursiones et invasiones Anglorum, quæ sæpius fiebant ab ipsis, noluit venire apud Beccum, sed secessit in partibus Franciæ apud Parisius, et apud Pontisaram; et ibi mansit, usque dum sequenti anno civitas Rothomagensis, cum patria adjacente, reddita fuit prædicto regi Anglorum.

Et cum ibi maneret, videlicet in octavis Paschæ, anno millesimo quadringentesimo decimo octavo, Thomas dux Clarentiæ [*Clarence*] frater prædicti regis Anglorum, ac constabularius ejus, obtinuit B castrum Haricuriæ, deinde cum exercitu suo venit apud Beccum, et obsedit fortericiam dicti loci, et eam diversis et frequentissimis assultibus, die nocteque incessanter, per spatium fere unius mensis expugnando, et in suo adventu, maxima pars villæ, videlicet usque ad ecclesiam Sancti Andreæ, combusta fuit ab eis qui infra erant fortericiam, in magnum damnum ecclesiæ et habitantium in ea; deficiente autem adjutorio illos qui erant in fortericia, qui sperabant a rege Francorum sublevari, oportuit eam tradi in manus prædicti ducis Clarentiæ, et ei reddita fuit in vigilia Ascensionis proxime sequentis. Et cum intrasset, prædata et sublata fuerunt omnia bona, quæ ibi erant reposita, tam ipsius quam aliorum, et fere omnia bona patriæ ibidem erant reposita. Populus ibidem congregatus C expulsus est, nec portare ei discedenti permittebatur, præter vilia vestimenta, quibus vestiti erant.

Nota quod anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, fuit levata decima in regno Franciæ, auctoritate Romani pontificis, in supportationem onerum quasi importabilium regis et regni; et fuit terminus limitatus ad recolligendam taxationem decimæ prædictæ. Nihilominus rex Franciæ, suis familiaribus litteris mandavit abbati de Becco, ut de tribus centum libris ei incontinenti [sine mora] subveniret, quæ summa fuit Parisius soluta per dominum Gauffridum de Fiscano priore de Bellomonte, et taxatio decimæ, pro parte, et portione nostra, in diversis diœcesibus, ascendit ad summam D trecentum librarum, ut patet per mandatum, et quittanciam mandato annexam in chartulario. Post paucos dies, postquam fuit spoliata ipsa fortericia, venit rex Henricus prædictus apud Beccum, et ibi constituit de gente sua viginti homines armorum, cum quadraginta sagittariis, expensis ecclesiæ, qui acceperunt omnes provisiones ipsius monasterii, in granis, vino, sicera; de bobus, et de cæteris bonis, ibidem repositis, nihil relinquentes religiosis, nec familiæ eorum, unde possent sustentari, solum viventes de moltis (*mouture*) molendinorum suorum, nihil percipientes de redditibus suis, quia temporalia monasterii erant arrestata per dictum regem, propter absentiam ipsius abbatis, qui nondum venerat ad obedientiam ipsius regis, et nihilominus solvebantur stipendia armigeris, in dicta fortericia existentibus; et ob hoc coacti fuimus vendere omnia blada quæ erant in grangiis nostris, undequaque religiosis in tanta tribulatione existentibus, maxime usque ad mensem Martii inde sequentis. Quo tempore durante, prædictus rex Henricus obtinuit civitatem Rothomagensem, Vernonem, Rippam Guidonis (*Rocheguion*) Medontam (*Mantes*), et omnem pagum Caletensem.

Postea, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo octavo, Dominica prima Septuagesimæ, prædictus Robertus abbas, qui nunquam fecerat fidelitatem de abbatia, venit Rothomagum, et, ipsa Dominica, præsentavit se prædicto regi Henrico, ei supplicando ut parceret ei de mora sua veniendi ad suam obedientiam, et eam, si placeret, dignaretur recipere; quam dictus rex benigne suscepit.

23 Qua fidelitate facta, et temporalibus suæ ecclesiæ, impeditis propter absentiam, expeditis; venit Beccum in crastino sacrorum Cinerum, susceptus cum magno gaudio a suo conventu, et instalatus in sedibus suis, ut moris est.

Et armigeri, qui tunc ibi erant in munitione, recesserunt, et fuerunt loco eorum in munitione gentes ducis Clarentiæ, in numero minori et minoribus expensis.

Qui prædictus abbas, jura et libertates sui monasterii, pro posse, secundum dispositionem temporis utiliter procurando, strenue rexit dictum monasterium, per spatium duodecim annorum fratres charitative tractando.

Ipse suo tempore acquisivit quoddam hospitium in medio civitatis Rothomagensis situm, vocatum l'*Hôtel des Fontaines*, prope vicum Judæorum, oneratum tamen de quadraginta libris redditus, donec possent reacquitari. Quod hospitium multum profuit tempore guerrarum. Ipse tempore suo, ob causam guerrarum in Nortmannia vigentium, et propter fortericiam multa passus est, totaque domus et maxime quia anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo primo, die decima tertia mensis Julii, ipsa fortericia fraude capta fuit a Francis, medio Molendinarii dicti loci, abbate religiosisque inscientibus, et omnes officinas totius domus obtinuerunt, præter maximam turrim nostræ Dominæ, in qua omnes Anglici se retraxerant in præsidium. Et facto foramine in prædicta turri, emiserunt quosdam de suis, factum notum facere Anglicis qui erant apud Bernaium, Haricuriam, et ubique dispersi.

Et intrantibus Francis, illa die qua Anglici miserunt suos Anglis nuntiare, ut dictum est, circa vesperam in dicta turri per idem foramen, quo Anglici exierunt, fecerunt hinc inde magnam cædem hominum, et fuerunt Anglici de prædicta turri expulsi, et intraverunt ecclesiam sic furore commoti extractis gladiis, occiderunt duos monachos religio-

sissimos, et honestos viros, et alios vulneraverunt, A polluendo sanctam matrem ecclesiam.

Insuper spoliaverunt dicti Anglici monasterium, et omnes officinas, deprædando quidquid invenire potuerunt; omnia ornamenta ecclesiæ, calices, et capsam ubi reconditum erat sacrosanctum corpus Domini super altare, corporalia etiam spoliando, et denudando tumulum dominæ Mathildis imperatricis, qui est in medio chori, nihil de pretiosis relinquendo.

Et eorum malitia crescente ligaverunt et tenuerunt dominum abbatem Robertum tanquam prisonarium, enses super eum levantes, et eum decollare et occidere volentes; et eum sic vinctum, una cum guernetario dicti loci, duxerunt Rothomagum, cunctis fratribus expulsis de dicto monasterio, solis B remanentibus priore cum alio, qui erat justitiarius dicti monasterii. Ipsis sic expulsis, quidam abierunt apud Sanctum Philibertum, alii apud Bellummontem, usque ad festum Omnium Sanctorum, in damnum inæxistimabile ipsius ecclesiæ.

Comes autem Sabbariensis [*al.*, Saresberiensis], qui ibidem advenerat, et secum prædictum abbatem apud Rothomagum adduxerat, posuit eum in arctam custodiam, usquequo tradidisset fidejussores, pro sua fidelitate, quod nunquam ipse nec sui monachi fuissent quovis modo culpabiles de traditione ipsius fortericiæ. Quod ita probatum est, quia traditores illi capti sunt et capite truncati apud Rothomagum qui omnino exoccupaverunt prædictum abbatem, et monachos, et omnes de familia; et eorum confes- C sione audita, tam abbas prædictus quam guernetarius, illa occupatione detenti, fere per quinque menses liberati sunt, et sequenti festo Omnium Sanctorum, Ecclesiam ipsam, quæ polluta fuerat, reconciliata fuit; et eodem die omnes monachi, sic dispersi per prioratus occasione guerrarum, intraverunt ecclesiam Beccensem cum gaudio magno.

Et dedit rex, attento quod tam abbas quam Monachi erant immunes a traditione, litteras patentes, ut temporale detentum restitueretur, et mobilia undequaque possent reperiri: de quibus bonis, maxime in libris et ornamentis, pro majori parte recuperata sunt; et ordinavit prædictus rex, et expresse præcepit, quod ipsa forterícia demoliretur, et destrueretur expensis ecclesiæ; quod ita factum D est; et non solum ipsa fortericia destructa fuit, sed omnes domus circumadjacentes oportuit evelli funditus.

Et post prædictam ipsius ecclesiæ reconciliationem, et ipsius fortericiæ demolitionem, prædictus reverendus Pater Robertus revertitur ad prædictum monasterium, et cœpit reædificare aliquas domos destructas, et procurare res monasterii quæ ablatæ fuerant, et proventus, et redditus dicti monasterii, haris, et libris apud Rothomagum, pro majorit parte stantibus.

Et postquam rexit prædictum monasterium duodecim annis, tribusque mensibus, multis tribulationibus oppressus et angustiis, migravit ab hoc sæculo apud Rothomagum in domo per eum acquisita, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo, et apud Beccum corpus ejus, ut decuit, delatum est, et sepultum infra chorum juxta tumulum domini Willermi prædecessoris et avunculi sui, in sinistra parte. Cujus animæ propitietur Deus. Amen.

EPITAPHIUM.

Hic jacet in loculo venerabilis atque disertus
Abbas, vocabulo cui vallis sicque Robertus.
Is decretorumque fuit doctor, via morum.
Auxiliante Deo fratres concorditer illum
Eliciunt, in eo ponentes mentis asilum.
Unde fuit natus, Becco stans hic inhumatus.
Anno milleno centum quater atque trigeno.
In Maii mense quarto, mortis ruit ense.
Quisque roget Christum quod cœlo collocet istum:
Ac ibi solamen sanctorum sentiat. Amen.

Post obitum autem litteratissimi viri domini Roberti abbatis, venerabilis ac discretus vir, et magnæ religionis Dominus Thomas de Becco dictus Frique, tunc prior claustralis dicti monasterii Beccensis, fratrum unanimi consensu, via Spiritus sancti, fuit ab omnibus electus in pastorem ipsius monasterii, feria quinta infra octavas Pentecostes et die nona mensis Junii. Quæ electio, vigentibus guerris, fuit celebrata apud Rothomagum in domo nostra de la Fontaine, acquisita per suum prædecessorem dominum Robertum, cum nullus auderet super patriam residere, nisi vel in castro, vel in forterícia, et de fratribus qui personaliter non aderant electioni, procurationem super negotio faciebant; et eo electo fuit benedictus in ecclesia Rothomagensi, et in civitate Rothomagensi, guerris sic in patria vigentibus resedit, quia sine magno periculo potuisset in ecclesia Becci residere. Et eo sic apud Rothomagum absente pluries fuit dicta ecclesia Becci deprædata. Et si quis videretur unde commodum potuisset haberi, sive abbas, sive prior, sive clericus, sive mulier, aut quæcunque persona, capiebatur, et suppliciis vexabatur usque ad solutionem redemptionis suæ. Et pluribus incursibus hostium fuit ecclesia cunctis bonis spoliata, et proventus ecclesiæ quasi ad nihilum redacti, cum nullus maneret, aut resideret in possessione sua, nec terras suas coleret, nisi prius habita compositione cum hostibus.

Sed omnipotens Deus, qui in se confidentes juvat et consolatur, dedit tantum animum bono nostro pastori, quod ipse acquisivit ecclesiæ quemdam parvum feodum, vocatum de Bosco, situm in parochia Sancti Taurini, et domum nostram Rothomagensem exoneratam redditis quadraginta libris, quæ debebantur Joanni le Bar, ratione acquisitionis dictæ domus, et apud regem admortisavit, ut docent litteræ super hoc confectæ. Acquisivit etiam a Guillermo le Grand armigero quemdam feodum nobilem apud Sanctæ Mariæ ecclesiam situm. Fecit etiam in domo Rothomagensi reparationes sumptuosas valde, etsi juxta finem dierum reliquerit ecclesiam multis de-

bitis oneratam, Dominus ei indulgere dignetur. Et postquam rexit prædictum monasterium spatio sexdecim annorum et amplius; strenue et religiose se habens ad fratres suos et ad omnes, spiritum Domino reddidit, quinta mensis Julii, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, cunctis suum obitum deplorantibus, sepultusque in choro juxta Dominum Guillelmum de Annularibus, cujus fuerat capellanus. Hujus anima requiescat in pace. Amen.

Nota quod iste Thomas fundi curavit duas campanas in ecclesia Becci, scilicet campanam, quæ dicitur *le timbre*, et campanam secundam, quæ pulsatur in vesperis et matutinis. Et deductis expensis pro se, et servulo suo, et materia, soluti sunt septem franci, ut patet in chartulario per quittanciam. Nota etiam quod anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, Joannes Saudrin pictor apud Rothomagum commorans, recepit a supradicto domino Thoma abbate Beccensi summam nonaginta sex librarum Turonensium, ob causam materiarum, picturarum, et sexdecim magnarum imaginum lapidearum stantium in choro nostræ ecclesiæ Beccensis, ut patet per ejus quictantiam in armaria chartularii de litteris electionum.

EPITAPHIUM.

Iste locus tenuit corpus virtute repletum;
Quem tellus genuit Becci Thomaque Friquesi;
Vitæ claustralis florens sub regula degit,
Subtraxitque malis, sed Christi colla subegit,
Hic prior electus malorum crimina texit.
Abbas effectus digne cœnobia rexit:
Beccensisque Pater vicesimus exstitit ipse,
Octavum frater addas, post occubuisse
Anno milleno, centeno, sicque quaterno,
Quinta Quintilis decies quarto quoque sexto
. . . . *Parcat illi Deus. Amen.*

Nota quod hic debent scribi bene gesta Patris nostri domini Joannis de Mota, abbatis hujus cœnobii vigesimi noni; sed quia tempore suo non fui, nec quidquam scriptum inveni, ideo scientibus dimisi.

25 Defuncto venerabili Patre Domino Joanne de Lota alias de Rothomago, decretorum eximio doctore, qui obiit in domo Becci, apud Rothomagum, corpusque ejus apud Beccum delatum, fratribus cunctis suum obitum lamentantibus, ibidem accepit sepulturam juxta prædecessorem suum fratrem Thomam de Becco.

Cui successit venerabilis pastor et Pater dominus Gauffridus de Hispania, alias Benedicti, tunc prior de Prato juxta Rothomagum. Dum ejus electio fuit canonice celebrata, cunctis fratribus ejus merita considerantibus, in eum per viam sancti Spiritus unanimiter consentiunt, et eum in pastorem assumunt Dominicæ Incarnationis anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo. Qui dum esset prior de Prato, guerris in Northmannia vigentibus, multa passus est, et redditus ecclesiæ Prati

A adeo modici et debiles erant, quod in manu officii domini Rothomagensis consulebatur tradi; quæ omnia patienter toleravit, et cunctos visitantes ecclesiam, quam regebat, ad amorem sui et suæ ecclesiæ incitavit.

Cum autem electus fuit, ecclesiam Beccensem magnis debitis invenit oneratam, et per omnia intus et exterius deturpatam ædificiis ruinosis; quam ad talem statum deducit quod nec debitis nec reparationibus quovis modo possit notari... ecclesiam Becci mirifice per longum et latum, intus et exterius decoravit: pars enim ecclesiæ (quæ navis dicitur) quæ foveis terris inferius et araneis superius villipendebatur, lapideo pavimento et victrinis circa navem necessariis decoravit. Capellam Sanctæ Apol-
B linæ, in qua tres imagines, ordinavit, instituit, et, ut cuncta complectar, nihil vilius navi ecclesiæ, quando depingi fecit; et cruces ecclesiæ instituit, in signum dedicationis, per circuitum intus et foris, tombam suam et sui prædecessoris in choro locavit, In choro dictæ ecclesiæ quatuor pillaria, juxta pulpitum, imaginibus doctorum quatuor Ecclesiæ, munivit, quæ ante vacua fuerant. Libriferum in modum, et formam aquilæ, in medio chori, ad tenendum chorum instituit; formamque Moysi æream, præcepta legalia in manu gerentis, ad Epistolam canendam ordinavit, Magnificumque evangelistarum æreum formam quatuor evangelistarum gerens, juxta altare ad Evangelia per circulum anni cantanda, et
C de eadem materia et ærea, quatuor candelabra sumptuosissima.

Ecclesiam pluribus vestimentis nudatam, et indigentem, multis honorabilibus et sumptuosis confortavit, et multis jocalibus, reliquiis, et maxime ubi requiescit pars capitis sancti Blasii, quæ antea in Anglia in prioratu Conith detinebatur, medio et monitu Patris nostri fuit apud Beccum translata, et in sumptuosissimo reliquario reposita.

Domum infirmorum, quæ infirmaria dicitur, ad fratrum subsidium et egentium solatium, ædificavit, non solum materialiter, sed quod melius et majus est, spiritualiter, quia ipse a summo pontifice impetravit ut cuncti in prædicta domo decedentes
D absolverentur a pœna et culpa, ut in bulla clarius continetur. Et a vicariis in Christo Patris Domini Guillermi Destoutevilla archiepiscopi Rothomagensis et cardinalis tituli Hostiensis, impetravit, ut omnes religiosi, in dicta infirmaria celebrantes, et cujuscumque status, devote missarum solemnia audientes, omnibus diebus Dominicis, nec non et festis solemnibus, triginta dies de injunctis pœnitentiis relaxando, consequi mereantur, ut docet littera super hoc confecta; et litteram invenies in chartulario in titulo archiepiscoporum Rothomagensium. Nec est omittendum lampadium quod est in medio chori juxta candelabrum, quod dedit dominus Richardus le Grand curatus de Bosco Roberti, dudum abbatis servitor obsequiosissimus et familiaris; cuppar

magnificam argentem, et deauratam conventui dedit.

Ipse vero non immemor dicti quod *sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (*II Macch.* XII, 46), et quod animæ defunctorum orationibus viventium, ad pœnarum relaxationem indigent, obitum suum instituit celebrari in quadragesima, die sancti Benedicti abbatis, et servitio assistentibus assignavit decem libras Turonenses, super receptam de Bensevilla, distribuendas per manum sui capellani, quando præsens erit, et si absens fuerit, in ordinatione prioris erit.

In fontibus et conductibus eximie laboravit, et maxime ante cameram abbatis, in horto qui dicitur *la Vigne*; in quo conductum fontium contiguum caveæ, qui ligneus erat, lapideum conformavit, ut intuenti clarescit.

Tres scholares ad studium Parisiense tenuit, et aliquando quatuor, sumptibus magnis, quibusdam in theologia, aliis in decretis studentibus, et eos in gradibus facultatum copiosis sumptibus honoravit, et manu larga, favore scholarium suorum, maxime doctoribus facultatum Parisiensium bona ecclesiæ distribuit. Quare dicti scholares, super omnes studentes, in dicta universitate, in maxima recommendatione habebantur.

Dum obiit nobilis piæque memoriæ dominus Carolus victoriosissimus, qui Anglos de Northmannia expulit, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, et reductionem fecit; duos filios relinquit, scilicet Ludovicum seniorem filium, et Delphinum, qui successit in corona, et alium Carolum ducem de Berry; qui modicum concordes fuerunt usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum sexagesimum quintum. Qui Carolus
26 dux de Berry a fratre suo Ludovico rege ducatum Northmanniæ requirebat, et sibi debitum jure hæreditario et testamento patris sibi relictum, rege contradicente.

Videns prædictus Carolus quod non poterat pacisci cum rege fratre suo, fœdere conjunctus est dominis ducibus Burgundiæ et Britanniæ; qui querelam dicti Caroli manu armata portantes, et deffendentes in regem ducatum Northmanniæ occupandum, insultum fecerunt, et eum usque ad Parisius fugere compulerunt cum toto exercitu suo; ubi ad nobiles Northmanniæ, ut commodius valerent resistere, mandavit, qui adeo pro rege dimicaverunt, quod Burgundi eorum exercitu territi fugerunt.

Postea rex consultus a sapientibus regni sui pro bono regni et regnicolarum, ad lites et guerras sedandas et quietandas; et amicitias inter principes connectendas, consensit ut frater suus Ducatum Northmanniæ possideret, unde fuerat lis et controversia mota inter dictum regem et Carolum fratrem ejus; et per suas patentes litteras confirmavit, juransque nunquam venire in contrarium, sed semper stabile tenere promissum.

Ducibus contentatis, propter hujus promissum et tam magnifice confirmatum, rediit ad terram suam dominus dux Burgundiæ cum suis, remanente domino duce Britanniæ, cum nostro duce Northmanniæ, nondum apud Rothomagum recepto, qui, eum in abbatia Sanctæ Catharinæ juxta Rothomagum duxit. Qui dum exspectaretur a Burgensibus, et generaliter a toto nobili statu Northmanniæ et non veniret, miserunt communi assensu omnium, Joannem *Monsieur*, filium de Haricuria, ut sciret quare ingressus ejus tandiu differebatur; qui verbum habuit cum dicto Carolo duce, et eum nocte cum tedis, et decoro lumine ad Rothomagum adduxit; et ibidem cum magna solemnitate et maximo gaudio susceptus, præsentibus ducatus episcopis, abbatibus, baronibus, et cunctis nobilibus, et annulo aureo manui imposito, in ecclesia nostræ Dominæ Rothomagensis, Northmanniam, cunctis videntibus, desponsavit; et eam ut sponsus sponsam regere et gubernare jurejurando promisit.

Hoc facto, duce Britannorum solo in Northmannia stante cum dicto Carolo, rex Franciæ totum quod fecit revocavit, dicens quod scribitur de desponsalibus, cum locum non habet consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, et quod coactus consensum præbuit, et suis armigeris in signum hujus fecit, et instituit portare super loricas, duas litteras A. et P. quasi diceret *audi partem*. Audiens dictus dux Carolus, quod hujus occasione rex intendebat guerram contra eum iterum movere, et de facto movit, quia voluit ut villæ et castra in dicto ducatu de quibus dictus dux Carolus possessionem acceperat, sibi restituerentur. Quod fuit regi valde ignominiosum, ut promissum suum contra fratrem naturalem violaret.

Considerans dictus dux quod potentiæ ejus, videlicet regis, non valeret resistere, discessit de Northmannia, et Britanniam ivit, suique consules, puta episcopus et patriarcha Bajocensis, episcopus Lexoviensis, et plurimi alii patriam et propria beneficia relinquentes, dictum ducem, supposito et consilio, secuti sunt, et multi nobiles Northmanniæ captivi remanserunt cum rege, et alii ex toto perierunt.

Et ista miserabili guerra durante, dominus noster et Pater venerabilis, sua benignitate, et clementia, nobiles multos in amicitiam Ecclesiæ univit, et post paucos dies tres feodos nobiles, videlicet feodum de Calvomonte, de Feugueroto, et Boullæ, mandato regis de curia, et scacario, Beccensi ecclesiæ tanquam manu mortuæ incorporavit, magnis et largifluis sumptibus, amortisari fecit, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, ut clarius apparet in litteris super hoc confectis et scriptis.

Nota quod amortisatio nihil aliud est quam terram domino tributalem reddere immunem ab illo.

Tabulas in aula quæ dicitur Misericorde fecit renovare et directorium, et similiter in refectorio, quæ prius erant vermibus consumptæ.

Eodem anno multi de hominibus domini Caroli se traxerunt ad villam quæ dicitur le Pont de l'Arche

et ibidem tenuerunt per multos dies : et sic rex, propter hoc motus, quia nolebant villam prædictam suo mandato reddere, in propria venit, et sedem instituit, et disposuerat per assultum capere, nisi intervenisset pactio ; pacto inito, cum suis intravit et durante sede, domos quæ erant circa castrum, et portam quæ duxit ad Locoveris, fecit funditus destrui, et fossata dictæ villæ refortiari.

Eodem anno sexagesimo sexto, die sancti Cosmæ et Damiani, mane adeo die stante nebuloso et turbido, quod vix quis potuisset distantem a se tribus pedibus conspicere, intraverunt Bourbonni per castrum, in dictam civitatem Rothomagensem, capitaneo et civibus inscientibus ; unde fuit magna commotio in populo. Sed tandem medio sapientium stantium in civitate, rex placatus est, et eam in brevi tempore recuperavit, et ibidem in persona stetit per multos dies ; et infortiari castrum prædictum, quodam grosso muro in latere, ex parte tendente versus villam, prope fontem castri.

22 Anno sexagesimo septimo fecit prædictus dominus Gauffridus Benedicti quamdam crucem instituі magnificam in ecclesia Becci, deauratam, ex lapidibus pretiosis undique munitam, et in qua reponuntur spinæ gloriosæ coronæ Redemptoris nostri Jesu Christi.

Et eodem anno fecit incipere quoddam beufredium, in loco, in quo retroactis temporibus fuit, quod fuit igne consumptum, adeo quod per opinionem latiomorum expertorum, oportuit istud renovare usque ad fundamentum, ad campanas ecclesiæ suspendendas, quia grossæ turres nimium erant gravatæ, et commotione campanarum gravabantur.

Ipse motus charitate et devotione augmentavit et crevit pitantiam religiosorum, tam presbyterorum quam juvenum, in termino Paschæ, de viginti solidis presbyteris, et juvenibus de quindecim ; in quo nihil percipiebant antea, in magnum subsidium religiosorum claustralium.

Et suis temporibus convivebat in Ecclesia reverendus et religiosissimus vir homo pacis et dilectionis, dominus Robertus de Rothomago, alias le *Moine*, prior claustralis ecclesiæ Becci ; qui prius fuerat prior in Ecclesiis Ide Confluentio, de Bellosaltu, et de Evvremodio; et postea ad priorem Ecclesiæ Becci per electionem vocatus, qui meritissimus et perdilectus in officio ab omnibus exstitit, et ad domum suam, quæ domus prioris dicitur, sitam supra portam quæ dicitur Roberti Bellot, viriliter laboravit intus et exterius, quantum decoravit (ut intuenti clarescit) picturis, coopertunis et aliis munimentis ad cameram aptis.

Capellam in ecclesia sitam, quæ dicitur capella Beatæ Mariæ Magdalenæ, sibi elegit, et priori assignavit ; tamen antiqua registra Ecclesiæ notant capellam Beati Benedicti fuisse priori assignatam. Quam capellam Beatæ Mariæ Magdalenæ victrinis sumptuosis clausit ; quinque imagines sanctarum

(75) Taliare, *vulgo ;* mettre à la taille.

A virginum, videlicet virginis Mariæ Magdalenæ, Honorinæ, Margaritæ, Catharinæ, super altare dictæ capellæ devote erexit, et tabulam depingi fecit, in qua, ad latera depictæ sunt imagines sanctarum Marthæ et Agnetis.

Scamna circa capellam instituit, cum cophinis ad reponenda ornamenta capellæ ; quæ omnia propriis denariis et sumptibus fecit fieri, videlicet calicem deauratum, pacem valde devotam et argenteam, corporalia, et generaliter omnia quæ in capella videntur, in honorem, et decorem maximum ecclesiæ, et etiam duas parvas copinas argenteas, ad reponendam aquam et vinum, cum missa debet celebrari. Et post in anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, fecit sumptuose depingi et in
B honorem virginum historiari.

Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, tempore currente, quo Dominus Carolus frater regis Ludovici in Britannia erat, venerunt Britones Cadomi, et ad partes circumvicinas, et ut in Northmannia faciliorem aggressum haberent, pro querela sæpedicti Caroli tuenda, et deffendenda, cum duce Alenconii pactum inierunt, et composuerunt, ut Britonibus pro prædicto Carolo querelantibus, villam, et castrum Alenconii redderet ; quod ita factum est, venerunt et tenuerunt cum maxima copia armigerorum suorum.

Rex autem Ludovicus hoc audiens jussit in Northmannia omnes nobiles cum liberis sagittaris [Vulgo, *Francs-arbalétriers*.] proclamari, ad resisten-
C dum prædictis Britonibus qui eundo, et redeundo adeo populum vexaverunt, ut nullus nec pullum, nec aucam, nec aliquid comestibile, pro se et familia sua, potuerunt reservare, viros ecclesiasticos si inveniebant taliabant (75), et si aliquem equitantem invenissent, vel equum in pejorem commutabant, vel omnino detinebant. Et dum ista nefandissima agerentur, prædicto duce Alenconii in Britannia stante, consilium habitum est, ut uxor ejus ad regem pergeret, ut ejus iram moderaret ; quæ postquam locuta est cum eo, suis precibus obtinuit ut inter eos treviæ haberentur, quousque virum suum ducem Alenconii visitasset, et intentionem ejus sciret, quod sic factum est.

D Tempore autem pendente in partibus illis circumquaque ducatum, erant liberi sagittarii, fere quadraginta mille dispersi, et adeo patriam, et maxime circa Senonensem diœcesim deprædaverunt ; quod ob defectum victualium compulsi sunt provinciam dimittere.

Et dum nobilis domina Alenconii consideraret cum filio suo patriæ destructionem, ad regem Franciæ venerunt, et ei villam Alenconii reddiderunt, Britonibus inde excedentibus, et Francis fœdere pacis intrantibus, duce Alenconii semper in Britannia stante ; nec ob hoc cessarunt Britones querelam prædicti domini Caroli portare ; sed longe post occupaverunt villas in partibus inferioribus Northman-

niæ, videlicet villas Cadomi, Bajocensis, Constantiensis, Abricatensis, Francis circumquaque inter eos dispersis, maxime apud Sanctum Laudum (*Saint-Lô*), et abbatiam de Troardo (al., *Troarne*), usque ad annum millesimum sexagesimum octavum, quod rex dictas partes conquestavit.

Et eodem anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, octava Augusti, nobilis domina domina Margareta regina Angliæ, uxor regis Henrici, qui tunc temporis ab Edoardo de la Marche occupante regnum Angliæ, carceribus detinebatur, nec non filia regis Siciliæ, cum filio suo Edoardo domino principe de Galles, venerunt apud Beccum, et ibidem recepti sunt eadem die vesperascente jam die, cum tædis et lumine immenso, et steterunt per quinque dies in hac abbatia, cum honore maximo, et gratiis hinc inde actis, perrexit ad Nostram Dominam de Monteforti, deinde ad Herflotum, ut ascenderent mare.

Eodem anno prior de Bellosaltu, videlicet dominus Joannes de Cambrevier, qui tunc erat subprior et cantor Becci, effecit ut scamna, et sedes sumptuosæ in refectorio, in honorem et maximum decorem loci, fabricarentur ; cujus beneficii gratiam in animam remunerare dignetur Deus.

Anno Domini millesimo quadragentesimo sexagesimo octavo, decima sexta Octobris ; postquam inferiorem Northmanniam regis subjugarunt imperio, querelantes pro rege, Britonibus ad se reversis, considerantibus tanti regis potestati non posse resistere, prælatis patriæ, nobilibusque, totoque populatu super principem, scilicet ducem Britanniæ acclamantibus, patriæque vastationem, populi confusionem, gentium perditionem eidem demonstrantibus, pactum et concordiam tractarunt inter se querelantes.

Redeuntibus armigeris, nobilibus sagittariis, qui ibidem aderant pro rege pugnaturi, patriam istam Northmanniæ totam deprædaverunt, et quidquid ecclesiasticum poterat inveniri, quasi suum proprium reputabant ; in domibus Deo dedicatis, puta abbatiis, domibus sacerdotum, ex omni parte confluebant, statum ecclesiasticum in personas diffamantes, populusque omnis Northmanniæ tantum supplicium toleravit usque ad medium Novembris anni prædicti.

Eodem anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, fecit prædictus dominus Gaufridus voutam continuari et antiquæ conjungi, scilicet ad defensionem itineris quo itur de Becco ad Brioniam, usque ad gardinum Joannis Louvet, ut scilicet iter regium ibidem constitueretur, qui solebat esse in cultura feodi nostri de Feuguereio contiguo dictis conductibus fontium.

Huic venerabili domino Gauffrido abbati successit dominus Joannes Boucart doctor, episcopus Abricatensis, qui tunc temporis erat confessor Ludovici regis Franciæ, qui quidem episcopus fuit electus, sive postulatus, admonitione et præcepto ejusdem regis, in pastorem et abbatem Becci. Ipse fecit consummari et compleri beufredum ; fecit fieri campanam, quæ dicitur horologium, et suspendi in loco in quo nunc stat, in cacumine ejusdem beufredi.

Idem episcopus habuit quemdam vocatum magistrum Joannem le Marchand, vicarium ejus in dicta abbatia ; qui quidem le Marchand erat decanus ecclesiæ Abricatensis, vir magnæ intelligentiæ et sagacitatis, qui habuit regimen et gubernaculum totius Ecclesiæ Becci, sub ipso episcopo.

Ipse episcopus in fine se demisit de abbatia, et reposuit in manu religiosorum. Videlicet se demisit super religiosum virum dominum Joannem de Aptot [*forte*, Hautot.] alias Hauteu, qui pro tunc erat prior claustralis Becci, sed demissio non sortita est suum effectum, quia idem episcopus obiit antequam ipsa demissio esset confirmata a papa. Quare idem prior claustralis perdidit pecuniam suam, quam miserat Romam, ad faciendam confirmationem suam, et ad solvendam vacantem ; quare facta fuit electio.

In qua electione fuit electus dominus Robertus de Rothomago, alias d'Evreux, prior de Bellomonte, vir religiosus et honestæ conversationis, qui successit in abbatia ipsi episcopo Abricatensi. Ipse electus, et benedictus abbas, fecit fieri novam portam in introitu abbatiæ, quæ nunc est juxta portam eleemosynariæ, cum muro lapideo versus dictam eleemosynariam. Fecit operari laudabiliter, et honeste supra antiquam portam ejusdem introitus, cum gradibus ascendentibus ad cameras, quas fecit fieri supra eamdem antiquam portam, et fecit etiam operari in conductu rivuli aquæ ante portam ecclesiæ, cum muro lapideo claudente ipsum conductum a camera prioris usque ad granarium ; cum pluribus aliis beneficiis, quæ ipse fecit intra ecclesiam, et extra. Deinde ipse se demisit de dicta abbatia, super venerabilem religiosum dominum Guillermum de Rothomago, alias Guerin, retenta magna pensione, cum præsentatione beneficiorum. Sed facta ipsa demissione, et confirmata a summo pontifice, ipse dominus Robertus d'Evreux non diu duravit ; quare ipse dominus Guillermus Guerin, qui antea erat prior de Sancto Philiberto, et capellanus dicti d'Evreux, fuit omnino pacificus abbas ipsius monasterii de Becco.

ADDITIO AD CHRONICON BECCENSE,

29 *Ex historia ejusdem abbatiæ, auctore Francisco Carreo Beccensi cœnobita.*

Guillermus postea abbatum successu trigesimus tertius, Rothomagi sacratus, apparatu solemniore in sedem admittitur. In qua divinæ legis promptuarium sedulus evolvens, inter cæteros velut sidus clarissimum irradiat. Cujus sedis mense secundo Joannes Aptotius prior claustralis, qui spe sedis adipiscendæ in templi decorem casulam, tunicam, dalmaticam auro purissimo Rothomagi confecerat, moritur Becci, in capitulo conditur.

Robertus vero qui Garino cesserat, peractis in sede septem annis, in bona senectute sub ærea tumba celebri funere in Beccensi choro quiescit. Priscorum pietatis æmulator Guillelmus, majoris aræ faciem tabula aurata variis passi Christi historiis divite, atque argenteam capsam, in qua sanctorum plurium habentur reliquiæ, decorat; columnas quatuor angelicas, ad quatuor ejusdem aræ angulos, mira admodum sculptura decoratas, ære Cyprio conflatas, affigit. Auream ad hæc capsulam trium auri marcharum ponderis ingenioso artificio mirabilem sparsis gemmis famosam, qua in sancta solemnitate sacrum domini nostri Jesu Christi corpus, cum immenso fidei fructu circumfertur, templo devotus offert. Sex pateras argenteas conventui donat. Argenteam quindecim marcharum lampadem subtili fabrorum opere superbam, in medio Virginis matris sacello ferrea catena suspensam donat. Varia aut erecta, aut reparata ædificia non est quod commemorem, quam frequentius affixa ejusdem insignia passim Garinum vixisse testentur. Carolus autem post Neapolitanam expeditionem infirmitate subita nullo relicto libero Ambasiæ moritur, Ludovico duodecimo Aurelio successore, ad Dionysianam sepultus. Joannes postea Morcenchius Becci archiprioratum gerens, tibiali exsiccato vulnere, in capitulo conditur. Cui Jacobus Faber, prior S. Petri ad Pontisaram fratrum electione, assentiente Carino, succedit, brevi quartana sublatus. In cujus locum Petrus Baleolus constituitur.

Qua ætate succedunt hyemes duæ rigore insolito nivibusque horridiores. Ineunte postea vere, amnes in plana diffusi segetes, pecora domosque subinde suffocant ; quam temporis injuriam subsequitur pestis inguinaria, agrum Beccensem (salvo Virginea interventione cœnobio), misere depopulans. Annosus interea Guillelmus incertam rerum seriem providens Joanni Ribaldo ex sorore nepoti, jus omne cedere tentat. Verum obstat Ludovicus, Joannem Aurelium Tolosanum archipræsulem eidem Garino succedere volens. Anna ad hæc defuncta, quam e Britannico genere Ludovicus thoro priore duxerat uxorem, Mariam Henrici Anglorum regis filiam, nondum vigenariam, cum pacis legibus, posteriore thoro sibi tam seni copulat. Moxque vita functus, cum Anna connubii uxoris [*f.*, *uxore*] prioris in Dionysiana jacet, nullis ex se liberis maribus relictis. Unde Francisco Valesio Angolismorum duci jus obtigit regium, qui Claudiæ Ludovici filiæ priori nupserat. Primus itaque hujus nominis regnat quinquagesimus septimus; sub quo Garinea resignatione a Leone X expedita, Joannes Ribaldus trigesimus quartus, lubens cathedram ascendit. Rothomagi a Tussano archipræsule consecratus. Statim Garinus, vir optimus, morbo apopletico exstinctus, caliginosam Beccensibus eclipsim, annis longioribus ferendam, relinquit ; cujus pios cineres in medio choro lugubri pompa collocant, pridie Nonas Aprilis Qua die annua supplicatione revocatur ejus obitus memoria. Sicque Ribaldo pastore speciosa templi porticus, quam vivens Garinus erigendam conduxerat, ingeniose perficitur. Verum moribus hic junior quam ut præsens expostularet negotium, per Adrianum cardinalem Brysium Constantianum antistitem, nescio quo jure, exturbatus, creata pensione, cathedram cedit. Tamen, quantum conjectura licet augurari, et ut rumor apud nos percrebuisse potuit, archiprior Balleolus, vel quia hujus felicibus auspiciis invidebat, vel quia eum monasterio perniciosum metuebat, litteris Franciscum regem monet. Nec diu pausat res. Adrianus, apostolico munere a Francisco in commendam admissus, præmissis Beccum satellitibus, bonam fratrum partem in prioratus expellit (non enim deerant qui Ribaldi partes tutarentur) alios intus vinculis fatigans. Interea Rothomagum natale solum repetens Ribaldus cum magna auri, argenti, tapetum, vasorumque cælatorum suppellectile, noctu sublata (nec a vasibus quidem sacris abstinens) discedit. Atque id saniore quidem consilio factum, regium furorem si cum tali viro contenderet sibi conflare veritus; se præterea sciens suis cum cœnobitis odiosum, ut pote qui moribus junior, tanti conflictus causam præbuisset. Inde Vallimontis cœnobii in Caletano regimen adeptus locum ipsum Beccensibus spoliis, renovato ædificio, reddit insignem. Novum inibi arctumque **30** magis vivendi rigorem introducere tentans, suis id ægre ferentibus, in Rothomagensi parlamento frustra litigat

Adrianus vero post biennium Beccum deserens, affixa claustro virginis Mariæ Christum lactantis imagine, Fiscani sedet. Succedit Becci Joannes Dunesius, Aureliensis cardinalis, cujus supra meminimus, vir mansuetus, ac suapte natura, in ecclesiasticis gerendis dexterrimus, abbatum ordine tri-

gesimus sextus, templum Beccense ornamentis decorans. Anno cujus sexto divi patriarchæ Benedicti præscriptum institutum, sex coævis junioribus comitatus, auspice Christo professus sum. Quod mihi Christus virginis matris precibus salutare vertat. Post decimum quartum hujus purpurati abbatis annum, a Clemente VII ad Nicenam conventionem vocatus, apud Italos grandi omnium luctu, ætate adhuc florente, moritur, Joanne Venatore cardinali presbytero, Lexoviorum antistite, trigesimo septimo abbate successore.

Hic multa rerum experientia prudens, Carolo primum octavo charus, Ludovico deinde successori conjunctissimus, postea Francisco principi primo a consiliis et eleemosynis familiaris astat. Francisco quippe Northmanniam visitante, Beccum ingreditur, ubi Joannes Venator regia conventione in cathedram abbatialem a fratribus introducitur. Ibique Georgianum festum regio decore Franciscus celebrat. Unde post hebdomadas quinque ad Vatevillam movens, Alienorem conjugem Caroli V, Romanorum imperatoris sororem, Becci valetudinariam relinquit. Sequente biennio die qua reliquiarum Beccensium celebris agitur memoria, nocte jam profunda, lampadem illam quindecim marcharum argenti speciosam, quam Garrinus ferrea catena in sacello Virginis matris suspenderat, ambasque lances argenteas choro pensiles, noctu fures audaci sacrilegio deprædantur. Quorum auctores Rothomagi rotæ supplicio dignam mercedem recipiunt. Dum Magdalena Francisci filia, Jacobo Scotorum regi connubio jungitur, Hedinum ad Theroennam castrum idem Franciscus armis recipit, statimque pactis ad decennium cum Carolo Augusto induciis, per mediam Galliam Carolus ad Flandriæ Gandavos, Francicam liberalitatem expertus pervenit. Mox Franciscus, mense Julio, Northmanniam repetens, fontium in claustro Beccensi fluentium tempestiva commoditate allicitur, adeo ut illic cœnam mox sibi parari jubeat, regina Alienore in æde capitulari, e regione, ad Herluini sepulcrum epulante. Regiis interea florentibus gestis, Joannes septuagenarius in Marolea expeditione ad Merlam febre moritur; Jacobi Annibaldi successoris diligentia Beccum delatus. Ubi tres hebdomadas quotidianis precibus ac vigiliis frequentatus, in Virginis matris æde pausat. Cor ejus theca plumbea in choro ad aram majorem conditur. Corpus Lexoviis in æde apostolica incredibili sumptu, coepiscopis appositum, quiescit.

Hujus bonas ecclesiastici muneris partes, cum Beccensi cœnobio Annibaldus idem Claudii Franciæ admiralis frater regio favore obtinet, dum Franciscus Henrici Francorum Delphini primogenitus nascitur. Jacobus Annibaldus tria ecclesiastici muneris insignia ab episcopis Hipponensi, Aniano atque Castoriensi, Romani pontificis permissu, Becci suscipit.

Quinto Nonas Maii sacerdos effectus, episcopus consecratus. Atque a legatis Pauli tertii purpuratum A habet amictum. Tres monachi, eo die cum laicis septem ab Hypponensi episcopo Becci tonsi sunt.

Anno sequenti Henricus septimo Kalendas Augusti Remis sacratur. Interea Galliæ cardinalibus ad Paulum tertium Romam pergentibus, Jacobus Annibaldus sub Beccensium reparationum prætextu, sparso callide regii consensus rumore, bonam Silvæ Beccensis (quam vulgus Parcum dicit) partem ad librarum viginti quinque millia, publicis exponit emptoribus, quasi vero annui ejusdem rationis proventus uni pastori non sufficiant; constat autem hujusmodi lucus quadringentis quinquaginta jugeribus lapideo muro cum ipso cœnobio cinctus.

Augusto sequente, vir celebris memoriæ Georgius Ambasianus Rothomagensis antistes, in castro B Vigniano Carolo Borbonio successore, moritur Rothomagi in æde Virginea, XVII Kalendas Octobris, divite mausoleo conditus. Quod quidam cum illa excelsa pyramide, quam vivens in medio templo construxit, inter mundi mirabilia facile numerares. Kalendis vero ejusdem Octobris Henricus Rothomagi, cum incredibili, tum sumptu, tum patriæ lætitia excipitur, ubi quodammodo prodiga civium liberalitas non suas facultates, sed egregia sui principis merita clementiamque metiri delectatur. Hujus memorabilis sumptus ac lætitiæ non vulgaris, pulchre eleganterque meminit quidam Chappius superbas novem et viginti tabulas recenti volumine viva effigie repræsentans. Idibus ad hæc Januariis, noctem sub mediam assistentibus choro fratribus ad nocturnas vigilias, C accedunt cum terræ motibus crebra fulgura, ingentia ventorum flabra, inter quæ nec frequens aerius fragor, vel auræ, certissima discerni queat. Erat ad inferioris templi pyramides ambas, cocleos gradus opperiens, turricula binis columnis per angulos sex levata, lapideo tabulatu ad summum cuspidis, nutu potius divino quam humanis artibus perducta, quæ hac eadem intemperie corruens, magnam templo ruinam suo casu attulit. Atque (ut fere sunt fortunæ ludibria, quæ periculo socium addit periculum) Haymonis Courserii Beccensis monachi, qui Annibaldo, a conciliis, et vicibus aderat, suggestu; duo summæ turris crepitacula majora, solo 31 dirupta, publice frustratim væneunt. Sicque rem D pretiosam magni comparatam, sacris usibus dedicatam, veluti quadam Antiochi audacia, cum probro privato etiam patriæ contrahens dedecus, profanare non erubescit, modicunque inde quæstum sitiens, pudore neglecto, maximum tum sibi, tum suis (quorum id gratia fiebat) mustam infamiæ notam contempsit, opus quidem aulico monacho dignus. Claudius posthæc Annibaldus vir ex equestri ordine clarissimus, ac Franciæ admiralis, Jacobi Beccensis commendatarii frater, cum apud Ferram oppidum cum suis ageret, solaque sui fama ferocem Ruthi exercitum eluderet, acriori febre actus, sanctis monitis unico filio relictis, decimo sexto Kalendas Februarii, inter sacra constanter moritur. Ad Annabaldem ædem, quæ Appevilla dicebatur,

ingenti sumptu regio funere sepultus. Regem vero Beccensem novus aries novo pulsat ictu. Agrumque Planeseum (cujus feodi nobile caput cum ingenti privilegiorum gloria supra Appevillam situm est) sex fere millia a Becco distantem, marchio Annibaldus Hwaldeus Jacobi Beccensis commendatarii ex Claudio fratre nepos, Jacobo quodam Perdrierio (cui rei tractandæ creditum fuerat negotium) in capitulo Beccensi rogante, postulat; oblata in pensum Guargueslala Aloconensi. Idque fortasse tentat speratius propter præsentem patruum favorem, vigetque diligentius vicina commoditas ad rei familiaris congeriem. Tres interim ex nostris nominantur, qui solum tum rogatum tum oblatum diligenter examinent, quorum relatu res ipsa tractanda sit. Exstruitur interea apud Appevillam castri Annibaldei moles, cujus fines dominiumque extendere illius planeseæ domus turriumque advectione marchionis spes obfirmatur. Forsan vero fecissent satis Beccenses, si rerum æqualitas atque conditio postulasset, si jura clausulis pertinacissimis non obstitissent (*causa* 12, quæst. 2, cap. 37, et 52 56). Infectis itaque nepotis rebus, patrui purpurati animus in tres delegatos monachos, dissimulato prudenter stomacho, fervet; officiisque privatos, secundi prioris scilicet, cantoris atque sacristæ in exteras remotioresque cellas exturbat. Quorum ego ordine secundus abjectior, sed tale nobis exsilium pro Ecclesia suave. Accidit tum in majori Lexoviorum ecclesia ambarum in foribus templi turrium alteram ingenti fragore ruentem, bonam facit molis partem destruere: cujus antistitium gerebat præfatus Jacobus Annibaldus.

Idus vero sequentis Junii septimo, Jacobus cardinalis Annibaldus, anno sessionis Beccensis decimo quinto, Rothomagi sub tecto Beccano moritur, in Appevillea fratri Claudio adpositus.

Cui succedit Ludovicus Lotharingus cardinalis Guisianus (de quo paulo antea loquebamur) in rebus bellicis sub invictissimo sidere natus.

Augusto postea mense dum in capitulo Beccensi archiepiscopi Rothomagensis visitandi partes ageret D. Parrisius antistes, exiguo tunc monachorum numero pro tempore consulens, de rigore claustrali aliquid gratiose laxat, quo juniores ad ipsa litterarum rudimenta promoverent commodius. Permittitur itaque apertis libris in choro canere, quod ante magna temporis jactura memoriter fiebat. Inter violentas monasteriorum deprædationes, esset quod miserum Beccense loqueretur: unde exturbato venerandorum Patrum cœtu, dum per Northmanniam grassatur admiralis Gallus, obmutescit divini cultus exercitium, occisis inter immaturam fugam duobus monachis, Gabriele Botteo, et Jacobo Nocyo.

« Duo postremi abbates fuere CLAUDIUS LOTHARINGUS eques Aumalius, qui violenta morte obiit S. Dionysii in Francia, die tertio Januarii, ann. 1591. »

« DOMINICUS DE VIQ archiepiscopus Aucensis. »

---

32 PRÆFATIO AD VITAM SANCTI HERLUINI (76).

Consuetudo fuit apud veteres majorum suorum imagines erigere, et præclara eorum facta memoriæ scribendo commendare ad informationem posterorum, ad exemplum scilicet virtutis et incitamentum probitatis. Quod ob id utique actitare curabant ut qui aliam ignorabant vitam, hoc modo sibi et iis quos scribere suscipiebant, præsentem quam maxime memoriam efficerent longam, laudemque, ut putabant, mererentur perennem. Econtra ecclesiastici scriptores, passiones et vitas sanctorum, qui planum iter justitiæ sequentibus laboribus suis reliquerunt, et Deum in vita et in morte sua glorificaverunt, eadem quidem via, sed non eadem intentione scribere studuerunt. Nam perinde succedentibus decedentium Patrum vitas, et mores intimare voluerunt: non ad captandum vulgi favorem, sed ut agnoscentes religiosas eorum conversationes, ad gloriam Dei laudibus attollerent, et sibi exemplar propositum bene vivendi, actibus prosequerentur, ut æternam promererentur remunerationem. Unde quidam sapiens hortatur dicens: *Laudemus viros religiosos et parentes nostros in generatione sua* (*Eccli* XLIV, 1); atque Apostolus: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (*Hebr*. XIII, 9, 7). Ad hoc enim scribuntur vel leguntur strenui actus et miræ virtutes sanctorum, ut in his laudetur Deus, de cujus gratia sunt, et minores vestigia majorum quæ sequi debeant aspicientes, sine offensione passibus boni operis currant viam salutis ad gloriam et ad bravium supernæ vocationis Dei. Hoc fecerunt antiqui, hoc faciunt adhuc istius tempestatis multi, nolentes præterire tacendos quos alicujus momenti fuisse putarunt. Inter quos Beccenses primos ipsius loci structores, et erectores, quia Deo noti, et hominibus chari fuerunt, ut rebus ipsis claruit, mandando litteris, post se venturis eorum piam reliquerunt memoriam, hoc est beati Patris Herluini, nobilis quoque Wilelmi, atque sapientissimi Bosonis; sancti vero Anselimi Vitam (qui secundus abbas exstitit ipsius loci) quidam Canturiensis edidit, qui ei adhæsit, et usque ad mortem in archiepiscopatu deservivit, quo, Deo volente, translatus fuit; et quidquid de eo videre vel audire potuit, scriptum reliquit.

(76) Hujusce præfationis auctor (ut puto) Millo Crispinus.

VITA SANCTI HERLUINI

PRIMI PASTORIS ET FUNDATORIS BECCENSIS COENOBII.

Auctore Gilberto Crispino abbate Westmonasteriensi.

Quoniam in re militari quæ quis memoratu digna legit, scripto eduntur ad posteritatis exhortationem et laudibus attolluntur, prout ingenium scriptoris et facundia præstat, silentio supersederi non debet, ad divinæ virtutis gloriam et magnæ in Deum fidei formam, quæ in satellitio Christi nostra memoria præclare egit abbas venerabilis Herluinus Beccensis, cujus virtutis hoc ad quemdam titulum perscribatur, quia mundum jucundissime sibi, et ad votum arridentem, ea ætate penitus recusavit qua vehementius alii se ingerunt recusanti, et in qua patria tunc incolumem armis militem abrogatis, monachum fieri portentum habebatur.

A Danis qui Northmanniam primi obtinuere pater ejus originem duxit; mater proximam ducum Flandriæ consanguinitatem attigit. Ansgotus ille, ista Heloys nomen habebat. Gislebertus Brionensis comes primi Richardi Nothmanniæ ducis nepos ex filio consule Godefrido, illum enutritum penes se inter omnes curiæ suæ primates habuit acceptissime: habilis hic ad arma plurimum erat, nec minori ea animositate gestabat. Omnes omnium totius Northmanniæ majorum familiæ in electis illum habebant, in armis omnique rei militaris usu, et cultu corporis sui attollebant. Ab inhonestis avertebat animum, honestis quæ curiæ magni faciunt impendebat omne studium, domi ac militiæ commilitonum suorum præstantissimus erat; quibus de rebus non solum singularem domini sui obtinuerat favorem, verum et apud Robertum totius patriæ
33 ducem, et apud exterarum dominos regionum pepererat sibi nomen plurimum, accessumque familiarem. Alia, quæ ad captandum nomen in sæculo plurima fecit, omittamus; hoc ad fortitudinem illius animi ac fidei constantiam et in armis confidentiam non sileamus. Indigne passus aliquando factam sibi a Domino injuriam famulatus sui commodum ei subtrahendo, contulit se, eo inviso, longe aliorsum. Eo itaque sub tempore comes ipse Gislebertus quorumdam potentissimorum Northmaniæ lacessitus injuriis, multam militum manum contraxit, injurias suas effere volens ultum iri, homo ferocis animi, magni potentatus, nominisque supremi avidus, utpote ducum tantorum propinquus, ad potentiæ suæ ostentatum per nuntios eis non prope diem belli, sed per plures ante dies id se facturum, et quando transmisit. Ita condicto tempore bellum utrinque apparatur, quod exsequi non posset sine multa partium utrarumque strage, nec amplius evitari salva eorum dignitate. Quod vir

A animosus, quem scribendum accepimus, ubi compertum habuit, illico injuriarum oblitus, viginti secum delectos milites assumens pergit ad diem certaminis, minime cum Domino, verum seorsum procul ab agmine illo; etenim suæ suorumque salutis objectu fidei suæ, sponsionem asserebat, mortis periculo appetebat, nullius emolumenti ab illo vicem exquirens. Dictum satis est, et hic lucide agnosci potest quis fuerit; non desertores pugnæ, quos in aliorum perniciem metus absolvit, si quos in dominorum necem et patriæ excidium, cupiditas inducit, hoc exemplo alloquimur, nec tam militaris gloriæ obtentu quam servandæ causa fidei proferimus. Dux per excelsi montis latus agmen cum deduceret, videt a tergo viginti armatos eminus in
B plano subsequi, ac hostile aliquid verens imperat confestim qui essent scitum ire. Accedunt, suos et causam agnoscunt, approbant plurimum magnanimitatem, ac duci renuntiant. Admiratus pro injuriis tanti sibi servitii vicem restitui, illico remittit accessum, cum ampliori gratia reddens omnia, quæ sua fuerunt. Bellum quod instabat crastinæ lucis sub exortu, nuntii prædicti provinciæ ducis Roberti, noctu ante venientes, dirimunt; jus fidemque sacram obtestati ut ab armis discedant, et judicium belli, curiæ suæ exspectent definitioni. Itaque pars utraque, ac neutra superior altera discessit ab armorum excisione, divina sibi providentia lignum illud ad omne opus bonum utile conserva-
C bat. Nolebat summus Artifex violentia sæcularis auræ jam plus illud distorqueri, aut infructuosis affectationibus exhumectari.

Vitæ hujus jocundissimo statu annos ille jam excesserat triginta septem, cum tandem divino metu succendi amore mens illius cœpit et ab amore mundi tepescere, sensimque in dies frigescere, ab exterioribus oculum cordis convertens ad se ipsum; ibat frequentius ad ecclesiam, orabat devote, ac sæpe prorumpebat in lacrymas, ludicra re omni omissa: jam minus frequens erat in curia, quia hoc solo retinebatur, quod prædia sua Deo secum lucrari satagebat; quod et obtinuit extorquens ea sibi a domino suo multa instantia servitii. Sæpe sub diem pernoctabat orans in ecclesiis, et mane
D primus in curia coram aderat, ad mensam Domini, quia inter sodales parcimoniam exercere volebat, multisque adinveniebat impedimentis absens. Sæpe totum jejuniis transigebat diem, in armis, in cultu corporis, non idem studium quod prius, satis indicabat altercationem animi illius, quam adhuc se-

ria dissimulatione celabat. Angebatur mens, et in plura cogitationum deliberatione distrahebatur; militiæ ac cæteræ sæcularis rei usum relinquere summa erat voti, Verum quo se conferret, quod vivendi genus assumeret, ignorabat. Rarus in Nortmania tunc recti tramitis index, aut pervius erat, sacerdotes ac summi pontifices liberi conjugati, et arma portantes, ut laici erant, veterum ritu Danorum universi, adhuc vivebant, sed, sicut *spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* III, 8), ita quem aspirat unctio *ejus docet de omnibus* (*I Joan.* II, 27). Abrenuntians ergo militiæ, vili tegumento indutus, barba et crine intonsus, inter aulicos ea quidem diu, qua diximus, intentione servivit exiturus ab Ægypto verus ille Hebræus, ea videlicet transiliens quæ transeunt, ac omni conamine se extendens in ea quæ externa existunt, ab eis qui remanebant mutuatum in opus Dei asportare conabatur quid pretiosum poterat, jam domini sui lætus assidens ad mensam, inter multimodas epulas, et comessantes, pane asperiori vescebatur et aqua; ridebatur ab universis, amentiæ quidquid agebat reputabatur; minis, promissis, injuriis, officiis dominus et universi satellites nil poterant a proposito suo eum avertere conantes; mittebatur homo olim universis acceptissimus sæpe numero ad curias, sedens asinum, mœror ac risus diversis quo adveniebat, servitiorum quidem gratiositate, quia metuebat sæculo irretiri, nec equitare jam volebat asinando serviens domino, sine cujus permissu discedere nolebat. Et quia pro Deo abjectus esse nequaquam erubuit, nec Deus illum erubescens, super terram quoque amplissimam illi restituit vicem.

Comes Gislebertus de cujusdam compatriotæ sui damno agens, quod in illius vergebat perniciem, ad principem Nothmaniæ Robertum, cujus quidquid super hoc agebatur intererat, prædicto viro hac de re imposuit allegationem; at vir pacis ferre damnosa alicui machinamenta penitus recusavit. Perstat dominus in sententia hortans et comminans, ut homo sibi intimus verbum consilii sui ad dominum suum perferendo, referat. Agitur ut jam ostendat miles ad utrum libet positus, cui servire superno, an terreno domino malit. Sed mox ut superni causa Domini exegit, illico iste funem, quo sub terreni servitio domini retinebatur, abrupit. Abdicata omnino legatione discedit a curia. Quin tamen iret comes Gislebertus nullomodo discredens post **34** paucos dies curiam ivit, rescire volens quid dux responderet; verum ut cognovit ad eum non fuisse perlatum, efferatus in illum cui imposuerat, mandat abduci quidquid habebant ille et sui. Continuo abripiuntur omnia sua, nec curat; vastantur quoque pauperes sui, unde non parva sollicitatur cura; pauperum ergo transmissus questu et lacrymis, post parva dierum intervalla rediit ad dominum, nullamque sui curam gerens egit suppliciter causam innoxiorum; accersitur negotium totius curiæ, acerrime in causam deducitur. Intenduntur crimina quæ humili, et sufficienti ratione cuncta purgando removebat, qui in eo judici respondebat Spiritus Dei, tacitis unde judex potius erat infestus, alia quædam admissa intendebat, sciens iste quid lateret in fundo: « quæ mea sunt, inquit, hinc accepta universa distrahantur, dum pauperibus, qui vestram nullo crimine iram meruerunt, sua restituantur. » Motus ad pietatem dominus, quem mundanæ celsitudinis fastus plurimum obtinebat, adducto in partem viro perquisivit animi tantam commutationem, et finem consilii: Cui paucis ille verbis cum multis lacrymis respondit: « Sæculum amando, et tibi obsequendo, nimium Deum, ac me ipsum hactenus neglexi: quæ corporis erant cultui omnino intentus, nullam animæ meæ eruditionem accepi; quapropter precor si quid unquam bene merui a te, liceat vitæ quod superest in monasterio transigi. Salvo circa me amore tuo, et da mecum Deo quæ habui. » Habitæ diu deliberationi finis iste consedit; corde in lacrymis concitato sustinere nequit ille ulterius loquentem, abripit se in cameram. Pietas humana in eo multa erat circa illum militem suum, multa et illi circa Dominum. Ac vix ab eo missionem requirere valebat, sed prævalebat fortis ut mors dilectio (*Cant.* VIII, 6). Tandem gratissimo clienti expetitam concedit, tam sui quam suorum omnium facultatem, quem eatenus ut bene obsequentem sibi amaverat, jam cœpit amare ut dominum, ac libens obsequebatur illi plures dies, multo cum honore detentum apud se debita honorificentia remisit, ditioni illius, ac servitio tradens quidquid paterni juris babebant fratres sui, qui eadem dignitate geniti pares exstiterant sibi, quia dignior, et vera nobilitate generosior germanis efficiebatur, jure ab eis illi subjici, nec indignum aut injuriosum æstimabatur.

Protinus in villa quæ dicitur Burnevilla, exstruendum servitio Dei opus arripuit non parvum, brevi peractum; ipse non solum operi præsidebat, sed opus ipsum efficiebat, terram fodiens, fossam efferens, lapides, sabulum, calcemque humeris comportans, ac ea in parietem ipsemet componens; quibus alii horis haberant, ipse congerebat quæ ad opus exigebantur, excludens otium ab omni parte diei. Quanto vanitate tumida olim delicatior, tanto vera humilitate nunc ad omnem laboris tolerantiam propter Deum patientior. Cibum præter quibus non licet diebus, semel accipiebat, nec exquisitum, et parce satis, expleto cum die opere suo. Et quia interdiu nequibat, ediscendo psalterio noctem pene totam impendebat. His exercitiis multa jucunditate exercebatur novus tiro Christi.

Prima litterarum elementa didicit, cum jam existeret annorum prope quadraginta, et divina opitulante gratia eo usque processit, ut etiam ipsis apprime eruditis grammatica, in exponendis ac intelligendis divinarum Scripturarum sententiis, merito haberetur admirabilis; quod, ut solius divinæ gratia efficientiæ actum credatur, nocturnis tantum

horis huic studio vacabat, quia propter lectionem nunquam diurni operis intermisit exsecutionem. Non solum in cythara confiteri Domino, verum et in psalterio decem chordarum (*Psal.* XXXII, 2) psallere gestiebat, congrua temporum distributione, nunc attentus bonæ actioni, nunc intentus lectioni atque orationi.

Nova rursus molimina contra eum hostis antiquus invenit, quod summum in humana vita ille excogitaverat, monasterialis videlicet ordinis fastigium, pene dissuasit his occasionibus. Cœnobium quoddam adiit gratia inquirendi de vita monachorum; habita oratione, accessit omni cum reverentia, multo cum timore ad ostium claustri, velut ad ostium paradisi, desiderantissimus scire qui monachorum habitus, qui mores, quæ in claustro sedendi sit religio. Vidit, longe ab ea quam cœnobialis ordo exposcit, gravitate morum omnes haberi; turbatus est jam ac omnino incertus quod vivendi genus approbaret. Ad hæc qui monasterii custos erat, ut illum sic introrsus accedentem conspexit, furem suspicatus immisso, quanta vi potuit, collo illius pugno, per capillos foris usque ad ostium extrusit. At vir patientissimus pro illata sibi injuria nullum monacho laicus verbum impatientiæ respondit. Talibus quidem accedere plurimum extimuit, sed palmes propagatus ab ea, quæ Vitis vera existit, nullo adversitatum æstu arescere potest, alte radicatus in illius charitate quæ *omnia suffert* (*I Cor.* XIII, 7).

Hoc de illo referens ædificationis solatium, aliud ea de re proximo natali Dominico adiit majoris nominis cœnobium, festiva processione cum fratres in die solemnitatis exissent, vidit indecenti benevolentia monachos passim arridere laicis, aggaudere in paratioribus ornamentis ostendendo ea aliis, ad introitum contentioso tumultu anticipare aditum. Ad hæc insistentem sibi nimium fratrem quidam monachus monachum pugno repercussum avertit, ac impulsum supinis dentibus demisit ad solum; adhuc enim, ut dictum est, omnes omnium per Northmaniam mores barbari erant. Hac rerum insolentia ne bonum damnaret incœptum, tantam actuum levitatem, tantam improbitatem morum contuens in illis ad quorum **35** normam vitam suam corrigere nolebat, Dei manus effecit subveniens labanti. Sequenti nocte, expleto matutinorum officio, diu ante lucem aliis emissis oraturus ipse remansit occultatus in quodam angulo oratorii: mox quidam monachus eo non viso prope constitit ad orandum, qui nunc toto corpore prostratus, nunc tantum genibus flexis, cum lacrymis orans usque ad mane clarum perstitit. Ejus igitur exemplo omnino redintegratus est.

Referimus miracula, sed eis, unde vulgus fert sententiam, multum pauciora, quanquam non defuerunt et ipsa. Quid enim gloriosius, quod victus ab eo ubique hostis, Deo vincente, succubuit? Robur constantiæ illius, duris hactenus adversitatum ictibus

A perfringere conabatur, sed [*al.*, nunc] conamen ejus omne frustrabatur, hunc malis pravorum exemplis suffodere molitur. Verum ut in Canticis canticorum legimus: *Uniuscujusque viri ensis super femur suum propter timores nocturnos* (*Cant.* III, 8), seu diurna oppugnatione seu nocturna subdole, rationis alicujus suggestione accedat, invenit eum excubantem in propugnaculis, gerit in manu gladium, qui universas hostis compages ac medullas exsequitur, dignocens ac exterminans quæque ab illo cogitationes atque intentiones suggeruntur; ad excipiendos ictus, longanimitatis, et patientiæ forti clypeo munitur; positus infra divinæ custodiæ murum ad omnia illius molimina, a vigilis sui commonitione sollicitatur, qui *non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel* (*Psal.*
B CXX, 4). Igitur non exploratis ad votum quæ volebat castrorum Domini, redit firmaturus suum quod contra spirituales incursus extruebat: avulsit illico paternas domos, unde servorum Dei habitacula construxit.

Sacrata vero quam construxit ecclesia ab episcopo Lexovii, nomine Herberto comam totundit, ac sæcularem habitum deponens ab eodem pontifice sacræ habitum religionis accepit, miles Christi per tot pericula fortis ante expertus; ejusdem ordinis cum eo jugum subierunt duo sui. Postmodum a præfato præsule sacerdos consecratus, pluribus ducatui illius jam adscitis fratribus abbas præficitur; tuto imitandus aliis præponitur, qui per annos tres improperium vitæ spiritualis patientissime tulit coram sæcularibus alienatus spectaculis, quibus innutritus
C quotidie alios videbat oblectari; rigorem abstinentiæ non relaxans inter affluentissimas dominorum mensas, omni denique abjectioni corpus suum subjiciens in curia. Quos ergo regendos acceperat arctissime, vel more Patrum piorum [*al.*, priorum] regebat. Videres, peracto in ecclesia officio, abbatem collo sementem, manu rastrum vel sarculum gestantem, ad agriculturam præire monachos omnes, ruris operi sub diei terminum insistere, sentibus et spinis alii agrum emundabant, alii fimum scapulis comportantes spargebant, hi sarriebant, illi ferebant, nemo panem assumebat in otio, ad horam agendi officii in ecclesia omnes ad unamquamque horam conveniebant. Victus quotidianus panis siligineus, et herbæ cum sale et aqua: aqua non nisi lutulena, quia fons
D nusquam præter ad duo milliaria habebatur. Cœleste, aiebant, beneficium cum panis melior, et caseus, vel aliquid aliud edulium undecunque habebatur. Exemplum magistri, et conatus, omnem murmurandi excludebat aditum. Abbas prior ad opus, ab opere discedebat ultimus, operator ipse continuus. Simili se inibi propter Deum servituti nobilis mater ejus addixit, et concessis Deo prædiis, quæ habebat, ancillæ fungebatur officio, servientium Deo pannos abluens, et quidquid injungebatur extremi operis accuratissime agens.

Ad opus servorum Dei quadam die cum annonam torreret, nescio quo casu domus undique succensa est. Cucurrit quidam ejulando nuntians abbati domos

combustas, et matrem ejus inibi esse combustam; at ille licet lacrymis suffusus ad Deum manus levavit: « Gratias tibi, Deus, inquiens, quod in officio servientium tibi matrem meam ignis assumpsit. » Fortis in amore Dei constantia quæ tot diaboli arietibus impulsa labare non poterat! malleos ac ignes inimicus suggerebat nesciens, quibus vir patiens minime fundebatur, sed purgatus ad coronam gloriæ formabatur. Nihil tamen mali in illa conflagratione prædicta domina passa fuit.

Dein post aliquantum temporis per visum divinitus commonitus est, ut dimissa solitudine campestri, quæ competenti opportunitate omnino carebat, cum ad locum sui juris mansionem transferret qui a rivo illic mananti Beccus appellatur, ad milliarium a castro quod vocatur Brionnium valle. Est hic locus in ipso saltu, Brionnensi valle ima, montibus saltuosis hinc inde occlusa, omni opportunitate humano usui commodus propter densitatem, ac rivi recreationem; ferarum illuc multum erat accursus, trium tantum molendinorum tres domus illic erant, et solum habitabile permodicum. Quid ergo faceret? molendinorum in uno pars sibi nulla, aliorum duorum sua pars erat tertia, nec tamen soli liberum quantum opportuna domuum capacitas exigebat. Comes Gilebertus nil usquam eo saltu pretiosius possidebat Quid plura? spe in Deo firmata, cœpit operari, ac Deus evidentissime cooperari, nam consortes, et contermini quas ibi habebant partes, seu venditione, seu gratuita donatione, omnes sibi suas dedere, ac brevi sub tempore silvam Brionnii, quæ circum erat, totam obtinuit.

Consecrata, paucis exstructa annis, non parva ecclesia, columnis ex ligneis claustrum construxit, in quo ad morem patriæ fratres jam nusquam progressuros considere instituit. Nocte vero subsecuta orationi eo intento in stratu suo, diabolus futuri illic bonorum operum incrementi primordia cernens, impatientissime tulit, tectum dormitorii multa vi conscendit. Unde quasi **36** conamine colligens se supra novam novorum parietum insiliit coopertura, ac in unum ad terram universa dejecit. Verum is non erat semen quod in petrosis ortum areat quia non habet humorem, sed pingui terra exceptum attulit fructum in patientia; mane quia inimicus hoc fecerat indicavit fratribus, et dejectos eorum animos redintegrans, claustrum ex lapidibus rectificare cœpit usta. Vicinus degebat, nomine Radulfus, cognomine Pincellus, homo sæculi plurimum addictus concupiscentiis, qui ab ipso abbate cum sæpe numero ad bene vivendum moneretur, spernabatur, ridebat irridendo; cum ab armis defessus ac mundi voluptate satiatus esset, monachum se futurum respondebat. Quadam ergo die Dominica pro quibusdam altercationum controversiis, prædictum abbatem adiit, penes quem demoratus in vesperum; nocte jam ingruente more solito admonitus, rogatus, et irridens domum rediit, et circa ejusdem noctis medium morte subita præventus nominem exivit. Quod abbas ipse eadem hora agnovit animam illius raptam a dæmonibus, audiens miserabili planctu ejulantem, et ita per longum temporis et loci intervallum abduci, mittit sub acceleratione quid de illo ageretur inquisitum iri; legatus illuc pervolans pulsatas fores irrumpit, irrumpens ad cubile pervenit, in cubili jam gelidum ac membris omnibus rigidum ad latus nesciæ uxoris suæ invenit. Hujus miraculi unum e fratribus testem habuit, qui cum eo eosdem ejulatus audivit.

Quadam die circa vespertinas horas cum foris ad opus resideret, vidit dæmonem sub habitu clerici prope locum transire, et eam dormitorii officinam in qua fratrem ad necessaria secessus est, adire; revera suspicatus clericum, et quod ad oratorium ire voluisset, fecit a compluribus inclamari qua ibat non esse viam oratorii; nequaquam exaudientem prosequitur missus qui revocaret, sed elapsi nulla prorsus vestigia invenit. Intellexit tandem inimici præstigium, ac rei eventum exspectavit. Nocte proxima quidam monachus, de monasterio fugiens, per eadem loca egressus discessit, ut e vestigio subsecutus prodidit. Quod mane ille cum comperisset dixit, cui militabat et qui eum abducere sategit a vespertinis horis præstolabatur ibi immundus immundum, dominus satellitem per immunda jure abducturus. Variis ergo simultatibus quæ sæpe introrsus oriebantur cœpit dolere multum et anxiari; ad ea enim componenda qui in claustro præsideret minime erat, sumptuum congerendorum necessitas illum extra immorari compellebat: hac de re multoties Dominum cum jam exorasset, divina sibi miseratio accommodavit auxilium, sufficiens ad universa quæ agenda forent suffragium.

Ortus Italia quidam vir erat, quem Latinitas in antiquum ab eo restituta scientiæ statum tota supremum, debito cum amore et honore, agnoscit magistrum, nomine Lanfrancus, etc. (77).

Abbas peritus erat in dirimendis causarum sæcularium controversiis, prudens in iis quæ ad exteriora pertinent, in ædificando et procurando quæ necessaria forent, nec prudentior neque efficacior salva religione poterat esse; præsentia corporalis foris inter curas mundi cum residebat, animus ad sui curam, et amorem Dei præcipue intendebat, nullam sæcularis pompæ curam gerens, soli Deo in actibus suis gratificari gestiebat. Humillimus, summæ patientiæ, in exsequendo carnis appetitu modesto rigore continentissimus, semper ad orationem primus exsurgebat, nec diurni laboris multa defatigatio illum in lecto post alios retinebat; quo jure, qua tranquillitate subditos sibi regebat. Legum patriæ scientissimus, præsidium suis erat contra iniquos exactores, et si quid inter eos controversiæ nascebatur, æquissimo confestim statu componebat. Undecunque, vel quibuscunque loquebatur sermo ejus dignitatem in se maximam gerens obaudiebatur, at doctor ille maximus in claustro omnem operam

(77) Reliqua exstant in Vita ejusdem.

impendebat quieti, et silentio cordis sui novalia verbi sacri excolens, assidua lectione irrigans ea dulci quam sæpe obtinebat lacrymarum compunctione. Sic per tres annos vixit solitarius in frequentia hominum, gaudens quod ibi nesciebatur præter paucissimos quibus aliquando loquebatur, omnibus innotus. Rumor ut hoc factum prodidit, et longe lateque protulit, et fama viri præclarissima, Beccum et abbatem Herluinum brevi per orbem terrarum extulit. Accurrunt clerici, ducum filii nominatissimi, scholarum Latinitatis magistri, laici potentes alta nobilitate, viri multi pro ipsius amore multas eidem ecclesiæ terras contulere. Ditatur illico Beccensis locus ornamentis, possessionibus, personis nobilibus et honestis, interius religio atque eruditio multum accrescere, exterius rerum omnium necessariarum subministratio cœpit ad plenum abundare; adimpletur visio quæ in eodem monasterio visa est paucos ante dies quam vir ille tantus ad ordinem cœnobialem venisset. Fons videbatur ortus in valle monasterii cujus aqua ad montium cacumina excrescens, hinc inde effusa, per campestrium diffundebatur amplitudinem. Abbas fons erat in convalle, scilicet humilitatis exortus, aquæ exundantes et hinc inde latissime effluentes monachi, qui ab illo incrementum acceperunt religionis divinæ, videlicet eruditionis disciplinam, qua multi ab eodem loco longe lateque postea sunt meliorati

Hanc fructuum Deo suavissimorum flagrantiam, cujus ex odore domus Dei per orbem impleta est, qua et ipse abbas absens jocundissime senserat, postea præsens quanto vicinius, tanto jocundius sensit profectus ad eum in Angliam. Quo in itinere evidentibus miraculorum signis multa circa illum gratia divina innotuit; cum enim Boloniam venisset, volens egredi ad portum qui plus sex leucis ab urbe non distat, tentavit qui cum eo ibat comitatus. Comitissa quoque comitis Eustachii **37** conjux femina Deo amabilis persuadere plurimum sategit ut in urbe remaneret, quoniam in portu navis nulla erat, et ventus qui de transmarinis eos referret jam per quadraginta fere dies nullus omnino exstiterat; at ille certissima in Deo spe ait: « Ibimus ad navalia naves sine mora habituri: fratres qui domi remanserunt oraturi pro nobis sine cunctatione nobis eas præsto habebunt. » Dixit, et statim ventus convertitur. Itur sub omni acceleratione ad portum quo tunc prius sexdecim naves appulit ventus quam pervenissent. Noctis erat tunc primordium, cujus ante medium rursus aspirante vento qui transferret circa auroræ exortum puppes omnes in fluctus retrahuntur. Ingressus navim aliis ad alia quæ tam tumultuosæ rei conveniunt intentis, abbas cum monachis haud procul litaniam dicebat. Repente juxta quidam, nescitur unde, astitit homo grandævæ ætatis, et modestissimæ alacritatis; frater qui litaniam proferebat illum vidit et ab universis putabat conspici, æstimans pauperem esse qui præstolaretur, ut finitis litaniis postularet aliquid sibi dari: verum intrantibus eis, vidit eumdem jam in navi loco eminenti consedisse. Suspicatus igitur magni alicujus meriti illum existere, qui pauper habebat se tam imperiose assidens prope circa illum attentius manebat. Navis cum in altum mare evecta fuisset, territi sunt nautæ quibusdam monstris quæ in salo videbant. Hac tumultuatione prospectantibus aliis, ille gravi quadam dignitate subridens, metum eorum reprehendebat. Tunc primo, ut aiebant, visus ab eis, exigentibus confestim nautis quis foret, quis induxisset, vel quo pretio navem locaret; eo auctoritate multa se habente, et nil omnino respondente, dixit frater qui jam diu eum viderat: « Ex quo litaniam diximus, in portu nobiscum manet, et ut credo plus eo navigium, quam ipse navi indiget. » Cœperunt ergo mirari, et mirando illum omnes contueri. Viderat abbas quemdam cui valde conformis erat, et quæsivit nominatim an is esset. Ille paululum vultu exhilarato, hoc solum respondit: « Non sum. » Hoc unum in tota ea navigatione protulit verbum. Navi prosperrimo cursu apud Doffrensem portum appulsa, per comitatus hominum qui in navibus erant multum requisitus, ille comes navigii nusquam reperiri, vel qui eum exiisse vidisset, potuit. Dein omnium rerum cum incolumitate quinto die ad archiepiscopum abbas pervenit.

Quæ tunc inter eos submittendi sese ad invicem pia contentio? summus antistes et in Ecclesiis transmarinis vices apostolicas gerens submittebat se suo quondam abbati, ut alius quivis monachus etc. Prædicto abbati rursus mirabili rerum successu ad votum omnia cesserunt, mox ut redire disposuit; nam die qua voluit circa sextam diei horam venientibus quos ad mare archiepiscopus præmiserat, ac renuntiantibus ventum omnino contrarium esse, et pelagus infestum, assueta in Deo ille confidentia discessit ad mare obluctantibus universis, et nocte jam ingruente quo, multa parte noctis exacta, perveniens, ventum quem volebat, et qui commodior erat ad transferendum [*f.*, transfretandum] hora eadem præsto habuit. Interim somnum capiens dum naves ad mare impelluntur, primo lucis sub exortu navem ingressus, tam ipse quam omnes sui confestim transvecti sunt prosperrimo omni navigii eventu. Non amplificamus rem gestam, sed simplici narratione scribentes relinquimus eam aliis considerandam, dignaque amplificatione attollendam.

De arboris illius magnæ radicibus quæ in horto suo remanserunt, ut per somnum viderat, vidit postea prædicandus vir pullulantes quasdam virgulas in arbores magnas excrevisse, multos videlicet ad magna bonorum operum incrementa per illius institutionem accessisse; illius etenim sementis existit quidquid unquam boni fructus in Beccensi cœnobio, vel ab eo exstiterit. Arbor fructibus optima fuit venerabilis Anselmus Ecclesiæ Augustensis clericus, qui illum doctorem maximum ad ordinem monachorum subsecutus, ad prioratum quoque ejus-

dem cœnobii Beccensis post eum accessit: et defuncto beatæ memoriæ supradicto Herluino abbati successit, ac demum post ipsum Lanfrancum, archiepiscopus Cantuariensis exstitit, vir ingenio admirabilis, facundia non impari, et, quod ad humanum spectat judicium, morum omnium insignis. Quod de approbanda actuum ejus honestate dicimus vicinitas universa testatur, longe lateque Northmannia attestatur, et Gallia amplissime contestatur. Arbor fructuum jucunditate plurimum acceptabilis fuit Ecclesiæ Cormeliensis abbas Willelmus, apprime nutritus vel eruditus. Arbor alta atque fructuosa exstitit Henricus Cantuariensis Ecclesiæ decanus, qui postmodum abbas fuit de Bello, vir ecclesiasticis omnibus disciplinis optime instructus. Arbores bonorum operum fertilitate multum gravidæ in domo Domini exstiterunt venerabilis Hernotus, Ecclesiæ Roffensis episcopus, et qui ei ad idem officium ibidem successit, vir morum sanctitate admodum reverendus, Gondulphus episcopus. Hos Ecclesiæ suæ filios vidit grandævus Pater aliis Ecclesiis patres constitutos. Hi sunt filii de quibus in psalmo (CXXVII, 3) dicitur: *Filii tui sicut novellæ olivarum*, qui ab inferioribus extenuati ad superiora roborati, charitatis Dei adipe et pinguedine repleti, aliorum animas verbis ac bonis exemplis reficiendo roborant roborando sustentant, sustentando ad summa virtutum incrementa educunt. Multam quoque educaverat sobolem spe certissima posteritatis spiritualiter in Domino, jam juvenes centum, nobilissimorum etenim atque optimorum, tam clericorum quam laicorum, ex multis partibus orbis illic adunatus numerus, ad centenariam pertingebat summam. Vidit filios filiorum, ex sancto videlicet Cadomensi cœnobio fratres ad 38 idem opus assumptos, in extremis nationibus multos gignere in Domino.

Corporeæ eum vires jam deserebant, quas per tot annos laboris vehementia, vigiliarum, et inediæ continuatio plurimum attriverat, visus maxime destituebatur officio, et ab horis vespertinis indigebat ducamine. Quamobrem non in dormitorio cum fratribus, neque ad psallendum choro interesse jam valebat, sed tamen ad nocturnale officium primus surgebat, nec ulla diurni laboris defatigatio in lecto illum post alios retinebat. Cibi ac potus parcimonia, quæ in juventute, eadem servabatur in senectute, præter quod ab omni fratrum conventu coactus, exceptis legalium jejuniorum diebus, bis comedebat in die. Quod quidem ipsum non tam refocillandi lassi corporis cura concesserat, quam ut escam sumens eis sumentibus, quibus ad opus præsidebat insistere posset, operi usque ad vesperam, ac persæpe etiam usque in noctem insistebat. Otium aut voluptas nullum in eo sibi locum sortita est. Non ætas eum annorum numerum jam excedens, de quo dicitur in psalmo: *et amplius eorum labor et dolor* (*Psal.* LXXXIX, 10). Non vehemens qua multum sæpe in internis angebatur infirmitas, illum ab actionibus necessariis retinebat. Paterno affectu omni modo

A circa monachos suos intentus, districta eos disciplina regebat, et affectuosissimo amore diligebat. Si quem inter fratres segnem, si quem sui ordinis ac studii litterarum negligentem, si quem in ecclesia somnolentum deprehendebat, hunc omnino invisum habebat; semper, inquibat: « Homo litterarum, et mandatorum Dei nescius, quid præstat? » Quem considerabat vigilantiorem, studiosiorem, ad virtutum exercitia promptiorem; hujus non abbas, sed servus exstabat; plerosque plus ad studium incitabat illius favor quem scientiæ ipsius amor; sedulus enim perquirebat quis omnium eorum qui erudiebantur accuratioris ingenii esset, quis tenacioris memoriæ existeret, quis vehementius instaret, cujus studio valeret; denique ex omnibus quis ad B singulas virtutes et amorem Dei plus intenderet, nec minus quam in se amabat, et enutrire satagebat quiquid amandum videbat in singulis! Litteratus aliquis volens fieri monachus, quando ad illum veniebat, qua exsultatione suscipiebatur, quæ suscepto benignitas, et veneratio exhibebatur. Laicos qua instantia ut ad discendum psalmos intenderent, agebat! Quibus modis, ut quod inchoaverant amando tenerent, instabat! Omnibus omnia se conformans, omnes ut filios, et illi ut patrem eum amabant.

Nova, necdum sacrata erat ecclesia, quam ab ipso cujus eam consilium inchoavit et auxilium [*al.*, consilio et auxilio] consummavit, exspectabat consecrari; instanter hoc a Deo exposcens, cujus C petitioni qui ad cætera sibi benignus exstiterat, optatum Deus concessit effectum adimplens per omnia super hac re illius affectum: multo enim ampliori quam præsumere poterat, honorificentia consecrata est, et a quo exoptabat. Nam pro quibusdam negotiis tam sæcularibus quam ecclesiasticis sæpe supra memoratus gentium transmarinarum apostolicus ad curiam venit eminentissimi regis Anglorum Willelmi in sua terra Northmannorum tunc commorantis, etc.

Dies ergo a multis per multos annos multum exoptatus longe lateque insinuatur, ex longinquis regionibus viri consulares, ecclesiasticorum graduum summæ personæ, hominum genus infinitum adventurum D prænuntiatur, libentissime accipitur; conguntur maximi sumptus ad suscipiendum omne genus hominum. Ubi adimpletur, *pluviam voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ* (*Psal.* LXVII, 10). Nihil ab aliquo exactum, nihil expetitum, se ipso sufficiens, quod cœperat, perfecit. Deus qui de stercore erigit, ac in sublimi pauperem ponere consuevit (*Psal.* CXII, 7) solo suæ manus gestamine, cujus in consummatione hujus operis sui manus adeo larga exstitit, quod res sumptuosissime acta universis ad votum et sufficientiam fuit, nec ullam in posterum contraxit indigentiam, ad tantum solemnitatis tantæ gaudium. Languor qui per octo ante dies vehementissimus tenuerat mortis imminentis metu ipsum monasterii patrem adesse minitabatur.

Porro ne quod mœroris nubilum diei illius lucem offenderet, Deo miserante, ad diem plenissime convaluit.

Igitur decimo Kalendas Novembris, anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, sanctæ omni Ecclesiæ reverendus gentium transmarinarum summus pontifex Lanfrancus advenit, consecrando consummaturus ecclesiam quam inspirante Deo inchoavit; et in cujus exstruendis fundamentis lapidem secundum ipse manu sua imposuit. Convenerunt universi Northmaniæ episcopi, abbates, et alii quique religiosi viri; affuerunt proceres regni. Rex aliis detentus negotiis adesse non potuit. Regina Mathildis libens affuisset, nisi regiis detenta occupationibus fuisset; affuit tamen per condecentem beneficentiæ suæ largitionem. Noluit Rex supernus operi gratiæ suæ regem terrenum supremam manum imponere, sibi totum reservans operis consummati gaudium, quod infra sexdecim annos solis pauperum expensis complevit monasterium, cum omnibus officinis opus pulchrum et maximum. Affuerunt et regni Franciæ clarissimi consules, et ex aliis regni ejusdem primatibus complures, clerici, monachi ex universis adjacentibus provinciis, confluxit innumerum genus hominum. Agitur dedicatio lætissima solemnitate, et solemnissima omnium alacritate, alacritati hominum aer ipse purissimus diesque lucidissimus arridebat; præ tumultu circumeuntium populorum vix exaudiuntur chori canentium. In tanta compilatione nullus læsionis alicujus molestiam sensit; nulla in agendis turbatio obvenit. Peracta processione, vix pontificibus intrare licet sine collisione. Irrupit sequens populus avulsis **39** omnibus janvis, universis tamen illæsis, quantum ecclesiæ spatiositas potuit astringere. Distribuuntur altaria consecranda pontificibus, ipsum principale sacrandum archiepiscopo remansit. Fit per totam ecclesiam summa celebritas, et in agenda celebritate pia quædam contentiositas. Vix semetipsum quisque cantantium exaudit præ multitudine vociferantium. Multi jubilantes, quid dicebatur nescientes [*al.*, nesciebant], aut quibus concinerent, minime attendebant. Graves ejusdem monasterii personæ, quæ propter nimiam aliorum multitudinem paucæ aderant, solis lacrymis et devotione cordis solemnitatem explebant. Personabat in aliis vox lætitiæ et jocundationis, in illis modulabatur Domino cum lacrymis sola sibi soli tota intenta affectio mentis. Quid plura? Finitur majori quam cœpta fuerat jocunditate solemnitas; itur ad refectionem, Paschales nulli defuerunt epulæ, a mane usque ad profundam noctem succedentibus fratrum turmis qui ad festum venerant, quantum refectorii tabulæ continere valebant, universis tam notis quam ignotis, nec solum in domibus circumpositis, verum in villis etiam remotis; quæ ad usus necessarios petierunt, sponsata Deo, regi Ecclesia libens ministravit affluentia nuptiali majoribus quibusque sic ad placitum et sufficientissime ut qui A accipiebant dicerent modum excessisse; neque solum ea die, sed multis per aliquot ante dies dum operiebantur, ita servitum est. Venerabilis abbas requirens a ministris, qui ibant ac redibant, nec momento uno loco stare poterant, quid agerent, dicerent, an sumptus adhuc deficerent, cum potius abundare audiebat ab eis, quoties illa die dixit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal.* CXV, 12): et dicendo ista solas retribuebat Domino lacrymas agentes gratias pro concessis sibi tot beneficiis; ac merito, quia, exclusa omni penuria, omni a Deo subministrata serviebantur sufficientia.

Tertio die, sæculis memorandus jam sæpe dictus Cantuariorum archiepiscopus, etc., ab universis fraB tribus eundi missionem poposcit. Quis tantum tantæ inter eos benignitatis virum recedentem siccis oculis aspicere potuit? Omnes eruperunt in lacrymas, parvuli non valebant consolari; consulto maturavit recessum, quatenus a fletu se continerent vel post ejus dicessum. Abbas Herluinus, cum supra omnes mortales amans, et ab eo amatus, discedentem per duo milliaria prosecutus est amicum, ad suos visus nunquam in hac vita ulterius rediturum. Quæ cordis amaritudo, qui fletus quamvis comprimerentur in ipso ultimo vale, et ultimo ab invicem discessu! Postquam reversus est, sedens in camera solus cum solo, qui sibi ex omnibus erat familiarissimus, concitatis permittens lacrymis habenas, ad cœlum manus levavit: et his verbis ait: « *Nunc dimittis,* C *servum tuum, Domine, in pace, quia viderunt oculi mei* (*Luc.* II, 29). Quod ut viderem antequam morerer summopere optabam, et indesinenter a te orabam; adimplesti quæ volui; nunc servus tuus lætus ad te ibit, quacunque hora tibi placuerit. » Sic verba compressit, sed lacrymarum affluentiam cohibere non potuit, donec frater qui cum eo loquebatur, diutius nequens sustinere, aliunde sermonem induxit. Ex tunc omni membrorum officio destitui penitus cœpit, et longe ante diei ipsius animam revolutionem quod oraverat [*f.*, revolutionem, anima quod oraverat] obtinuit. Nam, proxime subsecuto mense Augusto, decimo tertio Kalendas Septembris die Dominico, ex toto lecto decubuit; sensit certis indiciis Pater longævus jam adesse mortem. Quod D ubi amantissimæ congregationi innotuit, mors quædam universos pervasit; angor, et angore quidam stupor animos cunctorum obsedit. Cibus percipi non poterat, somnus recessit ab oculis. Tertio die absolvi se, et cætera quæ morientibus exhibentur officia, sibi exhiberi rogavit.

Adsunt filii vale facturi amantissimo Patri, eo primo orbandi. Lacrymis ac singultibus psalmos, et cæteras orationes interrumpentibus, tandem ventum ad agendam confessionem. Confiteri cœpit, verum remanentium pietate filiorum superatus, et ipse in lacrymas effusus dicere nihil potuit. Vix tamen eluctatus in vocem absolvit filios, dansque benedictionem et pacem omnibus, tam præsentes quam

absentes immortali eos Patri omnes commendavit, ac discedentes, quia plus non poterat, ut pro se orarent postulavit. Dolores, lacrymæ, orationes fiebant, quoniam vix ab eis psalmus continuari valebat; dum quisque in alterum respiciebat, quasi jam cerneret fratrem Patre orbatum, erumpebat in lacrymas. Coram illo plangere nequaquam audebant, quia spe bona lætabundus non lacrymantes, sed lætantes eos omnes videre volebat: si cujus in lacrymas concitati singultum sentiebat, confestim solita gravitate compescebat. Profunda jam noctis parte transacta quæ in Sabbatum illucescebat, cujus ad vesperum obiit; reverendissimus vir ejusdem Ecclesiæ prior Anselmus de proximo illius fine non tam suspectus quam certus, collocavit se longiuscule ab eo, et clanculo nolens ut ille agnosceret, quia moleste ferebat aliquem circa se. Verum ut mox primum ad matutinas sonuit signum, illico excitavit domnum abbatem Rogerum, qui secus caput ejus accumbebat, et ait: *Excitare priorem, ut dicat nobiscum matutinas.* Plurimum miratus est ille quomodo id agnovisset, quia nec coram eo venerat, nec aliquis ei dixerat, et post accubuerat. Summo vero mane omnes diei horas coram se dici rogavit. Denique jam ingruentem mortis horam sentiens, communicari se expostulavit, et animam sibi commendari. Festinato ivit abbas Rogerus, sed nullam in eucharistia invenit hostiam, turbati sunt fratres universi, mors instabat, et salutare Dominici corporis quod ille acciperet 78) non erat. Verum circa morientem minime defuit, quæ circa viventem miserationis divinæ gratia semper **40** præsto fuit. Forte tunc sacerdos quidam pro eo missam celebrans sumendum adhuc in manibus tenebat corpus Dominicum; ejus itaque oblationis, quæ pro commendando illius exitu oblata Deo fuerat, prædictus abbas portionem unam suscepit, et ei ad viaticum tulit. Commendaturi exitum, illico fratres omnes accurrunt. Quorum lacrymationem nec tunc sustinere prævalens, peracta ex more Christiano communicatione, quo valuit nutu verboque monuit, ut in claustrum redeant, tanto instantius ei subvenientes quanto ad exitum propinquare videbant. Jam sola exitus hora exspectabatur, ac precum et lacrymarum armis communitur. Quoties cameræ in qua decumbebat ostium aperiebatur, verens quisque ne jam migrasse nuntiaretur, attonitus prosiliebat, et quod verebatur audire exspectabat. Transegit diem sic

A usque ad vesperam, ac sæpe quasi aliunde reversus dicebat abbati Rogerio qui proximus astabat: « Quid faciunt domini nostri, cur morantur? quid esse putatis cur non accedunt? » Ille quanquam eum de aliis crederet loqui personis, respondebat ac si loqueretur de fratribus monasterii. « Quid, inquiens jubetis? sunt in claustro, orant pro vobis, aderunt mox ut voletis. » Tacebat, et parvum post intervallum eadem commotius iterabat. Laborabat ille addicere quorum moram causabatur, et accessum præstolabatur; verum nihil ab eo plus audiebat. Vespertina a fratribus peracta synaxi, cum diei ac diurni officii fine, vitæ humanæ stadium felici cursu peregit nocte jam proxima, quæ in Dominicum illucescebat Se-
B ptimo Kalendas Septembris. Irruunt universi, nec jam solum monachi, verum ex familia servientes, et qui ex villis confluxerant, fores et claustra effringere conati, quos abbas Rogerius qui sancto viro in ultima ægritudine obsequentissimus fuerat, prudenti confortatione adhortans detinuit, donec corpus decentissime funeratum, solemni processione in ecclesiam est perlatum. In communi posito jam licet omnibus communem lamentari desolationem, quæ vivum semper assequebatur, in funere quoque illum gloria comitatur ad persolvendum ultimum obsequium fratri [*f.*, Patri] qui apud omnes maximi amoris atque reverentiæ ob eximiam religionem fuit. Animo libenti convenerunt plurimi abbates, multæque personæ venerabiles. Advenit, et totum
C exsequiale officium celeberrime egit Ebroicensis episcopus, honestæ vitæ, magnæque litterarum scientiæ, vir venerandus Gislebertus. Actum est in capitulo illi monumentum bonorum actuum, æternum filiis monumentum, jure quo de spiritualibus locuturi studiis conveniunt, illius præsentatur memoria, qui ex tyranno religiosus, ex multum sæculari omnino supernaturalis, loci illius atque ordinis primus exstitit fundator et abbas. Maximo Patre amantissimo orbatorum filiorum questus referre supersedeo, ne dolorem legenti inferam, neu lectorem inferendo moveam in lacrymationem. Illo decenti honorificentia tumulato, largissimis expensis recreantur pauperes, qui extra vicinitatem confluxerunt. Æternam animæ illius
D recreationem præstet, si votis opus est, Deus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Vita sancti Herluini primi abbatis ac fundatoris Beccensii cœnobis.

EPITAPHIUM.

Hac tegitur petra fundator primus et abbas
Hujus cœnobii, monachus ex laico.
Ter post undenos, ac tres, et quatuor annos
Grammata nescierat, postque peritus obit.
Quatuor undecies, transegit cœnobialis
Annos, rite suos dimidiando dies.
Cum Phæbus novum sub virgine protulit ortum,
Commigrando diem clausit, et hebdomadem.
Herluinus erat, si quis de nomine quærat,
Cui cum sanctis det quidquid eis Deus est.

ALIUD EPITAPHIUM.

Hunc spectans tumulum, titulo cognosce sepultum,

(78) Pixidem seu ciborium vocat eucharistiam, hoc est vas in quo reconditur corpus Domini.

Est via virtutis nosse quis ipse fuit.
Cum quater hic denos ævi venisset ad annos,
Quæ fuerant secli sprevit amore Dei.
Mutans ergo vices de mundi milite, miles
Fit Christi, subito monachus ex laico.
Hinc sibi more patrum socians collegia fratrum,
Cura qua decuit, rexit eos, aluit.
Quas quantasque vides hic primus condidit ædes,
A *Non tam divitiis, quam fidei meritis.*
Quas puer haud didicit scripturas postea scivit,
Doctus ut indoctum vix sequeretur eum.
Flentibus hunc nobis tulit inclementia mortis,
Sextilis quina, bisque die decima.
Herluine Pater, sic cœlica scandis ovanter.
Credere namque tuis hoc licet ex meritis.

PRÆFATIO IN VITAS BECCENSIUM ABBATUM GUILLELMI ET BOSONIS, AUCTORE MILONE CRISPINO CANTORE BECCI.

41 Quoties magnorum facta virorum litteris assignata recitantur, ad Dei laudem de cujus dono existunt, mentes audientium ad bene agendum informantur, fidelium spes erigitur, et iis qui in quibusdam nonnunquam torpescere solet fervor divini amoris; reaccenditur, dum vident alios fecisse quod ipsi facere monentur. Quapropter nos cupientes de nostro offerre in tabernaculo Dei aliquid de vita patrum nostrorum, qui nos in sancta religione educaverunt, pauca, prout vidimus vel audivimus, licet inculto sermone, ad notitiam posterorum scribere curavimus. Fuerunt namque suo tempore magni nominis, qui erant bene religiosi, multis Dei donis ornati, quibus ad vitam pergendi rectum tramitem subditis monstrabant. Sunt autem de B quibus loquimur, Willelmus reverendus abbas Becci tertius, et, qui ei successit in regimen ejusdem cœnobii, Boso, sapiens vir et bonus; nam de duobus primis qui istos in eodem loco præcesserunt, beatissimo scilicet Herluino primo Beccensis cœnobii fundatore et pastore, et sanctissimo Anselmo ejusdem loci secundo abbate, exstant apud nos præclara et magna veraci stylo digesta volumina. De duobus ergo prædictis, Willelmo videlicet et Bosone, ad honorem Dei et utilitatem legentium, quod Dominus dederit dicere volumus, quatenus noverint post nos venturi qui, vel unde fuerint, quomodo vixerint, seu qualiter præsentem vitam terminaverint.

VITA VENERABILIS WILLELMI BECCENSIS TERTII ABBATIS.

Venerabilis abbas Becci Willelmus, nobili Northmanorum prosapia originem trahens, in veteri castro super Rislam quod dicitur Monsfortis, claris parentibus est exortus. Pater ejus Turstinus, mater Albereda dicebatur, Rogerii de Bellomonte patris Roberti comitis ex sorore neptis. Qui puer dum adhuc jaceret in cunis, gravi molestia tactus, visum pene amisit. Tertia mater, pro filio lugens, cucurrit ad quamdam ecclesiam Sancti Germani in eodem castro sitam, obtulit illum super altare ejusdem ecclesiæ vovens Deo, et beatissimæ Dei Genitrici Mariæ sanctoque Germano, quod si puer illam incommoditatem oculorum eorum auxilio evaderet, illum Dei servitio nutriret, litterisque imbuendum traderet; simulque Deum rogavit ut, si aliter puerum sanare nollet, in se, id est, in matrem infirmitatem D illam converteret. Quid plura? annuit petitioni et voto bonæ matris gratia Salvatoris nostri pietasque ejus sanctissimæ Genitricis, nec non et beatissimi confessoris Germani, et infans integræ restitutus est sospitati; matrem vero infirmitas corripuit, nec multo post exstinxit. Crevit puer, et cum ad congruam ætatem pervenisset traditus est litterarum studiis imbuendus. Cœpit itaque bonæ indolis esse, amore Dei fervere, honestis intendere, et ab inhonestis animum revocare.

Jam mundi luxum spernebat, jam sermone, actu C et habitu talem se exhibebat, ut jam tunc quasi monachus ab omnibus haberetur. Quantum ad vitæ morumque spectabat informationem, si quando a cognatis vel amicis ad scholas aliquid pecuniæ sibi mitteretur, quasi rem malam vitabat suscipere; sicut condiscipuli ejus soliti erant referre, ita avaritiam perhorrebat. Cumque quintum et vicesimum ageret ætatis annum, desiderans vocem Domini implere dicentis: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33); et: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24), renuntians mundo Becci monachus factus est sub sanctissimo abbate Anselmo, qui tunc temporis in Beccensi cœnobio abbatis officio gloriose fungebatur. Ingressus monasterium intentissime religioni monasticæ operam dabat, lectioni et silentio assiduus vitam suam honeste custodire admodum studebat. Ita Deo placere cupiens hominibus charus, in castris Domini Dei Sabaoth ejus signa sequens, quindecim per annos strenui militis officio functus, hujus militiæ beato Anselmo duce militavit tam strenue ut omnes eum diligerent, et nullus de eo conquereretur. Fama bonitatis ejus circumquaque bonum Christi odorem de eo ferebat. Igitur beato abbate Anselmo in Angliam translato, et archiepiscopo facto, cujus fastigium **42** virgæ

prædictus Willelmus, antea cum veneratus fuisset. A postea suscipere meruit. Nam tempore regis Willelmi filii Willelmi qui Angliam subegit, Beccensis abbas Anselmus Deo charus et hominibus acceptus, quibusdam exigentibus causis, et maxime consilio et obedientia capituli sui, coactus in Angliam transfretavit: nam quia defuncto venerabili Lanfranco Cantuaria sedes vacabat, diu gressum ab Anglia represserat, ne videretur archiepiscopatum appetere, quem oblatum toto mentis adnisu conatus est declinare, siquidem multi laudabilem bonitatem ejus cognoscentes, quia sic volebant, eum futurum prædicabant archiepiscopum. Tamen, ut dictum est, victus amicorum precibus, mare transivit, et cum ibi moram faceret, contigit regem ipsum graviter infirmari. Hic rex post mortem Lanfranci B archiepiscopatum in manu sua per aliquot annos retinuerat, et multis gravaminibus attriverat. Cum itaque prædicta ægritudine laboraret, et pene jam de vita desperaret admonitus est ab episcopis et principibus suis, ut pro salute sua aliquem virum bonum quæreret, et Cantuariensem archiepiscopum constitueret, respondit: « Quem? — Abbatem, inquiunt, Becci Anselmum. » Quod verbum placuit regi, et mox jubet illum accersiri. Ita regis et principum electione, cleri ac populi acclamatione, secundum Dei dispositionem primas totius Britanniæ, licet multum renitens ac reclamans, eligitur. Dicebat enim alterius regni se abbatem esse, sub cura episcopi, sine cujus præcepto vel licentia, seu conventus sui concessione, non poterat in aliena patria aliorum curam C suscipere: sed hoc qui audiebant parvi pendentes, nihilominus quod cœperant perficere non omiserunt. Quod cum fama trans mare volando pertulisset Beccumque appulisset, conturbati et contristati sunt Beccenses non modice, tantaque tribulatio inde orta est inter eos, quantam nullus in cœnobio Becci antea viderat. Commota est tota provincia, conventus Becci patrem, episcopi et abbates, et omnes religiosi, simulque proceres, et mediocres terræ in commune doctorem præcipuum, et summum patronum se amittere lugebant. Pater ipse in Anglia, prout poterat, se conabatur omnimodis subducere a tanto onere, Beccenses et alii multi laborabant dictis et factis quantum valebant, ut eum revocarent, sed D non voluerunt: quia, ut postea claruit, hoc secundum Dei dispositionem agebatur. Tandem Anselmus ratione vel auctoritate victus, cessit Dei dispositioni. Beccenses advertentes se in vanum laborare, multi concesserunt quod prius affirmabant se nunquam concessuros. Ita præcepto et licentia Willelmi Rothomagensis archiepiscopi, Roberti quoque Northmanorum ducis assensu, nec non et Beccensis capituli concessione confirmata est illa electio. Post hæc misit Anselmus priori Baldrico, honorabili viro, simulque conventui Becci litteras, in quibus illos commendavit Deo, et ut sibi abbatem providerent submonuit, quoniam illum amodo abbatem non haberent, sed amicum et fidelem consiliarium si vellent. Has litteras attulit quidam Beccensis monachus, nomine Girardus, qui veniens Beccum ad festivitatem Sanctæ Mariæ in medio Augusti, die festivitatis in capitulo salutes et verba Patris Anselmi retulit et prædictas litteras reddidit, quæ statim in eodem capitulo lectæ sunt: audientes fratres talem sui dimissionem, et tanti actam dulcissimi Patris amissionem, qui eos velut nutrix filios suos gremio dilectionis confovebat, ultra quam dici potest conturbati sunt; omnes quippe amore amantissimi Patris, quo quasi orbabantur, magno cordis dolore concussi, in lacrymas conversi sunt; frater qui epistolam legebat, singultu vocem interrumpente, vix aliquid dicere poterat. Tandem perlectæ sunt litteræ, simulque dicta et acta sunt alia plura ad eamdem rem pertinentia.

Post hæc celebraverunt decenter et festive tanti diei solemnitatem post missam Baldricus prior totum vocavit conventum in capitulum, dixitque Girardum adhuc habere aliquid dicendum ex parte Patris Anselmi, quod debebant audire. Girardus, jussus loqui, dixit litteras de electione abbatis se habere, nam et baculum pastoralem de Anglia retulerat, sed prius vellet audire si omnes de eligendo abbate consiliis Anselmi acquiescerent, et sic litteras ostenderet, quia sic præceptum sibi erat. » Non ita, inquit prior, faciemus, sed prius litteras audiamus, et post consilium capiemus quid agere, vel respondere debeamus. » Girardus non ita injunctum sibi esse dicebat, et prior non aliter se facturum asserebat. Tandem Girardus ratione, vel auctoritate capituli victus cessit, et litteras protulit, atque fratri qui alias litteras legerat nomine Mauricio ad legendum tradidit. Quarum sensus in hunc modum se habebat (79): « Quoniam, inquit, Dei misericordia, et reverendi Willelmi Rothomagensis archiepiscopi licentia, atque Domini Roberti Northmannorum ducis assensu tandemque vestra concessione, vestri cura liberatus sum, si Deus gratiam domini nostri ducis Northmannorum dederit vobis ut possitis eligere de ecclesia vestra abbatem, et meum consilium inde audire vultis, nullum ad hoc opus magis idoneum puto quam dominum Willelmum, qui prior fuit apud Pexeium. Tibi quoque, Willelme, per sanctam obedientiam præcipio ut hoc onus non refugias, sed in spe auxilii Dei illud suscipias. Et tibi, Baldrice, similiter præcipio ut tuum officium non deseras, donec loquar tecum. » Tunc Baldricus prior electionem se libenter suscipere respondit, et cæteri similiter consenserunt; sicque conventus ille solutus est. Sed et principem Northmanniæ Anselmus mandando rogavit ut prædictæ electioni assensum præberet. Transierunt postea dies multi, et de ipsa quidem electione tunc nihil plus actum est. Electus autem sic se habebat quasi de ea nihil audisset. Mense Octobri advenit quidam abbas, nomine Rogerius, Beccensis monachus, vir bonus et multum

(79) Præstat lib. III, Epist. D. Ansel., epist. 8.

religiosus, quem Anselmus, ut aiebat, litteris suis jusserat Beccum venire, et in eligendo abbate Beccenses, quantum posset, juvare. Tunc ipse abbas Rogerius, et prior Baldricus et alii quidam fratres cum eis comitem Northmannorum adierunt, mandata Anselmi et electionem capituli Becci innotuerunt, rogantes ut quod ab eis incœptum erat, suo assensu compleret; quæ omnia dux gratanter accepit, et ut electus sibi præsentaretur jussit. At illi, velociter domum reversi, collectis in unum fratribus, referunt quid cum principe egissent, quidve ab eo audissent; interrogantur singuli de electione prædicta quid sentirent, an concederent; omnes fere assensum præbuerunt. Interim electus extra conventum exspectare jussus erat. Post hæc vocatus venit, et in suo ordine sedit. Tunc prior dixit ei quod ad regimen Beccensis Ecclesiæ illum eligerent; et ut abbatis officium, et curam animarum eorum susciperet ex parte Dei et sanctæ Mariæ, atque omnium sanctorum, nec non ex parte reverendissimi Patris Anselmi præcepit. At ille, in terram prostratus, dixit: « Precor, domini, aut de hoc quod jubetis omnino absolutum dimittite me, aut quomodo id implere possim docete. » Prior ad hæc: « Ut dimittamini, ait, non opus est laborare, sed suscipite hanc curam in nomine Domini, et nos vobis ex animo obedientes erimus. » Statim in ipsa die abbas Rogerius, et prior, et quidam alii fratres cum eis, assumpto electo suo, ad curiam properarunt, et Roberto Northmanorum duci præsentaverunt, quem alacriter et cum magno honore suscipiens, dedit ei abbatiam more antecessorum suorum. Aderant tunc cum principe Robertus comes Mellenti, et Robertus filius Anchittilli [*al.*, Anschitilli] consobrini ejusdem Willelmi electi Becci, qui de ejus promotione valde sunt gratulati. Tunc comes Mellenti præcepit Roberto filio Anchitilli ut novum electum Becci ad monasterium conduceret, mandans omnibus ministris suis ne quis ipsi abbati Becci, vel hominibus ejus in aliquo molestus esse præsumeret. Dedit tunc comes Mellenti Robertus ut res, quæ ad victum fratrum emebantur, quietæ deinceps essent ab omni consuetudine, quæ usque ad illud tempus, de rebus ad cibum monachorum pertinentibus, ubicunque emerentur, etiam in coquina Becci a ministris Brionnii [*f.*, Brionii] castri exigebatur. Procedente tempore dedit idem comes Mellenti, per totam terram suam, ubicunque suum erat hoc exigere vel dimittere, ut omnes Dominicæ res monachorum Becci, ad victum vel vestitum pertinentes, ubicunque monachi essent, ad quorum usus emebantur, sive in claustro, sive extra claustrum, in negotiis monasterii, quietæ forent ab omni consuetudine quæ telonei, vel transitus, seu alio nomine nuncupatur. Hoc fecit pro amore Dei, et Willelmi abbatis Becci cognati sui. Multa quoque alia beneficia Beccensi cœnobio contulit dum vixit, causa ejusdem abbatis.

Itaque novus electus accepto a duce Roberto, ut dictum est, abbatiæ dono, et a Willelmo Rothomagensi archiepiscopo animarum cura, cum gratia principis rediit a curia cum suis. Venit autem Beccum sero post completorium, die ante festivitatem Dedicationis, quæ festivitas Dedicationis est decimo Kalendas Novembris, et eo anno Dominica die evenit: surgens ad matutinas, venit electus in chorum, et stetit in loco juxta sedem abbatis, ac totum officium festivitatis nocturnum et diurnum decenter, ut abbas, complevit. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 1093. Ipsa die, Willelmus electus sedit primum, ut abbas, in capitulo, ab illo die disponens omnia intus et extra convenienter monasterii negotia, gaudentibus cunctis quod talem Deus Anselmo successorem et sibi dederat pastorem. Tamen ante benedictionem nec in sedem abbatis intravit, nec virgam pastoralem portavit, sed de benedictione acceleranda nullam ut videbatur curam habebat; quæ benedictio dilata est usque ad Augustum mensem anni sequentis. Verum Anselmus non oblitus quod inceperat, rogavit Willelmum Rothomagensem archiepiscopum de benedictione abbatis Becci, et hoc ipsum per litteras priori Baldrico, et conventui notificavit. Intrante Augusto mense, Baldricus prior et alii quidam fratres cum eo perrexerunt Rothomagum cum archiepiscopo locuturi de benedictione abbatis sui; qui diem benedictionis constituit in proxima festivitate S. Laurentii. Reversus prior dixit conventui quæ ab archiepiscopo acceperat. Et quia prædictus abbas Rogerius nuper obierat, miserunt ad Willelmum Corneliensem abbatem virum nobilem et bonum, atque apprime litteris eruditum, et ipsum monachum Beccensem, ut veniret ad benedictionem abbatis Becci; qui libens paruit. Die festivitatis S. Laurentii, cum archiepiscopus staret ad altare infulatus, atque electus Becci esset vestibus sacris indutus, et instaret hora ut ad benedicendum præsentaretur, audivit a referentibus quod archiepiscopus non benediceret eum, nisi professionem faceret; sed respondit se nullomodo facturum. Tunc prior Becci Baldricus cum aliquantis monachis concitus perrexit ad comitem Northmanniæ Robertum, intimans ei quod archiepiscopus exigeret ab abbate Becci professionem quam antecessores ejus non fecerant. Illico dux misit Willelmum de Britolio, et Willelmum filium Richardi de Barduvilla, cum Ernulfo cancellario suo, mandans et præcipiens Willelmo archiepiscopo ut abbatem Becci sine mora benediceret, nihilque ab eo exigeret, nisi quod constaret a Beccensibus abbatibus factum esse antecessoribus ejus. Audiens hoc archiepiscopus iratus est valde; tamen perfecit quod inceptum erat, et abbatem benedixit sine professione, quia præceptum principis illum cogebat. Postea abbas locutus est cum archiepiscopo, atque in tantam gratiam illum præsul accepit ut nullum in Northmannia abbatem chariorem, vel familiariorem haberet. Postera die rediit ad monasterium. Archiepiscopus vero præcepit Willelmo Corneliensi abbati ut simul cum eo per-

geret, et in sedem abbatis vice sua introduceret. A Venit autem cum majori qua potuit humilitate, nudis pedibus, et susceptus est a fratribus magno cum honore et gaudio, et in ecclesiam ductus. Tunc abbas Cormeliensis, ut sibi jussum erat, eum in sedem misit, et incipiens *Te Deum laudamus*, osculatus est omnem conventum. Ita Deo disponente successor factus est Willelmus venerabilis Anselmi, et regimen Beccensis cœnobii post eum suscepit, atque per plures annos cum honore tenuit. Cujus temporibus idem Beccense cœnobium exterius multis et magnis prædiis, et reditibus Dei misericordia, et principum aliorumque fidelium largitione ampliatum, interius religione, nobilibus viris ac sapientibus, ornamentis quoque pretiosis, et ædificiis est decoratum. Qui enim Josue dixerat Moysi ministro: B *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum* (*Jos.* I, 5), ipse ut cum præcessore Anselmo, ita cum successore Willelmo perseveravit, per quem fuit vir in multis prospere agens.

Erant tunc temporis in Ecclesia Becci multi nobiles viri et religiosi, tam litterati quam illitterati, qui de diversis provinciis ad serviendum Deo illuc convenerant; quorum aliqui a tempore beati Patris Herluini adhuc durabant, nonnulli sub sancto Anselmo duce, mundum relinquentes Deo militare cœperant; multi sub eodem Willelmo renuntiantes sæculo, levi jugo Christi colla submittere gaudebant. Ex his postea vidimus plures Ecclesiarum honorabiles rectores. De his fuit cum honore nominandus Boso, qui tempore sancti Anselmi venit ad ordinem; sed, C sub eodem Willelmo abbate, post sæpe dictum Baldricum prior factus, et post ipsum Willelmum abbas est constitutus, sapientia et honestate vitæ ornatus. Ejusdem quoque Willelmi tempore factus est monachus quidam juvenis bonæ indolis nobiliter natus, scientia litterarum præditus, nomine Theobaldus, qui religiose diu in cœnobio conversatus, post Bosonem prior, et illo defuncto abbas est subrogatus, et non multo post in archiepiscopatum Cantuariæ sublimatus. Quidam monachus venit ad abbatem Willelmum petens ut in monasterium susciperetur, volens firmare stabilitatem suam in loco eodem. Quod cum abbas primum facere distulisset, nec eum retinere nec omnino refutare vellet, cum jam illum suscipere cogitaret, vidit in somnis quemdam de- D functum affinem sibi et notum, qui illum reprehendebat quod quemdam insanum fratribus adjungere volebat; et certe defunctus ille, fratrem de quo agitur, ut putamus, nunquam viderat. Nec multo post frater ille accepta licentia discessit; et postea in tota provincia nusquam est visus, nec auditum quorsum discesserit. Prædecessoribus suis beato videlicet Herluino et sancto Anselmo, amorem et honorem maximum idem abbas exhibebat, et cum de illis in communi collocutione loquebatur, cum magna reverentia eos nominabat; statuta eorum ad memoriam aliis reducebat, et ea ipse studiose servabat, et servari præcipiebat, quia videlicet justum videtur ut qui sua vult custodiri, a sequentibus studeat et ipse priorum suorum jussa servare Quando autem aliquorsum proficisci habebat post orationem in ecclesia factam, ad sepulcrum B. Patris Herluini in capitulum pergebat, et se illius orationibus commendabat; similiterque revertens faciebat.

Narravit mihi idem abbas Willelmus quod noctium una apparuit ei sanctus Pater Herluinus, et apprehendens eum deducebat per officinas monasterii, et circa parcum, ut sibi videbatur, et in ecclesiam de Burnevilla quam ipse sanctus manu sua ædificavit, et sic rediit ad monasterium, et veniens in claustrum non reperit ibi nisi unum monachum tantum, unde abbas Willelmus aliquantulum erubuit sicque disparuit. In tota hac visione semper sanctus [*f.*, sanctum] habuit abbatem ad dexteram suam, sed nihil illi dixit. Quid vero hæc visio prætendebat nescitur, nisi quod ipse Willelmus abbas dixit fortassis aliquid in monasterio esse quod Pater volebat emendari. Quidam monachus, qui dicebatur Robertus, petebat licentiam eundi in Angliam causa videndi archiepiscopum sanctum Anselmum, et loquendi cum eo, ut asserebat, de salute animæ suæ. Quod cum abbas Willelmus nollet concedere, in capitulo coram omnibus rogavit eum, ut quod petebat, sibi concederet; sed cum neque sic abbas assensum præbere vellet, dixit frater: « Si conceditis ibo, et si non conceditis ibo. » Quod verbum abbati non placuit; tamen postea dimissus voluntati suæ perrexit, mare transiit, in Angliam venit, nec multo post obiit. Clericus quidam grandævus, vocabulo Willelmus, solitariam vitam agens, venit ad monasterium, volens monachus fieri; et quia erat bonæ famæ, libenter susceptus est. Qui cum per plures annos in congregatione religiose conversatus fuisset, una dierum sedente abbate Willelmo in capitulo cum fratribus, venit ante eum rogans ut liceret sibi reverti ad solitariam vitam, quatenus ibi operaretur manibus suis, unde viveret, sicut ante conversionem fecerat, siquidem, ut dicebat, timor illum angebat quia in otio vivens aliorum eleemosynis aleretur. Abbas hæc audiens dixit circumsedentibus: « Iste frater moritur, et antiquus hostis, videns illum morti proximum, tentat illum de monasterio abducere, ut possit aliquod animæ illius impedimentum facere. » Tunc conversus ad
45 illum movit, ut ab hac intentione animum revocaret, in pace cum fratribus reliquum vitæ duceret, quia erat jam senex et debilis, nec poterat amplius laborare, et ne paveret quod de beneficiis viveret fidelium, quia et alii multi similiter vivebant, orationibus instaret et pro his maxime quorum eleemosynis sustentaretur Dominum rogaret, finem vitæ jam imminentem exspectaret, et morti vicinæ se præpararet. Acquievit frater admonitioni abbatis, et paucis diebus interpositis molestia corporali correptus, infra breve tempus defunctus est, agens pœnitentiam quod recedere de monasterio voluisset, et abbati et fratribus gratias agebat quod non permisissent illum abire post Satanam qui eum sup-

plantare volebat. Iste vir bonus, de quo loquimur, abbas scilicet Willelmus magnæ sapientiæ, bonis moribus ornatus, magnorum virorum propinquus, regi et primoribus regni acceptus, ita se modeste, humiliter et mansuete habebat ut aliquando quasi nesciens et pene idiota videretur quibusdam; verum si propius accederes, et vnlut perscrutando ejus sensum de rebus dubiis interrogares, aliam prudentiam, profundum consilium, et maxime honestatis documentum invenires. Erat quoque Deo devotus, majoribus submissus, subditis benignus, mansuetus bonis, severus indisciplinatis, supra mensuram suam nihil usurpabat, divinis rebus omnem reverentiam exigebat, Deum timebat, peccatum, quasi mortale virus odio habens, fugiebat. Si quis benedictionem ab eo posceret, verbis magis quam manu benedicebat, dicens non esse suum manu benedicere, sed episcoporum. Nullus abbas exstitit qui majorem sollicitudinem gereret conventus sui; talem illum fuisse sciunt qui illi familiarius adhæserunt, quippe a Deo ita compositus homo ut nec turpiloquium ore proferret, scurrilitatis omne genus abhorreret, immunditiam mentis et corporis, ut virgo, ab utero matris ignoraret, cibo potuque temperatus, et honeste verecundus indole religiosa decorus, bono ingenio sane intelligebat, blando sermone placebat, doctrina et exemplo utilis erat, constans erat in moribus, verax in sermone, cautus in promissionibus, in commisso fidelis, studiosus virtutum, amator pauperum, eleemosynarum largitor, hilaris hospitum susceptor, viduarum et pupillorum protector. Talia gerens, bene vivendo cursum direxit, bene moriendo terminavit, sensum, loquelam et visum usque ad ultimam spiritus emissionem Deus illi conservavit.

Hæc de vita illius breviter diximus; nunc qualiter de sæculo transierit expediemus. Anno igitur vicesimo nono abbatiæ, mense septembris, decidit in ægritudinem, qua et mortuus est. Quæ ægritudo, paulatim crescens, per annum et dimidium illum afflixit, donec tricesimo primo anno, ex quo donum abbatiæ suscepit, ex toto circa finem mensis Martii lecto decubuit. Venit abbas Pratellensis, Richardus nomine, vir religiosus et litterarum scientia prælitus, visitare eum, et fuit ibi usque ad transitum illius; et cum jam morti propinquare videretur, visitatus est a fratribus more Christiano, et cuncta morientibus debita circa illum persoluta sunt, atque peracto officio, cum jam conventus redire debuisset, venerabilis Boso prior rogabat eum, ut more patrum, vita decedens benediceret, et Deo summo Pastori commendaret filios suos quos relinquebat. At ille, elevata manu, benedixit eis et dixit: « Amate claustralem vitam, quia reparatio est ordinis nostri, et ne quæratis habere obedientias in sæculo, quia multi in eis perdunt animas suas, sed quantocius abbatem eligite, quia non est bonum tale opus differre. »

Rogavit sane ut pro se Dominum deprecarentur; A habebat enim hoc consuetudinis ut si quando loqueretur cum aliquo quem alicujus momenti æstimaret, se illius orationibus commendaret. Erat eo tempore circa Beccum provincia turbata quorumdam præsumptione, qui contra regem Henricum rebellaverant, et ad deprædandam patriam quædam castella obtinebant; ideo rex contra eos sæpe ducebat exercitum ad reprimendum eorum hostilem impetum, et contuendam patriam. Itaque post octavas Paschæ venit rex Beccum, et hospitatus est in domibus monasterii. Tunc adierunt regem Beccenses quidam monachi, rogantes ut quemdam familiarem sibi monachum faceret abbatem post eum qui moriebatur; quod cum audisset abbas Willelmus interdixit ne sibi succederet in regimen Ecclesiæ Becci B is qui ipsi hoc modo quærebatur subrogari. Alius frater dixit aliquando eidem abbati jocando: «Facite me abbatem, et ego vobis, dum vixeritis, optime serviam.» At ille: «Quia, inquit, hoc dixisti, non poteris amplius esse abbas hujus loci.» Verum audiens rex quod abbas Willelmus, quem plurimum amabat, moriebatur, venit visitare eum cum paucis, et ante lectum jacentis amici ad terram humiliter sedit. Abbas inter alia rogavit eum ut Ecclesiæ Becci dignum ætate, vita, moribus, non senem, non juvenem, quantocius provideret abbatem, quia in talibus dilatio valde noceret. Ad hæc rex: « Quem, inquit, jubetis? » Abbas respondens: « Non est hoc meum, ait, quia sacri canones interdicunt ne quis sibi nominet successorem. » Fuit enim studiosissi- C mus oris sui et vitæ, ac totius religionis custos, etiam in ipso mortis articulo. Deinde rex, accipiens manum dexteram abbatis, admovit oculis suis et ori, et benigne osculatus est, sicque reposuit eam sub coopertorio, dixitque circumstantibus monachis: « Orate pro illo, quia magnum damnum habetis in morte ipsius. » Nocte vero insecuta, cum illi qui eum custodiebant matutinas decantassent, petiit ut eum quiescere permitterent, et cœpit quasi dormitare, donec plene obdormiret in mortem. Videntes qui circa eum erant quod jam propinquaret ad exitum, de camera pertulerunt illum in cellam infirmorum, ubi fratres moriebantur, **46** et circumvallatus caterva filiorum septem psalmos, cum leta- D nia decantantium, paulo ante lucem ultimum emisit spiritum. Corpus lotum juxta consuetudinem convenienter pannis est indutum, ac desuper quasi ad missam sacris vestibus decenter revestitum. Post hæc delatum est in ecclesiam, et in choro ante majus altare positum, ubi die et nocte frequentabatur tristi mœrentium obsequio filiorum. Monachi pium lamentabantur patrem, famuli et homines loci plangebant se bonum amisisse dominum, nullus querebatur injuriam sibi ab eo factam, omnes in commune lugebant magnum se perdidisse patronum. Mane venit rex ad ecclesiam, et videns corpus jam decenter adornatum, placuit illi, et factum laudavit, et ait: « Utinam anima mea esset ubi anima ejus est! » Venerat Beccum multitudo

magna utriusque ordinis et generis hominum, tum propter regem qui ibi morabatur, tum quia de imminente Beccensis abbatis morte audierant; e quibus abbates novem, monachi plurimi, clerici et laici multi ejus exsequiis interfuerunt. Venit et Joannes episcopus Lexoviensis homo sapiens et venerabilis, qui totum funeris devote complevit officium, et ultimum Christiano more competenter persolvit obsequium. Sed et pauperum confluxerat non minima turba propter eleemosynam quam in exitu illius fieri sperabant; quæ per biduum facta est, inde nullus vacuus rediit. Sepultus est in capitulo juxta sanctum Patrem Herluinum fundatorem et primum abbatem ipsius loci, ad dexteram ejus, post quem secundus eidem cœnobio præfuit, ut quem multum in vita sua dilexerat, ei quoque in sepultura jungeretur. Viginti quinque annorum erat quando ingressus monasterium, quindecim annis A fuit monachus claustralis, triginta annos et dimidium fecit in abbatia, septuagenarius migravit, anno Domini millesimo centesimo vicesimo quarto, sexto decimo Kalendas Maii, hebdomada post octavas Paschæ, tempore festivo, paschali gaudio. In quo paschali gaudio, quæsumus, Auctor omnium, hostili ab impetu tuum defende famulum. O Pascha nostrum, Domine Jesu Christe, converte luctum ejus in gaudium, et in solemnitates præclaras, ut sit transitus de morte ad vitam, de labore ad requiem, de calamitate ad gloriam, de tenebris ad lucem, ubi, Domine, constituisti lucidissimas mansiones, ubi requiescunt sanctorum animæ, ubi spiritus famuli tui spiritibus beatis sociatus, æterna requie B fruiturus, facie ad faciem videat te angelis desiderabilem, fontem vitæ indeficientem, cum Patre et Spiritu sancto una sine fine regnantem. Amen!

Explicit Vita venerabilis Willelmi tertii abbatis Beccensis cœnobii.

EPITAPHIUM.

Abbas Willelmus præclari germinis ortus,
Tempore primævo fit religionis amator.
Ætatis quinis lustris jam rite peractis,
Suspirando Deum cœpit contemnere mundum.
Terrea demisit, sed Christo totus adhæsit.
Ut nudum nudus Dominum famulus sequeretur,
Confestim Becci juga sumpsit suavia Christi,
Quæ per quindenos constanter pertulit annos.
ANSELMO *post hæc Anglorum præsule facto,*
Iste loci curam recipit fratrumque regendam,
Quem gravitas morum, vel vita, decusque parentum C
Fecerunt clarum præ multis, ac venerandum.
Doctus erat, blandoque loquens sermone placebat,
Actibus et verbis subjectos erudiebat.
A puero vitæ fuerat sectator honestæ.
Cordis mundiciam servans carnisque perennem.
Beccum ter denos auxit, vexitque per annos.
Blandus subjectis rector, durusque superbis.
Vir tantus meritis morum dilatus opimis;
Nequaquam valuit nexus evadere mortis:
Aprilis sexta decima surgente dieta,
Complevit cursum vitæ præsentis et actus.
Commendans animam cœlo, corpusque sepulcro:
Exspectat tempus, quo judicet omnia Christus, D
Ecce sub hac tumba pulvis sunt membra sepulta:
Cui præstet Dominus veniam, vitamque rogemus.
[Amen.

ALIUD EPITAPHIUM.

Dura nimis jam tolle tibi tua jugera, munde,
Heu mihi tam longa me tenuere mora!
Amodo jam non illa colam, patet exitus a te,
Et quam longinquo solvor ab exsilio.
Ad propriam redeo patriam, Dominus revocat me;
Unde prius fueram, præcipit ut redeam.
Novit cum lacrymis illum, quem sæpe rogavi,
Ut venia pravum diluat omne meum:
Ærumnasque meas tandem miseratus amaras
De convalle soli tollat ad alta poli.
Hactenus hæc, eo, stare meum non amplius est hic:
Ossa relinquo tibi, si placet, hæc sepeli.

ALIUD EPITAPHIUM.

Frumenti granum, remanes in cespite sanum,
Donec putruerit, crescere non poterit.
Sic nisi nostra caro mortis tangatur amaro,
Percurens stadium non recipit bravium.
Ergo scire datur quod non decet ut doleatur,
Si patriam quærat, qui peregrinus erat.

47 VITA VENERABILIS BOSONIS,

Cognomento *Sapientis*

ABBATIS BECCENSIS QUARTI.

In diebus Willelmi regis, qui Anglos armis perdomuit, in pago Rothomagensi, fundo monasterii Villaris, orti sunt honestis genitoribus, Haimerico videlicet et Lezelina, tres viri, Gislebertus, Boso et Rainaldus, qui a pueritia imbuendi litteris sunt traditi, ut Deo in sancta Ecclesia omni vitæ suæ tempore deservirent; quod et fecerunt. Nam, cum diu inter suos honestam vitam duxissent, amore Dei succensi, quasi post marina pericula portum sub sancto Anselmo abbate Beccum petierunt, et ipsi

abbati desiderium suum pandentes, Deo annuente, religionis habitum ibi devote susceperunt, devotiusque usque in finem tenuerunt. Si quidem primus et ultimus, Gislebertus scilicet et Rainaldus, longo tempore in sancto proposito honorabiliter perdurantes, quieverunt in pace. Boso vero, medius frater, de quo nobis sermo est, litteris bene instructus, cum adhuc esset in sæculari vita, cœpit bonis moribus pollere, amore Dei fervere, religioni animum applicare; erat autem acutissimi ingenii, et quod subtiliter intelligebat luculento sermone proferebat. Unde perplexæ quæstiones animum illius involverant, quas nec per se enodare, nec inde se poterat expedire. Quapropter Beccum venit, Anselmum adiit, quem in talibus audierat exercitatum, æstus animi sui quibus movebatur, aperuit, et statim de omnibus sibi satisfactum esse cognovit. Admiratus Boso ejus sapientiam, vitæ conversationem atque morum institutionem, mutato non multo post habitu, sub eodem abbate ibi leve Domini jugum tulit, et factus monachus religionem quam arripuerat tota mente diligebat, et in ea assidue proficere satagebat. Videns abbas novum militem Christi revera Deum quærere, sollicitum esse ad opus Dei, ad obedientiam et ad alia quibus novitius debet intentus esse, lætabatur corde, instruebatque eum in Domini servitio, jugiter accendens animum ejus ad virtutis amorem. Ille, doctrinam magistri capaci animo humiliter accipiens in arca cordis servandam recondebat, quam congruo tempore postea suaviter eructaret. Mores et vitæ institutionem ejus sequens, ad pietatem se exercebat; jejuniis, vigiliis, orationibus et aliis bonis operibus intentus erat, in lege Domini studiose meditabatur, et quod legebat sane intelligebat et convenienter exponebat, solutionem libenter accipiebat. Inter hæc videns diabolus Bosonem in sancto proposito quotidie meliorando de virtute in virtutem proficere, per spiritum blasphemiæ immisit ei tentationem gravissimam, quæ succedentibus sibi variis cogitationum tumultibus, ita eum vexabat ut vix compos suæ mentis existeret. Transierunt in hoc aliqui dies, et tentatio se ipsa semper fiebat gravior. Turbatus ergo et mente confusus adiit Anselmum, et quid pateretur aperuit. Vir autem sanctus, cum singula intellexit, hoc tantum pio affectu dixit fratri: « Deus consulat tibi. » Moxque eum dimisit. Ipse vero statim ante quoddam altare prostratus cum lacrymis orationem pro eo fudit ad Dominum; illico tanta mentis tranquillitas secuta est ut, sicut ipse postea dicebat, ultra quam credi potest, subito alteratus esset ab eo qui fuerat. Ita omnis illa tentatio penitus evanuit quod nunquam ulterius in se talia senserit.

Post hæc cum abbas Beccensis Anselmus Dei dispositione, et regis Anglorum ac populi electione archiepiscopus Cantuariensis fuisset consecratus, mandavit suum dilectum Bosonem, volens illum habere secum. Ita Boso transfretavit, et in Anglia cum Anselmo aliquandiu commoratus est. Eodem tempore

A audiens Anselmus Urbanum papam convocasse concilium generale apud Clarummontem in Arvernia provincia, quia ipse non potuit ire, misit prædictum Bosonem ad idem concilium; cujus itineris longitudine et labore infirmatus est nimis, ita ut post concilium cum in Northmanniam repedare vellet, in via æger remanet apud Sanctum Walterium. Et postquam convaluit, Beccum remeavit, sicque Angliam repetiit. Verum cum sanctus Anselmus, Anglia pulsus, primum a rege Willelmo qui eum archiepiscopum fecerat, deinde a fratre ejus Heinrico, qui illum post mortem fratris ab exsilio revocaverat, in partibus Burgundiæ et Italiæ conversaretur, Boso Beccum reversus est.

Cumque Anselmus, post secundum exsilium, An-
B gliam repetere deberet, in capitulo rogavit Willelmum abbatem et conventum Becci, ut liceret sibi Bosonem ducere secum, quia magis amaret cum illo vivere in solitudine quam sine eo in magnis divitiis. Abbas et fratres, quia non poterant contradicere archiepiscopo, concesserunt. Hic est ille Boso cum quo disputans composuit librum qui dicitur *Cur Deus homo*. Permansit itaque cum archiepiscopo usque ad finem vitæ ipsius; post transitum Anselmi Boso Beccum rediit, et vivebat communiter cum fratribus. Diligebat cunctos, et diligebatur a cunctis.

Inter hæc, obeunte Baldrico priore, jubente Guilelmo abbate successit ei in prioratum; erat enim
C honorabilis vitæ et multæ prudentiæ, humilitate conspicuus, spiritu consilii providus, [illegible] fortitudine firmus, consolabatur desolatos, omnibus omnia factus; in quantum poterat unicuique subveniebat, benignus erat in exhortando, modestus in corripiendo, pauperibus dapsilis, hospitibus affabilis, fide firmus, spe in Deo certus, charitate diffusus. Cum non habebat quod tribueret egenti, monebat spem in Deum ponendam, asserebat in proximo subventionem Dei adfore, nondum finem mundi venisse. Talia jocando dicebat, sed corde Deum suppliciter rogabat; qui persæpe illi secundum fidem suam subveniebat. Sapientiam, consilium atque bonitatem animi ejus, non solum subjecti sed etiam principes terræ, episcopi et abba-
D tes, simulque religiosi et sæculares multi comperientes, quasi thesaurum pretiosum ac velut divinum oraculum admirabantur. Tanta ei inerat Dei gratia et sic spiritus consilii in eo vigebat ut ad se venientibus causa consilii subtiliter et sufficienter ad inquisita responderet.

Per idem tempus mandavit rex Henricus Willelmo abbati ut priorem Becci Bosonem daret comiti Theobaldo nepoti suo, ad faciendum abbatem in terra sua; quod utrum amore, an cordis rancore, sive aliquorum immissione, rex petierit, ut perinde Boso pelleretur de regione, incertum habemus. Audiens hoc abbas contristatus est non modice, misitque ad regem mandans et multum deprecans ut Ecclesiæ et sibi parceret, atque a tali jussione ani-

mum revocaret, prioremque sibi non tolleret. Jam A enim abbas senio et infirmitate confectus viribus corporis destituebatur. Placatus rex deprecatione dimisit priorem. Cumque abbas Willelmus longa ægritudine confectus, jam morti proximus videretur, duo Beccenses monachi accesserunt ad regem Henricum, qui tunc Becci et circa Beccum propter incursiones quorumdam, qui contra eum rebellaverant, morabatur, dicentes quia Boso si succederet abbati Willelmo, sicut conventus quærebat, hominium vel fidelitatis sacramentum more patriæ nullo modo sibi faceret; ideoque alium quem nominabant, laudabant, pro eo substituere deberet. Hoc agebant quia priorem nolebant habere abbatem. Verum cur illi infensi erant, nescimus; quam quidem injuriam intulisse alicui eorum ignoramus. His auditis, rex B nimium efferatus est animo, et tunc quidem iram dissimulavit. Illi autem callide agentes, ignorante conventu, contra regulam beati Benedicti (cap. 64, 18 quæst. 2), sine eorum consensu, volebant superponere sibi magistrum, cum hoc esse constet contra decreta patrum, qui dixerunt ut nemo invitus ordinetur, sed conventus ecclesiæ debet sibi secundum timorem Dei pastorem eligere. Sed hæc malignantium calliditas, licet aliquantum conventum conturbaverit tamen quod moliebatur efficere non valuit. Defuncto namque abbate Willelmo et decenter humato, totus conventus elegit Bosonem, omnes episcopi et abbates, clerus et populus, vicini et remotiores, qui eum noverant, hanc electionem laudabant, cumque summo honore dignum affirmabant. C Itaque conventus ut eis assentiretur, obnixe rogabat; ille suæ infirmitatis multas opponebat causas, illi in terram prostrati deprecabantur, ille toto conamine reluctabatur negando. Perlata est res ad regem; at ille, recordatus quod de hominio a duobus monachis audierat, sicut supra retulimus, erat enim inde nimis iratus, noluit concedere. Interea Gauffridus Rothomagensis archiepiscopus, vir prudens, et honorandus, et Joannes Lexoviensis episcopus, qui ad curiam regis venerant, qui tunc obsidebat Brionii castrum, quod contra eum tenebant homines comitis Mellenti, venerunt Beccum, et locuti sunt cum fratribus de eligendo abbate. Tunc omnes, in terram prostrati, (nam in capitulo sedebant,) rogabant prio- D rem ut sæpe dictæ electioni assensum præberet, et archiepiscopum ut illum præcipiendo cogeret. Archiepiscopus admirans fratrum unanimitatem, laudavit eorum religiosam voluntatem, et erga priorem suum tantum amorem; deinde conversus ad illum monuit, rogavit, ad postremum præcepit per obedientiam ut acquiesceret voluntati fratrum. E contra ille asserebat hoc se non posse facere propter magnam sui corporis debilitatem, et alia quædam gravia, quasi peccata, opponebat, quibus ad hoc indignum se esse dicebat. Et archiepiscopus : « Estisne monachus ? » Respondit : « Vellem esse. » Tunc archiepiscopus : « Revera, inquit, si viginti homines occidissetis, non vos dimitterem, quando quidem tantum ac talem erga vos video conventus affectum. — Nunquam, ait, hominem occidi. » Tunc compulsus est aperire quod latebat; et accipiens archiepiscopum cum episcopo seorsum, dixit papam sibi interdixisse ne unquam laicæ personæ hominium faceret, et ideo istam obedientiam non audebat suscipere, ne cogeretur, aut prohibitionis apostolicæ transgressor existere, aut regem offendere. Archiepiscopus cum audisset, sapienter tulit. Lexoviensis vero episcopus graviter accepit, quod prior Becci dedignabatur facere quod ipsi et omnes prælati Northmanniæ faciebant antiquo more patriæ. Reversus in capitulum archiepiscopus cum episcopo dixit quamdam causam illum obtendere propter quam, Deo juvante, non necesse esset electionem hanc cassari. Post hæc plures de conventu Rothomagum perrexerunt ad regem. Qui domi remanserant, Deum suppliciter rogabant, in cujus manu corda sunt regum, ut regem inclinaret ad hujus electionis assensum, sed nondum Deus facere voluit quod poscebatur; nam rex fratres qui ad eum venerant remisit vacuos, mandans ut alium eligerent, quia istum non haberent. Archiepiscopus vero Beccenses juvabat apud regem, quantum poterat, loquens pro illis, et cum ipsis, et sine ipsis. Quadam die cum de hac re loqueretur cum rege dixit ei rex : « Nec mihi faciet hominium, nec vobis professionem. » Ad hæc ille : « Domine, ait, facite quod vestrum

49 est; de hoc quod ad me pertinet, bene inter nos conveniet. » Tunc mandavit quædam honorabilis persona conventui Becci ne ab incepto desisterent, nondum satis Deum rogaverant, adhuc divinas aures precibus pulsarent. Quod consilium fratres gratanter accipientes, instabant attentius jejuniis et orationibus, Dominum Jesum, et ejus piam genitricem Mariam suppliciter deprecantes, ut respicerent ecclesiam suam, et perficerent quod inceptum erat. Inter hæc Willelmus, filius Ascelini, et Rodulfus eleemosynarius, duo Beccenses monachi, pro causa monasterii iter agentes, obviaverunt Henrico regi eadem via, qua pergebant venienti. Quos ut vidit, ad se vocavit, et benigne locutus est cum eis; jam enim divino respectu defervebat furor ille quem conceperat causa negati sibi a priore hominii. Cumque simul pergerent, et sermocinarentur ad invicem, inter loquendum dixerunt regi quod haberent aliquid sibi dicere, si patienter audiret; at ille jubet dicere fiducialiter quod vellent : tunc cœperunt de prædicta electione sermonem replicare, regem suppliciter rogantes, ut eam suo assensu firmaret, et ipsi pro electo suo fidelitatem facerent, si vellet, adjungentes se ob hoc ad comitem Theobaldum ire voluisse, ut per litteras suas illum rogaret. At ille subridens : « In vanum, ait, laborassetis : » et cum sacramento dixit illis quia, si eorum electus prius mentionem non fecisset de hominio, ipse nunquam inde locutus fuisset, sed modo deprecarentur Dominum ut sibi et illis de hac re conveniens daret consilium. Regressi domum narraverunt quæ cum rege egerant, initoque consilio iterum perrexerunt ad re-

gem plures de conventu, quos rex suscepit hilariter, A et libenter concessit quod petebant, præcepitque ut adducerent priorem Dominica post Rogationes; nam hæc ante Rogationes agebantur. Cumque hæc nuntiata fuissent conventui, valde gavisi sunt, et Deo gratias immensas reddiderunt. Prior autem dixit omnibus : « Scitote quia ex quo vidi tam unanimem erga me amorem vestrum, si inde mihi certissime scissem imminere mortem, non omisissem quin voluntati vestræ promptissime paruissem, nisi illa causa obsisteret quia Deum offendere timebam. » Perrexit ergo cum fratribus Rothomagum, deditque ei rex solo verbo abbatiæ donum, dixitque illi ut intus religionem servaret, et ipse pro illo exteriora curaret; sicque factum est ut quem prius contradixerat nunc mul- B tum diligeret, et multa quæ petebat libenter faceret, plurimaque ecclesiæ beneficia conferret, atque consiliis ejus sæpe acquiesceret. Rogavit sane pro illis duobus monachis, quos electioni ejus contrarios fuisse diximus, ne illis obesset, quod contra eum sensissent; non erat apud illum gravis labor indulgere in se delinquenti. Archiepiscopus, videns regem tam libere quod petebatur fecisse, sicut promiserat, honorabiliter voluit facere quod de hac re ad se pertinebat. Venit ergo ad festivitatem Pentecostes quæ imminebat; et die festo ad tertiam, quando cantor incœpit, *Veni, creator Spiritus*, ingressus chorum archiepiscopus, cum honore misit illum in sedem abbatis; deinde in octavis Pentecostes jussus perrexit ad benedictionem. Verumtamen ante missam locutus cum archiepiscopo rogavit ne C se cogeret ad professionem, quam nullo modo facere vellet, quia si faceret, magnum scandalum in monasterio generaret. Ad hæc archiepiscopus : « Sine, ait, bene erit. » Cumque tempus missæ advenisset, oblatus est ad benedicendum ; tunc archiepiscopus, astans sacris altaribus, interrogabat illum juxta morem, et ille ad interrogata respondebat, ut solet, donec ad illud ventum est ut diceret : « Vis obediens esse huic Ecclesiæ et mihi, et legitimis successoribus. » At ille : « Volo. » Tunc cœperunt aliqui de circumstantibus clericis urgere ut diceret : « Profiteor. » At ille iterum dixit : « Volo. » Atque cum instarent ut « profiteor » responderet, dixit tertio : « Volo et ex corde volo. » Tunc Joannes sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus, qui ibi forte aderat : « Non auditis, ait, quid D dicit? quid amplius vultis? » Sicque archiepiscopus benedixit eum. Altera die abbas reversus est Beccum; conventus vero, sacris vestibus indutus, ordinata processione, exivit obviam venienti. At ille occurrit humiliter processioni, nudis pedibus, licet infirmis, et susceptus est cum magno gaudio, sicut erat consuetudo ipsius Ecclesiæ. Ordinatus itaque perseverabat constantissime quod fuerat. Superbia, et arrogantia, nullum in eo locum habebat; humilis in corde, jucundus in sermone, hilaris in vultu semper erat, modestus in habitu, parcus in victu, prudens in actu, in suscipiendis hospitibus hilaris, in exhibendo obsequium liberalis. Quis illum desolatus adiit, et recessit tristis? Summi viri, tam sæculares quam religiosi, proximi et remotiores, multi veniebant ad eum consulendum de rebus dubiis ; at ille singulorum cogitationibus et inquisitionibus ita respondebat ut unicuique sufficeret quod audiebat. Patientia ei admirabilis contra omnes molestias inerat; nam patientiam et mansuetudinem cordisque munditiam docens, monebat occasiones scandalorum fugere vel non curare quæ non possunt in hoc mundo deesse Dicebat se a primo conversionis suæ tempore occasiones scandalorum ita damnasse quod nulla tribulatio, prosperitas, vel adversitas, nulla tristitia, sive lætitia, seu aliqua corporalis molestia aditum cordis ejus irrumpere valebat; eodem vultu, eodem animo perseverabat. Aliquando cum ejus jussa non impleri nuntiabatur, dicebat : « Sæpe mandata Dei, et præterimus, et sustinet. Quanto magis nos pati debemus, si nostra contemnuntur jussa? » In omnibus autem, ad quæ animum applicabat, tantum valebat ut sive secundum Deum, sive secundum sæculum esset unde ageretur, velociter et sapientissime dissolvebat omnia et componebat. Commissarum sibi animarum curam gerebat maximam, ne qua ejus negligentia ex illis deperiret. Vita ejus sancta, sobria, honesta et castissima erat. Sermo ejus raro utilitate carebat ; et in ipsis jocis, si quis bene pensaret, nonnunquam ædificationem magnam inveniebat. Conversatio ejus modeste religiosa omnibus bonis placebat, infirmis patris **50** curam, piæ matris affectum exhibebat. Quæ de illo dicimus conviventes, et vicini attestantur, comprovinciales, et qui eum noverunt longe positi vera esse contestantur. Inter hæc assidue tantis pedum, capitis, et viscerum doloribus torquebatur ut vix se sustineret. Aliquando ita acerrime cruciabatur quod, sicut videbatur, pene animam exhalaret. Nam cum de concilio Clarimontis rediret, sicut supra diximus, gravis eum infirmitas corripuit, quæ sic eum debilitavit ut in tota vita sua non perfecte postea convaluerit, et, ut magis ejus patientia probaretur et justus justior fieret, adhuc plagam cæcitatis intulit ei Dominus. At ile gaudebat, gratias Deo agebat, semper lætus, semper mansuetus erat, sciebat quia *virtus in infirmitate perficitur (II Cor. XII, 9)*; et quanto exterius affligebatur, tanto interius gratia ei augmentabatur. Verum postea Dei miseratione quodam medicamento recepit visum. Tandem paralysi dissolutus, lecto prosternitur, tantaque incommoditate membrorum molestabatur per longum tempus ut nec de lectulo surgere, nec stare, vel incedere, sed nec jacere valeret. Sedebat autem in lecto, et dextra lævaque paratis ad hoc pulvillis caput reclinabat, et talem vitam carcerem vocabat ; et vere ita erat, nam sicut in carcere ligatus progredi uspiam non potest, ita homo Dei vinculis hujus ægritudinis compeditus de lecto exire non poterat Cor tamen semper habens ad Deum, sensum integrum cum sermone, sapientiam et intellectum retinebat, patientiam a Deo sibi poscebat conservari, ne murmuraret contra

flagella Dei. Quam patientiam ita usque ad finem possedit ut inter tantas et tam magnas corporeæ infirmitatis angustias et sollicitudines Ecclesiæ varias, quæ ad eum consilii causa referebantur, nunquam perturbatus sit, sed mente tranquilla convenienter respondebat, et sapienter omnia disponebat. Sæpe cum a ministris Ecclesiam inopia gravari audiebat, dicebat : « Deus, adjuva nos ; Deus, consule nobis. » Et revera auxilium et consilium Dei sibi non deesse in multis probavit. Multi enim multa illius tempore ipsi loco contulerunt, e quibus [*f.*, quibus] persæpe revelata est penuria fratrum. In grossiori sinistri pedis digito dolor surgens, per totum corpus diffundebatur, et tam acerbo illum cruciatu vexabat ut prope animam extorqueret. De ipso pedis digito vermes scatentes extracti sunt. Sed non sic dolor quievit. Dicebat autem ad se venientibus, et de ipsius infirmitatis acerbitate cum eo sermocinantibus : « Magna est quam patior ægritudo, et ultra quam dici potest molesta, et si Deus vellet, satis mihi esset, et vitam cum ægritudine finire gauderem ; sed non illi adhuc placet. Adhuc videt in me aliquid flagellandum, et flagello emendandum, fiat voluntas ejus. Orate, quæso, ut mihi conservet patientiam, ne quid contra dispositionem ejus cogitem, vel dicam. » Una dierum frater quidam venit ad eum, ut videret quomodo illi esset. Cui abbas : « In tanta, inquit, tribulatione sum, ut nullo modo quod patior enarrare possim. » Et siluit parum, sicque demum subintulit : « Sed gratia Dei anima mea in magna tranquillitate est. » Cumque jam mortem imminere cerneret, rogavit se visitari a fratribus et debita morientibus circa se compleri. Adsunt fratres et absolutus atque inunctus est, et cætera circa illum juxta Christianum morem diligenter peracta sunt. Deinde rogavit fratres ut pro se orarent, et dimitterent si in aliquo eos offendisset : « Licet, aut, non memini me in quemquam vestrum deliquisse, monachus vester fui, prior vester et abbas exstiti ; nulli unquam injuriam feci, et ut verbis Apostoli utar (*I Cor.* IV, 4), postquam ad hunc ordinem veni, non sum mihi conscius me alicui fecisse quod non bene existimassem facere. » In tam gravi corporis afflictione fecit duos annos et dimidium. Missam quotidie audiebat, nec propter membrorum incommoditatem omittebat quominus ad capellam manibus duceretur admissam, etiam ipsa die qua sequenti nocte obiit. Jam destituebatur corporis viribus, et vox solito languidior erat ut vix intelligeretur, et adhuc integrum retinebat sensum. Rogatus a fratribus ut pro eis rogaret, dixit se habere in voluntate, si Deus concederet sibi. Imminente jam nocte perlatus est in communem fratrum infirmorum habitationem, ut inter illos moreretur; quod factum sibi placuit. Circa mediam noctem, dum matutinæ cantarentur, sonitu tabulæ fratres acciti convenerunt, et, cantantibus illis septem psalmos cum litania, spiritum exhalavit. Corpus ablutum, et vestibus, ut mos est, convenienter indutum, in ecclesiam est delatum, et ibi tota die cum sequenti nocte a fratribus custoditum, atque in crastinum in capitulo ad lævam sancti Patris Herluini cum honore et magno filiorum dolore humatum. Honorandus Pratellensis abbas Richardus ultimum sepulturæ decenter implevit obsequium. Nativitas erat sancti Joannis Baptistæ die qua obiit, et magnis gaudiis lætandum et exsultandum erat in solemnitate illius, in cujus exortu multi gavisuri prædicti sunt (*Luc.* I, 14), sed non dolere fratres de amissione ejus non poterant de quo irreparabile dammum acceperant. Tunc impletum est quod dixit propheta : *Dies festi nostri vertentur in lamentationem et luctum* (*Tob* II, 6). Ejus dies ætatis sic computantur : Viginti trium annorum erat quando factus est monachus, viginti sex annis fuit sine prælatione, novem annis prior, duodecim annis et viginti duobus diebus Beccensem honorifice abbatiam rexit. Cujus regiminis tempore multam gravem paupertatis inopiam Ecclesia Becci sustinuit. Obiit autem septuagesimo primo ætatis suæ anno, octavo Kalendas Julii, anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto. Hi tres fratres, de quibus pauca diximus, ordinem nativitatis in morte quoque nutu Dei servaverunt. Nam Gislebertus qui major fuit natu, prior obiit; dominus abbas Boso, et ortu et obitu secutus est ; Rainaldus extremum, et nascendi et moriendi ordinem tenuit. Quibus requiem æternæ beatitudinis, et vitam sine fine mansuram conferat benignus Salvator noster Dominus Jesus Christus, qui Deus cum Patre et Spiritu santo vivit in æternum. Amen.

Explicit Vita venerabilis Bosonis abbatis Beccensis.

EPITAPHIUM.

Moribus ornatus pastor fuit hic tumulatus :
Ingenio clarus, sobrius atque pius.
Exstitit et mitis, prudens, ad tristia fortis ;
Nam, donec vixit, multa flagella tulit.
Consilio pollens, multis fuit ipse levamen ;
Solamen miseris, subsidiumque piis.
Abbas bissenis, hic quartus, præfuit annis
Cœnobio Becci, forma decusque gregis.
Mundi contemptor, veræ virtutis amator :
Christo devotum præbuit obsequium.
Annos transierat Pater hic jam septuaginta,
Cum mortem subiit, qui cinis hic modo fit.
Dum sol octavum sub Cancro tendit ad ortum,
Tristibus hunc nobis ultima sors rapuit.
Ortus Baptistæ colitur, dum deficit iste.
Boso *fuit dictus, cui, Deus, esto pius.* Amen.

ALIUD.

Quem tegit hæc petra, Becci pius exstitit abbas,
Boso, sub nostro tempore magnus homo.
Multos præcedens morum gravitate, sed isdem
Eruit et firmat quos moniturus erat.
Doctrina, sensu, dictis factisque probatus,

Floruit et sano pervigil hic studio.
Sustinuit multa tranquilla mente flagella
Corporis ! Hunc recreat lectio sancta frequens.
Hunc nullum sequitur pro tali verbere murmur,
Grates sed dat ei qui sibi tot tribuit.
Sicque, novem lustris in religione peractis,
Dat metam studiis, viribus, imperiis.
Quod si quis quærit quo constitit exitus illi,
Hunc præcursoris sciat in Natale Joannis.
O pie Baptista, noster pius Israelita
Tecum jungatur, residet quo lumine Christus.

A ALIUD.

Abbas Beccensis, cujus sermo fuit ensis,
Abradens vitium, quo datur exitium.
Bosco, *Pater magnus, tumidis leo, mitibus agnus,*
Et dulcis Populo, fit cinis hoc tumulo.
Fit cinis hac tumba, qui serpens atque columba
Ex probitate fuit, vivere dum potuit.
Ergo videns versus, atra ne sit Stige mersus,
Regi funde precem, quem necis esse necem.
Credimus et cœlis, scandit quos quisque fidelis.
Dei pius esse sibi, qui Deus exstat ibi. Amen.

VITÆ VENERABILIS THEOBALDI

QUINTI ABBATIS BECCI, POSTEA ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.

COMPENDIUM.

Defuncto venerabili et sapienti viro Bosone abbate, suscepit curam Beccensis monasterii Theobaldus, vir genere clarus, moribus ornatus, vita honestus, litteris bene eruditus. Hic tempore Domini Willelmi abbatis venit ad ordinem, et suscepto habitu religiose per plures annos in claustro vixit, acceptus omnibus. Deinde ipsius loci factus est prior decem annis, et, obeunte Bosone abbate, electione totius congregationis abbas est subrogatus. Non multo post, Deo disponente, et Stephano rege cum regina Mathilde vocante, cleroque assentiente, et populo acclamante, in Angliam traducitur, et cum magno gaudio excipitur. Mox Cantuariæ a Balduino Romanæ sedis legato, totius Britanniæ archiepiscopus consecratus est. Inter hæc plurima adversa a viris utriusque ordinis perpessus est. In primis quando abbas electus fuit, Hugo Rothomagensis archiepiscopus ejus electionem quassare voluit, quia eo inconsulto facta fuerat ; sed, interveniente venerabili Audoeno Ebroicensi venerabili episcopo, prædictæ electioni assensum præbuit. Verumtamen benedictionem abbatiæ dare ei distulit quatuordecim mensibus causa professionis, quam facere nolebat, quia antecessores ejus nequaquam eam fecerant. Verum deprecatione atque consilio Petri abbatis Cluniacensis, qui tunc forte in Northmannia erat, archiepiscopus sine scripto, solo verbo, suscepit ab eo professionem, et sic benedixit quem postea plurimum dilexit. In episcopatu vero positus multa pertulit pene usque ad mortem ; nam postquam Eustachius regis filius crevit, et miles effectus est, voluerunt rex et regina, atque Wentanus episcopus Henricus regis frater, ac multi de proceribus, maxime gregarii milites qui juvenem amabant ut archiepiscopus eum in regem ungeret. Quod quia archiepiscopus facere noluit, Henricus enim Mathildis imperatricis, Henrici regis filiæ, filius, Angliæ imminebat, regnum suum hæreditarium armis pervadens, ira regis contra eum in tantum efferbuit ut, cunctis audientibus, diceret, quod in se 52 idem archiepiscopus minime confidere valeret, manum propriam in eum nequaquam mitteret, suorum autem si quis aliquam ei injuriam faceret, ipse non curaret. Quo audito archiepiscopus confestim discessit a curia, ad quam tunc perrexerat ; ascensaque navi Tamesim transibat, cum ecce duodecim fere milites secuti sunt eum cum gladiis, ut eum perimerent, vel membris debilitarent ; sed eum illæsum ille conservavit qui suos, quando vult, custodire novit. Acta sunt hæc circa octavas Paschæ. Multa etiam, ut ejus vitam ac famam dehonestarent in populos de illo opprobria seminabant. Deo vero universa disponente, qui, quando vult, eripit suos de angustia, annullatis omnibus insidiis, tandem finem his malis imposuit. Hebdomada enim ante Rogationes, finem vivendi et regnandi regina subiit. Porro Eustachius ejus filius, multorum malorum, sed et supradictæ pertubationis causa, non multo post hominem exiit. Quos Stephanus rex subsecutus terminum tantis cladibus dedit, et moriens populo regnoque pacem reliquit. Henricus demum, jam totius Northmanniæ dux, Angliam ingressus, sibi jure hæreditario debitum regnum obtinuit ; quo in regni culmine jam confirmato, Henricus frater regis Stephani, Wintoniensis episcopus, a regno discessit et clam mare transiit. Sicque prospiciens ex alto, justus Judex archiepiscopum Theobaldum de periculis maximis eripuit, et ejus omnes inimicos ad nihilum redegit. Nonnullis autem postea feliciter vixit annis ; hominem vero exuit anno Verbi incarnati millesimo centesimo quadragesimo nono, decimo quarto Kalend. Maii, feria tertia Paschæ. Beccensem sane abbatiam annis duobus et dimidio rexit, archiepiscopatum vero annis viginti, diebus totidem ac mensibus tribus.

VITÆ LETARDI SEXTI ABBATIS BECCENSIS COMPENDIUM.

Venerabili Theobaldo abbate Beccensi archiepiscopo Cantuariensi facto, in regimen cœnobii electione totius congregationis domnus Letardus successit. Hic, ex eodem loco parentes incolas habens, ejusdem loci indigena exstitit; et ubi progenitus fuit magnum conscendit honorem, quia venerando abbate Willelmo religionis habitum suscepit, et a primis annis, inter sacras ejusdem monasterii disciplinas, in Dei semper amore et religionis ardore de die in diem excrevit, vitamque suam omni morum probitate et honesta conversatione in mentis et corporis puritate custodivit, jejuniis, vigiliis orationibusque indefessus interno inspectori per omnia placere gestiens. Cautus et sollicitus in his qui ad se pertinebant omnino existens, præceptorum regulæ, et majorum suorum studiosus conservator, transgressores acerrime coarguens, ingenii optimi fuit. In collocutionibus dulcis et familiaris erat, maxime si quis cum eo de salute animæ suæ colloqueretur, amicos magno dilectionis affectu colebat, hos scilicet quos vitæ honestas commendabat; verum si aliqua quæ honestati non conveniunt, de illis animadvertebat, et eorum deinceps familiaritatem parvipendebat. Talis in seipso, talis in aliis, et ante et post abbatiam, exstitit. Apud Pontisaram primo multis annis prior fuit, ac demum apud Pratum, unde ad abbatiam assumptus, abbas siquidem factus, secundum quod scriptum est, ut justus justior fieret (*Apoc.* XXII, 11), permisit eum Deus corporalium oculorum cæcitatem incurrere, ut patientiæ ac virtutum ejus merita declararet, et interiores oculos ad intuendum verum lumen retorqueret. Qui, tali incommodo percussus, nunquam pro hoc tristis videri potuit, nec conversationem fratrum deseruit, excepto quod cum eis minime in dormitorio jacebat, nec in claustro sedebat. In choro autem, in capitulo, in refectorio, ut quilibet alius, semper usque ad extremum terminum vitæ conversatus est. Infirmitatem vero incurrens, ex qua migravit, postquam visus est cursus sui metas appropinquare, in infirmorum domum, qua fratres defunguntur, delatus, ibi coadunatis fratribus et pro eo psalmos canentibus emisit spiritum. Venerabilis autem Rotrocus Ebroicensis episcopus cum quibusdam abbatibus corpus ipsius diligenter et honorifice tumulavit, ac ultimum officium juxta morem peregit. Transiit vero millesimo centesimo sexagesimo primo incarnati Verbi anno, sexto Nonas Julii, Sabbato intra octavas apostolorum Petri et Pauli, circa decimam horam diei, anno ætatis suæ circiter sexagesimo quinto, monachatus vero quinquagesimo. A beato Herluino autem primo abbate et Becci fundatore sextus exstitit, et abbatiam rexit annis decem, diebus viginti tribus

MIRACULUM

Quo B. Maria subvenit Guillelmo Crispino Seniori; — ubi de nobili Crispinorum genere agitur.

Beata Domini Mater et perpetua Virgo Maria, singulare præsidium Christianorum, per quam salus mundi apparuit, quo majorem apud Deum præ cæteris gratiam invenisse dignoscitur, eo frequentius ab hominibus, et fiducialius atque familiarius in necessitatibus invocatur [illegible] et ipsa celer clementiæ suæ multis impendere solet beneficium. Unde nonnulla illius subventionis exempla inveniuntur scripta, plurima passim jugi sentiuntur effectu; quæ propter multitudinem non sunt commendata memoriæ. E quibus unum referre volumus, quod dignum memoria videtur, quodque pro sui magnitudine non potuit latere illius hominibus. In quo facto ostendit beatissima Dei parens quam benignum gerat erga miseros ad se confugientes affectum. Nam cuidam nobili viro et sibi devoto, nomine Willelmo, cognomento Crispino, ejus misericordiam deprecanti in magna anxietate adfuit, et miserabiliter illum eripuit de instanti periculo mortis, sed priusquam hujus miraculi ordinem pandamus, dignum videtur paucis indicare quis fuerit ille Willelmus, et unde cognomen Crispini sibi et suo generi contigerit.

Antequam Northmanni duce Willelmo Angliam debellarent, fuit in Neustria, quæ nunc Northmannia vocatur, vir egregius, nomine Gislebertus, genere et nobilitate præclarus, qui ab habitudine capillorum, primus Crispini cognomine dicitur insignitus; nam in sua primæva ætate habebat capillos crispos et rigidos, atque sursum erectos, et, ut ita dicam, rebursos ad modum pini ramorum, qui semper tendunt sursum, quare cognominatus est Crispinus, quas, *crispus pinus;* quam capillorum rebursionem adhuc videmus in iis qui de ipsius Gisleberti genere descendunt. Unde et ipsi eodem cognomine a cæteris Northmannorum familiis dirimuntur. Iste Gislebertus qui, ut diximus, Crispini cognomen primus est

adeptus, accepit uxorem Senioris Fulconis de Alnov germanam, nomine Gonnorem, de qua tres filios genuit, Gislebertum Crispinum, pro quo scribere ita suscepimus, et Robertum, duasque filias Emmam Petri de Condeto genitricem, atque Esiliam matrem Willelmi Malet, qui miles strenuus, in senectute factus est monachus Becci, et transactis aliquot annis honorifice in cœnobiali observatione, ut talem virum decebat, bono fine quievit. Robertus Crispinus minor frater, Northmannia egressus, plurimas peragravit regiones, donec Constantinopolim veniret; et ab imperatore cum honore susceptus, magnique nominis apud omnes effectus, ibi, ut fertur, invidia Græcorum veneno periit. Gislebertus Crispinus major horum trium fratrum, a duce Northmannorum, castrum Tegularias in hæreditate custodiendum accepit, quod hæredes ejus tenent usque ad præsens tempus. Prædictus Willelmus Crispinus medius frater, generis nobilitate, et morum probitate atque militia famosissimus, inter Northmannorum primos habebatur, qui, ut diximus, de primo Crispinorum patre Gisleberto optimus filius, ad totius generis sui gloriam, felicibus auspiciis prodiit, et sicut inter Romanos olim Fabii, vel Anicii, sive Manlii, insignes habebantur, ita Crispini inter Northmannos et Francos honoratiores reputabantur. Sed iste Willelmus inter omnes nominatissimus fuisse fertur, qui suo tempore, militiæ titulis, insignes pene super omnes ejusdem tempestatis viros enituit. Unde præclara ejus probitas plures sibi effecerat invidos, atque hostes reddiderat atrocissimos. Ea tempestate Franci, auctore Walterio Vetulo comite de Ponte-Ysare, qui totam terram intra Ittam, et Andelam, atque Sequanam suam debere esse dicebat, crebras irruptiones ultra fluvium Ittam faciebant, et prædas de Vilcasino agebant; et ideo dux Northmannorum Willelmus, qui postea rex Anglorum fuit, prædictum Willelmum Crispinum, quia erat probatissimus in re militari, collocavit in castro Melfia, contra Francorum incursus, ad coercendas eorum præsumptiones, donans illi castrum ipsum et Vilcasini vicecomitatum jure hæreditario custodiendum, et filius ejus post eum, sicut usque hodie videmus. At ille ibi mansionem sibi constituit, familiam et milites in loco posuit contra irruptiones Francorum; qua de re Franci, vehementer irati, in tantum odium contra illum exarserunt ut mortem ejus tota aviditate appeterent.

His de ortu Crispini cognominis prælibatis, nunc jam ad rem veniamus, quam, ut a veracibus relatoribus accepimus, simpliciter referre curabimus. Et est res memoriæ digna, et beatæ Domini Matri congrua, quæ humano generi post Deum singulariter est amabilis et per sæcula cuncta laudabilis.

Inspirante Domino Deo nostro Jesu Christo, omnium bonorum auctore, quidam miles, strenuus et dives Herluinus, postposita nobilitate terrena, abjecta sæculi pompa, qua ante juxta modum suum non parum defloruerat, deposito quoque militiæ cingulo A ad Christi paupertatem tota devotione se contulit, ut in monachica conversatione soli Deo liberius vacaret. Hic itaque renuntians sæculo sibi ad votum arridenti, in fundo sui juris, qui Burnevilla dicitur, volens cœnobium construere, ecclesiam ædificavit, in honore sanctæ Mariæ; ibique religionis habitum suscepit, cum esset annorum quadraginta, nec multo post presbyter ordinatus, et abbas constitutus est. Quia campestris et inaquosus est locus, per soporem monitus a beata Domini Matre Maria, in vallem ad rivum qui vocatur Beccus secessit; ibique nobile ædificare cœpit in honorem ejusdem sanctæ Mariæ Matris Domini monasterium, quod Deus perfecit ad sui nominis gloriam, et multorum hominum salutem et solatium. Cui Deus ad auxilium et consilium B adduxit juxta desiderium cordis sui Lanfrancum, virum in liberalibus artibus undecunque peritissimum; quem cum magno suscipiens gaudio, dedit ei habitum religionis. Tunc confluebant ad prædictum locum certatim multi sæculares litterati et alii cervices suas levi jugo Domini, et obsequio regularis vitæ humiliter inclinare. Alii liberos suos a Lanfranco erudiendos in liberalium artium 54 philosophia, et informandos per Herluinum in regulari disciplina tradere, nonnulli ipsum locum rebus suis studebant amplissime ditare. Inter quos egregius vir prædictus Willelmus Crispinus, filium suum in tenera ætate nomine Gislebertum prædictis Patribus Deo nutriendum sub regulari disciplina obtulit, et multa de rebus suis temporalis vitæ sub- C sidia cum puero ministravit. Quorum informatus doctrina et sanctæ conversationis exemplis, sic cum divino profecit auxilio in divinis et philosophicis institutis ut omnes artes, quas liberales vocant, ad unguem addisceret, et earum rivulos pluribus ipse perfectus in religione propinaret. Cujus tanta fuit in activa et speculativa vita perfectio ut cum Deus Lanfrancum Cantuariensi Ecclesiæ in summo pontificatu præficeret, eum Lanfrancus ad regimen West-Monasterii, Deo vocante, provideret; tantaque sanctitatis gratia, ut credimus, Deo et hominibus placuit ut humilitatem præ cunctis sui temporis prælatis et specialiter prætenderet, et sublimius prædicaret. Hic triginta duobus annis loco magis D profuit quam præfuit, et in senectute bona, plenus dierum, et sanctitate, patribus suis appositus, hujus vitæ terminum clausit. In hujus Patris genitore Willelmo, scilicet Crispino, jam superius sæpe nominato, res gesta est, excellentia insignis, relatu mirabilis, et quæ deceat Domini Matrem B. Mariam semper Virginem, quam pro suis magnis et multis beneficiis, indesinenter laudat universus terrarum orbis. Hic enim nobilis vir, ut jam diximus, a duce Northmannorum Willelmo in castro Melfia marchisus fuerat constitutus contra Francos, qui transeuntes Ittam fluvium, subitis rapinis Vilcasinum devastabant; ibique posuerat suam familiam ad castelli custodiam. Verumtamen terram quam habebat in Northmannia, in Lexoviensi pago, certis

temporibus revisebat, et dispositis rebus revertebatur Melfiam: in eundo autem, vel redeundo Beccum non transibat, quin venerabilem Patrem Herluinum videret, et cum eo loqueretur. Accidit autem ut rediens juxta morem de terra sua, Domino disponente, quadam die Dominica, vir ille devotus, Beccensem inviseret ecclesiam, et cum abbate licentius de negotiis suis ageret. Qui cum inter se familiariter contulissent de iis quæ res postulabat necessaria, licentiam abeundi postulavit, et cum gratia festinus discessit: cumque aliquantulum processisset, substitit, et protinus ad abbatem revertitur. De cujus reditu admiratus homo Dei, resalutatus ab illo cur rediisset inquisivit. «Ad hoc redii, Crispinus ait, alme Pater, ut me benedicas, meque tuis fratrumque tuorum orationibus commendem, quatenus nos Deo et ejus piæ Genitrici me suppliciter commendare studeatis.» Mox vir Domini Herluinus, pietatis visceribus in ferventem viri devotionem miro charitatis affectu præcordialiter motus. «Deo, inquit, te et sanctissimæ Matri ejus commendamus; quorum te tuitio protegat, et a cunctis adversitatibus potenter defendat.» In hac benedictione confisus, osculatis abbate et fratribus, cum sociis ad locum properat, quo ire cœperat, ad castrum, suæ scilicet custodiæ deputatum. At vero Franci, qui e regione ultra Ittam commanebant, audito quod Willelmus Crispinus transiens Sequanam in Northmanniam descendisset, conglobati in unum, sollicite observabant ejus reditum, cum forte, ipsa die qua revertebatur, in vicina silva in insidiis occultati operiebantur, ut venientem aut caperent, aut trucidarent. Crispinus ad locum properans, cum jam non longe a Castro esset, transivit juxta silvam, in qua Franci latitabant ad eum interimendum parati: qui mox cernentes quem quærebant, surgentes de insidiis audacter illum invadunt: tunc socii relicto eo omnes fugerunt: ille præsidium fugæ attentare volens, densitate silvæ præpediebatur; sicque interceptus, quia nec fugere, nec resistere valebat, de equo exiliit; et necessitate compulsus super radicem excisæ arboris quæ juxta erat, insedit; habenas, quibus equum regebat, ut quidam dicunt, vicinæ arboris ramis appendit; et ut alii volunt, ad augmentum miraculi, manu retinuit. His arctatus angustiis, Willelmus Crispinus cor ad Deum levat, Matremque misericordiæ magna devotione mentis reclamat: «Domine Jesu Christe, ait, miserere mei, et per merita Patris Herluini et fratrum ejus, quibus me suppliciter hodie commendavi, libera me de hoc imminenti periculo mortis. O generosa Virgo, intacta Domini Mater, suscipe indignas tui peccatoris [*f.* precatoris] preces, et contribulati cordis sacrificium ante Deum, et ante te ascendat in odorem suavitatis. Virgo virginum, Domina angelorum, si qua tibi cura est de tuo Beccensi Herluino, suppliciter obsecro ut a præsenti me liberare digneris exitio. Instant undique hostes, jam de mea morte, vel cautione insultando triumphantes; imminet hostilis manus, quam non licet effugere: et in ipso mortis limine interceptus, cogor de vita desperare. Quid faciet iste tuus servulus, o intacta Parens Dei, sacrarium Spiritus sancti, quid faciet quem hostilis cuneus lanceis insequitur et gladiis. Succurre itaque, Domina piissima, per potestatem qua es apud cœlestes gloriosa, apud terrigenas imperiosa, apud inferos terribilis; ubique propitia, ubique magnifica, ubique præeminens auctoritate et majestate regia, et innova in me antiquæ subventionis tuæ beneficia, quia non patet effugiendi via. Mater misericordiæ, per orationes servorum tuorum Becci, Herluini, et fratrum ejusdem loci, quorum orationibus me mane commendavi, libera me ab hac præsenti jam imagine mortis.» Hujusmodi oratione in conspectu Domini, et ejus gloriosæ Matris Mariæ cum tota mentis devotione, et magno contriti cordis dolore, sine sono vocis emissa, anxiatus est spiritu pene usque ad sudorem mortis, cum subito a sinistris astitit ei ad vitæ solatium quædam virago præclara, vultu jucunda, ornatu regio speciosa, subtili et candida sindone amicta, quæ manicam suam dexteram expandit super eum, et hoc velamine ejus fere corpus cooperuit totum, nam ad tibias usque medias hoc tegmen descendebat, et ultra pertingere non valebat. Habebat autem rubeas caligas et ideo contrahebat se et stringebat, et totus in seipso curvatus, laborabat quatenus tibias et pedes sub manica regiæ puellæ absconderet, nec poterat. Accedunt hostes, et virum inquirere lanceis et mucronum cuspidibus accelerant, et pungendo sub frontibus, et arbustis, atque fruetis, usque ad ejus pedes vel ad corpus undique infestant, sed nullomodo ipsum tangebant. Ipse vero per munitionem beatæ Dei Genitricis, inimicis suis factus est invisibilis, et admirantes dicebant: «Quo abiit? Quid devenit? Nunquid eum viventem terra absorbuit? Huc venit, hic fuit. Quo fugit et abscessit? Ecce equus illius dependet, quem insequimur: hunc, eo non invento ad detrimentum illius subripiat qui vult.» At illi quibus erat sanior mens responderunt non se venisse equum rapere, sed hostem, si possent, infestum jugulare. Cumque diu investigando illum laborassent in vacuum, vesperascente jam die, confusi ad propria redierunt. Tunc illa piissima Domina: «Scisne, inquit, homo, in mortis angustia, unde tibi provenerunt vitæ subsidia? Nosti nomen meum, quæ tibi ministravi in mortis angustia respirandi solatium? Ego sum bona Dei Mater, cui te abbas Herluinus toto corde commendavit, quando hoc tua intentio devote postulavit.» His dictis, Virgo, discessit. Sic spargit Regina cœli sperantibus in se odorem vitæ, sic attrahit ad se innumerabiles copiosa charitate, et neminem relinquit inglorium, qui devote ejus implorat auxilium. Comites Crispini, qui timore hostium ab eo profugerant, venientes domum tristi rumore repleverant oppidum, quod eorum dominus aut captus esset, aut mortuus. Dolor ingens omnium, luctus incomparabilis erat per totum castellum, cum subito prospiciunt Willelmum

Crispinum super equum venientem, et cum magno gaudio occurrentes suscipiunt illum lætantes. Hic heros, cum antea plurimum Beccensem amaret Ecclesiam, deinceps hac de causa super omnes dilexit, et de rebus suis multa in ea Deo servientibus contulit. Quam dilectionem posteris suis, quasi hæreditariam reliquit, ita ut videatur quod infantes, de ejus progenie venientes, Beccensem diligant naturaliter Ecclesiam; ac si cum lacte carnis biberint ipsius dulcedinem amoris; ipsam quoque Domini Genitricem, quæ per totum mundum venerabilis habetur, quasi solum Becci colatur, sanctam Mariam Becci invocant, et deprecantur, et multoties ejus auxilium experti sunt in necessitatibus suis. De quibus dicitur quia Beccensem Ecclesiam, mox in ipso ortu, quasi in cunis nuper natam exceperunt, et educaverunt, atque ad perfectam ætatem perduxerunt; sumptibusque suis pro posse extulerunt. Hic egregius vir, sæpe fatus Willelmus Crispinus, ad extremum veniens, misit, et rogavit sanctum Patrem Herluinum venire ad se, ut daret sibi religionis habitum; tardante autem abbate, vidit dæmones ad se venisse, et duas macerias nimium excelsas circa se ædificare. Quibus ita arctabatur ut non se putaret inde posse evadere, cum ecce aspiciebat sanctum Benedictum, signum Dominicæ crucis manibus ferentem, ad se accedere; ad cujus adventum illa dæmonica phantasia tota evanescebat. Nec mora, nuntiatur adesse Beccensis abbas venerabilis Herluinus, et cum eo quidam monachus, nomine Willelmus, qui postea fuit abbas Cormeliensis, a quo hæc audita dicuntur. Narravit ergo Crispinus abbati ludificationes dæmonum, et Dei adjutorium per sanctum Benedictum sibi impensum. Tunc factus est monachus et post paucos dies vita discessit, et humatus juxta ecclesiam ubi claustrum ædificandum erat, confidens se per sanctam Domini Matrem Mariam suam liberatricem, et per beatum Benedictum gratiam Christi, et misericordiam consecuturum.

EPITAPHIUM WILLELMI CRISPINI SENIORIS.

Nobiliter natus miles fuit hic tumulatus,
Providus, et fortis, moribus atque probus.
Qui ne mundus eum posset submergere secum,
Huc portum subiit, monachus hic obiit.
Jani post Nonas, ac tres et quatuor horas,
Cum jam complesset, quintaque jam fieret.
Parvus erat Beccus, cum parvum nomine rebus,
Sumptibus esse suis, extulit ut potuit.
Noto Crispinus fuerat cognomine dictus,
Nomine Willelmus, cui, Deus, esto pius.

Iste Willelmus Crispinus habuit uxorem, nomine Evam, genere et moribus sibi competentem, de qua genuit Gislebertum, prædictum West Monasterii abbatem, et alios plures. Hæc Eva de gente Francorum, claris natalibus progenita, postquam prædicto nupsit Willelmo, ejus se aptans moribus cœpit Beccensem ecclesiam præ omnibus amare, abbatem et monachos, quasi ex se genitos totis visceribus A amplecti, magna devotione venerari. Vestes et quæcunque in ornamentis pretiosa habebat, in usus ecclesiæ et fratrum expendit: ipsamque Domini Matrem, et ejus Beccensem ecclesiam, toto corde dilexit. Defuncto viro ejus Willelmo totam se ad Dei servitium ✠ convertit, vivens in sancta viduitate, jejuniis, vigiliis, et orationibus intenta, quantum sexus vel ætas patiebatur, carnem, et sanguinem usque ad finem vitæ non gustans, eleemosynas multas indigentibus faciens: post aliquot annos a Willelmo Rothomagensi archiepiscopo velata, in subjectione Beccensis cœnobii permansit usque ad mortem, et defuncta sepulta est juxta virum suum.

Horum nepos de filio Willelmo tertius Willelmus Crispinus, originalem amorem trahens erga Beccen-B sem ecclesiam miro eam coluit affectu. Iste Willelmus sanguinis propinquitate jungebatur comiti Andegavorum; ideoque familiaris illi erat; ad quem cum se aliquando contulisset, ut ad amicum, et comes contra quosdam suos bellum gereret, qui in terra sua contra illum rebellabant, pugnabat Willelmus pro eo, quantum poterat. Quadam die reperiens hostes, irruit audacter in eos; at illi terga verterunt, sive timore, ut fugerent, seu industria, ut eum longius abductum capere possent. Quos ille insecutus aliquantum, a suis disjunctus est; inimici videntes illum se persequentem solum, unus eorum conversus equum, cui insidebat, percussit, et per latera transforavit. Ille, sciens equum ad mortem C vulneratum, mox vertit habenas, et conversus retrorsum, calcaribus urgens cornipedem, celeri fuga ad suos reverti conabatur. Beatam Domini Matrem inclamitans, voce magna: « Sancta Maria Becci, adjuva me, sancta Maria Becci, adjuva me. » Sic vociferando pervenit ad quoddam fossatum, quo perpeti saltu transmisso, quasi jam securitate potitus cecidit mortuus. Hoc idem Willelmus Crispinus pro magno miraculo, ad honorem Dei et ejus sanctæ Genitricis, narrare solitus erat, quod equus pene mortuus, profluente hinc inde ubertim sanguine a lateribus, per duo fere milliaria portavit eum ad tutum locum. Equidem equus ipse, ut aiebat, nimia velocitate vigebat, sed tam velocem nunquam eum invenerat. Idem Willelmus, postea captus, cum in D carcere diu teneretur ferro constrictus, timore et angore coactus, vovit, si Deus eum de hac tribulatione liberaret, quod iret Jerusalem. Nec multo post egressus, liber de carcere, accepit crucem, signum videlicet eundi Jerusalem. Mox ita mutatus est verbo et opere ut totus subito videretur alteratus, cunctis qui hoc videbant mirantibus. Proficiscendi terminum posuit ad primam festivitatem sancti Michaelis; sane rogabat Deum et sanctam Matrem ejus, quatenus, si in via moriturus erat, antequam proficisci inciperet, moreretur, quo Beccum delatus, inter antecessores suos jaceret humatus. Quod Deus juxta bonitatem suam, sicut petebat, illi concessit. Nam infirmitate correptus, hominem exuit in vigilia sancti Michaelis quarto Kalend. Octobris, et sicut deside-

raverat, utque moriens præceperat, die qua profecturum se dixerat. Portatum est corpus ejus ad dominam suam sanctam Beccensem Mariam, et juxta suos patres sepultum. Talibus beneficiis beata Dei genitrix genus Crispinorum, et alios quamplures cujusque ordinis, et generis, ad suam familiaritatem adduxit, ut firmiori fide et ardentiori amore ejus audeant implorare in suis necessitatibus auxilium, quatenus per ipsius intercessionem recuperare valeant Filii sui Domini nostri Jesu Christi gratiam, qui vivit et regnat cum Patre, et Spiritu sancto Deus in sæcula. Amen.

---

57 VITA S. AUGUSTINI

MONACHI BENEDICTINI, PRIMI CANTUARIENSIUM ARCHIEPISCOPI ET ANGLORUM APOSTOLI.

Ex vet.ms. Beccensis abbatiæ.

PROLOGUS IN VITAM.

Quæ de ipsius primi Anglorum institutoris Augustini vita et signis venerabilis Bedæ depromit historia (79*), quæque ab ipso prætermissa in aliis codicibus vetustis reperimus, fidelissime nostro malleolo recudimus. Quæ etiam post ejus ad sidera triumphum declarata ac descripta legimus, eadem probabili fide adjungimus. Quæ vero præsentialiter, testibus populis, et probatissimarum personarum indicibus oculis, luce clarius rutilant, suis radiis credentes illustrant, hæsitantes reverberant. Possemus et inspectorum, et curatorum pleraque retexere loca et nomina, nisi vetaret nausea. Super omnia beati Gregorii cadent testimonia (80) : qui hunc scriptis declarat plurima patrasse signa. Hæc itaque quæ lectione, vel visu novimus, alio libro fusius exposuimus (81), quatenus insatiabilibus paternæ dilectionis filiis obsecundaremus. At hunc libellum paululum contraximus, ut inter divini et humani convivii solemnia, benignis et fraternis (82) hospitibus obtemperemus. Simul etiam aliæ confratrum Ecclesiæ, per hunc oceanum diffusæ, ad quas hæc contigerit pervenire, nativo congaudeat amore, tanquam sui protoparentis filiæ. Verumtamen super hoc compendii propositum, video crescente Elisæi oleo superfluere vas meum. Oremus ergo omnes eruditissimos ac benignissimos doctores, ac discipulos Dominicæ scholæ, ut hæc, tam lucide comprobata, non solum non renuant credere, verum etiam plena benevolentia paterni affectus suscipere, jugique fide, contra improbos, studeant celebrare.

INCIPIT VITA.

Fortem armatum cujus atrium, mundus ; cujus firmamentum, regna terrarum; cujus præda, genus humanum : noster armatus in nostra etiam infirmitate, longe fortior congressus potentialiter, parata in se cruce, plaga nunquam sanabili transfixit, et omnia opprobriorum tela ac jacula sibi injecta in illum retrorsit. Omnia ejus arma abstulit, ipsumque æterno carcere ac suppliciis mancipatum irrevocabiliter damnavit. Omnia spolia ipsius jure triumphata, apostolicis ducibus suis distribuit electosque principes, super gentes, nationes, et regna, constituit (*Luc.* XI). Remansit Britannici Oceani orbis æquoreus, ab universali orbe circumcisus. Hunc illa rex præpotentissimus, Augustino fideli dispensatori suo quondam venturo, reservavit, qui noctem verteret in diem, et novam ac veram, post tenebras, perpetuam infunderet lucem. Pollebat jam papa Gregorius humani generis splendor immensus, qui hunc divino instinctu segregaret in opus Dominicum, ut quondam Petrus Barnabam et Saulum (*Act.* XIII,2). Intenderat ipse hanc palmam præripere, sed respondit Dominus hcc privilegium Augustini esse. Nam pueros, niveo candore nuper Romæ visos, audiens Anglos vocari, et provinciales Deiros, ac regem terræ Alle nuncupari : « Anglos, inquit, angelis sociari, et Deiros, de ira Dei liberari, ac Dei laudem in terra alleluia oportet decantari. »

Paratis itaque rebus mittit Augustinum, Dei scientia omnique virtute florentem, cum quadraginta electissimis comitibus, quos religiosos novit et promptos in divinis dogmatibus. Viam salutarem alacres accelerabant, et per aliquot dies longius processerant. Ecce autem ventosa fama, a maligno adversario vulgi ore ventilata, terruit athletas Domini, quæ diceret gentem quam petebant cunctis mortalibus ferociorem esse, sanguinem humanum

(79*) Historiæ gent. Anglorum, lib. I, a cap. 23 ad finem, et l. II, cap. 1, 2, 3.

(80) Refert S. Beda, ubi supra.

(81) Auctor prolixiorem Vitam S. Augustini composuit.

(82) Monachus fuit.

sitire, pati non posse Christianos vivere, nullo vero modo ab idolis suis eos revocari, nec ad Christum converti posse. Sic quondam discipulis Domini mare navigantibus ventus 58 contrarius obstitit, donec, increpata modica eorum fide, fluctus quos ipse calcaverat Dominus, imperio sedaret. Mittunt itaque suppliciter beato Gregorio Augustinum, quatenus eos permittat redire domum, nec tantum discrimen subire in vacuum. Sed a Gregorio, secundum nomen suum, prævigili, missa epistola quod magnum laborem major gloria consequatur, et ut Augustino, quem eis jam abbatem ordinaverat in omnibus obedirent, qui etiam apostolica ferebat scripta ad Etherium (83) Arelatensem archipræsulem, quatenus his Dei legatis solatiaretur in necessitatibus. Ita jam sunt coroborati ut cum majori gaudio, quem ante vehementer expaverant, laborem percurrerent.

Interea multis signis per Augustinum divinitus collatis, consolabantur plurimum, ex quibus, verbi gratia, hic inserimus unum, imo in uno trinum, omnibus ejus loci ubi factum est semper celeberrimum, atque etiam scriptis creditum. Jam ille chorus sanctorum, legens iter per Andegavensem provinciam, subeunt villam, Sai (84) appellatam. Quos ruricolarum turba indomita, ut ignotos et exteros, humili habitu ac pedestri incessu despectos, risu et apporia afficiebat. Et viri quidem ad feminarum vesaniam indemnes videbantur. Illæ vero, velut conjuratæ, in innocentes advenas tota insultatione ferebantur. Jamque rure ejectos, ut rabidæ canes ululatu, rugitu ac fremitu insectabantur. Proximam ulmum tunc astantem lassi viatores captantes ad requiescendum, inde etiam a ludibrioso impetu exturbantur viraginum. At unam almi ducis vestigia irreverentius astringentem, seu colubram, cum ille prætento baculo vellet repellere, tanquam feram, illico baculus de manu ejus, velut ab arcu sagitta, excutitur, et per tria fere stadia evolans, humi affigitur. Subsequitur dux cum devoto choro, quasi eo se vocante Domino. Augustinus baculum evellit, et cum baculum perpetuum aquæ fontem extrahit. Quo pariter a gravi siti relevati, æternas immolant gratias divinæ bonitati. Ibi suaviter fessos artus refoventes noctem ipsam in Dei laudibus exegere. Quos pulsos hospitio, residesque sub aere nudo, semper miserans altissima benignitas operuit gloria pro tecto, fuso scilicet desuper splendore æthereo, qui solem vinceret fulgore novo, ne indutos arma lucis tenebrarum augeret obsidio, pulchre etiam columna lucis, quæ quondam præcedebat filios Israel ad terram repromissionis, super istos refulsit, qui de Ægypto erronea, juxta sui interpretationem, tenebrosa, tot gentes eductas, præcedente fidei luce Christo credentes inducerent in regnum claritatis æternum. Adnotavit autem dux legationis nomen suum causamque itineris scribens baculo in terra juxta fontem, his litteris: « Hic hospitium habuit servus servorum Dei, Augustinus, quem misit ad convertendos Anglos beatus papa Gregorius. » Ingruente jam aurora, arreptum iter maturant percurrere ad Dominica lucra, agente forsitan divina sententia, ut qui ultro collatam benedictionis gratiam in hospitibus Dominicis repulsissent, jam non assequerentur, cum vellent. Jam die claro, tota illuc vicinia accurrit, ubi a superno cardine, usque in terram, jubar solare super cives cœli adhuc peregrinos terræ, videre plurimi radiare. Aspiciunt ibi etiam mirabilia Dei in sanctis suis coruscare de terra, sicut noctu viderant radiantem columnam de arce superna. Stupent et novum fontem sibi perpetua ac dulci vena scatere, et incomparabilis bonitatis advenas hæc beneficia sibi pro malefactis reddidisse. Discentes etiam et litteris nomen præclari doctoris, et tam salutiferam causam itineris, nubilosa confusione reatum suum deplanxere, quod Christi legationi et saluti gentium tam improbe restitere. Heu nos furiosos, dicebant, quod tantorum angelorum non meruimus foveri benedictione, nec imbui dulcedine! Condidere itaque ecclesiam in eodem loco unanimi devotione, et in honore ac nomine sancti Augustini Christo dedicavere. Altare vero, ubi ejus scripta legerant, statuere, ut cujus non merebantur corporali gaudere præsentia, perpetuo eum præsentem haberent in ipsa sua ecclesia. Ibi etiam præcordialis Pater permulta se poscentibus repræsentat beneficia, multa sanitatum exhibet miracula. Verumtamen ab hac ecclesia perpetuo repudio omne arcetur genus feminarum, ut omnibus sanctorum injuriatoribus semper sint in exemplum.

Quædam matrona dives huc cum cereo appetebat ingressum, et interminantibus omnibus urgebat propositum, dicens se non peccasse in sanctum, sed velle se honorare eum. Vix autem inconcessam metam attigerat, et subito ruptis intestinis exspirat; forasque extracta mortua, omnes credere docuit quod nulli crediderat, et quæ omnes vincere sua putavit præsumptione, omnibus palam interdixit talia nunquam præsumere.

Habent tamen ibi feminæ sua receptacula et sacraria, ubi orare et gratias Deo agere, vota sua reddere, divina mysteria audire, et salutaria sacramenta possint percipere. Habent et Augustinum in omnibus necessitatibus suis benignum auditorem, precumque ac desideriorum justorum promptum exsecutorem, præter inviolabilem ecclesiæ suæ conditionem. Vehementer autem admirari solent Andegavenses advenæ, aliique hujus notitiæ, dum apud ipsius Augustini corporalem requiem aspiciant, quaslibet feminas usque ad ipsius tumbæ oscula accedere, et nullam unquam apud ipsos ecclesiæ

(83) Etherio Arelatensi missa epistola a B. Gregorio exstat lib. IX epist. 63.
(84) Forte pons Cæsaris, Gal. Pont de Cé.

suæ limen posse attingere, nec de fonte potare. A Quibus respondetur istas ad hunc rite intrare quæ eum recepere, illas vero jure repelli quæ eum repudiavere.

Competit huic antiquo nuperrimum ejus ibi 59 gestum subnectere miraculum, quanquam morosius prosequamur ipsum luciferum festinantem ac Anglicum Oceanum. Venerat pridem reverentissimus Andegavensis præsul Goiffridus Doroberniam, gaudens ipsum antiquum suæ patriæ hospitem revisere Augustinum. Qui, audiens a fratribus monasterii præscripta recitari miracula, optime recognovit, et testimonio fideli astipulando comprobavit, recentisque facti ejus apud se, et apud ipsam Ecclesiam relator egregius ita narravit :

Hanc sane ecclesiam in nostra præsentia, ab B amatrice tanti patroni plebe solemnius reædificatam, ego in ipsius honore et nomine, ut primitus nata est, Domino proxime dedicavi. Adolescebant longe lateque in circuitu arvorum segetes, et sata jam in spicas et aristas maturescentia. Inundantibus autem ad dedicationem populis, velut ipse effunderetur fluvius Ligeris, ita conculcatæ, attritæ et comminutæ sunt illius arvalis æquoris annonæ, ut non modo tam percussæ, vel confractæ notarentur stipulæ quam passim exhaustæ, vel scopatæ areæ. Adeo in hoc desiderabili congressu Augustinensis solemnitatis, nemo attendebat quatenus vel suis, vel alienis parceret damnis. Jam illius anni vale fecere defunctæ spei et fructui, usque in alium Augustum irremeabili. Sperabant in Augustini largi- C tate, sed in alia, quam quæ tunc excesserat, benedictione. Verum ex hac desperatione, major admirationis ac fidei nata est lætitia, dum hæc tellus tam pessumdata et condemnata omnes terras ipsius provinciæ in messe supergrederetur, et altitudine frugum et copia. Unde circa tantum advocatum suum Augustinum, tanta omnium excrevit veneratio ac fidei devotio ut credant eum ubivis gentium invocatum adesse, et quidquid a Domino postulet obtinere et dare posse. His de veteri et novo competenter expositis, jam Oceanum occupantem legatum Domini subsequamur.

Finito jam principali orbe gentium terrestri calle, Augustinus navigat in æquoreum orbem Britanniæ, et excipitur, cum suprascripto numero sociorum qua- D terdeno, in opimam et prægrandem insulam Cantiæ, Tanetum vocabulo. Hæc primam se Christum in suis legatariis suscepisse merito triumphat in benedictione, felix tellus sua fertilitate, sed felicissima tot deiferorum ac civium supernorum primitiva hospitalitate. Sic, inquam, dirigente Spiritu Domini ejus viam, applicuit proxime quasi sub ipsam regiæ metropolis portam ; ubi sedem habeat perpetuam, et secus ipsam requiem sempiternam.

Ecce, beate protoparens regenerationis gentis Anglicæ, relinquens augustam parentem Romam, Angliam suscepisti filiam, quam sidereo Regi formosam enutrias sponsam. Jam post magnum orbem terræ, intrasti hunc vastissimi Oceani orbem alterum, serena facie pulcherrimum ac fecundissimum arvis, pratis, pascuis, fluviis, fretis uberrimum ; montibus, campis, silvis gratissimum ; urbibus populosis ac transmarinis institorum negotiis festivissimum ; gente candida, rerumque opibus illustrissimum. Hoc scilicet tam ingens, et præclarum Elysium, jam olim tibi electio officiali suo, omnium Artifex præordinavit. Qui a primordio mundum omni ornatu ac decore perfectum, edito homini possidendum exhibuit. Hæc gens facie formosa, sed idololatriæ fuligine denigrata, ut Moysi Æthiopissa, parte in Jordane abluta, ascendet tota dealbata. Jam, ad majorem Dei et coronæ tuæ gloriam, illa novæ lucis columna, quæ priscum populum eduxit in fide, et cruce resurgentis Christi erecta, tu educens gentium populum de Ægyptiacis tenebris infidelitatis, et umbra mortis, introduces post Jesum Nave in terram repromissionis, terram lactis et mellis. Tibi enim evangelico duci gratia contulit Evangelii, quod negatum est legifero Moysi, quodque ille in Lege non potuit consequi, tu in vero illum tuo explere meruisti Jam de spoliis vincti tyranni et de regno captivi prædonis, facies Deo nostro regnum (*Apoc.* V, 10), et populum acquisitionis (*I Petr.* II, 9). Jam post cœleste regnum et laborum præmia, hæc erit perpetua possessio tua, quæ per te Domino est acquisita. Et cujus fugisti temporalia commoda, jam possidebis hæreditaria lucra. Hic positus in antemurali turritam servabis speculam, unde universam jugiter tuearis tibi dicatam patriam.

Præsidebat (85) Doroberniæ Edelbrithus tertius regum Anglorum, sed qui primus foret civis angelorum. Uxor illi Christianissima, nomine Bertha, regia puella, regiis parentibus ex Francis regibus procreata, tali sacramento erat conjuncta, quatenus, in Christianitatis observantia nulla infestaretur versutia. Hæc advenis Christi janua ad regem erat pervia. Mandat ergo regi prudens Augustinus, per idoneos nuntios se de Roma suæ suorumque salutis gratia missos a Romano antistite, si modo dignentur beatifico nuntio, quem afferant acquiescere. Rex jubet tam præstabiles advenas, in ipsa qua recepti sunt insula, suum adventum maturum opperiri, eisque vitæ commoda plene ministrari. Hæc diu remoratus venit in Tanetum, residensque, sub divo ; vana enim suspicione vetusti erroris augurabatur se intra domum aliqua incantatione posse seduci, forinsecus vero non posse in conspectu cœli Foris præbebat sanctis audientiam sui. Absurde quippe nox timebat obscurari a luciferis Dei et filiis diei.

Augustinus, afflatus Spiritu sancto, ingerens pacem et salutem regi, suisque omnibus et regno refert se suosque consortes missos ad ipsum, sequ

(85) Cantuariæ. Edelbrithus Cantuariorum rex. Malmesbur. l. I Regnum Angl., cap. 1.

etiam ultronea benevolentia venisse, quatenus gaudium, et gloriam et regnum annuntient æternum, ubi obaudientes suis dictis sempiternaliter vivant et exsultent. Indicat **GO** omnium creatorem Deum Dei omnipotentem tantum homines a se factos dilexisse, ut homo filius hominis, salva semper deitate, dignaretur fieri, quatenus homines morte sua redemptos faceret filios Dei. Cujus nativitati nova stella alluxit, cujus pedibus mare calcabile servivit, cujus passionis injuria sol radios suos abscondit, cujus sepulturæ, et resurrectioni, omnis terra contremuit et acquievit. Ipse est, inquit, Dominus Jesus Christus, ab exordio mundi, ab omnibus patriarchis et prophetis, Dei Filius pronuntiatus, de Spiritu Sancto conceptus, de Virgine natus, et innumeris signis Deus et homo ubique declaratus; jamque ab omnibus gentibus ut omnium Salvator creditus, cognitus, ac susceptus. Hunc ergo, illa sua charitate non stimulante, qua pro nobis animam posuit, quaque vos in æterno regno suo habere socios totis visceribus desideramus; sicut ex uno homine omnes procreati sumus: hunc, inquam, Conditorem et Salvatorem omnium, in quem credentes salvi sitis, vobis annuntiamus, quia sine ulla ambiguitate, promissa præmia proveniunt credentibus, et infinita supplicia contemnentibus. Ista et alia quam plurima Dominico legato proloquente, et innumeris divinarum virtutum testimoniis vera comprobante simulque imaginem sancti Redemptoris decorose et aurose in tabula depictam prælibante, quo discerent etiam alienigenæ ei gratias immolare. Rex admiratus laudat quidem et beatificat tanta promissa, simulque gratias reddit sanctorum benevolentiæ qui, de tam longinquo venerunt suæ salvationi consulere. At vero ex nativa cæcitate lippientibus oculis, impatiens tantæ lucis splendorem ferre, respondit se non posse veteres patrum suorum ritus, quos tota Anglia eotenus coluisset, exuere; ac novis incertisque cæremoniis juvenescere. Verumtamen ipsos pro bona sua industria se velle in suam civitatem Doroberniam amica civilitate suscipere, vitæque subsidiis sufficienter refovere simul etiam quotquot possent ad suam sectam convertere, ultro se eis annuere.

Sic ergo Dei dispensatione cor regis illustrante, Augustinus cum pusillo grege Domini, quibus complacuit Patri gratiarum dare regnum, cum canoris letaniis veniens Doroberniam, hanc antiphonam ratanter inchoat, et cum omnibus dulci modulatione decantat: Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus et ira tua a civitate ista, et a domo sancta tua, quoniam peccavimus. » Bene se tali confessione peccatoribus inferebant, quos Deo reconciliare et relaxare venerant. Tali devotione protodoctoribus, et in fide Christi protopatribus, Angliæ metropolim suam cum triumphali crucis labaro ingredientibus, erat angelos custodes dicere credituris civibus: *Aperite* A *portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem* legationis suæ. *Vetus error abiit* idololatriæ (*Isai.* XXVI, 2, 3), ut hic amodo servetur pax Christi et Ecclesiæ. Jam hic ruere muri videbantur Jericho ubi ædificentur muri Jerusalem. Ruunt scilicet, non saxea mœnia, sed dæmonum munitiones, et saxea numina, a sanctorum terrore dissoluta, quæ cultores suos captivitate et obsidione damnaverant æterna. Jam hic Sponsus gloriæ, urbem sibi novam Jerusalem per archipolum Augustinum suosque complices artifices molitur, cujus fundamenta et muri ex auro mundo, et omni lapide pretioso; cujus designatores, patriarchæ; cujus mensores, prophetæ; cujus ædificatores, apostolici Patres; cujus illustratores et politores gemmarii, martyres; cujus instructissimi dicta- B tores, confessores; cujus pulchritudo in domibus eburneis, virgines, cujus ornamenta, omne quod visu pulchrum est, theoricis oculis delectabile. In summitate, et ambitu murorum, jugis et pervigil stat custodia angelorum. Hujus tam decorabilis urbis primus institutor asciscitur Augustinus, ut Sponsi præ filiis hominum speciosi, amicus et sponsæ gloria et honore coronatæ, paranymphus. Hic modo dum pro castris Dominicis decertandum, et subactis rebellibus gentibus ad urbem erit triumphandum. Iste primicerius consul, et Dominici testamenti angelus, perpetuum hæreditabit thronum, omniumque successorum, dum veniat Princeps pastorum, ut pater filiorum apicem referet primarium. C Postquam autem terrenos labores mutaverit cœlesti corona, tunc uti nunc lucet, potentius regnabit in arce Sion, arce sua splendida, quæ supra urbem, turritum attollit verticem in aera, quæ tam principalis thesauri totque conreconditor principum gratia, tota in excelsis fulgeat aurea, unde usque in diem regenerationis omnium, suam protegat Jerusalem cum tota patria, virtute, et oratione perpetua.

Igitur novi armigeri Domini sedebant in civitate condenda Christo, donec induerentur virtute ex alto, et auxilio opportuno. Quis autem explicet hos nubigenas, scilicet ut nubes volantes, angelos viventes, flores eremi, Antonios et Macharios, in urbe exhibentes omnia mundi oblectamenta pulchra et suavia, velut lethiferum vaporem, non solum fugien- D tes, verum etiam omnes auditores parturienti charitate, et præcordiali parturitione, ad infinita æternorum gaudiorum sæcula impellentes? Nil de mortalium opibus, præter salvandas animas ambiebant, sola divina et superna inexplebiliter appetebant.

Lucet ab orientali plaga confessoris Christi Martini basilica, dimidio fere stadio ab ecclesia Domini Salvatoris remota, olim a Romanis Christianis condita, hodieque sacris officiis prædita. Nam per quadringentos circiter annos, usque ad Maximum imperatorem, incoluerant Romani hæc climata, qui de Gratiano et Valentiniano augustis, civili bello **€§** triumphavit; quo abstractis militibus Britanniam Romano robore exhausit. In ipsa itaque eccle-

sia sacratissimus pontifex Letardus Christianissimæ reginæ Berthæ sacras missas (86), et Dominica officia assiduabat; qui illi a regia Francia datus est comes, et custos probatissimus in omni sancta observantia, ne qua Dominici prestigii furia, splendidissima fidei Christi in ea offuscaret monilia. Utque maximis assimilemus minora, prævenerat hic apostolici Augustini prædicamenta, ut lucifer auroram, et aurora solem, illum videlicet Solem, quem clarius extulit Augustinus Oceano, tanquam sponsum procedentem de thalamo suo (*Psal.* XVIII, 6). Is quoque, ut præcursor et janitor, Christum ferentibus legatis ultro aperuit. Cum hoc sane beato præsule Letardo, Dei famulus Augustinus, suique socii, addito magno salutis gaudio, in omnibus Dominicis mysteriis una erant Ecclesia et collatio, unus spiritus in unico Domino suo. Hi etiam novi, velut suos, prævios prosecuti, et tanquam aurum superductum argento, decorabant ipsos præcessores superveniendo. Sanctus vero Augustinus, suique in omnibus sectatores, magna signorum gratia præditi, omnes curabant, vel sibi præsentatos, vel a se visitatos debiles et ægrotos. Stupebant gentes, a tanto virtutum fulmine exterritæ, ambigentes quid vehementius admirarentur, an terrigenas transeuntes in cœlites, an mortales immortalitatem animarum et corporum, vita et prædicatione certissima astipulantes, an dilectionem, quæ fortis est ut mors (*Cant.* VIII, 6), qua secum omnes trahere ad superna consortia æstuarent, qua pro hostium etiam, quasi pro fratrum salute, se traderent: an tandem quod ipsa sanctorum promissa tam perspicuis miraculorum coruscationibus ac testimoniis credibilia facta sunt nimis. Dicebant diversi, aut homines in Deos mutatos, aut inter homines humana specie conversari Deos. Hæc ex toto fallebat rudis vulgi opinio; de suis adoptivis dicente Domino: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Crediderunt itaque Christo plerique victa duritia, tantæ novitatis admiratione.

Tantis etiam rerum fulgoribus, rex ipse pavore et oblectatione divina attonitus, Augustino jugi instantia persuadente, Ecclesia orante, regina, ut sacris litteris erudita, permulcente, sanctis Patribus gratificantibus opportune vel importune, ultro abdicatis feralibus inferorum numinibus, efficitur in Christo divinæ adoptionis filius. Jamque cunctis cœlorum virtutibus sublimiter congratulantibus, et populorum turmis ad tanta solemnia occurrentibus, baptizat novum Constantinum Silvester novus. Ungitur evangelicus David oleo lætitiæ, et intronizatur mansuetus solio misericordiæ. Coronatur ecclesiasticus Salomon corona pacifica, in æquitate et sapientia. Præbet se de imperio servorum Dei famulum, convertitur princeps ducum in evangelicum parvulum, et dominator populorum sociumque se profitetur pauperum. Gaudet Augustinus et Ecclesia amplius se habere adjutorem quam ante timuissent persecutorem. Ille etiam subjectos sibi reges et optimates, cum populis suis Christo acquirit, suumque prius imperium mavult esse dilatando et propagando Christi regnum.

Primum itaque Augustinum, promptiorem ad omnium salutem quam ad sui prælationem, ad Ætherium Arelatis archiepiscopum, sibi suæque genti consecrandum apostolum mittit, videlicet ut Deus voluit, et beatus papa Gregorius Spiritu Dei prærogavit. Qui, transfretato æquore, accepto apostolatu a domino, et benedictione omnium gentium primarium Anglicæ genti retulit patriarchatum, et patriarchale patrocinium. Quem Deo amabilis rex, ut angelum testamenti Dei, triumphali gaudio excipiens, utque pusillus Zachæus Dominum, statuit eum suæ metropolis ecclesiasticum præsidem; in qua primitus susceperat hospitem nec tantum urbis, sed et totius orbis sui speculativum prætendit custodem. Solium regni in pontificalem cathedram, aulam regiam, Augustino reformante ac dedicante, in regificam Christi vertit ecclesiam. Ad orientem vero in suburbano colle regale et apostolicum Petri et Pauli attollit monasterium, tanquam urbis præsidium et munimentum, quod in arcem, et speculam regni, exaltat bravium, quod pretiosissima jam cœli thesaurizat ornamenta, videlicet ipsius Augustini, sanctorumque successorum ejus pontificum, atque regum splendidissima corpora, quæ in revelatione gloriæ magni Christi resilient in gloria. Tu quoque Rhofensis hierarchia, Andreæ apostoli tuo titulo inclyta, et Dorobernensis Ecclesiæ dextra suffraganea; tuque Lundoniæ pontificalis prærogativa, magni Pauli gloria, coronata beatæ memoriæ Edelberto regi nostro conditori, atque Augustino institutori, debetis in Domino æterna benedictionum præconia.

At novus Domini sacerdos ardens tanta gaudia attentissimo Gregorio nuntiare, in ipso reditu suo mittit Romam eximiæ sanctitatis viros, Laurentium tunc presbyterum, post sui sacri primatus successorem primum, suique suburbani monasterii primum abbatem Petrum. Hi, volucri animo ac studio sancto papæ admissi, referunt gentem Anglorum cum rege suo, in Christi populum transisse et regnum, Augustinum illis pontificem consecratum, verum ad tam multam messem credentium, paucas manus non sufficere operariorum. Proferunt et diversas novi præconis Augustini interrogationes, quibus rudis populus certius erudiatur. Tunc præcellentissimus apostolicus, ineffabiliter exhilaratus, fusis Deo infinitis gratiarum sacrificiis, et orato Domino messis ut mittat operarios in messem suam, exhaurit monasteria sua et ecclesias, et quidquid potest eruditorum ac religiosorum virorum in opus Evangelii efflagitare, toto mentis affectu, unico Augustino, et unicæ amatæ genti certat delegare. Huic sancto contubernio præpollebant quatuor ecclesiastici proceres, seu quatuor evangelistæ, Mellitus, Justus, Paulinus, Rufianus. Mellitus abbas mellifluus tunc

(86) Pontifex Letardus Berthæ reginæ Christiana officia subministrat. Malmesbur. ubi supra.

prælucebat splendido choro Gregoriano. Mittit et apostolicum Augustino pallium, grande scilicet Christi et Ecclesiæ sacramentum, tanquam omnium virtutum indumentum, quod est vinculum dilectionis Dei, et fratrum, ut Christi vicarius sit medius conciliator Dei et hominum, et zona paternæ justitiæ circumcinctus, angelos et homines, terram confœderet et cœlum. Addit sacrosancta xenia, apostolorum scilicet et martyrum vivifica pignera [pignora] ac diversa quæ ecclesiæ, quæ sacerdotibus, quæ altaribus, ac Dominicis ministris conveniant, ornamenta. Librorum quoque adjungit opimum convivium, et indeficiens ad vitæ patriam viaticum. Mittit etiam præfatarum enodatas et explanatas interrogationum quæstiones, quas in Historia Bedæ lector reperiet (87). Ex quibus unum hic videtur commentandum quod diversi usus Ecclesiarum, nequaquam faciant apud sanas mentes divortium, salva modo fide, et observatione catholica, sed sicut unius corporis diversa sunt membra et officia, sic regina sponsi Domini varietate circumamicta, tam multimoda quam multifaria triumphat in gloria. Sic et una corona multicoloribus texitur floribus, et unum monile aureum variis gemmarum illustratur splendoribus, et diversis vocum discriminibus unum concentum reddimus.

Scribit etiam Augustino de sua ditione, sic incipiens (D. Gregor. *epistola ad B. Augustinum*, lib. xii, *epist.* 15) :

« Reverentissimo et sanctissimo fratri Augustino, Gregorius, servus servorum Dei. Cum certum sit pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reservari, nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tribuere, ut in spiritualibus operis studio ex remuneratione velut multiplicius insudare. Et quia nova Anglorum Ecclesia, ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, et te laborante perducta est, usum tibi pallii in ea ad sola missarum solemnia agenda concedimus, ita ut per loca singula duodecim episcopos ordines qui tuæ subjaceant ditioni. Tua vero fraternitas non solum eos episcopos quos ordinaverit, neque hos tantummodo qui per Eboracæ (vulgo *York*) episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat, Deo et Domino nostro Jesu Christo auctore, subjectos, quatenus ex lingua et vita tuæ sanctitatis, et recte credendi, et bene vivendi formam percipiant. Data die decimo Kalendarum Juliarum, anno nono decimo imperii Tiberii Mauricii Augusti. »

Longius digressos prædictorum sacrorum gerulos alia Gregorii prosequitur epistola, qua per abbatem Mellitum mandat Augustino, ut « fana quæ bene constructa sint tantum idolis destructis in ecclesias et cultum veri Dei commutentur et consecrentur, quatenus gens ipsa in eisdem fanis suis Christum Dominum adorans, ad loca consueta familiarius convertatur. Animalia, quoque quæ solebant dæmonibus immolare, jam non in cultum diaboli, sed in laudem Dei in usum suum occidant, et Donatori de satietate sua gratias agant. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus in suo sacrificio, animalia, immolare præcepit, ut vero hæc Deo, non idolis immolarent. Data die quinto decimo Kalendarum Augusti, anno imperii Mauricii decimo nono.

In tertia vero epistola missa Augustino (D. Greg., lib. ix, epist. 58) : ex magno gaudio conversæ per eum gentis, in laudem Domini exclamat sic inchoans « *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* ii, 14); quia granum frumenti cadens in terra mortuum est, cujus morte vivimus, cujus infirmitate roboramur, cujus amore in Britannia fratres quærimus, quos ignorabamus, cujus munere quos nescientes quærebamus, invenimus. Quis autem narrare sufficiat, quanta hic lætitia in omnium corde fidelium fuerit exorta? Quod gens Anglorum operante omnipotentis Dei gratia, et tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris, sanctæ fidei luce perfusa est, quod mente integerrima jam calcat idola, quibus prius vesano timore subjacebat, quod omnipotenti Deo puro corde substernitur? » Deinde post pauca prosequitur : « Scio, frater charissime, quod omnipotens Deus, per dilectionem tuam, in gente quam elegi voluit, magna miracula ostendit. » Hæc dicens, incutit Dei signifero gaudium, et timorem, ut gaudeat Anglos per miracula ad Christum converti, timeat vero ne humana imbecillitas in aliorum profectu incipiat labi. Proponit illi summum amicum Dei Moysen in exemplum. Hic per tanta signa Ægypto percussa aperto mari eduxit populum Israel, siccis vestigiis, duce lucis columna. « Jejunans quadraginta diebus et noctibus, tabulas legis accepit, inter coruscos tonitrus pertimescente populo, solus etiam familiari collocutione Dei pasci meruit. De cœlo manna, item carnes ad satietatem nimiam ministravit. Ad jussum Domini, licet diffidens, larga fluenta de petra eduxit. Inde per triginta octo annos signis effulsit innumeris. In omni dubitatione Dominum consulens, Deo loquente, docebatur. Illi resistentes terræ hiatus absorbuit, victoriis hostes oppressit. Hunc ergo tantarum gratiarum exsecutorem, una diffidentiæ culpa, qua ad aquas contradictionis ante præscriptos triginta octo annos deliquerat, et in tanto tempore inter tanta tamque benefica et amica Domini colloquia, recognitionem neglexerat justa Dei sententia, tandem a terra illa repromissionis morte præripuit. » Talibus monitis pervigil Gregorius Dei famulum, jam olim in omni sanctitate fundatum, altius in timore, et fide solidare curavit. Quem tandem profitetur electum, qui etiam de multorum conversione gaudium facere conatur in cœlo. Et in hoc itaque cœli, et angelorum gaudio præmissas voces repetit, epistolam finiendo.

(87) Exstant apud V. Bedam lib. i, c. 28, et lib. xii, ep. 31, D. Greg.

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus A *bonæ voluntatis.*

Regem nihilominus Ethelbertum [*seu* Aldibertum] post laudisona initia, sic hortatur blandiflua epistola (D. Greg. *epist. commonitoria ad regem Ethelbertum*, 60, l. ix). Eam inquit, gloriose fili, quam accepisti divinitus gratiam, sollicita mente custodi. Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina, zelum rectitudinis tuæ in eorum conversione multiplica, idolorum cultus insequere, fanorum ædificia everte, subditorum mores in magna vitæ munditia exhortando terrendo, corrigendo, et boni operis exempla monstrando, ædifica ut illum retributorem invenias in cœlo, cujus nomen atque cognitionem dilataveris in terra Ipse enim vestræ gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddit cujus B vos honorem quæritis, et reservatis in gentibus. Sic enim Constantinus quondam piissimus imperator, Romanam rempublicam, a perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Deo, Domino nostro Jesu Christo, secum subdidit, seque cum subjectis populis, tota ad eum mente convertit. Unde factum est ut antiquorum principum nomen suis vir ille laudibus vinceret, et tanto in opinione prædecessores suos, quanto et in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem unius Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, regibus ac populis sibimet subjectis, festinet infundere, ut et antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat, et quanto in sujectis suis aliena peccata deterserit, tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis C Dei terribile examen securior fiat. Reverendissimus autem frater noster Augustinus in monasterii regula edoctus, sacræ Scripturæ scientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque vos admonet, libenter audite, devote peragite, studiose in memoriam reservate, quia si vos eum quod pro omnipotente Deo loquitur auditis, idem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudit. Parva autem xenia transmisi, quæ vobis parva non erunt, cum a vobis ex beati Petri apostoli fuerint benedictione suscepta. Omnipotens itaque Deus, in vobis gratiam suam quam cœpit, perficiat, atque vitam vestram et hic per multorum annorum curricula extendat, et post longa tempora in cœlestis D vos patriæ congregatione suscipiat. »

Gloriosæ quoque reginæ Berthæ [*al.*, Aldibregæ] scribit (88). Unde hæc excerpsimus : « Remeantes, dilectissimus filius noster Laurentius presbyter, et Petrus monachus, qualis erga reverentissimum fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum gloria vestra exstiterit quantaque illi solatia, vel qualem charitatem impenderit, retulerunt. Et omnipotentem Deum benediximus, qui conversionem gentis Anglorum mercedi vestræ dignatus est propitius reservare. Nam sicut per recordandæ memoriæ Helenam matrem piissimi Constantini imperatoris ad Christianam fidem corde Romanorum accendit, ita et per gloriæ vestræ studium, in Anglorum gente ejus misericordiam confidimus operari. Et quoniam prudentiæ bono, sicut revera Christianæ, et rectâ fide, gloria vestra munita, et litteris docta est, et Deo volente aptum nunc tempus est, agite ut, divina gratia cooperante, cum augmento possitis quod neglectum est reparare. Itaque mentem gloriosi conjugis vestri in dilectionem Christianæ fidei adhortatione assidua roborate. Vestra illi sollicitudo in augmentum in Deo amoris infundat; atque ita animos ejus etiam pro subjectæ sibi gentis plenissima conversione succendat, ut et magnum omnipotenti Deo de devotionis vestræ studio sacrificium offeratis, et ea quæ de vobis narrata sunt, et crescant et vera esse modis omnibus approbentur, quia bona vestra, non solum jam apud Romanos, pro vita fortius oraverunt, sed etiam per diversa loca, et usque Constantinopolim ad serenissimum principem pervenerunt. Unde petimus ut, sicut nobis de Christianitatis vestræ solatiis lætitia facta est, ita quoque de perfecta operatione vestra angelis fiat gaudium in cœlis. Sic vos in adjutorium supra scripti reverentissimi fratris, et coepiscopi nostri, et servorum Dei quos illuc misimus in conversione gentis vestræ, devote ac totis viribus exhibete. Ut et hic feliciter cum glorioso filio nostro conjuge vestro regnetis, et post longa annorum tempora, futuræ quoque gaudia vitæ, quæ finem habere nesciunt, cum fructu æternæ mercedis capiatis. Data die decimo Kalendarum Juliarum, imperante Mauricio Tyberio, anno nono decimo. »

De his etiam quæ Francorum episcopis scripsit idem papa mellifluus hæc pauca excerpsimus. « Sicut ignis, aura flante, fit grandior, ita bonæ mentis studia commendatione proficiunt. Quia igitur, Redemptoris nostri gratia cooperante, tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo convertitur, ut reverentissimus frater et coepiscopus noster Augustinus, eos qui secum sunt, ad hoc opus exsequendum, asserat non posse sufficere, aliquantos ad eum monachos cum dilectissimis, et communibus filiis, Laurentio presbytero, et Mellito abbate prævidimus transmittendos. Et ideo fraternitas vestra charitatem, quam decet, exhibeat. Præterea quæ regi Francorum Lothario de sanctorum susceptione, Brunechildi de ipsorum ubique fusis miraculis, gratificis scriptis suggesserit, in suis epistolis liquide clarescit. »

Hæc itaque apostolicæ commendationis scripta Britanniæ regem, et reginam cum summo antistite suo, non solum divino gaudio repleverunt, verum etiam ad cœlestia regna appetenda vehementius ascenderunt [*f.*, accenderunt].

Interea Augustinus ab ecclesiastico ritu discrepantes Britonum pontifices, regis adminiculo ad aliquibus gratias habet, eamque adhortatur ad melio

(88) Ad reginam Bertham litteræ D. Gregorii, (lib. ix epist. 59.)

rum Ecclesiarum omnium communem observantiam, humili prece et admonitione invitat. Cui illi, velut in acie, non solum repugnant, verum etiam suos usus omnibus præminentiores sancti papæ Eleutherii auctoritate pronuntiant. Tandem signipotens Augustinus parat in aliquo debili curando veritatis argumentum. Assistitur [illegible] cæcus, Anglicus, Dei nimirum nutu oblatus, ne Britones sibi arrogarent signum, si quis de suis esset salvatus. Offertur ergo adversariis cæcus; illis abnuentibus, Augustinus, flexo genu, fusa prece, signatis orbibus cæcis Dominica cruce. « In nomine, inquit, Domini sic iste cæcus illuminetur, sicut nostra assertio sanior comprobatur. » Cui protinus respondens claro testimonio clara oculorum illuminatio, dat certam fidem tanti signi splendore, congaudenti populo, quam vera sit Augustini assertio. Ipsi quoque Britones approbant quod inficiari nequeunt. Attamen dilationem postulant qua majores suos conveniant, data die qua consilium repetant. Venere ergo septem episcopi a quodam Justo suæ partis viro ita edocti ut si Augustinus mitis et humilis corde probaretur, quod esse si ipsis episcopis advenientibus assurgeret cognosceretur, tunc illi velut Domini nuntio, et jugum Domini ferenti obedirent Si vero episcopis, qui plures essent, non assurgeret velut arrogans, et contemptor ab his contemneretur. Tali mucrone quo perirent præcincti, Augustino sibi non assurgente, furiose indignati, ipsum et omnia ejus dicta repudiant, eoque ferocius rebellant, quo ille humilius, et amabilius deprecatur, ut concordem Ecclesiarum normam sectentur. Hac sane mansuetissima charitate et charitativa mansuetudine erat, discipulum Christi et famulum lucidius cognoscere, quam si superbis assurgendo ipsorum videretur obstinatiam honorare, et honorando approbare. Perverse ergo superbi humilem famulum Domini calumniabantur superbiæ insessione, cum ipse Dominus, qui dicit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29); sedens docuerit, pauperes spiritu beatos esse; quod illi esse nequibant, typo elationis suæ. Sed cum adhuc præcordialis pater illorum salutis avidissimus oraret, et saltem in his tribus universali Ecclesiæ jungerentur, hoc est in baptizando, et Pascha Domini celebrando, atque una secum Anglis Christum evangelizando, omnia prorsus abdicant, quin etiam omnem ejus ditionem a se exterminant. Quos ille prophetali increpans machæra: Ab illis, inquit, hostibus peribitis, quos fratres habere in regno Dei abhorretis, et ab his vitam perdetis, quibus effusam omnibus gratiam Christi invidetis.

Igitur post triumphalem hujus vatis assumptionem ad Dominum, rex Anglorum Edelfridus bellicosissimus, Britones immanissima cæde pene delevit; capta civitate Legionum, quam Angeli Lagacestram, Britones Karlegion appellant Irruerat illuc inæstimata multitudo sacerdotum et monachorum contra hostem oratura. Confluxerat etiam de monasterio Bancor plusquam duo millia monachorum, quos omnes labor manuum alebat. Hos pariter oratione, et triduanis jejuniis in hostem pugnantes, hostilis gladius vel acriores adversarios exhausit Et ex his mille ducenti, reliquis profligatis, exstincti sunt. Cæsi autem populi non est numerus. Sic Augustini contemptores, vatem experti sunt veracem, quem supplicem abjecerant et minacem.

Confessor itaque Domini a supra memoratis rebellibus tendens, cum sancto choro sociorum, ad Eboracam civitatem, videt hominem secus viam accubantem paralysi, cæcitate, atque ægestate ter miserabilem. Audit hunc turbæ pretereuntis causam interrogantem; cognitumque famosi Augustini nomen inclamantem, opemque et eleemosynam tanti Patris implorantem. Ad quem accedens æmulator Dominici Clavigeri. « *Argentum* inquit, *et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc do tibi : In nomine Domini Jesu Christi, surge* (*Act.* III, 6), et illuminare, præditusque salute et luce, procede : nec jam indigeas gestatore vel duce. » Hoc verbum Christi nominis, quasi ex ore Christi prolatum, subito erexit paralyticum, illuminavit cæcum, simul etiam his apertis oculis cordis, suscepit baptismum, pariterque cum corporis officio, animæ profectum.

O virum spiritu Dei plenum, cui, ubi res divina poscebat, tam parata erant signa ad salvandum quam verba ad docendum ! Nam quis referat quam crebris miraculorum coruscationibus ubique emicuerit ? Quantas fidelium turbas et in illo itinere, et in finibus Eboraci et in omnibus quo se vertit locis, Deo lucratus sit? quantum etiam aliis diebus, ac temporibus profecerit, cum in una Dominicæ Nativitatis die, quam universa angelorum gloria perpetuo concelebrat, plus quam decem millia virorum præter innumerabilem multitudinem feminarum ac parvulorum vitali baptismate regeneraverit. Quæ vero sacerdotum, aliorumve sacrorum ordinum copia ad tantum populum abluendum sufficeret? Benedicto itaque fluvio, Anglice *Sualvus* nuncupato, jubet summus pontifex per præcones, et magistros, omnes binos, et binos, confidenter ingredi ; et in trino Deitatis nomine, alterum ab altero vicissim baptizari. Sicque omnes renati non minori miraculo quam quondam populus Israël divisum mare ; itemque Jordanem retro conversum transierat, in alteram ripam sunt transpositi. In tam profundo gurgite, in tanto tamque diverso sexus et ætatis examine, nemo perit, nemo læditur ; magnum hoc erat miraculum. Sed hoc magnum, majori eminentia superatur, cum omnis debilitas et infirmitas in illo amne deponitur ; omnis languidus et deformatus sanus et reformatus egreditur. O festivum spectaculum angelorum et hominum ! cum tot millia candidatæ gentis ex unius fluminis alveo, velut ex unius genitricis, prodirent alvo ; et de uno stagno tanta progenies in supernam civilitatem nasceretur olympo! Hinc serenissimus papa Gregorius, cum omnibus supernorum contuberniis erumpens in gaudia, non

tulit hoc reticere sancto patriarchæ Alexandriæ Eulogio; scripsitque gratissime congratulaturo, de tanto exercitu in illa una Natalis Domini die baptizato. Ecclesia autem in hujus Baptistæ Augustini perpetua memoria et nomine, juxta prænominatum fluvium, condita ac dedicata, præbens credentibus postulata, prædicti papæ comprobat testimonia.

Regresso ergo Evangelio Domini ab Eboraco, homo horrenda lepra totus ulcerosus, orans a benefico Patre opem salutis, infusa benedictione apostolicæ dextræ, cum signaculo salutiferæ crucis, et nomine Dei majestatis, continuo sensit sibi omnem dolorem velut a luce tenebras aufugisse, et quasi exuto vetere homine fœditatis luridæ, novum hominem incolumitatis suæque formositatis solemniter se induisse. Nam dicente ipso summæ Trinitatis confessore: « In nomine Christi mundare; » hoc trino videlicet benedictionis crucis, et nominis Domini medicamine, æger restauratur plena sospitate. Residunt turgidæ manus et digiti, facies et omnia membra suo decore et officio deducuntur. Jam clamose eloquens lingua, abicit [abjicit] tarataram [*al.*, taratantara] (89) hactenus suppressæ vocis interpretem. In tanta signorum gloria, Christiani in laudem Christi prorumpunt, pagani ad fidem proficiunt.

Hinc divertens dux verbi Domini, successit tandem cuidam profanæ villulæ in provincia quæ dicitur Doreseta; ubi dæmoniaca plebicula sanctos Dei omnibus opprobriis ac ludibriis dedecoravere; adeo ut (quod etiam referre injuria est), productas piscium caudas ingererent. Unde indignatus Spiritus Domini, in hujus auctores sceleris, et in omnem illorum progeniem, suum dedecus, per os Augustini vatis perpetualiter sententiavit, et pravis propriam ignominiam, sanctis vero perennem gloriam refudit.

Erat et alia gens in orientali plaga Angliæ, ita in sacrificiis dæmonum a gehennæ incendio inflammata, ut nuntios Christi cœlestia regna promittentes, non modo audire abhorrerent, verum etiam tota mentis insania, eos punire, vel exterminare æstuarent.

Nil preces, nil blanditiæ valuere; terrores superni judicii, vel inferni deridebant, prodigia et signa exsufflabant. Tam desperabiles et perditos, fides et benignitas Augustini perire non pertulit. Resistens supernæ iræ, orat Patrem misericordiæ, ut ingratos clementiæ corrigat correctione. Itaque ab arbore profanitatis suæ, ardent omnes invisibili igne, et sulphureo torre; quam pœnam nunquam ante, nec postea senserat hæc patria. Nemo evasit ubi nemo innocens exstitit. Ubique ejulatus, vagitus senum, juvenum, lactentium una ardentium inhorrebat; ut et parentes in suis partubus cruciarentur. Convolant omnes ad Christi famuli vestigia, qui Christi repulerant mandata, justo supplicio jam eruditi, quia in Christi baptismate per Augustinum possent a supplicio liberari. Sic ille lætifer ignis fœtidas carnes exedens, quem omnia fluenta non exstinguerent, omnia medicamenta non expellerent, solo Domini fonte, Augustini ope, ab omnibus baptizatis exstinctus et expulsus est, atque ab omni Augustini climate perpetuo eliminatus.

Ab illis autem, quos supra retulimus, suo opprobrio sententiatos, Augustinum suosque beatos consortes, per quinque milliaria progressos, et per deserta atque inaquosa loca vagabundos, æstus, et sitis ac lassitudo premebat, quorum unum incommodum viatores gravare poterat. Verum ille qui sedebat meridie super fontem fatigatus ex itinere motus servorum suorum labore, et oratione, non dedignatus est visibiliter suo charo ac fideli condescendere dispensatori, suoque dulci affatu hunc consolari. « Constans esto, ait, et fiducialiter age, serve mi complacite, quia tecum sum promptus adjutor in omni necessitate, ac bona tua voluntate. Pro quibuscunque volueris pete, sciens me favere semper benigne charitati tuæ. Tibi quippe apertum est ostium regni mei, ubi intres in gaudium Domini tui. » Hæc dicens Dominus cœlo receptus est.

Tam dulci fonte saliente in vitam æternam ubertim potatus Augustinus, nescit sitire fontem quo sitiat iterum, nec operari cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Una erat intentio tam desiderabilem aspectum lacrymis sequi abeuntem, quibus purgatis oculis attingeret angelorum lucem. Continuo flexis genibus, adorans in loco ubi steterunt pedes Domini, et quasi ipsa Domini vestigia exosculans, Magdalenæ fletibus rigabat, æternamque dilectionem in his aromatizabat.

Perpendens etiam hanc terram cœlestis beneficii plenam inundatione, ubi emicuit fons vitæ, baculum ipsi loco impressit, cum quo mox æstuantem laticis puri scatebram elicuit. Unde omnes Deo gratias libantes ad satietatem refecit. Qui in amnes et rivulos hactenus diffusus, hæc loca prius solitaria, populosissima præbuit. Ubi Theologus confessor Domini a cernendo Deum, quem ibi vidit, Cernhel (90) loco nomen indidit: quod ex Latino Hebræoque contextum in unum coaluit. Prima enim syllaba cern, visum, secunda hel, declarat Deum. Ibi quoque oratorium, in perennem memoriam Dominicæ visionis, molitus est, in nomine Domini Salvatoris. Inde etiam monasterium in honore principum apostolorum dedicatum, Cernelium est appellatum, quo constant monachorum choro decoratum. Illum autem fontem, Augustini nomine consecratum, credentibus esse saluberrimum, hic unum

(89) *Taratantara.* Hanc vocem adinvenit Ennius ad exprimendum sonitum tubæ, inquit Servius in IX Æneid.

(90) Cernhel huic loco nomen indidit. Ibidem monasterium Cernelium appellatum construitur, dicaturque S. Petro; de quo v. Malmesb. De Pontif. Ang. lib. II, De Monast. Shirbunens., etc., fol. 142.

docebit miraculum, teste provincia, nuper declaratum.

Notus est sub abbate Cerneliensi presbyter parochianus, sacra mysteria populo celebrare assolitus. Is languore detritus, vigilanter observabatur jam moriturus. Nox, et ægritudo, somnum suggessit defesso. Videt Augustinum assistere clementissimum pontificalibus redimiculis, et præfulgida virga festivum. Ille, trementem blando alloquio permulcens, jubet ægrum surgere, Augustini fontem adire, ibique trina iteratione psalmum quinquagesimum ore fideli revolvere, inter psallendum vero terna intinctione corpus diluere, sic ipsum vita donandum ac sospitate.

Et ne, inquit, dubitaveris, hæc ipsum Augustinum tibi dicere noveris, ad cujus fontem dirigeris. Mirum dictu! Protinus expergiscens semimortuus, tanquam sospes exsurgit, innitensque baculo, ad jussum lavacrum tetendit. Putabant custodes hunc lethi instantia sic oberrare. Sublegunt ejus vestigia non resistendo, sed potius quo, vel ad quid processerit, explorando. Æger in fontis lavacro tertio mergitur, injunctum psalmum tertio modulatur. Et, o celerem medicum suum! æger quasi de morte resuscitatus, sospes domum regreditur. Quod ergo Elisæus exegit in leproso septeno lavacro, septiformis Domini Spiritus sacramento, hoc Augustinus compendiosius explevit in languido; terno videlicet vivificæ Trinitatis probamento. Jam vero quis exponere sufficiat tantam tamque jucundam omnium admirationem, cum mane abbas et fratres cum frequenti populo audissent ipsum sacerdotem missas, et horas debitas, astanti turbæ decantantem, cujus omnes exspectabant internecionem? Ille exponens publice per ordinem Augustinum suæ recuperationis in Christo fuisse auctorem, omnes in majorem Dei excitat laudem, sanctique sui venerationem.

Post perlustratam cum crebris virtutibus, ex magna parte Britanniam, regresso Augustino ad perennem habitationem suam Doroberniam, undique occurritur a domestico populo, tanquam suæ pacis angelo, et tanquam soli ad ortum suum reducto, ubi recolligitur a cunctis triumphali jubilo. Tunc confluente turba debilium ad tam salutis prodigium, intervenit juvenis tripliciter miserandus, triplici nexu calamitatis obstrictus. Incurvis vestigiis genibus gradiebatur pro pedibus, obstructoque ore, et auribus nec loqui, nec audire loquentes poterat, surdus, et mutus. Dat gemitum pro precibus. Signis deprecatur; signis interrogatur, signis poscenti respondetur. Audit Augustinus non loquentem, alloquitur non audientem, dirigit non ambulantem. Sic inquam, triformiter miserum, in trinæ Deitatis nomine, triplici donat salute.

Reformatis gressibus, erexit claudum, loquacem fecit mutum, surdo infudit auditum. De trimoda angustia, trimoda curato nascitur lætitia. Currit inoffense, loquitur plane, audit clare; sed mens hominis ventosa immemor pristinæ miseriæ et impatiens salutis red- A ditæ, adeo in omnem defluxit vanitatem ut sua garrulitate, et inquietudine, inter sacra etiam officia, ecclesiam turbaret et plebem. Murmurabant omnes quod perniciosior sibi esset sospitas concessa quam prior pœna. Hinc indignante per Augustinum correptrice Domini clementia, pedes saltatorii, et lingua procax, et aures scurrilitatis amicæ prioribus vinculis arctius alligantur, donec placato Domino satisfactione, per Augustinum relaxarentur. Sic ille denuo triformi redditus corporis sanitati, majori etiam donatur sensatæ mentis incolumitate.

Vitam et passionem pretiosi pontificis et martyris Livini, legimus a sanctis comitibus suis Foliano, Elia, et Kyliano fidelissime suo scriptori expositam; de qua pauca hic inserimus, ad beati Augustini B pertinentia gloriam. Commemoratur ibi Augustinum omnibus profectuosum [*f.*, profecturum], ad pium regem Scotiæ Colomannum venisse; Livinum puerum ibi cum sancto Menalchio archipontifice baptizasse; regem, et reginam inter baptizandum hunc suscepisse, dextram auream fuso desuper jubare coruscasse, et baptizatum divina cruce, cum hac voce ter consignasse: *Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est* (*Eccli.* XLV, 1). Hunc cum adolesceret, et mundialis gloriæ nexus abrumpere æstuaret, angelus Domini palam salutans ex nomine, dicensque: « Ave, frater Livine; » hortatur ut ab Angliæ antistite Augustino præsidente Doroberniæ, totius sanctitatis documenta pergeret C accipere. Quem festinantem ad mare, angelus excipiens serenissima pulchritudine ac melliflua exhortatione, cum prænominatis tribus sociis duxit, præcedendo per longos tractus pelagi. Ibant tanta oblectatione ut putarent se non freta, sed solidissima ac florentissima prata calcare. Gaudebant se quasi in monte transfigurati Domini splendidissimo deambulare, ubi Petrus cum discipulis optabat manere (*Matth.* XVII, 4). Hac nempe florida et amœna suavitate, docebantur illum doctorem appetere, de cujus corde et ore haurirent nectar dilectionis paternæ, et mel dulcedinis æternæ; de cujus nardifluo horto carperent aromata vitæ; quo duce currerent per omnia floreta cœlestis philosophiæ, et uberrimos campos theoricæ doctrinæ. Perductis jam sanD ctis ad Cantia [Cantiæ] littora, dux angelus cum luce splendida, quo sequantur comites, redit ad æthera. Sic beatus Livinus pervenit ad desideratissimum Augustinum; apud quem ita profecit per quinquennium ut tanti patris filiolus ab ipso donatus sacerdotalibus indumentis, susciperet (adolescente quidem ævo, sed animo grandævo) sacerdotium, sicque de discipulo magister gentis suæ consequeretur summum pontificium et martyrii bravium.

Sequitur attestatio cujusdam veternosi, qui hactenus durans asserit avum suum beatum Augustinum vidisse, et ipsum avum de lubrico ac nebulosissimo Christianum modestum ab ejus baptisterio surrexisse; ipsum vero sanctum, innumerabilia, jugi

turba vallente, signa patrasse. Referebat idem modernus superstes, ab avo et patre relatam sancti formam, personam patriciam, staturam proceram, ipsumque nudis pedibus patriam lustrando, callos in plantis attraxisse. Affirmabat eum eumdem avum ex benedictione baptizatoris Augustini, plurimum ultra centum annos vixisse (107), ipsamque longævitatis benedictionem in patrem suum descendisse, in se etiam centenarios progenitorum annos longe excrevisse.

Jam æternis amoribus totus saucius, Augustinus, jam a terrenis tumultibus in requiem Domini absorptus, vim faciebat cœlo crebris precum, suspiriorum, et lacrymarum pulsibus. Tandem intelligens ex Spiritus sancti responso suum exauditum desiderium, sacratissimum Laurentium, apostolicis virtutibus præclarum et inter sanctos comites præcipuum rege cum confluo populo in immensum congratulante, ordinat cum omni solemni gaudio sibi successorem, ut quondam apostolorum princeps Petrus Clementem, videlicet ob novellæ informationis necessitatem. Antea autem Mellitum consecraverat Lundoniæ episcopum, Justumque Rofi [*al*., Roffæ] sibi suffraganeum; quorum Mellitus tertius, Justus in archipræsulatum sibi successit quartus.

Jam vero exhortato rege, et Ecclesia, ac populo ut perseverarent in fide, et amore Christi, relinquens omnibus perpetuæ dilectionis pignora, præsente ipso rege cum pontifice Laurentio, inter omnium lacrymosa examina, vallante eum lætissima cœlestium chorea, transiit ad æterna Christi solemnia. Quos infimi laudatores prosequamur, non ex æqualibus planctibus, sed his triumphantibus cantibus. Regnas, Augustine, Augustis sæculi nomine, et dignitate sublimior; qui auxisti rem Christi publicam, et Romanæ Ecclesiæ adjecisti Britanniam, melius quam Cæsar Augustus Romanis opibus Alexandriam. Te reges, et principes, et senatus Anglorum, et turba gentium comitantur in cœlum. Te angeli et archangeli, throni et dominationes excipiunt, te coronat Rex regum.

In monasterio vero quod condidit, a sancto Laurentio, ipso rege Edelberto, et patria confluente dedicato, reconditur pretiosissimum corpus ejus festivo cum jubilo, ubi Romani atque alii successores sui, sicut uno animo, ita uno colliguntur thalamo.

Quam pulchre vero Ecclesiarum parens Roma tanta pignora edidit, quæ totius Britannici Oceani Patres et institutores emineant! Quanto odore suavitatis et splendore gloriæ unius amor, et unum cubiculum simul confovet, et astringit! Qui si distinguerentur per diversas mundi nationes, singuli patroni singulis populis solariter prælucerent.

Explicit Vita sancti Augustini Anglorum apostoli.

(91) *Auctorem vixisse circa ann.* 1000 *ex his colligi potest.*

VARIÆ LECTIONES ET ADDITIONES

AD CHRONICON BECCENSE

(Edidit Martene *Ampliss. Collect.* tom. VI, col. 105, ex ms. bibliothecæ serenissimæ reginæ Succiæ n. 1303).

Col. 653, *lin. ult.* Cui successit Rogerius filius ejus. *Ms. cod.*, cui successit Rogerius frater ejus. Roberto de Tougeyo priore claustrali. *Ms. cod.*, Roberto de Torigneyo p. c. Beccensis monasterii. Eodem mense dux Henricus rediens de Aquitania Rothomagi in die festivitatis S. Joan. Bapt. gratanter assensum præbuit prædictæ electioni, quam archiepiscopus Rothomagensis Hugo, vir summæ religionis et industriæ, cum imperatrice matre ducis, antea ut præsentes libentissime confirmaverant. Sequenti vero mense in festivitate Mariæ Magdalenæ prædictus electus benedictus est in abbatem apud S. Philibertum de Monteforti, ab Heberto episcopo Abrincatensi et Girardo Sagiensi, præsentibus abbatibus Rogerio Beccensi, Michaele Pratellensi, Hugone de S. Salvatore Constantiensi.

Col. 654, *lin.* 15. Respiciens augustum præcisa rupe sepulcrum. *Ms. cod.*, respicis angustum præcisa rupe sepultum.

Col. 655, *lin* 32. Mathildis, etc. *ms. cod.*, Massuldis, etc. cujus corpus apud Beccum delatum est et ante altare beatæ Dei genitricis Mariæ in eadem ecclesia honorifice sepultum. Anno millesimo centesimo septuagesimo octavo idem pretiosus martyr canonizatus est. *ms. cod.* an. 1173, etc.

Col. 657, *lin.* 23. Et Rotrodo Rothomagensi. *Ms. cod.*, a Rotrodo Rothomag. *Lin.* 24. Et Henrico Briocensi. *Ms. cod.*, Henrico Bajocensi. *Ms. cod. add.* Anno 1179 Ludovicus rex Francorum vota sancto Thomæ soluturus orationum causa Angliam intravit et per triduum Cantuariæ moratus est.

Col. 658, *lin. ult.* Dominus Richardus de sancto Leodegario, tunc infirmarius prædicti loci. *Ms. cod.*, Dominus Richardus de S. Leodegario, tunc justitiarius prædicti loci.

Col. 659, *lin.* 27. Amoto Ingelranno foro sancto, etc. *Ms. cod.*, amoto Ingelranno foro facto.

Col. 662, *lin. ult.* Ce fut en temps de l'abbé Pierre, pour ce qu'en pierre. etc. *Ms. cod.* Ce fut en temps de l'abbé Pierre, à qui écheyt maintes pierres, pour ce qu'en pierre, etc.

Col. 668, *lin.* 44. Fecit dedicare ecclesiam novam

de novo completam, ut postea patebit. *Ms. cod.*, de novo completam et consummatam, quæ dedicatio fuit tam celeberrime et tam solemniter completa prout patebit in sequentibus.

Col. 671, *lin.* 43. Guillelmus de Benssevilla dictus Popeline, etc. *Ms. cod.*, G. de Bensevilla dictus Popeline in abbatem et pastorem ipsius monasterii et postmodum benedictus, vir quidem magnæ prudentiæ et probitatis, modestus, facetus, mitis et dilectus ad omnes, patiens, misericors, largus et munificus qui strenue et laudabiliter rexit, etc.

Col. 672, *lin.* 19. Christe propina. *Ms. add.* Hic venerabilis vir supradictus temporibus suis vestivit et recepit in prædicto monasterio quamplures monachos religiosos discretos viros, de quibus postea floruerunt unus Gaufridus dictus *Harenc* abbas Gemmeticensis, Vincentius de Rothomago dictus *le Lieur* abbas Pratellensis; necnon Robertus de Rothomago, alias *le Tellier*, abbas S. Ebrulfi, ac Joannes de Boulaye abbas Geraciensis, Anno D 1288 post obitum, etc.

Col. 678, *lin.* 18. Reverendus pater Guillelmus abbas, etc., *usque ad hæc verba*, ubi solet accipi benedictio, *ut in ms. Postea sequitur in ms. cod.* Hic vir venerandus rexit prædictum cœnobium cunctis suis amabilis per spatium 16 annorum et dimidio vel circa; cujus animæ propitietur Deus. Amen.

Col. 683, *lin.* 30. Christi colla subegit. *Ms.* Christo colla, etc. *Lin.* 35. Anno milleno centeno sicque quaterno, *Ms. addit*: Quinta quintilis decies quarto quoque sexto, parcat illi Deus. Amen.

Deinde sequitur in ms. codice: Venerabili Thoma XXVIII abbate monasterii B. M. de Becco Herluini de carnis educto ergastulo, successit honestus vir unanimi fratrum consensu electus Joannes de Rothomago, alias de Motha, sacerdos et monachus in dicto monasterio expresse professus. Hic vir venerandus, decimus liberorum nobilis viri Simonis de Motha, civis Rothomagensis, postquam pueritiæ incrementa transegit et rudimenta grammaticalia studiosus percepit, discretis magistris Parisius in præclara artium Facultate a parentibus traditur imbuendus: verum quia Deus præviderat eum lucernam in domo sua fore ardentem, noluit tanti splendoris lumen sub nubilo mundanæ obscuritatis diutius latere; sed super candelabrum vitæ contemplativæ, ut omnibus qui in domo Dei sunt postmodum luceret, voluit collocare. Unde suorum parentum obsecundans votis, bene meritus filius dictum monasterium ad probandum monastici ordinis vitam oblatus ingreditur, et ad sui probationem ab abbate et conventu dicti loci benigne suscipitur, fit Christi tiro novus qui prius erat philosophus. Accipit illico obedientiæ fortissima arma, et jugi Domini suavitatem, oneris levitatem diligenter experitur, probat et approbat monasticam vitam. Probatur nec reprobatur ejus laudabunda conversatio; nam ob vitæ meritum bonæ indolis adolescens omnibus se imitabilem exhibebat. Probationis igitur anno et die re-

A volutis, dicta probatione hinc inde facta, ipse more solito professionem expressam fecit; qua facta, et per dictum abbatem recepta, in conventu fratrum per osculum admittitur, cœpitque postea de virtute in virtutem proficere, singulos fratres suos exemplo ad bonum inclinare et ut verus claustralis omni humilitati operam dare. Noverat enim humilis ille monachus quod non nisi per gradus humilitatis valet quis ad apicem altitudinis ascendere. At ubi ætatis fuit competentis, est sacris promotus ordinibus, ad sacerdotii tandem meruit ascendere gradum. Deinde post modicum temporis intervallum commissus fuit administrator prioratus de Bello-Saltu Rothomagensis: deinde prioratus S. Petri de Cochiaco Ambianensis, postea prioratus B. Mariæ de Layo
B Belvacensis, et deinceps prioratus S Petri de Pontisara Rothomagensis diœcesis; studebatque Parisius quousque adeptus esset gradum baccalaureatus in decretis, et procedebat ad gradum Lutetiæ legendo per plures annos in dicta decretorum facultate, secundum morem in studiis decretorum hactenus observatum: sed consequenter revocatus ad claustrum, qualis quantusve fuit rerum effectu clarescit. Nam electus fuit in priorem claustralem dicti monasterii; postea ad prosequendum quamdam causam intentatam per quemdam cardinalem occasione prioratus de Bello Monte Rogerii Ebroicensis diœcesis, missus fuit Parisius, et interim, videlicet anno Domini 1434, gradum licentiæ in dicta decretorum facultate fuit assecutus, et postmodum commissus
C fuit ad regimen et administrationem prioratus Confluentii Parisiensis diœcesis, et effectus est doctor, et actu regens Parisius in dicta decretorum facultate, in qua per multum tempus rexit et ut doctor per universitatem Parisiensem dominis abbati et conventui monasterii Majoris-Monasterii prope Turonis, ordinis sancti Benedicti, prioratum de Ovis, *en Terasse* Gallice, Morinensis diœcesis, et commendam obtinuit.

Anno Domini 1446 dicto monasterio B. Mariæ de Becco Helluini vacante per mortem præfati Thomæ XXVIII abbatis, et treugis inter reges Franciæ et Angliæ factis et proclamatis, pragmatica sanctione in Northmannia minime locum habente, religiosi
D dicti monasterii electionem pastoris in capitulo dicti loci celebrandam decreverunt. In quo certa die congregati, cæremoniis ad hoc necessariis debite observatis, unanimi consensu dictum Joannem de Rothomago per viam Spiritus sancti elegerunt, et electionem ipsius cum magnis sumptibus ab apostolica sede confirmari, et per dominum Radulphum archiepiscopum Rothomagensem in capella palatii sui Rothomagensis munus benedictionis sibi impertiri, cum ea solemnitate quæ decebat obtinuerunt. Quibus canonice peractis, idem dominus abbas, non obstante tempore guerræ et desolatione patriæ, dictum monasterium laudabiliter rexit, et spiritalibus severitatem in se retinens. Nam rigidis et perversis cohabitationem disciplinæ inferens, mitibus et piis

mansuetus erat ut agnus. Gerebat ipse modicam de [A] sua persona sollicitudinem ; nam cunctis ut agnus videlicet pius se affabilem exhibebat, cum fratribus erat sicut unus ex ipsis, in se formam gregis potius quam pastoris ostendens. Gravitatem prælaturæ tamen prout poterat retinebat. In omnibus etiam suis agendis, etsi satis expeditivus, satis nihilominus erat bene consultus. Semper etiam citra ingressum curæ pastoralis tristitiam vultu præferebat. Audivi quippe a fide dignis eum post ingressum prælaturæ nunquam fuisse hilarem sicut antea fuerat. Perpendebat forte cum B. Gregorio quidnam amiserat, perpendebat nihilominus quid tolerabat, cernebatque se debere multorum servire moribus, singulorumque mores in melius reformare, et de singulis tandem æquissimo judici rationem reddere. In temporalibus etiam dicti monasterii tam intra quam extra in bono statu manu tenendo et desolata reparando, debitaque sui prædecessoris quæ maxima erant, occasione guerræ quæ tempore suo viguerat, acquittando satis profecit. In recuperatione tandem ducatus Northmanniæ per regem Franciæ facienda, cum nonnullis aliis viris et dynasticis nobilibus, et civitas Rothomagensis apud dictum regem orator destinatur. Deinde per dictum regem una cum aliis prælatis pro expeditione dictæ pragmaticæ sanctionis in conventione Bituricensi comparuit, ubi principium infirmitatis sumpsit. Finaliter ad scaccarium Northmanniæ apud villam Rothomag. sedis vocatus fuit.

Anno D. 1452, decima septima die Novembris, post suorum susceptionem sacramentorum ab hac luce migravit, sepultusque est in medio chori, ad caput Guillelmi XXVI, abbatis dicti monasterii : cujus animæ propitietur Jesus Christus, Filius Mariæ Virginis. Amen.

Sequitur epitaphium ejus :

Clarum Rothomagus gaudet genuisse Joannem,
Et tanto Beccus Patre carere dolet.
Juris Parisius cathedram per tempora rexit.
Fratres direxit moribus in melius.
Quem Rothom genere commendat, quem sacra jura,
Quem prælatura, subjacet in cinere.
M. C. *quater sem.* I *duplex, et funera signant*
Mensis et undeni septima dena dies.

Venerabili in Christo Patre ac domino JOANNE XXIX, abbate cœnobii Beccensis a Deo accersito, successit in regimine prædicti cœnobii reverendus in Christo Pater ac dominus Gaufridus de Hispania, cognomine Benedictus, tum prior de Prato, qui die Mercurii Quatuor temporum Decembris anni Domini 1452, convocatis omnibus et singulis quorum intererat, solemnitatibus assuetis rite peractis, per viam Spiritus sancti in abbatem fuit electus, nemine contradicente aut se opponente ; deinde per vicarios archiepiscopi Rothomagensis, sede vacante, secundum pragmaticam sanctionem confirmatus atque benedictus, demum regiæ majestati fidelitatis præstitit juramentum, mox in cura sibi commissa insequi studuit doctrinam Apostoli dicentis : *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.* Nam quamvis gregi, quem dirigendum susceperat, esset pastor et prælatus, communis tamen erat omnibus. Itaque salva justitia et gravitate pastorali, singulorum auribus se accommodat ; in cæremoniis quoque chori, claustri, capituli et refectorii adeo religiose et reverenter se gerebat, quod omnes suos ad devotionem alliciebat. Domum Dei sicut ardenter amabat, sic multum decorabat. Unde merito dicere poterat : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Nam totam navim et sinistram partem chori a [B] capella Virginum usque ad crucem pavimento stravit, et fecit eam dealbari, quia ex vapore fumi procedentis ab igne ibidem a populo facto denigrata fuerat. In ea fecit altaria duo erigi, quæ non fuerunt suo tempore dedicata, et in superiori apposuit imagines sanctorum Clari et Apolloniæ. Fecit iterum pingi cruces intus et foris in signum dedicationis, et clausit vestiarium. In choro locavit imagines quatuor doctorum Ecclesiæ, Gregorii scilicet, Ambrosii, Augustini atque Hieronymi, et juxta altare in parte sinistra posuit analogium, in quo sunt quatuor angelorum et totidem prophetarum imagines, inter quos sunt quatuor figuræ evangelistarum super quibus leguntur Evangelia, singulorum singula, cum qua[C]tuor magnis candelabris. Ante pedaneum statuit imaginem Moysi, super quam leguntur epistolæ et lectiones Veteris Testamenti, et in medio chori figuram aquilæ, super quam chorista ponit gradale. Quæ omnia Parisius de cupro fuerunt facta. Fecit etiam fieri unam crucem argenteam de scyphis decedentium religiosorum ponderis XXX marcharum vel circa, reliquiis et gemmis ornatam, in qua sunt quatuor spinæ coronæ Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et de vera cruce cum aliis sanctorum reliquiis. Eo tempore fecit in capsam caput sancti Blasii..... Has omnes reliquias suo tempore ab Anglia a commonachis nostris inde expulsis allatas, fecit approbari. Duos etiam urceolos de argento pro aqua benedicta deferenda, et totidem aspersorios [D] fieri fecit ponderis..... marcharum vel circa. Fecit etiam fieri duas capellas panni serici, munitas casulis, tunicis, dalmaticis, cappis albis, amictis et mappis paratis, unam scilicet rubei coloris, aliam vero albi, et etiam complevit capellam de Caroliis, quæ ante fuerat per suos prædecessores incœpta. Et ne ipse et ejus conventus notaretur de ingratitudine, et laberetur memoria benefactorum ecclesiæ, quamdam cuppam munitam circumcirca argento, quam antiquitus dederat dicto cœnobio celebris memoriæ domina Mathildis imperatrix, quæ tractu temporis fuerat consumpta, et deinde per defunctum dominum Robertum de Hispania, tempore quo vivebat et decessit, priorem prioratus beatæ Mariæ de Prato prope Rothomagum, patruum ejusdem defuncti

abbatis, totaliter de argento reformata, postea propter necessitates ecclesiæ venditioni exposita, fecit instaurari de argento deaurato ponderis XII marcharum, imaginibus elevatis refertam; et ordinatum fuit quod singulis diebus in quibus sive totus [*f.*, chorus] vel quatuor ad *Venite*, et in diebus obituum domini Helluini, ipsius imperatricis, et ipsiusmet defuncti, singulis per ordinem conventus monachis propinaretur in ipsa vinum: quo prægustato, quilibet diceret: *Requiescant in pace, amen*. Et pro dicto vino quærendo assignavit quatuor acras terræ, quas in parochia de Nova-villa acquisivit. Superstruxit stillicidia lapidea in circuitu capellæ B. Mariæ, et totam carpentariam, et cooperuit sicut antea fuerat plumbo; ædificavit pulchrum infirmitorium et spatiosum, ornatum capella et cellulis pluribus saluti corporum decentissimis. Super conductus fontium, quia sæpe perdebant cursum, propter grossas radices arborum, quæ intus ex humore aquæ fovebantur, obstruentes meatum aquarum, vias subterraneas largas altitudinis hominis, testudinibus coopertas, pro ipsis visitandis, et impedimentis amovendis, a campo de Boulleyo usque erga molendinum de Feugerio, et a portu Vineæ usque ad vadum Prioris, et ab illo vado usque ad turriculam quæ est prope cellam abbatis, exstrui fecit una cum turricula, et in vico per cujus medium manant aquæ, usque ad tineam lapideam cellarii, et de lignis et tecto super veteres parietes reædificavit aulam Martelli. Ædificavit portam Pratorum; muros quoque parci pro majori parte reficere studuit. Manerium et grangiam de Marbedio et plura alia de novo construxit. Molendina *des Mejans* funditus destructa de novo ædificavit; et suo tempore in favorem fratrum conventus: acquisita fuit portio quam habebat dominus de Mesnillo super illa molendina, ad augmentationem reddituum pitanciarum: unde ordinavit quod fratrum conventus perciperent XX solidos pitanciarum singulis annis in termino Paschæ, qui

A eis subtracti fuerant occasione guerrarum et forteреciæ, tempore abbatis Roberti. Turrim quoque pro suspendendis campanis ecclesiæ incœpit et ædificavit usque ad altitudinem CLX graduum et principium fenestrarum, quam morte præventus perficere non potuit. Privilegia nostra de religiosis committendis in prioratibus dicti monasterii vacantibus, contra impetrantes apostolicos et quoslibet alios viriliter defendit. Præterea non immemor suæ salutis, fundavit unum anniversarium pro se, suis parentibus et amicis, et pro benefactoribus ipsius monasterii, pro quo celebrando assignavit X libras Turonenses annuatim distribuendas modo et forma contentis in litteris in thesauro de monasterio reconditis. Finaliter infirmitate, quam fere per septennium Deum
B laudando sustinuit, habuit plures æmulos graves viros contra suam vocationem, ambientes dignitatem abbatialem, obtinentes litteras commendatitias principum et magnatum regni, mittentes magnos legatos, nobiles prudentes, et maximos rhetores, ad sibi persuadendum ut dignitati cederet, offerentes sibi daturos magnam pensionem; sed semper fuit constans et in responsis cautus, quia minis, blandimentis, nec promissionibus ullis concuti potuit nec converti; sed rexit dictum cœnobium continue a die suæ electionis usque ad diem quartam decimam mensis Maii anni Domini 1476, qua die, sacramentis ecclesiasticis munitus, carnis sarcinam deposuit. Anima ejus in pace requiescat. Amen. Sepultusque fuit in choro dicti cœnobii sub tumba
C quam ipse vita ejus comite cum tumba sui prædecessoris fieri fecit. Sequitur epitaphium ejus.

Gaufridus Hispanus cognomen habens benedicti,
Abbas Beccensis fratribus univocis
Electus, rectam morum vitæque beatæ
Servavi normam temporibus studuit
Cursum complevit, vitæ præcruditur usus,
Spiritus alta petit, corpus humusque tenet.

CATALOGUS

LIBRORUM ABBATIÆ BECCENSIS CIRCA SÆCULUM DUODECIMUM.

(D. RAVAISSON, *Rapport au ministre de l'instruction publique sur les bibliothèques des départements de l'Ouest.* Paris, 1841. in-8°, pag. 376 ex ms. codice bibliothecæ Abrincensis.)

MONITUM.

Le catalogue des livres de l'abbaye du Bec au XIIe siècle ajoutera aux notions que l'on a sur l'étendue des connaissances littéraires à cette époque. L'abbaye du Bec, où enseignèrent Lanfranc et saint Anselme, était une des écoles les plus célèbres et les plus savantes d'alors. On verra qu'on y possédait, avec une partie des ouvrages de Cicéron, l'*Hortensius*, que nous n'avons plus; Trogue Pompée, si toutefois il ne faut pas entendre par cette désignation l'abrégé de Justin; un Traité *De causis*, sous le nom de Quintilien, probablement le *De causis corruptæ eloquentiæ*; tous les ouvrages d'Aristote dont nous avons la traduction par Boëce, et pas un seul des autres; la version de l'Anthropologie de Némésius, laquelle se retrouve dans un des manuscrits de la bibliothèque d'Avranches; le Timée de Platon, Hermès Trismégiste, César, Ovide, Velleius, Suétone, Claudien, etc. Dans les listes des ouvrages des Pères, spécialement de saint Augustin on en notera plusieurs dont les titres mêmes n'étaient pas venus jusqu'à nous. En outre, le traité de Raban Maur, *De naturis rerum*, encore inédit, quoiqu'il existe en manuscrit dans quelques bibliothèques, etc.

TITULI LIBRORUM BECCENSIS ALMARII.

Libri beati Augustini episcopi.

In uno volumine super Johannem sermones CXXIIII.—*In alio.* De civitate Dei, lib. XXII.— *In alio* Enchiridion, liber unus.—De doctrina christiana, libri III. – Simbolum ab eodem dictatum.– Disputatio contra Felicianum hereticum de trinitate. — De perfectione justicie, liber unus. De natura et gracia, liber unus. -- Epistola ejusdem ad Valentinum. — De gracia et libero arbitrio. liber unus. --- De conceptione et gratia, liber unus -- Epistola Prosperi ad eum.— Epistola Hilarii Ardurensis ad eum. -- De predestinatione sanctorum, liber I -- De bono perseverantie, liber I. --- *In alio.* Contra Faustum Manicheum, lib. II. --- De mendatio, lib. I. -- Contra mendatium, lib. I. --- De cura pro mortuis gerenda, lib. I. — De vera religione, lib. I. --- De natura et origine anime ad Renatum, liber I. --- Ad Petrum presbiterum de eadem re, liber I. — Ad Vincentium Victorem de eadem re, libri II. --- Sermo Arianorum. — Contra eumdem sermonem, liber unus. — De utilitate credendi, liber I. — Contra adversarium legis et prophetarum, lib. II. --Liber qui appellatur Yponnosticon. -- *In alio.* De Trinitate lib. XV.—*In alio.* Sermo de pastoribus, sermo de ovibus.—De baptismo adversus Donatistas, libri VII. — De baptismo parvulorum, libri II. — Epistola Augustini ad Marcellinum.— De unico baptismo, liber unus. — De spiritu et littera, liber I. — *In alio.*--- Super Genesim ad litteram, lib. XII. — *In alio* — De consensu evangelistarum, lib. IIII. — De sermone Domini in monte, lib. II. — Sermo de verbis Domini qui dixerit: «blasphemia contra Spiritum sanctum non remittitur ei. » — Sermo de X plagis Egypti et de X preceptis Dei. – *In alio.* Sermo de X cordis. — Sermo de disciplina christiana — De penitentia, lib. I. — De cathecizandis rudibus, lib. I. — Soliloquium, lib. II. — De libero arbitrio voluntatis, lib. III — Seq Genisii (?) contra Manicheos, lib II. — Adversus Manicheos Contra epistolam Fundamenti, lib. I. — *In alio.* Super primam partem psalmorum. — *In alio.* Super secundam.— *In alio.* Super tertiam. – *In alio.* Contra Julianum hereticum, lib. VI. – Contra quinque hostium, lib. I. — De agone christiano, lib. I. — Epistola Ysidori episcopi de X Hebreis nominibus salvatoris. — Sermo Cipriani episcopi de opere et eleemosina.—Sermo ejusdem de oratione dominica. — Liber Baruc. — Exemplum epistole Jeremie.

In alio. Confessionum libri XIII. – *In alio.* De quantitate anime, lib. I.—Super epistolam Johannis tractatus decem. — *In alio.* Retractationum lib. II. —De moribus ecclesie et de moribus Manicheorum, lib. II. — Expositio ejusdem super canticum Salomonis, de muliere forti, et VII alii ejusdem sermones, et aliorum decem et VII. – *In alio.* Contra Pelagianos, ad papam Bonifacium, lib. IIII.— *In alio.* Ejusdem sermones de simbolo IIII, et de resurre- A ctione XI et multi alii. – *In alio.* Epistole ejusdem, et in eodem de VI questionibus, lib. I. — Item ad Bonifacium, lib. I.— Item ad Paulinum de videndo Deo, lib. I. — Item de presentia Dei ad Dardanum, lib. I. — *In alio.* De verbis Domini, et de verbis Apostoli, et de psalmis sermones LXXXIX. — *In alio* Super epistolam ad Romanos et super primam ad Corinthios. — *In alio.* Super epistolas ceteras Apostoli.— *In alio.* De bono conjugali, lib. I. — De nupciis et concupiscentia, lib II. Contra Parmenianum, lib. II – Contra Petilianum, lib III --*In alio.* Contra Achademicos, lib. III. De vita beata, lib. I.— De ordine. lib. I.— De duabus animabus. lib. I. — De regula fidei vere, lib. I. — Sermones IIII.— Liber de conflictu vitiorum et virtutum. – Omelie B Cesarii X. – Regula clericorum.– *In alio.* De nuptiis et concupiscentia, lib. I. — Sermones III. — De predestinatione divina, lib. I. — De viduitate, lib. I. — De continentia, lib. I.— Epistole ad Sixtum due. — Questionum Orosii lib. I. — Contra partem Donati post gesta, lib. I.– Annotationes in Job, lib. I.— De fide et operibus, lib. I. — De regula vere fidei, lib. I. — De fide ac simbolo, lib. I. — Ad Januarium, lib II.— *In eodem.* Sermones plures Augustini Johannis et aliorum quorumdam. —*In alio.* Contra Cresconium, lib IIII. — Item *in eodem* gesta altercationis beati Augustini contra Maximinum Arianorum episcopum. – Item contra eumdem Maximinum. lib. II — *In alio.* De LXXXIII questionibus, C lib. I. — Sententie ab eodem dictate XXI. — Sermo ejusdem de Epicureis et Stoicis. — Item alius sermo de eo quod dictum est a Domino ad Moysem *ego sum qui sum.* — De natura boni, lib. I. — Contra Manicheos, lib. I. Expositionis quarumdam propositionum ex epistola Pauli ad Romanos lib. I. — *In alio.* De magistro, lib. I. — De divinatione demonum, lib. I. — De penitentia, lib. I.—De agone christiano, lib. I. — De immortalitate anime, lib. I. — De patientia, lib. I.— De heresibus, lib. I. — Electio et ordinatio Eraclii presbiteri successoris sancti Augustini ab eodem Augustino facta et gestis ecclesiasticis confirmata. — Omelie ejusdem XVIII in Apocalipsim Johannis. — Liber de testimoniis divinarum Scripturarum qui appellatur speculum, qui non est beati Augu- D stini. — *In alio* De Novo Testamento ad Honoratum, lib I. —De vita christiana, lib. I. — Ad Simplicianum, lib. II. — Ad Casusanum presbyterum de jejunio sabbati, lib. I. — De questionibus Evangeliorum, lib. II. — De VIII Aulercii questionibus, lib. I. — *In alio* Speculum. — *In alio* Locutiones super eptaticem, lib. VII. — *In alio* Questionum, lib. VII. — *In alio.* De musica lib. VI. — In eodem Cassiodorus de ortographia. — *In alio* Enchirid., lib. I.-- De disciplina christiana, lib. I — *In eodem.* Tractatus beati Cipriani de oratione dominica. — *In alio.* De opere monachorum, lib. I.— Item de expositione epistole ad Galatas, lib. I.—Item de origine

anime, lib. I. — Item de sententia Jacobi apostoli, A lib. I.

Libri sancti Gregorii.

In uno volumine. Reg. libri XIIII. — *In alio.* Super Ezechielem, lib. II. — XL omeliarum lib. II. — Pastoralis cure lib. II. — Regula sancti Benedicti. — *In alio.* Super Ezechielem, lib. II. — *In alio.* Dialogorum lib. IIII. — Pastoralis cure lib. II. — *In alio.* Liber Job. Moralium tres prime partes. lib. XVI. — *In alio.* Ultima pars Job, et Moralium tres postreme partes, lib. XVIII.

In alio. Paterius ex dictis beati Gregorii, super vetus testamentum. — *In alio.* Paterius super novum.

Libri Origenis.

In uno volumine. Super epistolam ad Romanos, B lib. X. — *In alio.* Super Leviticum omilie XVI. — *In alio.* Super Vetus Testamentum

Libri sancti Ambrosii.

In uno volumine. De fide ad Gratianum imperatorem, lib. IX. — De misteriis, lib. I. — De sacramentis sermones VI. — *In alio.* De Isaac et anima, lib. I. — De bono mortis, lib. I. — De virginitate, lib. III. — De viduis, lib. I. — De virginibus, lib. I. — Exhortatio virginitatis. — Sermo ejusdem de perpetua virginitate sancte Marie. — De fuga seculi, lib. I. — De media nocte surgendo, lib. I. — Contra Novatianos de penitentia. lib. II. — De Jacob. lib. II. — De Joseph, lib. I. — De benedictionibus patriarcharum, lib. I. — De jejunio, lib. I. — De observantia episcoporum, lib. I. De Paradiso, C lib. I. — Epistola ad Vercellenses. — *In alio.* De observantia episcoporum. — *In eodem.* Epistole ejusdem. *In alio.* Super Luce evangelium, lib. X. — *In alio.* De officiis ministrorum, lib. III. — Exameron ejusdem *in eodem.* — *In alio.* De consolatione Valentiniani imperatoris, lib. I. — Item de excessu fratris sui, lib. II. — Item, lib. I. — De XII abusivis seculi. — Item, lib. I de Abraham. — Item, lib. I de eo quod Salomon ait : *Tria sunt impossibilia mihi et quartum quod non valeo agnoscere.* — Item, lib. I de penitentia David regis.

Libri sancti Hieronimi.

In uno volumine. Contra Jovinianum, lib. II. — Apologeticus, lib. I. — Contra Helvidium, lib. I. — Ad Eustochiam virginem lib. I. — De virginitate. D — Super Ecclesiastem expositionis, lib. I. — *In alio.* Epistole ejusdem. *In eodem* continentur libri ipsius de prodigo et frugi, lib. I. — Ad Amandum presbiterum de diversis questionibus, lib. I. — Ad Pammachium de optimo genere interpretandi, lib. I. Apologeticus ad eumdem. — Contra Helvidium de perpetua virginitate sancte Marie, lib. I. — Contra Vigilantium, lib. I. — De XII questionibus ad Hedibiam, lib. I. — De XI questionibus ad Algasiam, lib. I. — Disputatio de ratione anime per dialogum, sumpta ex dictis beati Augustini et Jeronimi. — Item lib. I beati Augustini de origine anime ad Jeronimum. — Item alius liber beati Augustini ad eumdem de eo quod scriptum est : *Qui totam legem servaverit*, et quedam epistole ejusdem Augustini ad eumdem Jeronimum. — *In alio.* Super Ezechielem, lib. XIIII. — *In alio.* Super Jeremiam, lib. VI. — *In alio.* Super Isaiam, lib. XVIII. — *In alio.* Dialogus contra Pelagianos, lib. III. — Super epistolam ad Titum, lib. I. — Super epistolam ad Philemonem, lib. I. — Dialogus contra Luciferianos, lib. I. — De spiritu sancto, quem transtulit in latinum de greco. — Lib. Didimi I. — De vita Pauli heremite, lib. I. — De vita sancte Paule, lib. I. — De vita sancti Hilarionis lib. I. — De Malco monacho, lib. I. — *In alio.* Super VII Prophetas primos. — *In alio.* Super quinque prophetas novissimos, et super Danielem. — *In alio.* Super Matheum. In hoc etiam Hilarius super eumdem evangelistam. — *In alio.* De hebraicis questionibus super Genesim, lib. I. — De distantiis locorum, lib. I. — De interpretationibus hebraicorum nominum, lib. I. — De hebraicis questionibus in libro Regum, lib. I. — De eadem re super Paralipomenon, lib. I. — Quidam tractatus de X temptationibus que in principio Deuteronimi notantur. Expositio cantici Debbore. — Expositio lamentationum Jeremie. — Expositio de VII ebdomadis Danielis. — Successiones Romanorum pontificum transmisse beato Jeronimo a Damaso papa. Sunt etiam plures alie sententie. — *In alio.* De illustribus viris cum adjectione Gennadii, lib. I. — Item, in epistolam ad Galatas, lib. III. — Item, super epistolam ad Ephesios, lib. III. — *In alio.* De mansionibus filiorum Israel, lib. I. — Item, contra Rufinum. — Contra eumdem, lib. II. — Item, ejusdem contra Rufinum, lib. II. — Item, epistole ipsius ad Principiam una, ad Demetriadem virginem una, et ad Ctesiphontem una, et alie plures.

Libri beati Isidori.

In uno volumine. Ethimologiarum, lib. XX. — *In alio.* De summo bono, lib. III. — *In alio.* Contra Judeos, lib. III. — In eodem super eptaticem, lib. VII — *In alio.* De summo bono, lib. III. — Sinonima ejus, lib. II. — Liber Alcuini de vitiis et virtutibus. — Liber scintillarum — *In alio.* Lib. VII super eptaticem. *In eodem.* Alcuinus super Canticum canticorum.

Libri Bede presbiteri.

In uno volumine. Super Marcum lib. I. — *In alio.* Super Lucam, lib. VI. — *In alio.* Super actus apostolorum, lib. II. — *In alio.* Expositio super epistolas canonicas. — Item, expositio Apocalypsis Joannis apostoli edita a Berengaudo viro eruditissimo. — Item, liber Lanfranci archiepiscopi Cantuariensis de corpore et sanguine Domini contra Berengerium Turonensem. — *In alio.* Super Apocalypsim, lib. III. — Item de tabernaculo, lib. III. — Item super Tobiam lib. I. — *In alio.* Capitula lectionum super eptaticem. — *In alio.* Super Cantica canticorum, lib. VI. — *In alio* De temporibus, lib. I major. Item, epistola ipsius de equinoctio. *In eodem*, Liber Albrici (Helprici) de compoto lune.

— *In alio*. Martirologium. *In eodem* regula santi Benedicti. — *In alio*. Historia Anglorum, lib. V. — De temporibus liber minor. — De naturis rerum, lib. I. — Lib. Gilde sapientis de excidio Britannie. — Vita sancti Neoti que in capite ponitur. — *In alio*. Lib. Albrici de compoto. — *In alio*. Epistole Lanfranci. *In eodem*. Epistole Fulberti Carnotensis, et Hildeberti Cenomanensis episcopi. — *In eodem*. Liber Ernulfi de incestis conjugiis. — Item, IIII Questiones divine solute ab eo.

Libri Anselmi archiepiscopi Cantuarie.

In uno volumine. Monologium, lib. I. Proslogion, lib. I. Orationes ejusdem. Lib. de Grammatico. Epistola ad Urbanum papam de incarnatione Verbi. — *In alio*. Tres tractatus de veritate, de libertate arbitrii, de casu diaboli. — Deus homo, lib. II. — De conceptu virginali, lib. II. — De processione spiritus sancti. — *In alio*. Epistole ejusdem ad diversos.

Johannes heremita Cassianus. — *In uno volumine*. Collationes patrum, XXIIII.

In uno volumine. Admonitio Basilii ad monachum. Instituta Basilii. Pomerii de vita contemplativa lib. III.

In uno. Vite patrum veteres et Ysidori sinonima, et pars libri qui vocatur Diadema monachorum.

In uno volumine. Concordia regularum.

In uno volumine. Haimo super Ysaiam.

In uno. Libri beati Dionisii.

In uno vol. Pronosticon Juliani.

In uno. Libellus Wimondi de corpore et sanguine Domini.

In uno. Josephus, antiquitatum lib XIIII. *In alio*. Antiquitatum lib. VI, et de Judaico bello ejusdem lib. VII.

In uno. Ecclesiastica historia Eusebii Cesariensis episcopi, quam transtulit Rufinus de greco in latinum, lib. XI. *In uno*. Alia historia ecclesiastica que dicitur tripartita. lib. X.

In uno. Historia Egisipi. lib VI.

In uno. Historia Orosii, lib. VII. In eodem Trogus Pompeius, epitome, XLVI. Item in eodem historia Langobardorum, lib. V.

In uno vol. Vita sancti Nicolai et miracula ejus et translatio ejusdem.

In uno. Dicta beati Gregorii pape super cantica, et vita domini Herluini abbatis, et vita beati Anselmi archiepiscopi Cantuariensis.

In uno. Elucidarius, et Apocalipsis, et Cantica canticorum.

In uno. De vitiis, lib. III; et Ysidori sinonima, lib. II; et lamentum penitentie ejusdem, et regula fidei versifice composita.

In uno vol. Continentur II libri de expositione ecclesiastici officii tam diurnalis quam nocturnalis, editi ab Amalario viro apperitissime erudito. Item, epistola ejusdem ad Jeremiam de nomine Jesu. Item, epistola ejusdem ad Guntardum. Item, epi-

A stola ejusdem ad Nectonem abbatem de seraphim et cherubim.

Libri beati Johannis cognomine Chrisostomi.

In uno vol. De reparatione lapsi, lib. I. Item ejusdem ad Demetrium de compunctione cordis, lib. I. Item de eadem re, ad Stelechium, lib. I. Item, omelia ejusdem de subscriptione I° Psalmi. Item, omelia ejusdem de ipso I° psalmo. Item contra Judeum lib. Gisleberti Crispini abbatis Westimonasterii. Item ejusdem de Simoniacis, et de veritate corporis et sanguinis Domini. Item ejusdem sermo in dedicatione ecclesie. Item omelia ejusdem super *cum ingressus Jesus*. Item ejusdem epistole III.

Libri beati Cipriani episcopi et martyris.

In uno vol. Epistole ejus numero XVI. *In eodem*
B lib. ejusdem de vitiis seculi ad Donatum. Item ejusdem lib I ad Demetrianum. Item ejusdem, lib. I de exhortatione martirii ad Fortunatum. Sermo ejusdem de zelo et livore. Item sermo ejusdem de penitentia. Item ejusdem libri de mortalitate. Item ejusdem lib. de habitu virginum. Item lib. ejusdem de ecclesie catholice unitate. Item lib. ejusdem de lapsis. Item in eodem lib. de simbolo fidei ad Laurentium. Item beati Cipriani ad Quirinum lib. II.

Libri Fulgentii.

In uno volum. Libri XXIII. Item chronica ab origine mundi usque ad imperium Heraclii. Item expositio super lib. Geneseos usque ad illum locum ubi dicitur: *Clamor Sodomorum*. Item expositio prologorum beati Ieronimi quos in translatione et in ex-
C positione librorum Veteris Testamenti fecit. Item expositio benedictionum XII Patriarcharum. Item quedam prophetie Sibille que de imperio romano et fine seculi predixit.

Libri beati Athanasii episcopi.

In uno vol. De trinitate, lib. I. De unitate trinitatis, lib. II. De unico nomine divinitatis, lib. III. De assumptione hominis, lib. IIII. De singulis nominibus adversus novellam heresim, lib. I. De unica substantia trinitatis, lib. VI. De beatitudine fidei, et proscriptione secte pessime, lib. VII De professione regule catholice, lib. VIII. De fidei unitate, lib. IX. De trinitate et spiritu sancto. lib X. Altercatio sancti Athanasii, quam habuit pro fide contra Arrium,
D Sabellium, Focinum hereticos, lib. XI. Sententia probi judicis qui ad dirimendam altercationem ab imperatore Constantio missus fuerat. Item epistola Potumii ad Athanasium episcopum. Item epistola sancti Athanasii ad Luciferum episcopum. Lib. XII de Sotonibus.

Libri Cassiodori.

In uno vol. Super I^{am} partem psalterii. *In alio*. Super I^{am}. *In alio*. Super III^{am}. *In alio*. Cassiodorus de anima, lib. I.

In alio vol. Smaragdus super regulam S. Benedicti.

In alio continentur chronica Eusebii, et chronica Ieronimi et Prosperi, et chronica Sigisberti.

In uno vol. Historie Normanorum, lib. VII, vide-

licet ab adventu Hastingi in regnum Francorum A usque ad mortem primi Henrici, regis Anglorum et ducis Normanorum. Item vita Caroli magni imperatoris Romanorum et regis Francorum. Item vita Alexandri magni regis Macedonum. Item epistola ejusdem de situ Indie ad Aristotilem magistrum suum. Item abreviatio regum Franciæ gestorum ab egressione eorum a Sicambria usque ad principium regni Ludovici junioris regis Francorum. Item historiarum de regibus majoris Britannie usque ad adventum Anglorum in insulam libri XII, in quorum septimo continentur prophetie Merini, non Silvestris, sed alterius, id est Merlini Ambrosii. Item exceptiones ex libro Gilde sapientis historiographi Britonum, quem composuit de vastatione gentis sue et de mirabilibus Britannie.

In uno volumine. Historia Gregorii Turonensis B de gestis Francorum, libri X. In eodem historia Baldrici Dolensis archiepiscopi, quomodo Jerusalem capta sit a christianis, libri IIII.

In uno vol. Itinerarium Jerusalem editum a Fulchero Carnotensi clerico, continens res gestas illius expeditionis ab initio usque ad annum incarnationis dominice M.C.XXVI.

In alio. Decreta pontificum.

In alio. Canones.

In alio. Excerpta decretorum.

In alio. Corpus canonum.

In alio. Benedictiones episcopales, per totius anni curriculum, et quomodo celebratur concilium, et de consecratione episcopi secundum morem romanum, et plures epistole romanorum pontificum C decretales et benedictio abbatis, virginis, et vidue, et monachi, et multa alia.

In uno volumine. Collectiones Burcardi Wormatiensis episcopi, lib. XX, tam ad ecclesiastica quam secularia negocia pertractanda necessarie.

Libri Dionisi Areopagite. In uno vol. De celesti ierarchia, lib. I. De ecclesiastica ierarchia, lib. II. De divinis nominibus, lib. III. De imistica theologica, lib. IIII. Item ipsius ad diversos epistola X. In eodem Beotii de trinitate, lib. IIII.

In alio. Epistole Yvonis, et de sacramentis, et sermones ipsius.

In alio. Abbreviatio totius corporis canonum.

In alio. Historia Henrici, de gente Anglorum, D lib. X.

In uno vol. Epistole Sidonii.

In alio. Isidori de officiis, lib. II.

In alio. Dialogus Basilii et Johannis, lib. I.

In alio. Sermonum Effremi, lib. I.

In alio. Gregorii Nyseni sermones, lib. I.

In alio. Rabanus super Matheum, lib. VIII.

In alio. Rabanus super Jeremiam, XX.

In alio. Rabanus super Genesim, lib. III.

In alio. Rabanus in Exodum, lib. III.

In alio. Claudianus de anima contra ep. ignoti auctoris. In eodem Candidi Arriani ad Victorinum de generatione divina, lib. I.

In alio. Origenes super Cantica canticorum, lib. III ; in eodem omelia ejusdem super psalmos : *Noli emittere ; Domine, ne in furore : Dixi Custodiam.*

In alio. Alcuini de trinitate, lib. III.

In alio. Tertulianus contra paganos, lib. unus. — In eodem Gregorius Tusen. (?) de creatione hominis, lib. I.

In alio. Historia Clementis, lib. X.

In alio. Palladius de agricultura, lib. XII. In eodem Vegetius de re militari, lib. III.

In alio. Macrobius, de saturnalibus, lib. III.

In alio. Quintilianus de causis.

In alio. Suetonius de vita Cesarum, lib. XII.

In eodem Eutropius ab urbe condita, lib. X.

In alio. Tullius de officiis.

In alio. Philippica Ciceronis, lib. III.

In alio. Angelomus super reges, XV.

In alio. Haimo super epistolas Pauli. Hermas pastor, lib. I. Abbas Clarevallensis supra cantica canticorum. Hugo Parisiensis de arca, de sacramentis, et de aliis multis.

In alio. XII Prophete glosati. Psalterium glosatum. Glose Gisleberti Porretani super psalterium. Epistole Pauli. Sententie Petri Lombardi, in uno volumine.

In alio. Epistole Senece. *In alio.* Seneca de clementia, et de beneficiis.

In alio. Seneca de causis. Hermes Trimegistus.

In alio. Seneca de naturalibus quæstionibus. Seneca de remediis fortuitorum.

In alio. Martianus Capella, de nuptiis Mercurii et philologie, lib. II; et de VII artibus editis ab eo, lib. VII; et commentum Remigii super eumdem, IX lib. Priscianus de VIII partibus, et de constructionibus, II; Utraque rethorica, II; Dialectice, III. Utrumque commentum super Porphirium ; primum super Catheg. (Categorias); primum, secundum super Periermenias. Commentum super topica Ciceronis.

In alio. Arithmetica, musica, et Macrobius super somnium Sciponis. Arithmetica. Item arithmetica. Geometria Gilberti. Propositiones Boetii, III Macrobii II. Platonis III. Commentum Calcidii diaconi super Platonem.

In uno vol. Omnes libri Ovidi excepto magno et de Fastis. Item auctores multi.

Libri Origenis presbiteri.

In uno volumine. In Genesim, omelie XVI. *In eodem.* In Exodum, omelie XII. *In eodem.* In Levitic., omelie XVI. *In eodem.* In Numeros, omelie XXX. *In eodem.* In *Jesu navem* omelie XXVI. *In eodem.* In Judic., omelie IX. *In eodem.* In lib. Regum, omelie IIII. *In eodem.* In Ysaiam, omelie II. *In eodem.* In Jeremiam, omelie XIIII. desunt XII. *In alio.* Super Cantic. canticorum, lib III. *In alio.* Origenis super Leviticum omelie XVII. *In alio.* Super IIam partem Mathei *In alio.* Super epistolam ad Romanos, lib. X.

TITULI LIBRORUM QUOS DEDIT PHILIPPUS EPISCOPUS BAJOCENSIS ECCLESIÆ BECCI. A

In uno volumine. Augustinus super Johannem. *In alio*. De civitate Dei. *In alio*. Super primam partem psalterii. *In alio*. Super secundam partem. *In alio*. Super tertiam. *In alio*. Epistole Augustini de verbis Domini. *In alio*. Augustinus contra Faustum. *In alio*. Augustinus, de confessione. *In alio*. Hugo super lamentationes Jeremiæ. —*In alio*. Retractationes Augustini et de diversis heresibus. — *In alio*. De pastore et ovibus, et de baptismo contra Donatistas, et de baptismo parvulorum, et de unico baptismo, et de spiritu et littera. *In alio*. Augustinus super Genesim ad litteram, et de LXXXIII questionibus. *In alio*. Augustinus contra Adimantum, lib. I ; — contra Parmenianum, liber III ; — contra omnia scripta ejus, liber I. — Sermones Effremi. — Sermones Augustini et super psalmum LXXVIII, et omelie ejusdem et Ieronymi et Ambrosii. *In alio*. Ambrosius de fide, et Augustinus contra Julianum. — *In alio*. Ieronymus contra Jovinianum, et Augustinus de consensu evangelistarum et de verbis evangelii : *Qui blasphematur in Spiritum Sanctum* ; et libri II de sermone Domini in monte — *In alio*. Augustinus, de simbolo. Tractatus IIII de IIII virtutibus cardinalibus, liber unus. — De cantico novo, liber unus — De cataclysmo, liber unus. — De tempore barbarico, liber unus. — Sermo de simbolo et de oratione dominica, et liber de fide et operibus, et quedam dicta de trinitate et sermo de contempnenda morte, et Athanasius de trinitate, et Alcuinus de trinitate, et expositio super Canticum canticorum.

In alio. Ieronymus super Ysaiam. *In alio*. Ieronymus super Ezechiel. *In alio*. Ieronymus super Oseam, et alios quinque prophetas. *In alio*. Ieronymus super Danielem, et Beda super canonicas epistolas et super acta apostolorum. *In alio*. Epistole Ieronymi. *In alio*. Ieronymus super Matheum et Marcum; et Beda super Samuelem ; et quidam sermones. Augustini et Eusebii. — *In alio*. Ieronymus super Marcum. et de hebraicis questionibus.

In alio. Ambrosius super *beati immaculati*.

In alio. Isidorus de officiis vel de diversis virtutibus et liber unus de differentiis; et liber Ambrosii de abusivis seculi, et liber questionum Orosii. et responsum Augustini. Item de singularitate clericorum ; item de Adamo ; item de regula vere fidei ; et sermones Augustini super epistolam Johannis ; et liber Gennadii.

In alio. Gregorius super Iezechielem. *In alio*. Speculum Gregorii.

In alio Hilarius de trinitate.

In alio. Ambrosius super Lucam.

In alio. Ambrosius de officiis.

In alio. Prima pars de sacramentis secundum Hugonem. — *In alio*. Secunda. — *In alio*. Hugo de arca et de aliis pluribus.

In alio. Prennon fisicon. Hugo super Ecclesiastem.

In alio. Origenes super epistolam ad Romanos, et super *Jesu navem*.

In alio. Tertulianus contra Paganos, et Origenes super Canticum canticorum, et super tertium psalmum.

In alio. Commentum Philippi presbiteri super Job.

In alio. Historia Clementis cum pluribus aliis.

In alio. Beda de temporibus ; et Egisippus.

In alio. Josephus totus.

In alio. Historia Normanorum.

In alio. Vita Alexandri ; et historia Britonum.

In alio. Historia Friculfi Lexoviensis episcopi.

In alio. Tripartita historia.

B

In alio. Orosius et Trogus Pompeius.

In alio. Ierarchia Dionisii.

In alio. Burchardus.

In alio. Remigius de expositione misse ; et gesta Salvatoris ; et II epistole Ieronymi ; et Tomellus (?) de incestis conjugiis ; et Gislebertus contra Judeum ; et liber Paschasii de corpore Domini ; et liber Ambrosii de Sal. I. et liber ejusdem de Joseph, et de benedictione patriarcharum.

In alio. Rabanus super Matheum.

In alio. Liber ignoti auctoris, et Claudianus contra eum, et examen Basilii.

In alio. Rabanus super Jeremiam.

In alio. Johannes Crissotomus (Chrysostomus) de reparatione lapsi.

C

In alio. Johannes Crissotomus de laude Pauli ; et didascalicon Hugonis ; et soliloquium Isidori ; et littera apologetica Bernardi abbatis ; et liber ejusdem de consideratione ; et liber Ernaudi abbatis Bonevallis de verbis Domini in cruce ; et liber Ambrosii de jejunio ; et expositio Bernardi super : *Missus est Gabriel*. Item Hugonis de arra anime.

In alio. Beda super Lucam et Marcum.

In alio. Ennodius.

In alio. Isidorus, ethimologiæ.

In alio. Epistole Cipriani.

In alio. Epistole Cassodori.

In alio. Expositio Bernardi super Canticum canticorum.

D

In alio. Prima pars partiarii (?). *In alio*. Secunda.

In alio. Maximus Valerius.

In alio. Rabanus de naturis rerum.

In alio. Pomponius Mela, de cosmographia ; et Tullius, de fine boni et mali ; et de Academicis; et Timeus Platonis ab ipso Tullio translatus ; et Tullius de particione oratoria ; et liber Candidi Arriani ad Victorinum de generatione divina ; et Hilarius de sinodis, et ejusdem liber contra Valentem et Auxencium.

In alio. Petrus Auffonsus (Alfonsi).

In alio. Anneus florus.

In alio. Dicta Gregorii.

In alio. Decreta Gratiani.

In alio. Codex.

In alio. Tres partes et Digesta nova.

In alio. Digesta vetera.

In alio. Inforciata et liber Autenticorum.

In alio. Liber Institucionum, et tres libri Codicis.

In alio. Instituta Justiniani minora.

In alio. Suetonius et Eutropius.

In alio. Suetonius; et Julius Frontinus; et Eutropius; et Tullii Tusculanæ, et Philippica ejusdem.

In alio. Tullius de natura deorum, libri III; de divinatione, libri II; Timeus Platonis ab eo translatus; et de Fato, liber I; ad Ortensium (Hortensium), liber I; et de Legibus libri III.

In alio. Epistole Plinii junioris; et Apuleius de deo Socratis; et Hilarius super Matheum; et Gesta Francorum.

In alio. Collationes Patrum.

In alio. Epistole Ivonis.

In alio. Decreta Ivonis.

In alio. Liber Hugonis archiepiscopi.

In alio. Boetius de trinitate, et commentum Gisliberti Porretani super eumdem.

In alio. Psalterium glossatum.

In alio. Glosse psalterii.

In alio. Epistole Pauli glossate.

In alio. Palladius de agricultura.

In alio. Vigetius (Vegetius) de re militari.

In alio. Remigius super Marcianum.

In alio. Glosse super Marcianum.

In alio. Super Marcianum; et liber Tullii de paradoxis; et Tullius pro Marco Marcello, et pro Quinto Ligario, et pro Dejotaro, et pro seipso; et epistole Dindimi ad Alexandrum et Alexandri ad Dindimum; et Apuleus (Apuleius) de fato; et Claudius Claudianus; et epistole Giraldi Eboracensis, et vita Neronis; et super variarum Cassiodori, et liber ejusdem de anima.

In alio. Historia Henrici de Anglia; et liber Bede minor de tempore et de natura rerum.

In alio. Quintilianus de institutione.

In alio. Quintilianus de causis.

In alio. Retorica.

In alio. Retorica.

In alio. Retorica.

In alio. Geometrica et aritmetica.

In alio. Astronomia.

In alio. Gesta Cesaris.

In alio. Gesta Cesaris; et Orosius.

In alio. Tullius, de officiis.

In alio. Tullius, Tusculanæ.

In alio. Tullius, de particionibus oratoriis, et de amicitia, et de senectute, et invective in Catilinam, et invective in Salustum (Salustium); et Salustus in Tullium; et Seneca de causis et remediis fortuitorum, et de naturalibus questionibus.

In alio. Macrobius, de saturnalibus.

In alio. Macrobius, Boetius, Plato.

In alio. Seneca, de beneficiis.

In alio. Seneca, de beneficiis.

In alio. Seneca, de beneficiis, libri VII.

In alio. Seneca, de naturalibus questionibus; et Adelermus Batensis (Adhelardus Bathonensis?) proba vates; aurea capra (Simon); et liber Hildeberti Turonensis archiepiscopi de dissensione interioris et exterioris hominis, et sermones ejus, et vita ipsius.

In alio. Zacharias super *unum ex quatuor*.

In alio. Omelie Leonis papæ, et epistole ipsius.

In alio. Plinius, de naturali historia libri XXXVI.

Sunt volumina CXIII, exceptis XXVII voluminibus, quæ dedit episcopus, sed nondum habuerunt. summa voluminum CXIII.

ANNO DOMINI MLXXXIX

BONIZO

SUTRIENSIS PRIMUM, POSTEA PLACENTINUS EPISCOPUS

PROLEGOMENA

BONIZONIS VITA, RES GESTÆ, SCRIPTA

(Œfele, *Monumenta Boica*, II, 780, Aug. Vindel., 1763, fol.)

De vita, rebus gestis et scriptis Bonizonis (1) episcopi primum Sutriensis, postea Placentini multi multa collegerunt, facem omnibus præferente Bertholdo Constantiensi, qui fere unus historicorum isque Germanus, viri, ævo suo et rebus motis, et scriptis editis et adversitatibus, atque ipsa cruenta morte

(1) In ejus nomine mirum, quantum varient autores. Putes in tenebris micare. Martino Polono onisius, anonymo Mellicensi Ponizus, Ptolomæo ucensi Bonzo, Bertholdo Const. Bonizo, aliis Bonitho, Bonizus, Benizus, Bobinus, etc. Lambeccius, non malus etymologiarum arbiter, Bonizo (quod ille verum ejus et genuinum nomen ex Bertholdo Constantiensi agnoscit) diminutivum, inquit, a nomine

celebratissimi in Chronico suo mentionem fecit. Postquam vero quæ deperdita videbantur ingenii ejus monumenta paulatim e forulis bibliothecarum, eruditorum indagatione proeminere cœperunt, industria in ipsum auctorem curatius indagandi, simul excitata est.

Inter primos Ferdinandi Ughelli, Antiquitatum ecclesiasticarum Italiæ statoris eximii, diligentia emicuit. Secutus est Ughellum indefessæ et copiosæ eruditionis bibliographus Petrus Lambeccius, qui de Bonizone, occasione reperti in arce Ambrasiana codicis agens, ut ille apud Ciceronem « in eam provinciam sic copiose perfectus est, ut domi prorsus nihil relinqueret. »

Bonizo igitur tempore magni illius dissidii, quod papam inter Gregorium VII et Henricum IV imperatorem jura clavium et gladii horrendum in modum conturbavit, ærumnosam vitam egit, et Lambeccii quidem elogio, pietate, eruditione et constantia clarissimus emicuit Clericalem vitam amplexus dum cælibis vitæ officia non solum scriptis sed et sanguine tueri contendit, primus mansuetudine evangelica excidit, et gladio, quem in adversarios stringendum scriptorum suorum et declamationum velut tuba, miseris illis et utrinque pudendis temporibus. persuadere nitebatur, misere tandem et barbarum in modum periit.

Privatus etiamnum et priusquam majoribus Ecclesiæ dignitatibus admoveretur, epitomen Augustinianam (de qua postea plenius) ad Joannem Gualberti (2) Vallis Umbrosæ in Etruria abbatem, charitatis et mansuetudinis Christianæ insignem magistrum utinam et suum! volumine adhuc superstite perscripsit. « Composuit autem (verba Lambeccii ponimus) hanc epitomen Augustinianam ante initium pontificatus Gregorii VII, hoc est ante annum Christi 1073, uti patet ex epistola dedicatoria, quæ Joanni abbati inscripta est (3). » Cujus obitum ad ejusdem anni diem XII Julii ejus acta referunt, primum interpolata a Surio (tomo IV), postea vero a morte Lambeccii genuine et incorrupte edita.

Hujus igitur Joannis abbatis Vallumbrosiani maxime hortatu Augustinianam istam epitomen scriptam fuisse Lambeccio visum est, eo quod in epistola nuncupatoria expresse legatur « ipsi insudatum esse istud opus, » hoc est, ut ipse interpretatur, « secundum ipsius voluntatem et in ipsius usum non absque sudore illud ex omnibus S. Augustini scriptis collectum et elaboratum esse. »

Erat autem, ut semel hoc moneam, Bonizo vir pro sæculo suo non perfunctorie eruditus, vitæ etiam, quæ quidem morum et disciplinæ puritatem spectat, inculpatæ et probæ, sed animi præfervidi, iracundi, adversitatibus exasperati, et sub obtentu veritatis asserendæ, usque ad Christiani sanguinis effusionem ferocientis. Quæ quidem animi impotentia non solum adversitates, inimicitias calamitatesque quamplurimas, sed ipsam denique mortem eamque crudelissimam eidem accersivit. Ejus rei argumentum maxime premens, opus ipsum est, quod primi hic ex antiquissimis membranis edimus De persecutione Ecclesiæ ad Amicum. In quo unice in id eruditionis et eloquentiæ nervos intendit auctor, ut sacrarum litterarum, Patrum, canonum et historicorum sententiis in rem suam accommodatis, persuaderet suæ factionis hominibus, licere homini Christiano religionis veritatem, armis et ferro, ultro asserere. Quod ille quam veraciter quamque pertinenter præstiterit. ipse viderit, et alii arbitrentur. Nobis hoc loco aliud nihil propositum quam calamitosi illius schismatis tenebras nova hac, etsi picea et fumosa face æque conflagrantis pene Christianæ pietatis busto rapta, porro illustrare.

Eo igitur ingenio, turbido et acerbo cum esset Bonizo, privatus etiamnum multorum in se odium concitaverat, adversus quos Joannis abbatis preces implorat, ut scilicet orationis suæ scuto ab æmulorum eum latratibus protegeret, quorum dentes potius, quibus dilacerandus erat. mansueto et prudenti consilio caveret oportebat. Æmulorum vero nomine Lambeccio interprete, sacerdotes sine dubio Simoniaci et schismatici intelliguntur, cum quibus uti ipsi sancto abbati Joanni, sic etiam amicis ejus et discipulis et præcipue quidem Bonizoni perpetua fuerat gravissimaque contentio.

Cæterum recte colligit vir ille clarissimus, cum in ea præfatione nihil memoretur, quod Bonizonem vel episcopum vel exsulem indicet, eum opus illud prius quam in episcopum Sutrinum electus fuisset, composuisse.

An vero Bonizo abbatiæ S. Petri de Campo, Perusii, tum temporis præfuerit, et ad ipsum pertineant, quæ ex placito anno 1072, inter abbatem hujus nominis et Maurum de prædio quodam in præsentia Beatricis ducis et Mathildis paciscentes refert illustris Muratorius (4), iis, qui locis controversis et monumentis eorum viciniores agunt discutiendum relinquimus.

Ad Sutrinum vero episcopatum quando pervenerit Bonizo monumenta Ecclesiæ illius, parum adhuc feliciter refossa, non satis definiunt. Ughellus (5) ea in sede anno 1078 floruisse tradit : Colettus vero in additionibus ad idem opus, tempus prævertit, et annum 1075 mavult. Ughelli verba hæc sunt (*i. e.*,

proprio Bonus est, quemadmodum Domnizo a Domnus, Gunzo a Guntherus, Erizo, ab Ericus, et alia ejus generis.

(2) Baronius Suriusque Gualbertum perperam vocant observante Lambeccio, et his ducibus error hodie invaluit, patris nomen, Joanni filio tribuendi.

(3) Comment. de Aug. Cæs. bibl. Vindob. lib. II. cap 8, p. m. 787. In recensione cod ms. ex Arce Ambrosiana ad Cæsaream bibliothecam delatorum Cod. LXXXV.

(4) Italiæ mediæ Antiquitat. t. II. fol. 955, dissert. 131.

(5) Italiæ sacræ t. I, edit. secundæ.

num. XVI) : Bonizus vir longe doctissimus floruit anno 1078. »

Ejusdem certe anni die XIII Maii, S. Thomæ ædem Cremonæ a Bonizone episcopo Sutrino legatoque apostolico consecratam fuisse idem Ughellus in episcopis Cremonensibus memorat (tom. IV, fol. 596).

Sed quo minus quiete eam sedem obtineret Bonizo, atrocia inter Gregorium VII, cujus partibus mordicus adhærebat, et Henricum IV imp. non jam gliscentia, sed in apertum Italiæ Germaniæque incendium erumpentia odia efficiebant. Postquam enim imperator anno 1082, primo vere denuo Romam exercitu petiisset, cum eam obtinere non posset, Gregorio urbem et se omni vi et consilio tuente finitima depopulatus est, omnibus, qui Gregorii partibus addictiores essent, aut fugatis aut captis (6). Bonizo certe, quod acerbiori odio flagrans timidioribus consiliis minus pateret, Sutrii subsistens, ab Henrico, qui e Farvensi monasterio exercitum moverat, in captivitatem redactus est, uti eam expeditionem plenius persequitur ad illum annum rerum Italicarum illustre sidus, et ab occasu magis adhuc lucens, Ludovicus Antonius Muratorius (7).

Quandiu in Henrici vinculis hæserit captivus episcopus, non memini hactenus a quoquam memoratum. Neque credibile Bozoni liberum fuisse concilio quod anno 1083, XX Nov. componendis sacerdotii et imperii dissidiis congregatum fuerat, interesse ; quod ab eo omnes fere episcopos, qui Gregorii partes acrius fovebant, et in his Hugonem Lugdunensem, Anselmum Lucensem et Rainaldum Comensem, arcuisset Henricus : neque Farvensis monasterii vicinia, quo plerumque se recipere consueverat imperator, credere sinit Bonizoni, vel dimisso vel elapso ad gregem suum redire integrum fuisse. Cui accedit quod ejectus a Roberto ex urbe Henricus anno 1084, Sutrii substiterit, uti ex charta conficitur Ecclesiæ Pisanæ x Kal. Junii tradita, quam refert Ughellus (8) ubi annum 1095 pro 84 irrepsisse, non advertentibus Ughello et Coleto, recte ex notis reliquis temporis ejusdem diplomatis, observat accuratus notarum auctor in idem Muratorii opus germanico idiomate donatum (9).

Rediisse forte ad sedem pristinam Bonizonem nostrum Henrico trans alpes represso, etsi de anno ipso reditus non exacte constet, rebus Sutriensibus densa caligine adhuc obnubilatis, vero tamen non est absimile. Sedem denuo suam occupasse videtur tempore obitus Anselmi Lucensis qui contigit anno 1086, die XVIII Maii, uti patet ex loco Hubaldi, qui beati Anselmi Lucensis Vitam in scripta misisse passim perhibetur. Eum locum, quem et Ughellus et Oudinus ex Sebastiani Tengnagelii collectione sive syntagmate veterum monumentorum pro Gregorio VII aliisque nonnullis Romanis pontificibus contra schismaticos olim conscriptorum (quos inter non infimum locum obtinet Paulus noster Bernriedensis) excerptum retulerunt, nos quoque ex eodem syntagmate repetemus, quod Bonizonem Ecclesiæ Sutriensi anno 1086, denuo præfuisse ex exsequiis beati Anselmi Lucensis, eodem anno, prout diximus, rebus humanis exempto, interfuisse exinde pateat. « Rogavit S. Anselmus, quoad vixit, quatenus in capitulo monasterii S. Benedicti, quod est in ripa fluminis Eridani sub obedientia sacri Cluniacensis cœnobii, unde frater ipse ac monachus fuit, sepulturæ commendaretur. Et cum concedentibus episcopo atque comitissa Mathilda cæterisque omnibus jam deferretur ad monasterium corpus, adfuit subito Sutriensis episcopus nomine Bonizo, quem et Spiritus sanctus suscitavit, ut clamaret dignum esse, ut in episcopio episcopus sepeliretur. Tanta, inquit, lucerna, non decet ut abscondatur ; ipse adhuc vivens tanquam indignum se humiliavit nos autem ut vere dignum exaltare oportet hominem, quem fuisse scimus sanctissimum. Acclamatum est idem statim ab universis, rapiturque a monachorum obsequiis, in episcopium defertur ibique venerabiliter sepelitur. »

Hæc D Anselmi Lucensis biographus, quem Hubaldum episcopum Mantuanum asserit Ughellus. Eumdem locum Baronius quoque, annalium ecclesiasticorum pater, retulit quidem (10), sed duobus in locis mendose ; in quod ante Oudinum alii dudum observaverant : nam Domnizonem pro Bonizone et pro Sutriensi episcopo, episcopum Sabinensem appellavit, deceptus haud dubie notiori sibi Domnizonis nomine, qui de rebus gestis Mathildæ ad ipsam Mathildam opus metricum scripsit a Leibnitio editum, cum vero uterque in aula celebratissimæ illius matronæ gratiosus fuerit, facile quæ ad alterutrumque pertinebant in unum fuere collata.

De fictitio hoc episcopo Sabinensi quem Baronii auctoritate inducti Ughellus et Ciaconius cardinalium episcoporum Sabinensium catalogo ad annum 1076 inseruerunt, videndus Oudinus, qui errorem istum ex loco Hubaldi memorato dispungit, et Bollandiani ad d. XVI Sept. in Vita B. Victoris, cap. 10, quorum verba integra hic legi merentur : « Secundum Ciaconium in Gregorio VII, fuisset Domnizo, qui et Regizo, inquit, hic Sabinensis episcopus, cum dicat illum interfuisse exsequiis S. Anselmi Lucensis, anno sequenti 1086 defuncti. At nec Domnizo cum Regizone confundendus est, neque alteruter fuit episcopus Sabinensis, quantum existimo; licet in novissima Ughelli editione uterque in catalogo episcoporum Sabinensium reperiatur. Errori occasionem dedit Baronius in Annalibus ad annum 1086, num. 10. Nam cum in Vita S. An-

(6) Chron. Farvense apud Murator., t. II, p. II Rer. Ital.

(7) Annali d'Italia, t. VII, p. m. 274; et Interpr. Germ., p. m. 441.

(8) T. III in archiep. Pisan., n. 39, col. 420.

(9) P. m. 452, tom. VI. not. d.

(10) T. XI Annal. ad annum 1086, p. 58.

selmi legatur, Sutriensis episcopus nomine Bonizo, ex ea apud Baronium legitur, Sabinensis episcopus dominus Domnizo. Inde error Ciaconii æque ac Ughelli. »

Ad eumdem annum 1086 pertinere ait Ughellus honorificam illam mentionem quam de Sutriensi hoc episcopo exstare ait in quodam Mathildis comitissæ privilegio, « a qua (sunt verba auctoris nostri) (11) ob egregias animi dotes magno in honore habitus est. »

Sive igitur ad funebria tanti viri ultro advolaverit Bonizo, sive apud beneficam illam episcoporum exsulantium fautricem altricemque, e vinculis Henrici vel delapsus vel dimissus jam tum hæserit, dum certiora prodeant controversiæ hujus monumenta, in medio relinquimus.

Medio certe illo tempore, donec ad Placentinam transferretur Ecclesiam, vagam et extorrem vitam egisse, et subinde apud Mathildam liberalem Guelficæ factionis (12) hospitam diversatum, pronum est credere (13). Bertholdus enim Constantiensis, qui homo, licet Germanus, Itali hujus episcopi memoriam pene unus conservavit, ubi de ejus ad Ecclesiam Placentinam translatione agit, expresse memorat e sede Sutrina pro fidelitate sancti Petri jam dudum ante expulsum, memorat autem ad annum 1089, qui Bonizoni vitæ supremus, isque omnium maxime exitiosus exstitit.

Bertholdi verba quibus omnem de Bonizonis cruenta morte notitiam substruunt magni nominis auctores hæc leguntur : « Bonizo Sutriensis episcopus pro fidelitate sancti Petri jam dudum expulsus, tandem post multas captiones (multas inquit ; sæpius ergo in vincula datus), tribulationes et exsilia a Placentinis catholicis pro episcopo recipitur : sed a schismaticis ejusdem loci effossis oculis et truncatus omnibus pene membris, martyrio coronatur. »

Ughellus in episcopis Placentinis, Bertholdi locum paulo copiosius, forte ex aliis monumentis, sequentem in modum deduxit : « S. Bonitius (14), quem Bertholdus in chronico Bonizonem appellat. Hic cum libertatem ecclesiasticam contra Henricum Cadaloumque pseudopontificem strenue propugnaret, de Sutrina sede, unde primum jus divinum dicebat, impio imperatore jubente deturbatus est ; deinde cum plura ærumnosaque mutasset exsilia pervenissetque Placentiam, ibi a catholicis ejusdem civitatis est dictus episcopus, dimicansque cum impietate ac factiosis schismaticis primum est carcere maceratus postea truncatis membris atque exoculatus, prope sanctum Domninum (15), nobili est coronatus martyrio sexto mense quam Placentinam Ecclesiam cœperat administrare, anno 1089, die XIV mensis Julii ; ejus sacrum corpus Cremonam delatum, ibidem exceptum tumulo est, apud S. Laurentium, ubi hæc subjecta carmina incisa leguntur :

NOBILE DEPOSITUM TIBI CLARA PLACENTIA CESSIT
ANTISTES BONIZZO CHRISTI PRO NOMINE MARTYR
SEPTIMA BIS JULII HUNC LUX COLLEGIT IN URNA.

Causam cædis plerique in Henrici quarti factionem referunt Gregorio VII adversantem : sed propinquiores odii causæ ex motibus illis internecinis presbyterorum hinc pro conjugio et sub hujus obtentu sæpe pro concubinatu, illinc pro cœlibatu, non jam scriptis et voce, sed ferro et igne pugnantium, deducendæ veniunt.

Ipse Bonizo totum hoc bellum inter clericos, PATAREAM vocat, et diserte asserit (etsi postea significatio ejus nominis mutarit, et in victas partes rejecta fuerit) eos qui pro cœlibatu Gregorio VII adversus clericos uxoratos concubinarios et Simoniacos adhærebant, *Paterinos* dictos, quos inter ipse Bonizo, non tam militis quam ducis officia dum in se suscepisset, exitium sibi denique et mortem crudelissimam in illo furentis populi æstu accersivit, Paterinis a factione sibi opposita urbe ejectis. Non potuit autem non civitatis ordinem turbare tot mulieribus prolibusque, his quidem natalium, illis justarum nuptiarum publicam honestatem, extremo familiarum dedecore seditiose eripi : quo incendio semel excitato, sub specie honestatis publicæ et ruptorum societatis civilis vinculorum vindicandorum illi qui vere concubinarii Simoniacique a justis nuptiis æque ac a vita cælibe abhorrebant, quorum pro illius ævi nota corruptela numerus longe maximus exstitit, ut dissolutioni suæ patrocinarentur, sedicionis facem acrius etiam et implacabilius ventilarunt. Usque adeo ut, cum optimo cuique ac Christianæ pietatis ac pacis amantissimo sacerdoti in tam turbata republica locus nullus relinqueretur ; ii, qui alterius quidem partus impuros et infrunitos alterius vero feroces et extra omnem Christianam mansuetudinem projectos mores, æqualiter abhorrebant, ultro se ex his fluctibus in tutiora pacatioraque reciperent, et sub D. Augustini regula communem vitæ et disciplinæ societatem pudendis hisce et cruentis dissidiis præferrent.

Successu temporis Paterinorum factiosum nomen, presbyteris uxoratis tandem suppressis, victæ parti adhæsit, tanquam obscœnum et multa cæde ac sanguine fœdatum, victoribus ut fit, quidquid in victoria propudiosum fuerat, in victos transferentibus. Uti eam rem cum ex ipso Bonizonis loco a Lambeccio excerpto, tum ex Hugonis Flaviacensis Chronico ad annum 1084 luculenter docet, et ad amussim ex-

(11) L. c. in episc. Sutriens. add. XX, col, 1275.

(12) In qua nihil ei, præter nomen mariti, displicuit.

(13) Ughellus loco mox citato. *Ob Ecclesiæ Romanæ defensionem de Sutrina cathedra depulsus est, postque* VARIA DURAQUE EXSILIA, etc.

(14) De sancti titulo postea videbimus.

(15) Ejectus ergo primum urbe, in vicina demum occisus est. Burgum autem S. Donini, inter Parmam Placentiamque viæ Æmilia situm nomen a S. Donino traxit, qui sæviente Maximiliano martyrii palmam ibi nactus, uti id pluribus docet Ughellus Ital. sacræ tom. II, p 62.

pendit Baronianæ messis vannus critica. Pagius (16). Sed et locus galvanei flammæ, qui historiam Mediolanensium ab V.C. ad annum circiter 1336 conscripsit, hac de re consulendus apud Muratorium (17) qui ejus Manipulum florum (ita opus inscripserat) ex codice membraneo Mediolanensi et altero Ambrosianæ dedit.

Cæterum de cæde Bonizonis, etsi seditionis illius Placentinæ mentionem faciant, uno fere ore obmutescunt rerum Placentinarum scriptores antiquiores. Joannes de Mussis civis Placentinus, qui res patriæ suæ ab anno 222 ad annum 1402 luculento calamo descripsit, et quem a se editum plurimis verbis commendat Muratorius, de Bonizone tamen pisce magis mutus existit. Idem etiam observamus in aliis Ecclesiæ illius scriptoribus, etiam antiquioribus, qui sua quoque e vetustioribus hauserunt, et quos a fide et rerum copia laudat toties laudatus Muratorius (t. XVI *Rer. Ital.*, p. m. 443) : et illi tamen tam uberes, tam locupletes, tam luculenti, Bonizonis ne nomen quidem, nedum res gestas et crudelem cædem memorant. Unius horum, quem Muratorius e codice Estensi edidit, et de quo reperto fortunæ gratias agendas putat, jejunum Annalem in medium proferemus, iis firmandis quæ asseruimus : « A. C. 1089 fuit discordia inter milites et populares Placentiæ, et milites exierunt de civitate, habitantes castra et villas et prohibentes gentes episcopatus venire ad mercatum Placentiæ, et tunc populares exeuntes de civitate contra milites, expugnaverunt castra usque ad Trabantianum. Et tunc milites per aliam viam congregati intraverunt civitatem excludentes de civitate populares, qui populares non valentes civitatem intrare steterunt juxta S. Lazarum, et tandem in festo S. Michaelis invicem concordiam fecerunt (*l. c.*, col. 251). »

Ubi nihil reperias, quod faciem illorum temporum referat, quibus Arialdi et Herlibaldi mali sopiti ignes et incendia atrocius quam unquam antehac sæviebant.

Cæterum quæ Petrus Maria Campius novissimus Historiæ ecclesiasticæ Placentinæ, isque non indiligens sed summorum virorum laudibus notissimus scriptor de Bonizone congessit ex iisdem fontibus, unde nostra hausimus, desumpta percepimus; neque enim ejus vivendi atque evolvendi occasio obtigit; idem sed asseveranter pronuntiare de iis possumus, quæ de Bonizone, Joannes Lironus Carnutensis, congregationis S. Mauri monachus, varia eruditione conspicuus tomo I Singularium suorum (18), ex Lambecio aliisque desultoria tamen brevitate collegit.

Hæc sunt, quæ de vita et rebus Bonizonis deque ipsius cruento obitu hactenus ad posteros pervenere, quæque ex parte pro uberrima non modo ecclesia-

A stico sed omnis politioris æque ac gravioris litteraturæ copia collato mecum studio communicare dignati sunt, per epistolas consulti, viri supra laudes meas positi Franciscus Tœpselius præpositus Pollinganus et (cujus jam vel nomen elogii instar esse cœpit) ejusdem antiquissimæ sub regula D. Augustini canoniæ decanus, Eusebius Amortus.

De sancti et beati titulo in hunc virum æstu sæculi et factionis suæ imprudentius accensum a nonnullis collato Agiographorum Antwerpiensium sententiam, eo referimus lubentius quo æquior nobis, nonnullorum recentiorum, nec auctoritate nec judicio nixa largitate, semper visa est. Ita autem civitatis Christianæ tabularii et archivi collectores et custodes perpetui (19) : « Bonizonem Sutriensem primum,
B deinde Placentinum, ut volunt (*imo velint, nolint*) episcopum, sanctis Italiæ in priori suo catalogo adnumerare ausus non fuerat Ferrarius, ast in altero generali paulo liberius pronuntiavit : « Placentiæ, « B. Bonizonis episcopi et martyris, » de quo ut sancto et beato, nullus meminit hactenus. In adnotationibus confuse allegat nescio quos Annales urbis Placentinæ et Baronium ad annum 1089. Hunc igitur primum consului, in quo de Bonizone nil prorsus reperi præter ipsissima verba Bertholdi Constantiensis, in appendice Hermanni ad dictum annum 1089. » Refert postea locum Bertholdi, accuratissimus Cuperus (is enim adnotationum harum auctor) et porro pergit : « His ponderis aut aucto-
C ritatis nihilum Baronius de suo addidit, ne quidem beati titulum Annales Placentinos alios non vidi præter eos, quos Italice vulgavit Petrus Maria Campius, alibi a nobis excussus, in Indice operis Bonizonem canonizatum non recte asserens, nec magis vere narrans pag 358, eum a Baronio vocatum S. Bonizonem, nisi inepte indicem, nescio a quo concinnatum, pro annalium textu substituerit : nec Bucelinus plus roboris adjungit : a quo male refertur tertia Junii. Admitto et suspicio præclaros Bonizonis labores omnes et gravissima vulnera ei a schismaticis inflicta, at martyrem unquam legitima auctoritate declaratum fuisse, vel ut talem, Sutrii, Placentiæ aut Veronæ cultum, non probant earum Ecclesiarun tabulæ; nec Ughelli Elogium tomo I. col. 190, ubi Bonizzus vocatur de ullo cultu meminit;
D nec mihi licet sedis apostolicæ judicium prævertere. » His subjungit epitaphium Cremonæ in quo quidem martyr audit Bonizo, sed id recentius cum sit, nihil firmat reclamante antiquitate. Observat Sandius in notis et animadversionibus ad Vossii de Historicis Latinis opus doctissimorum virorum accessionibus et lima hodie perpolitissimum (pag. 353, edit. Amstel. 1677 in-12), Bonizonem sive Bonithum a nonnullis « ONYTHONEM dictum quod prima littera B credita fuerit beatitudinis indicium. » Quod obtusi

(16) Crit. Baron., t. IV, ad ann. 1057, IX et seq.
(17) T. XI Rer. Ital., cap. 150, Manipuli florum.
(18) *Singularités littéraires*, t. I, nombre XIII, p. m. 310-313.

(19) In adnot. de prætermissis die XIV Julii, quo loco de typographi errore Junium pro Julio ponentis, me monuit cl. Amortus, et per me alios.

nasi recentius commentum, nemo non qui emunctiori utitur, deprehendit.

Nullam cæterum Bonizonis apud bibliographos insigniores SigebertumGemblacensem,HenricumGandavensem, Joannem Trithemium, cardinalem Bellarminum, Guillelmum Eisengreinium, Aubertum Miræum, Antonium Possevinum,Conradum Gesnerum et ejus epitomatores, neque apud Gerardum Joannem Vossium, quem de historicis scribentem cura illa propius spectabat, mentionem occurrere, nemo cum Casimiro Oudino valde mirabitur, qui, quam supine argumentum illud vastissimum atque inexhaustum plerique eorum(quos ipsa copia inopes subinde fecit) tractaverint, secum prope perpenderint. Tanta enim tamque immensa cum esset eorum, quorum scripta tum passim exstabant, copia, facile eorum, quorum tum et fama et lucubrationes alta caligine et situ premebantur, oblivio obrepsit.

Non tamen Bonizonis ejusque operum memoria ita omnino exoleverat, ut nullum penitus vestigium exstaret : nam et anonymus Mellicensis, Bonizoni nostro synchronus, a Bernardo Pezio in lucem protractus, ejus mentionem facit (20) his verbis : « Ponizo Sutriensis presbyter Septimi temporibus scribit excerpta de canonibus.» Et quod Muratorium Rerum Italicarum tomo III, qui Acta Pontificum Romanorum et Vitas complectitur a Nicolao Arragoniæ S. R. E. cardinale conscriptas, in Leonis IX Vita manifeste apparet Nicolaum Bonizonis historias præ oculis habuisse : adeo non res tantum sed et verba illius, sua facit (p. m. 277). Nec in Leonis tantum sed et in Stephani IX, Nicolai II et Alexandri II gestis vitulo Bonizonis strenue aravit Nicolaus, etsi ejus interim verbo non meminerit. Quod pluribus conficere, cum conferri jam inter se, opera nostra utriusque scripta possint, hujus loci porro non esse videtur. Sufficiat saltem notasse in specimen Nicolaum in vita Alexandri II mentionem facere statuti a Lombardis episcopis Guiberto Parmensi auctore facti, ut aliunde non deberent papam recipere, nisi ex paradiso Italiæ, quæ totidem verbis apud nostrum leguntur.

Ricobaldus quoque Ferrariensis, canonicus Ravennas, in Historia imperatorum Romano-Germanicorum a Carolo M. usque ad annum 1298 producta apud laudatum Muratorium (t. IX *Rer. Ital.*) qui eam pridem a V. cl. et Joanne Georgio Eccardo editam, ope codicis Estensis purgatius et locupletius recudi fecit, in Henrico II imp. quædam e Bonizone affert (col. 121), nec nisi in solo nomine titubat Deonitum appellando. « In libro tamen Deoniti, inquit, quem misit ad comitissam Mathildam, dicitur quod cum dictus presbyter (de Gratiano papatus emptore sermo est) simplicitate ductus pontificatum sibi per pecuniam acquisivisset, ut schismati obviaret, ipse mox errorem suum cognoscens, suadente imperatore se abdicavit officio. »

Hæc autem non apud Domnizonem (quem videri posset sub Deonito suo intellexisse) cujus libri ad Mathildam exstant ab illustri Leibnitio recogniti, sed apud Bonizonem nostrum, et prolixius leguntur. Sed et ipse Muratorius, pro summa sua in edendis monumentis integritate monet loco Deoniti inter lineam ascriptum in codice Bonici. Adeo prope a vero abfuit vir tam perspicax, sed eum notioris Domnizonis nomen a vero abstraxit, quem noverat Mathildi librum nuncupasse, ut reponeret : « an forte Donizi, seu Domnizonis ? »

Sub Henrico IV historiam Hildebrandi (*l. c.* col. 222) prioris Cluniacensis postea pontificis Gregorii VII, archiepiscopum Ebroniensem Simoniæ miro argumento convincentis et ad abdicationem cogentis, iisdem fere verbis narrat, quæ hodie Bonizone exstante legimus. Quo loco Riccobaldus auctoris sui nomen non jam truncatum aut deforme, sed vere et genuine refert Bonizonem vocando. Muratorius tamen adeo nihil suspicatur genuini, ut et hic Donizonem reponendum putet.

Bonizonis denique meminit etiam Martinus Polonus in Chronico, etsi nec in omnibus eo, nec dicibus eodem modo. Juvat ea de re ipsum audire Lambeccium, qui octo ea in re inter se contulit quos omnes locupletissima illa et vere Augusta (cui præfuit) bibliotheca possidet. Ita autem ille : « Hæc igitur sunt illa chronica Bonizonis, sive, ut idem alias corrupte appellatur, Bonisii de gestis Pontificum Romanorum, quorum Martinus Polonus in chronici sui præfatione meminit his verbis : « Compilavi autem præsens opusculum ex scriptis T. « Livii, ex chronicis Orosii, ex chronicis Damasi « papæ De gestis pontificum, ex chronicis Bonisii « episcopi Sutrini De gestis pontificum, ex chronicis « Pauli Diaconi, » etc. Ita enim hic locus revera legendus est, non autem, ut in Joannis Oporini editione Basileensi anno 1559, in-fol. et in Suffridi Petri editione Antwerpiensi Plantiniana anno 1574 in-8, perperam et mendose legitur : De gestis Bonizii episcopi Sutrini, De gestis pontificum. Quam ad rem merito reprehendendus est Joannes Fabricius, cognomine Cæsar, qui in editione sua ejusdem chronici coloniæ Agrippinæ typis Gerardi Grevenbruch anno 1616 in-fol. excusa, verba præfationis Martini Poloni, quibus chronicorum Bonisii, sive Bonizonis De gestis pontificum Romanorum facit mentionem, omnino omisit ; nempe haud alia de causa, quam quoniam ipsi Bonizius iste sive Bonizo, prorsus fuit incognitus (21).» Hæc Lambeccius, qui eodem lib. II, cap 8 (22) variam memoratorum cod. ms. lectionem hisce indicat verbis : « Necessarium arbitror ut hic corollarii instar addam quomodo idem locus se habeat in octo supra memoratis cod. ms. Aug. Bibl.

(20) Cap. 112, p. m. 489, ad calcem ejusdem Bibliothecæ Benedicto-Maurianæ.

(21) In dissert. de cod. ms. Ambrasiano LXXXV.

(22) In recens. cod. CCLIV, in quarto majori, qui Martini Poloni Chronicum continet, p. 872 seq.

Cæs. In primo igitur et secundo illorum cod. legitur hoc modo : « Item ex chronicis Coniti Sutrini episcopi De gestis pontificum et imperatorum. In tertio legitur : « Item ex chronicis Bobini, » etc. In quarto legitur : « Item De gestis Bonisii episcopi Sutrini De gestis pontificum. » In v. vi, vii et viii legitur : « Item ex chronicis Bobini Sutrini episcopi De gestis utrorumque. »

Atque hæc sunt quæ de Bonizone pro argumenti et eruditionis copia, sive inopia potius, colligere potui. De quo vere asserere possumus quod de Servii Sulpitii nobilitate Cicero (*Pro Muræna*), « eam hominibus litteratis et historicis notiorem esse, populo vero et suffragatoribus obscuriorem. » Quod superest, ad ingenii ejus monumenta pertinet, quæ singula ordine recensenda.

CATALOGUS OPERUM.

Epitome omnium operum et sententiarum S. Augustini Paradisus Augustinianus inscripta et in libros octo divisa.

Primus omnium hujus operis notitiam eruit belluo ille librorum (quemadmodum Cato appellari solebat) Petrus Lambeccius, bibliothecæ Augustæ Cæsareæ Vindobonensis præfectus longe dignissimus; is eum una cum aliis codicibus vetustis Cæsareo jussu anno sæculi superioris sexagesimo quinto ex arce Ambrasiana in Cæsaream bibliothecam a se translatum, libro secundo Commentariorum suorum, quos de eadem locupletissimos etsi ad finem non perductos posteris reliquerat, diligenter et exacte recensuit.

Exstat opus in cod. LXXXV, chartaceo, in-folio, conscripto anno 1439. Nuncupaverat illud Bonizo Joanni abbati, quem illum scientia pietate, et Christiana mansuetudine celebratissimum Joannem Gualberti Vallis Umbrosæ fundatorem fuisse inter doctos dudum constat. Epistolam illam notis suis reconditæ eruditionis illustratam integram fere inserit Commentariis suis Lambeccius, quod in ea institutum argumentumque operis plane et dilucide explicaretur. Eam hoc tanquam vere suo loco legi, ubi de Bonizonis rebus ex instituto agitur, nec intempestivum nec molestum erudito lectori videbitur (23).

Bonizo in familia Dei minimus Joanni reverendissimo abbati salutem.

« Dominica voce reus agitur, qui talentum sibi creditum maluit humo tegere quam nummulariis ad mensam commodare, cujus admissi culpam sollicite vitare desiderans, deliberavi, Dei juvante gratia, quandiu spiritus vitalis meos vegetaverit artus, quidquid auditu cordis et corporis percipere, intellectu discernere, quidquid palato cordis potero ruminare, fratribus indigentibus libenter communicare. Suscipe igitur, Pater venerande, *Excerptum sententiarum mirifici doctoris Augustini*, tibi sudatum et per annum vix ad calcem perductum, quod octo voluminibus divisum a me *Paradisi* nomine est decoratum, et non immerito, » etc.

Refert postea Lambeccius quæ de singulorum librorum argumento circa finem ejusdem epistolæ suæ memorat Bonizo, « Accingere itaque pergens, « Pater charissime et admirabilis doctoris scrutare « sententias, et quid sit Deus, et quid non sit Deus, « et quid sit Trinitas, quidve unitas subtili indagatione considera, et de diversitate personarum et « de uniuscujusque personæ proprietate et de missione Filii et de processione S. Spiritus, et qualiter unum tria sit, et qualiter tria unum sint, et « de divina providentia in primo lege et investiga « viriliter. In secundo vero volumine de rationali « quære creatura et qualiter angelica creata sit « creatura qualiterve humana, et cur Deus diabolum « creaverit, quem prescierat peccaturum, cur vero « hominem, et de libero arbitrio et de gratia quære « diligenter et invenies. In tertio vero de origine « Adæ et de Pascha et de baptismi Sacramento et « de corporis et sanguinis Domini eucharistia et de « charitate scrutare viriliter. In quarto vero cur « adorandus sit Deus, cum sciat quid nobis sit necessarium, et de septem petitionibus, et de diligendo Deo, et de lege naturali, et quod melius sit « ab homine quam a vitio vinci, et de adipiscendis « virtutibus et de cavendis vitiis, et de fugiendo « mendacio, et de octo generibus ejusdem, et de « percipiendis alimentis, et adversus mathematicos « et contra Origenistas, si quæsieris naviter, invenies « dilucidatum. In quinto vero invenies de doctrina « Christiana, et quod inter omnia signa verba obtineant principatum, et de signis ambiguis et de « figuratis locutionibus, et qualiter intelligenda sit « Sacra Scriptura, et de cavendis barbarismi vitiis « et de artium peritia et de eloquentia et de septem « Tychonii (24) regulis, et de quinquagesima et « quadragesima. In sexto vero de auctoritate LXX « interpretum quive fuerint, et ab ipso initio Geneseos usque ad Salomonis tempora multiplices et « difficiles, solutas a B. Augustino invenies quæstiones. In octavo vero scriptum reperies, quid sit « infernus, et utrum in inferno mali tantum an etiam « boni mansuri sint, et an corpora possint esse in « ustione ignis perpetua, et quibus sacrificium prosit post mortem, et qualiter mortui in somnis « viventibus appareant, et de oblatione et eleemosyna pro defunctis, et quod Adam morte Dominica « ab inferno sit liberatus, et de duabus resurrectio-

(23) Retulit ante nos Oudinus t. II. Commentar. De scriptor. ecclesiast. col. m. 739, seq.

(24) De hoc Tychonio natione Afro ad Gennadium lib. De scriptoribus eccles., cap. 18, et auctores ibidem citatos in Auberti Miræi Scholio remittit Lambeccius lectorem. De ipso vero Donatistæ hujus scripto, sæpius jam edito plura habet cl. Schœtgenius. l. XIX bibliothecæ Fabricii mediæ et infimæ Latinitatis, p. m. 764.

« nibus, et quod peracto judicio ignis fiet confla- A « gratio, et an ad Dominici corporis modum, omnium « mortuorum resurrectura sint corpora, et de novitate corporis spiritualis et de possessione æternæ « beatitudinis, et de qualitate visionis, qua Deus in « futuro videbitur, et de æternæ civitatis Dei felici- « tate. Talibus deliciarum pomis vescere, his te « pasce deliciis, sicque ligni vitæ saginatus dulce- « dine sermones Christi servabis, mortemque non « gustabis in æternum. Meæ quoque compatiens « infirmitati, mei laboris non immemor ab æmu- « lorum latratibus scuto tuæ orationis me pro- « tege. »

Refert postea initium libri primi his verbis : « Omne quod est aliud est, quod constat ; aliud « est quo constat ; aliud quo dicernitur, aliud quo B « congruit. Universa igitur creatura, » etc.

In ipsius vero operis commendationem hæc porro adjicit indefessus ille bibliothecarius : « Dignissimum profecto est hoc opus ut adminiculo typographiæ publici fiat juris, cum propter enucleationem doctrinæ S. Augustini, tum vero etiam respectu ipsius Bonizonis, cujus res ex Bertholdo Constantiensi, Ughello, Baroni, Ferrarioque hoc loco prolixe et laboriose prosequitur. »

II.

De ecclesiasticis sacramentis.

Primus illud opusculum reipublicæ litterariæ indicavit Joannes Mabillonius, ejusdem ornamentum longe maximum. Repertum et evolutum a se (brevissimum enim est), in Ambrosiana Mediolanensi C cum anno 1685 Italiam, litterariæ mercis emporium ditissimum, pede impigro percurreret. Ita autem ille in Itinere Italico tomo I Musei Italici præmisso (25) : « In alio codice exstat Bonizonis Sutrini episcopi liber de sacramentis ad Galterium Leonensis monasterii abbatem : quo in libro auctor meminit alterius opusculi cui contra Ugonem schismaticum. » Hæc ibidem Mabillonius quasi cursim. Pressius pedem fixit illustris Muratorius, qui opusculum ipsum ex eodem, quem Mabillonius viderat Ambrosiano codice descriptum publici juris fecit in præclaro opere Antiquitatum Italicarum medii ævi, dissertatione XXXVII (26). Agens enim ex occasione tabularum antiquarum in loco Leni diœcesis Brixiensis D exaratarum, monasterii Leonensis sive ad Leones ut posterioribus temporibus appellatum fuit varia monumenta in lucem producit. Sed ipsum potius audire præstat edendi opusculi occasionem explicantem. « Sed quando, inquit, memorato loco in Leonense monasterium incidimus, veniam mihi a lectoribus polliceor (veniam ? imo gratiam) si illud non ante dimisero quam opusculum hactenus luce carens hisce veterum sæculorum monumentis adjicere. Ejus auctor est Bonizo. » de quo, postquam eum ex Bertholdo, Ughello, Lambeccio, Caveo et Oudino notiorem fecit, porro monet, opusculi hujus ante se non solum Mabillonium, sed et ante istum Petrum Mariam Campium historiæ Placentinæ auctorem tum adhuc ineditum, meminisse tanquam a se Romæ visi sub rubro De ecclesiasticis sacramentis. « Hoc igitur opusculum (pergit Muratorius) quod e manuscripto codice Ambrosianæ bibliothecæ olim ego hausi ad Gualterium Leonensis monasterii non abbatem (uti properanter legerat Mabillonius) sed priorem, scriptum dissertationi huic additum volo. »

Id nos, etsi multis rationibus doctorum virorum meditatione et exercitatione dignissimum cum altioris sit indaginis et jam publici juris factum sit, aliis examinandum et recensendum consulto relinquimus.

Meminit in eo Bonizo alterius cujusdam libri a se scripti in Ugonem schismaticum de quo postea suo loco.

III.

Decretale, sive syntagma decretorum ecclesiasticorum ex sacra Scriptura probatisque conciliis, ut et ex pontificum Romanorum et sanctorum Patrum aliorumque orthodoxorum auctorum monumentis collectum et secundum locos communes in septem libros divisum.

Ita insigne hoc opus recenset Lambeccius ex codice membraneo Augustæ Vindobonensis, quem merito propriis verbis rem enarrantem audimus. De Bonizonis enim lucubrationibus agens partim theologicis, partim historicis, « unum, inquit (lib. II *Comment.*, p. 797), præ cæteris memorabile reperi inter Augustæ bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cod. ms. historicos Latinos, qui nondum certis numeris notati sunt. Volumen, quo illud continetur, membranaceum est in folio minori seu quarto majori, et quantum ex scriptura aliisque circumstantiis judicare licet, non multo post Bonizonis mortem exaratum est. Possessor hujus rarissimi et forsan unici (27) codicis ms. fuit olim, ut ipse primo ejus folio propria manu testatur, Joannes Albertus Widmestadius imperatoris Ferdinand I consiliarius et provinciarum Austriæ orientalis cancellarius. » Post cujus litteratissimi viri et sæculi sui Polihystoris ac Poliphemi laudes, ne quidem post reconditæ eruditionis plenos de ejus meritis litterariis summorum virorum Schœllornii et Maschii commentarios satis deprædicatos Lambeccius porro ita prosequitur : « Continetur autem jam memorato codice hactenus ineditum Bonizonis decretale, sive syntagma decretorum ecclesiasticorum, ex sacra Scriptura probatisque conciliis, ut et ex pontificum Romanorum et sanctorum Patrum aliorumque orthodoxorum aucto-

(25) Lutet. Paris 1724, in-4 p. m. 13. — 1685, Aprili in descriptione Ambrosianæ Mediolanensis

(26) T. III, p. m. 599, seq dissert. XXXVII, de Hospitalibus peregrinorum, infirmorum, infantium expositorum, etc.

(27) Pleniorem multo inter Brixianæ Ecclesiæ codices ms. latentem mox indicabimus. Est autem Vindobonensis ille membranaceus in-folio minori seu quarto majori, *et quantum ex scriptura aliisque circumstantiis judicare licet, non multum post Bonizonis mortem exaratus*, ut verba sunt Lambeccii.

rum monumentis collectum et secundum locos communes in septem libros divisum : cui proœmii loco præfixa est epitome historiæ pontificum Romanorum a S. Petro, apostolorum principe usque ad papam Urbanum II, qui die XII Martii anni 1088 electus est. Titulus jam memoratæ epitomes hic est : *Chronica Romanorum pontificum edita a Bonithone Sutrino episcopo viro per omnia doctissimo.* »

Refert postea principium operis, quod cum in codice Brixiano acephalo desideretur, prout ille e Vindobonensi descripsit, exhibemus : « Scripturus de excellentia Romanæ Ecclesiæ et de privilegiis ad ejusdem Ecclesiæ episcopum pertinentibus, et de constitutionibus ejusdem, solertem rogo lectorem, ne citissime in meam prorumpat sugillationem, dum viderit me in tam profuso opere succinctum, pauca dixisse de magnis. Quod si Moyses omnem scientiam doctus Ægyptiacam, qui erat vir mitissimus super omnes homines qui habitabant in terra, quem Dominus noverat ex nomine, incircumcisum se labiis dicit, ne mitteretur ad Ægyptum, et Jeremias se puerum nominat, ne ad regna evellenda et plantanda, ædificanda et destruenda mitteretur excusans : quid ego miserrimus nullius bonitatis vel scientiæ mihi conscius, aliud quam me indignum tanto opere judicabo ? Sed quia Deus in sentibus locutus est, et cum voluit, linguam rudentis resolvit in verba loquentis accepta fiducia ab illo, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, supplicabo ei, orans ut meas utinam ! non dedignetur invisere sentes. Mihi vero multa voventi ac cogitanti nil melius occurrit, quam quod hæc sacrosancta Ecclesia nullis synodicis constituta, sed ipsius Domini est voce fundata, dicentis ad beatum Petrum : Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam Cui addita est societas beati Pauli magistri gentium. ut quæ erat electa caput gentium, sedes esset apostolorum principis et magistri gentium. Ipsa est enim vertex et firmamentum omnium Ecclesiarum dicente Domino ad beatum Petrum : *Ego pro te rogavi. Petre, ut non deficiat fides tua. et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quid dicam quod omnis Christiana religio,» etc. Hactenus quidem Lambeccius ex codice Vindobonensi. Pleniorem operis hujus notitiam nobis suppeditat codex Brixianus, quem ex archivo ecclesiæ illius cathedrali recenset vir non solum ab ea quæ a sanguine venit, sed et vera illa quam litteræ pariunt nobilitate conspicuus Joannes Hieronymus Gradonicus can. reg. Brixiæ sacræ auctor laudatissimus. Constituerat ille absolutæ a se pontificum Brixianorum seriei (28) cod. ms. qui in archivo ecclesiæ illius custodiuntur Elenchum adjicere ; sed mutato postea consilio erulitis spe sua exclusis certe dolendo. intra unius codicis recensionem substitit, qui Bonizonis nostri decretale continet. Sed ipsum potius cui ante oculos et in genibus codex ille fuit narrantem audiamus (29) « Placet doctis Brixianis spartam hanc exornandam relinquere, et in unius tantum codicis descriptione aliquantisper immorari. Conscriptus is est sæculo XI. Titulum præfert ora secundæ paginæ, qui sic se habet : *Bonizonis episcopi de sanctorum Patrum authenticis canonicis ad Gregorium presbyterum.* »

Post brevem postea de Bonizone et ejus lucubrationibus ac libris notitiam, porro ita prosequitur vir doctissimus : « At ex his nullus illo præstantior cujus ex Brixiano archivo nunc damus descriptionem, sive res attendas quas complectitur, sive raritatem codicis et præstantiam consideres. Alterius enim solum occurrit mentio in Vindobonensis bibliothecæ commentariis, quem rarissimum fortasse etiam unicum appellat loco citato Oudinus (t. II, p. 737). Accedit illum mancum esse, cum septem duntaxat contineat libros, decem vero Brixianus. Prima charta cum desideretur, libri etiam primi initium deest, reliquorum vero initia sunt hæc :

« Incipit liber secundus. Quod ante sit docendus « omnis quam baptizandus : et quid sit bapti- « smus : et quibus modis fiat : et a quo sumpsit exor- « dium.

« Incipit liber tertius. Clemens episcopo Jacobo « in his civitatibus apostolorum princeps primates « instituisse ubi primitus archiflamines, etc.

« Incipit liber quartus : Scripturus de excellentia « Romanæ Ecclesiæ et de privilegiis ad ejusdem « Ecclesiæ episcopos pertinentibus, etc.

« Incipit liber quintus : Superioribus tribus libel- « lis, qualis debeat eligi episcopus... superest « nunc de secundi ordinis sacerdotibus et diaconi- « bus cæterisque ordinibus, prout Deus concesserit « enarrare, et primum ab ordinatione ordiamur, « etc.

« Incipit liber sextus : Monachorum quatuor « esse genera, beato Benedicto referente, cognovi- « mus, etc.

« Incipit liber septimus : Scripturas de regibus « et judicibus, et de his qui in laicali ordine sunt « constituti, operæ pretium visum est, etc.

« Incipit liber octavus : Quia vero superiori libro « de prælatis in laicalique ordinis positis... Super- « est nunc in ulteriori libro qualiter subditi vitam de- « beant instituere, breviter indagare.

« Incipit liber nonus : Liber iste medicinalis in- « scribitur, eo quod ægrotantium varia continet me- « dicamenta animarum.

« Incipit liber decimus : Superiori libro dixisse « me memini... operæ pretium visum est mihi auc- « toritates et exempla SS. Patrum compendiose « colligere et judicia de criminibus qualiter judica- « vero, huic libello inserere. »

Ex quibus omnibus non male concludit vir clarissimus plurimum præstare Vindobonensi codici hunc Brixianum.

(28) Brixiæ 1755, ex typogr. Joh. Bapt. Bossini in 4 maj.

(29) In appendice de cod. ms. memorat, p. m. 443.

Primus ejus operis mentionem fecisse videtur Anonymus Mellicensis superius a nobis adductus, qui ab uno opere Bonizonem videtur novisse. Post Lambeccii vero recensionem « Brixiani codicis notitiam (pergimus in verbis Gradenigi) primus vulgavit in supplementis ad Labbæanam conciliorum editionem Dominicus Mansius (tom. II, *in Præf. ad append.*, p. 3), quem de pretiosi codicis inventione reddideramus certiorem. Cl. abbas Trombellius a nobis laudatus cum codicem cum nobiscum ante aliquot annos in citato archivo vidisset, provinciam suscepit in lucem emittendi, obtenta in eum finem illius exscribendi ab illustriss. ac rev. canonicis facultate. »

Optandam sane reverendissimum hodie congregationis S. Salvatoris abbatem generalem, et tot ingenii atque doctrinæ eximiæ monumentis insignem Joannem Chrysostomum Trombellium, ab ea spe nos non deturbare ob mendosissimum et acephalum codicem Brixiensem, quem obiter inspectum officiose nimis commendaverant alii. Maxime cum spes nondum decollarit ea quæ vel hiant vel deficiunt e Vindobonensi, resarciendi, emendandi et redintegrandi. In catalogo ipso cod. Brixiensium Gradonico referente ita recensetur : « Bonizonis episcopi, etc., etc. Collectio canonum est anno 1100 vix elapso, confecta (imo decennio ante et amplius diem suum jam obierat Bonizo) opus ineditum est. Prima pagina desideratur aliæque nonnullæ nonnullis in locis. »

IV.

Epitome historiæ pontificum Romanorum.

Exhibet illam idem ille codex Vindobonensis modo memoratus, qui Bonizonis decretale continet, « cui Procemii loco præfixa est (sunt verba Lambeccii [*loc. cit.*, p 797] a S. Petro apostolorum principe usque ad papam Urbanum II, qui die XII Martii anni 1138 electus est. Titulus jam memoratæ epitomes hic est : *Chronica Romanorum pontificum edita a Bonithone Sutrino episcopo, viro per omnia doctissimo.* »

Illustris Muratorius, quem nihil fugit quod rebus Italiæ illustrandis quoque modo faceret, cum Lanbecciana hæc legeret, nullum non lapidem movit, ut monumentum hoc publici juris faceret, uti ipse testatur his verbis : (30) « cujus postremi libri (*epitomes historiæ pontificum Romanorum*), cum ego summopere avidus forem, intellexi tandem nihil aliud illic exhiberi, nisi merum brevem catalogum Romanorum pontificum, quales multos habemus, proptereaque ab eo ultra mihi procurando abstinui. »

Postrema verba hujus epitomes hæc sunt : « Hucusque incipiens a beato Petro apostolorum principe usque ad nostra tempora Romanorum pontificum acta compendiose digessimus, superest nunc ut de privilegiis ad Romanum pontificem pertinentibus, et de prærogativa ipsius sedis, non profuse sed succincte, Dei juvante gratia, disseramus. » Post quam velut prophonesin ad decretale suum, de quo superius egimus, progreditur.

Casimirus Oudinus, qui primus a Lambeccio, et ex illo potissimum Bonizonem scriptoribus Historiæ ecclesiasticæ inseruit, alium ejusdem epitomes codicem ms. ex Thoma Smito catalogi cod. mss. Cottonianæ memorat (31) his verbis : « Exstat aliud ms. exemplar hujus operis in Cottoniana Angliæ bibliotheca sub effigie Julii littera A, cod. VII, num. II, his verbis : *Chronica Romanorum pontificum edita a Bonithone Sutrino episcopo, viro doctissimo, usque ad Urbanum II, ut habet titulus :* Hujus Romani pontificis acta, auctor intime se scripsisse dicit. » Hæc ibi, ubi tamen fallitur vir doctissimus, dum existimat Martinum Polonum, dum Bonizonem De gestis pontificum allegat, hanc epitomen præ oculis habuisse, cum constet librum ad Amicum, qui vere hunc titulum gestorum implet, designare voluisse.

V

Contra Hugonem schismaticum libellus.

Eum librum, qui Urbani II initia comprehendebat, hodie aut exspectare jubemur latentem aut deplorare deperditum. Meminit ejus ipse Bonizo duobus in locis, semel in opusculo De sacramentis Ecclesiæ, quod Muratorius in lucem protraxit, his verbis : « Qualiter vero primus sit (S. Clemens papa) per electionem Petri, et tertius in gradu, si quis gnarus esse voluerit, legat Librum, quem scripsi in Hugonem schismaticum, et ibi inveniet ad plenum dilucidatum (32). » Et denuo atque copiosius in peroratione epitomes pontificiæ Historiæ de qua modo, sequentem in modum (apud Lambeccium, *l. c.*) : Urbani vero pontificis acta, et de ejus victoria, si quis scire voluerit, legat librum quem scripsi in Hugonem schismaticum, et ibi inveniet ad plenum dilucidata.

De Hugone Candido cardinali, qui et Alexandro II apud Agnetem nostram augustam Henrici IV matrem fluctus excitavit, et postea Gregorio VII in gratiam Henrici filii maxime adversatus est, temporum illorum scriptores, pro partium quisque studio plurima memorant. Ipse Bonizo in rebus Alexandri II prolixam mentionem facit, sed uberiorem multo haud dubie in eo scripto, quo hodie caremus, fecerat, quod ipsum forte cum deplorata jamjam auctoris nostri scripta caput proferant, bono eventu emerget.

Ant. Pagius Criticæ Historico-Chronologicæ in Annal. Baronii t. IV, ad ann. 1044, p. 166 b, cui viro a se sagaci, nasum criticum præterea finxit, prodigium eruditionis Longueryus, ita de Hugone, occasione hujus ipsius opusculi : « Inscriptus fuit in Hugonem schismaticum, hoc est contra Hugonem

(30) Antiq. Italiæ Medii ævi dissert. XXXVII, col. 599, t. III.

(31) T. II, p. 744, 745, ubi mentio catalogi hujus anno 1696, Oxonii in fol. editi, p. 2.

(32) Libello de sacramentis, apud Murat. I, c. p 602.

cognomento Candidum, cardinalem presbyterum T. S. Clementis qui anno 1061 post obitum Nicolai papæ caput et antesignanus fuit eorum qui novum pontificem Romanum non nisi consulto et consentiente imp. Henrico IV creandum esse contenderunt. »

VI.

Liber ad Amicum.

Ita eum indigitat ipse Bonizo in fine epitomes Historiæ pontificiæ, canonum collectioni a se susceptæ, in codice Vindobonensi præfixæ. Est autem opus istud insigne, ipsum illud quod ex membranis Boicis, novem libros complexis, modo in lucem protrahimus. Argumentum breviter ita adumbravit Bonizo: « Cæterum si quis de Theophilacto Tusculano, qualiter Joanni sacerdoti vendidit papatum, et quomodo uno eodemque tempore Theophylactus et Gregorius et Sylvester Romanum non regebant, sed vastabant pontificatum, et qualiter Henricus rex, Conradi filius, Romanam Ecclesiam a talibus pestibus liberavit, gnarus esse voluerit, legat librum quem dictavi, qui inscribitur *Ad Amicum*; et ibi inveniet hæc ordinabiliter esse digesta. Inveniet autem, et ibi papa Clemens electus qualiter sit, qualiterve Henricus rex imperator ab eodem ordinatus sit, et de Damaso ejus successore quot in papatu duxerit dies, et de præclaro Leone, quid in papatu egerit, qualiterve vitam finierit, et de Victore ejus successore quid egerit, aut quid ejus temporibus novum evenerit; et de Stephano Godefridi ducis germano, et qualiter ejus temporibus *Patarea* apud Mediolanum exorta est; et de Nicolao papa et de lite quam habuit cum Benedicto invasore, et quid egerit in papatu, et de Alexandro papa, et de lite quam habuit cum Cadolo Parmense et de ejus victoria, et quid egerit in papatu et de ejus fine, et de septimo Gregorio et de ejus electione, et de vita ejus et moribus, et qualiter ad altare Domini in nativitate a Centio viro crudeli captus sit, et eo die Dei gratia liberatus, et de Werra quam sustinuit ab Henrico imperatore, et de controversia, quam habuit cum Wiberto, et de ærumnis, quas sustinuit, et de obsidione civitatis et sua, et qualiter a Rotberto Romanorum duce sit liberatus, et qualiter beato fine quieverit, aptissime declarata. » Hæc Bonizo, quæ verba exinde deprompta exacte repetit Baroniani operis insignis commentator Pagius, et more suo insertis notis illustrat (*loc. cit.*), ad quas lectorem remittere placet; quantum autem pretium statuerit ille ipse monumentorum historiæ ecclesiasticæ probus æstimator, ex verbis quibus jacturam ejus deplorat facile colligimus. « Profecto, exclamat ille, periisse opus, quod annalibus ecclesiasticis maximam lucem effudisset summopere dolendum. Hæc tamen sufficiunt ad declarandum quantum is de rebus hoc tempore Romæ gestis edoctus fuerit. »

Plenius id præstabit opus ipsum, quod eruditorum oculis subductum et longa oblivione memoria ipsorum exemptum, parum abfuit quin ipso fere in portu naufragium faceret. E bibliotheca enim Boica, ubi latebat et fallebat ignotus codex, in hominis privati bibliothecam (superfluam luxus et potentiæ supellectilem) traductus, a morte ejus, in angulo quodam familiæ herciscundæ commodum tempus, donec ad bractearios iret, præstolabatur, dum manum ducente Minerva in eum incidit vir reverendus et gravioribus æque ac amœnioribus litteris, pro natalium et instituti dignitate instructissimus Joannes Edelweckius clericor. reg. D. Cajetani apud nos degentium tum præpositus, qui profugum aut raptum familiæ restituit.

Codex ipse membranaceus est in quarta quam vocant forma eaque minore et vere quadrata. In Bavaricam ex Schedeliana transiit, toties a nobis memorata. Antiquioris domini nullum ibi vestigium, in postico assere in schedula agglutinata, charactere quem vocant monastico legitur: *Libellus Boni Thonis, et est Chronica a Constantino usque*, etc.

In antico vero forinsecus: *Historia Bonithonis Sutriens. episc. de persecutione Ecclesiæ.* Adjecta nota veteri bibliothecæ *Stat. VII, num.* LIV *A*, qui ordo, bibliotheca ex arte Taufkirchensi monachium ab Alberto translata, postea immutatus, codicibus adhuc hæret illitus. Hodie inter cod. ms. Lat. num. DCXVIII signatus est. Ipse codex characterem sæculi duodecimi ita graphice refert, ut paradigmatis loco rei diplomaticæ tyronibus esse possit: litteræ capitales hodie rubent, sed in quibus vestigia argenti, quo inductæ fuerant, adhuc manifesta. De opere ipso nihil est quod ante dictis adjiciam. Testem temporum illorum novum produco, an et veritatis? ii arbitrantur qui veterum elogia, cum recenter repertis testimoniis conferent. Notas non adjeci idque consulto ne mihi coquos iniquiores redderem quam convivas, et quæ summa consilii fuit, propter jusculum, piscem perdere nolui: recentem præbui, alii condiant. Rerum Boicarum scriptoribus inseri a me Bonizonem, si qui erunt qui vitilitigent, eos quidem dignos non habeo adversus quos maximorum virorum (quod possim) exemplo me tuear; mihi certe auctor, hactenus deploratus, qui non Germanicas solum res, verum Boicas quoque plurimis in locis illustraret, si alia omnia desint (quo abunde tamen supersunt) dignissimus visus est, qui prima quaque non data tantum verum etiam arrepta occasione ederetur; quod ea contineat, « quæ qui legat, non multum desideret contextam historiam illorum temporum; sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat (*Nepos de epist. Ciceronis ad Atticum*).

BONIZONIS

SUTRIENSIS PRIMUM, POSTEA PLACENTINI

EPISCOPI

LIBER AD AMICUM

SIVE

DE PERSECUTIONE ECCLESIÆ

LIBRI NOVEM

Nunc primum e codice membraneo unico bibliothecæ quondam Schedelianæ, hodie Bavaricæ, descripsit atque edidit Andreas Felix ŒFELIUS

INCIPIT

LIBER BONIZONIS SUTRIENSIS EPISCOPI

QUI INSCRIBITUR *AD AMICUM* (33)

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Quæris a me, unicum a tribulatione quæ circumdedit me præsidium, quid est quod hac tempestate mater Ecclesia, in terris posita, gemens clamat ad Dominum, nec exauditur ad votum, premitur nec liberatur, filiique obedientiæ et pacis jacent prostrati, filii autem Belial exsultant cum rege suo, præsertim cum qui dispensat omnia, ipse sit qui judicat æquitate. Est et aliud unde de veteribus sanctorum Patrum exemplis a me petis auctoritatem, si licuit, ut licet, Christiano pro dogmate armis decertare. Quibus tuæ mentis fluctuationibus si aurem sani cordis adhibueris, facile respondebitur, tum quia in promptu nobis est, tum quia hoc tempore mihi scribere hoc valde visum est necessarium Igitur de Dei misericordia confisi, qui linguas infantium disertas facit, adoriamur sermonem.

Mater Ecclesia, quæ sursum est nec servit cum filiis suis, tum maxime liberatur, cum premitur; tunc maxime crescit, cum minuitur. Nemo enim cœlestis regni Abel concivis esse merebitur, nisi qui in præsenti Cain malitia ad puerum limaverit. Sic Enoch probatus repertus « raptus est, ne malitia mutaret cor suum (*Sap.* IV, 11). » Sic Noe, humani generis reparator, per sexcentos ferme annos, quibus ab his qui se injusta maculaverant commutatione multa perpessus, cum domo sua mundo vindice aqua pereunte, liber evasit. Quod si filii Jerusalem aliquando captivi detinentur, tamen non serviunt, quod

A et si super flumina quidem sedentes flentes irriguas non delectantur, in salicibus suspendunt organa, et non cantant canticum in terra aliena, sed ad Jerusalem suspirant; et ideo beati qui allidunt parvulos ad petram, filia autem Babylonis misera (*Psal.* CXXXVI). Sic Hebræus ille quidem Hur non tenuit Chaldæorum, Babilonio non servivit fastui, ad Jerusalem vero tedendit Melchisedech videlicet, et ab eo benedictus ab Omnipotente « pater multarum gentium » appellatus est (*Gen.* XVII, 4). Quod vero scriptum est « duos filios habuisse, unum de ancilla et unum de libera, scilicet qui de ancilla secundum carnem, qui autem de libera per repromissionem (*Gal.* IV, 22, 23); qui sunt duo populi, unus Catholicorum, alter vero hæreticorum, sicut tunc qui se-
B cundum carnem persequebatur eum qui secundum spiritum (*Ibid.*, 29); ita et nunc. Unde dicit Scriptura: « Ejice ancillam et filium ejus. Nec enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ (*Ibid.*, 30). » Itaque Sara clamante ad Abraham Angelo intercedente, Ismael ex persecutione exhæredatur, Isaac vero hæreditate donatur (*Gen.* XXI). Ecce alia persecutio, quam Isaac sustinet patienter. Fodit puteos, quos ante foderat pater ejus, invenit aquam, pro qua rixati sunt Allophili (*Gen.* XXVI, 19, 20). Non repugnavit, patienter sustinuit, quandiu invenit abundantiam et per abundantiam veniret ad Bersabe (*Ibid.*, 32, 33), quæ puteus septimus et requies interpretatur, luce clarius demonstrans, cum persecutio ab his qui foris sunt nobis infertur, tolerando

(33) Hæc litteris argenteis.

devincendam. Cum vero ab his qui intus sunt evangelica falce prius succidendam, et postea omnibus viribus et armis debellandam. Quod melius ostendemus exemplis; sed quid nobis cum allegoria? veniamus jam ad Evangelicam veritatem. Veniamus ad lucem « quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » Veniamus ad verba cœlo terraque durabiliora, et inveniemus nihil nobis cum mundo amicum, nilve commune. Ideo non dolendum est nobis, cum perimus, sed potius gaudendum. Sic enim Salvator ait: « Nolite mirari, si odit vos mundus, scitote quia me priorem vobis odio habuit (*Joan.* XV, 18). » Et iterum: « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis; non quomodo hic mundus dat, ego do vobis (*Joan* XIV, 27). » O quanta dignitas mundum cum Filio Dei sentire inimicum, ut Patrem, qui in cœlis est, una habere possimus amicum. Qui postea nos invitans ad passionem, sic ait: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Math.* X, 28). » Et post pauca: « Si quis venit post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Math.* XV, 24). » Quod si membra summi Capitis sumus, debemus eum imitando eique inhærendo illuc tendere quo eum pervenisse pro certo cognovimus [*inserendum forte* per *vel* post], probra et flagella et irrisiones et turpissimam mortem crucis, ad gloriam pervenit resurrectionis et consummatus factus, gloria et honore coronatus, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Sic et nos, si filii summi Patris sumus, per mundanas possessiones debemus commori secum, ut conresurgentes simul conregnare possimus, quod illi matris nostræ non habentis maculam neque rugam (*Ephes* v, 27) primi fundatores et documentis docuere et exemplis monstravere. Respondet enim aliud princeps ovilis et vas electionis et filii Boarnages (*ita cod.*) et fratres Domini cæterique Dominici gregis arietes, aliud nos docuerunt, quia mundum cum pompis suis relinquentes, quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram (*Col.* III, 2). Quod exemplis monstraverunt, cum irent gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumelias pati (*Act.* V, 41). Igitur postquam in omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII, 5), consummati facti constituti sunt principes super omnem terram (*Psal.* XLIV, 17). Hos secutus est martyrum candidatus exercitus, qui per varia pœnarum genera mortem invenientes, æternam vitam lucrati sunt. Quorum alii stipitibus suspensi, alii variis cruciatibus perempti, alii capite truncati, alii vivi excoriati, alii flammis concremati, alii fluminibus necati, alii vectibus perforati, alii vivi defossi, alii luminibus privati, alii membris cæteris debilitati, alii secti, alii lapidati, alii vincula et verbera experti, insuper et carceres circumierunt in melotis et in pellibus caprinis (*Hebr.* XI, 37). Hos ad tam præclaram gloriam perduxit pontificalis apex, qui, quamvis pene toto orbe jam diffusus, quod verbis prædicabat, ostendebat exemplis. Præcipue Romanus Christianusque senatus, qui a beato apostolorum principe sumens exordium per ducentos ferme annos ad pii Constantini tempora continuis bellorum successibus diebus noctibusque cum antiquo hoste decertans XXXIII vicibus de eodem venenoso serpente triumphans, non ante desiit tolerando certare, subjiciens sibi principatus et potestates (*I Petr.* III, 22), quia ipsum Romani imperii ducem Christianæ subjecit religioni.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Igitur Constantino a Sylvestro sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopo baptizato et ab eodem imperiali diademate sublimato clausa sunt templa, reseratæ sunt Ecclesiæ, cœperunt parietibus depingi imago Salvatoris et e publice dejici imago Jovis; cœperunt altaria erigi et simulacra dejici; reddita est pax in toto orbe Ecclesiis quamvis non longo tempore duratura. Nam ejusdem pii principis tempore, surrexit Arius, maximus Ecclesiæ devastator, a quo Ariana hæresis exorta est, et ab eo mille hæreseos novitates, contra quas omni Christiano pugnandum pro officio sui consideratione nulli dubium est. Nam veternosus senex dolens imperialia vasa, per quæ Christianam persequebatur religionem sibi esse sublata, omnem se collegit in iram, et per quosdam suæ artis viros falsa justitia inebriatos, non cessavit, nec cessat, nec ad usque illius « qui extollitur super omne qui dicitur aut colitur Deus (*II Thess.* II, 4) » tempora cessabit Ecclesiæ maculare puritatem.

Sed cum a Constantino cœperimus, Constantini laudes persequamur. Hic est Constantinus qui legem posuit evangelicæ doctrinæ consonantem, ut omnes episcopi Romanum episcopum haberent caput, sicut omnes judices regem. Hic est Dominicæ crucis inventor Christiani nominis maximus propagator, almæ novæ Romæ fundator, basilicarum præcipuus fabricator; hic est qui nobis sanctam Nicænam synodum congregavit, in qua omnium episcoporum subsellia ipse composuit, et ipse sub pedaneo sedens scabello indignum judicans imperialem sedem thronis illorum admisceri, quorum sedes judicaturæ sunt duodecim tribus Israel (*Math.* XIX, 28). Cui cum quadam die libelli accusationum ab episcopis porrigerentur, fertur dixisse: Absit, ut ego judicem deos! De vobis enim dictum est: « Ego Dixi: Dii estis (*Psal.* LXXXI, 6); » neque enim rectum est ut major a minore judicetur. Hic est, de quo legitur dixisse quia si invenirem aliquem, religioso habitu circumamictum, turpitudinem operantem, pallio meo cooperuissem eum, ne dignitas tanti nominis infamaretur. Hic reliquit filios, hæredes quidem regni, sed non religionis. Nam filius ejus Constantius, qui defunctis fratribus imperii post eum suscepit monarchiam, Arianæ hæreseos zelo mirabiliter vastavit Ecclesiam; nam episcopos exsilio relegavit, quosdam vero gladio truncavit. Hic cum per Ermogenem præfectum, Paulum episcopum Cpoli expellere niteretur,

populus Catholicorum divinæ legis zelo armatus in tantum pro veritate decertavit, ut ipsum præfectum cum omni domo sua et familia igne cremarent. Quod factum non est a sapientibus improbatum, sed potius laudatum. Quid referam de Alexandrinis, quanta pro S. Athanasio episcopo perpessi sunt, quantasve laudabiles pugnas contra Arianos zelo orthodoxæ fidei exercuerint. Quid de Mediolanensibus, qualiter ipsi Constantio volenti episcopos in Ecclesia latitantes capere, armis restitere, eosque ab illius cruentis manibus vi rapuere. Sed quoniam præfatus Constantius non patri æquiparando, sed quasi paganorum more episcopos, quamvis zelo Dei sed non secundum scientiam persecutus est, ejus temporibus respublica multum vexata est; nam et Persæ Romanos terminos transiere, et Francorum valida gens ripas Rheni invasit, quæ usque hodie Christianæ quidem, sed non Romanæ subjecta est ditioni. Quo mortuo, Julianus ei successit in regnum, vir apostata et Deo odibilis, qui per triennium, quibus non Romanum gubernavit, sed vastavit imperium, quantas sacerdotum strages dederit, quantosve Christianos diversis pœnis affecerit, non est facile dictu. Sed eodem tempore fuerunt non solum sacerdotalis, sed etiam militaris ordinis, qui ejus vesaniæ aperte resisterent, ut Jovianus, qui ejus successit imperio; qui cum esset millenarius cingulo ante renuntiavit quam dogmati; sed et Valentiniani divini amoris fervorem non prætermittam. Hic cum quadam die ex officio, erat enim princeps cohortis legionum, regem intraturum templum Fortunæ anteiret, eumque sacerdos, ut moris erat, aqua aspersionis intrantem aspergeret, accidit ut vir Christianissimus guttam aquæ in chlamyde sua aspiceret, moxque Christiani nominis zelo succensus ante sævissimi imperatoris præsentiam in ipso introitu templi sacerdotem pugno percussum prostravit, clamans se Christianissimum pro hac aspersione potius maculatum quam purgatum. Quod factum in tantum Deo placuit, quod ante anni curriculum totius Romani imperii monarchiam ei tradidit gubernandam. Nam Juliano turpiter apud Persas vitam finiente, cum Jovianus ei successisset in imperium, ante anni curriculum in pace sepultus est; quo mortuo, Valentinianus ei successit in regnum, vir urbanus et Christianissimus, qui in primordio ordinationis suæ fratrem suum, nomine Valentem, consortem effecit imperii, proh dolor! tradens ei totius jura Orientis, ipse occidentales gubernavit regiones. Hic Mediolanum sedem legit imperii. Mortuo vero Auxentio hæretico et in pace sepulto sancto Dionysio accidit, ut illuc convenirent episcopi Italiæ, ut sibi in commune eligerent episcopum, ad quod faciendum summopere exspectabatur regis præsentia; quod ut audivit, ipse modis omnibus interdixit, dans legem evangelica veritate concordantem, ut nemo laicorum principum vel potentum audeat se inserere electioni patriarchæ vel metropolitæ, vel episcopi; quod si factum fuerit, inordinata erit talis electio; adjiciens: Talem secundum decreta canonum eligite, qui nostris possit mederi vulneribus. Quam piissimis principis humilitatem Deus ex alio respiciens exaudivit, et sibi et Ecclesiæ donavit Ambrosium episcopum; qui quandiu vixit erga sacerdotem Dei devotissimus pacifice imperium Romanum gubernavit. Sed a pii Constantini usque ad Longobardorum crudelia regna quinque Romani imperii principes secundum Dei timorem et episcoporum consilia et præcipue sub Romano episcopo obedientes exstitere, Ecclesias colendo, clericos diligendo sacerdotes honorando, dum vixere alta pace rempublicam gubernaverunt, et mortem vita æterna commutaverunt; qui vero inobedientes fuere malo fine perierunt; ut Valens, Valentiniani frater, qui Valentiniano mortuo, cum ei successisset, Valentinianus ejus filius cum Justina matre sua hæretica assumens tyrannidem, totus Arianus, ecclesias orientales vastavit, episcoposque exilio relegavit. Hujus quoque tempore Gothi et Massagetes Hystrum transeunt, et Illyricum occupant, Epirumque invadunt; demum venientes Calcedonam ipsum scelestum interficiunt, Constantinopolim obsident. Sed mirabile dictu!

Dominica ejus relicta, quod vir non potuit, civitatem a barbaris liberavit. Fuere etiam alii pestilentes, ut quidam Zeno et Constantinus et Anastasius, qui proterve loquens de papa divino fulmine interemptus est; et Valentinianus, qui cum matre sua Justina regno suo expulsus est, sed per Theodosium pium principem recuperatus est. Et Basilius, et quidem Leo et Mauritius, qui cum uxore et filiis suis a Foca morte damnatus est; et alii quam plures, qui sacerdotem Dei inhonorantes privilegia Romanæ Ecclesiæ auferre molientes et in præsenti vita non quievere, et in æternum periere. Quorum temporibus et Persarum exercitus Mesopotamiam invasit, et Sarracenorum pessima gens omnem Africam et Marmaricam et Lybiam et Egyptum et Arabiam et Judæam et Fenicem a Romana subtraxit ditione Ab aquilone vero Hunorum feritas et Gothica tempestas et Guandalorum procella omnem vastavit Occidentem, quandiu decimum cornu bestiæ, Longobardica scilicet rabies de vagina furoris Domini extracta, Italicas invasit regiones. De qua persecutione melius est silere quam pauca dicere.

Fuere etiam præterea religiosissimi imperatores, ut Theodosius et Honorius et idem Theodosius et Marciniani et Valentiniani pia dualitas, et Constantinus et Hyrene et Leo et Justinianus et quidam alii, qui, ut superius prælibavimus et alta pace rempublicam gubernaverunt, et mortem vita æterna commutaverunt.

Imperante autem Theodosio primo, temporalem carpebant vitam Ambrosius et Augustinus et Jeronimus, qui salutifera vivendi multa nobis reliquere præcepta; quorum Ambrosius ne ab Ecclesia jussu Valentiniani et Justinæ pelleretur, armis populorum defensatus est, nec vituperavit Dei sacerdos divinum populi fervorem, sed potius laudavit. Eodem quoque tempore venerabilis Augustinus Bonifacium princi-

pem, ut Donatistas et Circumcelliones deprædetur et vastet hortatur.

Sed quoniam religiosorum principum superius mentio facta est, aliquid de vita eorum et legibus ab eis promulgatis huic opusculo necessarium duxi inserere. Nunc autem ab ipso Theodosio ordiamur: hic, suscepto regni gubernaculo, barbaros mirabiliter vicit et sedavit, et Arrianos ab ecclesiis expulit, et eas orthodoxis reddidit, Persas intra fines suos stare coegit, Maximum tyrannum regno expulit. Interea pacificato regno Thessalonicam veniens regia licentia populum inconsulte jussit interfici. Qui dum Mediolanum venisset, a liminibus ecclesiæ a B. Ambrosio prohibitus est, sicque cognoscens peccatum suum tamdiu flevit extra ecclesiam publice quamdiu [*ita cod. loco* donec] veniam meruit, data lege ut sententiæ principum sub animadversione prolatæ usque ad XL dies non obtineant firmitatem.

Quantam vero reverentiam erga sacerdotem Dei Archadius et Honorius filii ejus habuerint, leges ab eis promulgatæ testantur in hunc modum: Imperatores ARCHADIUS et HONORIUS Augusti, THEODORO PP. præsidi præfecto. Si quis in hoc genus sacrilegii incurrerit, ut in Ecclesia catholica irruens sacerdotibus et ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet injuriæ; quod geritur a provinciæ rectoribus animadvertatur, atque ita provinciæ moderator sacerdotum et catholicæ Ecclesiæ ministrorum loci quoque ipsius et divini cultus injuriam capitali in convictos sive confessos sententia noverit esse vindicandum. Et post pauca: Sitque cunctis laudabile factas atroces sacerdotibus injurias velut publicum crimen insequi et de talibus ultionem mereri, etc.

Quid vero Martiani et Valentiniani pia dualitas ad beatum papam Leonem scripserit, audiamus: Et tuam, inquiens, sanctitatem principatum in episcopatu fidei possidentem sacris litteris in principio justum credimus alloquendam, invitantes atque rogantes ut pro firmitate nostri imperii et statu æternam divinitatem tua sanctitas deprecetur.

Qualiter autem Constantinus, non ille primus, sed alter, cognomine Pius, imperator scripserit domino papæ advertite. Per Deum, inquiens, omnipotentem non est apud nos partis cujuslibet favor, sed æqualitatem utrisque partibus observabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocunque capitulo eis, qui a vobis diliguntur, quoquo modo sunt, omni honore competenti et munificentia et susceptione dignos eos habebimus. Et siquidem utrique convenerint, ecce bene, sin autem minime convenerint, tantum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus. Et post pauca: Invitare enim et rogare possumus ad omnem emendationem et unitatem omnium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus.

Quid vero alter Constantinus et Hyrene Augusti ad Adrianum papam scribant, attendite: Rogamus vestram paternam beatitudinem, magis quidem Do- A minus Deus rogat, « qui vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II, 4), » ut det seipsum et nullam tarditatem faciat, et accedat huc.

Quid Justinianus sancto papæ Johanni promulgatis legibus scribat, audite: Petimus vestrum paternum affectum ut vestris ad nos destinatis litteris manifestum nobis faciatis, quod eos, qui prædicta recte confitentur, suscipiat vestra sanctitas, et eos, qui judaice ausi sunt rectam denegare fidem condemnat. Sed postquam, ut supra retulimus, Longobardica rabies Italiæ invasit regiones, per triennium quo paganitate detenti sunt, quanta pœnarum genera quantasve amaras et crudelissimas neces Christianis intulerint, non est facile dictu. At postquam in Arriana hæresi baptisma perceperunt, paulo minus; sed ita crudelissime per CXL annos, quibus non gubernaverunt, sed vastavere Italiam, tyrannide usi sunt ut si quis harum calamitatum gnarus esse voluerit, legat Dialogorum librum et pontificalia Gesta sanctorum et inveniet calamitates calamitatum et miserias miseriarum.

Explicit liber secundus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Temporibus autem Adriani summi pontificis, cum se præfatus papa videret oppressum multis miseriis direxit marino itinere suas apostolicas litteras Karolo excellentissimo regi Francorum, deprecans ut, sicut suus pater sanctæ memoriæ Pippinus, et ipse succurreret sanctæ Dei Ecclesiæ adversus insolentiam et tirannidem Desiderii regis Longobardorum. Tunc ipse a Domino protectus Karolus rex aggregans universam regni sui exercitus multitudinem per sex menses obsedit eundem Desiderium in civitate Papia. Adveniente, vero paschali festivitate, magno desiderio ad apostolorum limina properavit. Cui pontifex venerandas cruces, id est signa, obviam misit, et universas scolas miliciæ et pueros portantes ramos olivarum sive palmarum. Ipse vero excellentissimus rex, qua ora easdem sanctissimas cruces et signa conspexit, statim de equo descendens cum suis ad beatum Petrum pedestris perrexit. Quem venerandus pontifex in Sabatho sancto Paschæ in gradibus ipsius apostolicæ aulæ cum clero et populo Romano præstolatus est. Qui dum advenisset, omnibus gradibus B. Petri deosculatis, ad prænominatum pervenit pontificem.

Cum se mutuo amplexati fuissent, tenuit idem Christianissimus rex manum ipsius pontificis, et ita ad beati Petri confessionem cum omnibus suis properans terræ prostratus, Deo et sancto ejus apostolo vota persolvit. Tunc rex obnixe precatus est pontificem ut illi licentiam tribueret Romam ingrediendi, orandi gratia per diversas ecclesias; et descendentes pariter ad corpus beati Petri cum judicibus Romanorum et Francorum, seseque mutuo per sacramenta munientes ingressi sunt continuo Romam, celebrata vero pascali festivitate, quarta feria oblatis magnis donis beato P., ad obsidionem Papiæ rever-

sus est, et auxiliante Deo et eodem apostolo Desi- A derium Longobardorum regem cum conjuge sua secum deportavit, et sibi omne regnum ejus subjugavit. Quo mortuo, Ludovicus ei successit ejus filius vir mitissimus, qui primus omnium Francorum regum imperiali sublimatus est dignitate. Hic offerens beato P. multa donaria, restaurans antiquitus facta privilegia, legem sancivit imposterum in hunc modum continentem.

In electione Romanorum pontificum neque servus neque liber ad hoc venire præsumat ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Et si quis contra hanc nostram constitutionem præsumpserit, exsilio tradatur, insuper etiam ut nullus missorum nostro- B rum cujusque impeditionis argumentum componere in præfata electione audeat prohibemus.

Post cujus obitum per multa succedentium temporum curricula usque ad pestifera Lotharii tempora, qui ab eo suscepere originem decentissime gubernare imperium; quos si quis studiosus voluerit cognoscere, legat leges ab eis promulgatas, videat sepulturas martyrum auro gemmisque decoratas, basilicasque eorum mira pulchritudine exornatas, monasteria quoque religiosa utriusque sexus ab eis constituta cohabitacula clericorum regulariter viventium ab eisdem primitus ordinata et per reliquias quæ nostris supersunt temporibus satis poterit advertere, quam Christianissimi quamque Deo C amabiles extitere. Leges vero ab eis promulgatæ hæ sunt : ex victis (*ita cod.*) Karoli et Lodoici imperatorum : sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore assensum ecelesiastico ordini præbemus, ut scilicet per electionem cleri et populi secundum statuta canonum de propria diœcesi remota personarum et munerum acceptione ob vitæ meritum et sapientiæ donum eligantur, ut exemplo et verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.

Item constitutio K. imperatoris : Volumus atque præcipimus ut omnes nostræ ditioni, auxiliante Domino, subjecti tam Romani quam Franci, Alamanni, Baugueri, Saxones, Lothoringi, Rixones, Galli, Burgundiones, Brittones, Longobardi, Guascones, Beneventani, Gothi, Hyspani cæterique omnes sub- D jecti nobis quocunque legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi. Hanc sententiam, qua ex sexto decimo Theodosii imperatoris libro, capitulo videlicet XI, ad interrogata Ablavii ducis, qua illis et omnibus præscripta misimus, et inter nostra capitula pro lege tenenda consultu omnium nostrorum fidelium posuimus, lege cuncti perpetua teneant, ut quicunque litem habens sive petitor fuerit, vel in initio litis vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium perhortatur, sive cum jam ceperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ legis antistitis, illico sine aliqua dubitatione etiam si aliqua pars refragatur, ad episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in judicio copiosæ præscriptionis vincla promi non patiuntur, investigat et promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio jure vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis jure firmentur nec liceat ulterius tractari negotium, quod episcoporum sententiis deciditur. Testimonium etiam licet ab uno episcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorrupte, quod a sacrosancto viro conscientia mentis illibatæ pertulerit, hoc edicto salubri firmamus, et perpetua lege tenendum censemus.

Hæ sunt leges Christianis imperatoribus dignæ, qui non, ut mos est, Græcorum imperatorum per spadonum astutiam, sed per sacerdotum prudentiam regnum gubernaverunt, et ideo beati quia quousque in præsenti vixere alta pace quievere, et in futuro cum Christo regnabunt sine fine.

Sed cum prænominatus Lotharius sæpe a papa Nicolao esset ammonitus, ut Gualdradam pellicem suam dimitteret, et nollet acquiescere, sententiam meruit excommunicationis. Infelix autem non resipiscens, sed adjiciens peccatum peccato, ausus est infamare donum papæ senioris Romæ; et ideo non solum excommunicatus, sed etiam imperiali dignitate et omni Francorum potestate depositus est.

Quantas vero calamitates Romanis hic intulerit, et qualiter donum papæ injuriaverit, eumque sibi rationes prætendentem spreverit et quomodo ecclesiam S. Petri militari manu possedit, et quam turpissima morte perierit, testantur et Francorum Historiæ et ipsorum regnum usque hodie divisum.

Interea Francorum regno per superbiam exterminato, Italicum regnum patiebatur varias calamitates. Nam nunc quidem per Longobardorum tyrannidem, aliquando vero per Burgundionum violentiam, plerumque vero per Salicorum superbiam non regebatur, sed potius vastabatur. Eodem quoque tempore Romana Ecclesia periculosis subjacebat cladibus, nam Romanis auxilium imperatoribus ferre non valentibus propter senatorum frequentissimos incursus, Francis, ut superius diximus, divisis et ab ecclesia sequestratis, urbis Romæ capitanei nomen sibi inane imponentes patritiatus, Romanam Ecclesiam validissime devastaverunt. Quod nomen ideo inane, quia in Romanis fastis nec paganorum tempore nec Christianorum usquam invenitur. Si enim dignitas esset aliqua, aut per hanc tempora invenirentur signata, aut leges promulgatæ aut tabulæ insignitæ. Sed in Romanis legibus nusquam tale aliquid invenitur. Verum esto aliqua dignitas ad constituendum forsan imperatorem habilis, ordinationi vero summi pontificis nullatenus oportuna. Unde vero hæc substitio (*ita cod. forte* superstitio] sumpserit exordium, paucis, si potero, explanabo. Go-

thica tempestate et Guandalorum gladio et Longobardica rabie dum Roma premeretur, non ferentes impetum barbarorum Romani ab imperatoribus patrocinium militum implorabant, quod illi, prout tempus concesserat, libentissime faciebant. Nam ex latere suo mittentes spadones viros probatissimos, veluti Narsum et Belisarium et alios complures magistros militum creabant. Qui venientes Italiam plerumque barbaros fugabant, aliquando vero solos muros urbis tuebantur. Hos Romana popularis simplicitas velut patres urbis, patricios appellabat, eo more quo usque hodie Romanæ civitatis magnates protectores appellat. Sed rei ordinem prosequamur. Hi vero, quos supra memoravimus, urbis capitanei accepta tyrannide licenter cuncta faciebant. Nam non solum cardinalatus et abbatias et episcopatus turpissima venalitate fœdabant, sed ipsum etiam Romanæ Ecclesiæ pontificatum non spectata aliqua morum dignitate nec aliqua tantæ Ecclesiæ prærogativa, solummodo ad libitum, cui placebat, vel qui plus manus eorum implebat, donabant ; et non solum clericis sed et laicis ; ita ut uno eodemque die plerumque et laicus esset et pontifex ; sicque languescente capite infirmabantur et cætera membra, in tantum, ut non solum altaris ministri secundi ordinis, sacerdotes et levitæ, sed ipsi pontifices passim concubinati haberentur, ut ipse usus jam adoleret [*l.* aboleret] infamiam, et consuetudo turpissimæ venalitatis quodammodo videtur leviare delictum, et non tantum in partibus Romanæ, sed per totius Occidentis climata hæc agebantur ; quippe tacente pastore, magis autem fugiente, imo vero ipso lupo facto custode, quis staret pro ovibus ?

Dum hæc agerentur, Saracenorum vilissima gens oras maritimas Italiæ depopulata est ; dehinc partem Calabriæ et omnem Siciliam invadit : ab aquilone vero Ungarorum valida gens transiens Ystrum omnes cohærentes sibi regiones devastans, insuper omnem Germaniam et Gallias usque ad mare Britanicum depopulans, ad ultimum per Burgundionum regna Italiam veniens, ita eam depopulata est, ut pene, captivis ductis ruriculis, redigeretur in solitudinem.

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

Ungarorum igitur bachante sævitia, surrexit quidam Saxonum et Francorum rex nomine Otto, qui bis eos bello victos, tertio bello pene consumptos intra fines suos eos habitare coegit. Sed quando tanti regis mentio facta est, quibus majoribus ortus, vel qualiter ad Romani regni venisset fastigia mihi scribere visum est operæ pretium. Is enim Saxo genere, Henrici magni Saxonum et Francorum regis fuit filius, qui primitus dux Saxonum, postea vero defuncto Chuonrado rege Francorum, per Hemuardum ejus germanum regni suscepit insignia. Hic, susceptis regalibus signis, Francia citissime sedata, Saxoniam ab Ungarica servitute commisso bello liberavit. Deinde Bavariam, expulso rege Arnulfo, subjecit suæ ditioni, eamque post Henrico suo filio tradidit in ducatum. Brocardum vero Suevorum ducem in deditionem suscepit. Dehinc occidentalem Franciam per Cunibertum suum generum Saxonum conjunxit imperio; Utam quoque suam filiam Ludoico Latinorum et Francorum regi tradidit in conjugium; sicque sedatis omnibus rebus, filio suo Ottone rege pro se jam designato Ecclesiarum Dei maximus fabricator et Christianæ religionis propagator beato fine quievit.

Cui successit filius ejus Otto vir magnificus et totus Christianissimus. Hic primum, ut superius diximus, Ungaros debellavit, et non solum omne suum regnum, sed etiam omnem Occidentem ab eorum servitute liberavit. Hic Ludovicum cognatum suum per Hugonis tyrannidem paterno solio pulsum regno restituit. Nam militari manu intravit, Franciam Remorum civitatem obsedit et cepit, Parisium intravit. Hugonem auctorem tyrannidis usque ad Britannicum mare persecutus est. Inde Aquisgrani veniens, aquilam Romanorum signum, quod contra Germanos multis temporibus alis extensis stabat, Francigenis usque hodie prominere præcepit.

Hinc Maguntiam veniens Ruodolfum Burgundionum regem bella sibi inferentem vita privavit et regno, cujus lancea, insigne scilicet imperii ante nostras usque hodie portatur imperiales potestates.

His ita transactis, cum talis ac tantus rex priore sua conjuge orbatus esset, audissetque famam nobilissimæ atque prudentissimæ Adeletæ [*erat inter lin. scriptum* Adelhaidæ] quondam Lotharii Longobardorum regis conjugis, quam simul cum Ottone comite Belingarius tyrannus intra Canusiam per multos annos obsederat, tantæ reginæ compatiens miseriis simul et tanti comitis admirans fidem, deliberavit ferre auxilium. Qui citissime congregans exercitus sui multitudinem Belingario extincto filiisque ejus a regno expulsis regnum sibi Ottonis consilio comitis pacatissime suscepit et conjugem.

Dehinc ejusdem Ottonis consilio cupiens Romam videre ad Joannem papam urbis Romæ sacramentum dedit corporale in hunc modum : Tibi domino Johanni papæ ego rex Otto promitto et juro per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per lignum mirificæ crucis et per has reliquias sanctorum, quod si permittente Deo Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, et nunquam vitam aut membra neque ipsum honorem, quem habes mea voluntate, aut consensu aut meo consilio aut mea exhortatione perdes, et in Roma nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus quæ ad te aut ad Romanos pertinent sine tuo consilio, et quidquid de terra Sancti Petri ad nostram potestatem venerit, tibi reddam. Cuicunque autem regnum Italicum commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tuus sit ad defendendam terram S. Petri secundum suum posse. Dehinc Romam tendens honorifice a Romanis susceptus et a domino papa benedictione imperiali est subli-

matus, primusque omnium Germanorum regum ap- A pellatus est imperator.

Hic, pacata Italia, Saxoniam cum uxore repedavit, ex qua suscepit filium et nominis successione et regni cui Romani sanguinis dedit uxorem Cpolitani scilicet imperatoris filiam. Idem cum Mainburc (34) ecclesiam miræ pulchritudinis fabricasset, multosque gentilium populorum ad viam veritatis revocasset, languore correptus vitæ terminum sortitus est; cujus corpus in præfata ecclesia condecenti honore humatum est.

Cujus filius cum suscepisset imperium, patri per omnia æquiparans circa cultum ecclesiarum cœpit esse studiosissimus et erga Christianam religionem devotissimus. Hic regni rebus bene compositis Romam properavit, benedictionem suscepit imperialem. B Dehinc Apuliam tendens cum Cpolitano bellum commisit, et uno eodemque die bis victus victor apparuit tertio; qui Romam rediens vi febrium correptus ad limina apostolorum occubuit, ibique in pace sepultus quiescit, vere beatus, terque quaterque beatus, qui ex tanto numero imperatorum et regum solus meruit inter pontifices cum apostolorum principe consortium habere sepulturæ.

Hic filium quidem reliquit, et hæredem quidem regni et nominis utinam et pietatis, qui cum puer regnare cepisset, et ad adultam jam pervenisset ætatem, suasu matris Johannem quemdam Placentinum episcopum, Græcum genere, ad transmarinas partes legavit, ut sibi Romani sanguinis adsciseeret uxorem.

Ea tempestate Crescentius quidam urbis Romæ C capitaneus, qui sibi inane nomen patritiatus vindicaverat, assumens tyrannidem, dominum papam, qui secundum Ottonem, patrem scilicet hujus adolescentis coronaverat, pontificatu expulit. Qui veritus regis vicinitatem, nam Alpes jam transierat, illudque valde formidans, quod papa Ravennæ ejus jam expectabat adventum, secum mente pertractans se hoc modo furorem regis et reginæ posse placare, si Johannem episcopum, de quo superius retulimus, amicissimum regis conlactaneum reginæ, pontificem ordinaret. Sed « non est scientia neque consilium contra Dominum (*Prov.* XXI, 30); » nam veniens præfatus rex Romam Crescentium die obsessum cepit, et capite truncavit, invasorem vero summi ponti- D ficis [*potius* pontificatus] zelo quidem justitiæ, sed plus justo succensus, lumine privavit, cæterisque membris dehonestavit. Quod factum in tantum Deo et beato Petro principi displicuit, ut antequam imperiali potiretur benedictione, priusquam cynthia ter exactum conderet orbem, Domino odibilis sine viatico vitam finivit; et quamvis in suburbio, non xxx milliariis ab urbe distante mortuus esset, communi consilio omnes Romani ejus aspernati sunt sepulturam. Cujus corpus incisum cultris et medicorum arte conditum Saxoniam dum fertur, translatum est (*ita cod.*) Quo mortuo et in infernum sepulto omnis Saxonum et Francorum et Bavariorium et Suevorum potentatus in simul conveniens, elegit sibi in regem Heinricum, ejusdem sanguinis virum Christianissimum moribus decenter ornatum. Interea Longobardi nacti [*potius* rati] se tempus invenisse opportunum Papiam convenientes Arduinum eligunt in regem, virum armis quidem strenuum, sed consilio improvidum. Tedaldus vero dux et marchio ab ea se subtraxit conspiratione seque et sua Teutonico contulit regi, cujus consilio et auxilio post multa bellorum varia discrimina Heinricus rex Italia potitus Romam veniens, a domino Benedicto papa imperiali auctus est dignitate. Quid plura? Principatus Apuliæ in pace possedit, Romanæ Ecclesiæ privilegia multa concessit, et dona amplissima dedit, deinde Papiam veniens, cum eam sibi tunc non repugnantem magis dolo quam armis cepisset, ignique dedisset, trans montes abiit, Papebargensem episcopatum, cum non haberet filios, ex suo proprio constituit, eumque per cartulam offertionis beato Petro tradidit ibique ecclesiam beatorum apostolorum principum mirifice ornatam fabricavit. Hujus temporibus Stephanus Ungarorum rex sacramenta suscepit baptismatis et per eum omnis populus sibi subjectus.

Præfatus vero Heinricus, cum filium non haberet, apostolos elegit hæredes, et terminum vitæ suscipiens beato fine quievit, cujus corpus in ecclesia beatorum Apostolorum, quam ipse dedicavit, decentissime humatum est.

Explicit liber quartus.

INCIPIT LIBER QUINTUS (35).

Cui successit in regnum Cuonradus cognomine, vir bellicosissimus, qui et post mortem imperatoris Heinrici Boemios signa regalia ferentes prostravit et signa reduxit. Franciam vero tumultuantem citissime sedavit; Canonem (36) quemdam Bavariorum ducem aliquid de regni fastigio sibi vindicantem et ducatu expulit, et patrimonio nudavit, et in Ungariam fugere coegit. Dehinc Saxoniam intravit, et omnibus regni negotiis sic rite pacatis, Luticios adgressus bello patravit, et usque ad Bellagrast fugere coegit.

His ita gestis, misit legatos suos honestos, ut decuit, ad dominum papam, et supplicans, ut ei vexillum ex beati Petri parte mitteretur, quo munitus posset Ungaricum regnum suo subjicere dominatui. Quod, ut audivit papa, libenter concessit et mittens nobiles viros ex latere suo, episcopum scilicet Portuensem et Belinzonem nobilissimum Romanum de Marmorato, eis hæc tradidit præcepta, ut si regi non displiceret, ipsi in prima acie vexilla portarent: quod si regi displiceret, hæc ei intimarent: Victoriam, quam tibi spopondimus, vide hoc, ne tibi ascribas, sed apostolis. Quod et factum est; nam

(34) Hartmannus Schedelius, cujus quondam ille codex fuit, in margine adscripsit: *Madeburck.*

(35) In margine sed ab eadem manu litteris argenteis notatum.

(36) Cunonem puto innuit.

bello commisso fugerunt Ungari, capta etiam ungarici regis lancea; quæ per eosdem nuntios Romæ delata est, et usque hodie ob signum victoriæ ante confessionem beati Petri apostoli apparet.

Interea ungarica potitus victoria Italiam intravit, Aribertum vero archiepiscopum Mediolanensem cepit, sed fuga lapsus est; dehinc Romam veniens, imperialem meruit benedictionem. Dehinc Mediolanum rediens cum quædam suburbana depopulasset ab urbe repulsus est, sicque infecto negotio Alpes transiens vi febrium correptus occubuit, cujus corpus Spiræ decenti cum honore sepultum est.

Huic successit filius ejus Heinricus, vir sapientissimus et totus Christianissimus; hic in primordio sui regni Ungaros tumultuantes vicit, et citissime sedavit. Qui rite omnibus regni pacatis negotiis, dum ad Italiam tendere destinaret, nuntii a Romana urbe venientes eumque retardantes mirabiliter reddiderunt sollicitum. Nam, ut superius memoravimus, urbis Romæ capitanei et maxime Tusculani per patritiatus inania nomina Romanam vastabant Ecclesiam, ita ut quodam hæreditario jure viderentur sibi possidere pontificatum. Enimvero, mortuo Joanne Benedicti papæ fratris, *qui uno eodemque die præfectus fuit et papa* (3), cum successisset ei Theophylactus, qui Alberici fuit filius, Gregorius frater ejus nomen sibi vindicabat patritiatus. Hac occasione Theophylactus neque Dominum timens, neque hominem reveritus, qui, cata antiphrasin vocabatur Benedictus (38), cum post multa turpia adulteria et homicidia manibus suis perpetrata, postremo cum vellet consobrinam accipere conjugem, filiam scilicet Girardi de Saxo, et ille diceret nullo modo se daturum, ni renuntiaret pontificatui, ad quemdam sacerdotem Johannem, qui tunc magni meriti putabatur, se contulit, ejusque consilio semetipsum damnavit, pontificatuique renuntiavit. Quod consilium valde esset laudabile, nisi turpissimum post esset secutum peccatum. Nam idem sacerdos, de quo supra retulimus, accepta hac occasione nefando ambitu seductus per turpissimam venalitatem omnemque Romanum populum pecuniis ingentibus datis sibi jurare coegit, sicque ad pontificalem ascendit dignitatem, quem verso nomine Gregorium (39) vocaverunt. His ita gestis, Gerardus de Saxo cum aliis capitaneis quemdam Sabinorum episcopum sibi eligunt pontificem quem verso nomine vocaverunt Sylvestrum (40). Quod audientes Gregorius patritius et Petrus Germani Theophylactum spe conjugis deceptum ad pontificalia iterum sublevant fastigia. Sed quis pro tantis calamitatibus nobis locus remedii, nisi vox illa evangelica, quæ confortat apostolum dicens: « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua (*Luc* XXII, 32). » Sed certe et vere non defecit fides Petri, nec deficiet fides Romanæ Ecclesiæ in æternum. Nam in tanta et tam valida tempestate suscitavit Dominus spiritum cujusdam Petri Romani archidiaconi, qui convocans episcopos, cardinales (41), clericos, ac monachos, viros ac mulieres, quos timor Domini aliquantum tetigerat, subtrahens se a præfatorum invasorum communione, et zelo Dei ductus, ut quondam ille Omas, Hebraicus sacerdos, Alpes transivit, regem adiit non causa accusationis, sed pro communi utilitate Ecclesiæ, ejusque pedibus advolutus flens obsecrabat, ut matri suæ desolatæ quantocius subveniret, convocatisque episcopis, qui tunc aderant, præcepit eis ut Romam cum rege tenderent, et synodum congregarent. Quod et sine mora factum est. Abusivus vero ille Gregorius, qui Romanæ Ecclesiæ cathedram regere videbatur, rogatus a rege, ut ei obviam veniret, nihil mali conscius apud se, ut res postea declaravit, usque Placentiam venit, regemque ibi invenit, qui ab eodem ut decuit Papia honorifice susceptus est. Non enim putabant, qui tunc aderant episcopi fore religiosum sine judicio aliquem damnare episcopum, ne dum tantæ sedis, qui videbatur, pontificem, sicque pergentes simul venerunt ad Sutrium; quo ubi perventum esset, rogavit præfatus rex, qui tunc videbatur pontificem, synodum congregari. Quod concessit et decreto firmavit. Erat enim idiota et miræ simplicitatis vir. Igitur collecta synodo sedit, qui vicem Romani pontificis habebat, et ex præcepto ejus sederunt patriarchæ et metropolitani et episcopi per sedes suas; inter quos tunc forte aderat Poppo Aquileiensis patriarcha vir eloquentissimus, et Bruno Augustensis episcopus, et Rembaldus Arelatensis archiepiscopus et alii quam plures, et quæstione orta de Sylvestro invasore ab omnibus judicatum est episcopatu et presbyterato nudatum in monasterio diebus vitæ suæ tradi; de Theophylacto vero supersedendum fore judicaverunt, maxime cum ipse Romanus pontifex se judicaverit deponendum. De tertio vero quid facerent, quo se verterent, quibus accusandi et testificandi adversus judicem non dabatur licentia; cui cum ab episcopis supplicatum fuisset, ut causam electionis suæ promeret, ut erat idiota, omnem suæ electionis puritatem aperuit. Dixit se Dei misericordia sacerdotem fuisse boni testimonii et famæ et casto corpore a pueritia semper vixisse. Quod non tantum laudabile, sed etiam quasi angelicum tunc temporis videbatur apud Romanos. Hujus rei causa multas acquisivisse pecunias dicebat, quas servabat, ut sarta tecta ecclesiæ restauraret vel aliquid novi magnum quid faceret in urbe Roma; cumque sæpissime tyrannidem patritiorum secum tractari et qualiter sine ulla cleri et populi electione pontifices constituerent, nihil melius putabat quam electionem clero et populo per tyrannidem injuste sublatam his pecuniis restaurare. Quod vero, ut audierunt viri religiosi, ceperunt summa cum reverentia calliditates antiqui hostis ei insinuare, et nihil quod venale, sanctum esse dicebant.

(37) Hæc totidem verbis erasis, sed ab eadem manu in codice substituta.
(38) Benedictus IX.

(39) Gregorium VI.
(40) Sylvestrum III.
(41) Episcopis subjungit.

His et aliis ammonitionibus illectus Spiritum sanctum cepit jam mente concipere, et zelum Dei, quem non secundum scientiam habuerat, ipse cognoscens, his verbis episcopos allocutus est: Testem Deum invoco in animam meam, viri fratres, me ex hoc remissionem peccatorum et Dei credidi promereri gratiam; sed quia antiqui hostis nunc cognosco versutiam, quid mihi sit faciendum in medium consulite. Cui illi respondentes dixerunt: Tu in sinu tuo collige causam tuam: tu proprio ore te judica, melius est enim tibi cum beato Petro cujus amore hæc fecisti pauperem hic vivere, ut dives sis in æternum, quam cum Symone Mago, qui te decepit in præsenti divitiis nitescere et in æternum perire. Quibus auditis, sententiam in se protulit hujusmodi dicens: Ego Gregorius episcopus, servus servorum Dei, propter turpissimam venalitatem Symoniacæ hæreseos, quæ antiqui hostis versutia meæ electioni irrepsit, a Romano episcopatu judico me submovendum. Et adjecit: Placet vobis hoc (42)? et responderunt: Quod tibi placet, et nos firmamus. Celebrata regulariter synodo in magna æstuatione venerunt, rex pariter et episcopi, tum quia non haberent pontificem, qui regem imperiali donaret potestate, tum quia in eligendo alio clerici quidem habebant electionem, populi autem subsequentis laudem minime habebant; sacramento enim perstrinxerat præfatus Johannes nunquam se vivente eos alium laudaturos pontificem.

Interea cum non haberent de propria diocesi, ut enim superius memoravimus languescente capite in tantum languida erant cætera membra, ut in tanta Ecclesia vix unus posset reperiri, quin vel illiteratus vel Symoniacus vel esset concubinatus. In hac necessitate eligunt sibi Sicherium Babebariensem episcopum canonibus interdicentibus neminem ad Romanum debere ascendere pontificatum, qui in eadem Ecclesia presbyter et diaconus non fuerit ordinatus, in cujus laude pauci quidem laici, sed qui non Johanni juraverant, consenserunt.

Primusque omnium post beatum apostolorum principem in tanta serie Romanorum pontificum alias consecratus Romanus pontifex appellatus est. Sed secundum decreta beati papæ Innocentii, quod necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate debet utique cessare, pariter quoque urguebat [*ita cod.*, *forte* urgebat], quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. Sed jam ad proposita redeamus. Igitur postquam imperiali est rex auctus dignitate calamitatibus reipublicæ compatiens civitatem a patritiorum liberavit tyrannide, quod valde esset laudabile nisi subsequens post macularet commissum. Nam rumoribus populi illectus, quibus credi non oportere maxima propositio est, tyrannidem patritiatus arripuit, quasi aliqua esset in laicali ordine dignitas constituta, quæ privilegii possideret plus imperatoria majestate. Sed quid hac calamitate acerbius quidve crudelius, quam qui paulo ante Tusculanos punierat pro tyrannide, eisdem damnatis vellet esse consimilis. Quid namque est, quod mentem tanti viri ad tantum traxit delictum, nisi quod credidit per patritiatus ordinem se Romanum posse ordinare pontificem. Sed proh dolor! ubi tot episcoporum prudentia, ubi tot juris peritorum scientia, ut quod non licuit dominis, crederent licere servis. Non licuit alicui imperatori summa tenenti in electionem se alicujus Romani pontificis inserere, licebit homini sub potestate constituto? Sed dicent: legimus et Magnum Karolum patritiatus nomine designatum. Quod si legerunt, quare non intellexerunt. Temporibus enim Magni Karoli Constantinus et Irene Romanum gubernabant imperium. Et ideo excellentissimo regi Francorum quid apostolicus his temporibus conferre potuit, quam patrem Romanæ urbis vocitare et protectorem. Sic enim legitur: Karolus rex Francorum et Longobardorum et patritius Romanorum. Nunquam enim eum imperiali legimus auctum fuisse potestate (42*). Sed post ejus obitum Ludoicus ejus filius primus omnium regum a Romano sanguine extraneorum imperialem meruit benedictionem, et ideo quia habuit summa non quæsivit infima. Sed jam ad narrationem redeamus:

Igitur Italicis rebus rite compositis, imperator Heinricus patriam remeavit ducens secum venerabilem Johannem, quem supra memoravimus; quem secutus est Deo amabilis Hildebrandus, volens erga dominum suum exhibere reverentiam. Nam antea fuerat suus capellanus. Non longo post tempore cum ad ripas Rheni præfatus venisset Johannes, morbo correptus interiit.

Quo mortuo et in pace sepulto, venerabilis Hildebrandus Cluniacum tendens ibi monachus effectus est, et inter religiosos viros adprime philosophatus est.

Mortuo interea Clemente Romano pontifice, Romam ad imperatorem tendunt rogantes dari sibi pontificem, qui et consensit. Nam patritiali tyrannide dedit eis ex latere suo quemdam episcopum virum omni superbia plenum, mandans inclyto duci Bonifacio, ut eum Romam duceret, et ex parte sua intronizaret. Quod et factum est; quem et alio nomine Damasum vocaverunt. Is postquam sedem pontificiam invasit, ante quam bis denidies volverentur corpore et anima mortuus est. cujus tam celerem mortem audientes Ultramontani episcopi, de cætero timuerunt illo venire. Interea Romani tam celeri morte pontificis perterriti, tamen quia diutius sine pontifice non esse poterant, versus Aquilonem tendunt, Alpes transeunt, Saxoniam pergunt, regem ibi inveniunt, orant

(42) Hæc Sutriensis synodus et acta cessionis voluntariæ Gregorii VII ab hoc scriptore nostro plurimum, in maxima auctorum discordia illustrantur; et ille etiam, quæ Sutrii acta fuissent, ei sedi aliquandiu profectus omnium optime tenuit.

(42*) Hoc et superius dixerat, nec sat scio quam bona fide.

sibi dari pontificem; sed quia hoc non poterat ad præsens leviter fieri, episcopis quippe nolentibus Romam tendere, deliberavit Rheni Franciam visere, credens ex Lothariorum regno posse invenire episcopum, quem Romanis daret pontificem. Quod et factum est. Nam multis precibus et rogatu Romanorum vix persuasum est Brunoni nobilissimo, moribus decenter ornato, Tolano scilicet episcopo. Veniente itaque eo Vesuntium, venerabilis abbas Cluniacensis obviam ei processit, ducens secum in eo comitatu venerabilem, de quo supra retulimus, Hildebrandum. Qui cum causam itineris a quodam narrante audisset, cœpit rogare patrem, ne illo tenderet, dicens eum non apostolicum, sed apostaticum (43) qui jussu imperatoris Romanum conaretur arripere pontificatum. Quod ut audivit venerabilis pater, tacuit quidem, sed Vesuntium venit, acceptaque occasione quantocius hæc venerabili episcopo intimavit, adjiciens simul et probitatem morum et integerrimæ ejus vitæ conversationem. Quid plura? rogavit pontifex, ut ejus potiretur colloquio. Quod et factum est, congregatisque tribus in nomine Domini, secundum evangelicum verbum, ubique fuit Deus in medio eorum (*Matth.* xviii, 20). Nam ejus consilio acquiescens papalia deposuit insignia, quæ gestabat, sumensque scarcellam usque ad apostolorum limina properavit, veniensque in ecclesiam apostolorum principis, sic clerum et populum Romanum allocutus est. Viri fratres! audivi legationem vestram, cui me contradicere non oportuit, et huc ad vos descendi primum orationis voto, dein vestris volens obtemperare jussionibus. Cui cum episcopi et cardinales hoc ei respondentes dicerent: Hæc fuit causa te vocandi, ut te nobis eligeremus pontificem, et archidiaconus ex more clamaret: Dominum Leonem pontificem S. Petrus elegit, populusque subsequens vocibus iteratis hoc concreparet cardinales et episcopi, ut moris est, beatorum apostolorum principis cathedræ intronizarent.

Postquam papalem adeptus est dignitatem, venerabilem Hildprandum donatorem tam salubris consilii, quem ab abbate multis precibus vix impetraverat, ad subdiaconatus provexit honorem, quem et œconomum sanctæ Romanæ Ecclesiæ constituit, cujus consilio synodum mox congregavit, in qua diversarum regionum episcopi convenerunt, in qua et sub anathemate interdictum est non licere alicui episcopo archidiaconatus et præposituras et abbatias seu beneficia Ecclesiarum vel præbendas vel Ecclesiarum vel altarium commendationes vendere. Et ut sacerdotes et levitæ subdiaconi cum uxoribus non coeant, quæ res magnam veternosum serpentem concitavit in iram. Quod audientes episcopi primo

A quidem veritati non valentes resistere tacuere postea vero, suadente humani generis inimico, inobedientes celavere.

Interea Romæ episcopi et cardinales et abbates per Symoniacam hæresim ordinati deponebantur, et ibi ex diversis provinciis alii ordinabantur; ut ex Lugdunensi Gallia Ubertus Silvæ Candidæ episcopus et ex Burgundionum genere Stephanus abbas et cardinalis et ex Romerici monte Hugo candidus; qui postea apostata est effectus, et Fredericus ducis Gotefridi germanus, et ex compendio quidam Azolinus Sutrinus episcopus, et ex Ravennatium partibus Petrus Domini vir eloquentissimus, et alii quam plures. Tunc fortis armatus, qui in multa pace custodierat atrium suum (*Luc.* xi, 21), sensit se obligatum.
B Sequenti vero anno præfatus pontifex sinodum congregavit, in qua omnibus tam clericis quam laicis auctoritate S. Petri et Romanæ Ecclesiæ præceptum est, ut abstinerent se a fornicatorum sacerdotum et Levitarum communione.

Hæc synodus gladium in viscera mersit inimici. Nam non solum Romæ incontinentes sacerdotes et Levitæ ab altaris prohibebantur officio; sed et per vicinas circumquaque regiones et per omnem Tusciam adjuvantibus monachis viris religiosis et verbo prædicationis insudantibus.

Et hic beatus pontifex legatos suos misit Cpolim, habens super aliquibus causis adversus Græcos episcopos quæstiones, ex quorum numero fuit præfatus
C Fridericus magni ducis Gottefridi germanus, qui venientes Cpolim a Monomacha imperatore honorifice sunt suscepti.

Dehinc episcoporum negotio propter quos venerant citissime sedato, amplissimis donis donati portantesque beato Petro permaxima donaria, ad propria repedabant.

Interea Normannorum fortissima gens, quæ Apuliam et Calabriam a Græcorum regni subtraxerat ditione, Beneventanos invadit. Qua tempestate Beneventani compulsi Romam tendunt Beneventumque per cartulam offertionis beato Petro tradentes a domino papa implorant auxilium. Quo facto, non solum pro terris sacræ Romanæ Ecclesiæ invasis, verum et pro acerbissimis pœnis quas Christianis
D inferebant, commotus primum quidem gladio excommunicationis eos percussit, moxque eos materiali gladio feriendos judicavit. Sed quia consilia Dei abyssus multa (*Psal.* xxxv, 7), Dei ineffabili providentia bello commisso Normanni victores extitere, captumque papam, sed ut decuit honorifice tractatum per mediam stragem interfectorum usque Beneventum perduxerunt. Sed quid plura? qui pro justitia dimicantes bello prostrati fuerunt, hos Deus signis

(43) Hæc iisdem fere verbis leguntur in Leonis IX Vita Nicolao Aragoniæ S.R.E. card. auctore, qui e Bonizone haud dubie descripsit. Wibertus vero archidiaconus Tullensis Leonis synchronus, quem Nicolao subjunxit cl. Muratorius t. III Rer. ital., historiam de habitu peregrini assumpto Cluniaci Hildebrandi adhortatione omnino reticet. Quidquid sit de hac sive historia sive uti ibidem existimat Muratorius commento, in eo certe fallitur quod ejus primum architectum Ottonem Frisingensem existimet, cum Bonizo dudum ante retulerit.

et miraculis sibi valde placuisse demonstravit ma- A
gnam pro justitia posteris dimicandi dans fiduciam, quando hos in numero sanctorum connumerare dignatus est. His ita gestis, beatissimus papa Romam rediit, cumque ad ecclesiam apostolorum principis pervenisset, languore correptus, ante confessionem ejusdem apostoli delatus, et coram omni clero et Romano populo tradens Deo amabili Hildebrando ejusdem Ecclesiæ curam, cœlo spiritum reddidit. Cujus corpus in eadem ecclesia cum honore magno humatum est. Ad cujus tumulum ægri veniunt et sanantur, et infirmi a variis languoribus detenti usque liberantur.

Sed cum persensisset venerabilis Hildbrandus Romanum clerum et populum in ejus consensisse electionem, vix multis lachrymis et supplicationibus B
potuit impetrare, ut in ejus electione pontificis sequerentur consilium; moxque cum religiosis viris Alpes transiens imperatorem adiit, eique in tanta amicitia junctus est, ut crebris collocutionibus quantum peccati in largitione pontificis fecisset ostenderet. Qui ejus salubri acquiescens consilio, tyrannidem patritiatus deposuit, cleroque Romano et populo secundum antiqua privilegia electionem summi pontificatus concessit, moxque quemdam Astensem [Aistetensem *dicere voluit*] episcopum præfati imperatoris œconomum contra voluntatem ejusdem imperatoris Romam secum ducit invitum, cumque in ecclesia Beati Petri secundum morem antiquum clerus elegisset, populusque laudasset, statim cardinales, ut moris est, eum intronizantes alio nomine C
vocaverunt Victorem.

Hujus pontificis tempore moritur inclytus dux et marchio Bonifacius, parvulos relinquens hæredes, et non longo post tempore Gotefridus dux, vir magnificus et in bellicis rebus strenuissimus Italiam veniens, ejus relictam accepit in conjugem. Quod audiens imperator Italiam venit, eumque in Longobardico regno non invenit. Præfatus itaque rex Longobardiam veniens in primis Ottonis filiam et Adelheidem adhuc infantulam suo accepit filio in conjugem, sicque sedatis omnibus Longobardici regni negotiis invitatus a papa Florentiæ synodum mediavit; in qua synodo consilio venerabilis Hildebrandi Symoniaca hæresis et turpissima fornicatio sacerdotum divino mucrone percussa est. Nam in eadem D
synodo multi episcoporum propter Symoniacam depositi sunt et quamplures propter fornicationis crimen; inter quos et episcopus ejusdem civitatis depositus est; quid multis moror? Celebrato rite concilio, benedictione auctus pontificali imperator Longobardiam remeavit, cumque eo ventum fuisset, beatricem cum unica filia Bonifacii, nomine Mathildam (nam paulo ante ejus filius et major filia maleficio nescio cujus obierant) dolo captas secum duxit ultra montes, Bonefacii ambiens hæreditatem et nesciens quod suprema dies in proximo sibi pararetur. Nam vi febrium exagitatus mox ut Reni Franciam intravit, evocavit ad se magnificum ducem Gotefridum, redditaque sibi uxore cum Bonefacii filia omnibusque ad eam pertinentibus possessionibus multum supplicans ut filio suo jam rege designato portaret fidelitatem post paucos dies mortuus est, cujus corpus Spiræ honorifice cum patre sepultum est, suscepitque filius ejus cum matre regni gubernacula. Post paucos vero dies moritur et papa (44), post cujus mortem convenientes in unum clerici Romanæ Ecclesiæ simul cum laude populi eligunt sibi Fredericum Cassinensis monasterii abbatem, de quo supra memoravimus, quem alio nomine vocaverunt Stephanum, quem secundum antiquum morem ad altare beati Petri consecraverunt Romanum pontificem; is venerabilem Hildebrandum ad diaconatus promovit ordinem, et eum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinavit archidiaconem.

Explicit liber quintus.

INCIPIT LIBER SEXTUS.

Eodem tempore Mediolanensis Ecclesia, quæ fere per ducentos annos superbiæ fastu (45) a Romanæ Ecclesiæ se subtraxerat ditione, primum se inter alias Ecclesias subjectam esse cognovit; quod quando evenerit, quum posteris credo necessarium, huic opusculo inserere deliberavi. Mediolanensis igitur civitas totius Longobardiæ metropolis temporibus Romanorum imperatorum sedes erat Augustalis, in qua multi religiosi floruere episcopi, inter quos et beatus Ambrosius, gemma sacerdotum, cujus flores eloquiorum usque hodie in Ecclesia redolent.

Hic secutus Orientales primum antiphonam in Ecclesia decantare constituit, et longo post tempore beatus Gregorius cantandi officium tribuit Occidentalibus. Qui cognoscens quod in unitate cantus tantum non est regnum Dei, sed in obedientia et pace, Mediolanensem Ecclesiam in omnibus sacramentis sanctæ Romanæ Ecclesiæ unitam per reverentiam beati Ambrosii doctoris, quem in hoc secutus est, intermiscens illius antiphonas suis cantibus, secundum antiquum morem cantare permisit. Post multum vero temporis cum se præfata Ecclesia Symoniacæ tota serviret hæreseos (*ita cod.*), episcopi veriti Romanum judicium hoc proverbium

(44) Christophorus Sandius v. cl. qui notarum et animadversionum in Gerardi Joannis Vossii libros III de Hist. Lat. auctor est, non e plebe sed ex senatu lectus, de morte Victoris mira quædam a Bonizone (si quando in lucem protraheretur) sibi promittebat, loc. cit. p. m. 196; sed ille hic tanquam super ova et aristas.

(45) Hæc denuo totidem fere verbis ex nostro transcripsit Nicolaus Aragoniæ cardinalis in Vita Stephani IX, qui etiam egregie vapulat eam ob rem a cl. Muratorio, ignaro hæc a scriptore synchrono accepta; sed et Papebrochium credulitatis ibi accusat, schismatis aliquid subodorantem, quæ tamen non adeo vana fuisse Bonizo noster, rebus obscuris infestam facem præferens, palam facit, ut liquido appareat magnam rebus ecclesiasticis ex eo scriptore in lucem producto accessionem factam fuisse.

seminavere in populo. Ambrosiana Ecclesia in suo statu permaneat falsitatis arguentes Ambrosium, sæpissime in suis scriptis hæc intonantem, hæreticum esse, qui se a Romanæ Ecclesiæ in aliquo subtraxerit ditione, præfati vero Romani pontificis tempore Guido Mediolanensem vastabat Ecclesiam vir illiteratus et concubinatus et absque ulla verecundia Simoniacus. Hujus Guidonis tempore fuere duo clerici in præfata civitate, quorum alter nomine Landulfus ex majorum prosapia ortus vir urbanus et facundissimus; alter vero vocabatur Arialdus ex equestri progenie trahens ortum; vir liberalibus studiis adprime eruditus, qui postea martyrio coronatus est. Hi cum sæpissime sacris incumberent libris et præcipue beati Ambrosii invenere, quantum crimen sit talentum creditum abscondere. Hujus rei gratia se Deo et beato apostolorum principi committentes quadam die divina juvante gratia verbum prædicationis faciunt ad populum. In qua fraudes Simoniacæ venalitatis populo propalavere, et quam turpissimum esset sacerdotes et Levitas concubinatos sacra mysteria celebrare luce clarius demonstravere, et quam hæreticum esset Romanæ Ecclesiæ non obedire beato Ambrosio teste declaravere. Quod audientes, qui prædestinati erant ad vitam libenter accepere et maxime pauperes, quos elegit Deus, ut confundat fortia (*I Cor.* I, 27). Multitudo vero clericorum, quæ in eadem Ecclesia est innumerabilis ut arena maris, concitaverunt capitaneos et varvassores Ecclesiarum venditores et consanguineos et concubinarum suarum propinquos et seditione exorta silentium eis imponere satagebant, sed spe sua frustrati sunt. Nam cum crescente quotidie numero fidelium, mirifici Dei athletæ acrius verbo nsudabant prædicationis, et propalata eorum nequitia, quotidie Dei inimici impingebantur et minuebantur, in tantum ut ipsum ejusdem Ecclesiæ dictum pontificem ab ecclesia quadam die expellerent. Quod videntes Simoniaci non valentes tamen veritati et tantæ multitudini resistere confundebantur, eisque paupertatem improperantes Paterinos, id est pannosos vocabant; et illi quidem dicentes fratri racha rei erant judicio (*Matth.* v, 22). Rachos enim Græce, Latine *pannus* dicitur. Hi vero beati, qui pro nomine Jesu digni erant contumelias pati (*Act.* v, 41). Quid plura: crescebat quotidie gloriosum genus *Paterinorum*, in tantum ut destinarent mittere honestos viros Romam, qui beatum Stephanum papam rogarent, ut secum mitteret religiosos episcopos, qui illorum ecclesiam a fundamentis reædificarent. In tanta enim et innumerabili turba clericorum vix ex mille quinque poterant inveniri, qui non Simoniacæ hæreseos maculis non (*ita cod., sed mendose*) essent irretiti. Quod ut audivit, papa gavisus est, et confestim misit a latere suo episcopos et cum eis Deo amabilem Hildebrandum archidiaconem. Qui venientes Mediolanum, archiepiscopum ibi non invenerunt. Fugerat enim conscientia accusante eorum præsentiam; sed a populo honorificentissime, ut decuit, suscepti sunt. Qui per aliquantos dies confortantes plebem verbo prædicationis insistebant. His ita gestis, Deo amabilis Hildebrandus ad Lugdunensem Galliam usque pervenit, ibique magno celebrato concilio Simoniacam hæresim et detestabilem clericorum fornicationem usque ad Pyreneos montes et ad Britannicum mare persecutus est. In quo concilio satis magnum miraculum et evidens per præfatum archidiaconum Deus ostendit. Forte in eadem synodo aderat Hebroniensis archiepiscopus, vir valde eloquentissimus. Hic cum ab aliquibus de Simoniaca hæresi esset accusatus sequenti nocte omnes accusatores pecunia fecit amicos, maneque facto insultabat judici dicens: Ubi sunt, qui me accusabant. Nemo me condemnavit. Quod audiens archidiaconus præfatus ait ad episcopum: Credis, o episcope, Spiritum sanctum unius cum patre et Filio esse substantiæ et divinitatis? Quo respondente: Credo: dic, inquit, Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, cumque hunc versiculum fiducialiter cœpisset, Gloria Patri et Filio dicebat, sed Spiritum sanctum nominare non valebat, quem cum sæpe cœpisset et nihil profecisset, pedibus ejus obvolutus Simoniacum se esse professus est. Qui mox ut ab episcopatu depositus est, Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto clara voce confessus est. Quod factum magnum terrorem intulit Simoniacis, in tantum ut in eodem die decem et octo episcopi se professi sint Simoniacos esse, sedibusque episcopalibus renuntiaverunt. Celebrata igitur tam sancta synodo ecclesiasticis rebus rite compositis, Romæ ad summum pontificem citissime remeant. Præfatus vero beatus Stephanus papa spiritum dicitur habuisse prophetiæ. Nam paucis diebus transactis antequam obiret, vocans episcopos et cardinales et levitas, his verbis eos allocutus est: Scio, fratres, quia post mortem meam exsurgent viri ex vobis amantes semetipsos, qui non per decreta sanctorum Patrum, sed per laicas personas hanc sedem arripient. Quo audito omnes pariter negavere et sacramento dato in manu papæ sese mutuo ligavere, nunquam se aliter quam decreta sanctorum Patrum exigunt, ad pontificalem ascendere sedem et ascendentibus consentire.

Post paucos vero dies in partibus Tusciæ veniens, languore correptus spiritum cœlo reddidit, post cujus obitum Romæ capitanei et maxime Gregorius Tusculanus, qui paritialem sibi inanem quondam vindicaverat dignitatem, assumentes tyrannidem quemdam Veliterensem episcopum cardinalem contra hoc, quod papæ dudum in manu ipsemet juraverat, ad papalem evehunt dignitatem, quem verso nomine Benedictum vocavere.

Dum hæc ita gererentur, Henrici imperatoris conjux cum filio parvulo, ut supra retulimus, regni tenebat gubernacula, quæ multa contra jus feminea faciebat audacia. Hæc in primordio regni sui omnes ejusdem Italici regni curas cuidam Guiberto commisit. Parmensi nobili orto genere eumque cancellarium appellavit. Interea Deo amabilis Hildebrandus cum cardinalibus episcopis et levitis et sacerdotibus

Senam conveniens eligit sibi Gerardum Florentinæ civitatis episcopum, quem alio nomine appellavit Nicolaum (46). Hic idem præfatum Guibertum Italici regni cancellarium ex parte beati Petri et per veram obedientiam invitavit ad synodum, et cum eo magnificum virum Gotefridum et non solum Tusciæ, sed et Longobardiæ episcopos, ut venientes Sutrium de perjuro et invasore tractarent concilium. Quos ubi Sutrium adventantes audivit præfatus Benedictus conscientia accusante, sedem quam invaserat deseruit, et ad propriam domum se contulit. Hoc postquam Sutrio nuntiatum est, venerabilis sine aliqua congressione Nicolaus victor Romam intravit, et ab omni clero et populo honorifice susceptus est, et a cardinalibus in beati Petri inthronizatus est sede. Nec multo post tempore veniens præfatus Benedictus, qui alio nomine Mincius vocabatur, ad genua papæ provolvitur, se vim perpessum clamans, tamen perjurium et crimen invasionis non negavit; qui ex propria confessione episcopali et sacerdotali ordine depositus est. Quo facto magnificus dux Gotefridus una cum cancellario et episcopis domum remearunt. Venerabilis vero a Deo protectus pontifex Apuliam tendens, Northmannos vinculo excommunicationis absolvit, tradensque eis per investituram omnem Apuliam et Calabriam et terras beati Petri ab eis olim invasas, excepto Benevento, omnes inde ditiones acceperunt, et eos sibi jurare coegit, et per eos citissime Romanam urbem a capitaneorum tyrannide liberavit.

Nam non solum Tusculanorum et Prænestinorum et Numentanorum superbiam calcaverunt, sed et Romam transeuntes Galeriam et omnia castra comitis Gerardi usque Sutrium vastaverunt, quæ res Romanam urbem a capitaneorum liberavit dominatu.

His ita gestis, Northmannis Apuliam remeantibus legati Mediolanensium orant papam, ut eorum Ecclesiæ funditus desolatæ misereretur. Hujus rei gratia confestim venerabilis pontifex misit Petrum Damiani Ostiensem episcopum, virum omni scientia præditum, qui præfatam Mediolanensem visitaret ecclesiam. Qui eo veniens, magna cum discretione ea, quæ destructa invenerat, reædificabat. Nam sumens sacerdotes et levitas, quos invenire poterat religiosiores, castæ vitæ et bonæ famæ, qui non per venalitatem susceperant ordinationem, etsi a Simoniaco essent ordinati, reconciliabat, eisque Ecclesiam tradidit gubernandam. Ex quorum numero multi religiosi usque ad nostra tempora exstitere. Quod aliquibus visum est culpabile, sapientibus valde laudabile. Quid enim laudabilius ea tempestate poterat inveniri quam ut talis Ecclesia sacerdotio non deperiret. Sed non longo post tempore congregavit præfatus pontifex synodum, in qua Guido Mediolanensis episcopus volens nolens sedisse cogentibus *Paterinis* cognoscitur, ducens secum cervicosos Tauros Longobardos episcopos, id est Cunibertum, Taurinensem et Giselinum, Astensem et Benzonem, Albensem et Cregorium, Vercellensem et Ottonem, Novariensem et Opizonem, Laudensem et Aldemannum Brixinensem. Quibus omnibus in eadem synodo præceptum est ut sacerdotes et levitas concubinatos ab altaris arcerent officio; erga Simoniacos vero nullam misericordiam habendam esse decreverunt, et communi omnium episcoporum consilio in hac synodo hæc lex de electione pontificis definita est, cui legi CXIII episcopi subscripsere.

« Si quis apostolicæ sedi sine concordia et canonica electione cardinalium (46*) et sequentium religiosorum clericorum fuerit intronizatus, non apostolicus, sed apostaticus habeatur, liceatque cardinalibus cum aliis Deum timentibus clericis et laicis invasorem et anathematizare, et humano auxilio et studio a sede apostolica pellere, et quem dicaverint reponere. Quod si intra urbem hoc perficere nequiverint, auctoritate apostolica extra urbem congregati in loco, qui eis placuerit, electionem faciant, concessa electo auctoritate regendi et disponendi res ad utilitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ juxta qualitatem temporis quasi jam inthronizatus sit. »

Concilio igitur rite celebrato, episcopi Longobardi domum remeantes, cum magnas a concubinatis sacerdotibus et levitis accepissent pecunias decreta Patrum celebraverunt præter unum Brixiensem scilicet episcopum, qui veniens Brixiam, cum decreta papæ publice recitasset, a clericis verberatus fere occisus est, quod factum non mediocre *Patariæ* dedit incrementum. Nam non solum Brixiæ, sed et Cremonæ et Pacentinæ et per omnes alias provincias multi se a concubinatorum abstinebant communione.

Hujus quoque præfati pontificis tempore, Hugo candidus cardinalis Romanus, quem superius a beato Leone papa ordinatum esse retulimus, a Romanæ Ecclesiæ recessit societate. De cujus morum perversitate melius est silere quam pauca dicere, sed ut brevius cuncta perstringam, qualis fuit oculis, talis fuit factis. Ut enim habuit retortos oculos, ita ejus retorta fuere facta.

Interea crescebat non solum per Italiam, sed et per omnes Gallias numerus fidelium: Simoniaci de die in diem propalabantur sacerdotes. Venerabilis vero Nicolaus papa cum paucos in papatu vixisset annos, beato fine quievit. Post cujus obitum secundum majorum decreta clerus et populus Romanus elegit sibi Anselmum Lucensem episcopum, Mediolanensem genere nobili prosapia ortum virum, utraque scientia pollentem, quem alio nomine vocaverunt Alexandrum (47).

Interea Longobardi episcopi nacti se tempus invenisse opportunum, in simul conveniunt auctore Guiberto, quem superius diximus cancellarium, et concilium celebrant malignantium, in quo deliberant

(46) Nicolaum II.

(46*) Hoc verbum a paulo recentiori manu eraso alteri subtitutum in Codice.

(47) Alexandrum II.

non aliunde se habere papam nisi ex paradiso Italiæ, talemque, qui sciat compati infirmitatibus eorum. Dehinc ultra montes pergunt animumque imperatricis, utpote femineum alliciunt, figmenta quædam componentes quasi veri similia. Nam dicebant eorum dominum, ut hæredem regni ita hæredem fore patritiatus, et beatum Nicolaum decreto firmasse, ut nullus in pontificum numero deinceps haberetur, qui non ex consensu regis eligeretur. His et talibus machinationibus decepta imperatrix, feminea licentia assensum dedit operi nefario, quale non fuit a die qua gentes esse ceperunt : ut ibi nullus clericorum Romanorum vel laicorum interfuit pontificum electioni, ibi pontifex eligeretur a consimilibus fornicatoribus et Simoniacis, quive accipiens per manus regis et reginæ crucem et papalia insignia ab aquilone veniret Romam. Unde secundum Jeremiam pandetur malum super universos habitatores terræ. Quid plura ? eligunt sibi Parmensem Cadolum, virum divitiis locupletem, virtutibus egenum ; qui stipatus multis militibus intravit Longobardiam habens secum in comitatu Cervicosos episcopos Longobardiæ nescientes suave jugum Domini ferre Tunc Simoniaci lætabantur Concubinati vero sacerdotes ingenti exsultabant tripudio. Sed quid plura. Secundum evangelicum verbum omnis exsultatio istorum unius mulieris contradictione terræ prostrata est, tantusque superborum potentatus sola Beatrice interdicente velut fumus evanuit ; sed non longo post tempore præfatus Cadolus furtim Bononiam venit, in qua suos expectavit milites, quibus receptis Romam tendit, portans secum ingentia auri et argenti pondera. Sed tunc non defuere Romæ viri pestilentes, amantes semetipsos, avari et cupidi, qui ei se conjunxere, inter quos et Romani capitanei volentes Romanam urbem opprimere et sub potestatem suam ut antiquitus redigere.

Interea Deo odibilis ille in prato Neronis castra metatus est, occultoque Dei judicio bello commisso victor apparuit. Sed, o ineffabilis Dei providentia, o mira Dei clementia, qui victor exstitit, antequam mensis esset transactus veniente duce Gotefrido Romam, multis precibus et magnificis donis eidem duci collatis vix ut victus discederet, impetravit. Qui veniens Parmam ad officinam sæculi iniquitatis collecta pecunia et transacto anno occulte quasi fur, Romaniam venit, ibique data magna pecunia collegit multitudinem equitum adjuvantibus capitaneis et quibusdam pestiferis Romanis noctu civitatem Leonianam intravit, et ecclesiam S. Petri invadit, maneque facto tantus terror cœlitus milites, qui secum venerant; invadit, ut omnes nemine cogente solo eo relicto in ecclesia, fugam arriperent, qui, consilio Cencii cujusdam pestiferi Romani, castrum Sancti Angeli intravit, ibique se tutatus est. Cui in eodem castro per duos annos obsesso post multas et varias calamitates, quas inibi passus est, non ante datum est ei inde exire, quam ab eodem Cencio trecentis libris argenti se comparavit, unoque clientulo contentus, unius jumenti adjumento inter oratores Bercetum ægre pervenit.

Dum hæc ita se haberent, Mediolanio (*ita cod.*) canonica cohabitatio primum exorta est, quæ res magnam movit inimicis invidiam. Post paucos vero dies postquam hæc gesta sunt, moritur Landulfus Mediolanensis clericus, de quo superius retulimus, et in pace sepultus est.

Interea Teutonicorum archiepiscopi et episcopi, abbates duces et comites curiam sibi constituunt, in qua deliberaverunt imperatricem dehinc privato scemate vivere indignum judicantes regnum muliebri regi arbitrio, tum quia monacha erat, et curis eam non decebat servire sæcularibus, tum quia eorum dominus adultam jam videbatur ascendisse ætatem, communique consilio decrevere venerabilem Annonem Coloniensem archiepiscopum regis et reginæ tenere gubernacula, deponentesque Guibertum Italici regni Gregorium Vercellensem constituere cancellarium

Præfatus vero anno nil melius cogitans quam ut regnum sacerdotio uniretur I aliam veniens Romam tendit, papamque convenit, cur absque jussu regis Romanum accipere ausus sit pontificatum, cui cum Deo amabilis Hildebrandus dixisset in electione Romanorum pontificum secundum decreta sanctorum Patrum nil regibus esse concessum, et ille respondisset ex patritiatus hoc licere sibi dignitate, mox venerabilis archidiaconus has synodales objecit positiones, ex Symachi synodo, in qua interfuere CL episcopi : Laurentius Mediolanensis episcopus dixit : non placuit laico statuendum in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui subsequendi maneat necessitas non auctoritas imperandi.

Eulalius episcopus Syracusanæ Ecclesiæ dixit ; laici, quamvis religiosi nulla de ecclesiasticis aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas. Cumque ille decreta papæ Nicolai objecisset eique citissime per decretum ejusdem papæ Nicolai, in quo CXIV episcopi subscripsere, obviatum fuisset, rogavit præfatus archiepiscopus dominum papam, ut dignaretur synodum congregare et rationem de se reddere. Quod ut ille audivit, licet a Romanorum pontificum hoc esset alienum dignitate, tamen quia necessitas urgebat, facere promisit, moxque apud Mantuam synodum evocaverunt, in qua Cadolus cum Longobardorum episcopis posset convenire ; sed Longobardorum episcopi una cum eorum metropolitano omnes illo convenere præter Cadolum, qui conscientia accusante venire timuit. Venerabilis vero papa veniens Mantuam et rationem de se reddens citissime omnes inimicos fecit amicos. Nam mox omnes Longobardi episcopi pedibus suis advoluti reos se esse confessi veniam petiere et impetravere. Sicque regno et sacerdotio unito papa cum honore Romam remeavit, quique vero episcopi cum alacritate tenderunt ad propria. Huic tanto consilio interfuere dux Gotefridus et Otto Saxo dux Bajoariorum.

His ita transactis rex accepit conjugem Deo dile-

ctam Bertam, filiam Ottonis et Adaletæ [*supra lin.* A Adalheidæ], quam pater suus infantulam sibi dederat infantulo; qui rite celebratis nuptiis per se regni cœpit tenere gubernacula, moxque rogatus a Guidone Mediolanensi archiepiscopo Cremonensem episcopatum suo nepoti donavit Arnulfo, qui qualiter Cremonensibus antequam eligeretur sacramento juraverit quamque in primordio levis moribus apparuit, quia multis credo notissima omitto narrare. Sed venditores Ecclesiarum Mediolanenses capitanei et varvassores, cum viderent se pecuniis nudari, contristabantur, occasioneque accepta cujusdam prædicationis quam venerabilis Arialdus fecerat in populo dicens, non licere jejunare in diebus Pentecostes, seditionem movent in populo, quasi hoc esset contra beati Ambrosii litanias, domum clericorum B simul viventium diripiunt, ipsumque post paucos dies a civitate expellunt. Cum peregre proficiscens conjunxit cum eo quidam solo nomine sacerdos, et eum propinquis archiepiscopi tradidit, quem accipientes et eum omnibus membris debilitantes postremo in lacum necavérunt [*vox* necaverunt *crasæ alteri voci substituta in cod.*]. Cujus corpus postquam decem menses sub aqua jacuit, revelatum est. Quod ut audivit Herlimbaldus, frater prædicti Landulfi, Germanus, colligens omnem multitudinem Paterinorum, tandiu castra propinquorum archiepiscopi obsedit, donec corpus venerabilis Airaldi ei reddiderunt. Quod Mediolani delatum in ecclesia S. Celsi summo cum honore humatum est, ubi per ejus meritum usque hodie variæ infirmitates cu- C rantur.

Interea Cremonæ verbum Dei mirabiliter crescebat qualiter vero XII viri zelo Dei ducti consilio domini Christofori abbatis juraverint, et quomodo universus Cremonensis populus hos imitatus est, et quomodo universos sacerdotes et levitas concubinatos ejecerunt, et qualiter ipsum episcopum, qui in ipso die Passionis Domini sacerdotem *Paterinorum* comprehendere nitentem verberaverint, et quomodo post sanctum Pascha honestos viros nuntios ad papam misere dicere non curabo. Scutum vero, quod Cremonensibus per eosdem nuntios venerabilis papa mandavit, huic opusculo inserere deliberavi: « ALEXANDER, servus servorum Dei, Cremonensis Ecclesiæ D religiosis clericis et fidelibus laicis, salutem et apostolicam benedictionem. Inspiratori omnium bonorum Deo et bonæ voluntatis auctori uberes referimus gratias, qui vos adversus hostem humani generis virtutum suarum telis armavit, et ad destruendam Symoniacam hæresim ac fornicationum spurcitias clericorum ferventer accendit. Erexistis enim, sicut in litteris vestris cognovimus, contra versutiam serpentis antiqui, et qui velut biceps coluber per fistulas geminarum faucium nequitiæ suæ super vos venena nequiter evomebat sancti zeli vestro zelo perfossum atque præcisum se virtutis vestræ pugione suspirat. Plane qui serpenti dudum in paradiso damnationis æternæ judicium intulit, ipse vos adversus modernam occuli draconis astutiam unanimiter incitavit. Quam ob rem sanctis conatibus vestris et hujus sanctæ sedis apostolicæ accedat vigor, hoc ipsum apud vos per omnia decernimus observandum, quod a sanctis prædecessoribus nostris et a cunctis pene sanctorum canonum conditoribus non ambigimus institutum, videlicet, ut tam subdiaconi quam diaconi, sed et per maxime sacerdotes, qui mulieribus carnali commercio admiscentur, et Simoniaca sorde polluti sunt, et ecclesiasticis careant beneficiis et perceptæ priventur officio dignitatis. Indignum est enim, ut qui vel per incontinentiam carnis vel per commercium sacrilegæ venalitatis suscepti ordinis privatur honore, ecclesiastica potiatur ulterius facultate. Cæteros autem clericos, qui videlicet inferioribus potiuntur officiis, si legalibus conjugiis sunt obligati in suis gradibus manere præcipimus, et competentia ecclesiastici sumptus beneficia non negamus. Sed quia nonnulla præter hæc quæ vobis sunt admodum necessaria, ut a nostra respondeatur auctoritate consulitis, hortamur ut synodale concilium, quod auctore Deo post proximum Pascha celebraturi sumus prudentes ex vobis viros venire non pigeat, qui nobis quidquid exigendum est, vestrisque utilitatibus conferendum non per judicia litterarum, sed per vivæ vocis officium patenter exponant. Huic enim bello, quod zelo divini fervoris estis aggressi non segniter, sed omni virtutis instantia, Romana sedes accurrit, brachium porrigit, clypeum defensionis opponit, et vos ut magis ac magis circa membra diaboli non enerviter (*ita cod.*) insurgere debeatis, accendit. Igitur unusquisque vestrum divinæ virtutis mucrone præcinctus dicat: « Si quis « est Domini, jungatur mecum (*Exod.* XXXII, 26), » sicque cum Moyse quasi de porta in portam castrorum (*ibid.*, 27) tanquam fervidus bellator in sacrilegos irruat, ut Simoniacæ venalitatis et clericalis adulterii januas, per quas diabolus in vestram fuerat ingressus Ecclesiam cæsis cadaveribus claudat. Omnipotens, dilectissimi filii, sua vos dextera benedicat, et per officium beati apostoli sui Petri januam vobis cœlestis regni aperiat. » His salutiferis admonitionibus accensi Cremonenses, placitum Dei mox incipiunt, Simoniacos et fornicatores ab Ecclesia sua expellunt. Quos imitantes Placentini, Romanæ se continuo subjiciunt obedientiæ et Dionysium eorum episcopum a beato papa excommunicatum abjiciunt, et omnes *Pataream* per sacramenta confirmant.

Eodem tempore Hugo candidus, de quo superius mentionem fecimus, post multas miserias et varias, quas sub Cadolo passus est, tandem ad venerabilem papam veniens, veniam petiit et impetravit, cumque ad Hispaniam legati fungens officio mitteretur, quidquid ædificabat, iterum dissipabat. Nam Simoniacos primum quidem validissime persequebatur, postea vero accepta pecunia reconciliabat, quod dum compertum Romæ fuisset, eum ab Hispaniis statim revocant, et Romæ habitare præcipiunt. Hanc in eum

humanitatem ostendentes præcipue reverentia ordinatoris ejus, beati scilicet papæ Leonis.

Interea præfatus Guido archiepiscopus Mediolanum veniens pœnitentia ductus, depositis pontificalibus insigniis, privato vivebat scemate. Quod videntes Ecclesiarum venditores, de quibus supra mentionem fecimus, animum ejus levem ad deteriorem partem citissime inflectunt, mortale ei dantes consilium ut episcopatum cuidam Gotefrido, clerico nobili quidem progenie orto et satis facundissimo et ad omne nefas prono, venderet, et sese ad arcem transferret Quod et sine mora factum est.

Præfatus vero Gotefridus consilio Simoniacorum et Mediolanensium capitaneorum et Longobardorum episcoporum, Alpes transiit, regem adiit, animumque regis utpote adolescentis facillime venatus est. Nam et *Pateream* promittebat se destructurum, et Herlimbaldum vivum capturum et ultra montes missurum, si ei per investituram Mediolanensem traderet episcopatum. Hujus rei gratia et aliquantula pecunia data, investituram, quam petebat, accepit, sed episcopatum non obtinuit. Nam a Deo protectus Herlimbaldus, ut audivit ejus conatum, congregans multitudinem Dei exercitus, omnia castra ad jus episcopi pertinentia ab ejus subtraxit ditione. Dehinc apud Castellionem suum hæreditarium castrum per multos dies eum obsedit, quod cum obsideretur et pene capi posse videretur, Simoniaci et concubinati clerici noctu ignem in media Mediolanensi civitate injecerunt, auctore quodam clerico, cujus nomen investigandum solerti lectori relinquo, pro certo sciens et indubitanter affirmans auctorem tanti flagitii dignum non esse sacerdotio. Quid plura? ignis ædes corripiens gloriosasque basilicas beatorum devastans martyrum, ad ultimum medietatem civitatis victor consumpsit Quod ubi Mediolanensibus, qui forte ad obsidionem aderant, nuntiatum fuisset, terror maximus invasit, relictoque Herlimbaldo, cum paucis Deum timentibus, statim domum rediere. Sed miles Domini fortissimus, velut Judas Machabæus (*II Mach.* XII, 42) stetit imperterritus obsidioneque firmata ibi sanctum Pascha celebravit. Transacta vero paschali festivitate, præfatus Godefridus habens secum multitudinem equitum et peditum cum Herlimbaldo pugnavit, et terga vertit; sicque per Dei misericordiam miles Dei, incruentam possidens victoriam Mediolanum remeavit.

Eodem quoque tempore Northmanni Campaniam invadunt, quod cernens Deo amabilis Hildebrandus continuo magnificum ducem Gotefridum in auxilium S. Petri evocat. Forte enim his diebus præfatus dux venerat Italiam, ducens secum excellentissimam comitissam Mathildam, inclyti ducis Bonifacii filiam. Is congregans universam exercitus sui multitudinem cum uxore et nobilissima Mathilda Romam veniens, Northmannos a Campania absque bello expulit, et eam Romanæ reddidit ditioni. Et hoc primum servitium excellentissima Bonifacii filia beato apostolorum principi obtulit, quæ non multo post per A multa et Deo amabilia servitia beati Petri meruit dici filia.

Cum hæc ita se haberent, a Deo protectus Herlimbaldus volens Mediolanensem Ecclesiam a Simoniaca liberare servitute, consilio papæ et Deo amabilis Hildebrandi, in die sancto Epiphaniæ adjuvantibus religiosis clericis non solum Mediolanensibus sed et Cremonensibus et Placentinis secundum decreta sanctorum Patrum per electionem cleri habere deliberavit episcopum Ottonem, ejusdem Ecclesiæ clericum, nobili quidem genere, sed nobiliorem moribus, a religioso clero electum et a catholico populo laudatum. Quod veternosus serpens non æquis aspexit oculis; nam quosdam suæ artis viros invenit, et per eos seditionem movens in populo, ipsum a Deo protec- B tum Herlimbaldum cum electo jam in palatio residentem armis circumdant, palatium invadunt, cuncta diripiunt, ipsum electum plagatum usque ad altare S. Mariæ tractum jurare compellunt, nunquam se amplius de eodem episcopatu intromissurum. Dehinc eum cuidam clerico ejusdem ecclesiæ usque mane custodiendum tradidere. Mane vero facto, a Deo protectus Herlimbaldus ad ecclesiam imperterritus venit; quod ut viderunt Ecclesiarum venditores et fornicatorum sacerdotum propinqui clamare cœperunt, belloque commisso, per Dei misericordiam Dei miles palmam citissime obtinuit. Nam omnes Dei inimicos procul a civitate fugaverunt, omnibusque per Dei inimicos rebus ecclesiæ ablatis in duplum restitutis ecclesiam et palatium obtinuit, C potuitque eodem die electus Domini sine ulla contradictione inthronizari, ni sacramenti vinculum obstitisset. Hujus rei gratia mittuntur religiosi viri Romam qui hæc papæ intimarent, quod ut audivit venerabilis Alexander, et sacramentum contra jus ecclesiasticum factum dixit non tenendum, et communi decreto tam episcoporum cardinalium quam sacerdotum et levitarum cum jure Mediolanensem electum judicavit. Moxque litteras suas ad regem misit, in quibus admonuit eum ut filium, ut odium servorum Dei, quod animo conceperat, a se projiceret, et Ecclesiam Mediolanensium secundum Deum habere permitteret episcopum. Quod ut rex audivit, mox ex latere suo suos misit a secretis, qui venientes Longobardiam Novariæ sibi curiam constituunt, D et multitudini episcoporum collectæ ibi dato sacramento confirmant hoc esse regiæ voluntatis, ut Gotefridus consecraretur. Quod audientes Longobardi episcopi, licet ab Ecclesia essent excommunicati, eum libenter non sacraverunt, sed exsecraverunt. Forte huic exsecrationi ex Mediolanensi Ecclesia quidam clerici interfuere, ex quorum numero fuit Tedaldus, qui eo vivente eumdem invasit episcopatum. Quod ut audivit venerabilis Otto, Mediolanensis electus, ad Romanam se contulit sedem, ubi omnes ecclesiasticæ causæ terminantur.

Hugo vero candidus, de quo supra retulimus, Gallicanam a domino papa impetravit legationem, ubi multa contra jus et fas operatus est, quod suo

ordine postea narrabitur. Eodem tempore Cadolus, Parmensis episcopus, corpore et anima defunctus est, et non multo post Ravennas episcopus mortuus est.

Interea Parmensis Guibertus, de quo supra memoriam fecimus, Parmensem mirabiliter ambiebat episcopatum. Nam adiens regem multis precibus muneribusque satagebat ut sibi daretur episcopatus; quod cum impetrare non valuisset, et omnibus tam propinquis suis quam extraneis, tam majoribus quam minoribus, tam clericis quam laicis omnino contradicentibus ad imperatricem se contulit. Forte ea ibi aderat his diebus, eaque interveniente Ravennatem accepit episcopatum Parmensis vero cuidam Everardo, Coloniensi clerico, traditur.

Prælatus vero Guibertus veniens Longobardiam Ravennam intravit multitudine gravi et in magno, ut sui moris est, potentatu. Et non post multos dies in Quadragesimæ diebus Romam venit causa consecrationis, synodo jam celebrata, in qua et Hugo candidus a Cluniacensibus monachis et a quibusdam religiosis episcopis publice de Simonia arguitur, et in qua *hortatu* [*hæc vox erasæ alteri substituta in cod.*] imperatricis quosdam regis consiliarios volentes eum ab unitate Ecclesiæ separare, publice Dominus papa excommunicavit. Sed jam ad narrationem redeamus. Præfatus vero Guibertus veniens Romam habens secum Dionysium, Placentinum episcopum, ante multos annos ab eodem papa depositum, ovina simulata indutus simplicitate, multos decepit et præcipue Deo amabilem Hildebrandum. Is cum sæpe numero papam rogasset, ut ei manum imponeret, et ille nollet acquiescere, spiritu prophetiæ plenus fertur dixisse : Ego quidem jam delibor et tempus resolutionis meæ instat, tu vero ejus senties acerbitatem. Quod et eventus postea declaravit. Quid plura ? Consecratione vero rite celebrata, sacramento se obligavit se fidelem esse papæ Alexandro ejusque successoribus, qui per meliores essent electi cardinales, nullo modo imperatorem nec regem nominans vel patritium. quod sacramentum bene conservavit. Nam venerabili Alexandro defuncto et venerabili Hildebrando per meliores cardinales electo religiosus archiepiscopus debitam subjectionem in tantum ei contulit, ut vocatus ad synodum veniret, et in eadem synodo per privilegium æ su Ecclesiæ dexteræ ei sederet, et non extorta confessione sed spontanea eum modis omnibus papam profiteretur. Sed jam rei ordinem prosequamur : Paschali igitur celebrata festivitate cum a beato papa et venerabili archidiacono licentiam remeandi Ravennam, accepisset, antequam eamdem urbem intrasset, ei mors papæ nuntiata est, nam in natali S. Georgii B. Alexander spiritum cœlo reddidit.

Explicit liber sextus.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

Eodem itaque die præfati pontificis corpore in ecclesia S. Salvatoris humato, cum circa sepulturam ejus venerabilis Hildebrandus esset occupatus, factus est de repente concursus clericorum virorum ac mulierum clamantium : Hildebrandus episcopus. Quo audito venerabilis archidiaconus expavit, et velociter volens populum placare concurrit ad pulpitum, sed eum Hugo candidus prævenit, et populum sic allocutus est : Viri fratres! vos scitis quia a diebus domini Leonis papæ hic est Hildebrandus, qui sanctam Romanam Ecclesiam exaltavit et civitatem istam liberavit Quapropter quia ad pontificatum Romanum neque meliorem neque talem, qui eligatur, habere possumus, eligimus hunc in nostra ecclesia ordinatum, virum vobis nobisque notum et per omnia probatum. Cumque cardinales episcopi sacerdotesque et levitæ et sequentis ordinis clerici conclamasset, ut mos est : *Gregorium PP. Scs. P. eleg.* (*ita cod.*) continuo a populo trahitur, rapiturque, et ad vincula beati P. non ad Brixianorium invitus inthronizatur. Qui sequenti die secum mente pertractans ad quantum periculum devenisset, cœpit æstuare et mœstus esse ; tamen collectis fidei et spei viribus, quid potissimum faceret, non aliud invenit, quam ut regi suam notificaret electionem, et per eum si posset, sibi papale impositum onus devitaret. Nam missis ad eum continuo litteris et mortem papæ notificavit, et suam ei electionem denuntiavit, interminatusque si ejus electioni assensum præbuisset nunquam ejus nequitiam patienter portaturum. Sed longe aliter evenit quam speraverat. Nam rex illico misit Gregorium Vercellensem episcopum, Italici regni cancellarium, qui ejus electionem firmaret, et ejus interesset consecrationi. Quod et factum est. Nam in jejunio Pentecostes sacerdos ordinatur, et in natale apostolorum ad altare eorumdem a cardinalibus secundum antiquum morem episcopus consecratur. Cujus consecrationi interfuit imperatrix una cum excellentissima Beatrice duce tunc vidua. Nam ante paucos dies magnificus dux Gotefridus obierat.

Venerabilis vero pontifex mox ut curam sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscepit, nil melius esse deliberavit, quam in primordio regem admonere, ut episcopatus non venderet, seseque subjectum esse sanctæ Romanæ Ecclesiæ recognosceret. Nam continuo hujus sanctæ legationis ministram fecit esse gloriosam imperatricem ejusdem regis matrem, habentem secum in comitatu venerabiles episcopos Girardum Ostiensem (48) et Ubertum Prænestinum et Rainaldum Cumanum, quæ Alpes transiens filium in partibus Bajoariæ invenit. Quid plura ? Legatis Romanis a rege honorifice susceptis, cum per multos dies sermonem correctionis ab eis quotidie audiret, ad ultimum vero suos familiares, quos ante beatus excommunicaverat Alexander, a suo prohibuit colloquio. Dehinc rogatus ut synodum mediaret, episcopos facie tenus congregavit, mente detractans, nul-

(48) Is celebris illo ævo Gerardus ad purpuram tandem evectus, civis Ratisponensis filius fuit, singulare Bajorum ornamentum.

lum omnino concilium in suo regno celebrari, quod rei subsequens comprobavit eventus. Nam per Lemarum Bremensem episcopum, virum eloquentissimum et liberalibus studiis adprime eruditum, concilium interruptum est. Is enim dicebat ex antiquis privilegiis Maguntino concessam esse episcopo in Germaniæ partibus vicem habere Romani pontificis; ideoque non licere Romanis legatis synodum in ejus legatione celebrare, non bene recogitans, illud primi Leonis capitulum Thessalonico episcopo missum, in quo ita legitur: sic enim committit papa omnibus archiepiscopis vices suas, ut in partem sint vocati sollicitudinis non in plenitudinem potestatis. Quid plura? Hujus rei gratia Lemarus archiepiscopus a legatis Romanis sacerdotali officio suspensus est. Dehinc concilio hac sagacitate interrupto, cum rex omnia, quæ Romani legati postularunt, se libenter facere promisisset, magnis muneribus donati Romam cum honore remearunt, portantes secum præfati regis litteras, quibus venerabili papæ Gregorio omnibus modis debitam subjectionem spondebat. Post paucos vero dies quidam Hermannus Babenbergensis episcopus, Romam causa suscipiendi pallii veniebat, quem litteræ regis anticipavere, quibus papæ significatum est se, quorumdam malignantium fraude deceptum, illi pro pecunia episcopatum tradidisse. Quod ut quæsitum est et ita inventum præfatus Hermannus ab episcopatu depositus est, et alius in loco ejus præcepto domini papæ inthronizatus est, qui postea ab eodem papa pallii dignitate donatus est, quod et itidem de Constantiensi episcopo factum est.

Dum hæc ita gererentur Mediolanenses capitanei Ecclesiarum venditores, de quibus supra retulimus, colloquium cum rege faciunt, animumque ejus ad deteriorem partem flectunt; nam ei promittunt, et Pataream destructuros et Herlinbaldum occisuros. Quod rex libenter audivit, et voluntarie quidquid petierunt promisit.

Interea venerabilis Gregorius nihil mali de rege suspicans synodum congregavit, in qua Guibertus Ravennas episcopus sedit, et innumerabilis multitudo episcoporum ex provinciis diversis congregata, in qua dum negotium Placentinorum et Cremonensium tractaretur, præfatus Guibertus Cremonenses mirabiliter infamavit, quem per Dodonem egregiæ indolis juvenem ejusdem Cremonæ civem liquido claruit esse mentitum. Nam is in media synodo et Cremonenses absolvit ab infamia, et ipsum notavit infamia. Quid plura? his et aliis negotiis sedatis Robertus cum Northmannis excommunicatur in eodem synodo. Cui synodo interfuit excellentissima comitissa M. [Mathildis] et Azo marchio, et Gisulfus Salernetanus princeps. Concilio igitur rite celebrato [c]um episcopi ad propria remearent, Guibertus cum [p]ontifice Romæ remansit.

Hic papæ promittebat se contra Northmannos [m]agnam expeditionem facturum et contra Balneo regis [co]mitis se post pascha cum eodem papa castra metaturum. His et talibus subdolis machinationibus animum papæ nihil mali suspicantem decipiebat. Animus vero ejus velut feræ belluæ iram gerens, nihil aliud quam quod post rei demonstravit eventus cogitabat. Nam per omnes fere quadragesimales dies, quibus inibi moratus est, Romam orationis occasione circuiens quosque pestiferos invenire poterat, vel papam propter justitiam odientes faciebat amicos, dataque pecunia sacramento vinciebat, inter quos et Cencium præfecti Stephani filium, quem supra temporibus papæ Alexandri cum Cadolo fuisse memoravimus.

Is defuncto patre temporibus Alexandri cum præfecturam vellet adipisci, ab omnibus Romanis propter ferocitatem animi repudiatus est, communique consilio traditur præfectura alteri Cencio cujusdam Joannis præfecti filio, qui quamvis nomine æquivoci, tamen longe erant diversi moribus; in hoc omnium malorum species in altero bonorum. Hic compatrem suum absque omni causa interfecit, et domum ejus funditus destruxit; idem et latronum particeps et prædonum adjutor, per multa et varia adulteria, quæ perpetravit, vel perpetrantes tutatus est, Romam ex libera fecit ancillam. Nam in Sancti Petri ponte turrim miræ magnitudinis ædificans omnes transeuntes reddidit tributarios. Hunc talem et tam pestiferum conjunxit sibi præfatus Guibertus, et per eum se armavit contra sanctum. Erant præterea Romæ multi pestilentes, justitiam odientes, ut concubinatorum sacerdotum filii et propinqui; sed et venerabilis pontifex in principio ordinationis suæ omnibus Romanis clericis dedit optionem, ut aut canonice nihil proprium possidentes secundum regulam sanctorum viverent, aut relictis bonis ecclesiæ scorsim domi manerent; quorum multi ante elegere privati vivere quam suave jugum Domini ferre; qui mirabiliter papæ erant infensi et non solum ii, sed et eorum propinqui.

Erat præterea Romæ antiqua et pessima consuetudo, quam beatus papa suo tempore funditus ab eadem Ecclesia exstirpavit. Nam in beati apostolorum principis ecclesia erant sexaginta et eo amplius mansionarii laici conjugati et plerique concubinati, qui eandem ecclesiam per vices suas die noctuque custodiebant, quorum potestate omnia, præter majus, erant altaria, quæ orationibus quotidie vendebant. Hi omnes barba rasati et mitras in capite portantes, sacerdotes et cardinales se esse dicebant, sicque oratores decipiebant et præcipue Longobardorum rusticam multitudinem, qui eos credentes sacerdotes, se eorum commendabant orationibus. Hi intempestæ noctis silentio custodiæ occasione varia latrocinia et turpia stupra exercebant. Quos beatus papa cum magna difficultate ab ecclesia apostolorum principis expulit, et eam religiosis sacerdotibus commisit custodiendam. Hos tales præfatus Guibertus sibi fecit amicos, venerabilis autem Gregorius ecclesiam S. Petri jussit oratoribus claudi usque ad tempus matutinale, nam ante pervigiliarum

excubias multa ibi fiebant homicidia et hac occasione multa furta et adulteria. Erat præterea in eadem ecclesia alia pessima consuetudo, quam idem venerabilis papa funditus exstirpavit

Quotidie antequam dies illucesceret, et plerumque antequam aurora cursum suum inciperet, cardinales avaritiæ quæstu missas super altare principis apostolorum celebrabant, quibus ex auctoritate B. Petri et sua omnibus interdixit, ut non liceret eis deinceps ante horam diei tertiam ad altare B. Petri missam celebrare; quæ res magnam sibi concitavit invidiam. Quid plura? præfatus Guibertus veluti Catilina omnes sceleratos quos potuit, sibi fecit amicos. Dehinc propinquante paschali festivitate, licentiam remeandi Ravennam a venerabili papa petiit et impetravit, promittens se post pascha supra balneo regis comites exercitum ducturum.

Interea venerabilis Gregorius expeditionem contra Northmannos præparabat, veniensque obviam duci Beatrici usque ad castrum S. Fabiani eam simul cum filia ad expeditionem invitabat, quas volentes pia mente papæ obedire præcepto Longobardicus varvassorum tumultus impedivit. Nam seditione subita exorta expeditionem dissipavere, sicque infecto negotio papa Romam remeavit : Beatrix vero cum filia ad propria rediere. Non longo post tempore papa languore corporis in suburbio Romæ subito corripitur. Censius vero, de quo supra memoravimus, credens eum jam morti destinatum, odium, quod mente conceperat, subito evomuit. Nam fidei commissor illis diebus fuerat cujusdam Cencii scilicet Gerardi comitis filii, qui beatis apostolorum principibus curtem unam testamento legaverat; Deo vero odibilis ille credens papam jam mortuum vel jam morti proximum sacrilegii simul et perjuri crimen incurrens testamentum falsaverat, curtemque suis applicavit usibus, ducentis libris datis tantum apostolorum principibus. Interea convalescente papa, super hoc cœpit exagitari negotium. Quid plura? Pessime egisse convincitur, datisque obsidibus curtem secundum defuncti voluntatem apostolorum reddidit principibus; sed ejus furor non quievit. Nam ejusdem pestiferi consilio Hugo candidus, de quo supra memoravimus, secundo ad apostasiam versus est. Hic Apuliam tendens Robertum et Northmannos dudum a papa excommunicatos contra sanctam Romanam Ecclesiam mirabiliter excitavit : nam dicebat eos falso excommunicatos et papam, non secundum decreta sanctorum Patrum pontificem, sed sanctæ Romanæ Ecclesiæ invasorem, adjiciens se cum suis fautoribus Roberto coronam imperialem daturum, si eum militari manu ab ecclesia pelleret.

Quod cum quotidie palam et clanculo in curte præfati ducis mussitaret, hanc a prudentissimo duce accepit responsionem, quia tibi necesse est, si placet in auro vel argento vel in aliqua alia pecunia vel in equorum et mulorum adjumento a me suscipe A munificentiam, mihi vero suadere non poteris contra Romanum me armari pontificem. Nefas enim est credere per tuas inimicitias vel alicujus posse papam deponi, qui electione cleri et laude populi Romani, cum cathedra pontificalis vacaret, inthronizatus ad altare S. Petri ab episcopis cardinalibus consecratus est ; sicque cum magno dedecore repudiatus ad Guibertum suæ nequitiæ fautorem se contulit.

Cum hæc ita gererentur Mediolanenses capitanei et varvassores Ecclesiarum venditores ad colloquium regis remeantes Mediolano magnas excitant seditiones, machinamenta quædam fingentes, nam simplices quoque seditionis ignaros hoc modo alliciebant, dicentes se integritatem beati Ambrosii velle jurare. A Deo vero protectus, de quo supra retulimus, Herlimbaldus videns machinamenta diaboli paulatim B crescere, æstuabat neque potissimum quid faceret aliud inveniebat, nisi ut se et Dei populum volentem pro justitia dimicare velut fortissimus Judas armis defensaret (*II Mach.* XIII, 14). Quid plura? Crescebat quotidie numerus infidelium, et de die in diem numerus minuebatur Paterinorum. Eodem quoque tempore Mediolanensis civitas tota incendio concrematur, in qua multæ mirabiles ecclesiæ et præcipue mater ecclesia solo tenus destruitur ; quæ res inimico humani generis ad decertandum contulit arma : nam omnes sive amici sive inimici quasi una voce clamabant hoc esse peccatum Paterinorum.

Post Pascha vero derepente congregato exercitu et multitudine conjunctorum Herlimbaldum nihil mali suspicantem invadunt, eumque bellare temptantem C in media platea interficiunt, aliosque persequuntur et deprædantur, eumque ignominiose nudatum obliti generis ejus et dignitatis ad ignominiam totius Christianitatis per totum diem relinquunt inhumatum. Nocte vero a religiosis viris apud S Dionysium cum honore sepultus est. Ad cujus sepulcrum magna mirabilia usque hodie operatur Deus. Sequenti vero die quemdam sacerdotem nomine Liprandum auribus mutilaverunt et naso(49); quicunque vero conjurationi non consenserunt, aut occidebantur, aut facultatibus nudabantur, quorum multi Cremonam venientes, honorificentissime a fratribus sunt suscepti ; ut autem auditum est de morte Herlimbaldi non solum Romæ, sed usque ad D Britannicum mare omnes catholici sunt contristati, flentesque dicebant : Quomodo cecidit potens, qui pugnabat bellum Domini (*I Mach.* IX, 21).

Interea Gregorius papa quadragesimali tempore synodum congregavit, in quo Guibertus vocatus dum venire noluisset ob perjurii crimen ab episcopali officio suspensus est. Et Hugo candidus secundum Apostoli præceptum dicentis : « Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita (*Tit.* III, 10), » ab Ecclesia perpetuo sequestratus est. Forte his diebus Deo odibilis ille Cencius, de quo supra retulimus, a præfecto urbis Romæ captus tenebatur, qui secundum Romanas leges capitalem

(49) Eodem mortis genere quo Herlimbaldus interiit etiam paucis annis post auctor noster.

suscepit sententiam ; sed precibus gloriosæ Matildis, quæ ibi aderat illis diebus et multorum Romanorum civium vix emeruit, ut vivus dimitteretur, datis obsidibus in manu papæ et turri, per quam ad cœlum ascendere nitebatur, quæ funditus destructa est.

Interea Guibertus Ravennæ contra dominum suum papam callidus armabatur, nam suis litteris conveniens cervicosos Longobardos episcopos et præcipue Tetaldum Mediolanensem archiepiscopum mirabiliter contra papam instigabat. Sed quoniam istius Tetaldi mentio facta est, qualiter ad Mediolanensem venerit episcopatum, breviter, si potero, intimabo.

Glorioso Erlinbaldo pro nomine Jesu martyrizato, cum mors ejus regi fuisset nuntiata, memor promissionis suæ, quam antea Mediolanensibus promiserat capitaneis, mox ad Italicam partem destinavit comitem Everardum suum consiliarium, quem ante papa Alexander excommunicaverat, qui veniens Longobardiam, mox in Roncalia curiam congregavit, ibique Mediolanensibus pro morte Erlinbaldi gratias agens, eos trans montes invitavit, promittens eis, dominum suum, episcopum, quem vellent daturum. Dehinc omnes Paterinos publicos regis clamavit inimicos moxque Placentinos ibi in vicino positos, cum propter pusillanimitatem animi inveniret imparatos, plerosque ab urbe fugavit, quosdam vero in deditionem cepit, qui consilio beatissimæ Beatricis liberati sunt.

Cremonenses vero, quos fidei plenos et virtutibus munitos audivit, non pro Dei timore, sed quia non potuit, immunes dereliquit. Quid plura ? Eligunt sibi Mediolanenses capitanei Eecclesiarum venditores ex præcepto regis communicato pessimo consilio Tetaldum Mediolanensis Ecclesiæ clericum, qui ante Gotefrido fidelitatem juraverat, virum nobili quidem genere ortum et satis corpore pinguem, sed virtutibus tenuem. Hunc talem secum ad regem ducunt, quem rex, oblitus investituræ quam ante Gotefrido dederat, parvipendensque jusjurandum quod Rapot ex sua parte juraverat Novariæ dudum episcopis, hoc esse regiæ voluntatis ut Gotefridus consecretur, non solum contra leges divinas et Christianorum regum morem, sed etiam contra tyrannorum consuetudinem, vivente altero investivit.

Hic talis Mediolanensem vastabat Ecclesiam. Huic Guibertus Hugonem candidum misit, cujus consilio regem adiret, et ejus animum ad deteriorem partem inflecteret. Quod et factum est.

In illo tempore grave et inauditum flagitium Romæ patratum est. Nam Deo odibilis Cencius, conjuratione facta, in ipsa nocte Nativitatis Christi, papam sacramenta celebrantem, ab altare S. Dei Genitricis Mariæ, quod dicitur ad præsepe, rapuit, et vulneratum ad turrim quam Romæ habebat miræ fortitudinis (50), violenter usque perduxit. Quid plura? Romani mox turrim obsident, maneque facto vi

A capiunt, ipsumque scelestum interfecissent, nisi eum beatissimus Gregorius, boni Magistri discipulus, precibus et supplicationibus a morte liberasset. Dehinc cum Lateranis papa remeasset, sequenti die Romani auctorem tanti flagitii cum omnibus suis complicibus a civitate expellunt, turresque eorum solotenus destruunt.

Cum hæc ita gererentur, Saxones rebellaverunt, cujus rebellionis causam propter prolixitatem scribere devitavimus, unum scientes, quia propter grave et insolitum onus servitutis, quod eis quidam imponere satagebant, ad tam graves devenere inimicitias; sed jam rei ordinem sequamur : Saxonibus rebellantibus intravit rex Saxoniam in manu valida et multitudine gravi, habens secum eximium ducem B Rodulfum, et ducem Guelfonem et præclarum ducem Gotefridum nobilissimæ Mathildis conjugem et ducem Theodericum et innumerabilem marchionum et comitum multitudinem, qui derepente Saxones imparatos invadunt, et quamvis cruentissimam tamen habuere victoriam. Nam in illa pugna ex parte regis xv millia homines cecidisse referuntur, taliterque victor infecto negotio Franciam remeavit ; moxque convocans multitudinem episcoporum, non quæsivit Deum auctorem sibi, nec ei gratias retulit pro collata victoria, sed exaltatum est cor ejus, et elati sunt oculi ejus, ponensque in cœlum os suum, Hugonisque candidi, de quo superius retulimus, acquiescens consilio, dominum papam, qui per tres annos universalem Ecclesiam in pace gubernaverat, C secundum exemplum pestiferi Lotharii, de quo supra retulimus, litteris abdicavit, suosque episcopos subscribere coegit ; proh dolor non recogitans illud venerabile tertii Leonis capitulum, in quo sic legitur : Si quis se a Romanæ Ecclesiæ segregaverit societate, nec januam cœli ingredi, nec vinclis peccatorum poterit solvi. Interea litteræ unitatem Ecclesiæ scindentes per legatos Romam deferebantur, nam jussio regis urgebat, qui venientes Placentiam omnes episcopos Longobardos congregaverunt. Quibus ex parte regis præceptum est, ut factum regis confirmarent. Sed longe aliter factum est quam speravere. Nam omnes proprio ore suo Dionysio Placentino episcopo prævio, publice juraverunt nunquam se amplius obedientiam præstituros papæ. D Dehinc hujus legationis ministrum ex officina iniquitatis scilicet Parmensi civitate faciunt quemdam Rolandum clericum, qui veniens Romam forte illis diebus papam in synodo residentem invenit. Is diaboli repletus spiritu in media synodo ex parte regis, laici scilicet hominis, pontificale ei interdixit officium, eique præcepit, ut de sede descenderet, quod secundi ordinis presbytero sine judicio ab ipsis etiam episcopis, si diceretur, esset culpabile. Dehinc cardinalibus præcepit, ut ultra montes tenderent, et inde sibi pontificem assumerent. Venerabilis vero Gregorius secundum boni Magistri exemplum convitiatorem suum prius a morte liberavit, dehinc vix sedato

(50) Paulo ante destructam dixerat.

tumultu synodum cum alacritate celebravit. Sequenti vero die litteræ ab Ultramontanis episcopis papæ delatæ sunt, quibus se peccasse et errasse confitebantur, veniamque impetrabant promittentes se deinceps utpote Patri obedientiam præbituros : sed cum tempus instaret, quo synodus solvi debuisset, venerabilis Gregorius, qui pro ovibus suis mori paratus erat, dedecus S. Romanæ Ecclesiæ illatum non est passus inultum, sed consilio omnium episcoporum numero cv, regem, qui se ex ovibus Christi non cognovit, principemque hujus inauditæ rebellionis excommunicavit, et a regno Dei judicavit alienum, quod nec novum quidem fuit nec reprehensibile. Reprehensibile non : quia regulis sanctorum Patrum præcipientibus factum. In Chalcedonensi enim concilio, in quo sexcenti interfuerunt episcopi, ita legitur de Dioscoro Alexandrino: quomodo secundus excessus priorem iniquitate valde transcendit. Præsumpsit enim excommunicationem dictare adversus sanctissimum papam Leonem, Anatholius episcopus Constantinopolitanus dixit: Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopi Leoni. Nunquid ibi legitur inquisitionem factam fuisse, utrum juste an injuste Dioscorus ipsam excommunicationem dictasset? non plane : sed absque omni controversia hi in eo multati sunt, quia cum esset inferior potiorem quibuslibet conatus est lacessere injuriis. Quod vero in octava synodo sancti Patres super hoc negotio definivere advertite : Dominicum sermonem, quem Christus sanctis apostolis et discipulis suis dixit : quia « qui vos recipit, me recipit (*Matth.* x, 40) ; » et « qui vos spernit, me spernit (*Luc.* x, 16), » et qui post eos secundum ipsos facti sunt summi pontifices et pastorum principes in Ecclesia catholica dictum esse credentes definivimus neminem prorsus mundi potentum quemquam eorum, qui patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare aut movere a proprio throno tentare, sed omni honore et reverentia dignos judicare, præcipue quidem sanctissimum papam senioris Romæ ; dehinc vero Alexandriæ ac Antiochiæ seu Jerosolymorum, deinceps Constantinopoleos patriarcham ; sed nec quicunque circumscriptiones contra sanctissimum papam senioris Romæ ac verba complicare vel componere sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum, quod et nuper Focius et multo ante Dioscorus fecerunt. Quisquis autem tanta jactantia aut audacia usus fuerit, ut secundum Fotium et Dioscorum in scriptis et sine scriptis injurias quasdam contra sedem Petri principis apostolorum moveat, æqualem et eamdem quam illi condemnationem accipiat. Si vero quis aliqua Dei potestate fruens et potens pellere temptaverit præfatum apostolicæ cathedræ papam, aut aliorum patriarcharum quemquam anathema sit. Porro si synodus universalis fuerit congregata et facta fuerit, et de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari et solutionem accipere et aut provectum facere aut perficere, non tamen audacter sententiam dicere contra summum senioris Romæ pontificem. Ecce qualiter imitatores Foci et Dioscori pro sola infamia Romani pontificis audistis damnandos et potentes quosque, tentantes pellere senioris Romæ papam a sede auditis anathemizatos. Non est ergo reprehensibile regem tentantem papam a sede sine judicio pellere, excommunicare quod sanctorum Patrum regulis est roboratum. Inusitatum vero non est, quia multos legimus Romanos pontifices pro minoribus causis non solum excommunicasse, sed etiam a regno deposuisse. Quod melius patebit exemplo : Innocentius papa Arcadium imperatorem Theodosii Magni filium pro eo quod Joannis Chrysostomi depositioni interfuit, quia Theophilus Alexandrinus una cum aliis orientalibus patriarchis cum consensu aliorum episcoporum, sine assensu tamen Romani pontificis dictaverat excommunicatum, eorumque depositionem cassavit. Reverendissimus vero imperator mox ut factum cognovit, non rebellis exstitit, sed veniam humiliter petiit et impetravit. Constantinus papa Justinum imperatorem, Justiniani filium propter non decentem legatorum suorum susceptionem excommunicavit, qui postea in Constantinopolitanæ urbis platea pedibus ejus cum regno prostratus tandiu veniam petiit, donec impetravit. Sed et Anastasius papa Athanasium imperatorem excommunicavit, qui proterve loquens de papa, in ipso palatio fulmine percussus interiit.

Tertius vero Gregorius papa non solum imperatorem Leonem excommunicavit, sed et regno privavit. Stephanus vero papa Karolum Pippini regis fratrem a regno deposuit, et Pippinum in loco ejus constituit, et Gregorius doctor Romanus papa omni dignitate privavit, quicunque privilegii sui paginam violaverit. Sic enim in quodam suo privilegio subscripsisse invenitur : GREGORIUS, SENATORI presbytero et abbati Xenodochii Francorum inter cætera : hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis, qui in eo ordine quo es locoque successerint, vel eis quorum interesse potuerit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, judicum atque sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam cognoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et quid dicam de Nicolao qui duos imperatores uno eodemque tempore excommunicavit, orientalem scilicet et Michaelem propter Ignatium Constantinopolitanum episcopum sine judicio papæ a sede pulsum, occidentalem vero nomine Lotharium propter Gualdradæ suæ pellicis societatem.

Quid dicam de Romanis pontificibus, cum Ambrosius Mediolanensis episcopus, lilium Ecclesiæ, Maximum tyrannum excommunicaverit, Theodosiumque imperatorem ab Ecclesia expulsum excommunicaverit. At quis nisi mente captus ignorat

regiam potestatem subjectam esse pontificibus. Quis enim credat se a Romani pontificis subjectione esse alienum, nisi qui peccatis suis exigentibus in ovium Jesu numero non meruit numerari. Sed jam rei ordinem prosequamur.

Explicit liber septimus.

INCIPIT LIBER OCTAVUS

Interea postquam de banno regis ad aures personuit vulgi, universus noster Romanus orbis tremuit, et diverse Itali atque Ultramontani super his decrevere. Nam Itali post pascha apud Papiam concilium celebrant malignantium, in quo omnes pariter Longobardi episcopi et abbates auctore Guiberto imitantes Focium et Dioscorum, excommunicaverunt dominum papam senioris Romæ, quod a sæculo B non est auditum, ut tot uno tempore inimicus humani generis mente captos contra sanctam Romanam Ecclesiam armasset episcopos. Dum hæc in Italia gererentur diabolo suadente Ultramontani principes insimul conveniunt, et salubri concilio partes alterutras quasi in judicio constituunt, vel perspicue eis innotesceret, utrumne papa regem posset excommunicare nec ne? vel utrum juste excommunicatus esset vel non? Legem enim suam nolebant destruere, quia perscriptum est, ut si quis ante annum et diem ab excommunicatione non fuerit solutus, omni careat dignitatis honore. Prudentissimi igitur illius regni episcopi, abbates et clerici communicato consilio secundum sanctorum decreta Patrum et majorum exempla decrevere regem a papa posse C excommunicari, sed secundum Foci et Dioscori imitationem juste excommunicatum. Quid plura? nil melius secundum tempus invenientes dato sacramento firmavere, ducibus sequacibus Ruodulfo et Guelfone atque Theodorico. Nam Gotefridus excellentissimæ Mathildis conjux ante paucos dies obierat, aliisque illius regni pontificibus firmavere, ut si rex eorum vellet acquiescere consilio papam ultra montes ante anni circulum ducerent, qui eum absque malo ingenio a vinculo excommunicationis absolveret, regemque cogentes dato sacramento proprio ore juraverunt, papæ privatum se exspectare judicium. Quod cum factum fuisset, omnes iterum unanimiter juravere, ut si rex sacramentum datum observare voluisset, expeditionem cum eo facturos in Italiam et D imperiali dignitate sublimato Northmannos aggressuros, et Apuliam et Calabriam ab illorum dominatu liberaturos. Quod si peccatis suis exigentibus sacramentum datum irritum fecisset, nunquam eum amplius pro domino neque pro rege suscepturos.

Interea mittunt Romam Treverensem episcopum ut papam ultra montes apud Augustam ducerent, sed quomodo apud Placentiam ejus calliditate captus fuerit, et non ante liberatus quam eis litteræ a Spira Placentino episcopo, ut dimitteretur, perlatæ fuissent, propter longitudinem historiæ dicere intermitto.

Interea venerabilis Gregorius pacis gratia summa cum difficultate itineris Augustam tendebat, hyems enim gravissima tunc ingruebat. Rex vero derepente parvi pendens sacramentum, Italiam intravit. Et sunt, qui dicunt eum pontificem incautum voluisse capere, quod satis videtur verisimile. Nam Gregorius Vercellensis episcopus ejus vero cancellarius, cui ut papam duceret ultra montes a principibus fuerat imperatum, postquam Apennini transierat jugum, audivit eum in Vercellensi occulte devenisse civitate, quod dum papæ nuntiasset, mox Canusium tutissimum excellentissimæ Mathildis castrum intravit.

Interea rex videns sua machinamenta propalata, omni prout videbatur deposita feritate, columbina indutus simplicitate Canusium adiit, et per aliquot dies super nives et glacies discalceatus pedibus perdurans omnes minus sapientes decepit, et a venerabili Gregorio, quamvis ejus non ignorante versutias, absolutionem quam petebat, invenit sacramento Dominico mediatore in ipsa missarum celebritate hoc modo. Nam divinæ mensæ astantibus episcopis, abbatibus, religiosis, clericis ac laicis, hoc modo fecit esse participem, ut si se mente ut corpore fecisset humiliatum, et si se jure crederet pontificem, seque vero excommunicatum secundum imitationem Phoci et Dioscori et per hoc crederet posse absolvi sacramentum. ut amplius illi fieret in salutem, sin vero aliter, ut Judæ per bucellam intraret in ipsum Satanas. Quid plura? celebrata missarum celebritate convivium commune habuerunt. Dehinc ei omnibusque ab excommunicatione solutis præceptum est, ut ab excommunicatorum se caverent consortio. Sunt vero nonnulli, qui dicunt eum vitam et membrum et suum honorem papæ jurasse. Ego vero de ignoto omnino nihil affirmo.

Interea rex, postquam a banno absolutus fuit, satis in facie devotus et obediens apparebat papæ, nam ab omnium episcoporum se consortio sequestrabat, reputans eos excommunicatos, noctibus eorum nefariis acquiescens consiliis, illud mente tractabat, quod postea rei monstravit eventus, sicque faciebat per omne tempus, quo Placentiæ demoratus est, maxime metuens præsentiam matris suæ religiosissimæ imperatricis, quæ forte ibi aderat.

Per idem tempus Deo odibilis Cencius, de quo supra memoravimus, ad eum venit, quem diebus, utpote excommunicatum recusabat, noctibus vero totum se ejus pestiferis donabat consiliis, cumque videret papam nullo modo a Canusio castro posse divellere, Papiam tendit: ibi Deo odibilis Cencius amara morte mortuus est, cujus funus Guibertus cum aliis excommunicatis mirabili pompa celebravit.

Cum hæc in Italia gererentur, Ultramontani principes apud Forken conveniunt, et sibi ducem Rodulfum regem constituunt, virum magni consilii et armis strenuissimum. Quod factum magnam cladem intulit Romano orbi. Interea rex Papiæ degens, ubi audivit de electione Rudolfi, mirabiliter commotus est, sed quia homo magni consilii et mirabiliter sagax esset, simulata humilitate per

nuntios papam rogavit, ut Rudolfum excommunicaret, quod papa se facturum illico promisit, si vocationem hujus facti reddere non posset, non enim canonicum videbatur, si ante excommunicaretur, quam vinceretur, sed rex mente effrenatus velociter montes transiit, et impigre Bajoariam Franciamque recepit. Sed quid plura? Haud segnior Rodulfus Franciam invadit, bellumque committitur gravissimum et multa millia hominum ex utraque parte ceciderunt; sunt, qui dicunt hujus prælii Henricum fuisse victorem, quamplures autem palmam hujus Rodulfo regi ascribunt certaminis, sed quisquis victoriam cruentissimam tamen possedit victoriam.

Interea Romæ grave malum et irrecuperabile damnum de repente exortum est. Nam Cencius præfectus vir christianissimus per insidiam Stephani fratris Cencii, Deo odibilis, de quo supra memoravimus, occisus est, cujus corpus dum Romæ apud S. Petrum delatum fuisset, Deus per eum multa fecit mirabilia. Romani vero communicato consilio castrum, in quo se nefandus ille receperat, vi capiunt, ejusque capite et manibus truncatum cadaver ignibus tradunt, caput vero ejus et manus in cortina beati Petri suspendunt, reliquos vero tanti sceleris fautores quosdam interfecere, quosdam vero a patria eliminaverunt.

Post paucos vero dies, postquam hæc gesta sunt Gregorius venerabilis pontifex Romam cum honore remeavit, moxque synodum congregavit, in qua amborum regum nuntii interfuere, quibus et B. Petri auctoritate præceptum est ut non pugnarent, sed locum eligerent, in quo ambarum partium episcopi possent secure convenire, reddituri rationem ante sanctæ Ecclesiæ legatos, quod salubre consilium diabolo instigante interruptum est, et iterum acie pugnatum est, in qua multa millia hominum ex utraque parte cecidere, et maxime Boemiorum. Quod ut papæ nuntiatum est in proxima quadragesima (nam in festivitate S. Agathæ hoc gravissimum bellum commissum est) synodum congregavit, in qua amborum regum nuntii interfuere, qui proprio ore juravere concilium non culpa dominorum suorum interruptum; sed quis eorum fuerit perjurus, quia non satis apparet, dicere omitto. Sed quid plura? venerabilis pontifex religiosos episcopos ultra montes mittere destinavit, qui regibus interdicerent, ut non pugnarent, et episcopos ad concilium vocarent; Petrum scilicet episcopum Albanensem virum religiosissimum, qui ante episcopatum temporibus papæ Alexandri ex præcepto abbatis sui contra Symoniacam per medios ignes transivit illæsus (51), et Oudalricum Paduanum episcopum virum valde eloquentissimum et Heinrico regi satis fidelissimum, et Aquileiensem patriarcham, qui Alpes transeuntes regem in Bajoaria inveniunt, sed neque supplicationibus neque precibus neque aliqua quavis calliditate potuerunt efficere, ut synodum pateretur rex Henricus in suo eos regno celebrare, ni Ruodulfum absque vocatione vellent excommunicare, quod dum illi facere noluissent, interdicentibus canonibus, infecto negotio Romam rediere. Iterum actu pugnatum est, et multa millia hominum ex utraque parte cecidere.

Explicit liber octavus.

INCIPIT LIBER NONUS.

Interea rex Henricus, deliberato consilio, misit Romæ legatos Lemarum scilicet Bremensem archiepiscopum, de quo supra retulimus, et Pabebariensem episcopum et alios quamplures superbiam et inauditam portantes legationem ut si vellet papa Rudolfum absque judicio excommunicare, debitam ei præberet obedientiam, sin aliter: acquireret sibi papam, qui faceret secundum ejus voluntatem. Venerabilis vero pontifex, qui pro veritate mori paratus erat, non solum rationem prætendentem non condemnavit, sed et ipsum regem superbe loquentem excommunicavit. Quod factum populo Romano magnam dedit fluctuationem.

Interea præfati regis legati Tusciam venientes a subjectione excellentissimæ cometissæ Mathildis omnino temptabant avertere, et quia plebs semper cupida novarum rerum infida prioribus dominis, tum quia eadem plebs, naturaliter infida est, quod voluerunt, facillime facere potuerunt. Dehinc venientes Longobardiam, relicto marchione Alberto et comite Bosone in partibus Tusciæ, omnes principes Longobardorum ad colloquium invitantes apud Brixianorium diviso regno et sacerdotio ad regem remearunt.

Interea venerabilis pontifex post Pentecosten cum Roberto Marmannorum duce citra Aquinum habuit [*subaudi* colloquium, etc.], eumque ab excommunicatione absolvit, qui ejus proprius factus miles omnem Apuliæ et Calabriæ ab eo suscepit principatum.

Cum hæc gererentur, Longobardorum episcopi et principes apud Brixianorium conveniuut; haud segnius ibi rex occurrit cum suis episcopis ac Ultramontanis principibus, ubi communicato pessimo consilio eligitur Guibertus in Romanum pontificem a consimilibus, nullo ibi Romano astante clerico vel laico, præsidente Romanæ cathedræ venerabili papa Gregorio, qui jam per quinquennium in pace universalem rexerat Ecclesiam. Quod factum diabolicum non est auditum a die, qua gentes esse cœperunt, usque ad diem hanc, et quia peccatum plerumque est pœna peccati ex radice superbiæ, ex perjurio pervenit ad inobedientiam, per inobedientiam Guibertus cecidit in excommunicationem, per excommunicationem pervenit ad idololatriam.

Hunc talem ut superius retulimus, nullo Romanorum clericorum et laicorum ibi præsente vel consentiente excepto Hugone candido, qui peccatis suis exigentibus ab Ecclesia jam diu fuerat sequestratus, elegit sibi rex Heinricus in pontificem,

(51) Unde et Petrus Igneus dictus.

et huic suadente Dionysio Placentino episcopo ore proprio juravit, ab eo coronam imperialem suscepturum. Quid plura : ita omnes mente cæcati sunt, ut non respicerent faciem terræ, et quia procul a Romana urbe castra metati erant, proh dolor, omnes, qui ibi aderant, et pseudoprophetam adoravere proni, et quotquot adoraverunt a matris Ecclesiæ sinu longe ceciderunt.

Celebrata igitur taliter apostolorum principum festivitate, rex tanti pontificis auctus benedictione remeavit ad propria ; Guibertus vero cum suis complicibus papalia secum deferens indumenta intravit Italiam. Sed quia consilia Domini abyssus multa (*Psal.* xxxv, 7) ineffabili Dei providentia non flagella Domini secundum quod meritus erat, suscepit Heinricus successum, qui mirabiliter adderet nequitiæ suæ superbiam. Nam non longo post tempore intravit Saxoniam in potentatu magno et manu robusta, cui ex adverso occurrit Rudolfus et acerrimo bello commisso Heinricus turpiter terga vertit, in quo prælio victor Rudolfus occubuit. Nec sicut solent mori ignavi, mortuus est Rudolfus, non fugiens vel latibula quærens occisus, sed super strages inimicorum et super cadavera mortuorum plagatus a suis inventus est ; cujus mors Heinrico post VIII dies in quodam castro latitanti et de fuga cogitanti nuntiata est, qui, mox extollens in altum cornu suum et loquens adversus Dominum iniquitates (*Psal.* LXXIV, 6), non recognoscens Satanæ calliditates credidit Deo suum placuisse peccatum. Post paucos vero dies postquam hæc gesta sunt, ejus filius cum exercitu excellentissimæ Mathildis pugnavit et victoriam obtinuit. His elatus successibus derepente Italiam intravit, et post pascha ducens secum bestiam Romam tendit, et in vigilia Pentecostes in Prato Neronis castra metatus est. Sed o Deus, quis non tantorum prudentum virorum potest mirari amentiam ! Nam etsi mentis oculos perdiderant, corporeos tamen non amiserant. Annon videbant, quis ab eis ducebatur, quam a Romanis honorifice suscipiebatur, nam cernere erat pro cereis lanceas, et pro clericorum choris armatos, pro laudibus convitia, pro plausibus ululatus. Quid plura ? post agrorum vastationem et multa et varia homicidia, post varias clades et miserias, quas Romani nolentes pseudopapam suscipere perpessi sunt ; cum eodem rex Longobardiam infecto negotio rediit.

Sequenti vero hieme ducens secum pestiferum, iterum Romaniam intravit, et depopulans urbes, et castra evertens ad ultimum per omne quadragesimale tempus Romam obsedit, et post pascha exercitu per civitates et vicina castra undique circumfuso, dimittens apud Tiberim Guibertum, ipse Longobardiam remeavit.

Guibertus vero ut Alcimus (*ita membran.*) satis agebat pro sacerdotio suo, nam per omne festivum tempus magnas deprædationes et varias Romanorum civium truncationes faciebat, dehinc segetes et agros flamma depopulans, de penuria vel fame filiorum male cogitabat. Sequenti vero hieme, iterum rex Romæ reversus est, et postquam sacramentis datis firmatum est omnes religiosos ex quocunque regno volentes Romam visere venire securos post captionem Ostiensis episcopi aliorumque religiosorum monachorum et clericorum, videns se a Cluniacensi abbate et ab omnibus episcopis tam clericis quam monachis haberi excommunicatum ad callida mox se convertit argumenta ; nam ut popularem captaret favorem, dixit se a venerabili Gregorio coronam velle accipere imperialem, quod ut populus audivit Romanus non solum laici, sed et religiosi, qui videbantur, tam episcopi quam clerici, abbates, monachi cœperunt suppliciter lacrymis fusius orare ut patriæ fere perditæ misereretur. Venerabilis vero pontifex, qui pro veritate mori paratus erat, negavit se omnino facturum, ni prius de excommunicatione publice satisfaceret ; quod cum rex conscientia accusante facere renuisset, et per multos dies a Romanis venerabilis pontifex rogaretur, ut regem susciperet, et ille ad omnes preces maneret immobilis, paulatim cœpit præfatus rex vulgi sibi favorem acquirere, cumque pecunia et terrore et vi omnes fere sibi acquisivisset Romanos, de fortitudine venerabilis Gregorii desperans ad dedecus et infamiam totius Ecclesiæ Guibertum in sede S. Petri ordinare constituit, et cum non haberet episcopos cardinales sacerdotes sanctæ Romanæ Ecclesiæ nec levitas nec comprovinciales episcopos, quibus mos est papam inthronizare, nemo enim ex tanto numero, nisi qui a fide exulaverat cum eo fuerat, antea enim maluerant propriis sedibus carere, et si oporteret omnibus membris debilitari quam participes fieri coinquinationis. A Mutiensi episcopo et a Bononiensi et Aeveniensi (*sic*) in sede beati Petri inthronizatus est, quod phantasma a sæculo non est auditum. Dehinc in Pascha a tali benedictionem imperialem accepit, sicque civitatem intravit ducens secum triformem chimeram, et ad Lateranense usque pervenit palatium.

Venerabilis vero Gregorius ut cognovit populi trepidationem jam dudum in arce S. Angeli se locaverat, ad cujus obsidionem rex omnes Romanos armavit. Ipse vero dissimulans fortissimi ducis Roberti adventum nescire, capitolina domo destructa, ad ecclesiam S. Petri cum Guiberto veniens, civitatem S. Petri, quam Leo IV papa ædificaverat, funditus destruxit, sicque vale faciens Romanis una cum Guiberto recessit ; sed antequam ad Senam venisset fortissimus dux Ruodpertus Romam aggressus, non per triennium ut Heinricus, sed sequenti die, qua venit, perfidam civitatem armis cepit, et papam ab obsidione liberavit, et fere omnes civitatis Romanæ regiones victor ferro flammamque possedit. Dehinc apud Lateranense palatium permultos dies degens multa millia Romanorum vendidit ut Judæos quosdam vero captivos duxit usque Calabriam, et tali pœna digni erant multari, qui ad similitudinem Judæorum pastorem suum tradiderunt. Quid plura?

Venerabilis papa una cum Ruoberto Salernum usque pervenit, ibique per aliquot dies degens saluberrima monita populis impendebat; sed non longo post tempore infirmitate corporis correptus spiritum cœlo reddidit; ad cujus sepulcrum Deus multa millia miracula usque hodie operatur, vere terque quaterque beatus qui meruit pro nomine Jesu contumelias pati. Et ille quidem cum Petro [*in cod.* cum P.] regnat in cœlestibus, hic vero omnibus odiosus a nemine viventium, quamvis a quibusdam gratia regis dicatur, apostolicus habetur. Tamen sunt, qui gratia regis quædam confingunt machinamenta, volentes dominum Gregorium infamare, sed non valentes. Sunt enim, qui dicunt eum non jure fuisse apostolicum propter quædam decreta Nicolai junioris, quibus anathemate interdictum ferunt, ut nemo aspirare audeat ad pontificatum Romanum nisi ex consensu regis ejusque filii, quod falsissimum esse omnibus modis declarabitur, quamvis et si verum esset, tamen nullius momenti esset. Nam etsi licet Romanis pontificibus rigorem canonum temperare pro necessitate temporum, tamen non licet omnino destruere. Quid enim aliud esset nisi omnino Christianam legem destruere, decreta sanctorum Romanorum pontificum, qui sanguine suo Ecclesiam fundavere, infringere, et sacrosancta quatuor concilia, quæ ab hominibus velut Evangelia sunt veneranda, irrita facere. Sed bonæ memoriæ domnum Nicolaum ab hac liberemus infamia et testibus idoneis eum talia non dictasse demonstremus. Veniat Guibertus testis idoneus a quo Cæsar imperialem accepit coronam, et falsa locutos eos evincat. Si enim verum est secundum decreta Nicolai, ut non apostolicus habeatur, qui non ex consensu regis Romanum esse electum pontificem (*ita cod.*) et Alexandrum absque ejus voluntate Romanæ sedi inthronizatum, restat eumdem non apostolicum sed excommunicatum. Quod si excommunicatus et ab Ecclesia Dei sequestratus, et si excommunicatus Guiberto quid contulit, dum eum sacravit episcopum, Benedictionem, quam non habuit, dare non potuit, ergo maledictionem, quam habebat, donavit. Igitur si maledictus, quomodo papa? Sed hoc falsum est: Guibertus enim jure episcopalem accepit benedictionem et Alexander papa, qui contra voluntatem regis Romanum adeptus est pontificatum teste Guiberto apostolicus legaliter ordinatus est. Quod itidem de Cæsare sentiendum est; si enim hoc verum esset, quomodo homo magni consilii et solertis ingenii papæ Alexandro per tot annos dedisset obedientiam, et quomodo a Guiberto ejus episcopo imperialem suscepisset coronam? Accedat tertius testis Hugo candidus cardinalis Romanus et probet eos esse incitos (52). Quomodo enim in ipso die sepulturæ præfati papæ Gregorium elegisset. Si enim decreta vera sunt, ergo excommunicatus est: quod si excommunicatus et infamis; si vero infamis, quomodo apud

A Brixianorium civibus Romanis nolentibus solus Hugo Guibertum papam potuit eligere? Falsa sunt autem hæc et puerorum ludo similia. Quamvis venerabilem Gregorium in ordinatione sua consensum regis habuisse nulli dubium est. Nam Vercellensis episcopus Gregorio a rege missus ejus interfuit consecrationi. Quod si aliquid adversus eum habuit, decuit in primordio dixisse, antequam legatos ejus honorifice suscepisset, priusquam ab eis absolutionem excommunicationis publice (53) suscepisset, antequam Herimannum Pabenbariensem episcopum ei deponendum Romæ misisset, priusquam alterum in ejus sede ex præcepto ejus posuisset. Quod si dixerit se juvenem suorum deceptum fuisse astutia consiliariorum, quid de Lemaro Bremensi archiepiscopo dicemus,

B viro sapientissimo et omnium artium peritissimo? Nonne postquam ab ejusdem papæ legatis officio suspensus est, tandiu sacerdotio se abstinuit quandiu a Saxonia Romam veniret, ducens secum illius regni philosophos Giticlinum Coloniensem et Guczolonem præpositum, qui postea Maguntinam vastavit Ecclesiam, et Mainardum Pabebargensem, et cum his papæ pedibus advolutus tam lacrymabiliter veniam petiit, donec impetravit, et officium sacerdotale recepit. Dicerem quidem, si papa non erat, cur apud Canusium ab eo excommunicationis absolutionem suscepit, nisi essent, qui dicerent extortam confessionem non esse confessionem. Quod qui dicunt, male decreta beati Alexandri quinti post beatum Petrum Romani pontificis intelligunt,

C non enim aliam dicunt esse extortam confessionem, nisi quando vel suppliciis vel minis veritatem cogitur negare, vel in idololatriam peccare, veritatem proferri vel invitum (*ita cod.*). Hoc reorum est, et hæc non est extorta confessio sed invita. Quando quis cogitur hæc profiteri veritate prodente, quod parva mente negare deliberaverat.

Sunt et alii, qui dicunt venerabilem Gregorium papam legaliter fuisse, sed contra se ipsum sententiam damnationis dictasse, nam in secunda feria post Pascha apud sanctum Petrum, cum regem excommunicasset, adjecit: Omnibus vobis notum sit, quod si usque ad festivitatem S. Petri, Henricus non resipuerit, mortuus erit aut depositus; quod si hoc non fuerit, mihi credi amplius non oportet. Quod

D verbum male intelligentes avide rapuere, et quidam secundum suam voluntatem ad malam partem declinavere. Sed hoc non fuit in semetipsum dictasse sententiam: aliud enim est dicere; mihi credi non oportet, et aliud, judicio deponendum: nec sententia dici potest, quæ ante ventilatam quæstionem profertur. Sed nec ullam possidebit firmitatem sententia, quæ sine consideratione pronuntiatur, et quamvis popularis rusticitas aliter intellexisset, quam debuit, tamen omnis, qui sanum sapit, eum vera dixisse non dubitat. Nam cum in lege scriptum sit: Si quis in nomine Domini prophetaverit, et non evenerit

(52) Ita cod. in qua voce fateor me hærere.

(53) Vox *publice* in margine inserto signo ab eadem manu videtur ascripta, sed atramento tamen diverso.

quod prædixerit, lapidibus obruatur, quia nomen Domini irritum fecit (*Deut.* XVIII, 22). Quid est, quod Jonas de subversione Ninive prophetizans, cum Ninive non sit subversa, nec mortuus legitur nec reprobatus, non quod specialis ibi est intellecta subversio. Sed quia dictum est : « Verte impios, et non erunt (*Prov.* XII, 7), » sic protoplasto Dominica voce dictum est : « In quacunque die manducaveris, morte morieris (*Gen.* II, 17), » cum post vetitum gustum nongentos et eo amplius annos vixisse comprobatur, nisi quod ei mortem interminatus est pœnalem non naturalem, qua anima nexu corporis liberatur. Tres enim mortes Scriptura referente didicimus, unam spiritualem, qua anima vitiis moritur et Domino vivit, de qua scriptum est : « Beati mortui, qui in Domino moriuntur (*Apoc.* XIV, 13). » Alteram naturalem, qua anima nexu corporis liberatur. Tertiam vero pœnalem, de qua scriptum est: « Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII, 4). » Qua morte mortuum eum, qui apud Brixianorium pronus adoravit bestiam, nulli dubium est. Sed dicunt eo die eum a regno depositum non fuisse, non intelligentes *aut* disjunctivam esse conjunctionem, non affirmativam, quamvis etsi non ante humanos oculos, tamen forsan ante divinos oculos depositus est. Quis enim Saulem neget post Samuelis verba dicentis ad eum : « Scindet Deus regnum tuum hodie a te, et dabit meliori te (*I Reg.* XV, 28), » et post datam unctionem diabolico spiritu plenum usque ad durissimum Gelboe prælium ad perniciem suam ante humanos oculos regnasse. O quanto melius esset, si eo die, quo a Domino reprobatus regia esset potestate privatus, quam post cupidine regni inflatum per Doech Idumeum sacerdotem Domini interficeret, et octoginta viros Ephot accinctos lineo jussisset necare ; et si eodem die, ut superius dixi, esset repudiatus non diabolum in Samuele adorasset, nec ejus verba audisset dicentis : Tu et filii tui cras mecum eritis (*I Reg.* XXVIII, 19). Quid plura. Satis liquido patet eum mortuum fuisse et depositum eo die, quo Guibertum pronus adoravit.

Item sunt quidam, qui dicunt venerabilem Gregorium vere Romanum fuisse pontificem, sed regem absque ratione excommunicasse secundum decreta Felicis papæ et martyris, in quibus sic legitur : Nemo suis rebus exspoliatus aut a sede pulsus potest excommunicari vel judicari priusquam omnia ei redintegrentur, etc. Sed quamvis hoc capitulum specialiter ad episcopos pertinere videatur, tamen evidentissime demonstrabitur nihil eis prodesse, quo minus ostendatur regem juste fuisse excommunicatum. Si enim de regno aliqua fuisset controversia utrumnam juste vel injuste regni teneret gubernacula, cedo ; deberet prius suo restitui loco quam excommunicari et judicari. Sed inter papam et regem non aliunde orta est controversia, nisi quia secundum Phocium et Dioscorum ponens in cœlum os suum sine judicio temptavit pellere a sede dominum papam *senioris Romæ* (*ita cod.*). Secunda vero excommunicatio propterea facta est, ut cum semel et bis et ter admonitus fuisset a domino papa, ut non pugnaret, et locum daret in suo regno celebrandi concilium et renuisset, imitatus magistrum Gentium promptum se dicentem ad omnem ulciscendam inobedientiam, rebellionem superbi filii excommunicando compescere curavit non volens eum mortificare, sed ad pœnitentiam vocare.

Sed cum superius a me quæsivisses, amice dulcissime, si licet Christiano armis pro veritate certare, historiam petebas, quam nunc contexui, licet multis notissimam, tamen posteris profuturam ut cognoscas, quia si licuit unquam Christiano pro aliqua re militare, licet contra Guibertistas omnibus modis bellare. Si enim beatus Gregorius pugnandum contra Symoniacam et Neophytorum hæresin pro officii sui consideratione omnibus præcepit, quanto magis contra hanc, quæ mater est omnium hæresium pugnandum esse, nullibi dubium est, nec milites a regno Dei alienos esse judicabimus, quos Baptista Domini non solum abhorruit (54), sed potius ut militarent contenti suis stipendiis præcepit (*Luc.* III, 14). Dominus vero noster Jesus Christus nonne centurionis fidem anteposuit filiis Israel ? Sed et ejus servulum curare non dedignatus est. Post gloriosam vero ejus ad cœlos ascensionem, primitiæ gentium, qui crediderunt ex militibus fuere, et in tantum eorum eleemosynæ et orationes acceptæ fuere, ut Simone Petro in domum Cornelii intrante antequam ei et qui cum eo erant, manus imponeret, et baptismi aqua mundaret sancti Spiritus suscepere charismata (*Act.* X, 44). Et cum sint quædam officia, ad quæ redire post baptisma (55) sub gentilibus ducibus militavere. Quare, si licuit pro terreno rege, non licebit pro cœlesti ? Si licuit pro republica, non licebit pro justitia ? Si licuit contra barbaros, non licebit contra hæreticos ? Nonne S. Hilarius, ut in historia legitur, Francorum Clodoveum regem contra hæreticos Arianos armavit ? Sed et beatus Augustinus insignis doctor Bonifacium hortatur, ut Circumcelliones et Donatistas suspenderet atque persequeretur, eique sic scribit inter cætera :

Bonifacio spectabili viro, A. Salutem ! Gravi de pugna conquereris, dubites nolo, utile tibi tuisque dabo consilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris. Quia quando pugnatur, Deus apertis oculis prospicit, et partem, quam aspicit, justam, illi donat palmam et victoriam. Noli existimare in armis bellicis non posse Deo placere. In his fuit sanctus David, cui Dominus tantum perhibuit testimonium : « De fructu ventris t. p. s. s. t. (*Psal.* CXXXI, 11), » In his fuit et centurio, de quo dicit Dominus : « Amen dico vobis, non inveni tantam

(54) Potius legendum *non abhorruit*, requirente sensu.

(55) Inserendum haud dubie *non licuit*, etsi codex non habeat.

fidem in Israel (*Matth.* VIII, 10). » In his fuit et A Cornelius cujus eleemosynæ fuere acceptæ apud Deum (*Act.* x, 14). Quid dicam? Hostem pugnantem necessitas perimat non voluntas. Idem de sermone Domini habito in monte cum de beatitudinibus loqueretur et venisset ad « beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* v, 10), » æqualiter dixit beatos esse, qui persecutionem inferunt propter justitiam, ac si qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Hieronimus vero in Tractatu Pentateuci sic meminit, dicens : Si Hebræo præceptum est patri et matri et uxori, quæ dormit in sinu suo non parcere, si se voluerit a veritate avertere, quanto magis tibi, o Christiane, hæretico scindenti Domini Jesu vestem non esse parcendum cognoscas. Idem ad rusticum Narbonensem : non est impietas B pro Deo crudelitas. Præfatus sanctus Hieronimus in Tractatu Jeremiæ ad Eusebium Cremonensem sic scribit inter cætera : Homicidas et adulteros et reos mortis scelestos perdere non est homicidium, sed legum observatio. Venerabilis vero Ambrosius gemma sacerdotum in quadam sua epistola se armis populorum defensatum a Justinæ imperatricis rabie gloriatur. Sanctissimus vero Gregorius sidus aureum a Mauritio imperatore arguitur, eo quod milites Romanæ urbis muros tuentes larga ciborum et armorum honorificentia plusquam ab imperatore soliti erant accipere, impendebat. Quid vero veloci magistro militum scribat, audiamus : nec utile (56) visum est, ut aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua admonere et hortari, ut parati sint, C ad laborem studeat, et occasione inventa cum gloriosissimis filiis nostris Marcio et Vitalio loquere, et quæcunque vobis adjutore Deo pro utilitate reipublicæ statuerint, et si adhuc ad Ravennates partes Aiulphum cognoveritis excurrere, vos a dorso ejus sicut fortes viros condecet, laborate. Item Marcio et Vitalio inter cætera : Gloriosi filii estote solliciti, quia quantum comperi, hostis collectam habet multitudinem, et in armis dicitur residere. Si hic cursum Deo sibi irato mittere voluerit, vos loca illius, quantum Deus adjuverit, deprædate. Idem in moralibus : Crudelem interficere non est crudelitas. Audistis D sanctorum Patrum documenta, advertite et pro veritate pugnantium exempla: Hermogenem præfectum Paulum Constantinopolitano episcopo zelo Arianæ hæreseos persecutionem inferentem legimus cum omni domo sua ab orthodoxis igne crematum, nec hoc vituperatum, sed ab omnibus scimus esse laudatum. Quid vero de Alexandrinis dicam. Nonne propter varias pugnas et diversa certamina, quæ contra Arianos exercuere, in toto mundo laudantur? Annon Mediolanenses a catholicis condigna gloria extolluntur, qui orthodoxos episcopos in ecclesiam fugientes de manu Constantii liberavere? Nonne Cyrillus episcopus Alexandrinus, cujus laus in Ephesino concilio est, Amonium monachum, qui Orestem præfectum saxo percussit zelo Dei ductus, quamvis non secundum perfectam scientiam, qui ab officio ejusdem Orestis ob hoc fuerat lapidatus, inter martyres collocavit?

Veniamus nunc ad nostra tempora, et videamus, quid pugnantibus contra Northmannos sub papa Leone Omnipotens contulit : gloria enim et honore coronavit eos (*Hebr.* II, 7), et signis et prodigiis sibi complacuisse comprobavit. Quid vero de Herlinbaldo viro religioso et Decentio Romano præfecto viro Christianissimo dixerim, ad quorum sepulcra multa miracula Deus operatur? Igitur pugnent gloriosissimi Dei milites pro veritate, certent pro justitia, pugnent vero animo adversus hæresim extollentem se adversus omne, quod dicitur, et quod colitur (*II Thess.* II, 4). Æmulentur in bonum excellentissimam comitissam Mathildam filiam beati Petri, quæ virili animo omnibus mundanis rebus posthabithis mori parata est potius quam legem Dei infringere, et contra hæresim quæ nunc sævit in Ecclesia, prout vires suppetunt omnibus modis impugnare in manu, cujus credimus, quia tradetur Sisara et sicut Jabin in torrente Cison dispergetur (*Psal.* LXXXII, 10, 11), quia exterminavit vineam Domini, et depascitur eam ut singularis (*Psal.* LXXIX, 14), factus ut stercus terræ. Nos autem secundum officii nostri tenorem oremus, ut incensa igni et suffosa (*ita cod.*) ab increpatione vultus tui citissime pereat (*ibid.*, 17).

Explicit.

(56) Imo *nec inutile* legendum potius. Sed ita codex, plus satis mendosus.

IN OPUSCULUM SUBSEQUENS ADMONITIO.

(MURATORI, *Antiq. Ital.*, III, 599.)

Hujus opusculi auctor est Bonizo primo Sutrinus, tum, teste Bertholdo Constantiense historico, Placentinus episcopus, qui anno Christi 1089, *quod virili animo schismaticis hostibusque Ecclesiæ Romanæ obsisteret, ab ipsis obtruncatus glorioso certamine mortem subiit. Eum inter scriptores ecclesiasticos jam diu retulit Anonymus Mellicensis a clariss. P. Pezio editus. Tum de eo egerunt Ughellius tomo primo Ital. Sacr. in Sutrinis episcopis, et tom. II, in Placentinis, et postea Petrus Lambecius in Commentar. de Biblioth. Cæsar. et Guillielmus Cave in histor. litterar. ac nuperrime omnium fusissime Casimirus Oudinus in Commentar. De scriptorib. ecclesiasticis. Latent ejus opera inter scrinia Cæsareæ Vindobonensis bibliothecæ : hoc est* Syntagma decretorum e sacra Scriptura, conciliis et Patribus collectorum ; *atque* Epitome Historiæ pontificum Romanorum : *cujus postremi libri cum ego summopere avidus forem intellexi tandem nihil aliud illic exhiberi nisi merum brevem catalogum Romanorum pontificum, quales multos habemus, propterea que ab eo ultra mihi procurando abstinui. Alia quoque ab eo conscripta opuscula periisse creduntur, de quibus consulendus nuper memoratus Oudinus. Ad præsens quod attinet Mabillonius in Itinerar. Italic., pag.* 13, *hæc jam scripserat, de Ambrosiana Mediolanensi bibliotheca agens :* In alio codice exstat Bonizonis Sutrini

episcopi liber de sacramentis ad Gualterium Leonensis monasterii abbatem, quo in libro auctor meminit alterius opusculi sui contra Ugonem schismaticum. *Sed et ante Mabillonium Petrus Maria Campius in Historia Eccles. Placentinæ ad annum* 1044 *et* 1087, *plura attulit de Bonizone prælaudato, atque inter cætera monuit se Romæ vidisse illius librum* De ecclesiasticis sacramentis. *Igitur opusculum istud, quod e ms. codice Ambrosianæ bibliothecæ olim ego hausi, ad* Gualterium Leonensis monasterii *non abbatem,sed* priorem, *scriptum, hic additum volo.*

INCIPIT LIBELLUS DE SACRAMENTIS
A BONIZONE EDITUS
AD GUALTERIUM LEONENSIS COENOBII MONACHUM ET PRIOREM MISSUS.

Sancta et universalis mater Ecclesia, uni viro conjuncta Christo,quia non ambulat in umbra, sed Dei gratia certa jam fruitur re, multa non recipit sacramenta.Habet tamen pauca,duo ab ipso Domino tradita, quædam vero ab apostolis instituta. Præceptum enim baptizandi, et qualiter baptizandis,quo in novum renascitur hominem, et sine quo, teste Veritate, nemo intrabit in regnum cœlorum, dari debeat baptismus, post resurrectionem apostolis a Domino traditum in Evangelio secundum Matthæum legimus in hunc modum : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (*Matth.* XXVIII, 19) : ut doctrina antecedat baptisma, scilicet ut ante doceatur credere qui baptizandus est, quam baptizetur ; quia sicut fides sine operibus mortua est (*Jac.* II, 17), ita et opera, si non sunt ex fide, nihil prosunt. Quod in parvulis quidem non observatur, quia per fidem parentum, et eorum a quibus suscipiuntur in sacro baptismate, salvari creduntur. Ita tamen ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, non solum doceantur, quid in corde debeant credere, sed etiam quid in opere observare. Et licet ante Dominicam Passionem Christi legamus baptizasse discipulos, tamen quia nondum erat immolatus Agnus, qui venerat tollere peccata mundi, hujusmodi suscipientibus paradisi non reserabat introitum, et non poterant in novum resurgere hominem,qui consepulti non erant Christo per baptismum in mortem (*Rom.* VI, 4). Cæterum licet talibus regni cœlestis per hujusmodi baptisma non aperiebatur janua, non tamen omnino erat supervacaneus. Tantum enim proderat ille baptismus, quantum exorcismus et catechizatio prosunt baptizandis. Nec quemquam moveat quod baptismus talis dicitur Christi in Evangelio. Nam et fides, qua imbuuntur catechumeni, et dicitur Christi, et est. Sine perceptione tamen baptismi non salvat catechumenos. Enimvero licet post resurrectionem, et præceptum baptizandi et modum apostolos legamus a Domino suscepisse, non tamen legimus eos baptizasse, nisi post adventum sancti Spiritus Paracleti. In die enim sancto Pentecostes cum apostoli linguis loquerentur omnium gentium, Judæis eos musto plenos esse concrepantibus (*Act.* II, 4),Petrus Johelis prophetia falsa profari perfidos demonstravit, et Davidico testimonio evangelizans illis Jesum mortis solutis doloribus surrexisse, compunctos corde ipso usque die ad tria millia in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizavit. Quapropter a Romanis pontificibus definitum est ut,sicut infirmis, et morte periclitantibus, et obsidione positis, et in naufragio et in cæteris periculis, ne sine gratia baptismi pereant, omni tempore subveniendum : sic sanis et incolumibus in sancto tantum Sabbato Paschæ, et Sabbato Pentecostes subveniendum est. Præterea si quando vel hæreticorum vesania, vel stultorum sacerdotum ignorantia, una ex tribus in baptismo fuerit innominata persona, non erit ratum baptisma, nec dici poterit iteratum, quod constat non recte factum. Quod etiam in Actibus apostolorum fecisse legimus Paulum de his qui baptismate baptizati erant Joannis.Nam quia Spiritum sanctum nondum, si esset, cognoverant, iterum baptizantur, imo vero verum suscipiunt baptisma. Oportet enim, ut qui filii debent esse adoptionis, eo renascantur Spiritu, quo Dominicus homo in virginali utero conceptus est. Gratia enim Dei renascimur. Et quia una est Patris et Filii et Spiritus sancti deitas, una voluntas, una procul dubio est operatio. Hæc de sacramento baptismi nunc breviter me dixisse sufficiat. Nunc vero ad eucharistiæ transeamus sacramentum.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Ultimo phase cum apostolis a Domino celebrato, de quo secundum Lucam habes Dominum dixisse : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et, accepto calice, gratias egit et dixit : Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat* (*Luc.* XXII, 15). Abolito igitur veteris legis sacramento, spretisque carnalibus Judaicæ plebis cærimoniis, quæ vetus nomine in hoc loco designatur, protinus Novi Testamenti sacramentum, et ritum celebrandi, accipiens panem, commendavit apostolis, dicens : *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.Similiter et calicem,postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo,qui pro vobis fundetur* (*Matth.* XXVI, 26). Verum post Dominicam resurrectionem Christo cum apostolis sæpius manducante et bibente et colloquente, non oportebat apostolis, gaudio resurre-

ctionis repletos sacramentum in commemoratione A Dominicæ Passionis celebrare. Quid enim piscis assus post resurrectionem a Christo manducatus, et discipulis traditus, nisi Christum passum designabat? Cum eodem panem et piscem superpositum prunis edebant, et ipsum eumdem in sacramento panis et piscis et favi mellis manducabant? Post adventum vero in discipulos sancti Spiritus Paracleti cum invidia multitudinis credentium esset cor unum et anima una (*Act.* IV, 32). In Actibus apostolorum legimus, apostolos fregisse panes in domibus et circa domos in commemorationem Dominicæ Passionis, et populos credentium communicasse. Nec multopere curabant utrum panis esset azymus vel fermentatus. Postea vero, Christiana pullulante religione, discipulis in orbe terrarum dispersis, et B maxime cum Vas electionis, prædicata Damasco et Arabia, incipiens ab Hierosolymis usque ad Illyricum, et usque in Hispanias et in insulas interjacentes seminasset Evangelium, cœperunt Ecclesiæ in una Sabbati ad audiendum verbum Dei in loco, quo poterant, convenire : et post prædicationes, imo vero collationes, pane et simpliciter tantum vino in mensa, sive lignea, sive ex lapidibus constructa, super imposito, obsecrationibus et orationibus nec non et postulationibus, quam usque hodie in sancto Parasceve Ecclesia decantat, a sacerdote super eucharistia rite celebratis, Dominica oratione lenta voce, ut a circumstantibus vix possit audiri, decantata, populus in commemoratione Dominicæ Passionis secundum Dominicam traditionem communica- C bat, et hoc in plerisque Ecclesiis a jejunis. In aliquibus vero in exemplum Dominicæ cœnæ fiebat a cœnatis. Quod etiam usque ad beati Augustini tempora durasse, ipso docente in epistola, quam scribit ad Januarium episcopum de cœna Domini, ita esse cognovimus. Beatus vero Paulus apostolus, magister gentium, dum Timotheum ad regimen instrueret episcopale, inter cætera sic ait : *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro regibus, et his qui in sublimitate sunt positi, ut quietam vitam agamus* (*I Tim.* II, 1), etc. Et hunc ritum sacramentorum ab apostolis celebratum, et Ecclesiis traditum, beatus Cœlestinus Romanus episcopus in decretali sua epistola Africa- D nis episcopis missa, cum de gratia Dei disputaret, inter cætera sic ait : *Obsecrationem quoque sacerdotalium sacramentorum recipiamus, quæ ab apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebratur, ut legem credendi statuat lex supplicandi. Cum enim sanctarum plebium sacerdotes mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, utque catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula reseretur.* Hæc ab apostolis ita celebrata, et Ecclesiis tradita, et beati Pauli apostoli traditione instruimur, et beati Cœlestini Romani pontificis ita edocemur epistola. Superest nunc qualiter hæc nostræ quæ in occidentali missæ celebrantur climate, institutio celebrari debeat, et a quibus auctoribus sumpserit exordium, me scribere. Tu vero pro nobis orare non differas, ut Dominus gratia sua, carbone de alteri forcipe sublato, mea dignetur purgare labia. Quis enim ego sum, qui tanta possim enucleare mysteria? Sed et in spinis locutus est Dominus Et utinam, o bone Jesu, meos non horrescas vepres, qui tollis peccata mundi!

Post beati Petri apostolorum principis inclytum martyrium quod uno eodemque die cum beato Paulo doctore gentium sub Nerone Cæsare suscipiens, gloriosam Romanam fecit Ecclesiam, Clemens natione Romanus Romanum suscepit pontificatum. Qualiter vero primus sit per electionem Petri, et tertius in gradu, si quis gnarus esse voluerit, legat *Librum* quem scripsi *in Ugonem schismaticum*, et ibi inveniet ad plenum dilucidatum. Hic vero Spiritu Dei plenus, intuens ne solemnes, quas superius diximus, orationes sæpius auribus populorum recitatæ vilescerent, et, quod plus est, ne forte ab ethnicis memoriæ commendatæ in compitis et in plateis, in theatris et in delubris idolorum recitarentur, ob reverentiam apostolorum uno die, in sancto scilicet Parasceve, secundum præteritum morem præcepit celebrari. Ipse vero canonem instituit, qui per annum totum super eucharistiam recitaretur secrete, ut qui tanto secretius, tanto avidius tantoque reverentius a populo susciperetur. Hic idem in Dominicis diebus in loco, qui inveniri poterat, opportuno populum instituit credentium convocari, dataque collecta, quam obsecrationem dicit beatus Augustinus, lectoque a populo Evangelio, post prædicationem imponi super mensam panem, et simpliciter tantum vinum præcepit. Obsecrationibus quoque secrete super oblationem decantatis a sacerdote salutari populum in hunc modum : *Dominus vobiscum* ; quo respondente : *Et cum spiritu tuo*, iterum admoneri ut sursum habeat cor, ut quæ sursum sunt, cogitet, non quæ super terram instituit. Quo respondente se habere ad Dominum, ad agendas Deo gratias eumdem protinus invitet populum. Quo respondente : *Dignum et justum* esse, Deo gratias agere, illico sic incipiat dicens : *Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates ; cœli, cœlorumque virtutes, ac beata seraphim socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes.* Cumque ab omni Ecclesia : *Sanctus*,

sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua; Osanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis, fuerit decantatum, illico canonem, quem beatus Augustinus orationem vocat, super eucharistiam secrete recitari instituit in hunc modum : *Te igitur, clementissime Deus,* etc. (57) *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, ut placatus accipias per Christum Dominum. Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Super quæ propitio ac sereno vultu,* etc. (58) *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis; per ipsum, et cum ipso et in ipso,* etc. His ita perlectis, Dominica secrete finita oratione, invitato populo ad benedictionem, instituit supra populum dari benedictiones, quas beatus Augustinus nominet Postulationes; et particula panis intus posita in calice communicabant, qui volebant. Et sic finita erat missa.

Hoc modo Anacletus, qui Clementi successit in pontificatum, et Evaristus Anacleti successor, missas celebravere. Beatus vero Alexander Evaristi successor memoriam passionis Christi addidit in canone ab eo loco, ubi sic incipit: *Quipridie quam pateretur,* usque ad : *Supra quæ propitio ac sereno vultu.* Instituit præterea ut panis tantum azymus offerretur : nam ante indifferenter et fermentatus et azymus offerebatur. Præcepit etiam ut in sacrificio aqua vino misceretur. Et hoc tantum in missarum solemniis supradicto, per omnia beati Clementis instituta secutus, quem Sixtus ejus successor per omnia imitatus est. Telesphorus vero Sixti successor hymnum angelicum in missarum solemniis addidit decantandum. Quod etiam Telesphorus, Higinus et Pius, Agnitius et Soter, Leuterius et Victor, Zephirinus et Calixtus, Urbanus et Pontianus, Anterus et Fabianus, Cornelius et Lucius, Stephanus et Dionysius nihil addentes in canone, azyma offerentes, et aquam in sacrificio vino miscentes secundum institutum Alexandri papæ, missas celebravere. Felix vero, Dionysii successor, instituit ut nomina martyrum, uti apostolorum, recitarentur in canone. Addidit etiam in canone ab eo loco, ubi sic incipit : *Nobis quoque peccatoribus,* usque : *Per quem hæc, Domine, semper bona creas.* Præcepit etiam ut supra sepulcra martyrum et super Reliquias missæ cantarentur. Quod beatus Augustinus in tractatu super Joannem laudet bene factum, ut memoria passionis martyrum passioni Christi misceatur. Post hunc Marcus et Eutychianus, Gaius, et Marcellinus, et Eusebius, Melciades et Silvester, Marcus et Julius, Liberius et Felix, Damasus, et Siricius, et Anastasius, nihil addentes in missarum officio, missas secundum ritum anteriorum suorum celebravere. Innocentius vero, Anastasii successor, finita Dominica oratione, antequam particula panis poneretur in calice, pacem populo alta voce annuntiari, et inter missarum solemnia dari instituit, populo jam ante Dominicam orationem ab episcopo vel a sacerdote benedicto. Quo ritu Zosimus et Cœlestinus, Sixtus et Primus Leo missas celebraverunt. Primus vero Leo, finito Evangelio, symbolum ab omni populo instituit decantandum. Hilarius vero, Leonis successor, et Simplicius, Felix et Gelasius, qui Librum collectarum fecit, quem postea beatus Gregorius correxit, Anastasius et Simmachus, Ormisda et Joannes, Felix, Bonifacius, Agabitus et Silverius, Vigilius et Pelagius, Joannes et Benedictus, et Pelagius, beati Gregorii prædecessor, missas secundum traditionem anteriorem suorum nihil addentes celebravere. Beatus vero Gregorius primus in Romana Ecclesia instituit ut antiphona, quæ vocatur *Introitus,* ad mulcendum audientium animos decantaretur, et hoc a Mediolanensi habuit Ecclesia. Deinde *Kyrie eleison* a clero novies decantari, et post *Apostolum, Graduale* et *Alleluia,* excepto a Septuagesima usque ad Pascha : in quo tempore tractus cantari constituit. Lectoque Evangelio dum oblationes offeruntur, *Offertorium,* decantari instituit. Addidit præterea in canone: *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripias, et in electorum tuorum jubeas grege numerari, per Christum Dominum nostrum,* Addidit etiam : *Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere : Pater noster,* etc. Et constituit ut hoc cum Dominica oratione super eucharistiam alta voce a sacerdote decantaretur, ut sequens oratio, quæ sic incipit : *Libera nos Domine, ab omnibus malis :* quæ ante eum alta voce decantabatur, secrete diceretur. Et post fractionem eucharistiæ postquam communicaverint antiphonam, quam vocat *Post-communionem,* decantari instituit. Et post susceptam eucharistiam, gratiarum actionibus Deo oblatis, postulationes, quæ a beato Clemente usque ad sua tempora supra populum dabantur, antequam pax Domini diceretur, finitis *Post-communionibus,* supra populum dari instituit. Nam antea potitus sacerdotali benedictione populus quasi securus abibat, et ad gratiarum actiones Deo reddendas non intererat. Sergius vero Romanus episcopus, qui a beato Hieronymo (59) vigesimus fuit, *Agnus Dei* instituit inter missarum solemnia, sicut hodie fit, decantari.

De sale et ejus virtute.

Veniam nunc ad sacramenta ab apostolis instituta. Et primum de sacramento salis, Deo adjuvante, dicere incipiam. In Veteri Testamento omne sacrificium sale aspergebatur. Sal enim discretio-

(57) Sequitur canon apostolorum. Ubi fit mentio usque ad sanctum Thaddæum inclusive, neque aliorum fit mentio.

(58) Neque adsunt consecrationis verba.

(59) Legendum *Gregorio.*

nem, quæ magistra est virtutum, significat, sine qua et quæ videtur virtus, est vitium. Sale enim fetor morbidæ carnis aboletur, et viscera sale condita in multam servantur ætatem. In Evangelio habes, Dominum dixisse apostolis : *Habete salem in vobis* (*Marc.* IX, 49). Et in alio loco ad eosdem apostolos dixisse : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* V, 13). Sed uniformiter in universa definitum est Ecclesia. Cum quis ad catechizandum accesserit, petit exsufflationem sacerdotis, qua spiritus immundus expellitur; sal per manus accipiat sacerdotis, dicente eodem : *Accipe sal sapientiæ, quod proficiet tibi in vitam æternam :* non quod vita æterna donetur catechumenis, sed quia sal sacramentum est fidei, quæ per dilectionem operatur, et baptizatos perducit ad vitam æternam. In plerisque vero Ecclesiis sal semel datur catechumenis; in quibusdam vero omnibus scrutiniis.

De triplici oleo, et ejus virtutibus.

Transeundum nunc est ad olei sacramentum, quod trifarie dividitur. Est enim oleum chrismale, cujus consignatione septiformis gratia sancti datur Spiritus. Est et oleum exorcizatum, quo unguntur catechumeni ad effugandum inimicum. Est et oleum infirmorum ad sanitatem corporis et animæ præparatum. Habet etiam oleum hoc proprium, ut mixtum aliis liquoribus supernatet omnia liquamina, et non misceatur. Et significat veritatem, quæ sursum tendit, et de sursum est, et non miscetur mendacio. Præterea et ad illuminandum liquor est idoneus. Non enim tantum accensus illuminat, verum etiam tenebrosæ noctis tempore projectus in mari aquas illuminat. Habet oleum etiam hoc proprium : illuminat, nutrit, vulnera curat, tumores deprimit, febres exstinguit, calores repellit. Legimus etiam ad Noe rediisse columbam ad vesperam, ramum olivæ portasse in ore, ex quo cognovit pacem redditam esse in terris humani generis propagator. Intellexit enim vir Spiritu sancto plenus a vesperascente mundo per avem, quæ caret felle, per quam Spiritus sanctus designatur, per olivæ sacramentum genus humanum sanguine Christi Deo Patri reconciliandum; et licet non visibili sed invisibili præ consortibus suis oleo unctus sit Christus, Christus tamen *Unctus* interpretatur. A Christo Christiani vocamur, *populus acquisitionis, gens sancta* (*I Petr.* II, 9), et ut in Epistola sua dicit Cephas, *regale sacerdotium* (*Ibid.*). Antiquitus enim reges tantum et sacerdotes et prophetæ chrismali ungebantur oleo. In Novo vero Testamento omnes per baptismum renati oleo sanctificantur invisibili, et unguntur visibili : licet in primitiva Ecclesia, quæ in Judeæ post Dominicam Ascensionem pullulavit, datum fuisse non legimus. Cæterum in primitiva Ecclesia, quæ in Judæa cœpit, credentes non Christianos nominari, sed Nazarenos, in Actibus apostolorum satis aperte Vas electionis ad Felicem præsidem declarat, dicens : *De secta autem Nazarenorum, supra qua accusor, sic Deo meo deservio, ut paternis non obviam traditionibus.* In Antiochia vero ad evitandam ironiam Judæorum, nomen Christianorum primitus exortum est. Et hoc sacramento ab apostolis, antequam dividerentur, instituto baptizatis, et in Christo renatis per apostolos et eorum successores episcopos, ut tutorem haberent Paracletum per manus impositionem, et per chrismalis olei insignitionem cœpit Spiritus sancti orando donari charisma. Quia vero oleum infirmorum ab apostolis institutum testatur Jacobus apostolus dicens : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo sanctificato. Et oratio fidei salvabit infirmum; et si in peccatis fuerit remittentur ei* (*Jac.* V, 14). Hoc omni tempore inter missarum solemnia a presbyteris in eo loco, ubi sic legitur : *Per quem hæc omnia bona creas,* solebat consecrari. Nunc vero a solis episcopis in eodem loco missæ in Cœna Domini consecratur. Oleum vero chrismale odoriferi balsami recipit commixstionem. Oleum enim misericordiæ et veritatis et luminis sic odorem suum longe lateque habet dispergere, ut ex bonis operibus a videntibus honorificetur Pater noster, qui in cœlis est, et qui non consentiunt veritati, non habeant unde detrahant religioni. Beatus vero Anacletus Clementis successor in epistola sua Decretali dicit : Episcopum minus quam a tribus non posse consecrari. Et hoc exemplo Jacobi Hierosolymitani comprobat episcopi, qui a Petro et Joanne et Jacobo ordinatus est, et hoc in Dominicis diebus. Dicit etiam caput episcopi debere chrismate perungi, ut principale nostrum, qui est mens, Spiritu sancto delibuta secundum Dei imaginem vivat et sapiat et conformetur, et ut manus ejusdem, per quas opera designantur, chrismate perungantur, ut possit audire a consecrante : *Quæcunque benedixeris, sint benedicta, et quæcunque consecraveris, sint consecrata.* Hæc sunt manus, quæ chrisma conficiunt, cujus unctione ad invocationem episcopi septiformis gratia super baptizatos sancti Spiritus effunditur. Et quæ eodem chrismate manus perungant sacerdotis, eisque potestatem tribuant baptizare et prædicare, et missas tam pro vivis quam pro defunctis decantare. Consecrationes vero ecclesiarum et altarium a beato Silvestro in ecclesiasticis historiis sumpsisse legimus exordium. Nam antea licet oratoria essent, in quibus Dei populus conveniebat, non tamen altaria vel ecclesias, paganorum sæviente procella audebant publice habere consecratas, sed in cryptis et cœmeteriis et in domibus occulte missas celebrabant. Postquam vero Constantinus Christianæ se subjecit religioni, in palatio suo Lateranensi ecclesiam in honore Salvatoris ædificavit, et ut imago Salvatoris publice depingeretur in parietibus, et imago Jovis ex alto dejiceretur, et ut templa clauderentur, et ecclesiæ publice ædificarentur, instituit. Et ex illo tempore cœperunt mensæ altarium lapideæ chrismate perungi in similitudinem lapidis illius, quem erexit Jacob in titulum, qui Christum designabat, *qui est lapis angularis* (*Ephes.*

II, 20), *qui fecit utraque unum (Ibid. 14)*. Sunt prætereа et alia sacramenta, quibus nunc utitur Ecclesia Dominico exemplo, quamvis non tradito præcepto, ut est exsufflatio in exorcismis, effectatio in catechumenis, et manus impositio, qua baptizatis consignando sanctus datur Spiritus, et qua reconciliantur peccatores matri Ecclesiæ, et qua episcopis et sacerdotibus et levitis virtus traditur ministerii.

Explicit libellus de sacramentis a Bonizone Sutrino episcopo editus, ad Gualterium Leonensis cœnobii monachum et priorem missus.

IN FRAGMENTUM SUBSEQUENS ADMONITIO.

(MAI, *Spicil. Rom.* VI, 273.)

Exstat in miscello Vaticano codice epitome quædam historica Romanorum pontificum, quam Bonizo Sutrinus episcopus Collectionis suæ canonicæ adhuc ineditæ libro quarto præposuit. Ea sane brevissima est, et quidem usque ad Siricium lacinias etiam ex Pseudo-Isidorianis sumptas passim interserit. Satis igitur mihi sit epitomes hujus partem tantummodo post Siricium hic proferre. Quin adeo cum ventum erit ad Adrianum primum, Bonizonis textum haud jam e prædicto codice hauriam, sed ab ineditis Albini scholaris Collectaneis, qui in postrema operis parte exscribit ex Bonizonis libro incognito DE VITA CHRISTIANA *reliquorum pontificum notitiam usque ad Urbanum II, in quo reapse Bonizo desinebat. Porro et prædicto Albino alia alibi editurus sum.*

HISTORIÆ PONTIFICIÆ FRAGMENTUM

EX BONIZONE SUTRINO.

Dicerem quidem de Anastasio, et de Innocentio qui Sabbato præcepit jejunandum, et pacem intra missarum solemnia dari. Et de Zosimo natione Græco, qui cereum in Sabbato sancto præcepit in omnibus titulis benedici. Et de Bonifacio, qui monachabus et diaconissis interdixit ne sancta vasa vel pallas altaris tangerent. Et de Cœlestino qui constituit ut psalmi David CI numero antiphonatim cantarentur ante canonem, nam antea evangelium tantum et epistolæ legebantur. Et de Xysto qui ecclesiam quæ dicitur ad Præsepe, et hodie vocatur Major Ecclesia, in monte Livio (60) ædificavit. Et de magno Leone, et de Hilaro natione Sardo, et de Simplicio Tiburtino, et de Felice episcopo. Et de Gelasio scholastico doctore mirifico, qui Gelasianum codicem composuit, et hymnos et tractatus fecit, ut beatus Ambrosius, et declaravit quot libri recipi debeant in Ecclesia, quive contemni, et quo tempore ordinationes sacerdotum cæterorumque ordinum fieri debeant. Et de Anastasio ejus successore, et de Symmacho Sardo qui constituit omnibus Dominicis diebus et natalitiis apostolorum hymnum angelicum decantari. Et de Pormisda magnæ vitæ et meriti, et de Joanne, ejus successore, et de Felice, et de Bonifacio qui constitutum fecit ut non fieret electio Romani pontificis, nisi post tertium depositionis ejus diem. Et de Joanne, ejus successore, et de Agapito, et de Silverio qui primus post beati Silvestri tempora, sine imperiali assensu, Gothorum manu est ordinatus episcopus. Et de Vigilio, et de Pelagio episcopo qui præcepit ut schismatici episcopi per sæculares potestates comprimerentur. Et de Johanne ejus successore, et de Benedicto, et de Pelagio prædecessore Gregorii qui novem præfationes tradidit Ecclesiæ ante canonem decantandas; si mei esset propositi, seriatim Romanos pontifices insinuare.

De beato Gregorio silendum non arbitror, a quo liber Sacramentorum editus est, et Antiphonarius tam diurnus quam nocturnus, et tractatus in Ezechielem, et Homiliæ XL in Evangelia, et in Job moraliter et allegorice et ad historiam compendio digestans, et Dialogorum liber, et pastoralis Cura, Johanni Ravennati directa, et Registrum ad regendam Ecclesiam satis utile. Hic constituit ut Antiphona cantaretur quæ vocatur *Introitus* ad mulcendum audientium animos, deinde *Kyrie eleison* a clero novies decantari, et post amplum *Graduale* et *Alleluia*, excepto in septuaginta diebus in quibus tractus instituit decantandos; post evangelium vero, dum oblationes offeruntur, Offertorium decantari, et post factionem eucharistiæ postquam communicaverint communionem. Hic idem addidit in Canone *Diesque nostros in tua pace disponas.* Et ut oratio Dominica a sacerdote super Eucharistiam alta voce decantaretur. Hic idem instituit ut a septuagesima usque in Pascha non cantetur *Alleluia*, et ut in matutinali synaxi festiva octo tantum cantarentur responsoria, et sequeretur Ambrosianum et in quotidiana duo tantum. Et a presbytero diceretur *Deus, in adjutorium meum*, qui est centesimus octavus decimus psalmus. Quam vero sit honestis-

(60) Scilicet apud Liviæ macellum in Exquilino, ut constat.

simus et nostræ saluti in oratione utillimus, quem A dam monachum sanctus edocuit angelus, qui se dicebat quondam Samsonis illius fortissimi fuisse custodem, et tunc ejusdem monachi ad custodiam deputatum. Qui inter alia multa prædicamenta salutis, hoc etiam de industria admonuit, ut psalmum hunc specialiter commendatum impigre frequentare nos conveniat, quem cantabimus ita. *Deus, in adjutorium meum intende.* Hic idem Gregorius Litaniam instituit Majorem, et Anglicam gentem Christi Ecclesiæ sociavit, et angelorum insertus choris cœlo spiritum reddidit, et sepultus est in basilica Sancti Petri ante secretarium.

Quid referam de Sabiniano, ejus successore, qui luminaria addidit in ecclesia Beati Petri? Et de Bonifacio, qui a Phoca Cæsare meruit privilegium quod B Romanæ Ecclesiæ Constantinopolitana subjiceretur? Et quid de alio Bonifacio, qui obtinuit a Phoca Cæsare dari Ecclesiæ Dei catholicæ templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon dicebatur, et dictus Cæsar dedit episcopo; qui legem posuit in Ecclesia, sub interminatione separationis, ut nulla mulier filium suum de fonte susciperet, similiter et in confirmationibus. Et de tertio post Gregorium Bonifacio, et de Honorio ejus successore. Et de Severino, cujus temporibus fuit Heraclidus Christianissimus imperator, qui exstincto Chosroe crucem Domini Hierosolymam reportavit. Et de Joanne, ejus successore, et de Theodoro pontifice qui pœnitentialem librum composuit (61). Et de ter beatissimo papa Martino martyre, qui dum missarum sollempnia C ad altare Dei genitricis virginis Mariæ, quod dicitur ad Præsepe, celebraret, divina benignitate spatharius Olympii ducis missus ut eum interficeret, percussus cæcitate eum omnino videre non potuit. Nisi quia isti sunt Dominici gregis arietes, romanæ Ecclesiæ Pontifices, qui sanguine proprio et constitutionibus Ecclesiam Dei consecrarunt.

Quod si non timerem ut prolixitas sermonis mei legentium animo fastidium generaret, scriberem quidem ad plenum de Eugenio qui beato Martino successit. Et de Vitaliano qui cantum, quo Romani utuntur, composuit. Et de Adeodato, cujus temporibus stella splendidissima apparuit nec antea visa. Et de Agathone, et de Leo [*Cod.* Folcone], et de Benedicto, et de Joanne, ejus successore, qui librum D De dignitate pallii composuit. Et de Conone, et de Sergio juniore (62) qui basilicam Lateranensem reparavit, et ut *Agnus Dei* intra missarum solemnia decantaretur instituit, et ecclesiam quæ est intra muros urbis Romæ Beati Silverii construi fecit, et altare ejusdem ecclesiæ propriis manibus dedicavit. Et de quinto Joanne et sexto, et de Sisinnio, et de Constantino, et de secundo Gregorio, et de tertio Gregorio, qui ad feretrum antecessoris sui electus est. Et de Zacharia, viro magna meriti et sanctitatis, qui præcepit ut filii compatrum et commatrum non se jungerent. Et quia finem jam spectat paginula, silere non debeo de Adriano Zachariæ successore, etc.

Deinde ex Albini, ut diximus, collectaneis.

Bonizo episcopus in libro suo De vita Christiana.

Scribere dignum duxi de Adriano, Zachariæ successore, cujus rogatu Carolus rex intravit in Italiam in potentatu magno et manu robusta, et Desiderium regem Longobardorum victor et a Pado fugavit, et in Papia obsessum tenuit. Dehinc Romam veniens, a monte qui dicitur Gaudii usque ad Sancti Petri ecclesiam pedes properavit. Quem beatissimus papa in Gradibus Sancti Petri præstolatus est, et venientem usque ad confessionem sancti Petri cum hymnis et laudibus et psalmis clericorum, et laudibus judicum Romanorum, ut mos est, decenter perduxit. At ille potentissimus rex offerens beato Petro multa donaria, promittensque ejus vicario fidem et debitam reverentiam, patriciatus a Romanis sublimatus honore, Papiam reversus, civitatem quidem cœpit, et Desiderium regem cum conjuge secum ultra montes duxit; et ex illo dici meruit rex Francorum et Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Et de tertio Leone, qui Sermocinarius appellatus est. Et de Stephano, ejus successore. Et de Paschali qui Romæ ecclesiam ædificavit in honorem beatæ Mariæ, quæ Dominica nominatur, quam et marmoreis lapidibus vestivit. Et de Eugenio, qui pœnitentialem Librum composuit, et in Franciam transmisit. Et de Valentino qui Ludovicum filium Caroli imperatorem consecravit. Et de ejus successore Gregorio. Et de Sergio, cujus temporibus Saraceni devastarunt Italiam.

Et de alio Leone qui Carolum filium Ludovici coronavit imperatorem, quique etiam ædificavit civitatem quæ Porticus nominatur, quam Leoninam suo nomine appellavit. Hic fecit ciburrium super altare sancti Petri argenteum; et ante altare ipsum tabulam auream, et tegulas confessionis argenteas. Hic idem ædificavit ecclesiam Romæ, quæ hodie dicitur Sancta Maria Nova; et ecclesiam Quatuor Coronatorum. Hic idem invidiose super quibusdam criminibus pulsatus, synodum congregavit, et se juramento innoxium demonstravit. Sed quia invidia vinci potest, tamen quiescere non potest; paucis postea evolutis diebus, malevoli qui invidiose eum accusaverant, seditionem concitantes in populo, injuriantes eum a palatio in forum Romanum traduxerunt; et ibi diabolico instinctu et populari audacia cæcaverunt. Quod audiens Carolus rex Romam veniens multos de populo trucidavit, ipsos vero auctores seditionis ligno suspendit. Ipse vero, licet orbatus, quandiu vixit Romanam gubernavit Ecclesiam. Et de Benedicto, ejus successore. Et de Nicolao qui Sophronium, Placentinum episcopum

papa affirmatur.

(61) Recole dicta p. 133. n. 1. Et quidem etiam in alio chronico pontificali apud Cincium camerarium cod. vat. p. 109. idem diserte de Theodoro

(62) Num *seniore*?

depositum, ab alia synodo reconciliavit, et qui uno eodemque tempore duos imperatores excommunicavit: Orientalem quidem, nomine Michaelem, propter Ignatii patriarchæ injustam depositionem; Occidentalem autem, nomine Lotharium, propter Waldradæ pellicis suæ societatem.

Et de secundo Adriano qui Ludovicum filium Caroli constituit imperatorem. Et de octavo Johanne, qui altercatus est cum Angelberga regina de civitate Ravenna, qui et Carolum filium ejus ordinavit imperatorem. Et de Martino, ejus successore, cujus temporibus duo gloriosi episcopi fuere in Longobardia, unus Placentinus, nomine Paulus, nepos imperatricis, qui Placentinam ecclesiam, per Sophronii ignaviam funditus destructam, a fundamentis reædificavit; alter vero Parmensis, nomine Gundolfus, qui canonicam Parmensem constituit, et ipse nepos fuit imperatoris. Et de Adriano qui ei successit in pontificatu. Et de Stephano, et de Formoso, quorum temporibus Longobardis rebellantibus Franci perdiderunt imperium. Et de quodam Stephano, cujus temporibus Sarraceni occupaverunt Siciliam. Et de Joanne Tusculano, cujus temporibus Romani capitanii patriciatus sibi tyrannidem vindicaverunt. Et de quodam Silvestro, viro omnium artium peritissimo, qui primitus abbas Bobiensis, postea archiepiscopus Ravennas, post vero Romanus papa effectus est. Et de X Joanne Tusculano, fratre majoris Alberici, qui pugnavit cum Sarracenis, et ab Italia pulsos in Siciliam fugavit. Hic ædificavit basilicam in palatio Lateranensi. Et de Silvestro Tusculano genere. Et de quodam Benedicto papa Romano, qui uno eodemque die et laicus fuit et pontifex. Et de Joanne Tusculano genere, qui Othonem regem Saxonum coronavit imperatorem. Et de quodam Silverio Tiburtino, qui mortuo Alberico Tusculano, qui patriciatus sibi nomen vindicaverat, a Crescentio Nomentano, qui patricius dicebatur, papa ordinatus est, quique etiam secundum Othonem ordinavit imperatorem; postea vero cum magno dedecore ab eodem Crescentio a papatu expulsus est; et quidam Joannes Placentinus episcopus, Græcus genere, legatione functus Othonis junioris, a Constantinopoli rediens, dum Romam causa orationis veniret, a præfato Crescentio et a Romanis capitur, tenetur, et licet invitus, papa tamen infelix ordinatur Romanus. Quod audiens rex mente effrenus, Romam veniens A ipsum Crescentium diu obsessum cepit et capite truncavit: ipsum vero pontificem oculis orbatum, cæterisque membris debilitatum, ad dedecus et ignominiam sacerdotalis ordinis per plateas Leoninæ civitatis circumduci jussit. Sed ante quam XXX dies implerentur, anima et corpore ipse rex defunctus est.

Et de Benedicto Tusculano qui Henricum, majoris Othonis nepotem, regem Teutonicorum ordinavit imperatorem. Et de ejus fratre Joanne, qui uno eodemque die et laicus fuit et pontifex. De his mihi silendum esse non credidi. Cæterum si quis de Theophylacto Tusculano, qualiter Joanni sacerdoti vendiderit papatum, et quomodo uno eodemque tempore Theophylactus et Gregorius et Silvester Romanum non regebant, sed vastabant pontificatum; et qualiter Henricus rex, Conradi filius, Romanam Ecclesiam a talibus pestibus liberavit, gnarus esse voluerit, legat librum quem dictavi, qui inscribitur AD AMICUM, et ibi inveniet hæc ordinabiliter esse digesta (63). Inveniet autem ibi et qualiter papa Clemens electus sit, qualiterve Henricus rex imperator ordinatus. Et de Damaso ejus successore quot in papatu duxerit dies. Et de præclaro Leone, quid in papatu egerit, qualiterve vitam finiverit. Et de Victore ejus successore quid egerit, aut quid ejus temporibus novum evenerit. Et de Stephano, Gothifredi ducis germano, et qualiter ejus temporibus Patarea (64) apud Mediolanum exorta est. Et de Nicolao papa, et de lite quam habuit cum Benedicto invasore, et quid egerit in papatu. Et de Alexandro II papa, et de lite quam habuit cum Cadolo Parmensi, et de ejus victoriis, et quid egerit in papatu, et de ejus fine. Et de septimo Gregorio, et de ejus electione et vita et moribus, et qualiter in Nativitate Domini ad altare sanctæ Mariæ a Cinthio viro crudeli captus sit, et eo die Dei gratia liberatus sit. Etiam de guerra quam sustinuit cum Henrico imperatore et de controversia quam habuit cum Guiberto, et de ærumnis quas sustinuit, et de obsidione civitatis et sua, qualiter a Roberto Northmannorum duce sit liberatus, et qualiter beato fine quieverit, apertissime declaratur. Urbani vero pontificis acta, et de ejus victoria, si quis scire voluerit, legat librum quem scripsi AD HUGONEM SCHISMATICUM, et ibi inveniet ad plenum dilucidata quæ voluerit.

(63) Hactenus est apud Albinum scholarem ex Bonizone; reliqua item sunt Bonizonis, sed ex codice Collectionis canonicæ seu Decreti ab eo scripti

(64) De Patarea, id est hæresi Patarenorum, Mediolani eo tempore exorta, legatur Pagius apud Baron. ad an. 1058, n. 3. Rursus idem legatur Pagius ad an. 1014, n. 7-9, ubi Bonizonem ter de pontificibus Rom. scripsisse adnotat, refertque ex Lambecio partem hanc postremam Bonizonis.

BONIZONIS DECRETALE

(Vide Balleriniorum disquisitionem de antiquis collectionibus et collectoribus canonum, pars IV, cap. 15 Patrologiæ tom. LVI, col. 338. — Cf. quæ in Prolegomenis ad Bonizonem, supra, præfatus est Œfelius.)

GUILLELMUS

ABBAS S. ARNULFI METENSIS :

NOTITIA HISTORICA

(*Histoire littéraire de la France*, VIII, 305.)

Guillaume succéda dans la dignité d'abbé à Warin, mort le vingtième d'août 1050. *Il trouva la discipline régulière dans presque toute sa vigueur, et fut fort soigneux de l'y maintenir. La manière sage et pacifique dont il gouvernait sa maison le rendit célèbre dans le monde,* sparsi notus per climata mundi. *L'étude faisait une de ses principales occupations et il y donnait volontiers tout le temps que lui laissaient ses autres exercices indispensables. Il se plaisait particulièrement à la lecture de S. Jérôme, dont il prit soin de faire copier quelques ouvrages; et de S. Augustin, pour qui il avait une vénération singulière.*

Depuis la mort d'Hérimar, abbé de Saint-Remi de Reims, arrivée en 1071, *ce monastère demeura près de trois ans sans abbé, et par là plus exposé qu'auparavant aux vexations de l'archevêque Manassé. Le Pape Grégoire VII, l'ayant appris, en écrivit fortement à ce prélat* (Reg I, ep. 13), *et lui enjoignit d'y faire élire au plus tôt un abbé qui eût l'habileté, la science et la vertu nécessaires pour le bien gouverner dans le spirituel et le temporel. La lettre est de la fin de juin* 1073; *et sitôt que Manassé l'eut reçue, il y fit élire Guillaume, déjà abbé de Saint-Arnoul. Cette élection causa beaucoup de plaisir au pape, comme il le témoigne dans une autre lettre* (ep. 52). *Mais le nouvel abbé ayant trouvé ce monastère dans une grande désolation, et s'y voyant d'ailleurs outragé et vexé en plusieurs manières par l'archevêque, à qui il n'oppposa jamais que la douceur, la patience, la prière, il désespéra d'y faire aucun fruit, et se repentit d'avoir accepté cette autre dignité. Hugues, abbé de Cluni, lui en témoigna sa surprise, n'ignorant pas la conduite scandaleuse de l'archevêque.*

Guillaume crut qu'il n'avoit point d'autre parti à prendre que d'abdiquer; et ayant à écrire au pape sur l'exaltation de celui-ci, il le pria instamment de l'aider à se décharger d'un si pesant fardeau. Ne recevant point de réponse favorable aussi tôt qu'il l'aurait souhaité, il alla lui-même à Rome exposer au pape les raisons qu'il avait de quitter le monastère de Saint-Remi, lui déclarant qu'il aimerait mieux vivre à Metz dans la pauvreté qu'à Reims dans l'abondance. Ce voyage fit honneur à notre abbé. Il était déjà avantageusement connu à Rome, où Manassé, son propre persécuteur, l'avait donné pour un homme qui aimait la paix, qui avait l'humilité en recommandation, toujours occupé de la lecture, et qui s'était acquis par là une réputation honorable. Guillaume parut tel aux yeux des Romains, qui reconnurent effectivement en lui de bonnes mœurs, de la science, de la vertu, et le caractère d'un homme sage et judicieux. Le pape l'exhorta fort à continuer de gouverner le monastère de Saint-Remi, sans cesser de prendre soin de celui de Saint-Arnoul. Mais notre abbé s'en défendit toujours comme d'une opération au-dessus de ses forces.

Grégoire, voyant son extrême répugnance à s'y prêter, écrivit deux lettres à ce sujet, l'une à Manassé, l'autre à Herimanne, évêque de Metz. Par la première (ep. 52) *il enjoignit à l'archevêque, au cas que l'abbé de Saint-Remi persistât à abdiquer, d'y en faire élire canoniquement un autre de concert avec Guillaume. Par l'autre* (ep. 53), *le pape prie Herimanne de recevoir favorablement cet abbé, et de lui donner même à sa considération de nouvelles marques de sa bienveillance, afin qu'il comprît qu'il lui était avantageux d'avoir fait le voyage de Rome,* quod ad nos venit : *ce sont les termes de Grégoire, qui supposent clairement ce voyage, dont aucun des historiens de notre abbé ne fait mention. Il le fit à la fin de l'année* 1073, *ou au commencement de la suivante, comme il paraît par la date des deux lettres, qui sont l'une et l'autre du second des ides de mars, indiction onzième, c'est-à-dire du quatorzième de mars* 1074, *et dont l'abbé Guillaume fut vraisemblablement le porteur.*

Manassé n'eut aucun égard à la lettre du pape. Bien loin d'engager Guillaume à reprendre le gouvernement du monastère de Saint-Remi, il lui redemanda avec rudesse, menaces et violence, le bâton pastoral, qui était la marque de sa dignité, et fit mettre à sa place Henri déjà abbé d'Hombliére. Il ne paraît point que Guillaume eut aucune part à ce choix, quoique le pape eût ordonné qu'il ne se ferait point que de son avis. Il était alors concentré dans son abbaye de Saint-Arnoul, où il vivait en bonne intelligence avec l'évêque Herimanne. Ce prélat fit même, à sa considération et à celle de la vénérable Hodierne, recluse près de la maison, quelques donations à ce monastère.

Mais quelque attachement qu'il eût pour l'évêque

Hérimanne, que Henri IV, nouvellement couronné empereur, chassa de son siége en 1085, *Guillaume eut la malheureuse faiblesse de souffrir qu'on l'ordonnât évêque de Metz en sa place. Peu après, le nouvel évêque exerça les fonctions épiscopales à l'égard de Luipon, qu'il confirma dans la dignité d'abbé de Saint-Tron, qu'il avait usurpée. Voyant toutefois dès l'année suivante, qu'il ne pouvait se maintenir dans le siége de Metz, il alla trouver Hérimanne; et ayant assemblé auprès de lui les premières personnes du clergé il renonça solennellement à l'épiscopat en leur présence. Pour preuve de la sincérité de son repentir, il se retira à l'abbaye de Gorze, afin d'y expier son ambitieuse intrusion. On l'y établit maître des enfants qu'on y élevait; et au bout de quelque temps l'évêque Hérimanne, touché de sa pénitence, lui rendit l'abbaye de Saint-Arnoul.*

Guillaume rentra aussi dans sa première dignité, à laquelle il avait été élevé, il y avait près de quarante ans: ce qui fait juger qu'il ne la remplit que fort peu de temps, depuis qu'il y eut été rétabli. De sorte qu'il n'y a guère d'apparence qu'il y ait vécu au delà de l'année 1089. *Sa mort est marquée à deux jours fort différents, au onzième des calendes de Mars dans le Nécrologe de Saint-Arnoul, c'est-à-dire au dix-neuvième de février, s'il n'y a faute de la part des copistes; et au onzième des calendes de janvier dans son épitaphe, c'est-à-dire au vingt-deuxième de décembre. Cette dernière date mérite la préférence, en ce qu'elle est confirmée dans la même épitaphe par des expressions qui ne souffrent point d'équivoque, puisqu'elles portent que ce fut trois jours avant Noël. Voici cette épitaphe, qui ne vaut pas mieux que tant d'autres du même siècle.*

EPITAPHE.

Funere cum tristi sacram defertur ad ædem
Defunctus vita monachorum rector et abbas
Willelmus, sparsi notus per climata mundi.
Hoc Pater Arnulfus requiescit corpore sanctus,
Regia Mettensis prope mænia deforis urbis,
Quia sibi parte tenet spirantes Auster odores,
Ecclesiæ specimen referens ubi digne cacumen,
Aris bis senam sacrat domus alta catervam,
Cum petit undenas Janus de more calendas
Sole sub occiduo vel cedit vesper olympo,
Post triduumque Dei spectantur gaudia nati.

Le poëte (Analect. p. 430, 431) *y a ajouté treize autres vers pour servir d'épitaphe générale à ses confrères déjà morts, nommément au moine Rainard, addition qui est une espèce de lettre circulaire, où l'auteur exhorte ceux à qui elle sera envoyée, à prier pour les défunts, et à ne pas oublier les vivants.*

Avant que dom Mabillon tirât de la poussière les écrits de Guillaume, non-seulement il n'était point connu pour écrivain, mais on ignorait même qu'il eût été abbé de Saint-Arnoul et de Saint-Remi. Cependant la Chronique de Hugues de Flavigny et plusieurs lettres du pape Grégoire VII en font une mention non équivoque. Ses écrits consistent: 1° *En un recueil de lettres à diverses personnes. La première est écrite au pape Grégoire VII, pour le féliciter sur son exaltation. L'auteur l'écrivit par conséquent en* 1075, *lorsqu'il était déjà abbé de Saint-Remi de Reims. Après y avoir touché en peu de mots l'avantage qu'avait l'Eglise de se voir un pape aussi instruit de ses règles, et aussi soigneux de les faire observer, il le loue sur ce que son élection s'était faite avec une parfaite unanimité. Il y parle de l'évêque de Verceil, qui avait troublé le pontificat d'Alexandre II, son prédécesseur, et qui remuait encore pour troubler le sien. Revenant ensuite à Grégoire, il l'exhorte à employer le glaive dont il était armé, à soumettre tous les ennemis de l'Eglise. Guillaume finit sa lettre par une triste description de l'état où il se trouvait à Saint-Remi, tant à cause de l'inutilité de ses travaux*

A *qu'à raison des violences de l'archevêque Manassé, qu'il ne fait que désigner sans le nommer, et conjure Grégoire de l'aider à sortir d'une dignité où il était entré trop facilement sur l'avis de gens qui l'avaient trompé. Les Continuateurs de Bollandus ont jugé cette lettre si honorable à la mémoire de ce pontife, qu'ils l'ont réimprimée à la tête de ses actes.*

Guillaume adresse les deux lettres suivantes à Manassé. Dans la première, il le remercie d'abord fort poliment de l'avoir déchargé de la dignité d'abbé de Saint-Remi, et de lui avoir procuré par là le repos auquel il aspirait. Comme ce prélat avait pressé notre abbé de s'en défaire, en y employant de grandes menaces et lui redemandant le bâton pastoral, qui était le symbole de cette dignité, l'auteur en prend occasion de faire de ce bâton une agréable mais triste peinture, qui montre qu'il lui avait été incomparablement plus onéreux que gracieux. A ses menaces il répond que, pour les exécuter canoniquement, il faut B *qu'il commence lui-même par mener une vie conforme aux canons, et qu'on n'a rien à craindre en pareil cas de la part d'un prélat qui méprise toutes les règles et vit dans le scandale. Qu'au reste, s'il continue à le déchirer par ses discours calomnieux, il lui fera sentir les pointes aiguës de sa plume, et qu'il n'ignore pas qu'il peut parler avec d'autant plus de liberté que lui, archevêque, est moins en état d'user de représailles. Il lui proteste cependant qu'en renonçant à son bâton pastoral et à sa prélature, il est bien éloigné de renoncer à la charité qu'il lui doit, parce qu'il sait que nous sommes obligés d'aimer, ceux mêmes que nous ne pouvons porter à nous rendre le retour.*

Cette lettre, un peu vive, n'est que comme le prélude de la suivante, dans laquelle l'auteur tient à Manassé la parole qu'il lui avait donnée de ne le pas épargner, s'il continuait à le décrier. Guillaume l'emploie tout entière à faire le détail de ce qu'il avait eu à souffrir C *de la part de cet archevêque pendant le peu de temps qu'il avait été à Saint-Remi. Un peu plus de respect pour le caractère épiscopal, et plus de modération dans les reproches, ferait de cette lettre une assez belle pièce. L'auteur y emploie l'ancien mot gaulois* follis, *qui a passé dans notre langue, et dont nous avons fait le terme de* fou. *Il paraît par la fin de la lettre qu'il l'avait écrite pour se justifier en particulier d'avoir quitté le monastère de Saint-Remi. Il conclut en effet de tout ce qu'il a dit que ce n'était point par légèreté qu'il l'avait fait, et que tous ceux qui connaissaient Manassé applaudiraient au parti qu'il avait pris.*

Guillaume adresse sa quatrième lettre à une personne qu'il qualifie son seigneur et son père, mais dont le nom n'est désigné que par un H: ce qui porte à croire avec beaucoup de fondement que c'est à saint Hugues, abbé de Cluni. C'est une réponse à cet abbé, D *qui lui avait témoigné sa surprise de ce qu'il avait accepté l'abbaye de Saint-Remi, surtout à cause des désordres de Manassé. L'auteur l'instruit comment la chose s'est passée, et lui trace un portrait fort vif de l'extérieur de cet archevêque.*

La cinquième lettre est une exhortation à un moine, pour le porter à ne jamais perdre de vue cet unique nécessaire, à quoi tout se doit rapporter. L'auteur y mêle d'excellents avis, pour éviter de se laisser aller au relâchement par l'exemple de mauvais moines, dont il fait en peu de mots un juste portrait. Il y touche à la fin les raisons qu'il avait eues de quitter Saint-Remi; et il paraît par là que la lettre n'a été écrite qu'en 1074 *au plus tôt.*

La sixième est adressée au même. Guillaume ayant appris que la personne n'avait pas profité des premiers avis qu'il lui avait donnés, touchant les méchants avec lesquels on est obligé de vivre, la reprend ici d'avoir rejeté le bouclier de la patience, et lui reproche doucement sa faiblesse. Après quoi il lui montre que la compagnie des méchants, qui seront

toujours mêlés avec les bons en cette vie, jusqu'à la séparation qui s'en fera au dernier jour. Ce [illegible] ceux-ci, et lui prescrit d'excellentes règles à ce sujet. Il lui dit en particulier qu'il faut les supporter, sans s'embarrasser de les juger et ne s'en séparer que par les sentiments de l'esprit et du cœur. La lettre est fort belle, et fait voir que son auteur était bien instruit de la doctrine de saint Augustin.

La septième et dernière, qui devrait être la première, si l'on avait égard à l'ordre des temps, est la mieux écrite de tout le recueil, quoique les autres aient leurs beautés. C'est une réponse à Adelmanne, ou Alestan, autrefois maître de Guillaume, qui, ayant appris qu'il avait renoncé au monde, lui écrivit pour lui en marquer son extrême douleur. Guillaume lui prouve que bien loin de s'en attrister, il devrait s'en réjouir ; et les preuves qu'il emploie pour le lui persuader sont d'une part les motifs qui l'avaient déterminé à prendre ce parti, et de l'autre la paix, les douceurs, les charmes qu'il goûtait dans le sein de la vraie philosophie, et qu'il l'invite à venir goûter avec lui. Les descriptions que l'auteur y fait des misères spirituelles de cette vie, et des avantages du cloître, lorsque la discipline régulière y est exactement observée, sont vives, animées, et quoique courtes, bien soutenues. Il y a non-seulement de beaux traits d'éloquence dans cette lettre, mais on y trouve même de l'élégance.

2° Outre ces sept lettres, nous avons aussi de l'abbé Guillaume une fort belle prière, dans laquelle il a laissé de grandes marques d'une foi vive, d'une piété aussi éclairée que solide, et d'une profonde humilité. Elle est en l'honneur de saint Augustin, et faite pour être récitée avant que de monter à l'autel, pour y offrir les divins mystères ; d'où nous apprenons que l'auteur était revêtu du sacerdoce. C'est une continuelle effusion de cœur, composée en partie de passages fort touchants de l'Ecriture, et de quelques endroits des collectes de la Liturgie. Si l'auteur, en y invoquant particulièrement saint Augustin, montre qu'il avait une confiance spéciale en son intercession, il n'y fait pas paraître moins d'attachement pour la doctrine de ce saint docteur.

Dom Mabillon ayant déterré ces opuscules dans un manuscrit de l'abbaye de Saint-Arnoul à Metz, qui paraissait fait du temps même de l'auteur, les a publiés au premier volume de ses Analectes, *où il les a accompagnés de savantes observations. On a vu par celles que nous avons faites nous-mêmes, à mesure que nous avons rendu compte de ces mêmes écrits, que l'auteur savait bien les belles lettres, et avait le talent de bien écrire pour son siècle, mais qu'il ne savait pas assez modérer la vivacité de son style, qui allait jusqu'à l'impétuosité en certaines rencontres.*

GUILLELMI EPISTOLÆ.

(MABILL. *Analect.* nov. edit., p. 456)

EPISTOLA PRIMA.

AD GREGORIUM VII PAPAM.

(Anno 1073.)

Illi de electione ejus gratulatur.

Domino venerabili et universali papæ G., W. peccator, devotæ orationis affectum, et humilis servitutis effectum.

Licet sapientia Dei universa quæ per ipsam facta sunt, dispositione mirabili et ordine imperturbabili moderetur, etc. *Vide Patrologiæ tom.* CXLVIII, col. 11.

EPISTOLA II.

AD MANASSEN REMORUM ARCHIEPISCOPUM.

Ei resignat prælationem monasterii Remigiani.

Domno M. Remorum archiepiscopo, frater W., orationem, servitium.

Plurimas tibi et ingentes gratias agimus, cum propter benevolentiam tuam, qua nobis in Christo statum optatæ quietis es imprecatus, tum quia nos a tuæ dominationis jugo, quo miserabiliter premebamur, maturius absolvisti : quod quidem ad illam imperturbabilem quietem, cui nostra suspirat intentio, comparandam non minimas vires adjiciet. Sicut enim fulgor iste visibilis sanis oculis est delectamentum, lippientibus vero tormentum : sic nimirum illud intelligibile et oblecticium lumen nonnisi ei menti se dignatur ostendere, quæ ab omni terrena caligine suos enubilare contendit obtutus. Satis igitur eminet, quantum beneficii nobis contuleris, quidquid præstitisti, ut illud summum bonum, summum gaudium summamque lætitiam, sanctarumque mentium lumen frequentius et familiarius attingamus. Gratias ergo tibi, gratias tibi !

Baculum autem tuum, quem nimis minaciter tibi jubes remitti, nos noveris non habere : indignum prorsus ducentes illum nobiscum baculum exportare, quem nunquam libuit omnino portare. Quis enim, quæso, est iste baculus tuus, nisi ille baculus arundinis, de quo propheta proclamat, non eum esse idoneum ad sustinendum : cui quicunque innititur, vulnerari potest facilius quam sustentari. JESU bone, quam amarissimum illum baculum experti sumus ! quantas in illo passi sumus contumelias et terrores! Profecto vix nos vivere credimus. Averterit Dominus hujusmodi baculum a servo suo, et tradat illum hosti suo. Et hæc quidem diximus non tuum accusando rigorem, sed nostrum ostendendo dolorem.

Abrenuntiamus ergo baculo tuo, abrenuntiamus etiam abbatiæ ; non tamen, si tibi placuerit, amicitiæ. abrenuntiamus tuæ prælationi, nullatenus tamen dilectioni. Scimus enim, inspirante Domino, et illos amare, quorum animos ad dilectionem non possumus provocare.

Quod vero potestatem subjectionis in nos exsecuturum te canonice minitaris, prius ipse debes canonice vivere, ut id canonice prosequaris. Nemo quippe jure potest canonicam exercere censuram, qui divinos canones contemnendo, vitam ducit im-

puram : nec ad aliena dijudicanda valet esse idoneus, qui per illicita aliena diffluendo, in suis moribus invenitur erroneus. Hæc interim pauca tibi conscripsimus, te impensius deprecantes, ut petulantissimam linguam tuam freno temperantiæ modereris, ne si te nobis exhibueris Luscium Lavinium, cogamur in te nostrum acutissimum infigere genuinum. Scis enim jam nos posse liberius scribere, quia non est unde tu possis scribere.

EPISTOLA III.

AD EUMDEM.

De eodem argumento.

Manassæ Remensis Ecclesiæ obsessori, W. peccator.

Quid dulcedinis, quid amoris, postquam tuo jugo nescio quæ fortuna me subdidit, erga te semper habuerim, hinc evidenter elucet, quod a te frequentissime passus contumelias et terrores, sic tamen justæ indignationis impetum refrenavi, ut nunquam in derogationem, nunquam in amariora verba proruperim. Certe mirabantur id etiam conlaterales tui, et me inter turbulentissimas minas tuas et horridas animi tempestates inhabitare mente tranquilla animoque imperturbabili consistere, miris laudibus efferebant : et re vera sedebam in quodam securissimo portu, et illi petræ, de quo quondam Israelitica plebs bibebat, et a quo Petrus vocabulum traxit, anchoram cordis habens affixam. Omnes turbulentias tuas impetusque minarum verberumque procellas, velut evanescentem fumum spumamque gurgitis, contemnebam.

Verum quia quisquis veræ dilectionis movetur affectu, non potest de cujuslibet proximi erratibus non dolere ; plus tuis, fateor, furiis, quam meis ingemiscebam injuriis, illumque versiculum mecum sæpe convolvens, *Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam* ; pro te quoque ignitas ad Dominum preces interdum cum lacrymis effundebam. Non enim ita cupiebam de canis hujus manibus liberari, ut tu in caninis moribus permaneres : sed ut, si fieri posset, mentis sævitia morumque bestialitate deposita, tu quoque mecum de suavissima charitate, et de charissima suavitate gauderes. O quoties adhibui tibi medicamina Scripturarum ! Quoties cœlestibus verbis, quasi quibusdam carminibus, tuum tentavi mitigare furorem ! Quoties etiam Threicia et Davidica cithara conatus sum illud vel expellere, vel sedare dæmonium, quo vexaris. At tu, immanissime hominum, plus aloes quam mellis habens, nunquam dulcia monita suscepisti, nec in pectoris tui agro divina semina coalescere permisisti, in quo impiissimæ cupiditatis et cupidissimæ impietatis planta convaluit.

Certe olim apud quosdam philosophos de revolutionibus animarum grandis erat opinio : quæ per te non inaniter confirmatur, dum, sicut illi, Euphorbum in Pythagoram, sic in te Gervasium putent nostri temporis homines esse transfusum. Verum non id ego tibi concesserim, ut ille in te totus A transierit : cum in illo tyranno quondam bonarum artium vestigia fuerint, quibus omnino tu cares, ille excelluit. Et ille quidem ecclesias construebat, tu destruis : ille templa Domini adornabat, tu spolias : ille religiosos viros non mediocriter honorabat, tu vero persequeris. Nihil igitur in te ex bonis illius, sed sola vitia demigrarunt.

Ah ! pudet recordari miseriarum, quas sub tuo servili barbaroque dominio passus sum ! pudet reminisci, quanta mihi mala pro bonis, quantaque pro dilectione mea conviciorum mihi jacula vulneraque jurgiorum retuleris ! Prætereo minas tuas, prætereo quod in ipsa festivitate beati Remigii *follem* me verbo rustico appellasti. Nec injuria id quidem. Nisi enim ego follis fuissem, ad te tam immitem, tam B trucem, tam violentam, tam immanem bestiam, non venissem. At certe omnino stupendum fuit, ut qui follis exstiti ad te veniendo, non fierem follior sub tua tyrannide remanendo. Prætereo quanta improbitate tentaveris a me pecuniam, quam Romano itineri paraveram, extorquere ; quibus artibus, quibus dolis me per Sarabaitas tuos et circumcelliones circumveneris. Prætereo illas litteras tuas, quas super persona mea domino meo Mettensi episcopo conscripsisti : prætereo illas quas Gipuino clerico transmisisti. Illas parumper attingam, quas domino apostolico tui nuncii prætulerunt, in quibus sic vecordia tua et improbitas mentis apparuit, ut cum venerabili papæ, tum sacro senatui fueris ludibrio et horrori. Asserebas enim in illis litteris suis, « me C hominem esse pacificum, humilem et quietum, lectioni semper intentum ; ac per hoc non me Francigenarum tuisque moribus convenire : te quadam opinionis meæ fragrantia (quam tamen in me pax, non virtus pepererat) inductum, ut mihi abbatiam Sancti Remigii commendares. » O monstrum nulla virtute redemptum a vitiis ! putasne inferioris esse virtutis in pace temperanter, modeste et sobrie conversari, quam in bello acriter et fortiter præliari, cum pax soleat fortes etiam animos enervare : pugna vero imbelles et desides roborare. Unde non immerito ille insignis orator arma togæ cedere persuadet subtiliter, nimirum considerans pauciores esse qui possint in pace vivere continenter, quam qui pati bellorum labores et pericula patienter. D

Verum fiducialiter dixerim eum non posse bello succumbere, quem non potuit pax longa corrumpere; et testa, quæ in aquis posita non mollescit, dissilire in ignibus nescit. Risit igitur domnus apostolicus illas litteras tuas : et quæ in injuriam meam transmissæ sunt, laudem mihi et gloriam pepererunt. Contulit ergo mihi idem venerabilis papa abbatiam Sancti Remigii vel retinendi, vel deserendi liberam potestatem : isque tibi litterarum suarum auctoritate mandavit, ut nihil ex supradicta abbatia faceres, nisi quod voluntas mea consiliumque præscriberet. Ego in redeundo diu mecum multumque deliberans, meosque mores tuosque collibrans, summum duxi nefas, si vel ex visione tua meus unquam-

ulterius commacularetur aspectus. Non est itaque levitati et inconstantiæ deputandum, quod abbatiam tuam consortiumque tuum aufugerim; idque mihi perfacile, quisquis te agnoscit, ignoscit.

EPISTOLA IV.

AD QUEMDAM ABBATEM.

Ejusdem argumenti ac duæ superiores.

Desiderabiliter venerabili et venerabiliter desiderabili domno et Patri H., W. peccator, orationem, servitium.

Accepi litteras tuas, litteras puræ benevolentiæ, litteras sincerissimi amoris igne ferventes, et intimæ dilectionis ineffabili splendore lucentes. In his autem litteris tuis asserebas te non mediocriter admirari, me sic falli, sic decipi potuisse, ut in terra Francorum, quasi in lacu leonum, me passus sim tam temere facileque contrudi: præsertim cum me ab hoc letali facinore illius cruentissimæ bestiæ immanitas revocare debuerit, etiamsi cætera satis quieta tutaque forent. Fateor ita esse, tibique veraciter meam temeritatem meamque stultitiam objurganti, quid excusationis, quid defensionis obtendam, me non habere confiteor. Verum debes meminisse infirmitatis humanæ, neminemque, dum in hoc corpore mortis vivitur, ita fore perfectum, ut non subjaceat mutabilitatis incerto. Quid enim mirum me alienis cessisse consiliis, et a stabilitatis propriæ firmitate paululum titubasse, cum et David, prudentissimus prophetarum, servi in dominum Miphiboseth accusationi falsæ crediderit; et Josias rex ille sanctissimus, unicæque pietatis in Dominum, pro rege Assyriorum in Nechao regem Ægypti consurgens Domini provocaverit iram; quæ tamen, ne tanti viri meritum deperiret, transitoria pœna morteque sedata est temporali. Non est igitur admirandum, si et nos qui involvimur tenebris peccatorum, in lubrico itinere labimur, et in nostris consiliis caligamus: cum tales tantique viri ignorantiæ potuerint nubilo obscurari, in quorum vita et moribus lumen justitiæ et solis etiam claritas refulgebat.

Et ego quidem quadam virtutis imagine sum deceptus, et ut illius feræ pessimæ monstrique horribilis sævitia minus prospectaretur, prospectaque caveretur, miseris monachis et afflicto loco causa fuit intentio consulendi. Pollicebatur enim ille aper de silva crebris, multumque terribilibus juramentis, se vineam Domini nunquam ulterius depasturum, nec de ea quidquam ablaturum, nisi quod ei manus meæ spontanea largitio contulisset. Credidi, fateor, promissionibus ejus, non levis meriti minimæve remunerationis arbitrans fore, si per me posset illius truculentia temperari. At ille rapacissimus lupus callide blandiendo et falsa pollicendo, omnino moliebatur abbatiolæ nostræ, quæ pro modulo suo satis ordinata satisque composita videbatur, dentem infigere; et quæ pestilentia sua protriverat, in malitiæ suæ ventrem quoquo modo aliena consciscere. Qui postquam se vidit frustra niti artesque suas sibi parum procedere, in apertam insaniam solitumque furorem prosiliens, nec me terrere minis, nec subplantare insidiis, nesciens miser sub illius me capitis umbra infatigabiliter decertare, a quo conculcari leonem et draconem tuba prophetica præconatur. Ut igitur non illi virulentæ insidiæ, sic nec mihi Deo propitio, quibus eas repellerem, doli et astutiæ defuere. Licet ergo illius me jugo subjecerim imprudenter ad modicum, tamen toleravi patienter, evasi sapienter.

Verum non minimo pudore confundor, me plus credidisse verbis alienis, quam oculis meis: et cum in illo mihi totius malignitatis indicia apparerent, me cum illo vel sub illo consensisse puncto temporis immorari miserabiliter erubesco. Certe videbam in illo cervicem inflexibilem et erectam, oculos plenos furiis huc illucque currentes, nares spirantes contemptum, sermonem varium sibique dissimilem, nulla consequentia nullaque ratione constantem, humeros jactabiles, pedes instabiles, incessum inæqualem, incompositum, indecorum, manus rapaces, violentas, promptas ad cædem et ad injuriam proximorum. Cum igitur hæc in illo venenatæ mentis signa perspexerim, ultimæ omnino miseriæ fuit sic me potuisse mihimetipsi absentari, ut unquam me passus sim ejus vel convictu vel colloquio maculari. Spero autem jam me de cætero prospectiorem, purgatiorem, cautioremque futurum; si tamen tu mihi opitulari non abnuas, precibusque potentissimis agere, ut hæc mihi, quæ ex quadam mentis ovilitate contracta est, prolapsio remittatur. Vale.

EPISTOLA V.

AD MONACHUM QUEMDAM.

Illum ad unum Deum quærendum hortatur.

Dilectissimo fratri A., W. peccator, intimæ dilectionis affectum.

Omnes quidem homines qui sacræ fidei et agnitionis divinæ munere gloriantur, decet sancte et laudabiliter conversari. Hujus tamen negotii majus his pondus incumbit, qui excellentiori proposito suas animas voluntarie subjugantes, animique fervore mirabili omnium præceptorum cacumina supergressi, in Christi corpore quasi quædam clarissima lumina emicant. Cum enim conjugia apostolico ore laudentur, et ex facultatibus suis partem pauperibus erogantes, sedes beatorum, camposque Elysios consequantur, isti tamen vitæ perfectioris amore omnia visibilia contemnentes, ipsam subito monadem arripere maluerunt, quam ex his temporalibus gradus efficere, quibus ad illam conscenditur. Sane quod omnia referantur ad monadem, et quia super universa, quæ per ipsam facta sunt, teneat principatum, Scriptura illa satis evidenter ostendit, quæ de sapientia loquens, *Cum una*, inquit, *sit, omnia potest.* Et unam se a Domino petere Psalmista testatur: et arca quæ a Noe constructa est, ubi mensuræ cælitus dantur, in inferioribus trecentorum cubitorum longitudinem, et quinquaginta latitudinem habuisse describitur: quæ tamen ad altiora consurgens cogitur in angustum, ita ut summitas ejus in unius cubiti spatium terminetur.

Vides ergo quomodo universa redigantur ad monadem: quam qui in præsenti potuerit obtinere, jam profecto illud in hac mortalitate consequitur, ad quod in illa resurrectione communi omnis creatura rationalis sancta et munda devenire contendit. Tunc, ut divinæ litteræ pollicentur, erit Deus omnia in omnibus, cum tradiderit Filius regnum Deo et Patri, id est cum fideles, in quibus nunc regnat ille per fidem, ad contemplationem Dei et Patris optabiliter feliciterque perduxerit. Huic excellentissimæ visioni Moyses ille legislator, et ardentissimus divinitatis amator, liberum cupiebat adhibere conspectum, quando cum Domino loquens, ut et semetipsum dignaretur ostendere, devotissime precabatur. Noverat enim vir ille mirabilis summam beatitudinem fore rerum omnium principium contueri, et illam monadem mentis complecti, a qua universa sumunt originem, et in qua habent omnia finem.

Claret igitur quantæ virtutis quantæque præstantiæ sit, omni sæculari spe mundique felicitate rejecta, illud unicum bonum appetere, ad quod tanti viri suspirabat intentio. Unde et in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, jure a Domino judiciariam accipient potestatem, qui ejus dilectionis intuitu omnia reliquerint: quia et id congruere æquitati, quicunque sanum sapit, intelligit, ut qui in peregrinatione veraciter humiles exstiterint, sint in patria gloriosi.

Inter hujuscemodi ergo heroas sedem te eminentissimam adepturum certa me cogit ratio opinari: quia ut ad tantam humilitatem descenderes, non te, ut quosdam, recordatio peccatorum, sed laudabiliter acta vita superior patriæque cœlestis desiderium invitavit. Semper igitur sis circumspectus, semper sis providus, omnique studio totaque intentione cordis enitere, ut de bonis semper ad optima transeundo, finem facias concordare principio; nec ulla hostis antiqui fraudulentia violetur, quod ab integritate sumpsit exordium. Non aliorum, quæso, torpor tuum faciat tepere fervorem, nec eorum exempla te negligentiorem efficiant, qui prætendunt habitu quod moribus insequuntur. Multi etenim tales, quod te latere non arbitror, sub angelico habitu delitescunt, quorum sic misera est conversatio tantaque vitæ perversitas, ut bonis etiam mentibus plerumque sacri propositi pœnitudinem ingerant, itæque deterioris contactu sanctæ cœlestisque militiæ non desinant obscurare nitorem: qui per se quidem semper præclarus, semper lucidus, semper egregius est.

At bene fundatum animum res non ista perturbat, nec eum a summo amore disjungere cujuslibet malitiæ valet improbitas. Scit enim in Dominica area grana inter paleas gemere, nec eam oportere divinæ percussionis ventilabro, nisi in fine sæculi, permundari: scit in præsenti piscatura verbi sagena bonos malosque pisces concludi, nec eos posse nisi in littore separari. Sic ergo debemus animum moderari, A sic impatientiæ virus longanimitatis antidoto temperare, ut et patienter malorum improbitatem feramus, nec unquam bonos propter pessimos deseramus.

Hic tu me forsitan argues, cur ipse Beati Remigii abbatiam tam cito facileque reliquerim; cum in illo collegio dubitari non possit quosdam viros honestissimos inveniri, ex quorum benevolentissima charitate ceteri debuerunt tolerabiles judicari. Fateor, partim justa hæc tua objurgatio videretur, nisi ille pestilens truncus ficulnus, inutile lignum, terram illam miserabiliter occupasset, sub cujus umbra nulla quidem bona possunt semina exoriri, sed et si qua exorta fuerant, enecantur. Ita enim illa venenata et amarissima arbor tenebrosa est et condensa, ut B quocunque brachia tortuosa mortiferosque ramos extenderit, nullum illic sol justitiæ lumenque veritatis habere possit accessum. Tale igitur monstrum et hujuscemodi aufugisse portentum, non impatientiæ et inconstantiæ vitio, sed summæ virtuti summæque est prudentiæ deputandum.

EPISTOLA VI.

AD EUMDEM.

A proposito fervore deficienti exponit arcana judicia Dei.

Fratri A., W. peccator, sole vestiri, et lunam habere sub pedibus.

Quoniam quisquis veræ dilectionis stimulatur affectu, non minus proximorum quam suis provectibus collætatur, congratulatorias tibi litteras nuper C transmisisse me memini, sperans tuæ conversionis principio totius vitæ tenorem finemque propositi responsurum. At, ut mihi relatum est, longe aliter se res habet, teque malorum improbitate devictum, patientiæ clypeum projecisse: quo si vellet tua fraternitas communiri, cum ex quorumdam melioratione, tum ex tolerantia pessimorum non minimum tibi lucrum virtutis accresceret.

Agitur enim modo ineffabili ordineque mirabili, ut semper electorum utilitati reproborum serviat omnis improbitas; eoque purius veri Israelitæ cælesti divinoque lumine perfruantur, quo profundius suis tenebris suæque caligini Ægyptii immerguntur. Mentior si non ita sacra contestatur historia, quæ in illa percussione Memphitica apud Ægyptios palpabi- D les tenebras, apud plebem vero fidelium clarissimam lucem fuisse commemorat. Sic nimirum hi duo populi discernuntur, ut licet in una provincia sint, licet eadem commorentur in domo, alter tamen semper in lumine, alter in tenebris obversetur. Nec mirum id quidem. Tanta est enim illius oblecticii luminis, divinique fulgoris potentia, ut corda quæcunque tetigerit, statim illuminet et accendat: quæ vero suo judicaverit indigna contactu, in sua caligine tenebrosa et frigida perseverent. Cur vero ex una perditionis massa omnium hominum genus emerserit, et originali peccato priusquam renascantur omnes teneantur obnoxii, cur aliis gratia conversionis divina inspiratione præstetur, alii autem in propria

obscuratione permaneant; non humanæ rationis examine, nec mortalis ingenii est trutina ponderandum.

Verum ex hac ipsa divini profunditate judicii illud salubriter admonemur, ne facile temereque infirmorum fratrum consortia deseramus: quia quid de his judex ille secretissimus in occulto disponat, non est idoneus noster comprehendere intellectus. Fit enim plerumque, ut hi qui videntur opprimi pondere delictorum, et in aquilonis lateribus residere, subito divina inspiratione compuncti, culparum sordes excutiant et in terra australi per opera virtutum sibi domos ædificent.

Quod cum ita sit, immanissimæ est omnino intolerabilisque superbiæ interni et æterni judicis velle prævenire sententiam, et discretionem piscium, qui eorumdem sacramentorum retibus concluduntur, in præsenti exercere conari, priusquam maris littora contingantur. Certe hoc divinæ litteræ docent, hoc omnis series Scripturarum bene consulta respondet, bonos a malis interim corde separari debere, non corpore; nec locorum longinquitate, sed affectuum qualitate. Veniet profecto, veniet illa dies, in qua inter pecus macilentum et pingue, inter pecus arietum et hircorum, pastor ille falli nescius judicabit. Tunc occulta tenebrarum omnino producentur in luce, nec sub ovinis pellibus lupina corda se contegent: quia ex ipsius beatissimæ resurrectionis virtute potentiaque proveniet, ut quales hic singuli fuere in moribus, tales illic appareant in ipsis corporibus. Denique ideo vitro mundo illa luminosa civitas comparatur, quoniam clarissimi vitri in morem, quidquid ibi interius erit, exterius eminebit, ipsæque conceptiones animorum mirabiliter subjacebunt conspectui oculorum. Ergo, dilectissime frater, ad illam ineffabilem puritatem sanctis moribus nos paremus, boni ipsi simus; quosque trahere ad meliora non possumus, patientissime toleremus. Vale.

EPISTOLA VII.

AD A... PRÆCEPTOREM SUUM.

Illum ad sæculi contemptum hortatur.

Præceptori suo A., W. peccator, fugere a facie arcus.

Consideranti mihi studia cupiditatesque mortalium, tanta admiratio, tantusque stupor offunditur, ut cum Satyrico exclamare compellar:

O curas hominum, o quantum est in rebus inane!

Quis enim non vehementissime admiretur tanta miseros homines cupiditate raptari, ut eorum aviditati non ratio, non voluntas, non denique timor Domini, finem imponat? Fit enim mirum in modum, ut quanto plura congesserint, tanto magis cupiditatis facibus inardescant, crescatque amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Unde ineffa-

A biliter divina est prædicanda justitia, quæ sic mori hominem peccantem addixit, ut ei propter incertos casus quotidie immineret; propter brevitatem autem longe non posset abesse. Providit nimirum summa Divinitas hominem posse cupiditatibus reluctari, illicitasque cohibere lætitias, si pœnæ formido semper ejus ante oculos versaretur. Quis enim sub mortis metu positus vel minimam de rebus temporalibus capiat voluptatem, quas, velit nolit, ipse sit relicturus?

Jam ergo videre perfacile est, quantis illi deflendi sint fluminibus lacrymarum, qui medicinali Domini severitate contempta, ita semel se iniquitatis dedere profundo, ut revocare gradum superasque emergere ad auras nec valeant, nec velint ulterius. Quorum
B mirabilem, imo miserabilem cæcitatem cæcitatisque supplicium quo facilius evitarem, ad veræ philosophiæ sinum, gremiumque me contuli. Medetur enim illa animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Tanta autem jucunditas, tamque inæstimabilis est ejus pulchritudo ut unus dies bene et ex præceptis ejus actus, peccanti immortalitati dignissime præponatur.

Vides igitur, si me diligis, quanta sit tibi cum exsultatione lætandum, qui mihi talem sponsam elegerim, cujus cum forma, tum suavitas rebus omnibus antecellit. Jam ergo sicca lacrymas, cohibe fletum, omnem mœrorem expellito: pro certo noveris me partem optimam elegisse. Credito, credito mihi, succedet humilitati sublimitas, lacry-
C mis risus, divitiæ paupertati: magna sunt enim quæ suis illa amatoribus pollicetur. Et re vera quis cogitare sufficiat, quantas sapientia dilectoribus suis opes sit collatura, cum ejus amore suscepta paupertas ipsa delectet? Huic ergo adhærere mihi bonum est, nullusque unquam fuerit dies, qui me ab ejus amplexibus et amore divellat.

Verum si nosse desideras quali in castris ejus regula militemus, breviter tibi illam describimus. Sunt nobis cuncta communia, unum cor, una anima, unum idemque propositum: virtus autem obedientiæ sic præpollet, ut cum nobis incredibile sit studium legendi, nullus tamen obedientiæ præferre audeat lectionem. De gratuita vero paupertate quid referam, cum omne quod corporeus sensus attingit
D sit nobis omnino contemptui, animumque avocantes a corpore consuescamus mori? Arduum id quidem atque difficile, quis negat? Sed tamen hoc, duce philosophia, nos credimus effecturos. Hæc est vita laudabilis, quam tenemus: hæc vera philosophia, ad quam te, o amice, invitamus. Quod si te ad hanc adducere non valuero, tu me ab illa nunquam abduces. Vale, et miserere animæ tuæ.

ADNOTATIONES IN GUILLELMI EPISTOLA.

IN EPISTOLAM I.

In prima hac epistola Willelmus Gregorio papæ VII gratulatur de ejus electione, quæ contigit anno 1073: tum significat se postulatum ad regimen abbatiæ Sancti Remigii apud Remos, quæ post obitum Herimari anno 1071 pastore vacaverat, quod onus subire refugit. Huc spectant Gregorii papæ VII epistola quædam, nimirum libri primi epistola 13, ad Manassen Remorum pontificem, qua eum monet ut ne monachos Remigianos amplius vexet, utque juxta cano-

nicas sanctiones abbatem ibi ordinandum curet. Eamdem rem commendat epistola sequenti ad Hugonem abbatem Cluniacensem. Utraque epistola data indictione undecima, hoc est anno 1073.

Propius Willelmum nostrum spectant ejusdem libri epistolæ 52 et 53, scriptæ indictione duodecima: prior quidem ad Manassen, quem laudat quod monasterio sancti Remigii *honestum moribus et eruditum litteris hominem* præfecerit, scilicet Willelmum nostrum, de quo hæc subdit: *Abbas quidem nobis admodum placet: et si posset ferre onus, ut utrasque abbatias regeret, Mettensem scilicet et Remensem, laudassem pro eo, quia vir religiosus et sapiens est.* Verum quia Willelmus in hac epistola onus istud a se amoliri conatur, subjicit Gregorius: *Alioquin si pondus utrarumque regiminis supra posse sibi est, ut ipse fatetur, ne nimia gravedine pressus succumbat, rogamus prudentiam tuam, imo apostolica auctoritate monemus, quatenus suo consilio et consensu per electionem congregationis, secundum Regulam sancti Benedicti, idoneum ibi rectorem, Deo concedente, constituas.* Denique Gregorius epistolam 53 ad Herimannum Mettensem episcopum de eadem re scribit, scilicet *abbatem Sancti Arnulfi*, nempe Willelmum (non vero abbatem Arnulfum, ut perperam legitur in lemmate vulgatæ epistolæ) velle renuntiare abbatiæ Sancti Remigii, et Mettensi esse contentum.

Diabolus ille Versellensis, Gregorius scilicet episcopus Vercellensis, primum a Leone papa ob adulterium aliaque flagitia excommunicatus dein absolutus: qui Henrici IV imperatoris cancellarius in Italia factus ita ejus factioni semper adhæsit, ut eo instigante Cadeloum Parmensem episcopum, conspirante Placentino pontifice, antipapam creaverit post mortem Nicolai II; idemque Romam ab eodem imperatore missus ad confirmandam Gregorii VII electionem, cui primum restiterat; demum, synodo adversus eum convocata, misere exspiravit.

In fine epistolæ Willelmus non ita bene sentit de monachis Remigianis: at in fine epistolæ quintæ judicium suum temperat; testatus *in illo collegio quosdam viros honestissimos inveniri, ex quorum benevolentissima charitate, cæteri debuerunt tolerabiles judicari.*

IN EPISTOLAM II.

In hac duabusque sequentibus epistolis Willelmus acerbius ac durius fortasse, quam par esset, in Manassen invehitur. Facilius tamen Willelmo veniam dabit, qui Manassæ mores perspectos habuerit. Legendi hac de re tum Hugo Flaviniacensis abbas, ejus æqualis in Chronico, tum Guibertus abbas de Novigento in lib. I De Vita sua, cap. 11, ubi sancti Brunonis secessum ex urbe Remensi refundit in flagitiosam Manassæ vitam. *Manasses*, inquit, *post Gervasii famosissimi archiepiscopi decessum, prædictæ urbis regimini simoniace se intrusit: vir quidem nobilis, sed nihil prorsus serenitatis, quæ prima ingenuitatem decet, habens..... Is cum milites summopere affectaret, clerum negligeret, dixisse aliquando refertur*: « Bonus, *ait*, esset Remensis archiepiscopatus, « si non missas inde cantari oporteret, » etc. Eo vero processit Manassæ flagitiosa vita, ut in ordinem redactus sit anno 1080 in concilio Lugdunensi. Ex quibus intelligas, non sine causa Willelmum exarsisse in ipsum, tametsi hic auctor ingenii paulo ferventioris ac mordacioris fuisse videtur.

Luscium Lavinium. Is fuit poeta maledicentissimus, de quo Terentius in prologo *Andriæ* et *Heautontimorumenon*, ubi eum malevolum poetam tacito nomine appellat.

IN EPISTOLAM III.

Hic Gervasium Remorum archiepiscopum Willelmus comparat cum Manasse ejus successore, longe tamen præferendo Gervasium. Hunc quippe laudat tum ob bonarum artium studium, quibus excelluit, tum ob constructas ecclesias et templa exornata, scilicet ecclesias Sancti Nicasii et Sancti Dionysii, quas instauravit, tum denique ob religiosorum virorum cultum. Nam monachos ordinis sancti Benedicti in Sancti Nicasii, canonicos regulares in Sancti Dionysii monasteria primus induxit. Cur vero eum *tyrannum* vocet, non comperio, nisi quod ipsius demortui animam e dæmonum potestate per sanctos martyres Dionysium et Nicasium ereptam veteres ferunt.

Follis nomine, quo auctor utitur hoc loco, veteres Galli insanum et stultum significabant teste Joanne Diacono in lib. IV De Vita sancti Gregorii, cap. 96. *At ille*, inquit, *more Gallico sanctum senem increpitans follem*, etc.

IN EPISTOLAM VII.

Quis fuerit Willelmi præceptor, cui septima ejus epistola inscripta est, incertum nobis reddit decurtatum istius præceptoris nomen, sola prima littera A indicatum. Conjicio tamen fuisse Alestanum, Fulberti Carnotensis episcopi discipulum, quem Adelmannus laudat in versibus rhythmicis:

Vix amissum quereremur Odulfo superstite
Alestanum: quantus erat veteris scientiæ,
Sicut hi quos erudivit satis pollent hodie.

Cæterum quam solida pietate imbutus fuerit Willelmus noster intelligimus maxime ex tribus postremis epistolis: quas cum quatuor aliis ex ms. codice Mettensis monasterii Sancti Arnulfi descripsit, mihique transmisit vir religiosissimus domnus Josephus Homasselius, ejusdem loci tum subprior, congregationis Sancti Vitoni.

Hic subjungendam duxi orationem Willhelmi abbatis in festo Sancti Augustini recitandam, hujus Willelmi abbatis Fiscamnensis ac Divionensis, qui collapsam monasticæ religionis disciplinam, cum in pluribus aliis, tum in Mettensi S. Arnulfi monasterio instauravit. Ut potius alteri Willelmo, cujus epistolas hactenus retuli, subjectam orationem adscribam, his conjecturis moveor. Primo, quod Mettensis codex in monasterio Sancti Arnulfi, eo Willelmo abbate, scriptus sit. Deinde, quod hæc oratio inscribatur *Domni Willelmi abbatis*, absque alia honoris præfatione: cum Willelmus antiquior jam tum beatus ac sanctæ memoriæ abbas diceretur. Sic Warinus in epistola superius edita hunc *sanctæ memoriæ domnum abbatem Willelmum* appellat. Ad hæc, quod Willelmus junior sancti Augustini doctrinæ maxime addictus fuerit, ut patet in primis ex superiori epistola sexta.

ORATIO DOMNI GUILLELMI

In commemoratione S. Augustini ante consecrationem missæ dicenda.

(MABILL. *Analect.* p. 460.)

Memento, Domine, animæ famuli tui Patricii, et famulæ tuæ Monicæ : et si quid pro anima filii ipsorum domini mei Augustini, dilectissimi confessoris tui, mihi misero peccatori licet vel intimo cordis affectu desiderare, utinam non omnimodo inutiliter ipsa tibi mea loquatur voluntas. Scio quidem, Domine, et pro certo agnosco esse me peccatorem, et infelicissimum, et cunctis criminibus obnoxium atque immensis sceleribus coinquinatum ; illum autem fuisse in hac præsenti vita sanctum, justum et pium, omnibusque virtutibus mirabiliter exornatum ; nunc autem omni honore et gloria in conspectu tuo mirifice sublimatum, ubi magis ac magis glorificetur et magnificetur desidero et opto, et, in quantum præsumere audeo, exoro. Quod vero per eum ingenti necessitate, tamen cum quantulacunque fide exposco, tu benignissime occultorum cognitor, scrutans corda et renes Deus, intende placatus, quatenus meritis et intercessionibus ejus, omniumque sanctorum tuorum, absolvas me et omnes fratres nostros ab omni vinculo delictorum, et denuo tam nobis, quam omnibus, pro quibus tuam clementiam exoramus, facias secundum multitudinem miserationum tuarum. Mihi quoque obsecro de ejus intercessionibus et meritis donari, quod certe meis non mereor adipisci, videlicet ut de divinitate atque humanitate dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi id merear sentire quod ipse sensit, scire quod scivit, intelligere quod intellexit, credere quod credidit, diligere quod dilexit, prædicare etiam valeam quod docuit. Precor, Domine, ut subveniente et succurrente cum tua pietate omnium sanctorum tuorum supplicatione, cum sincera fide, cum spe secura, cum charitate non ficta ultimum valeam spiritum efflare. Sed et diem illum et horam, migrationis videlicet animæ meæ de corpore, peto, Domine, ut non permittas me pernicioso timore horrere, sed sic potius facias vivere, ut mihi congruum, et proficuum, et utile sit velle dissolvi, et cum Christo esse. Dissolvi enim et cum Christo esse, certe nihil melius, nihil gloriosius, nihil felicius, nihil jucundius, nihil delectabilius, nihil dulcius, nihil suavius, nihil amabilius, nihil optabilius, nihil desiderabilius. Tamen si adhuc permanere in carne propter quoscunque necessarium est, quid dicam? Certe quamvis torquente conscientia valde sibi male conscia, dicam, Pater, dicam : Fiat voluntas tua ! Tu enim qui nosti etiam bene uti malis, tu solus scis quare hoc fecisti, habens potestatem ex eadem luti massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam, potestati tuæ nemine resistente, nemine prohibente, nemine contradicente. Et quid contradicere potest creatura Creatori, factura Factori? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quare me sic finxisti? Quippe cui vis misereris, et quem vis induras. Quapropter nescit homo mortalis utrum odio, an amore dignus sit, sed omnia in futuro reservantur incerta. Unum autem certum, firmum, stabile, et perpetua constat æternitate immutabile scilicet quod Deus es, quod omnipotens es, quod bonus es. Ergo in nobis et de nobis quod bonum est in conspectu tuo, clementissime Pater, fiat, fiat ! In ditione quidem tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ. Si decreveris salvare nos, continuo liberabimur : a cujus liberationis gratia, ne multitudo ac magnitudo peccatorum meorum faciant extorrem et indignum, jube, Domine, miserrimam animam meam consolari, quod misereris omnium, et nihil odisti omnium quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Fac ergo me, Domine, fructum dignum pœnitentiæ facere. Fac, piissime, ut antequam in desperationis barathrum incidam, antequam me mors occupet, antequam dies ultima mihi aditum intercludat, da ut inveniat servus tuus cor suum ad satis tibi faciendum pro tantis tamque horribilibus ac nefandis criminibus, quibus me confiteor obnoxium majestati tuæ, et quam gravissime, heu ! heu ! quam damnabiliter! Sed tu, clementissime et piissime Deus, avertens faciem tuam ab his malis, noli me secundum actum meum judicare, sed clementer satisfactionem meam suscipiens, exaudi me, ut vel nunc prope finem meum cum jam multum non laboraturus sum, omnia interiora mea tuis sanctis non negligam neque differam occupare obsequiis. Illumina, quæso, Domine, mentem meam ad investigandam, et inquirendam, et scrutandam semitam mandatorum tuorum, ut nulla mihi jam dominetur iniquitas, neque possideant me domini absque te : sed tu possideas rogo, tu domineris mei. Peto tu, benignissime, doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Dominus Deus meus, et ego servus tuus et filius ancillæ tuæ. Fiat igitur nunc mihi, Domine, per gratiam tuam, ut, abdicata omni dominatione vitiorum, non superbia, non avaritia, non luxuria, non ille omnium iniquissimorum iniquissimus, omnium nequissimorum nequissimus, impiissima crudelitate, et crudelissima importunitate intolerabilis, pessimus blasphemiæ spiritus, non ulla vitiorum pestis valeat mentem meam ullo modo evellere, aut avertere a fiducia immensæ

bonitatis tuæ. Verum de immensitate misericordiarum tuarum fideli confidentia roboratus, quæso ut audeam de te securius dicere : « Tuus sum ego, » ita ut tu me agnoscens membrum illius sancti corporis tui, cui dicere dulce habes : « Audi, Jacob serve meus, et Israel, quem elegi, faciens et formans te ab utero, auxiliator tuus, quia ego sum, qui deleo iniquita- A tes tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. » Non recorderis amplius peccata mea, sed propter te, precor, deleas iniquitates meas, propter te tribuas mihi gratiam tuam, ut ad tanti sacramenti mysterium accedenti dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit.

ANNO DOMINI MXCI

SANCTUS WILHELMUS

ABBAS HIRSAUGIENSIS

NOTITIA HISTORICA IN S. GUILLELMUM

(FABRIC., *Biblioth. et inf. Lat.* III, 150.)

Willhelmus, abbas ab anno 1068 Hirsaugiensis in diœcesi Spirensi, defunctus an. 1091, III Non. Jul., de quo Trithemius cap. 352. De S. E. et De Germanicis scriptoribus, c. 57, et lib. II Illustr. Benedictin., cap. 102, atque in Chronico Hirsaugiensi, pag. 62, seq., et Anonymus Mellicensis cap. 108. Ejus scripta sunt : *Constitutiones* sive *Consuetudines monachorum Hirsaugiensium*, libris II. [Editi sunt in Benedictinorum e congregatione S. Blasii in Silvanigra præclara Sylloge veterum monumentorum cui titulus : *Vetus Disciplina monastica.* Paris, 1726, 4°, p. 37-132.] *Prologum* vulgavit Mabillonius tom. IV. Analect., p. 465 (edit. novæ p. 134 seq.) *Philosophicarum et astronomicarum institutionum* libri III, editi Basil. 1531, apud Henr. Petri. *De musica et tonis. De correctione Psalterii* sive errorum in cantibus deprehensorum. *Quæstiones de computo. De horologio. Epistolæ ad diversos, et ad Anselmum Cantuariensem,* cujus etiam exstant quædam ad Willhelmum hunc epistolæ.

VITA BEATI WILHELMI

HIRSAUGIENSIS ABBATIS

Auctore Heymone monacho Hirsaugiensi coæquali et beati Wilhelmi discipulo.

(MABILL. *Acta sanctorum ord. S. Bened.*, Sæc. VI, p. II, p. 717, *ex Carolo Stengelio, monacho Sancti Udalrici Augustensis.*)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Etsi Hirsaugiense monasterium, jam ab aliquot annis, antequam ipsi Wilhelmus præficeretur, restauratum fuisset, perfectaque fere fuissent totius monasterii ædificia, quod ab octo circiter annis monachi inhabitabant, nondum tamen firmus erat monasterii status, tum ob Friderici abbatis dissidia cum monachis, tum ob Adelberti comitis inconstantiam, qui non ita monasterii bonis, quæ tandiu possederat injuste, plane cesserat ut de iis sibi aliquando arrogandis, si opportuna sese offerret occasio, non cogitaret. Verum utrique morbo brevi medelam attulit Willelmus noster, in quo summa prudentia in rebus gerendis, animi fortitudo in adversis superandis, ac pietas et religio in monastica disciplina reparanda et tuenda ita enituere, ut jure merito ab omnibus inter illustriores cujus undecimi sæculi viros recenseatur. Hujus beati viri Vitam scripsit Heymo ejus discipulus, quem postea Gebhardus post beati Wilhelmi obitum in abbatem assumptus, priorem monasterii constituit. De eo Heymone sic loquitur Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 1091 : Erat sane vir studiosissimus, B et tam in divinis Scripturis quam in sæcularibus litteris egregie doctus, ingenio subtilis, et satis admodum comptus eloquio, qui eruditionis suæ præclara monumenta reliquit. Scripsit, inter cætera ingenii sui opuscula, Vitam et miracula beati Wilhelmi, supradicti abbatis ; quam tamen quidam alius frater postea volens ampliare, breviorem reddidit. Scripsit etiam nonnullos sermones et homilias, quæ, ut plurimum ex errore, alteri cuidam ejusdem nominis Heymoni, ex monacho, Halberstadiensi episcopo, viro æque doctissimo, ascribuntur. *Idem Trithemius in editione Sangallensi hujus auctoris nomen sincerum* Haymonem *fuisse observat,* quem, *inquit,* nonnulli Heymonem, quintam cupientes litteram, Saxonum usu pro prima nuncuparunt. *Laudat deinde summam ejus in colligendis et describendis sanctorum Patrum operibus sollicitudinem et diligentiam, adeo ut, cum esset in omni genere doctrinæ studiosissimus, fratres suos verbis et exemplis ad idem præstandum inducens, brevi in Hirsaugiensi cœnobio bibliothecam instructissimam comparaverit. De ejus vero lucubra-*

tionibus sic habet : Fuit..... non minus in carmine quam in oratione soluta exercitatus, in moribus quoque compositus, maturus, et religiosissimus, qui fratres in omni puritate regularis observantiæ præcessit..... Scripsit inter cætera opuscula .... Vitam, conversationem et miracula sanctissimi abbatis Wilhelmi bino volumine, quod postea frater quidam abbreviavit. Scripsit et De musica parvum et non inutilem libellum, homilias quoque ad fratres nonnullas, quæ Heymoni Halberstadensi episcopo ex errore multoties ascriptæ inveniuntur..... Compilavit et alia quædam synthemata. *Ex his duo colligi possunt : primum, Heymonis nostri opuscula nonnulla Haymoni Halberstadiensi tributa fuisse : et quidem, ut prosequitur Trithemius,* ita confuse plerumque tam istius scripta quam illius commista videntur, quod, nisi lectoris provida sagacitas ea noverit discernere, non facile cui debeant attribui, phrasis differentiam haud intelligens, valeat judicare. *Secundo, ex supra laudatis Trithemii verbis colligimus beati Wilhelmi Vitam, quam hodie unico libro comprehensam habemus, primum in duo volumina fuisse divisam. Verum, ut ut sit, idem semper est Heymonis fetus, qui cum fuerit beati Wilhelmi discipulus, ea quæ coram viderat et audierat, scriptis mandavit, ut ipse non semel disertis verbis testatur, et quidem num. 24 se pii Patris morti interfuisse memorat. Quæ vero Trithemius de eodem Wilhelmo in utraque Hirsaugiensis Chronici editione habet, potissimum desumpta sunt ex hac Vita, quam hic exhibemus ex Carolo Stengelio monacho Sancti Udalrici, qui eam cum observationibus et notis singulari libello typis edidit Augustæ Vindelicorum anno 1611. sed priusquam eam proferamus, nonnulla in antecessum pro more nostro observanda sunt, quæ potissimum ex Trithemio mutuabimur, cæteris in notas ad Vitæ ipsius textum rejectis.*

2. *De Wilhelmi parentibus et ejus in monasterio Sancti Emmerammi educatione nihil observandum occurrit præter ea quæ in ejus Vita habentur, nec animus est de iis omnibus quæ [gesserit] vel in Hirsaugiensi monasterio, vel in aliis monasteriis a se exstructis aut reparatis hic fusius agere ; sed pauca solummodo hic proferemus ad illustranda beati abbatis gesta, quæ in Vita desiderantur, nec facile potuissent intra notarum marginalium metas coarctari. Wilhelmus itaque in abbatem ab Hirsaugiensibus post Friderici exauctorationem cooptatus, consentiente proprio abbate suo, Hirsaugiam venit anno 1069 die 28 mensis Maii. Possessionem abbatiæ iniit die* IV *Nonas Junii sequente. At nescius erat, inquit Trithemius, injuriarum quæ in Fridericum illatæ fuerunt; quas cum rescivisset, comitem Adelbertum* exhortari cœpit, quatenus virum innoxium dignitati suæ restitueret, cujus locum eo vivente occupare nemini penitus liceret. *Jam ideo reditum parabat vir sanctus, ne talis se criminis participem faceret. Sed tamen postea fratrum omnium precibus cedere coactus, ita remansit ut, vivente Friderico, nunquam benedictionem ab episcopo susceperit, nec locum abbatis voluerit occupare. Hic fuit Hirsaugiæ status ad annum sequentem, quo, defuncto Friderico, Wilhelmus solemniter ab Henrico Spirensi antistite in abbatem benedictus est. Id die* IV *Nonas Maii in festo Ascensionis Dominicæ factum fuisse scribit Trithemius ; sed hi characteres chronologici non sibi cohærent. Etenim ab anno 1050 ad hujus sæculi finem semel ascensio Domini in diem Maii 4 incidit, anno scilicet 1060, qui ordinationis Wilhelmi esse non potuit, certe necdum tunc abbas erat Fridericus. Vitæ auctor beatum virum ipsa die Ascensionis* in sedem abbatis collocatum *fuisse scribit,* IV *Nonas Junii. Quod nonnisi anno 1071 competere potest.*

3. *Wilhelmus in abbatem consecratus, facultates monasterii adeo exiguas invenit ut quindecim monachis alendis vix sufficerent ; illi vero ita erant Adelberti comitis Calbensis arbitrio subjecti, ut vix quidquam absque ejus permissu in monasterio auderent. Id ferre non potuit piissimus abbas. Quare post multos superatos labores, ab eodem tandem a comite sui monasterii libertatem, quam imperatoriæ auctoritatis diplomate et summi pontificis confirmatione asseri curavit. Utriusque, pontificis scilicet et Augusti, litteras refert Trithemius in veteri et nova Chronici Hirsaugiensis editione, quæ an eædem sint quas Vitæ auctor laudavit, alii judicabunt. Bertholdus Wilhelmum laudat, quod* Hirsaugiense monasterium, tam in ædificiis quam in regularibus disciplinis, mirabiliter exaltarit, ipsumque privilegio sedis apostolicæ sub Gregorio papa in perpetuum libertarit. *Cæterum Willelmus hoc pacto ab exterorum jugo cum suis absolutus, totum sese ad gregem suum pascendum, et monasterii ædificia restauranda convertit. Anno 1071 ecclesia, quam ab annis decem Adalbertus inchoaverat, consummata et consecrata est ab episcopo Spirensi, rem ipso comite promovente, qui ex monasterii perturbatore in ejus defensorem et benefactorem jam mutatus fuerat. Multum etiam creverunt monasterii facultates, crescente monachorum numero. Etenim, uti scribit Trithemius,* lucrifaciendi animas gratiam a Domino singularem promeruerat *Wilhelmus,* cujus operatione multos et pene innumerabiles ad Christi obsequium in monasterium convertit..... substantiam quoque rei familiaris temporalem ex oblationibus fidelium brevi tempore in multis valde augmentavit. *Centum quinquaginta monachi ex eo tempore semper in monasterio Hirsaugiensi fuere sub Wilhelmi disciplina, et licet multi frequenter ad alia monasteria reformanda exinde transmissi fuerint, statim ex his qui de novo ad monasticam vitam accedebant numerus ille instaurabatur. Quæ vero fuerint eorum sub tanto Patre exercitia Trithemii verbis exponere juvat ex nova Chronici ejusdem monasterii editione, ubi sub finem anni 1070 sic habet :*

4. Hi semper erant divinis laudibus dediti et orationi, meditationi ac lectioni sanctarum Scripturarum jugiter intenti. Illi qui ad contemplationem cœlestium minus videbantur idonei, necessariis deputabantur laboribus manuum, ut nullum tempus inter eos transiret otiosum. Sciens autem sanctus Pater, experientia laudabiliter doctus, necessarium mentis pabulum divinarum esse lectionem Scripturarum, duodecim e monachis suis scriptores optimos instituit, quibus ut divinæ auctoritatis libros et sanctorum Patrum tractatus rescriberent demandavit. Erant præter hos et alii scriptores sine certo numero, qui pari diligentia scribendi, voluminibus operam impendebant. Et his omnibus præerat monachus unus, in omni genere scientiarum doctissimus, qui unicuique rescribendum opus aliquod bonum injungeret, mendaque negligentius scribentium emendaret. Multa fratres per temporis cursum rescripsere volumina, *addit Trithemius,* quorum tamen pars minima in hoc Hirsaugiensi monasterio remansit ; sanctus etenim Pater, qui lucrum et utilitatem animarum cunctis mundi rebus semper præposuit, quoties fratres pro reformatione ad alia monasteria destinavit, libros et quæcunque eis videbantur necessaria, libera et spontanea voluntate dedit. etc. O virum per omnia laudabilem, qui animas Christi sanguine redemptas commodis transeuntis lucri præposuit, et aliorum utilitati consulens, mundi perituras divitias minime quæsivit ! Profecto ista virtus paucorum est ut abbates propria monasteria suis denudent vel ornatibus vel codicibus, et inopiæ subveniant aliorum.

5. *Præter hos centum et quinquaginta monachos, quos in Hirsaugiensi cœnobio sub beati Wilhelmi disciplina vixisse diximus, alii erant* fratres, barbati *seu* conversi *dicti, qui labori manuum potissimum insistentes, monachorum contemplationi deditorum sustentationi necessaria providere curabant.* Ex his, *inquit Trithemius,* erant omnium artium mechanicarum peritissimi operatores, qui omnes totius cœno-

bii structuras suis manibus summa diligentia consummaverunt. . qui monasterium simul et ecclesiæ (ut in sculptura turrium hodie cernitur, totius ædificium pulchra dispositione construxerunt. Vestiarii quoque, coriarii, calcearii, et quidquid artificii ad usum claustralium requiritur, non sæculares, non mercenarii, non servitores conducti, sed conversi vel monachi barbati fuisse omnes memorantur. Hunc vero conversorum ordinem sanctus ipse Wilhelmus abbas in Germania primus instituit, quorum laboribus adjutus tot monasteria fundavit, et omnes monachorum necessitates laudabiliter adimplevit. His vir Dei statuta sanctæ regulæ conformia tradidit, quibus eorum mentes continua informatione ad contemptum mundi et amorem cœlestium inflammavit. *Subjungit Trithemius conversorum illorum leges, quæ infra in Vitæ num. 23 habentur. Porro alii erant a conversis* Oblati, *quos etiam beatus abbas, exemplo Cluniacensium, uti prosequitur Trithemius, in suo monasterio instituerat.* Istos enim manere in pristino habitu, *id est sæcularium more indutos*, sacra constitutione permisit. *In hos rejiciebantur quæ extra monasterium curanda erant, monachum habebant* magistrum *ad eorum institutionem, et destinatus eis erat* reficiendi locus a monachis et conversis separatus, ut eos non inquietarent.

6. *Nihil prorsus omittebat vir sanctus, ut omnium istorum ordinum discipulis suis convenientia instituta provideret. Hinc tanta erat ejus sollicitudo in scrutandis monasteriorum celebriorum piis consuetudinibus ut ex eis ea adoptaret quæ sibi suisque magis utilia viderentur. Sic ea de re ipsemet loquitur in prologo ad Consuetudines Hirsaugienses* : Statui, *inquit*, apud me, ut ubicunque aliquid informandis fratrum moribus proficuum visu vel auditu, vel certe lectione sacrorum librorum perciperem, totum hoc quasi vivos lapides ad spiritualis structuræ fabricam conferrem. *Multum hac in re sanctum abbatem adjuvit Bernardus abbas Massiliensis, Romani pontificis tunc temporis in Germania legatus, qui ob turbatam inter sacerdotium et imperium pacem, annum unum pene integrum in Hirsaugiensi monasterio transigere coactus fuit. Hic cum advertisset ejusdem loci* fratres justæ ac sanctæ vivendi ardentissimo flagrare studio, *Wilhelmum abbatem monuit, ut, si vellet monasticæ conversationis instituta perfecte cognoscere, necesse esset ea mutuari ex monasterio Cluniacensi, quod tunc temporis inter cætera Galliæ Cisalpinæ cænobia monachorum sanctissimorum numero, et regularis disciplinæ accurata observatione potissimum eminebat. Nihil exinde omisit Wilhelmus, ut Cluniacensium vivendi formam perspectam haberet. Quare cum aliquanto post tempore Udalricus monachus Cluniacensis, dudum cum Wilhemo amicitia conjunctus, in Alemanniam missus, Hirsaugiam divertisset, ab eo pius abbas obtinuit ut accurate monasterii Cluniacensis consuetudines describeret. Quod re ipsa postea Udalricus exsecutus est, ut in ejus Vita inferius ad annum 1093 dicemus. Subinde tamen oriebantur difficultates, quæ vix scriptis poterant elevari : quare Wilhelmo visum est monachos duos Cluniacum mittere, qui res coram viderent; misit et paulo post alios duos, et iterum duos, qui adeo perfecte omnia Cluniacensium instituta* rimati sunt, *inquit in prologo laudato*, ut ipse eorum magistri affirmarent, nunquam aliquos illius spiritualis scholæ discipulos, vel plenius vel veracius suæ institutionis artem comprehendisse. *Porro Wilhelmus, mandante Hugone Cluniacensium abbate, cui Bernardus in Gallias reversus abbatem et monachos Hirsaugienses multum commendaverat,* coadunato seniorum consilio, *ea quæ in istis consuetudinibus patriæ moribus, aeris temperiei et locorum situi melius congruebant, selegit, quæ suis discipulis tum apud Hirsaugiam, tum in aliis Germaniæ monasteriis ejusdem instituti observanda commendarit, scriptis ea de re duobus libris, quos nuncupavit* De Consuetudinibus Hirsaugiensibus. *Quæ quidem con-*

A *suetudines, ut monet Trithemius in plerisque Germaniæ monasteriis viguerunt usque ad Bursfeldensium reformationem, cujus constitutionibus omnia ferme Hirsaugiensium instituta abolita fuere.*

7. *Wilhelmi sollicitudo non intra unius Hirsaugiensis monasterii septa arctabatur; de ejus in procuranda aliorum monasteriorum reformatione audiendus Trithemius, qui in veteri Chronici editione, post aliquot enarrata ejus miracula, sic concludit* : Sed his narrandis vix insistam miraculis, cum omnium miraculorum maximum sit ipsius instauratio monastici ordinis et disciplinæ regularis, cujus necdum feci mentionem. Ipse namque est qui ordinem nostrum in omnibus pene Teutonici regni provinciis misere collapsum reformare studuit, et in multis etiam cœnobiis mirifice reformavit. Monachos enim quoscunque potuit, verbo et exemplo ad observantiam regularis disciplinæ, ferventissimo Spiritus sancti ardore succensus, revocavit, et summo studio pri- B stinum illum fervorem spiritus, quo sancti Patres nostri Benedictus, Maurus, Placidus, Columbanus, Gallus, Ægidius, Gregorius, Bonifacius, Lullus, et cæteri pene innumerabiles, olim fervebant in Deum, ad monachos sui temporis reducere mirum in modum cupiebat. *Tum monasteria septem recenset a beato abbate aut ejus discipulis de novo erecta, quæ pariter a Vitæ auctore laudantur. Ea vero omnia quæ ad Hirsaugiensem congregationem pertinuere, singillatim postea recenset in utraque Chronici editione, ubi etiam profert nomina abbatum, qui Hirsaugiensium consuetudines illis in locis instituerunt. Denique recenset alia monasteria, quæ cum Hirsaugiensibus societatem habebant; sed hæc fusius persequi ad nostrum non pertinet institutum. Sufficiat his paucis agere de iis locis quæ ab ipso beato Wilhelmo exstructa aut sane reparata fuere.*

8. *Primum locum inter illa monasteria tribuit Trithemius novo monasterio Hirsaugiensi cæterorum principi, quod a fundamentis totum construxit Wil-* C *helmus in honorem sanctorum Petri et Pauli apostolorum juxta fluvium Naghaltæ, remanente priore Sancti Aurelii monasterio, quod in altera ejusdem fluminis ripa exstructum, angustius erat. Istud incæpit Wilhelmus anno 1082, cujus opifices præcipui, ut jam diximus, fuere ejusdem loci monachi et barbati fratres : sumptus vero suppeditaverunt viri nobiles et divites vicini, ad id beati Wilhelmi ejusque discipulorum sanctitatis fama illecti. Inter eos laudatur potissimum Hermanni marchionis uxor, postquam ille divino amore tactus Cluniacum secessisset, ubi ignotus, custos porcorum factus, usque ad finem vitæ perseveravit sub beati Hugonis disciplina. Post novem annos, consummatis monasterii novi ædificiis, ecclesia ejus solemniter dedicata fuit a Joanne, episcopo Spirensi in octavo Paschæ, anno 1091, paulo ante beati abbatis obitum, qui eodem anno contigit die 4 Julii, ut inferius suo loco dicemus.*

9. *Anno* 1083, *qui fuit Wilhelmi* XIV, *constructum* D *est monasterium in Richenbach, cujus fundationis tabulæ ab ipso Wilhelmo editæ habentur apud Trithemium, sub hac forma* : In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Wilhelmus nullis meis meritis, sed sola Dei misericordia Hirsaugiensis cœnobii abbas, notum esse desidero omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod quidam ingenuus senior, Bern nomine, prædiolum suum in Nigra-Silva situm, qui locus ibidem a rivo, qui Murgam influit, Richenbach vocatur, sancto Aurelio Hirsaugiæ in præsentia idoneorum testium in æternam hæreditatem tradidit, id unice postulans ut ibidem monasterium construi satagerem. Accepto igitur communi concordique seniorum nostrorum consilio, misimus fratres nostros monachos tres, et laicales quinque in idem prædiolum, nemore densissimo hispidum, quatenus silva eruta, locoque purgato, construerent monasterium beato Gregorio. Anno itaque Incarnationis Dominicæ 1082, indictione v, circiter Idus Maii,

cum venissent iidem fratres in prædictum locum, A haud paucis diebus pro tugurio fruebantur nuda abiete. Horum autem unus vocabatur Ernestus, vir probus et curialis, qui jampridem se suaque omnia nostræ dederat obedientiæ; quem cum suis omnibus eidem loco in adjutorium concessimus. Exstitit ergo idem Ernestus loco et fratribus provisor et quasi Pater secundus, qui ad exstirpandam silvam, ad purgandum locum, ad ædificandum monasterium, ad construendas officinas maxime suas ipse impensas dedit, et undequaque competenter acquisivit. Ejus ergo parentumque ipsius, sicut et meam meorumque memoriam ibidem celebrem haberi dignum judicavi, litterisque firmavi. Acta sunt hæc anno præscripto. *Notat Trithemius præter hunc, alios complures* prioratus *a Wilhelmo fundatos fuisse, ex iisque nonnullos postea evasisse in abbatias, alios vero ab Hirsaugiensium obedientia paulatim defecisse: hunc vero cum Schonreinsi in diœcesi Herbipolensi, et præposituram Rothensem in Augustana, sub immediata Hirsaugien-* B *sis abbatis jurisdictione adhuc suo ævo perseverasse. De Reichenbach iterum dicemus, ubi de Hasungensi monasterio.*

10. *Secundum monasterium, a beato Wilhelmo de novo exstructum, dicitur Sancti Georgii, diœcesis Constantiensis, in Silva-Nigra situm. Fundum concessit Hezilo, vir nobilis et dives, qui adhortante Hessone, sumptus cum prædio suo ad monasterii constructionem se præstiturum pollicitus est. Rem in se suscepit Wilhelmus, ac consummatis ad regularem disciplinam necessariis ædificiis, novo monasterio præfecit Henricum, quem illuc cum aliis e suis discipulis direxit. Eo defuncto alium in ejus locum substituit Wilhelmus; quem, cum minus esset ad monasterii regimen idoneus, ad Hirsaugiam revocavit. Non enim eos quibus ejusmodi locorum curam committebat, vir sanctus a sua absolvebat subjectione. Ægre tamen tulit id factum Gebhardus Constantiensis antistes, qui hunc abbatem, sicut et ejus prædecessorem solemni ritu benedixerat: unde tertium ordinare re-* C *nuit, nisi prius eum a sua obedientia liberum faceret Wilhelmus. Is fuit sanctus Theogerus, ex Hirsaugiensi monasterio pariter assumptus, qui post viginti et octo (alio in loco Trithemius triginta habet) regiminis annos, Mettensium episcopus ordinatus est. Hic sancti Georgii monasterium multum illustravit, et alia monachorum ac sanctimonialium ædificavit monasteria, ita ut animarum* DCC *tam virorum quam mulierum curam habuisse dicatur. De eo agemus, Deo dante, Sæculo sequenti. Monasterium Sancti Georgii invasit non ita pridem dux Witembergensis Lutheranus, et monachi cum abbate alio transmigrare coacti Willingam secesserunt, ibique hactenus perseverant.*

11. *Tertium monasterium, quod a beato Wilhelmo constructum esse memorant Vitæ auctor et Trithemius, situm erat in Bavaria, sub beati Martini Turonensis antistitis patrocinio fundatum, nec de eo plura habent illi auctores, nisi quod illuc beatus vir transmiserit abbatem et aliquot monachos in regu-* D *lari disciplina probatissimos.*

12. *Quartum locum obtinet monasterium Sancti Petri Erphordiense in Thuringia, cujus curam commendavit Wilhelmus Giselberto, qui ex monacho Hirsaugiensi jam tunc temporis, ut dicemus infra, abbas erat Reinharzbronnensis vicini monasterii. Verum post beati abbatis mortem, Gebhardus ejus successor, anno sui regiminis* XI, *illuc monachos duodecim cum Burchardo, quem eis præfecit abbatem, direxit. Multis vero argumentis probat Trithemius hoc monasterium non fuisse Wilhelmo antiquius, quod suo tempore nonnulli ipsum a Dagoberto rege conditum fuisse contenderent.*

13. *Quintum monasterium sub beatæ Mariæ patrocinio ad Duplicem-Aquam, lingua Theutonica* Zwifalten *dicitur, situm in Suevia, diœcesis Constantiensis prope Danubium, ut monet Bertholdus. Hoc vetustiorem quidem habuit originem, sed ita tunc destructum jacebat ut nihil penitus ex antiquo monasterio superesset. Illud Wilhelmus ad Bertholdi ducis preces a fundamentis omnino reparavit, positis ibi monachis, quibus Notgerum abbatem præfecit, qui* gregem sibi commissum, *ut testatur passim Trithemius,* verbo et exemplo in vera innocentia pavit. *Notgeri memoria recolitur in Menologio Benedictino Bucelini die 6 Martii, ubi obiisse dicitur anno* 1095. *Idem auctor memorat die* 18 *Augusti Luitolfum, ex comite Achalmensi monachum Zwifaltensem, quem ibidem obiisse dicit anno* 1098. *Eodem die celebrat Luitoldum comitem de Achalm, anno* 1096 *defunctum, sed idem ipse est Luitolfus. Luitolfum ex comite monachum* XX *Kal. Septembris defunctum laudat Bertholdus in Chronico.*

14. *Sextum monasterium beatus Wilhelmus construxit in villa, Wilheim dicta, quod varias fortunas pertulit. Primum quidem sub* prioratus *titulo ibi constructum fuisse ex Trithemio ad annum* 1083 *discimus, quod postea in montem Sancti Petri translatum est, et in abbatiæ dignitatem evectum; sed procedente tempore amisso abbatiæ titulo in primum ordinem redactum, ac denique in parochialem residentiam transformatum fuit, ut monet Trithemius, sic de ea cella ad annum* 1085 *loquens:* Nunc est parochialis residentia in Gilheim, monasterio Hirsaugiensi penitus incorporata et abbati subjecta. *Qui primus huic monasterio a beato Wilhelmo præfectus fuit, dicitur Adalbero apud eumdem Trithemium, vir, ut idem auctor testatur,* regularis observantiæ studiosissimus.

15. *Septimum denique monasterium, quod beatus Wilhelmus a fundamentis erexisse memoratur, in Carinthiæ ducatu situm erat, in loco Laven dicto. Huc monachos duodecim beatus Pater transmisit, quibus Wezilonem probatæ virtutis virum, in Francia orientali genitum præfecit, quem* vitæ meritis venerabilem ac multis clarum virtutibus *fuisse,* ac multa monasteria in illis provinciis pene collapsa instaurasse ac reformasse *scribit Trithemius. Porro ex iis monachis, qui cum Wezilone in Carinthiam advenerant, duo, Sigewinus scilicet et Gaudentius, in abbates electi fuere, prior in monasterio* Rosaz prope Aquileiam in Sclavonia, *inquit Trithemius, alter vero in altero monasterio, cujus nomen reticet. Verum id præsumpserant absque abbatis Hirsaugiensis venia, unde communi Hirsaugiensium monachorum decreto statutum est ut nomina eorum ex* sancto collegio fratrum *abraderentur, nec haberentur unquam apud Hirsaugienses pro abbatibus. Qua de re compunctus Sigewinus Hirsaugiam rediit, et resignato in manus Gebhardi, qui jam sancto Wilhelmo successerat, abbatis titulo, veniam postulavit, et jubente Gebhardo omnium ultimus in congregatione sedit. Sed ei pœnitenti idem abbas postea non solum pœnitentiam relaxavit, verum etiam in abbatis dignitate restituto Rosacum redire permisit. Hæc de monasteriis a beato Wilhelmo exstructis.*

16. *Sed præter illa Vitæ auctor tria alia commemorat, quæ idem sanctus pene jam destructa restauravit.* Schaffusense *scilicet,* Petershusen *et* Campergense. *De Schaffusensi, cui Sigefridum petentibus loci monachis præfecit, plura diximus ad annum* 1075 *occasione Ebehardi ejusdem loci ex comite monachi, Petershusen, seu potius Petroburgense, id est domus Petri, conditorem habuit sæculo decimo Gebhardum Constantiensem episcopum, ut diximus in ejus elogio Sæculo superiori ad annum* 995. *ubi plura de ejusdem monasterii fundatione habentur, quæ hic non juvat repetere. Hujus loci abbas a Wilhelmo constitutus est Dietricus seu Theodericus, antea prior Hirsaugiæ. Situm est hoc monasterium in Suevia e regione urbis Constantiæ, cis pontem Rheni, in dextera ejus e lacu Acronio prodeuntis ripa. Varias ejus clades recenset Stengelius in Monasteriologio, hodieque sub nostro ordine celebre subsistit. Denique monasterium Campergense anno* 1079 *construi cœpit a Burchardo comite*

Rotenburgensi, qui post annos novem, consummatis monasterii ædificiis, a beato Wilhelmo duodecim monachos ex monasterio Hirsaugiensi obtinuit cum Gonthero abbate, viro, *inquit Trithemius*, sancto et valde religioso, qui commissum sibi pastoralis curæ officium diligentissime prosequens, magnam multitudinem Deo servientium monachorum brevi tempore in eodem loco congregavit. *Huc monachi Hirsaugienses advenerunt anno 1088. Wilhelmi abbatis* XIX, *indictione* XI, *quo anno die 21 Decembris ecclesia Campergensis in honore sancti Nicolai cum capellis et altaribus quatuordecim dedicata fuit a sancto Adelberone episcopo Herbipolensi, in cujus diœcesi sita erat. Insignes habuit præter Burchardum alios benefactores, potissimum Henricum comitem, postea ducem, ejus fratrem, qui quatuor oppida, et plures villas eidem monasterio donasse perhibetur. Locus ille celebris perseveravit sub Benedictino ordine usque ad Trithemii ætatem, sed tandem monachi Campergenses,* novissimis, *inquit ille*, diebus nostris persuadentem intus diabolum secuti, ab ordine sancto, quem professi fuerant recesserunt, sine regula cupientes vivere, facti sunt nomine et conversatione canonici sæculares.

17. *Porro his monasteriis ab auctore Vitæ laudatis alia Trithemius adjungit, quæ a beato Wilhelmo reformata fuerunt. Ex his sunt monasterium Alfortense in diœcesi Argentoratensi, cui abbatem præfecit Welichonem, a Trithemio laudatum, quod non solum monachos sibi commissos, sed etiam populos vicinos ad amorem Dei incitaverit. De hoc monasterio plura habes supra in observationibus ad Vitam sancti Leonis IX, ad annum 1054. Idem Wilhelmus in monasterio Ysnensi Constantiensis diœcesis abbatem instituit Erchinboldum, eruditione et sanctitate vitæ insignem. Ottenburensi diœcesis Augustanæ Wilhelmum, Burensi vero in eadem diœcesi, seu Benedictoburensi, Azelinum abbatem dedit. In Hughesofensi monasterio diœcesis Argentoratensis Conradum constituit abbatem, quem cum monachis decem illuc ex Hirsaugia transmisit; alii octo ad monasterium Beinvillarense diœcesis Bisuntinæ, in finibus Alsatiæ situm, ab eodem missi sunt, cum Essone abbate, qui diu cellerarii officio in Hirsaugiensi monasterio functus fuerat. Hic Esso obiit* VI Kalendas Januarii, miraculis coruscans, *ut testatur Trithemius, sed ejus exitus annum non expressit. Refert idem auctor monachos primum in ecclesia Gundelfingensi circa idem tempus positos fuisse, sed illos postmodum Hirsaugiam, nescio quo casu, translatos fuisse, quibus canonici substituti fuerunt ab Adelberto comite loci fundatore. Monasterio sancti Joannis Magdeburgensis, ad fratrum ibidem degentium et archiepiscopi ejusdem urbis petitionem, præfectus est abbas Hildeboldus, qui, inquit Trithemius,* disciplinam monasticam juxta exemplar et constitutiones divi præceptoris sui Wilhelmi per totam Saxoniam dilatavit.

18. *Celebris etiam fuit tempore Wilhelmi abbatis monasterii Hasungensis in Thuringia fundatio. Facta est a Sifrido Moguntinensi archiepiscopo, qui ob dissidium inter Romanum pontificem et Henricum Augustum sede sua cesserat. Hunc locum elegit Sifridus, quod jam celebris esset ob frequentia miracula, quæ ad sancti Heymeradi presbyteri tumulum fiebant, anno 1019 ibidem sepulti. Consummato ac dotato monasterio Sifridus monachos tredecim ex Hirsaugiensi familia a beato Wilhelmo impetravit, ex quibus Giselbertum* virum doctum, prudentem et valde religiosum, *ordinavit abbatem. Floruit aliquandiu sub hujus regimine Hasaugense monasterium, ubi degebant aud minus quam septuaginta monachi aut conversi, quos pius abbas verbis et exemplis ad regularem disciplinam informarat. At invalescentibus turbis, veritus est Giselbertus, ne schismaticorum consuetudine sui discipuli a recto tramite deviarent, quare Hirsaugiam cum illis omnibus reversus est. Ii omnes a Wilhelmo cæterisque fratribus benigne*
A *excepti, aliquod tempus apud Hirsaugiam transegerunt. Quibus postmodum data est ad inhabitandum cella Sancti Gregorii de Reichenbach, de qua supra num. 9, plura observavimus. Denique Giselbertus monasterii Fontis-Reinhardi, seu Rheinardisbronnensis, in nemore Thuringiæ siti, abbas a beato Wilhelmo institutus est, cui etiam monasterii Erphordiensis, ut supra diximus, curam commisit, donec monachorum habitationi aptum esset. Hæc de variis monachorum coloniis, quæ sub abbate Wilhelmo ex monasterio Hirsaugiensi in varias Germaniæ regiones deductæ fuerunt. Nunc dicendum de discipulis ejus celebrioribus, qui Ecclesiam et ordinem nostrum illustrarunt.*

19. Fama, *inquit Trithemius*, sanctissimi viri Wilhelmi abbatis longe lateque per orbem divulgata, cœperunt ad eum multi confluere in sæculo nobiles et divites, qui, contemptis omnibus rebus pompisque mundi, suave jugum Domini sub ejus obedientia
B portandum subierunt. *Et quidem, ut ait Bertholdus, auctor Wilhelmo æqualis, in Chronico ad annum 1083 de tribus monasteriis, scilicet Sancti Blasii in Silva-Nigra, Hirsaugiensi et Scafhusensi loquens, marchiones et comites, aliique viri nobiles, admissi inter fratres Hirsaugienses, pascere porcos, aliisque ejusmodi vilioribus ministeriis sub Wilhelmi obedientia operam dare delicias computabant. Ex his nonnullos recenset Trithemius, qui ad Ecclesiæ dignitates postmodum evecti fuerunt. Primum inter eos locum obtinet sanctus Thiemo, ex monacho Hirsaugiensi archiepiscopus Saltzburgensis creatus, qui tandem in itinere Jerosolymitano martyr occubuit, ut in ejus Vita Sæculo sequenti videbimus. Duos ei subjungit Trithemius Gebhardos, quorum primus, Bertholdi ducis frater, in Constantiæ urbis sedem evectus, novam Hirsaugiensem ecclesiam consecravit, et legatus sedis apostolicæ factus, multos pro Ecclesiæ tuitione labores pertulit; alter ex priore Hirsaugiensi factus abbas post beati Wilhelmi excessum, tandem episcopus Spi-*
C *rensis ordinatus est. Iis accensendus Theogerus, multorum monasteriorum Pater, tum episcopus Mettensis factus, qui post obitum inter sanctos locum meruit. Ejus Vitam Sæculo sequenti, Deo concedente, dabimus.*

20. *Abbates ex Wilhelmi discipulis assumptos plerosque laudavimus, ubi actum est de monasteriis ab eo institutis. Iis adjungendus est Gotfridus, qui post beati Wilhelmi obitum Notgero Zwifalthensi abbati defuncto substitutus,* non sine opinione sanctitatis, *inquit Trithemius*, ex hac vita decessit. *Idem auctor laudat Erminoldum, ex Wilhelmi discipulo abbatem Laurissensem, qui cum, abdicata dignitate, Hirsaugiam rediisset, tandem primus abbas Pruveningensis factus est, et multis virtutibus clarus post mortem sancti titulum promeruit. Hujus quoque Vitam suo loco dabimus Sæculo sequenti.*

21. *Nec prætermittendi sunt priores Hirsaugiæ, qui sub abbate Wilhelmo floruerunt. Primus occurrit apud Trithemium Adelbertus,* vir, *inquit Trithemius*,
D omnium virtutum ornatu decorus, vitæ sanctimonia paternæ traditionis auditor, custos et æmulator studiosissimus, qui etsi debilis corpore, mente tamen et fervore spiritus multis fortior fortissimis incessit.... quicunque illius visa conversatione sanctior non evasit, procul dubio nunquam sanctus fuit. *Post ejus felicem ex hac vita exitum beatus abbas Theodoricum ei substituit,* sapientia et eruditione Scripturarum illustrem, nec minus vitæ merito sanctum quam scientiæ studio eruditum. *Quo, ut mox dicebamus, Petershusensi facto abbate, Wilhelmus Ottonem ex cellerario priorem constituit, virum ætate maturum; huic successit Gebhardus, qui, ut jam diximus, in beati Wilhelmi locum post ejus mortem abbas Hirsaugiensis ordinatus est. Inter celebriores Wilhelmi discipulos locum habere debet Adalbertus comes, qui beati abbatis ejusque discipulorum sancta conversatione permotus, ad meliorem frugem adductus, tandem professus vitam monasticam*

sancto fine quievit. Id non solum ex Trithemio discimus, sed etiam ex Bertholdo, Hermanni continuatore, qui hoc ipso tempore in illis partibus scribebat. Sic quippe habet, ad annum 1099 : Adelbertus comes piæ recordationis, in fidelitate sancti Petri contra schismaticos jam ex antiquo studiosissimus, et demum ex comite monachus factus, feliciter diem clausit extremum x Kal. Octobris, et in monasterio, quod ipse de propriis construxit, in quo monachicum habitum suscepit, honorifice sepelitur, scilicet Hirsaugiæ, præsidente domino Gebehardo abbate.

22. His *denique* temporibus, *ut Trithemius scribit*, claruerunt in monasterio Hirsaugiensi sub magisterio beatissimi Patris Wilhelmi plures monachi præclari et insignes, quorum aliqui fuerunt in omni genere scripturarum doctissimi, quidam sanctitatis merito gloriosi, nonnulli scientia Scripturarum simul ac vitæ merito coram Deo et hominibus consummati. *Et adeo erat, inquit Udalricus in præfatione ad Consuetudines Cluniacenses, Wilhelmi discipulorum a rebus terrenis aliena conversatio*, ut hi non aliam vitam quam illam, quæ est cœlestis et perpetua, exspectarent. *Hanc coram miratus est sanctus Anselmus ; nam si Trithemio fides est, Hirsaugiam venit, ibique transegit quatuordecim dies, in medio fratrum quasi unus ex illis residens, colloquens cum eis de Scripturis sanctis, de institutione morum regularium, de amore Dei animarumque salute, respondensque ad omnia fratrum interrogata. Certe ex ipso Anselmo discimus eum olim id desiderasse. Sic quippe epistolam ad beatum Wilhelmum scriptam concludit :* Si præsens essem coram vobis et coram sancta congregatione vestra, de qua multa bona a multis concorditer audio, supplici mente totum corpus prosternerem, et ut me bonorum, quæ Deus operatur in vestro monasterio, in perpetuum participem in fraterna charitate concederetis peterem. Sed quoniam ego hoc non possum, præsumo non de meis meritis, sed de vestra sanctitate rogare ut vos hoc pro me non humiliato corpore, sed benigna mente ab eisdem filiis vestris mihi petatis et cum illis concedatis. Valete. *Hæc epistola locum habet inter alias Anselmi libro* I, *num. 56 ; eam vero Trithemius integram, et quidem interpolatam exhibet in utraque Chronici Hirsaugiensis editione, ubi nonnulla interseruntur de Hirsaugiensi beati Anselmi itinere, quæ in aliis editionibus non habentur. Fallitur etiam idem auctor, cum scribit hanc epistolam a beato Anselmo jam Cantuariensi archiepiscopo, qui Romæ noverat Wilhelmum, exaratam fuisse ; illud enim vel ex hoc uno constat esse falsum quod Anselmus nonnisi post Wilhelmi mortem in sedem Cantuariensem evectus fuerit.*

23. *Referre non vacat omnia auctorum testimonia, quæ in Wilhelmi commendationem scripta sunt. Sancto Hugoni Cluniacensium abbati conjunctissimum fuisse ex Vita infra patebit. Laudat ejus humilitatem simul et charitatem beatus Udalricus, potissimum in præfatione libri* III *Consuetudinum Cluniacensium, ubi eum* totius religionis præcipuum amatorem *appellat. Enituit potissimum ejus charitas in suscipiendis exsulibus, qui fervente inter Gregorium pontificem et Henricum Augustum dissidio, sedes proprias relinquere coacti ad Hirsaugiense monasterium velut ad tutum portum confugiebant.* Multi, *inquit Trithemius*, viri boni Deum timentes, comites, barones, milites, nobiles et ignobiles, clerici et laici, divites et mediocres, qui animas suas a communione schismaticorum immaculatas custodire volebant, relictis castellis, domibus et ecclesiis suis, ad monasterium Hirsaugiense, quasi ad civitatem quamdam refugii venerant, quorum plures mutato habitu monachi facti sunt, et plures in habitu pristino Deo et monachis sanctæ congregationis usque ad mortem servierunt. *Mirari autem subit quod eo tempore, quo cæteri abbates et episcopi a schismaticis expellebantur, nullus tamen unquam ausus fuerit Wilhelmum e monasterio exturbare, quamvis non solum ipse cum suis in apostolicæ sedis obedientia remaneret, sed et etiam alios titubantes confirmaret, deviantes revocaret, ac denique omnes in suo monasterio reciperet ac enutriret. Tanta erat ejus sanctitatis opinio. Hic quippe, ut ait Trithemius*, sanctus iste Wilhelmus Dei famulus, nunquam induci potuit ut schismaticis Ecclesiam Domini conturbantibus vel consentiret in modico, vel communicaret.... Hic est *denique* Wilhelmus abbas sanctissimus Christi famulus, qui ordinem divi Patris nostri Benedicti suo tempore, pene collapsum in Germania, et deformatum insolentia monachorum, instaurare et reformare studuit, et plusquam centum monasteria tam per se quam suos ad pristinam regularis disciplinæ observantiam revocavit... *Hic denique* Wilhelmus, Hirsaugiensium ter quaterque sanctissimus abbas, octo nostri ordinis monachorum cœnobia in diversis provinciis fundavit. *Eumdem pluribus laudat Bertholdus Hermanni continuator, qui et nonnulla monasteria ab eo constructa aut restaurata recenset.* Wilhelmus, *inquit*, piæ memoriæ Hirsaugiensis abbas, in causa sancti Petri ferventissimus, et in monastica religione studiosissimus, utpote multorum Pater monasteriorum, III Nonis Julii migravit ad Dominum. Hic primum Hirsaugiense monasterium tam in ædificiis quam in regularibus disciplinis mirabiliter exaltavit, ipsumque privilegio sedis apostolicæ sub Gregorio papa in perpetuum liberavit. Plura etiam monasteria ex integro usquequaque construxit ; duo quidem in Nigra-Silva, unum sancti Georgii, alterum sancti Gregorii... item aliud ad Duplicem-Aquam prope Danubium, item aliud in Wirceburgensi episcopatu, in loco qui Camberg dicitur. Schafusense quoque monasterium, Petrishusense in ripa Rheni, jamdudum ædificata regularibus disciplinis instituit. Sed et alia quamplura in diversis regionibus, tum per se tum per sibi subjectos, et de novo fecit, et jam facta regularibus disciplinis instituit. *Et post multa :* Ante omnia in illo studium monasticæ districtionis prævaluit, in quo totus adeo efferbuit ac si nunquam aliud aliquid studii habuerit. Erat enim miræ sanctitatis, sanctæ simplicitatis, ferventissimæ charitatis, Deo vivus et sæculo crucifixus. Quem Dominus in senectute bona ad æternam patriam revocavit, cui ipse a juventute in hac peregrinatione indefesso labore servivit.

24. *Exterior Wilhelmi species egregie internam animi ejus magnitudinem repræsentabat. Hanc prout ex antiquis, uti asserit, monumentis acceperat Trithemius, describit his verbis in utraque Chronici editione :* Erat vir per omnia dignus honore, cujus etiam dispositio corporis quemdam reverentiæ cultum ab intuentibus exigebat. Statura siquidem procerus, in anteriore corporis parte calvus ; pilos in reliquo raros habebat, faciem cerulei misti albedine coloris pulchram et aliquantulum productam, manuumque digitos pulchra longitudine subtiles, ac totum corpus debita proportione ad virtutem fuerat ordinatum. Vox illi grandis atque virilis erat, qualis cum naturali quodam ornatu verborum, optimum quemque oratorem facere consuevit : unde in exhortando multum valuit, ita ut dulcedine vocis, et quadam auctoritate sermonis modestissime præstans, animos auditorum in sua videretur habere potestate, dum quidquid dicere voluisset, admirabili facilitate, pulchritudineque auditoribus potuit persuadere. Commendabat in eo dicendi peritia naturam, ut facile persuadendo alliceret quoscunque sermonis dulcedine voluisset, etc.

25. *Nonnulla opuscula edidit Wilhelmus, quæ ipsi inter ecclesiasticos scriptores locum meruerunt. Ea sic enumerat Trithemius in veteri Chronici Hirsaugiensis editione :* Scripsit de musica, de compositione monocordi, de astrolabio et ejus compositione, de compositione quoque horologii, de correctione Psalterii et de ratione computi ecclesiastica. *Eadem*

ferme repetit in altera ejusdem Chronici editione sicut et in Catalogo virorum illustrium, utrobique tamen addit librum unum epistolarum, et duos libros De consuetudinibus Hirsaugiensibus, præter alia nonnulla opuscula, quæ in suas manus non pervenerant. Petrus Vagnerus monachus Sancti Udalrici, uti refert Carolus Stengelius in notis ad beati Wilhelmi Vitam, præter hæc omnia opera, laudat in suo virorum illustrium congestu *dictionarium quoddam beato nostro Wilhelmo tributum, in quo multa de singulis dictionibus congeruntur, quod ideo* liber *seu* Wilhelmus de universo *nuncupari solitum erat. Sed hic omittere non licet quæ de ejusdem beati viri opusculis habet Bertholdus, auctor gravis et ipsi æqualis.* Hic, *inquit de nostro Wilhelmo,* multa monumenta sui naturalis ingenii nobis reliquit. Nam naturale horologium ad exemplum cœlestis hemisphærii excogitavit. Naturalia solstitia sive æquinoctia, et statum mundi certis experimentis invenire monstravit. Quæ omnia quidam ejus familiaris etiam litteris mandare curavit. Multas etiam quæstiones de Computo probatissimis rationibus enodavit. Hic in musica peritissimus fuit, multaque artis illius subtilia, antiquis doctoribus incognita elucidavit Multos etiam errores in cantibus deprehensos satis rationabiliter ad artem correxit. In quadruvio sane pene omnibus antiquis videbatur præeminere. *Ex his vero omnibus beati abbatis operibus vix quidquam superest, præter libros ejus De consuetudinibus Hirsaugiensibus, qui hodieque passim occurrunt in variis monasteriorum ordinis nostri in Germania bibliothecis. Eorum prologum habes ex codice Weingarthensi editum tomo IV Analectorum veterum p. 465. Ejusdem liber De musica in Augustana Sancti Udalrici Bibliotheca aliquando exstitisse dicitur. Sed fatetur Stengelius se illum frustra diu quæsiisse. Exstat in cod. ms. Villingensi cum aliis ejusdem argumenti scriptoribus.*

26. *Wilhelmum eo ipso anno, quo dedicata est novi ejus monasterii basilica, e vivis excessisse testis est ipse Vitæ ejus auctor, cui astipulatur Trithemius, qui utrumque anno* 1091 *consignat. De dedicatione hæc habet :* Eodem anno 1091 die 20 Aprilis, quæ fuit octava Dominicæ resurrectionis festiva, ecclesia nova prælati cœnobii majoris ad instantiam beatissimi abbatis Wilhelmi cum solemnitate debita consecrata fuit per Joannem episcopum Spirensem sub honorem Domini nostri Jesu Christi ac beatissimorum apostolorum ejus Petri et Pauli. *Hoc anno Pascha incidit in diem 13 Aprilis, ac proinde ejus Octava in 20 ejusdem mensis diem. De ejus morte : Wilhelmus* feliciter in Domino quievit IV Nonas Julii, anno Dominicæ Incarnationis 1091, indictione XIV, sub Henrico imperatore IV, et Urbano papa II, anno suscepti regiminis XXIII, ætatis vero suæ anno LXV *qui characteres Chronologici optime sibi cohærent. In nova editione Trithemius habet,* anno Henrici imperatoris XXXIV. *Bertholdus Hermanni Contracti continuator fuse agit de nostro Wilhelmo ad hunc ipsum annum* 1091, *quo pariter ejus obitum consignat, sed die* III *Nonas Julii. Quod forte Wilhelmus ipsa nocte inter diem 4 vel 5 Julii e vita excesserit, certe ipse Vitæ auctor, quem cuilibet alteri præferendum censemus, beatum abbatem die* IV *Nonas Julii post meridiem, obiisse scribit. Ejus tamen memoria die 5 seu* III *Nonas Julii in fastis Benedictinis celebratur a Dorganio, Arnoldo Wione et Hugone Menardo in Martyrologio Benedictino, et a Gabriele Bucelino in Menologio. Hos sequitur Ferrarius in Catalogo generali sanctorum, qui in Martyrologio Romano non habentur. Mirum est autem virum celebrem, et apostolicæ sedi adeo addictum, miraculisque ante et post mortem clarum, nondum auctoritate publica cultu sacro fuisse donatum. De eo passim agunt scriptores rerum Germanicarum, aut Benedictinarum. Stengelius in notis ad ejus vitam profert hymnum veterem in Wilhelmi honorem, descriptum e codice ms. monasterii Viennensis beatæ Virginis ad Scotos, quem post Vitam cum beati viri epitaphio proferre visum est, quod ex eo hymno colligi posse videatur beati Wilhelmi festum aliquando publice celebratum fuisse.*

INCIPIT VITA

1. Reverendissimus abbas Wilhelmus Bavariorum prosapia, religiosis parentibus exortus Christi aspirante gratia, pia indole mentis accrescebat, quæ cunctis eum amabilem efficiebat. Puerili vero ætate, ab eisdem honestis parentibus oblatus Deo in monasterio Sancti Emmerammi martyris (1), ceu prudens apis, flores virtutum ex divinis Scripturis, et ab exemplis spiritualium seniorum carpebat, et in pectoris sui alveario recondebat. Et quamvis monasticæ religionis vigor in eodem cœnobio aliquantulum tepesceret, ipse tamen per gratiam Dei in eadem religione semper in melius proficiebat ; unde etiam ab incautis et negligentibus oppido timebatur, a probis vero et piis ob sinceritatem et puritatem vitæ nimium diligebatur. Denique divina clementia illum comitante, tanta ingenii excellentia pollebat ut cum eminentia honestorum morum, simul emineret studio variarum artium, de quibus multa monumenta sui naturalis ingenii nobis reliquit. Nam naturale horologium ad exemplum cœlestis hemisphærii excogitavit, naturalia solstitia, sive æquinoctia, et statum mundi certis experimentis invenire monstravit ; quæ omnia etiam litteris mandare curavit. Multas etiam quæstiones de computo probatissimis rationibus enodavit. Hic in musica peritissimus fuit, multaque illius artis subtilia antiquis doctoribus incognita elucidavit. Multos etiam errores in cantibus deprehensos satis rationabiliter ad artem correxit. In quadruvio (2) sane omnibus pene antiquis videbatur præeminere.

2. Soli autem Deo placendi cupidus, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigere aggressus (*Gal.* V, 24), jejuniis, vigiliis, asperitate etiam cilicii macerabat corpus. Sic ergo fide firma-

(1) Addit Trithemius tunc temporis S. Ramboldum monasterio S. Emmerammi fuisse abbatem. Sed fallitur ; nam Ramboldus primo hujus sæculi anno defunctus est in ejus Vita.

(2) Sic appellabant ævi ejus auctores quatuor posteriores artes ex iis, quas liberales vocant ; tres vero priores, *Trivium*. Bertholdus hunc locum de Wilhelmi operibus in Chronico integrum refert.

tum, spe roboratum, charitate radicatum et fundatum, omnique morum probitate decoratum, providentia Dei omnipotentis Hirsaugiensi cœnobio provisorem destinavit ad solatium multorum. Denique fratres in eodem cœnobio Deo servientes, cum jam fuissent rectore destituti, dulci ejus rumore delectati, honestos legatos ad eum evocandum direxerunt. At ille, causa cognita, non se in superbiam extulit, sed jejuniis et orationibus vacans, junctis secum spiritualibus hominibus, Domini voluntatem hac in re quærendam statuit. Demum accepta licentia, licet boni quique ei congratularentur de honoris prælatione, sibi tamen dolebant quod carerent ejus familiaritatis et affaminis prædulci solamine. Ille vero non quærens quæ sua sunt, sed quæ Domini (*Philip.* II, 21), professus est se non aliter omnino consensurum electioni, nisi prius idem cœnobium integræ redderetur libertati. Igitur quia in jus proprium hoc idem monasterium (3) Adelbertus comes et advocatus ejusdem loci cum suis parentibus redegerat, et pene destruxerat, comperta viri Dei constantia et magnanimitate, in omnibus se ei obtemperaturum simulabat. Cum eodem namque beato viro curtem regiam adiit, ac sæculari astutia chirographum infideliter composuit, illo nil sinistri præ columbina simplicitate suspicante, regioque sigillo illud firmari impetravit. Adveniente igitur Dominica Ascensione, quæ illo anno evenit IV Nonas Junii (*V. Observ.*, n. 2), convocata clericorum et laicorum multitudine, omnium communi voto, hic venerandus electus, laudatus, et cum nimia inundatione fletuum in sedem abbatis est collocatus. Qua dignitate suscepta, cœpit cœlestis studii fervore tanto magis inardescere quanto se cognoscebat cæteris exempli gratia prælatum esse, suumque sagax studium super omnia convertit ad observationem religionis monasticæ. Alacer erat in exhortando, severus in corripiendo. Nulli invidus, charitate diffusus et largitate exstitit munificus. Cum gravitate dulcis ei affabilitas inerat, per quam cordibus humanis suaviter influebat. Negotium singulorum ac si proprium æstimabat, peregrinos et pauperes paterno affectu fovebat, sæpissime exutus propria camisia aliisque vestimentis miseri artus tegebat.

3. Inter hæc ergo exercitia virtutum, quadam tentatione probatus est potius quam pulsatus; quæ probatio sibi quidem ad coronam, Hirsaugiensi vero cœnobio ad stabilimentum et munimentum profuit. Nam supradictum chirographum libertatis infideliter compositum, secrete sibi insinuante conjuge prædicti comitis, rescivit, et, sub obtentu prædictæ libertatis, de pristina violentia ac subjectione injusta Hirsaugiensis claustri nil minutum, sed potius auctum et roboratum. Tali autem perturbatione aliquantulum commotus propter statum loci, assiduis precibus et A lacrymis interpellabat Dominum, ut de terrenæ potestatis jugo eriperet locum quem pro suo amore susceperat regendum. Itaque misericors Dominus, qui, juxta vocem Psalmistæ, *prope est omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal.* CXLIV, 18), ex improviso eumdem comitem tanta circumdedit adversitate ut pene desperaret ullum evadendi aditum se posse reperire. Ita constrictus, omni devotione consilium et auxilium spiritualium virorum expetivit. Qui dixerunt eum non aliter evasurum tanta discrimina, nisi cum omni fide libertati redderet Hirsaugiensem locum quem injuste possederat. Quorum consiliis acquiescens, fide integra se abdicavit omni jure proprietatis ejusdem loci, et chirographum cum omni diligentia secundum consilium timentium B Deum componi fecit, priori chirographo penitus deleto atque abjecto. Postquam autem venerandus Pater Wilhelmus proprio labore et industria novum chirographum studiosissime composuit, ipsemet illud regi Henrico regio sigillo roborandum obtulit.

4. Quo ad votum completo, statuit etiam apostolicam sedem adire, et privilegium Hirsaugiensi cœnobio secundum scita canonum acquirere. Deinde iter aggressus, prospero cursu Romam venit. Ibi a domino apostolico beatæ memoriæ Gregorio benigne susceptus, cognitis causis quarum gratia illo advenerat, libentissime, prout competebat, annuit. Nam privilegium apostolica auctoritate plenum sibi contradidit, et ob munimentum Hirsaugiensis cœnobii C chirographum unum ab eo receptum in scrinio sancti Petri recondidit. Aliquandiu ergo ibi demoratus, gravissimam infirmitatem incidit, horribili enim ventris inflatione tenebatur oppressus, adeo ut nusquam posset gressum movere; cumque diu hac infirmitate laboraret, et ejus recuperatio desperaretur etiam a peritissimis medicis, quadam die se duci præcepit ad altare Sanctæ Mariæ semper Virginis, reclinatoque ventre sauciato ad altare, intimis precibus flagitabat remedium piissimæ Dei Genitricis. Tantam spem atque fidem gratia Dei amore dulcissimæ Genitricis suæ consecuta est. Subito namque contra spem omnium cœpit convalescere, ac se cibo reficere, et non post longum tempus in suum locum, cunctis gratulantibus, reversus est.

D 5. Eo tempore Ecclesia catholica miserabili ac detestabili schismate (4) ab inimicis Christianæ unitatis scindebatur. Sed quia hic vere Deo dignus igne divini amoris totus incanduerat, ac zelo animarum æstuabat, salubri consilio quoque ad unitatem Ecclesiæ tenendam servandamque animabat. Et quia simplici ac puro oculo tali insistebat negotio, quidquid agebat, cunctorum religiosorum animis complacebat; quidquid dicebat, omnium bonorum corda intimo amoris affectu delectabat. Cum columbina simplicitate tantum viguit in eo serpentina astutia ut ab hujus sæculi prudentibus videretur

(3) De Hirsaugiensis monasterii restauratione et comite Adalberto diximus in Elogio V Friderici, supra ad annum 1070.

(4) Exstat ea de re Gregorii VII epistola ad A. Pataviensem episcopum et nostrum Wilhelmum, quæ est libri IX secunda.

omnes præcedere in prudentia, et a divina sapientibus mire coleretur pro puræ mentis innocentia.

6. Tanta charitatis affluebat benignitate ut neminem perfecte divino servitio cupientem se mancipare, pro paupertate sua despiceret, neminem ob imperitiam refutaret. Nobiles ac ignobiles, divites et pauperes, viros ac mulieres, ad contemptum mundi incitabat, ac singulos ad amorem cœlestis vitæ verbo et exemplo accendebat. Multa hospitibus, multa pauperibus distribuebat; nec tamen commissorum sibi curam postponebat, sed cum paterna sollicitudine, et cum magna charitatis affectione omnibus necessaria administrabat. Si qua vero rei familiaris penuria ingruebat, hanc non solum tolerabilem, sed gratam sibi suisque blande et virili commonitione faciebat, asserens hanc esse dilectorum Christi probationem, et si patientia cum gratiarum actione ac precum frequentatione adesset, procul dubio mox manifestam a Deo venturam consolationem. Quod utique est evidentibus sæpe declaratum indiciis, dum ei in omni angustia Dominus ostium misericordiæ suæ, fide et precibus pulsanti, aperire dignatus est. Fama igitur vulgante ejus laudabiles actus undique, ad eum quasi ad bonum odorem Christi fideles confluebant; quidam utique cupientes uti ejus saluberrimis consiliis, alii vero ejus orationibus se commendantes, plurimi etiam, abjecta sæculari sarcina, magisterium ejus deligebant.

7. Ad ministerium divini officii pro humilitate nolebat paratura indui, quæ aurifrigio vel alicujus pretiosi metalli intextura esse ornata. Detestabatur etiam osculationem manus et genuum abbatis, et omnino talem consuetudinem abscidisset, nisi eum seniores hanc reverentiam ab eis suscipere vix compulissent. Quolibet loco præeuntem conventum fratrum subsequens, et diligenter inspiciens, gemendo et plorando, oculosque cum corde ad cœlum levando, pro eis attentius orabat. Ad mensam si quid accuratius apparatum illi offerebatur, innui offerenti, si omnibus communiter apponeretur. Si annuit, aliquantulum inde gustavit; sin autem, statim infirmioribus distribuebat. Deliciarum et epularum diversitatem, quæ sunt fomenta luxuriæ, contemnebat parvis ac mediocribus contentus erat. Siquidem quocunque sibi eundum necessitas exigebat, non superbo equo delectabatur, sed equa, aut vilis aselli dorso vehebatur. Vestes nitidas, pretiosique velleris horrebat, maxime manicas vel cucullas, quas etiam sub interminatione excommunicationis abscidebat, variarumque rerum utensilia superfluo et pompatico ornatu decorari, acerrima exsecratione prohibebat. Quisquis obedientiarius, vel alius quis tentatus, vel mœstitia gravatus ad eum accessit, non spernendo vel detestando, illum contristatum, sed mulcendo et blandiendo verbis consolatoriis dolorem ipsius delinivit, lætumque ac gaudentem a se dimisit. Lucerna enim ardens et lucens (*Joan.* v, 35) non sub modio latebat, sed super candelabrum proeminebat (*Matth.* v, 15), ideoque

A omnibus exemplum bene vivendi fieri studebat.

8. Inter has ergo aliasque virtutes, quam sincera et perfecta fide polleret, nullus sermo ad integrum explicare valet. Hac enim virtute veluti lorica indutus, virili animo quæque adversa devicit, ac sæpius nonnulla difficilia, ac multis pene impossibilia aggressus, Domino adjuvante, felici effectu terminavit. Ut enim de pluribus pauca commemorem, dum die quodam sanctus Pater de re familiari tractaret cum fratribus exteriora providentibus, inter cætera quæ conferebantur, denuntiaverunt, pro quadam inevitabili necessitate, necessarias esse quinque libras argenti. Cum vero nec in promptu eas haberet, nec usque scita saltem mutuatione acquirere valerent, et imminens necessitas urgeret sine ulla dilatione B persolvere ipsam pecuniam, tali perturbatione coangustati ignorabant quomodo possent expedire. Pius autem Pater, in Domino confidens, verbis consolatoriis pusillanimitatem illorum studuit animare, dicens nullo modo de Dei misericordia diffidendum esse. Illis vero præ anxietate tepidius excipientibus ejus consolationem, et affirmantibus non pro se, sed pro communi detrimento angustatos fuisse, e consessu surrexit, et illis ejus reditum præstolantibus, exiit foras, implorans auxilium Domini. Nec mora, benignus Dominus adfuit fideli famulo suo. Ex improviso namque quidam ignotus superveniens, contulit ei omnem quantitatem pecuniæ. Mox ergo rediens, protulit de manu sua quinque libras argenti, et fratres charitative corripiens ait: En adest pecu-C nia pro qua pusillanimes facti estis. Discite nil ergo jam ulterius de multiplici bonitate Dei omnipotentis desperare.

9. Item Deo amabilis Pater quadam die diluculo profectus de monasterio, non longe obviam habuit quemdam pauperculum, cum uxore et undecim filiis parvulis, obnixe ejus eleemosynam postulantem. Fratres autem qui comitabantur eum, de cellario panes paucos, qui vix ad unum prandium paucis sufficere possent, secum tulerant; nam in quodam prato pransuri erant. Ergo vir Domini invitavit pauperculum cum uxore et filiis ad prandium. Residentibus vero omnibus, ex improvise aderat non modica multitudo equitum, popularium, D nec non et pauperum. Itaque pro parvitate alimoniæ sociis beati viri turbatis, simulque rubore suffusis, vir Deo plenus hilari vultu ait ad eos: Quinque panes, quibus Dominus quinque millia hominum pavit, quandiu integri remanserunt, nec multiplicati sunt, nec ullus ex illis pastus est; quando vero a Domino fracti sunt, utique tunc sunt multiplicati, et plures ex illis pasti (*Luc.* IX, 16, 17). Hæc dicens prompto animo et larga manu distribuebat multitudini, quæ aderat, parva alimenta; quæ fide ejus et meritis mirabiliter a Deo ad sufficientiam omnium sunt multiplicata. Sane multis admirantibus ejus fidem atque liberalitatem, de paucis cibariis sunt omnes abunde refecti. Singulis ergo in sua cum gaudio redeuntibus, vir Deo charus supra-

dictum pauperculum cum uxore et filiis retinuit, ac A longo tempore victui necessaria impendendo, usque ad messem novarum frugum perduxit.

10. Quodam etiam tempore, dum transiret super pontem fluvii Nagaltæ vocati, obviavit ei pauper, qui per multos annos in eleemosynaria domo decumbens, non aliter quoque gressum movebat, nisi duobus baculis sub axellis sustentaretur. Cum ergo occurreret eidem pauperi in medio pontis venerabilis Pater, vi abstulit ei unum baculum, et ultra paululum progressus cum eodem baculo, fixo gradu subsistens, egeno, ut ad se veniret præcepit. At ille negavit se posse incedere sine sustentaculo alterius baculi. Et contra senior : Certe, inquit, hinc non recedam, donec venias ad me. Pauper obtemperans jussioni ejus pedetentim se trahendo, B quo valuit annisu, venit ad eum. Deinde, rejecto omni sustentaculo, sospes et incolumis toto corpore, firmis pedibus incedebat.

11. Sed neque hoc silentio contegi dignum ducimus, quod propriis oculis vidimus et perspeximus. Quidam Argentinensis Ecclesiæ canonicus (5), nobilissimis ortus natalibus, ad monasterium viri Dei venit, et devote susceptus, devotius vixit. Qui mox in initio conversionis suæ, paralysi dissolvitur toto corpore, ita ut, excepta lingua, nullum membrum permaneret in conjunctione sua. Erat enim ille idem vir præpollens quadam acris ingenii constantia, scientiæ et eloquentiæ prærogativa : et necesse erat ut pio Domini flagello refrenaretur, ne forte, ut mens est hominis prona C semper ad malum, aliquo vento elationis elevaretur, et mox in immane præcipitium laberetur. Qua infirmitate ita plus anno ægrotavit ut manum ad os non porrigeret, latus nisi aliorum adminiculo non mutaret, sed, ut prædictum est, omni membrorum officio careret. Jam tempus miserendi ejus advenerat, jam Dominus ex alto prospiciebat, et ecce cœpit virium valetudo redire, manducandi et legendi gratia sedere, gressum reptando frequentare, sed manuum officio omnino negabatur, quoniam hoc ad majorem Domini gloriam servabatur. Quadam die vir Domini Wilhelmus cellam ejus visitandi gratia ingreditur, et ut a Domino usum dexteræ precibus obtineret adhortabatur. Abnuit ille cum summa detestatione, confirmans omnino salutem corporis se parvipendere. Sed pius Pater totus compassionis et misericordiæ visceribus plenus, apprehendens illum [manum] benedicit, deosculatur, et capellam sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ ingreditur ; ubi paululum in oratione prostratus, infirmum iterum visitavit, et dextera ejus recuperata invenitur. Post paucos dies uxor fratris sui monasterium et ipsum visendi gratia advenit, et ipse sella gestatoria ad eam deportatur, ubi inter ædificationis et familiaritatis colloquia, sanatæ dexteræ suæ manus incidit memoria. Quam illa muliebri affectu deosculabatur, sed mox in pristinam rigiditatem revertitur. Quod mox ut sensit, salutata illa, et dissimulato infortunio suo, in cellam suam se recepit, mœrens aliquantulum de hoc quod accidit. Quem vir Dei mox e vestigio subsecutus, et spiritu Domini edoctus quod evenerat, causam quærit tristitiæ. Quam ille satis simplici et humili prodidit confessione. Cui vir Deo plenus consolationis reddidit verba, et apprehensam dexteram benedixit, et saluti pristinæ restituit.

12. Alio inde tempore, fratrum quorumdam in inferiori eremo, illius permissu quasi eremitarum more victitantium, cellam visitavit ; quibus tamen adventum suum pridie nuntiavit. Unde ultra quam credi potest lætificati, utpote Patris amantissimi et quasi angeli Dei visitatione digni, præparant omnia quæ tanto Patri erant necessaria, et eum comitantibus congrua. Erat idem locus piscibus capiendis aptus, et adolescentior quidam in eorum comminentia, hujusmodi opera exercitatus. Huic fratres summopere supplicant, ut sibi et illis præstaret, et in capiendis piscibus omnem industriam suam impenderet. Laudavit, fecit quod potuit ; sed res processum non habuit. Nam cum tota nocte laboraret, et secundum votum suum nihil omnino proficeret, promisso suo simul et verecundia victus, furtum in sociorum suorum præsumpsit piscibus, et insolitæ magnitudinis truttam mane fratribus retulit, et eos in non parva admiratione discedens reliquit. Erat inter fratres unus altioris et perspicacioris ingenii, qui insuetam piscis magnitudinem admirans, cœpit diligentius de eo perscrutari. Primum, ut hujusmodi hominum genus solet, furtum cum summa detestatione negat, et abominatur ; sed cum dulcibus verbis, et veri ratione et re ipsa convincitur, culpam suam simpliciter fatetur. Tunc videres fratres illos non modice contristatos, et in ambiguo positos, quia furtum piscem abominabilem fecerat, et quod jam adventanti Patri apponeretur in promptu non erat. Tunc palliante charitate, piscem Patri apponere communi consilio decreverunt, et excessum illum jejuniis et orationibus apud se in occulto abolendum esse statuerunt : limitem justitiæ excesserunt, quando modum in di- D lectione non servaverunt. Jam advesperascente die Pater desiderabilis advenit, occurritur, suscipitur, ad orationem ducitur. Tunc dilectissimus Pater charissimis filiis plena jucunditate, quia insolita esurie laboraret, aperuit, et si quid pulmentarii haberent, citius apponere præmonuit. Tunc recumbitur, et piscis ille apponitur, et cum summa diligentia, quid facturus sit vir Deo plenus observatur. Ille homo Deo hospite edocetur interiori, et quamvis, ut prædictum est, non parvam famem pateretur, tamen mira abominatione apposita sibi exsecratur, et nihil omnino gustando quasi in excessu mentis

(5) Is est Gebhardus, si Trithemio fides est, qui postea B. Wilhelmo successit, ac tandem Spirensis episcopus factus est, de quo plura idem Trithemius.

rapitur. Nemo discipulorum, vel advenientium, vel ibi manentium, audet subitam viri mutationem interrogare, sed advenientes in summa erant admiratione, habitantes in maximo timore. Postera die maxima contriti cordis devotione culpam suam fatentur, et a piissimo Patre clementer suscepti, ne deinceps aliquid hujusmodi præsumerent, sub districta interminatione admonentur.

13. Per idem tempus misit vir Dei de monasterio unum fratrem, nomine Bennonem, cum quibusdam rusticis mercede conductis, ut undecim carradas vini adveherent cum plaustris; quod vinum quidam civis Moguntinus, nomine Wignandus, officio charitatis transmisit Hirsaugiensibus. In via autem qua cum eodem vino veniebant, latrones, noctu irruentes, pro spoliis vim eis intulerunt: sed illi Deo protegente illæsi cum rebus suis evaserunt, excepto quod fratris prænominati dextrum brachium, percutientibus adversariis, adeo est debilitatum ut fasciolis illud ad collum ligaret, et ulterius usum ejus recipere desperaret. Post hoc et aliud infortunium inciderunt. Nam unum de doliis plenum vino, quod specialiter ad eleemosynam fuit deputatum, vergente plaustro, in foveam cecidit, et vinum effusum in foveam fere defluxit. Quo a rusticanis exhausto, dolioque vacuo super plaustrum levato, qui damnum sustinuerunt, cum tristitia magna iter cœptum tenuerunt. At frater prædictus, relictis sociis, ad monasterium præcucurrit, et viro Dei brachii sui læsionem, cum damno vini quod acciderat, lamentando exposuit. Cui ille verbis beati Job hilariter et constanter respondit dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I, 21). Consequenter brachium ejus benedicendo consignans, pristinæ sanitati restituit. Deinde præcepit eidem ut omnia dolia vini advectitii levatis operculis diligenter inspiceret, et quod cæteris plenius inveniret, hoc totum pauperibus impartiret. Quo citius jussa complente, cunctis qui aderant videntibus, obstupescentibus simul et gaudentibus, dolium antea vacuum, ut credimus, per merita viri Dei ita vino redundabat ut nullum de cæteris tam plenum inveniri posset. Cumque et hoc prædictus frater viro Dei gaudens et exsultans referret, protinus mandatum ab eo accepit, ut nulli hoc revelaret. Quod ab aliis qui intererant usquequaque divulgatum est. Rusticis vero, qui prius pro perdito ex sua negligentia vino, libram unam argenti sponte persolvere volebant, jussit solidum unum super condictam laboris sui mercedem addi, ciboque ac potu laute curatos cum gaudio ad sua remitti.

14. Sancto viro aliquando apud villam, quæ dicitur *Wilc*, constituto, sæpedictus frater Benno, qui, ibidem procurator rerum monasterii fuit, in hora refectionis paucos pisciculos ei obtulit, dicens, pro adventu ejus se diu multumque in piscando laborasse, et nil amplius præter illos se capere potuisse. Qui statim præcepit ei piscandi gratia ad gurgitem redire, et nil de misericordia Dei diffidere. Quod cum ille mature implere properaret, laxato reti in aqua, in verbo viri Dei, statim octo lucios admodum grandes cepit, et cum eisdem adhuc retis lino involutis ad virum Dei repedavit. Tunc benignissimus Pater jussit omnes pauperes qui in eadem villa possent inveniri ad prandium invitari, et eosdem pisces eis ad refectionem paratos apponi.

15. Item dum quadam die vir Dei eleemosynario præciperet ut stipendia pauperibus solito largius præpararet, audivit ab eo ad conficiendos panes valde parum superesse de frumento. Qui jussus ab eo diligentius intueri quantum remansisset frumenti, aperta arca curiose cum alio fratre inspexit, mensuravit, vix unum modium invenit, et viro Dei veritatem indicavit. Mane autem facto, cum eleemosynarius jussa Patris impleturus eamdem arcam aperiret, manifesta Dei virtute fidem et merita fidelis famuli sui declarante, summotenus frumento plenam invenit, quæ tam grandis erat quod viginti modios capere solebat. Quia enim vir sanctus semper ad hoc studiosus et intentus erat ut in omnibus voluntatem Dei perficeret, et ut proximis [plus] quam sibimet utilia provideret, ideo misericors et justus Dominus piæ ejus petitioni in omni necessitate et angustia clementer et efficaciter adfuit.

16. His quæ ad miraculum pertinent de sancto viro partim commemoratis, ob testimonium tantæ ejus fidei et sanctitatis, nunc de eo alia quædam sunt narranda, non tam mira quam ad audiendum jucunda et utilia, et humanæ fragilitati ad imitandum possibilia. Non enim in sanctis Dei signa et mirabilia jubemur imitari, sed bonorum operum exercitia. Et, testante sacræ auctoritatis Scriptura, Misericordia, compassio miserorum, et zelus animarum plus placent Deo quam sacrificia, et scientia Dei, plusquam holocausta (*Ose.* VI, 6). Itaque hic Dei amicus jugiter, ut sæpe dictum est, misericordiæ operibus insistens, quadam die de monasterio Hasunga (6) nuncupato fratres plusquam septuaginta suscepit ad se confugientes, et ejus salubre consilium atque fidum solatium implorantes. Denique episcopus Moguntinus (7) a schismaticis electus atque ordinatus, quia idem cœnobium Ecclesiæ Moguntinæ jure proprietatis subjectum erat, eosdem fratres minis, suasionibus atque blanditiis conabatur suæ ditioni subdere, ac participatione illicitæ communionis contaminare. Illi vero econtra, fixa sententia unitati Ecclesiæ fidem servantes, velut

(6) De hoc monasterio, et aliis hic et infra num. 22 memoratis, plura diximus in observationibus præviis.

(7) Hic videtur fuisse Wetzilo Sigefridi successor, qui cum legatis Clementis pseudo-pontificis præfuit conventui Moguntino, anno 1085 habito contra Gregorium VII, ad quem conventum vocatus Wilhelmus adesse renuit

surdis auribus blandientem spreverunt, ac juxta consilium et mandatum pii patris Wilhelmi, relictis omnibus, ad ipsum se contulerunt. Hoc autem evenit circa mensem Augustum ante messem novarum frugum, et quamvis eodem anno et sequenti, maxima ex parte frumentum pecunia coemptum quotidiano fratrum victui administraretur, tamen in Deo fiducia magna præsumens, et pro adventu illorum Dominum glorificans, veluti cuncta horrea frumento plena essent, præcipit solitam quantitatem panis augeri, dicens : *Quia Dominus auxit numerum servorum suorum, debemus etiam et nos augere annonam illorum.* Aliquandiu retentis secum eisdem fratribus, atque omni humanitate eis exhibita, postea dimisit eis cellam sancti Gregorii cum omnibus quæ ad eam pertinebant, quanto tempore voluerunt.

17. Alio quoque tempore ad quamdam cellam iter tunc agebat, quam rogatu cujusdam comitis juxta Danubium construxerat. Jamque illuc appropinquare cœperat, et ecce in confinio silvarum quoddam tugurium conspicatur, assumptoque secum uno ex commeantibus, cæteris cœptum iter exsequentibus, illuc tendere non moratur. Veniens itaque ad ipsam domunculam, reperit mulierem valde pauperculam; ingressusque et oblitus suæ dignitatis, oblitus assueti rigoris, juxta ignem sedit, ipsamque sedere præcepit. Tunc inter sacræ ædificationis eloquia, oculos huc illucque circumferens, sciscitatur ab ea quonam modo ipsa cum viro suo viveret, quia nihil in domo unde temporalis vitæ stipendia consequerentur, haberet. Illa nil præter miseram vitam reliquum sibi esse fatetur, pane et aqua se victitare, et hæc vix quotidiano labore manuum suarum parare. Marito interim de agro regresso, quærit ab eis fidemne sciant catholicam, sine qua nemo potest consequi vitam æternam? Qui simpliciter quidnam sit fides penitus se ignorare fatentur. At ille altius ingemiscens, et geminæ eorum inopiæ ex intimis visceribus condolens : « Quid mirum, ait, si ab exterioribus rebus videmini inopes, qui intus, miserabile dictu! a Deo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, estis inanes. Post hæc, fidem, prout capere poterant, breviter eis exponit, et pro tempore instructis, quatenus ad eamdem cellam se sequerentur injunxit. Postera die illo venientes, benigne suscepit, aliquandiu benigne retinuit, necessitates eorum non modice sublevavit. Sicque factum est ut et mentis illorum inopiam verbo sacræ eruditionis inecaret, et corporalem penuriam munifice alleviaret.

18. Cum quodam hiemali tempore iter ageret per fines Bavariæ, obviam habuit duos pauperes, contra frigoris asperitatem vestitus ab eo subsidium postulantes. Qui mox recordatus sancti Martini, qui dimidium chlamydis suæ largitus est algenti pauperi, cum uno famulo digressus est seorsum a commeantibus, et sagum quod ei tam equitanti quam dormienti solebat substerni, in duas partes divisit, ac singulis pauperibus singulas partes, quibus se a frigore protegerent, impendit.

19. Quiddam de beato viro referam quod respicit ad animi sui puritatem et simplicitatem comprobandam et amandam; et multorum sui nominis vanitatem detestandam et damnandam. Quidam abbas pretiosis vestibus, plusquam talem personam et tam arduum propositum deceret, deditus erat; quem vir Domini pro multis aliis bonis a Deo sibi concessis diligebat, sed in hoc, secundum zelum Domini, acriter eum sæpius corripuit, quamvis parum profuerit. Quodam tempore quasi pro benedictione idem abbas pretiosum lectisternium ei obtulit, et ut ob memoriam mutuæ dilectionis susciperet, rogavit. Quod vir Deo plenus multa simplicitate suscepit, et ad offerentis duplicitatem non attendit. Offerens quidem id intendebat, ut in hoc vanitatem suam in studio pretiosarum vestium aliquantulum tegeret, scilicet, si tam laudabilis, et in omni monachica professione perfectus, hujusmodi uteretur, ille in alio simili non admodum notaretur. Ille namque abbas olim viri Dei erat professus, et ab eodem ad talem honorem provectus. Una autem tantum nocte vir Dei illo lectisternio utitur. Postera die quidam fratrum obsequio illius devotior, secreto illum adiit, se esse circumventum admonuit. Quo audito, incredibile dictu, factum suum expavit et exhorruit, et mox in decem pauperum subsidium male susceptum divisit lectisternium. Habuit et hoc omni laude dignum cum aliis bonis suis ille dilectus Domini : nam a quocunque hominum aliquid boni in admonendo audivit, ac si de cœlo missum, omni devotione suscepit. Cogor multorum sui nominis altum supercilium et singulare cornu deflere, hic virtutum hic totius honestatis speculum, ab omni homine elegit correptionis judicium, et veritatem a quocunque homine honoravit.

20. Compassio vero tam naturalis et vehemens ei inerat, ut non solum erga homines, sed etiam erga bruta animalia hanc ostenderet. Hinc est quod quadam hieme, cum ex abundantia nivium vis algoris plus solito ingrueret, idem Pater visceribus pietatis motus, accito præposito, querula voce dixit ei : « Volatilia frigore et fame pereunt, sume manipulos avenæ, et defige circa sepes, ut inveniant quo pascantur. » At ille respondit : « Domine defecerunt nobis manipuli avenarum. » Cui ille : Habesne, inquit, siligineos manipulos aut triticeos? — Habeo, inquit. Tunc pius Pater : « Ergo ait, illos vende, et eme avenarios. » Ille jussioni obtemperans, adjutori suo injunxit ut, mane a curtem exiens, opera jussa impleret. Eadem nocte quando subsequente mane iturus erat, gratia Domini benignitatem sui servi remunerante, asperitas glaciei emollita est levi aeris temperie. Sane pauperes in eleemosynaria, sive rusticos in villulis infirmos jacentes humiliter visitavit, ac piis consolationibus fovit, postremo obeuntes diligenti cura sepulturæ tradidit. Eorum vero qui insaniam mentis patiebantur nullum suscipere dedignatus est. Aut enim cum te

fratrum conventu psalmos et benedictiones recitavit super illos, aut cum quibusdam fratribus, quæ tali negotio congruebant explevit: et, misericordia Domini subsequente cum sanitate mentis et corporis læti ad propria redierunt.

21. Religio quoque monastica, quæ pene in provinciis Teutonicis refrixerat in eis qui habitum religionis prætendebant, hujus beati Patris studio cœpit recalescere et recuperari. Non solum autem monastica institutio ejus æmulatione profecit, sed et singuli gradus ecclesiastici Ordinis illius exemplis erudiebantur. Monachos namque humilitate, charitate, fervore, et religione instruebat; episcopos, presbyteros, seu quoslibet clericos doctrina et auctoritate promovebat; laicos conversione et subjectione docebat; virgines, viduas ac mulieres munditia et castitate informabat; pauperes Christi et peregrinos parvo contentos esse, ac mundum sub pedibus habere, et omnem ejus gloriam, verbis et operibus dissuadebat. Singuli fides Christi ad illum quasi ad sinum matris confugiebant, multumque per eum in Deo proficiebant.

22. Nunc tandem veniam ad enarrandum id quod erat inter omnia opera sua præcipuum, et usque ad finem sæculi multorum animabus per cœnobialem vitam salvandis profuturum. Erat enim studiosissimus cœnobiorum novorum fundator, ac veterum instaurator. Denique septem cœnobia tam per se quam per suos discipulos variis in locis a fundamentis construxit. Quorum primum fuit cella Sancti Gregorii, quæ proprie ad Hirsaugiam pertinet. Secundum sancti Georgii martyris; utrumque in Nigra-Silva. Tertium in Bavaria in honore sancti Martini Quartum in Thuringia, quod dicitur *Erphefurch* [*Erphord*]. Quintum ad Duplicem Aquam in honore sanctæ Mariæ. Sextum in villa *Wilheim*, quod postea mutatum est in montem Sancti Petri. Septimum in provincia Charentinorum. Alia vero tria, id est *Schaffhusem*, *Petrishusen*, *Campergense*, pene jam destructa restauravit. In quorum gubernatione hæc erat ei, cum sollicitudine quotidiana, non parva difficultas, tales videlicet in congregatione fratrum invenire personas, quæ essent utiles et idoneæ ad lucrandas animas. Nam secundum Dominicum sermonem, *Messis quidem multa, operarii autem pauci*, dum eos qui aliis debent præesse, et opere et sermone oportet esse probatos, ac non minus sæculari scientia quam spirituali eruditos. Sed quia paucissimi inveniuntur qui utroque polleant, plures tamen sunt qui unum sine altero possideant, id est aut vitam bonam sine scientia vel eloquentia doctrinæ, aut verbum doctrinæ sine religiosa conversatione. Eos ille sapiens architectus studuit quasi quadratos lapides, ubi apparerent, in ædificio spirituali promovere, quos novit expolitis moribus laudabiliter vivere, etiamsi cætera necessaria minus suppeterent; in hoc sequens memorabile factum Gregorii papæ septimi. Huic enim cujusdam ecclesiæ clerus et populus duos electos ad episcopatum præsentavit, et unum quemlibet ex duobus episcopum sibi ordinari petiit. Sed papa unum ex his sciens esse bonum doctorem, nec tamen religiosum, alterum e contrario religiosum, nec tamen necessariæ eruditionis peritum, quem ex duobus præeligeret, dubitavit, atque id divinitus sibi manifestari orationibus cujusdam servi Deo hoc modo impetravit. Nam idem vir spiritualis cum hoc sibi a papa injunctum vigilanter Deo commendaret, et per interventum sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sibi voluntatem Dei revelari intente supplicaret, per visum ei beata Maria virgo apparuit, duosque annulos, quorum unus purum aurum, alter perlucida gemma esse videbatur, ostendit; eique interroganti, quem ex duobus eligeret, Gemmam, inquit. Qui evigilans, papæ visum suum narravit, incertus tamen quid ad causam prætaxatam vel aurum vel gemma innueret. Confestim papa, qui erat perspicacis ingenii: « Non dubium est, inquit, quod, testante sacro eloquio, per aurum sapientia, per gemmam vero simplex et pura vita hominis signatur. Ideoque, ex ipso judicio castissimæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, ille qui caste, juste, pie vivit, etiamsi ei aurum sapientiæ vel eloquentiæ desit, ad exemplum bene vivendi populis præesse meretur; hujus enim etsi lingua tacet, vita docet. Oportet in hujusmodi electione summopere canonum sanctiones observari, semperque ad regimen animarum, non quoslibet populares, sed regulares duntaxat personas promoveri. »

23. Hoc ergo informatus exemplo fidelis servus Domini et prudens, in quibusdam ex prædictis cœnobiis statutis abbatibus, in quibusdam prioribus; religiosos monachos simul cum conversis laicis deputavit. Enimvero amabilis pater, zelo animarum fervens, primus instituit, ut monachi ministerio fideli laicorum conversorum in exterioribus administrandis uterentur, et versa vice iidem laici a monachis quod ad curam animarum pertinet consequerentur, eorumque claustralem disciplinam pro posse suo, extra claustrum, in corrigendis moribus imitarentur: de quorum conversatione, secundum quod sæpe dictus Pater Deo inspirante ordinavit, operæ pretium est aliqua commemorare, de quibus certi sumus sicut in præsenti tempore, ita et in futuro multos posse proficere. Ad nocturnas vigilias omnes in ecclesiam conveniunt, quibus tamen propter diurnum injunctum operis laborem breviter Matutini decantantur. Postea qui volunt ad lectos revertuntur, alii in ecclesia perseverant, donec nocturni a monachis finiantur. Summo mane missam audiunt; deinde ad capitulum conveniunt, ibi pro diversis excessibus veniam petunt, et congruam a Magistro disciplinam accipiunt. Quo peracto, et subsequente, quibus necesse est, peccatorum confessione unusquisque ad opus sibi injunctum divertit. Nam illis injuncta sunt singula quæque officia intra vel extra cellam gerenda, quæ tam fideliter, honeste ac diligenter tractant et administrant, ac si a Deo

sibi commissa. Nil proprium possident, sed sicut in Actibus apostolorum legitur, Omnia in medium conferuntur, unicuique prout opus habet distribuitur (*Act.* IV, 62). In agendis negotiis non solum lites ac jurgia devitant, sed etiam ab otioso sermone se continent. Prælatis suis obtemperant, sine quorum permissione, nec etiam extra cellam longius iter agunt: semper in Dominico die communicant, ita ut dimidia pars illorum in una, altera pars in altera die Dominica corpus et sanguinem Domini reverenter accipiant; sed in summis festivitatibus omnes simul. Qui iter facturus est, ipsa die communicat, si tamen ante proximam diem Dominicam se rediturum non sperat. Revertentes de via veniam petunt pro excessibus in via commissis. In coquina serviendo, et tam sibi quam monachis et hospitibus cibum parando septimanas suas vicissim peragunt: cibum una capiunt, quem sibi invicem apponunt. Ad diurnas horas non veniunt ad ecclesiam, nisi quibus ad hoc vacat. Ad Completorium sicut ad nocturnos, omnes, sive pene omnes, adsunt: postea cum silentio ad lectos suos divertunt. Ad hujus spiritualis vitæ observantiam sanctus Pater Wilhelmus congruam in eodem loco Hirsaugiæ construxit habitationem, videlicet novum monasterium in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, sanctique Aurelii confessoris, ad australem plagam per manus sub obedientia sua militantium. Quod infra annos novem consummatum, in decimo est dedicatum (8). Denique ipsum templum antequam dedicaretur, pauperibus per gyrum replevit a superiori parte usque ad valvas, clausisque januis, per seipsum eis ministravit. Ipso tempore et deinceps usque ad obitum suum plus solito egenis stipendia erogavit.

24. Post prædictam dedicationem novem hebdomadibus supervixit, jamque instante natali Apostolorum Petri et Pauli languor eum invasit. Nocturnis vigiliis et diurno ministerio, licet debilis, interfuit, crastino privatam missam ad principale altare celebravit. In sequenti nocte cum præ molestia corporis surgere non posset, per visionem divinitus consolationem accepit; dictumque est ei quod sancti Petrus et Paulus in ejus juvamine prompti adessent. Diluculo cum gressum vix movere posset, deduci se jussit in oratorium, et parari ad celebrandam missam. Et inter manus utroque latere sustentatus super altare apostolorum Petri et Pauli sacrificium vivæ hostiæ immolavit, ac velut profecturus ad Dominum verba sancti Pauli, quæ jam imminente ejus resolutione dicebat, quæque etiam suæ causæ optime congruebant in ejus festivitate decantabat, quæ ita se habent: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem justus judex (II. Tim.* I, 12). Ita fuit ejus ultima celebratio missæ. Quarto die ad visendos et commonendos fratres in capitulum venit. Quidquid autem hactenus eos instituebat, hoc cœpit singillatim replicare et exhortari, ut de die in diem in melius proficerent. In primis de continuo amore Dei de fervore monasticæ religionis, de observantia mutuæ dilectionis, de sectando hospitalitate et cum omni sollicitudine impendenda, de diligenda eleemosyna et voluntarie eroganda, multaque his similia suadebat, postea querulosa voce intulit: « Unum fuit quod valde me exacerbavit et gravavit, quod lamentando Deo et vobis promam. Cumque omnes essemus attoniti, dixit: Quidam fratres vobiscum conversati sunt secundum prudentiam carnis, magis quam juxta simplicitatem spiritualem, suisque sermonibus seu consiliis sæpius me perturbabant, ac simplicitati propositæ obsistebant: sed Deus omnipotens viritim eos a nobis separavit, et de claustro elongavit. » His dictis, statim subjunxit: « Amodo, charissimi, nullum capitulum vobiscum habiturus sum. Idcirco, filioli, ultimam Patris sententiam audite, et memoriter retinete quæ vidistis et audistis. » Finito capitulo, in suo humili habitaculo se recepit, et solito more omnibus eum adire volentibus concessit. Dehinc tertio die jussit portari se in oratorium Sanctæ Mariæ, ibique conventu fratrum pro eo missam celebrante, unctione olei infirmorum, et perceptione corporis et sanguinis Domini exitum suum munivit, ab omnibus indulgentiam petens, et ipse omnibus indulgentiam faciens, ac singulos deosculans et amplexans paterno affectu, præsentibus ultimum valefecit; absentibus demandans suam intimam charitatem: simul omnes obsecrans et contestans ut in unitate Ecclesiæ et subjectione sedis apostolicæ, quomodo sibi ab eo traditum fuerat, usque ad mortem inviolabiliter permanerent. Ad extremum elevatis manibus coram omnibus brevi sermone sic conclusit: « Testem invoco Deum, quod semper usque ad nunc fideliter ac benigne erga vos egi. » Quo de oratorio reportato, singillatim quique cum gemitibus et suspiriis ad eum confluebant, ad quos dignum memoria verbum dicebat: Justi hominis obitus non est mors dicenda, sed potius mutatio, quia mutatur de mortalitate ad immortalitatem, de terrenis ad cœlestia. » Postera die eo in domum infirmorum deposito, et conventu fratrum illuc congregato infra meridiem, cunctis miserabiliter flentibus ac lugentibus IV Non. Julii beato fine perfunctus, animam felicibus meritis plenam Deo reddidit, atque de Ægypto hujus mundi ereptus terram viventium perenniter habitaturus adiit. Convenientibus ergo duobus episcopis, et quinque abbatibus (9), clericis etiam non paucis cum multitudine utriusque sexus, post exsequias per quinque dies celebratas,

(8) Dedicata est hæc nova ecclesia per Joannem Spiræ episcopum, anno 1091, die XX Aprilis, in octava scilicet Dominicæ resurrectionis; die vero sequenti idem pontifex consecravit *capellam B. Mariæ retro capitolium.*

(9) Ii fuere, ex Trithemio Joannes Spirensis, et Gebhardus Constantiensis episcopi: abbates Theogerus S. Georgii in Silva-Nigra, Notkerus Zwifaltensis et tres alii quorum nomina excidere.

in medio ecclesiæ Apostolorum debita veneratione (10) sepultus est.

25. Non longe autem post obitum, quasi post noctem tristitiæ quæ cunctos oppresserat, illuxit nobis dies consolationis, de adventu domni Gebehardi, tunc prioris, sed postmodum defuncti Patris in regendo monasterio successoris, apportantis reliquias sancti Petri apostoli, scilicet de ejus capillis, a reverendissimo Hugone abbate Cluniacensi transmissis, pro quibus eum pater Wilhelmus ante obitum suum direxerat; hos super omne aurum et lapidem pretiosum multum Hirsaugienses intimo affectu amplecti debent et venerari, pro eo quod vere de capillis principis apostolorum Petri esse didicimus. Nam antiquo tempore, antequam corpora apostolorum Petri et Pauli ab invicem sint separata in locis tutissimis ubi nunc simul sunt condita ponerentur, erat custos ratione ecclesiæ vir religiosus, nomine Oddo (11), qui renuntians sæculo Cluniacense cœnobium in quo postea factus est abbas petiit, et inter alias reliquias sanctorum, nonnullos sancti Petri capillos secum attulit. Ex quibus hos sumptos esse, quos nobis transmisit, certissima astipulatione testatus est cum grandævis senioribus prædictus abbas Cluniacensis, ardentissimus amator nostræ congregationis pro eo quod ab eo monasterii construendi et regulariter vivendi ordinem suscepimus. Hoc ideo necessarium duximus hic adnotare, ne quis super eisdem capillis possit aliquo dubitationis scrupulo permoveri, quin verum sit, quod a tantis et talibus constat testibus confirmari. Prædictas vero reliquias qui attulerunt, antequam Hirsaugiam pervenirent, cuidam religioso presbytero in vicina villa commoranti, provido usi consilio commendaverunt servandas usque ad festum, quod dicitur Sancti Petri ad Vincula. Ipsa utique die, collectis abbatibus et aliis religiosis viris, memoratæ reliquiæ in monasterio Hirsaugiensi susceptæ sunt cum maximo monachorum plebisque tripudio, ac primo super sepulcrum beati patris Wilhelmi depositæ; ipsi, cui specialiter transmissæ fuerant, hoc modo pio filiorum affectu quasi præsentabantur. Denique inter jucunda divinæ laudis præconia, supplici veneratione ab omnibus qui aderant, deosculatæ, in scriniolo argenteo, ubi nunc usque reservantur, sunt reconditæ.

26. Legitur de sancto Gregorio (12), sanctoque Gallo, multis post transitum eorum de hac vita claruisse indiciis, quod monasteria quæ in honore Dei construxerant, suis contra multas adversitates defensarent patrociniis. Nonnulla etiam hujusmodi nostris gesta temporibus de hoc sancto Dei a notis et probatis personis comperimus, quæ ad commendationem sanctitatis ejus styli officio adnotare curavimus. Erat quædam abbatissa in Norica provincia, piis operibus dedita, cujus consilio prædictus vir Dei olim Hirsaugiæ prælatus fuerat, quia eum pro vitæ meritis multum dilexerat. Huic post discessum ejus per famam innotuit multos sinistræ partis homines in hoc facinus conspirasse, ut funditus destruerent cœnobium Hirsaugiense. Unde ipsa continuis affecta doloribus propitiam divinitatem assiduis interpellabat precibus, ut suæ protectionis auxilio tantum nefas averteret, ac sui fidelis famuli novellam plantationem ad incrementum perduceret. Cumque tam piis angustiis cor ejus angeretur, et pro imminente periculo Dominum instanter deprecaretur, quadam nocte quiescenti, vir Domini in somnis apparuit, mœstamque hilari vultu intuens lætificavit dicens: « Multos quidem fuisse, qui tantum nefas gestiebant perpetrare, sed ut non fiat omnino prohibitum esse. » Tunc illa sollicite inquirente, quis hoc fieri prohibuisset, respondit: « Angelus Domini bonus. » Et confestim visio colloquentis disparuit. Vere etenim, ut ait Psalmista, immittit angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripit eos (*Psal.* XXXIII, 8). Sed quamvis, eodem attestante, justus quisque in protectione Domini commoretur, evidentius tamen et severius vindictam Dei experti sunt, qui jussu regis Henrici, ejusdem nominis quarti, Hirsaugienses exterminare moliti sunt, pro eo quod hæresi ejus contra Romanam Ecclesiam noluerunt consentire, nec aliquatenus ejus communione se contaminare: quippe qui erat sceleratissimus, et omnium quos terra sustinuit flagitiosissimus. Ipso itaque adnitente quidam episcopus Argentinensis, nomine Wernerus (13), militari manu aggressus est devastare Hirsaugiam; sed eadem die qua tantum facinus commissurus equum loricatus ascendit, subitanea morte, antequam loricam exueret, præoccupatus exspiravit, et vivens in infernum descendit. Vivens, inquam, ut scriptum est (*Num.* XVI), in infernum descendit, qui sciens et prudens ut inique ageret laboravit; qui innocentes Dei famulos perdere affectavit: quod ipsis etiam militibus, qui inviti ad auxilium ejus cogebantur, adeo visum est abominabile, ut ei dissuaderent, et ad tale facinus auxiliari recusarent. Hoc autem longe ante obitum viri Dei contigit; sed deinceps tale aliquid contra locum sanctum et ejus habitatores præsumendi omnibus usquequaque metum incussit.

27. Operæ pretium est hic subsequenter subjungere aliud quiddam huic non multum dissimile, quod etiam valet ad terrendos et reprimendos invasores Hirsaugiensis substantiæ. Vir quidam, nomine Wintheir, de villa Allmendingen nuncupata, renun-

(10) Scribit idem Trithemius B. abbatis exsequias per continuos quinque dies celebratas fuisse.

(11) Ejus vita Sæculo præcedenti edita est.

(12) Vita S. Gregorii edita est Sæculo I; S. Galli, Sæculo sequenti.

(13) Bruschius in Catalogo episcoporum Argentinensium ait de hujus episcopi morte longum commentum afferri in Chronico Hirsaugiensi. At gravis est momenti hujus vitæ scriptoris auctoritas, qui certe rebus gestis præsens adfuit.

tians sæculo, sanctæ conversationis habitum sumpsit A sub abbate Wilhelmo, ac de propriis rebus quoddam prædium in prædicta villa situm, ad usum fratrum Hirsaugiensium legitima donatione delegavit. Postquam autem uterque, scilicet abbas Wilhelmus, et vir prædictus ex hac vita migravit, juvenis quidam prædictum prædium ausu temerario, quasi hæreditario jure ad se transmissum, usurpavit. Cumque una die duas carradas vini, et alia hujusmodi violenter de eadem possessione abduceret, in ipso itinere pes unus boum qui rapinam trahebant confractus est. Ipse etiam juvenis de equo cui insedit, quasi lethargum patiens præceps corruit, atque amens factus, etiam usum loquendi perdidit, in alienis manibus sublatus : sed processu temporis paulatim recuperatis viribus mentis et corporis ad B se reversus, cœpit secum considerare tale flagellum, quale nunquam antea expertus est, se non sine justo judicio Dei tolerasse, habitaque secum deliberatione ad monasterium Hirsaugiense se deferri fecit, ibique mutat simul cum mente sæculari habitum ; Deo se fideliter mancipavit, et post paucos annos in sancta conversatione feliciter vitam præsentem finivit. Ecce nos hæc audientes, et tam terribile, tamque tremendum Dei judicium super his duobus considerantes, quorum alter repente præcipitatus est in mortem, alter vero misericorditer reservatus est ad vitam meliorem, competenter cum Psalmographo possumus admirari et dicere : *Venite et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios* C *hominum* (*Psal.* LXV, 5). Ex eadem etiam consideratione cogimur cum Apostolo proclamare (*Rom.* XI, 33, 34) : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius! Quis enim cognovit sensum Domini ?* aut quare cui vult miseretur ? et quare alium obdurat, ut non salvetur ? Quo circa quia secundum Salomonis eloquium : *Nemo scit utrum odio, an amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur* (*Eccle.* IX, 1), incerta timendo veneremur, et venerando timeamus occulta Dei judicia ; dumque sumus in hoc corpore, secundum Psalmistam, serviamus Domino in timore, et exsultemus ei cum tremore (*Psal.* II, 11).

28. Quantam, ut diximus, curam sui monasterii gerat sanctus Pater Wilhelmus jam regnans cum D Deo, per aliam etiam visionem satis manifeste ostensum est. Quam, sicut referente quodam seniore, innocente et simplici viro, cui eadem cœlitus facta est visio, didicimus, scribendo posteris transmittere necessarium duximus, quia per eam admonentur Hirsaugienses, tam futuri quam præsentes, ut statuta sæpe dicti Patris diligenter observent, maxime in dispensatione pauperum et hospitum, in observatione claustralis disciplinæ. Statutum erat ab ipso communi seniorum consilio, ut aliqui ex laicis fratribus qui ad conversionem veniunt, in domo pauperum sub laicali habitu servirent, et tamen non de eleemosyna, sed de communi fratrum victu et vestitu sustentarentur. Hanc consuetudinem successor ejus ita immutavit, ut prædicti fratres de eleemosyna quam administrabant, corporis necessaria ex toto consequerentur. Ex qua occasione contigit res multum dolenda, ut peregrinis et aliis pauperibus solita misericordia subtraheretur, in tantum, ut egeni per gelidas noctes hiemis exclusi, præ fame et frigore miserabili clamore in platea perstreperent, ita ut sæpius quiescentes noctu fratres inquietarent. Super qua molestia abbas frequenter a fratribus commonitus, cum emendare negligeret hæc et alia multa hujusmodi, nocte quadam in qua Dominica Ascensio celebrabatur, unus senior de eodem monasterio, vita et moribus probatus, per nocturnam visionem vidit se sublevari, et quasi supra montem incomparabiliter sublimem constitui, ubi omnia plena erant immensæ lucis splendore, mira insoliti odoris fragrantia, et beatorum ibi manentium concentu dulcissimo quibus ipse nimium delectatus, ac jugiter interesse desiderans, inter cætera quæ ibi vidit, etiam abbatem Wilhelmum sibi olim familiarissimum recognovit, niveo aspectu et habitu fulgentem, cum quo etiam duos viros pontificali habitu decoratos, sed sibi incognitos. Quæsivit ab eo qui essent. Et audivit unum esse sanctum Udalricum (14) Augustensem pontificem ; alterum vero Conradum Constantiensem, æque virum sanctum et olim episcopum. Cumque et de aliis ibi visis inquirenti abbas Wilhelmus respondens satisfaceret, ad ultimum hæc ei Hirsaugiensibus notificanda injunxit : « Ex parte, inquiens, summæ majestatis Dei, præcipio tibi ut dicas abbati et priori, cæterisque fratribus Hirsaugiæ, quatenus secundum quod a nobis acceperunt, egenis et hospitibus cum omni charitatis affectu serviant. Mores et vitam suam secundum Regulam sancti Benedicti ; ante omnia iram et indignationem, odium et detractionem, quibus assidue Deum offendunt, cum omni malitia abjicientes, sinceram et continuam dilectionem invicem custodiant. Quod nisi observent, divinam procul dubio ultionem se experturos sciant. » His dictis, relicto eo cui hæc dixit, ipse cum aliis qui aderant, altiora quædam cœli secreta penetravit. Ille vero senior, cui hæc revelata sunt, cum per ipsum non auderet, per alium quemdam seniorem abbati cuncta intimavit. Qui pristinam quidem abbatis Wilhelmi constitutionem de eleemosyna observari jussit, cetera tamen quibus monasterium perturbaverat, incorrecta dimisit. Quapropter secundum prædictam comminationem beati Patris Wilhelmi, fere nil prosperum ei accidit. Nam parvo post tempore monasterii regimine exutus, et pontificali infula apud Spiram indutus, odia omnium adversum se ineptis moribus concitavit, sed mors naturæ interveniens, eum de medio amputavit (15).

(14) S. Udalrici Vitam habes Sæculo præcedenti. S. Conradus obiit, teste Bruschio, anno 976.

(15) Hæc fusius refert Trithemius ad annum 1105, quo Gebhardus in Spirensem episcopum, adstante ma-

29. Non est autem negligenter prætereundum, sed diligenter considerandum, quanta sanctissimus pater Wilhelmus veneratione dignus sit in terris, qui tantorum præsulum consortio, secundum prædictam visionem fruitur in cœlis, quorum scilicet gloriosam memoriam annua devotione celebriter recolit sanctæ Ecclesiæ plebs fidelis. Si quis vero ob incredulitatem suam dubitans dicat, hujusmodi visionem non esse observandam, sed inter vana somnia reputandam, hic talis indubitanter sciat, nusquam in hagiographis scriptum esse, sed nec aliquando auditum fuisse, quod nullus unquam homo dæmonum suggestione, vel palam, vel occulte præmonitus sit, ut declinaret a malo, et faceret bonum, sicut hic factum est per benignissimum patrem Wilhelmum. Constat quoque præclaros et præcipuos Ecclesiæ doctores, beatos Gregorium et Augustinum, nonnulla etiam sæcularium visa personarum suis inseruisse opusculis ob ædificationem fidelium quibus tamen non aliud adhibent testimonium, nisi quod nominatim quosdam testati sunt ea vidisse per somnium. Denique ut hæc omnia. quæ de sancto viro digessimus, purissimæ veritatis sigillo concludamus, unum adhuc testimonium proferemus, quo eum probamus in opus ministerii, quo in domo Domini tam fidelis servus et prudens laboravit, divina auctoritate assumptum, et vere secundum propositum vocari sanctum, cui diligenti Deum omnia cooperata sunt in bonum.

30. Pater sanctus cum gravi infirmitate vexaretur, ea scilicet in qua Adæ debitum solvisse dignoscitur, a multis comprovincialium majoribus personis visitatur, ut et devotioni suæ, qua virum Dei mirabiliter semper coluerunt. bono fine perseverantiæ satisfacerent, et tam sanctæ animæ egredienti animas suas commendarent. Igitur inter primos præcipuus et devotissimus amator beati viri visitator A adfuit Wormatiensis (16) episcopus, qui tam simplici animæ semper familiarissimus erat, et cui dilectus Domini sæpius sua secreta. nimia episcopi familiaritate cogente, pandebat. Huic itaque tam excellenti atque probatæ in Ecclesia personæ, inter alia familiaritatis colloquia aperiebat, et sub divini nominis attestatione confirmabat. « Cum adhuc, inquit, essem Ratisbonæ in monasterio sancti Emmerammi, quadam nocte apparuit mihi vir plenæ ætatis, mirificæ ultra humanum modum pulchritudinis, hilari vultu me compellans, et uvas speciosissimas manu præferens, quas etiam mihi obtulit, dicens : *Accipe, dilecte mi.* Cujus muneris novitate, et tanti viri affabilitate perculsus, diu fateor mecum admirans permansi stupidus. Tum ille : *Scholam instituere curavi,* B *cui te præficere ante omnia sæcula prædestinavi, quam si secundum placitum meum rexeris, bona mercede in æternum remuneraberis. Nil, amice, dubites, idem cooperator qui et remunerator.* Ad hæc verba evigilans, multa mecum tractavi, eademque sæpius retractavi. Cumque multis meditationibus distenderetur animus meus, tandem ad portum tutissimum magnæ misericordiæ Dei confugi, et Domino Deo meo omnia mea, quam intime poteram, commisi. Et ecce ipso die fratres nostri de hoc monasterio adsunt, litteras cum multimodis precibus afferunt, et vi quadam validissima de quiete monastica me abripientes, parvitatem meam sibi præesse compellunt, ac cum obtestatione divini nominis ne abnuerem postulata cogunt. C Suscepi, fateor, invitus jugum Domini, devictus prece tam unanimi. In quo officio si quid Deo placitum feci, ipsi sine quo nil validum, nil sanctum, ipsi, inquam, a quo bona cuncta procedunt sit pro his et universis miserationibus et beneficiis suis laus, honor, et omnimoda gratiarum actio per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

gno procerum conventu a Ruthardo Moguntino episcopo ordinatus est. Unum ei tantum annum et aliquot menses regiminis idem Trithemius tribuit, alii plures. Post obitum in monasterium Hirsaugiæ relatus, sepultus est ante majus altare principalis ecclesiæ.

(16) Hunc Stengelius putat Epponem fuisse, qui Dithmaro, anno 1085 defuncto, successit. At Bruschius Dithmari obitum ad 1109 refert post duos regiminis annos; sicque antistes Wormatiensis de quo hic agitur, Adelbertus Dithmari præcessor fuisse dicendus est.

EPITAPHIUM SANCTI WILHELMI

Abbatis monasterii Hirsaugiensis, quod ejus sepulcro appensum est.

Hac in scriptura, Wilhelme Pater, tua vita,
Cunctis ut speculum, prælucet vita bonorum,
Ut quivis doctus, proprios hinc corrigat actus,
Quid sit vitandum discernens, quidve gerendum.
More quidem speculi radiat pia vita beati
Patris Wilhelmi, virtutum lumine clari.
Exsultet talis genitrix Bajoaria prolis,
Suevia se tantum lætetur habere patronum.
Norica quem prolem, tulit hunc Hirsaugia Patrem,
Felix per talem pastorem spiritualem,
D Patrem multorum per doctrinam genitorum.
Moribus egregius fuit, et virtutibus almus,
Perfectam plebem Domino sacravit et ædem;
Vobis, Aureli, Petre, Paule, patres venerandi,
Cellam Gregori, tibi fundans, atque Georgi,
Pluraque sanctorum loca disponens aliorum,
Struxit et instruxit, quia recto tramite duxit,
Collapsam dudum vitam reparans monachorum.
Quadruvii priscos transcendit in arte magistros,
Cantibus errorem varium correxit ad artem.

Terrarum metas scrutans, et temporis horas,
Ac numeros Abaci vidit tam mente sagaci,
Artibus his illi queat ut vix quis similari.
Quod verbis docuit, operum virtute probavit.
Pauperibus, viduis, claudis, cæcis, peregrinis,
Infirmis, sanis, quocumque dolore gravatis
Prospera providit, contraria quæque removit.
Simplex et rectus, simul omnibus omnia factus.
Christe, tibi vivus, mundo vere crucifixus,
Postquam per plures pro te sudavit agones,
Anno milleno complevit et nonageno (16),
Quarto Nonas Julii, hic petens delossa sepulcri,
Sic defunctus tecum jam felix vivit in ævum
Pater is venerandus, et vir cuncta laude precandus.
Inclyte Wilhelme, pater virtutibus redimite,
Alma fac nunc prece, liberemur ut a tristi nece
Corporis et animæ, hic Deo famulantes devote,
Obambulando tumbam tibi Patri colendo paratam,
Bona illic dentur, unde nostræ mentes purgentur.
Ubi es nobiscum dulci somno exspectans Christum
Supreme venturum, et justis bona vitæ daturum.
Wilhelmi abbatis ah! nos vita jungat beatis
Soli me post tui autem, dans videre claritati,
Chorum cum turma, qui cœlica sunt super astra,
More Deum laudantes, et dulci sono jubilantes,
Per paradisi prata volvendo carmina lata,
Regi regum Domino qui throno illic sedet in alto,
Valeat vox laudis, in ævum sie semper mansuris.
Amen.

(16) Annum unum omisit, quod metro difficilius congruisset, quamvis in cæteris versibus nulla dein mensura servetur.

HYMNUS IN HONOREM B. WILHELMI.

Audi, Deus, hymnizantium
Preces tuorum supplicum,
Sancti confessoris tui
Solemnia colentium.
Benignis miris actibus
Hic fulsit et virtutibus,
Lucerna lucens omnibus
Domo Dei manentibus.
Fundans in Christo plurima
Monachorum cœnobia,
Muros erexit cœlitus,
Vivis utens lapidibus.
Hic fuit vivens hostia
Per cuncta vitæ spatia,
Mactavit in se vitia
Crucis ferendo stigmata.
Hujus, o Christe, gloria,
Jam factus es victoria,
Ipsius per suffragia
Da nobis vitæ gaudia.
Laudamus te Patrem Deum,
Unicum simul Filium,
Spiritumque paraclitum,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

SANCTI WILLHELMI
CONSTITUTIONES HIRSAUGIENSES
SEU
GENGENBACENSES

(*Vetus disciplina monastica seu collectio auctorum ordinis S. Benedicti maximam partem ineditorum, qui ante sexcentos fere annos per Italiam, Galliam atque Germaniam de monastica disciplina tractarunt, opera et studio *** presbyteri et monachi benedictini e congregatione S. Blasii in Silva Nigra. — Parisiis, typis* Osmont, 1726, in-4°.)

MONITUM

Sanctus Wilhelmus in Cœnobio S. Emmerammi Ratisbonæ monachus ob sanctitatis et doctrinæ famam a monachis Hirsaugiensibus post medium XI *sæculi in monasterio Sancti Aurelii abbas constitutus fuit. Is pro singulari suo monasticam disciplinam instaurandi studio petiit ab Wldarico seu Udalrico Cluniacensis ecclesiæ monacho, ut quas Cluniaci a majoribus haberent constitutiones, secum communicare non gravaretur. Annuit Udalricus, et Cluniacensium consuetudinum libros tres (duos tantum memorat Wilhelmus) a se conscriptos ad eumdem direxit. In libro primo egit de psalmodia et missarum solemniis deque variis anni celebritatibus: in secundo de disciplina regulari: in tertio de regimine et officialibus. Hi omnes tres libri a domno Dacherio typis vulgati sunt in Spicilegii veteris editionis tomo IV, novæ tomo I (Patrolog.* t. CXLIX,

col. 633). *Verum cum vir sanctus periliorem earumdem consuetudinum notitiam perciperet, facultate per Bernardum Massiliensem ab Hugone Cluniacensium abbate petita, paulo post sexe suis monachis Hirsaugia Cluniacum direxit, ut coram ritus, usus ac cæremonias accuratius viderent ad literam atque, ac minutissima quæque ad disciplinam monasticam pertinentia quam diligentissime adnotarent. Cum itaque Wilhelmus hoc modo universum Cluniacensium institutum penitus notum haberet, consilium cum monachis suis iniit, ut ea tantum ex libris Udalrici seligeret quæ ad* morem patriæ, loci situm, et aeris temperiem *accommodata essent : unde in iisdem libris nonnulla mutavit, pauca omisit, plura addidit, ea præcipue quæ* a puero *Wilhelmus* in monasterio sancti Emmerammi didicerat. *Atque hunc in modum leges ac constitutiones pro celebri illa Hirsaugiensi congregatione primo factæ fuerunt : quod ipsum in prologo suo auctor pluribus verbis explicat. Præfuit Wilhelmus anni* XXII, *mense* I, *die* I. *Obiit extremum diem 1019 Christi anno. Ejus elogium habes in Chronico Hirsaugiensi, quod hujusmodi est :* Hic est Wilhelmus abbas sanctissimus Christi famulus, qui ordinem D. P. nostri Benedicti suo tempore pene collapsum in Germania et deformatum insolentia monachorum, instaurare et reformare studuit, et plus quam centum monasteria tam per se quam suos ad pristinam regularis disciplinæ observantiam revocavit. Excepta reformatione et congregatione duntaxat Cluniacensium, quæ numero monasteriorum excellit, nulla hactenus in ordine nostro reformatio exstitit quæ numero vel cœnobiorum, vel notabilium personarum Hirsaugiensium instaurationi comparari possit. *Ibid. pag.* 225.

Inter prima monasteria in quæ constitutiones Hirsaugienses illatæ fuerunt, numeratur monasterium in Gengenbach Argentinensis diœcesis, quod S. Pirminius Meldensis episcopus temporibus Theoderici Francorum regis fundavit. In hoc namque monasterium, ut laudatum Chronicon Hirsaug. pag. 176 *habet* : Marquardus abbas cum XII monachis ex Hirsaugia missus est a Gebhardo venerabili Patre qui sancto Wilhelmo in abbatia Hirsaugiensi successit. Hic reverendissimus abbas Marquardus cœnobium Gengenbach sibi traditum in utroque statu reformans, et temporalia sapienter recuperavit amissa, et in brevi numerum valde auxit monachorum. *Hæc ideo a nobis allata sunt, ut plenissime constaret constitutiones Gengenbacenses, in codice Einsidlensi (quo usi sumus) descriptas, easdem omnino esse atque Hirsaugienses, quas edere Lucas Dacherius Spicilegii tomo* I *novæ editionis pag.* 639, *et Joan. Mabillon vet. Analect. tomo IV, pag.* 454, *in sese suscipere meditabantur. In quæ porro monasteria eædem constitutiones invectæ sint, refert Trithemius Chronico Hirsaugiensi a pag.* 274, *cujus verba hic afferre juvat ut ex iis propagatio harum constitutionum plenius intelligatur.* Nomina monasteriorum ordinis nostri ex Hirsaugia per ipsam B. Wilhelmum Abb. et suos discipulos post eum vel denuo institutorum, vel ex desolatione reformatorum seriatim exprimere decrevimus, ut plura exstitisse quam centum ostendamus. Primum igitur omnia caput, et principale monasterium est Hirsaugiense istud majus, quod novum a fundamentis construxit.

Monasteria nova.

Zwilfalta.
Sancti Gregorii Mart. in Hercynia Silva.
Sancti Petri in Erfordia.
Sancti Martini in Carinthia.
In Bruweningen.
Prioratus in Weilhaim.
Prioratus in Reichenbach.
Præpositurae in Rothe.
In Camberg.
Prioratus in Schonrain.
In Braitenawe.
Odenhaim.
Hasungen.
Cellæ Paulinæ.
Petershausen.
Leven in Carinthia.
In Posavia.
Hugeshofen.
S. Walburgis.
Niiwilen.
Vraugiense.
In Lorch.

Monasteria reformata.

In Scheffhausen.
Lorissense.
In Reinharzbronn.
In Altdorff.
Sancti Albani Moguntiæ.
In Bildenstat.
Sancti Jacobi Moguntiæ.
Bruwilen prope Coloniam.
Mediolacense in Lotharingia.
A Sancti Disibodi episc. in Comitatu Spanheim. quod Cistersciens. nunc inhabitant.
In Lympurg.
In Hornbach.
In Tholegia.
In Sels.
Maurimünster, quod Morsmünster appellant.
In Gengenbach.
In Schuttera.
Ettenhaim.
Schwarzach prope Argentinam.
Schwarzach in Francia Orientali.
Sancti Stephani Herbipoli.
In Amorbach.
Niiwestat prope Choganum.
Theris juxta Moganum.
Montis Monachorum Bambergens.
B In Moncourach.
Steinach.
Salveldense.
Magdenburgense in Saxonia.
Rhinawe.
Admontense in Austria.
Sancti Udalrici in Augusta.
In Ysne.
Rozaz prope Aquilejam.
In Elchingen.
Augiæ majoris.
In Weingarten.
In Besselbron.
In Bregniz.
Heremitarum.
Campidonense.

In Altha.
In Deckingen.
Ottenbüren.
In Alberspach.
Benedict-büren.
In Glaubüren.
In Necashaim.
Schluchtera.
In Oxenhausen.
Sancti Blasii.
Muchart.
Mure.
Nawense.
Tharisiense.
Salzburgense.
In Heïdenhem.
Sanctorum Petri et Pauli in Nigra Sylva.
In Wiblingen.
Sancti Trutperti.
In Trube.
In Elwangen.
In Thiethaupten.
S Joannis in Thurtal.
Faburgense.
In Andex.
In Fischingen.
In Blanckhenstetten.

Hæc nomina monasteriorum ordinis nostri conscripta invenimus. quæ vel a principio fundationis suæ monachi Hirsaugiensis Cœnobii primi inhabitantes regularem plantavere disciplinam, vel antiquitus fundata et nimia vetustate, sive neglecta institutione deformata, ad regularis observantiæ tramitem reformarunt. *Hactenus Chron. Hirsaug.*

Monemus porro lectorem, constitutiones Hirsaugienses cum libris Udalrici a nobis esse collatas, atque omnia singula quæ ex dictis Udalrici libris desumpta sunt in textu litteris UD. *notavimus ; ea vero quæ sanctus Wilhelmus addidit* * *stellula distinximus ; quæ variant litteris* VAR. *designavimus : ut hac ratione primo statim intuitu pateat quid Hirsaugienses ex consuetudinibus Cluniacensibus asciverint, quidque illud sit, quod ante Cluniacensium institutum sanctus Wilhelmus* a puero in nasterio Sancti Emmerammi didicerat. *Unde etiam facili negotio colliget eruditus lector quid differat disciplina monastica quæ in Gallia floruit, ab ea quæ in Germania usu recepta fuit. Qui tamen rectum hac de re judicium efformare voluerit, oportet ut Bernardi quoque ordinem Cluniacensem cum his constitutionibus conferat : nonnulla enim capita istarum constitutionum ab Udalrico prætermissa in illo ordine continentur ; quæ tamen, ne opus mancum mutilumque redderemus, hic ex integro typis etiam describi curavimus.*

CONSTITUTIONES HIRSAUGIENSES

SEU

GENGENBACENSES

[*Ex mss. Einsidlensibus.*]

LIBER PRIMUS

PROLOGUS.

Postquam (16*) ego frater Wilhelmus, Dei ordinatione, et fratum Hirsaugiensium electione ejusdem loci provisor sum constitutus, indidi eis in primis, quas a puero didiceram in monasterio Sancti Emmerammi regularis vitæ consuetudines. Sed quia multa in eis erant, quæ paulatim succedente desidia a monastico rigore, et ab illius partæ conversationis nobilitate videbantur degenerasse, statim apud me, ut ubicunque aliquid informandis Fratrum moribus proficuum visu vel auditu, vel certe lectione sacrorum librorum perciperem, totum hoc quasi vivos lapides ad spiritualis structuræ fabricam conferrem Quod propositum meum dum ei. qui replet in bonis desiderium fidelium suorum, sedulis precibus commendarem : Deo omnia mirabiliter, ac misericorditer disponente. venerabilis vir, ac bonorum omnium memoria dignus Bernardus abbas Massiliensis, apostolicæ sedis legatione functus, ad nos devenit, integrumque fere annum difficultate conficiendi itineris, quod volebat, inhibitus, nobiscum exegit.

Qui uti sollicite fratrum conversationem, et monasterii nostri statum pervidit, quodam die inter cætera colloquia, sic me compellavit. « Ut video, « frater charissime, locus iste admodum aptus est « conversationi monasticæ, et ipsi fratres juste ac « sancte vivendi ardentissimo videntur flagrare stu« dio. Sed nosse velim, quos potissimum vestræ « institutionis magistros habeatis, et a quo præcipue « monasterio derivatas consuetudines observetis. » Nostri, inquam, est studii quoslibet religiosos hujus vitæ viros pro posse nostro imitari : sed si nos in aliquo deviantes dignamini ad viam reducere, procul dubio quocunque nos sapientis consilii manu ducitis, promptissimi subsequemur Ad hæc ille :

(16*) Prologus hic in codice Einsidlensi desideratur; eumdem supplevi ex ms. Weingartensi, quem postea editum reperi tomo IV vet. Analectorum.

« Vestra, inquit, conversatio, quantum nostri ingenioli acumine perspici potest, et Deo acceptabilis, et omnium sane sapientium admiratio videtur. Sed si adhuc gloriosior esset, et apostolicis, ut ita dicam, signis et virtutibus illustrata claresceret, his tamen, qui sincere monasticam sectantur perfectionem, non adeo grata acceptaque erit, nisi aliis regulariter institutis monasteriis in habitu et tonsura cæteris consuetudinibus assimilata fuerit. Sed inter omnia Cisalpinæ Galliæ monasteria, si nostram requiritis sententiam, Cluniacense cœnobium potissimum vobis suadeo eligendum ; ubi et perfectissimorum monachorum auctoritate, et temporis antiquitate monastica eo roboris et gloriæ excrevit religio, ut si qua adhuc sanctitatis vestigia in aliis videretur monasteriis, non dubium sit ex hoc, quasi ex vivo quodam et inexhausto fonte, singulos emanasse rivulos. » Dum his, et hujusmodi motivis vir prædictus, ut dici solet, stimulos currentibus addidisset, peracta legatione pro qua venerat, rediit, et in redeundo Cluniacum transiens, ipsi Patri monasterii nos intime commendavit, et ad pristimum (si quid hujusmodi ab eo peteremus) satis benevolum reddidit.

Circa idem tempus Udalricus senior quidam Cluniacensis nutu Dei, pro causa monasterii in Alemanniam missus, aliquandiu nobiscum mansit : et quia nobis olim erat familiarissimus, longaque jam experientia in Cluniacensibus disciplinis exercitatus, rogavimus eum ut suas nobis consuetudines transcriberet Annuit, spopondit, et, ut promiserat, duos de prædictis consuetudinibus libellos nobis conscripsit. Postea considerantes in eisdem libellis multa deesse ad plenariam earumdem consuetudinum scientiam capessendam, primo duos ex nostris fratribus, atque iterum alios duos, tertio nihilominus duos Cluniacum direximus : qui tam diligenti examinatione omnia illius Ordinis secreta rimati sunt, ut ipsi eorum magistri, in quorum audientia scriptas consuetudines recitabant, affirmarent, nunquam aliquos illius spiritualis scholæ discipulos, vel plenius, vel veracius suæ institutionis artem comprehendisse Illis tandem redeuntibus, et tam fructuosi operis manipulos cum gaudio reportantibus, accepimus per eos mandatum a Domino Hugone venerabili Cluniacensium abbate, ut sua freti auctoritate, coadunato seniorum nostrorum consilio, prout ipsa declarat ratio, secundum morem patriæ, loci situm, et aeris temperiem, de eisdem consuetudinibus, si quid esset superfluum demeremus; si quid mutandum, mutaremus : si quid addendum, adderemus. Quod sagaci studio communi insistentes, et pauca quædam mutantes, multo autem pauciora recidentes, totas illas consuetudines in duos libros distinctis per sua capitula sententiis digessimus. Hac autem intentione, et hac mercedis compensatione tam sumptuosum opus elaboravimus, ut et vos, A fratres charissimi, reverendi Patres ac domini, et quibuscunque inest amor et studium secundum vos institui, hæc observando vitam æternam promereri valeatis : dumque vos nostro labore ad bene vivendum adjuvari gaudetis, nos quoque ad semper cum Christo beate vivendum, vestris orationibus adjuvetis.

Hilari ergo animo, et obviis (ut dicitur) manibus suscipite parvula quidem, sed multo labore exsudata Patris nostris xenia, et ad perpetuum paulo post morituri senis memoriam, amplectimini ; servate et observate. atque in intimis reponite sensibus ; ut quam sincero amore viventem dilexeritis, in horum observatione innotescat omnibus per succedentia tempora futuris. Hinc etiam operi proposito maB num applicantes. congruum arbitramur a novitiorum susceptione, eorumque institutione omnium quæ dicenda sunt exordium facere.

CAPUT I.

De diversitate novitiorum.

UD. Igitur aliqua diversitas est eorumdem novitiorum : nam non solum absque habitu veniunt, ut laici et clerici, sed etiam cum habitu et monachi jam facti. Et tales trifariam sunt differentes. Quidam sunt de longinquis et alienis monasteriis, et ad hoc veniunt, ut rursus profiteantur, et de cætero maneant nobiscum. Quidam sunt de cellis nostris, et vel pro infirmitate vel loci longinquitate benedictionem jam a domno abbate acceperunt, professione jam dilata, et ad locum nostrum usque C reservata. Alioquin novitius in aliqua earumdem cellarum susceptus, non est ibi monachili indumento nisi per licentiam vestiendus, sed assumptis secum quibus induatur ad accipiendum habitum ad nos usque perducitur; cæteris, quæ secum Domino obtulit omnibus illic, ubi susceptus est, permanentibus. Sed postquam de ordine nostro instructus (17) benedictionem acceperit ad locum ubi prius est susceptus (si domno abbati visum fuerit), redibit. Solet tamen domnus abbas illis prioribus, qui in remotissimis locis morantur. concedere susceptos novitios non solum monastico indumento ibi vestire, sed etiam, si tam gravis infirmitas mortis periculum minatur, in monachos consecrare. Hæc autem benedictio quæ ita ad succurendum (18) agitur, tam D his, qui prope quam qui longe sunt, prioribus ab eo conceditur : si tamen ipsi tam gravis infirmitas prænuntiatur; et vel ex aliqua occasione ad ægrum ire impeditur, vel in tempore illuc venire non speratur. UD. Quidam non sunt de tali monasterio nostro : quod absque domno abbate proprium habent abbatem Ubi etsi benedictionem accipiant et professionem faciant, tamen habentur a nobis per omnia et in vita et post vitam ac si apud nos fecissent ; * excepto quod illæ triginta Missæ non cantantur. Sunt enim et alia nobiscum monasteria, quæ quamvis non per abbates, sed per priores

(17) Benedictio hic pro professione monastica ponitur.

(18) *Benedictio ad succurrendum*, est professio monast. quæ instante mortis periculo emissa fuit.

regantur, tantæ tamen sunt facultatis, ut in eis valeat observari ordo regularis. Ergo isti, qui per priores reguntur, postquam apud nos professi fuerint, et illi qui sicut dictum est, proprium habent abbatem, UD. cum primum ad nos sive causa charitatis, sive alicujus negotii venerint, fiducialiter et absque mora intrant, et secundum tempus quo in monasterio præfati sunt recepti, sic etiam ordine suo non carebunt.

* Sunt adhuc alia monasteria (19), de quibus nihil amplius ad nos pertinet, nisi quod per abbatem nostræ congregationis, et domni abbatis constitutione reguntur. Horum monachi cum ad nos veniunt, in choro, et ubique in claustro nobis sociantur, nisi in capitulo. Illuc enim non ingrediuntur, nisi cum venia, vel ipsi vel abbas eorum promereatur. Quo autem ordine hoc agatur, in capitulo ejusdem abbatis requiratur (*lib.* II, c. 2). Reliqui omnes ad conversionem venientes non permittuntur intrare, nisi prius juxta verbum S. Benedicti, vel unam noctem extra claustrum morentur; UD. pedites quidem in Eleemosynaria, nisi sint monachi, vel honestiores clerici; equites in monasterio. Qui etiam in hora receptionis suæ sive in eleemosynaria, sive in hospitali morentur, ab Ostiario inde in capitulum deducuntur. Si autem, cum venerint, aliquas in monasterio res attulerint, faciant secundum regulam S. Benedicti donationem earum (*lib.* II, c. 36). Quo facto ipsæ oblationes assumuntur ab iis, ad quorum obedientiam pertinent. Ad quorum autem obedientiam pertineant, in capitulo camerarii invenitur. (UD. *Var.*) Prius autem quam intraverint in hospitum auditorio ab eodem Ostiario instruendi sunt, quemadmodum faciant petitionem suam. Primum ut sciant veniam petere more nostro, ut prostrati et interrogati a præsidente, quid velint? singuli dicant: *Deus misericordiam, et vestram, vestramque societatem libenter habere volumus*, vel si unus est: dicat, *Volo*. Et postquam ille responderit: *Deus det vobis societatem fidelium suorum*. * surgentes veniant ad pedes ejus, nisi sint monachi; alias a domno abbate, vel pro infirmitate vel loci longinquitate (sicut prædictum est) consecrati, qui abbati soli, si adest, reverentiam hanc sunt exhibituri, et ut paululum retrocedentes, honeste se inclinent, et sic ad analogium se recipiant. Quæ inclinationis lex ita, ut hic dicta est, omnibus quacunque de causa ad pedes venientibus observanda est.

(UD. *Var.*) Si quis est, ut præfatus sum, de aliqua cella nostra, fratribus in capitulo sedentibus invitatur, et, ut dictum est facta petitione, jubetur ut ultimus sedeat inter fratres, qui nondum fecerunt professionem. Si novitii aliqui non consecrati (20) A tunc sunt in monasterio, illis est ad collationem ad mandatum (21) et refectorium superior, in choro quoque, si est litteratus (22); sin autem, eis, qui sunt inter novitios illitterati.

CAPUT II.

De monacho qui de alieno monasterio venit.

* Qui de monasterio alieno suscipiendus venit, similiter facta petitione, postquam interrogatus, si consuetudine ordinis nostri contentus esse velit; promiserit se per omnia usque in mortem, prout Deus illi vires dederit obediturum. Tunc, concessa ei fratrum commanentia, sedeat ubi jubetur secundum quod domnus abbas voluerit et viderit personam. Hoc autem providendum est, ut in tam mediocri loco sedere jubeatur, quod post factam professionem B ab ultimo in priorem locum (quod consuetudinaliter fieri debet) revocatus, tempore, quo domno abbati placuerit, adhuc altius promoveri possit, si meritorum illius dignitas hoc exegerit. Quod si domnus abbas in monasterio non fuerit, prior nequaquam hunc sine licentia ipsius in claustrum suscipit, nisi adeo remotus sit, quod per nuntium in triduo conveniri non possit. Tunc, inquam, nisi eum citius venturum noverit, potest hujusmodi suscipere, et in omnibus locis conventui adunare. Solum capitulum absque permissu domni abbatis non habebit, nec saltem pro petitione facienda intrabit, sed ad aliquam horam in ecclesiam ducitur, ibique per ordinis rectorem conventui sociatur.

C Postea, si opus est, more nostro raditur et vestitur. Si vestimenta ejus non sunt more nostro formata, et in tantum vilia et pauca, ut inter fratres in his competenter conversari non possit, regularia et necessitati sufficientia ei dantur, in quibus et postea, si perstare noluerit, ante professionem abire non prohibetur.

Quandiu capitulo caret, in cella novitiorum interim moratur, donec capitulum finiatur. In primis per aliquot dies post oblationem prioris missæ cum licentia in eamdem cellam pro instructione vadit, et inde nonnisi cum aliis novitiis redit. Postquam vero aliquid instructus fuerit nonnisi eadem missa finita ad eamdem scholam venit. Cum autem domnus abbas domum reversus per priorem de eodem fratre, quæ acta sunt, cognoverit ad primum capitulum, D cui ipse intererit, ei ad se vocato solita petitione præmissa, hoc concedit, si tantum antea per nuntium illi hoc non concessit. Potest et hoc interdum fieri, ut aliquando aliquis novitius debeat recipi, et domnus abbas in monasterio quidem maneat, sed ad capitulum venire non valeat. Tunc ipsius jussu prior eum recipit, et si monachus est ad præsens sibi locum concedit. Sive autem iste, sive ille, cui dom-

(19) Congregatio Hirsaugiensis, de qua in præfatione egimus.

(20) *Consecrari et benedici* dicebantur *novitii* in monasteriis, cum expleto novitiatus anno vota emittebant.

(21) *Mandatum* est lotio pedum, ad quam canitur ex Evangelio *Mandatum novum do vobis*, etc.

(22) Distinctio facta inter monachos qui litteras moverant et ad sacros ordines aspirabant, et inter monachos qui litteras nesciebant, qui sæpe etiam idiotæ nomine veniunt.

nus abbas præsens capitulum concessit, non nisi cum licentia monente tamen magistro, a quo novitius instruitur, [*suppl.* intrabit]. Ad illum namque pertinet quidquid domno abbati vel priori pro quolibet novitio insinuari debet.

Professio ejus plusquam aliorum novitiorum prolongatur, et postquam de nostra consuetudine introducitur, in nullo minus, quidquid deliquerit per correptionem dissimulatur, ut si revera Dominum quærat, comprobetur. Sicut si ordo nostræ consuetudinis ei aliquid sapit, a domno abbate, quatenus sibi professionem facere concedat. suo sponte, vel in capitulo cum venia, vel alias sine venia petit : quod et quilibet novitius extra capitulum pro susceptione sancti ordinis facit, si hoc sibi animus ferventer suggerit. Quæ tamen confessio ac sancti ordinis susceptio secundum consuetudinem et secundum regulam Benedicti ante integrum annum nulli nisi pro infirmitate concedenda est. Interim quoque ad quælibet officia, sive in ecclesia, sive extra ecclesiam, sicut et alii fratres, notatur (excepto, si est litteratus), quod nec ante nec post diem professionis, sive ad officium missæ, vel epistolæ, vel evangelii absque permissu domni abbati se admittit. Ad lectionem vero mensæ et hebdomadarii cantoris tandiu non admittitur, donec armarius (23) si ad hæc idoneus sit, experiatur. Ad ipsius namque arbitrium pertinet hæc omnia ei ascribere, sicut et ad Prioris cuilibet obedientiæ quæ infra claustrum agitur, adjutorem eum constituere. Qui etsi quomodolibet novitium, domno abbate absente, valeat suscipere, tamen si non vult persistere, absque abbatis præcepto non potest eum dimittere. Sed neque pro hujusmodi mentis instabilitate, vel duris verbis, vel flagellis castigare ; quod et ipsum abbatem oportet devitare, cum potius hoc, quod sanctus Benedictus præcipit (*cap* 58, 11), in illo observari debeat, ut, sicut liber venit, et ita liber discedat.

Si quis autem de alieno monasterio apostata venit, habituque monastico abjecto, in clericali ad nos causa conversionis venerit, non recipitur, sed persuadetur, ut digne pœnitendo revertatur. Quod si reverso post congruæ satisfactionis promissionem ingressus illic denegatur, tunc si petierit, hic recipitur ; prius tamen quam claustrum intrat, cuculla (24) et froco indutus, postea vero nostro more radendus ac cæteris, quæ ordo exigit, induendus, sed ad professionem plusquam aliquis novitiorum differendus.

(VD. *Var.*) Clerico et laico, qui nondum ita sunt experti vitam nostram, diligentius est insinuandum, ut habetur in regula, quam dura, quam aspera necessario patiantur, si ad subjectionem nostram pervenerint; quæ nimirum compellit eos nullam potestatem propriæ voluntatis habere, sed ad nutum alterius per omnia pendere. Cum autem ipsi, ut supradictum est, responderint, exoptationem receperint, et secunda vice ad pedes venerint, ducuntur a magistro in ecclesiam ad locum competentem, ut ibi sedeant, usque dum vestiantur. Si quis inter eos est litteratus, liber aliquis interim ei ad occupationem datur, donec finito capitulo, cum primum fieri potest, ad radendum et mutandum habitum educatur. Quod si rasura eorum aliqua de causa paulisper est differenda, magister prædictus in cellam novitiorum eos ducit, ibique per spirituale colloquium aliquandiu detentos, vel illic dimittens, vel in ecclesiam reducens, horam radendi exspectare facit. Si autem conventus post duos vel tres dies est radendus, interim si videtur, rasura clerici potest differri ; laicos vero ante majorem missam irrasos exspectat, ante cujus pulsationem ducendus est in chorum, et ibi sella extra majus altare posita est ante gradus, (VD. *Var.*) Ad hoc ministerium sellæ semper sunt in sacristia positæ ; sedere jussus, abscissa coma coronatur, barbaque tonsa tirocinio Christi assignatur.

* Hoc ordine eadem tonsura agitur. Sacerdoti missam celebraturo adest armarius cum libro, magister novitiorum cum forcipe et linteo, quæ a camerario data jugiter ad hoc opus servantur in sacristia. Quod linteum idem magister in manu tenens de manu sacerdotis rescissum recipit capillum. Ergo in primis præmisso, *Dominus vobiscum*, cum oratione dicitur, *Præsta, quæsumus*. Deinde aqua benedicta eos aspergit et tondet, mox a juvene (25) indirectum incœpta antiphona *Tu es, Domine*, et a conventu finita, adjuncto versu *Conserva* cum *Gloria*, iterumque eadem antiphona canitur. Post tonsuram dicit sacerdos. *Oremus. Presta quæsumus*. Quo facto, ad barbam tondendam dicitur *Dominus vobiscum. Deus cujus specie* Post hanc orationem non aspergit, sed mox tondere incipit. Quod si fuerint decem vel plures, tunc postquam sacerdos duobus vel tribus coronas assignaverit, magister quosdam seniores advocat, qui illum tondere adjuvent Et postquam eorum singuli de singulorum capitibus et barbis capillos aliquot absciderint, in eodem loco exspectant, donec tam sacerdos quam illi unusquisque eum quem totondit osculetur.

Prædictus magister linteum, forcipes et sellas in sacristiam reponi procurat, ut ad tale ministerium semper ea in promptu habeat Secundum consuetudinem autem nullus ad conversionem laicus in claustrum recipitur, quin in tali ætate sit profectus, ut vel tantum barbæ habeat, quod tonsuræ hujus ordo impleri valeat, quique in posterum custodiæ subjugari non debeat : excepto si tam incautus esse cœperit. Itaque, postquam novitii ita, ut dictum est, in choro designantur, eumdem magistrum ad

(23) *Armarius* est *Bibliothecæ præfectus*, de cujus officio lib. II integrum caput descriptum habes.

(24) *Cuculla* vestis nota, qua scilicet caput operiebatur.

(25) Id est, sine modulatione vocis.

calefactorium sequuntur, quia illic a provisore rasoriorum, assumptis per magistrum aliis fratribus qui eum adjuvent, sunt radendi. Nam ad illum pertinet ut novitii regulariter radantur. A

Finita vero rasura, camerarius adesse non negligit, et eos ad vestiarium ducit. Illi namque omnes sunt vestiendi a famulis ipsius camerarii. Vestimenta vero quibus tunc exuuntur, usque in diem professionis eorum reconduntur.

UD. Vestis eorum nostræ debet omnimo similis esse, præter quod, quandiu erunt absque benedictione, sola cuculla carebunt. Postea capellum frocco eorum assuitur, ne notabiles dissimilitudine nobiscum conversantes videantur. (*Var.*) Nam sive sint pauci, vel multi, etsi in capitulum nostrum non veniunt, et separatim, scilicet in cella novitiorum B cum magistro dormiunt (quia nunquam veniunt in dormitorium nostrum nisi benedicti): tamen in refectorio et in aliis locis minime separantur a nobis. Mox autem ut vestiuntur, magister eos recipiens in prædictam cellam ducit, ibique eos pauca, quæ ad præsens sunt necessaria, instruit: deinde chorum cum eis adiens in loco idoneo statuit. Deinde omnia, quæ ad lectulos habere debent, a camerario in cellam eamdem, sciente magistro et unicuique congrua disponente, apportantur, simul et cucullæ, si fieri potest; quæ usque ad diem professionis eorum, ibi serventur, et nomina singulorum in totidem breviusculis (26) per eosdem scripta, cucullis singulis a dorso exterius per semetipsos interim assuuntur, et in hora consecrationis unusquisque ea quæ sibi competit, induatur. Cætera vero C quibus in primordio receptionis indigent, magister eorum a camerario requirit. Post tres autem vel quatuor dies adventus eorum, his qui litterati inter eos sunt, magistro admonente, codices ad lectionem ab armario dantur, sed tamen ad eos non notantur, sicut alii fratres, qui pro suis libris in capite quadragesimæ ascribebantur.

CAPUT III.

Quomodo se habeant in cella novitiorum, et quomodo ibi instruantur.

Novitii, sive sint pauci, sive multi, in prædicta cella instruuntur. Quotidie namque docendi omnes ibi conveniunt, videlicet in festo XII lectionum, et in octava Nativitatis Domini, et Paschæ, et Pentecostes post D primam. In privatis vero diebus post oblationem prioris missæ, cum quibus etiam aliqui monachorum adhuc in ordine rudes, cum licentia veniunt; sed redituri quando scillam ad capitulum audiunt: excepto si tales sunt, qui aliunde venientes domni abbatis permissu illud nondum acceperint. Præterea, si qui novitiorum, quid interrogare, vel discere volunt, quandocunque aliquod intervallum in die occurrit, sicut est post missam et post cymbalum percussum, vel in hieme post prandium, sponte sua ad eum in eamdem cellam veniunt. Nam in his temporibus aliquos novitiorum venientes ejus doctrinam ibi capere frequenter inveniuntur. Post cœnam, vel infra quadragesimam post prandium, nunquam pro hac causa illuc accedunt; quia nemo tunc ibi instruitur, nisi novitius aliquis infra tres dies quando recipitur. In auditorio autem fratrum nulli eorum causa instruendi alioquin facit verbum. Ergo cum primum hora, quam prædiximus, conveniunt, licet capitulum cum illis habeatur, tamen versus *Pretiosa* in aperto ab eis minime pronuntiatur, sed magister eorum tantum dicit *Benedicite*. Nam unusquisque illorum, qui eumdem versum sciebat usque in hanc horam non differebat: qui autem nesciebat, Dominicam orationem vice ipsius ter recitabat. Sane si sunt XII Lectiones, in primis sermone Evangelico admonentur, qui et eo die in capitulo agitur. Qui cum *Per omnia sæcula sæculorum*, concluditur et ab omnibus *Amen* respondetur. In privatis diebus aliquando cum admonitiuncula, quæ illis congruat, ut in melius proficiant, incitantur. Interdum etiam quædam de regula, quæ eis expediant, prædicantur. Post vero de ordine instruuntur.

Si quis tale quid commisit, ut vel ab eodem magistro, vel ab alio ejus condiscipulo inclametur, veniam quidem petit, sed judicium suum non subit. Nullus autem pro qualibet culpa ibi veniam petit, nisi ab alio fuerit inclamatus. Si quis inter eos negligens in discendo ordine, vel tepidus in aliquo hujusmodi vitio reprehensibilis esse deprehenditur, si primum aliquot vicibus per magistrum propter hoc admonebatur, sed non correxit, coram aliis dure et aspere, prout sanctus Benedictus præcipit (*cap.* 2, 22), non solum ad præsens ab illo corripitur, sed asperiora, id est carcer, Bogæ (27) excommunicatio et flagella ei proponuntur, quæ quandoque inter fratres procul dubio sit passurus, si in sancta conversatione pro posse suo non fuerit fervidus. Quem vero intentum ad ea quæ audit, et in omnibus quæ ad hujusmodi propositum pertinent sedulum, prospexerit, nec in hac vice, sed aliquando, cum oportunum fuerit, semotum ab aliis, ut contra hostis tentamenta fortiter luctetur, et ut quotidie in melius proficiat, adhortetur. Ergo, sicut dictum est, quando illos secundum quod sibi tunc videtur instruxerit, in capitulum, licet ex parte transactum, vadit.

Potuit aliquis novitius sive in conventu, sive alias, talem aliquando incurrere culpam, ut pro ea tunc vel ab aliquo fratrum, vel ab ipso magistro in capitulo clametur. Et si aliquoties admonitus eam emendare neglexit, ad capitulum ductus, vel claustrali priori, vel ejus adjutore infra idem capitulum illuc directo, per manum magistri virgam experiatur. Forsitan et talem culpam juvenis novitius in-

(26) Schedulis.

(27) *Bogæ*, seu *Bojæ*, genus vinculorum, tam ferreæ quam ligneæ dicuntur compedes.

terdum committere potest, pro cujus emendatione A
non multoties admoneatur sed mox. ut inclamatus fuerit ante finitum capitulum, pro eo. ut prædictum est, corrigatur. Ut si v. g. ad alium juvenem in custodia positum, quiddam loquitur, vel riserit, vel signum aliquod fecerit; si tamen præscivit. quod ab hujusmodi cavere debuit. Postquam (ut dictum est) magister novitiorum capitulo eorum finito, in conventum redit, ibi recapitulant, quæ didicerunt. Qui inter eos in disciplina ordinis sunt provectiores seorsum instruunt in eo adhuc imbecilliores : fervet enim in iis hujusmodi operis instructio, venia ab iis frequentatur, et consuetudinalis inclinatio, addiscuntur et cætera, quæ in tali exerceri solent schola. Si cui eorum a domno abbate vel priore flagellum ad pœnitentiam injunctum B
fuerit, tunc temporis a sacerdote aliquo, si inter eos a magistro ad hoc idoneus inveniri potuit, in loco qui hujusmodi negotio deputatus est, percipit. Quod si talis ibi deest, sacerdotem de conventu pro hac causa ad eumdem locum suo in tempore adducere debet. In eo quoque tempore, si bini vel terni seorsum de ordine loquuntur, propter hoc non reprehenduntur. Si quis etiam quid de vestimentis suis vult sarcire, vel lectum sibi sternere, tunc potest facere

In Vigiliis Nativitatis Domini et in Annuntiatione ipsi pro petenda venia in capitulo fratrum intersunt et dicto a priore *loquimini de ordine* redeunt. Et si magnæ æstimationis hospites pro fraternitate suscipienda illuc aliquando sunt ducendi, propter eos C
advocantur in fine capituli. Et postquam hospites (si tamen sunt clerici vel laici) inde deducantur, incœpta psalmodia, *Verba mea*, ipsi cum conventu egrediuntur. Quod non erit, quando post capitulum (28) tabulam audiunt, vel pulsationem ad officium defunctorum, vel ad psalmos *Verba mea*, quod interdum fieri solet pro aliquo defuncto; nam mox in conventum omnes veniunt Si autem est in Quadragesima in illis privatis diebus, quando silentium in claustro observatur : tunc conventui, postquam finito capitulo ad lectionem sederit, junguntur; vel si est festum XII Lectionum, quando post capitulum cum psalmis *Verba mea*, in majorem ecclesiam itur, et consequenter XXX psalmi sunt canendi, tunc D
antequam incipiantur iidem psalmi : et si ad præsens aliquis novitius adest, qui intra tres dies ad conversionem venit, eum magister ejus, post percantatos psalmos, ad instruendum educere potest. Si vero dies silentii (de qua dictum est) tunc instat, hic talis magistrum, aliis abeuntibus, ab eo jussus, in cella exspectat. In omni tempore loquendi conventui intersunt, nisi quando capitia eis ablata sunt : sparsim, mixtim inter fratres loquuntur. Frater cum novitio loqui non prohibetur In XII autem lectionibus post capitulum exspectant magistrum vel adjutorem suum denuo docendi; si est in minoribus festis donec audiant signum ad tertiam : si vero est Dominica, in qua in Albis non sunt vestiendi, usque ad aspersionem aquæ benedictæ : si autem sunt vestiendi, usque post Evangelium prioris Missæ. Sed in his, si post capitulum, *Verba mea*, vel officium defunctorum cum pulsatione sequitur, post ejus expletionem item pro instructione revertuntur Quod si est festum (29), in quo ad nocturnos antiphonæ IV solent cantari, post *Venite* mox post capitulum factum, eos ad ecclesiam ire convenit : excepto, si aliquos novitios venientes quid velit docere. Si vero ad officium defunctorum, vel ad *Verba mea*, post capitulum pulsatio signorum tunc sequi debet, nullus eorum ibi remanet. Qui novitius ad conversionem venit, alicui bene exercitato commendatur, qui ubicunque poterit, curam ejus gerat, et in ecclesia juxta eum orationem faciat. Per omne tempus, quo in eadem cella consistunt, excepto ante diem professionis suæ, absque (30) capitiis [caputiis] incedunt Quicunque inter eos idonei ad hoc videntur, custodi ecclesiæ, vel refectorario adjutores a priore deputantur : sed tamen absque ejus permissu sacerdotes ad celebrandas missas adjuvare possunt. Ad coquinam et lumen in ecclesia deportandum, ab armario cum aliis notantur : nam ei illorum nomina a præfato magistro pridem perscripta præsentabantur. Ipsequoque magister instruit eos postea de quolibet officio, ad quod prænominati sunt in capitulo.

Quandocunque fratres ante mandatum prælavant in occidentali parte claustri, seorsum hoc faciunt. In æstate vero post nonam, quando tabula debet percuti, novitii et monachi capitulo adhuc non adunati, transeuntes capitulum in ecclesiam vadunt, ibique juxta introitum cum libris, si quos ibi invenerint, sedent, donec post percussionem tabulæ in conventum exeant. Si quis eorum scribendi vel libros ligandi est sciolus, in cella novitiorum potest a magistro illis injungi hoc opus : si tamen rogaverit eum armarius. Novitius litteratus, qui in tali juventute est, admonente ejus magistro, in custodiam a domno abbate traditur, et alii novitio custodiendus committitur. Si vero ille non adest, neque per nuntium prioris aliqua commoditate conveniri potest, tam novitius juvenis quam alius hujus ætatis a priore custodiæ mancipantur. Novitio, qui froco indutus recipiendus aliqua de cella advenerit, auferendum est caputium extra claustrum, si ea est die benedicendus, qua suscipitur, aut si aliqui novitii in cella novitiorum ablatis caputiis tunc morantur. Sciendum est autem, quod nullus unquam novitio-

(28) Tabula lignea, cujus percussione excitabantur monachi, malleolo scilicet tabulam tundente. Hæc eadem tabula pulsabatur seu percutiebatur dum officium aliquod agendum instabat.

(29) Restituendum puto : *In quo ad nocturnos* quatuor antiphonæ solent cantari post *Venite.*

(30) Caputiis legendum, quæ sunt capitis tegumenta cappis assuta : Nam *capitium*, seu *capicium* partem ædis sacræ vulgo *præsbyterium* significabat.

rum communicabit, priusquam consecratus, nisi in summis quinque festivitatibus, et in illis tribus diebus ante Pascha : si talis infirmitas ei minime supervenerit, quæ sibi necessitatem communicandi faciat. Quod tamen novitius monachus non observabit, etiamsi nondum domno abbati, vel priori confessionem suam fecerit. Quisquis inter eos de ecclesia ad cellam noctu venire non præsumit, nisi vel uno socio assumpto et non sine lumine. Nam aliquot Absconsas (31) juxta altare et ostio ecclesiæ proximum invenit, quarum unam accipere poterit. Si propter infirmitatem ante chorum sedere, vel noctu pro exstinguenda siti ad infirmariam ire, vel pro solo pedum dolore nocturnos calceos in die portare opus sit, ad hoc licentiam a magistro accipere valet. Ad infirmariam autem pro supra dicta causa ipso quidem ducente venit : sed in crastino nisi a priore ei infirmarius impetret licentiam, inde non redibit.

Si opus habet balneare ad Nativitatem Domini et Paschæ, cum ejusdem magistri scientia potius, quam licentia hoc facit : alio tempore autem non nisi licentia accepta a priore. Quandiu sine benedictione fuerit, non est consuetudo, ut fiant ei cocturæ, vel ulla hujusmodi medicina, præter sanguinis minutionem, nisi forte tanta sit necessitas, pro cujus magnitudine impietas videatur, non infringere consuetudinem. Interim etiam, dum non est benedictus, si fugerit de monasterio, non est persequendus : quia nondum est monachus, neque professus : si vero sponte redierit, non est facile suscipiendus, sed de industria contemnendus. Si patienter hoc tulerit, et ex corde pœnituerit, non est in capitulo nudus præsentandus : quia nec cucullam nec caputium habet, sed tantum abbatis præcepto in claustrum ducitur, et conventui adunatur. In ægritudinem incidens carnem non manducat, etiamsi in infirmaria sit multum debilis, nisi alio cibo refici nequeat. Et si convalescit, propter hoc veniam non petit. Si quis monachus inter novitios instruitur hanc doctrinam non deserit, nisi cum magistro tempus esse videtur. His, quæ sequuntur, novitii tempore probationis suæ instruuntur.

CAPUT IV.

De inclinatione.

(UD. *var.*) Sane imprimis etsi id parvum, nec mentione dignum censeri possit ab aliquo tamen cum non parvo studio, quilibet novitius est instruendus, ut regulariter sciat inclinare, scilicet non dorso allevato, ut quibusdam negligentibus est familiare : sed ita, ut dorsum sit submissius quam lumbi et caput sublimius quam dorsum. Quam inclinati nem nos per usum ANTE ET RETRO (32) appellamus, quæ contra Orientem incipit, et finit contra Occidentem. Quam etiam agimus primo ante Nocturnos post tres orationes, et post Completorium finitum, et item post tres orationes sequentes, et de reliquo, quoties in ecclesia convenimus, vel in capitulo, vel refectorio agimus eam et ad introitum, et ad exitum. Sed in ecclesia Dominica oratione prius præmissa, excepto quando Completorium incipitur, et quando a prandio vel a cœna imus in ecclesiam, tunc non nisi ad exitum, sive hora regularis sequatur, sive non. Item ad officium, si in die cantatur, non inclinamus, nisi ad finem, et quoties venimus ad ecclesiam sanctæ Mariæ. Quandocunque autem ante missam processio illuc agitur, neque ad finem inclinatur : de qua post Psalmos anniversatiales [*al*. anniversales], cum revertimur in capitulum, ea vice, non nisi semel inclinamus, scilicet ante percussionem tabulæ. In choro quoque, stationem quotiens mutamus, ad alterutramque missam inclinamus. Ad missam enim, qui sunt seniores, stant primi et proximi principali altari : ad regulares horas novissimi in extremitate chori, præter ad Tertiam in duodecim lectionibus, in quibus, quia solet eamdem horam matutinalis missa præcedere, et major statim succedere, propter hoc puto, quod statio non mutatur. De hoc autem præfatus Christi scholaris non tam auditu quantum visu instruitur.

CAPUT V.

De silentio, in quibus officinis sit tenendum.

(UD.) Opus quoque habet ut signa diligenter addiscat, quibus tacens quodammodo loquatur, quia priusquam adunatus fuerit ad conventum licet ei rarissime loqui. Et tales officinæ sunt in claustro, in quibus est traditum a Patribus nostris, et præfixum, ut perpetuum silentium teneatur, id est ecclesia, dormitorium, refectorium, coquina regularis. In his singulis tam in die, quam in nocte, si vel unum verbum quoquam audiente loquitur, sponte veniam petit. Sed si hanc negligentiam aliquotiens incurrerit, interdum judicium non evadit. * Alias vero, si quid loquitur, nisi inclamatus veniam non facit ; sed tunc raro judicium evadit. (UD.) Et si vel unam antiphonam vel responsorium, vel aliud quid tale absque libro nominaverit, et in libro simul cum emissione verbi non viderit, de hoc non aliud quam plane silentium censetur infregisse. * In auditorio non licet ei loqui sedendo, nisi cum domno abbate, vel priore, aut claustrali priore pleniter ordinem tenente. Sed et nunquam in duodecim lectionibus, neque in æstate privatis diebus antequam litania finiatur, neque in hyeme ante tertiam ibi vel alibi in claustro quidquam loquitur. Hoc et in cella novitiorum observatur, excepto quod domnus abbas, vel Prior, vel Magister novitiorum, solito tempore potest ibi alicujus novitii confessionem audire.

CAPUT VI.

De signis loquendi.

De ipsis autem signis, ut aliqua ponam, v. g. (33).

(31) *Absconsa* cæca laterna, qua monachi ut plurimum utebantur in obeundis dormitoriis.

(32) Hæ voces *ante et retro*, frequenter recurrunt in hoc Ordinario, semper tamen significant inclinationem corporis, *quæ contra Orientem incipit, et finit contra Occidentem*, ut in Ord. Cluniac. monuimus.

(33) Vide cap. 17, part. I. Ord. Cluniac.

et primum quæ ad victum pertinent (UD. *var.*) Pro signo signorum; digitis utriusque manus conjunctis manum manui circumfer. Pro signo panis, fac unum circulum cum utroque pollice et his duobus digitis, qui eos sequuntur; pro eo, quod et panis debet esse rotundus. Pro signo panis, qui coquitur in aqua et melior solet esse quam quotidianus; generali signo præmisso, hoc adde, ut interiora manus super alterius manus exteriora ponas et ita superiorem manum quasi ungendo et imbuendo circumferas. Pro signo panis bis cocti; generali signo præmisso, contra erectum indicem paululum suffla, deinde sequentem digitum leva, separatos ab invicem utrosque tenens. Pro signo tortulæ (34), quæ præter solitam libram datur in principalibus festis; duos digitos, qui pollicem sequuntur paululum disjunctos pone super duos digitos, alteros eorum consimiles de altera manu similiter disjunctos. Pro signo oblatæ majoris (35); generali signo præmisso, * pollicem et sibi proximum oculo circumpone. Pro signo panis azimi, generali signo præmisso, manum dextram per obliquum in sinistram positam comprime, sinistramque e converso. Pro signo panis siliginei, iterum generali signo præmisso hoc adde, ut crucem per medium palmæ facias; pro eo, quod id genus panis dividi solet per quadrum.

CAPUT VII.

De signis leguminum.

(UD.) Pro signo fabarum; primo pollicis articulo sequentis digiti summitatem suppone, et ita ipsum fac pollicem eminere. * Pro signo pisarum, e converso pollicis summitatem supremo articulo indicis supponas. Pro signo lentis; prædicti pollicis summitatem supremo similiter minimi digiti articulo suppone.

CAPUT VIII.

De signis piscium.

(UD. *var.*) Pro signo generali piscium; cum manu simula caudæ piscis in aqua commotionem. * Pro signo sturionis (36) generali signo præmisso hæc adde, ut summitatem pollicis mento supponas. Pro signo salmonis generali signo præmisso hoc adde, ut duos digitos circa oculum ponas. Pro signo lassonis (37), idem, quod et salmonis, addito signo similitudinis. Pro signo murænæ [*vel* lampredæ] in maxilla cum digito simula punctos tres vel quatuor. Pro signo sepiarum disjunge omnes digitos ab invicem, et ita eos commove. Pro signo lucii: generali signo præmisso hoc adde, ut manum dextram naribus superponas, summitatibus digitorum sursum eminentibus. Pro signo piscis, qui vulgari nomine carpo (38) dicitur; generali signo præmisso porci signa adde. Pro signo truitæ (39) generali signo præmisso hoc adde, ut digitum de supercilio ad supercilium trahas. Dicitur etiam signum feminæ, propter ligaturas, quæ in tali loco habentur a feminis. Pro signo anguillæ, conclude utramque manum, quasi ita tenens et premens anguillam. Pro signo piscis, qui barbo (40) vocatur; generali signo præmisso hoc adde, ut cum duobus digitis simules componentem grenones (41). Pro signo piscis, qui hasco (42) appellatur; generali præmisso hoc adde, ut summitatem indicis super pollicis ungula in manum prosilire facias, ac si simules auferentem ipsius squamas: ipse enim cæteris amplius abundat squamis. * Pro signo halecis: generali signo præmisso signum salis adde. Pro signo prasinæ; generali præmisso hoc adde ut manum extendas, latitudinem ipsius simulans. Pro signo rupæ (43): generali signo præmisso, saxi signum adde. Pro signo munuæ (44); generali signo præmisso, manum dextram extentam per medium pollicis et indicis alterius manus, quasi ferrum trahere simulando: quod etiam signum cujusque rei est, quod in frequenti usu habemus. Pro signo piscium minutorum; generali signo præmisso, signum parvæ rei adde. Pro signo piscis assi: contra indicem eminentem aliquantulum flatus emitte, postea cum eodem sibique proximo eruentem simulans, disjunctos et eos inversos tenens. Pro signo cancri, generali signo præmisso, forcipis signum adde.

CAPUT IX.

De diversis generibus ciborum.

(UD. *var.* *) Pro signo casei, utramque manum conjunge per obliquum, quasi caseum, qui premit. Pro signo generali garæ (45); signo casei præmisso, adde, ut tribus digitis quasi serentem simules. Pro signo ovorum, cum digito in altero, simula testam ovi vellicantem. Pro signo ovorum, quæ in sagimine coquuntur; contra indicem, ut prædictum est, flare debes, addito signo sagiminis. Si velis ea in igne assari, extende manum utramque interiorem partem sinistræ deorsum, dexteræ vero sursum tenens, et

(34) Tortula, *diminutivum a* torta *placentæ species. Vide Gloss. med. et infimæ latin. in voce* Torta.

(35) *Oblatæ majori*, nomen pani tenuissimo ex farina et aqua confecto, ad ignem ferreis prælis tosto quo sacerdos ad sacrificium utitur ad distinctionem minorum oblatarum, quas sacerdos aliis distribuit, datum est.

(36) *Sturio.* Vide Cangium in voce *sturgio*. Hunc vocant Galli *esturgeon*. Italia *sturione*.

(37) *Lasso*, Salmo, a Germanico, *Lax*, vel *Lachs*.

(38) *Carpe*, Cyprinus, Galli. *carpe*, German. *Karpffen*.

(39) *Truita*, alias *Tructa*, truta, Gall. *Truite*.

(40) *Barbo*, barbus, Gall. *Barbeau*.

(41) *Grenones*, *Grenniones*, *Grani* capillos discriminatos significant, seu potius eam partem barbæ, qua infra nares est, seu mystacem.

(42) *Hasco*, idem videtur, qui Saxonice *Hacod*. Mullus. Gall. *Mullet*.

(43) *Rupa*, piscis albus paulo Gordione major, quem Belgæ vocant, *Roche*.

(44) *Munua*, forte idem qui capito fluviatilis, seu mugil. Gall. *Munier*.

(45) *Gara*, nescio quis cibus, qui de caseo fit, aut id quo caseus adhibetur. Idem forte qui *flalo*, qui ex caseo et pane conficiebatur, certe hujus signum immediate sequitur signum casei in ordine Ms. Victoris. Paris. cap. 25.

eam, quæ inferior est paululum in aerem movens. Eodem modo, si poma assari cupias. Pro signo lactis, omnes digitos dexteræ manus minimo alterius manus digito circumponas et sic in aerem trahas, ipsum lac emulgentem simulans. Pro signo placentæ; generali signo præmisso panis et casei, de una manu omnes digitos inflecte, et ita manu cava in interiorem superficiem alterius manus pone. Pro signo crispellarum (46) vel frigdolarum, cum pugno accipe crines, quasi cupias eos ita crispos facere. Pro signo raseolarum (47); generali signo præmisso panis, simula cum duobus digitis illas minutas involutiones, quæ in eis sunt factæ ex ea parte, qua sunt complicatæ et quasi rotundæ. Pro signo panis, qui in sartagine coquitur; præscripto modo contra digitum suffla, signumque sagiminis adde. Pro signo pulmenti oleribus confecti; cum indice dextro in summitate pugni sinistri simula incidentem easdem herbas. Pro signo sorbiciunculæ, id est, cibi ex herbis, etc., et oleribus confecti; contra extentam manum sinistram gyrum cum dextro indice facias; pro eo quod et ipsum ita circumfertur in olla. Pro signo milii, isto eodem præmisso hoc adde, ut pollicem in summitate minimi digiti modicum prosilire facias. Pro signo comedendi; duos supremos digitos conjunctos ad os semel porrige, cæteris pugillo implicatis. Pro signo carnis cum digitis duobus dexteræ manus in exteriori superficie alterius cutem tange, addito signo comedendi. Pro signo sagiminis, extende manum sinistram, et tres medios digitos alterius manus in illius interiori leniter trahe, quasi ungentem simules. Pro signo olei naturalis, quod ex nucibus fieri solet, præmisso nucis signo, adde signum sagiminis. Pro signo mellis, paulisper fac linguam apparere, et digitos applica, quasi lambere velis.

CAPUT X.

De signis pomorum.

* Pro signo pomi pollicem cum aliis conclude. Pro signo piri, generali signo præmisso indicem extende. Pro signo cotani (48): generali signo præmisso signum lapidis adda. Pro signo persicæ, generali signo præmisso, pelliciæ signum adde. Pro signo nespilæ, generali signo præmisso regis signum adde. Pro signo majoris nucis, summitatem indicis in oris extremitatem pone. Eodem pro minori nuce addita elevatione minimi digiti, quod semper rem parvam significat. Pro signo botri omnes sinistræ manus digitos æqualiter conjunge, cunctisque de manu altera circumpositis in finem prædictæ leniter contrahe, quasi colligentem uvas simulans. Pro signo majoris prunæ, generali præmisso indicem super dextrum, medium vero super sinistrum oculum pone. Eodem modo pro minori pruna, addita elevatione minimi digiti. Pro signo cerasorum: generali signo præmisso digitum in gena pone, quod rubeum semper colorem exprimit. Pro signo fragorum, trium maximorum summitates digitorum conjunge, reliquis quoque duobus compositis, applicatisque dextræ manus tribus digitis, vellicantem moros simula: sciendumque est omnia nigri, rubeique coloris fraga, unumque idemque signum habere: excepto, quod nigra tunicæ signo, alia vero rubei coloris signo differre facias.

CAPUT XI.

De signis pomorum peregrinorum.

* Pro signo pomi cedrini; generali præmisso hoc adde, ut interiorem partem pollicis mento supponas. Pro signo ficus, generali præmisso utriusque manus digitos complica, junctisque ad invicem manibus in superiori rursum disjunge, veluti qui rem aliquam dividit. Pro signo castaneæ, manum in manum pone, bis vel ter eam circumferens.

CAPUT XII.

De signis olerum.

* Generale signum olerum est, indicem deorsum, id est, contra terram extendere, sic tamen ut summitatem pollicis illius medio articulo apponas. Quod, etsi omnibus oleribus primo loco conveniat, tamen porrum specialiter et proprie signat. Pro signo cepe generali præmisso hoc adde, ut omnibus sinistræ manus digitis insimul junctis, dextrum indicem per eorum sumitates trahas simulans eum, qui cum cultro aliquid incidat. Pro signo peponis, prædicto modo digitos conjunge, et indicem per juncturas illorum deorsum trahe, ac si lineas, quæ in eo esse solent, velis depingere. Pro signo rutæ; generali præmisso hoc adde, ut cum tota manu vellicantem eam simules. Pro signo feniculi, signum, quo splendor oculi designatur, adde. Pro signo panocetæ Rheinovianæ (48 *), generali præmisso, manum extensam pectori appone, addito boni signo, eo quod res satis commoda sit infirmis. Pro signo aneti, generali præmisso pollicem cum indice proximo naribus admove, addito prædicto cujusque rei signo. Pro signo apii, generali præmisso, signum minutionis adde. Pro signo salviæ, generali præmisso, signum salis adde. Pro signo porcioli, generali præmisso signum porci adde. Pro signo lactucæ generali præmisso digitos manus dextræ omnes comprime, et confestim disjunge, quasi mollitiem et ejus latitudinem simulans. Pro signo ceræfolii, generali præmisso ceræ signum adjunge. Pro signo cauli, manum complicatam, præmisso generali, versus terram paululum impinge, quasi qui plantat. Pro signo petrosilini, generali præmisso, signum lapidis adde. Pro signo nasturtii, quod vulgariter *cresso* (49) dicitur,

(46) *Crispella*, Rustici apud Normannos vocant *Crêpe*, ova pauca cum farina mixta, et in sartagine frixa.

(47) *Raseolæ*, alias *Rufeolæ*, et *Rufellæ*. Non longe videntur differre ab oblatis, seu obliis, Gall. *Oublies*, *Gauffres*, Germ. *Hippen*, si sint majores.

(48) *Cotanum*, Cotoneum malam, Germ. *Kitten*, Gall. *Coin*. *Cotana* dicitur apud F. Laur. in Annal.

(48*) *Panoceta*, panacis species, *Rheinoviana*, dicta, quod circa Rhenum facilius crescat.

(49) *Cresso*, Cardamine, nasturtium aquaticum. Gall. *Cresson*.

præmisso generali fac apparere linguam, applicatoque indice lambentem simula. Pro signo papaveris, generali præmisso pugnum sursum leva. Pro signo lilii præmisso generali straminei signum adde. Pro signo rosæ, præmisso generali, signum rubei coloris adde. Pro signo ysopi, generali præmisso hoc adde, ut interiora manus expansæ deorsum versa prope terram teneas; eo quod humilis herba est, et humilitatem semper significans. Pro signo abrotani (50), quod alio nomine *stabiwurtz* appellatur, præmisso generali, ligni signum adde. Pro signo absynthii, generali præmisso hoc adde, ut duos digitos, id est, indicem et medium et a cæteris disjungas, et ipsos quoque ab invicem disjunctos ita moveas. Pro signo allii, præmisso generali, extende digitum contra os paululum apertum Pro signo rafæ (51), generali præmisso extende indicem sinistræ manus, et indicem alterius manus in eo trahes contra te, quasi radentem simules. Pro signo rapæ, generali præmisso, prædictum indicem super alium in annulum trahe.

CAPUT XIII.

De signis aromatum.

Pro signo gingibri, generali itidem signo herbarum præmisso, cum pugno dextro in summitate alterius simula circumferentem molam; item simula circumducentem molam; deinde fac apparere linguam, applicatoque indice, lambentem Pro signo thuris, fabæ signum præmitte, et postea pollicem cum sibi proximo naribus admove.

CAPUT XIV.

De signis diversi liquoris.

* Pro signo aquæ, omnes dexteræ manus digitos conjunge, et per obliquum move. Pro signo benedictæ [aquæ], præmisso generali extenta manu signum crucis adde. Pro signo cerevisiæ præmisso signo bibendi, modicum suffla contra dexteram in longum extensam. Pro signo medonis (52), præmisso signo bibendi, manum ori applicabis, lambentemque simulabis, quod et mellis signum est. Pro signo vini, indicem inflecte et ita labiis adjunge. Eodem modo etiam signum bibendi facies. Pro signo potionis pigmentatæ, quæ claretum (53), id est *lûtranch* dicitur a pluribus; conclude utramque manum, et circumducentem molam, adjuncto vini signo. Pro signo potionis, quæ est cum melle et absynthio confecta, ejusdem absynthii signo præmisso, itidem vini signum adjunge. Pro signo sinapis, pugnum dextrum in alterius summitate circumfer, quasi molentem simules, deinde pollicem in minimi digiti extremo articulo prosilire facias. Pro

A signo aceti, indicem in dextera parte gutturis semel tantum deorsum trahe. Pro signo vini rubei indicem in gena trahe. Pro signo vini clari, duos digitos oculo circumpone.

CAPUT XV.

De signis vasorum.

(UD. Pro signo scutellæ, manum eleva, digitosque non conjunctos aliquantulum inflecte, eo quod ipsa concava sit. Pro signa cavatæ (54), pollicis summitatem in sinistræ manus medium pone; quatuor sequentes digitos modicum circumferendo dimittens. Pro signo cochlearis, tantum digitorum summitates conjunge, et sic levantem cum ipso cochleari sorbitiunculam simula. Pro signo scyphi, quem *justitiam* (55) vocamus, inclina manum deorsum, et ita cavam B tene digitis aliquantulum inflexis. Pro signo pateræ ex qua bibitur, tres digitos parum inflecte, et sic sursum tene. Pro signo cicothi (56), eodem signo præmisso, hoc adde ut digitum digito circumferas. Pro signo phialæ vitreæ, præmisso signo pateræ hoc adde, ut duos digitos circa oculum ponas, ut splendore oculi, splendor vitri significetur. Pro signo vasculi, in quo sal habetur, præmisso signo itidem pateræ, adjunge signum salis Pro signo sportulæ, præmisso signo ligni cujusvis, digitum sursum versum incurva, deinde signum panis facias. Pro signo autem ligni cujusvis, cum extenta manu dextra in alterius manus et brachii compagine, quasi incidentem cum dolabro fabrum simula. Pro signo vasis, C in quo acetum portari solet, præmisso præcedenti signo, adde signum aceti. Pro signo vasis, quod vulgo *Cannata* (57) dicitur, generali præmisso, hoc adde, ut, sicut prædictum est, digitum incurves, adjuncto vini signo. Eodem modo facies signum vasis sinapis, addito ejusdem sinapis signo. Pro signo vasis vinarii, quod a plebe zuber (58) nuncupatur, generali præmisso, rursum indicem utrumque supra dicto modo incurva, quod commune est omnium vasorum, quæ binas aures habere videntur, signumque vini ad ultimum adde. Sic etiam vasis, in quibus panis portari solet, semper addendum est panis signum. Pro signo fustis, quo vinum vel aliud hujusmodi portari solet, generali præmisso signo ligni pugnis etiam super invicem junctis, humeroque adhibitis ipsum portatorem simula Pro signo scutel- D læ, in qua micæ recolligi solent scutellæ signo præmisso, deinde cum dextra manu in interiori alterius simula recolligentem easdem cum flabello (59) ad hoc ipsum aptato. Pro signo prædicti flabelli, præmisso signo ligni, quod postremum est dictum, adjunge. Pro signo follis, pone pugnum dextrum

(50) *Abrotanum*, pro *abrotonum*. Gall. *Aurosne*.

(51) *Rafa* et *Rapa*, in hoc differunt, quod illa sit oblonga, hæc rotunda et alba. Germ. *Retich*, *Ruben*.

(52) *Medo*, Meda, aqua mulsa, potio melle mixta.

(53) Vide notam in cap. 13. part. II. Bernard. in ord. Cluniac.

(54) *Cavata*, catinus profundior.

(55) *Justitia* poculum vinarium, quantum cuique sufficit potum continens, aliis *justa*, aliis *justella*.

(56) *Cicothus*, pateræ species, apud nostrates monachos.

(57) *Cannata*, poculum vinarium majus, œnophorum German. *Canne*, *Canten*.

(58) *Zuber*, vas vinarium ligneum hic significat; duo hujus generis vasa nonnihil majora vino repleta vir robustus ambabus manibus portat. Vox est Germanis nota, alias *Bütschen*, *Gollen*.

(59) *Flabellum* vox nota, sed hic legendum vide-

super sinistrum, et sicut, qui folle utitur, move utrumque. Pro signo cuppæ vinariæ, præmisso ligni signo, manum utramque paululum inflexam ad invicem conjunge, et in quantum potest, circumvolve, addito demum vini signo

CAPUT XVI.

De signis, quæ ad vestimenta pertinent.

* Pro signo staminei (60), manicam ejus tene cum tribus digitis, id est, minimo et duobus sequentibus. Pro signo femoralium præmisso generali signo linei panni, manum in femore deorsum trahe, quasi qui se femoralibus vestit. Pro signo frocci, manicam ejus tene eodem modo, quo staminei manica tenenda est. Pro signo pellicii de una omnes digitos expande, et ita in pectore positos contrahe, quasi qui lanam constringit. Pro signo gunellæ (61), præmisso signo frocci, adde signum subtilis (62), prætermisso tamen crucis signo. Pro signo calceorum, digitum digito circumfer, quasi qui calceos cum corrigia ligat, addito signo diei. Pro signo nocturnalium calceorum hoc adde, ut manum in maxillam ponas sicut dormiens. Pro signo pedulium fac idem signum quod et pro calceis, et hoc adde, ut cum digitis teneas manicam frocci. Pro signo pedulium villosorum, qui usitato more *Cucinga* vocantur, idem quod pro calceis diurnis præmissum est, facies, addito pellicii signo. Pro signo filtronii (63), nihilominus signum calceorum facies hoc addens, ut cum duobus digitis manum sinistram, ubi magis est spissa, contingas. Pro signo fasciolarum, inculcatum calceorum signum præmissum, addito, ut utrumque indicem tibiæ circumferas. Pro signo coopertorum (64), fac idem signum, quod est pellicii, et hoc adde, ut manum in brachio deorsum trahas rursum, quasi qui coopertorio se contegit. Pro signo cotti (65), trahe manum per brachium eodem modo, quod supra, et hoc adde, ut cum digitis teneas manicam frocci, exteriorem manum mento suppone, et indicem sibique proximum deorsum versus paululum commove, quod est signum capræ deinde subjunges expandendi signum. Pro signo stragulæ (66), quæ substernitur, et *Lena* vocatur a S. Benedicto (*Reg.* cap. 55, 17), primo frocci signum, deinde dormiendi facito, postremo manum commovendo expande; quod aliquod involutum expandendi signum est. Pro signo capitalis, quod vulgariter *Cussinum* appellatur, leva manum et summitates digitorum inflexas, quasi ad volandum commove, postea pone manum ad maxillam, sicut dormiens solet. Pro signo culcitræ similiter facies, addito signo expandendi. Pro signo zonæ, sive corrigiæ ad stamineum, digitum digito circumfer, et de utroque latere confer digitos manus utriusque, quasi qui se corrigia cingit. Pro signo cinguli femoralium fac idem signum, et hoc adde, ut manum deorsum in femore trahas propter femoralia et caligas, quibus hoc ipsum cingulum est inserendum. Pro signo acus, cum pugno percute pugnum, quod metallum significat, et postea simula quasi in una manu filum teneas, et acum in altera et mittere velis filum per foramen acus. Pro signo cultri, trahe manum per medium alterius palmæ, quasi qui cum cultello incidit aliquid. Pro signo vaginæ ejus: summitatem manus dexteræ per alterius manus longitudinem impinge, quasi qui cultrum mittit in vaginam. Pro signo pectinis, tres digitos trahe per capillos, quasi qui se pectit. Pro signo tabularum, in quibus notari solet, præmisso generali ligni signo manum sinistram expande, et quasi scribentem in ea simula. Pro signo tabulæ, præmisso signo generali ligni manus ambas complica, et ita complicatas simula evolve. Pro signo graphii, cum pugno percute pugnum, et cum tribus digitis scribentem simula. Pro signo scalarum (67), præmisso signo metalli, hoc adde, ut cum duobus digitis medio scilicet et indice postrema pedis concludas. Pro signo chirothecarum, manu dextera super alteram ducta, induentem eas cum extensione simulabis. Pro signo lapidis, inflexos quatuor dextræ digitos manus temporibus appone, ac si petra aliquid tundere velis.

CAPUT XVII.

De signis ecclesiasticorum.

* Pro signo alterius, cujuslibet lapidis signo præmisso, signum sanctæ crucis adde. Pro signo speciali principalis altaris, generali præmisso hoc adde ut omnes digitos disjunctos et inflexos in altum erigas; quod magnum aliquid nonnunquam significat. Pro signo altaris cujuslibet virginis, generali præmisso, trahe indicem in fronte de supercilio ad supercilium, quod est signum virginis vel mulieris. Eodem modo fac signum S. Mariæ, adjunge signum regis et crucis. Pro signo altaris S. Michaelis, generali præmisso leva manum et summitates digitorum inflexas, quasi ad volandum move, quod signum angelorum, eo quod volare credantur. Pro signo altaris S. Joannis Baptistæ, generali præmisso manum cervici impone propter decollationem, quod commune est omnium, qui tantum martyres, non etiam pontifices fuerunt. Pro signo altaris S. Petri, sive omnium apostolorum, generali præmisso, manum dextram ab humero dextro deorsum usque in finem pectoris trahe, eodemque modo de sinistro ad dextrum propter similitudinem pallii, quo episcopi utuntur; addens hoc, ut manu cava coronam in capite simules. Pro signo episcoporum et confessorum generali signo præmisso adde signum prædicti

tur *flagellum*, id est scopula, quod ex pluribus virgis simul junctis fiat. At si ex plumis, aut avium pennis, recte *flabellum* dici potest.

(60) *Stamineum*. Vide Cangium.

(61) *Gunella* diminutivum ex *guna*, quod vestem pelliceam significat.

(62) *Subtile* vestis subdiaconorum, quæ et *stricta tunica*, dicitur.

(63) Calcei filtrati.

(64) *Coopertorum* lege *coopertorium*: sic enim legitur in ms. S. Victoris.

(65) *Cottum*. Cotus, culcitra.

(66) *Stragula*, pannus hic laneus, qui culcitræ supersternitur, et quo etiamnum monachi reformati utuntur.

(67) *Scala* forte pro *Scilla*, seu *Skilla*, campanum.

pallii, et insuper pastoralis baculi. Pro signo confessorum, qui non fuerunt episcopi generali præmisso adde signum pallii Pro signo altaris S. Pauli apostoli, generali promisso adjunge, ut indicem infra anteriores capillos prosilire aliquantulum facias, eo quod ipse calvitium habuisse referatur. Pro signo altaris S. Laurentii, præmisso generali adde signum caloris et cratis. Pro signo altaris S. Benedicti, sive aliorum qui abbates fuerunt, generali præmisso, adde ut capillum super aurem pendentem cum duobus digitis, id est indice et medio apprehendas, quod etiam est signum cujuslibet abbatis. Pro signo altaris S. Crucis, indice super indicem posito, ipsam crucem simulabis Pro signo capsæ, omnium utriusque manus digitorum summitates, exceptis pollicibus vicissim sibi conjungas, deinde martyrum signum facias, postremo vaginæ signum addas. Pro signo calicis, cum læva signum pateræ facito, et cum dextra desuper signum crucis exprimito. Pro signo patenæ extremitatem indicis pollicis articulo præponas, ac si rotunditatem ejus innotescere velis. Pro signo oblatæ hoc tantum differt, ut eumdem indicem prædicto quoque articulo postponas. Pro signo fistulæ, sive arundinis, ex qua sanguinem Domini percipere solemus, præmisso signo metalli summitatem indicis ad os applica, quasi ex ea bibere velis. Pro signo corporalis, præmisso generali signo panni linei, id est, ut utriusque manus digitos super invicem positos, semel et secundo retrahes; hoc adde, ut pollicis ac indicis summitates conjunctas ori reverenter adhibeas, reliquis tribuis extentis; quæ etiam adhibitio digitorum ad os, signum est communicandi. Pro signo panni ad offerendum aptati, generali signo præmisso panni, adde insuper manus deosculationem. Cum eadem quoque osculatione, offerendi signum facies. Pro signo thuribuli, præmisso signo metalli, hoc adde, ut tribus digitis ipsum moveri paulatim simules. Pro signo candelabri, item generali signo præmisso metalli, hoc adde, ut tribus digitis ab invicem disjunctis, ac deorsum versis, pedes simules. Pro signo acerræ, manus aliquantulum inflexas compone, deinde numerantem denarios simula (quod est signum argenti) postea cum duobus digitis narium extremitatem tangas, addito ad ultimum signo..... Pro signo bacinorum (68) generali præmisso metalli signo, scutellæ signum adjunge.

CAPUT XVIII.

De signis missarum et horarum.

* Pro signo missæ signum crucis extenta manu facias Pro signo majoris missæ signum magnæ rei adde Simili modo pro matutinali signum parvæ rei. Pro signo missæ defunctorum hoc adde, ut indicem per obliquum gutturis trahas, quod et defuncti signum est. Pro signo matutinorum nocturnalium signum crucis facias, deinde signum dormiendi, postremo magnæ rei. Pro signo matutinarum laudum, similiter hæc duo priora præmitte, postea parvæ rei signum adde. Pro signo primæ, præmisso crucis signo hoc adde, ut pollicis ac indicis summitates conjungas. Pro signo tertiæ signo crucis præmisso, hoc adde, ut extenta manu sinistra cum duobus digitis per medium indicis sibique proximi, id est, medii tractum facias. Pro signo sextæ, signum in proxima junctura facias. Pro signo nonæ idipsum in sequenti facias. Pro signo vesperæ, præmisso crucis et magnæ rei signo, contra digitum sufflare debes, quod non tantum calorem, sed et diem significat: deinde manum parumper inflexum celeriter evolve quod rem factam significat vel finitam: ideoque huic horæ adjungitur, ut diem jam finitam demonstret. Pro signo collationis, præmisso signo lectionis, omnesque digitos in unum conjunge, quod significat omnes fratres in unum convenisse. Pro signo completorii, præmisso crucis signo, dormiendi signum adjungito.

CAPUT XIX.

De signis sacerdotalium indumentorum.

* Pro signo cappæ, utraque manu simula te eam tenere, et sic quasi ad induendum eam movere Pro signo casulæ hoc tantum differt, ut signum crucis præfato adjungas Pro signo humeralis præmisso signo linei panni, hoc adde, ut manus ex utraque parte capitis positas deorsum trahas. Pro signo albæ tribus digitis vestitum in pectore apprehende, et deorsum parumper trahe. Pro signo fanonis (69) vel mappulæ manicam sinistram sub brachio comprehensam parum deorsum trahe. Pro signo dalmaticæ, dictum fanonis signum facis, addito in fronte crucis signo. Pro signo subtilis (70), manicam sinistram circa brachium distentam constringes, addens in pectore crucis signum. Pro signo pallii, præmisso panni signo, bonæ rei signum adde Pro signo cortinæ, panni signum præmitte, deinde dextræ manus exteriora super alterius interiora ponas, mox ab invicem æqualiter disjunge et in ipsa disjunctione aliquantulum leva, quasi suspensa significes Pro signo dorsalis (71), quod est de pallio, pallii quoque signum præmitte, deinde prædicto modo manus tenens disjunge, sicut pro cortina. Si autem est de lana, frocci signum præmitte. Pro signo tapetis item frocci manicam tene, et præmisso signo pellicii manum extensam paulatim a pectore trahe. Idem facies pro signo bancalium (72), prætermisso tamen signo pellicii. Pro signo festivitatis fac primo signum lectionis, et

(68) *Bacinus*. Italis *bacino*, Gall. *bacin* a *Bacca*, quæ vas vel urceum significat.

(69) *Fano*, etsi mappam sonet, hic pro *manipulo* usurpatur: quod antiquitus ministri sacri in manu sinistra mappulam lineam gestarent: alias To *Fano*, Sindon, mappa ex Germanico *Fanaem*, vel *Fanen*, quo vocabulo etiamnum dicuntur vela ex hastilibus dependentia.

(70) *Subtile* vestis subdiaconi. Vid. supra.

(71) *Dorsale*, Pallium, sive aulæum, quod parietibus appenditur, sic dictum, quod sedenti ad dorsum appensum sit

(72) *Bancalis*, banci seu subsellii stragulum, tapes, quo scamnum, seu bancus insternitur.

postea profer omnes digitos utriusque manus, deinde A indicem, cum medio, cæteris inflexis. Pro signo mattæ (73), generali signo herbarum præmisso, manicam tene, et signum expandendi adjunge.

CAPUT XX.

De signis, quæ ad divinum obsequium pertinent.

* Pro signo lectionis, manui et pectoris digitum indicem impinge, et paululum attractum ita fac resilire, quasi qui folium codicis evertit. Pro signo responsorii, articulo indicis pollicem suppone, et ita fac eum prosilire. Pro signo versus, articulo minimi digiti pollicem suppone, et hoc, quod præmissum est, de saliente adde Pro signo antiphonæ, summitatem pollicis ac minimi digiti conjunge, et sic parum pollicem deorsum trahe. Pro signo Introitus, pollicem et ei proximum profer summitatibus eorum junctis, contra os manum applica, ac demum missæ signum adjunge. Pro signo *Gloria*, digitos omnes dextræ manus inflecte, eamdem manum ori applica, quod cantum significat. Pro signo *Alleluia*, leva manum et summitates digitorum inflexas, quasi ad volandum move propter Angelos; quod ut creditur, ab Angelis in cœlo cantatur Pro signo Prosæ (74), quam quidam *Sequentiam* vocant, leva manum inclinatam, et pectore eam amovendo inverte, ita ut quod prius erat sursum, sit deorsum. Pro signo responsorii; trahe manum per ventrem deorsum, quod tractim fieri semper significetur et prædicto modo manum ad os applica. Pro signo Offertorii, præmisso generali signo cantus offerendi, signum adde. Pro signo Communionis, item generali signo præmisso cantus, signum communicandi adde.

CAPUT XXI.

De signis librorum.

* Pro generali signo librorum, extende manum, et move, sicut folium libri moveri solet. Pro signo Libri Missalis, generali signo præmisso, adde, ut manum dextram extentam inter medium pollicis et indicis alterius manus quasi ferrum limando trahas: hoc etiam cujusque rei est, quam in frequentia habemus. Pro signo libri Epistolaris, generali signo hoc adde, ut signum crucis in pectore facias. Pro signo textus Evangelii, præmisso generali signo, hoc adde, ut signum crucis facias in fronte. Pro signo libri, in quo legendum est ad Nocturnos, præmisso generali signo et libri et lectionis, hoc adde, ut manum ad maxillam ponas. Pro signo antiphonarii, generali præmisso libri signo hoc adde, ut omnes digitos manus dextræ inflectas propter neumas (75), in eo inflexas; postea pollicem in medio indicis articulo prosilire facias. Pro signo libri Gradualis eodem modo, quo prædictum est, omnes digitos incurves. Pro signo Regulæ, generali præmisso, hoc adde, ut capillum (76) super aurem pendentem cum duobus digitis apprehendas, propter duo nomina, quibus *abbas* vocatur et *domnus*: quia et S. Benedictus auctor regulæ hujus erat et officii. Pro signo hymnarii, generali præmisso adde, ut pollicem et indicem dextræ manus proferens, summitates eorum conjungas quo præsens tempus vel quod primum est, significatur, et hoc signo ad hymnarium propter hoc solum verbum inventum est, id est, *Primo dierum*. Pro signo Psalterii, generali præmisso, hoc adde, ut summitates digitorum dextræ cava manu in caput ponas, propter similitudinem coronæ, quam rex solet portare: quia David auctor psalmorum rex erat Pro signo
B libri prophetarum, generali præmisso, hoc adde, ut manum directam trahas per capillos contra aurem dextram, quod senectutem significat. Pro signo bibliothecæ, generali præmisso, hoc adde, ut proferas omnes digitos manus utriusque. Pro signo epistolarum Pauli, præmisso generali, adde signum calvi. Pro signo librorum Job, generali præmisso, mentum cum dextra tene, deinde eamdem dextram expansam super pectus ponas, quod est signum infirmitatis. Pro signo Glossarii, generali præmisso, adde signum lectionis, postea omnes digitos dextræ in unum conjunge, quod omnes fratres significat convenisse. Pro signo libri sequentiarum, generali præmisso, signum adde Martyris. Pro signo libri Breviarii, generali præmisso, indicem per obliquum
C super nares trahe, obtruncatam rem simulans. Pro signo libri consuetudinum, generali præmisso, vestem contra pectus comprime. Pro signo pergameni, signo generali librorum præmisso, hoc adde, ut digitis utriusque manus conjunctis, manum manui circumferas, quod etiam est signum signorum. Pro signo rotulæ (77), digitum digito circumfer, ac deinde scribentem simula. Pro signo Brevis (78), primos articulos quatuor digitorum inflecte, itemque scribentem simula. Pro signo Martyrologii, summitatem pollicis per summitates cæterorum digitorum dextræ quasi computando celeriter trahe, incipiens a minimo. Pro signo libri sæcularis, quem aliquis composuit Paganus, generali præmisso signo libri, hoc adde, ut aurem cum digito
D tangas, sicut canis cum pede pruriens solet; quod nec immerito tali animantis infidelis comparatur, quod etiam signum est canis Pro signo analogii (79), præmisso ligni signo, conjunctisque manibus simul et inflexis, interiora ipsarum faciei oppone. Pro signo ligni ad lumen tenendum compositi, manum sinistram extende, interiora ejus sursum vertens, alteramque in junctura manus brachii

(73) *Matta*, storea, teges; in mattis dormiebant monachi.

(74) Libri Rituales Ecclesiastici eam orationem, quæ in missa canitur ante Evangelium in majoribus festis *Prosam*, seu *Sequentiam* vo ant.

(75) *Neuma*, Jubilus, productio cantus in finali littera antiphonæ.

(76) Ex hoc loco colliges monachorum capillos ex integro rasos non fuisse. Cui adde quod pectines eis ad usum concedebantur, ut ex seqq. patebit

(77) *Rotulæ* Rotulus, scheda, charta in speciem, *rotulæ* seu *rotæ* convoluta.

(78) *Brevis*, inventarium, charta continens indicem, etc.

(79) Analogium, pulpitum, ambo.

super ipsam erige sicut vides ipsum instrumentum esse factum, et adde luminis signum. Pro signo Formulæ, præmisso ligni signo, manum inanem extende, ac sic procumbendi in terram facias signum, quod etiam signum est veniæ.

CAPUT XXII.

De signis personarum.

Pro signo domni abbatis, fac idem signum, quod de Regula est præmissum. Pro signo monachi cum manu tene capillum cucullæ. Pro signo inclusi, adde signum fenestræ, id est signum splendoris. Pro signo monachi, qui est nutritus in monasterio, generali præmisso, digitum minimum labiis admove, pro eo quod ita sugit infans. Pro signo prioris, simula cum duobus digitis scillam tenere, et ita eam sonare. Pro signo Majoris, magnæ rei signum adde. Pro signo claustralis prioris, generali præmisso, indicem deorsum verte, et circumfer quasi gyrando. Pro signo adjutoris illius, item generali præmisso, digitum minimum extende, eo quod per eum semper parva res significetur. Pro signo armarii et Præcentoris, generali præmisso, adde signum cantandi et pulsandi; quia ipse in duodecim lectionibus ad majorem missam, cujus officium est, primam scillam incipit pulsare. Pro signo (80) Circatôris, signo generali monachi præmisso, prædicto, modo indicem profer. Pro signo custodis ecclesiæ, generali præmisso, cum manu simula campanam sonare. Pro signo camerarii, generali præmisso, simula denarios numerantem. Pro signo cellerarii, generali præmisso, simula in manum clavem tenere, et quasi seræ infixam immittere. Pro signo Granarii, qui annonam recipit et servat, simula cum ambabus manibus, quasi alicui vasi annonam immitteres ad metiendum. Pro signo Hortularii, generali præmisso, indicem inflecte et attrahe, sicut qui rastrum de terra trahit. Pro signo custodis hospitii, ubi hospites, qui sunt ditiores, recipiuntur, generali præmisso, simula de manu gladium trahere. Pro signo eleemosynarii, qui recipit pauperes, trahe manum de humero sinistro in dextrum latus, sicut corrigia peræ solet a pauperibus portari. Pro signo infirmarii, qui obsequitur infirmis, generali præmisso, adde signum infirmitatis. Pro signo refectorarii, generali præmisso, fac signum refectionis. Pro signo custodum Juvenum, præmisso generali, admove digitum minimum, quod est signum juvenis, et indicem pone ad oculum, quod est signum videndi. Pro signo magistri novitii, trahe manum obliquam per capillos contra frontem, quod est novitii signum et alicujus novæ rei, et adde signum videndi. Pro signo alicujus bene litterati, vel etiam pro signo sciendi cum summitate indicis in pectore aliquantulum frica. Pro signo Præpositi, generali præmisso, fac indicem premi here in fronte, quod est signum bovis, eo quod ipse sit talium provisor. Pro signo magistri cementariorum, præmisso generali, pugnum super pugnum pone vicissim, quasi simules construentes murum. Pro signo senis, trahe manum directam super capillos contra aurem dextram. Pro signo Marescalci, cum duobus digitis tene capillos anteriores propter jubas, quas habent caballi. Idem est signum caballi. Pro signo asinarii, summitatem pollicis ad aurem pone, cæterosque digitos porrectos move, sicut asinus aurem, addito signo videndi. Pro signo compatriotæ vel consanguinei, tene manum contra faciem, ita ut medium digitum naso imponas, propter sanguinem, qui inde nonnunquam fluit. Pro signo patris, eodem præmisso, senis signum adde. Pro signo fratris, præmisso item consanguinitatis signo, parvæ rei signum adde. Pro signo matris, idem fac adjuncto signo mulieris. Pro signo sororis idem fac quod et matris, adjuncto parvæ rei signo. Pro signo Clerici digitum auri circumfer, quasi gyrando, propter similitudinem coronæ, quam in capite Clericus habet. Pro signo Laici, mentum tene cum dextra quasi barbam trahens. Pro signo hominis, qui alterius est linguæ, cum digito labia tange, propter loquelam. Pro signo sutoris præmisso signo Laici, indicem dextrum super indicem sinistrum in modum crucis pone, sicque movens quasi qui subula perforat, suentem simula.

CAPUT XXIII.

De signis diversarum rerum.

Pro signo omnium, comprehende capillos in fronte. Pro signo loquendi, contra os tene dextram, et ita eam move; hoc est signum etiam legendi. Pro signo audiendi tene indicem contra aurem. Pro signo nesciendi, cum indice erecto labia tange. Pro signo obliviscendi, indicem de aure dextra ad sinistram transfer. Pro signo mentiendi, indicem super labia positum trahe. Pro signo osculandi indicem labiis impone. Pro signo derelictæ consuetudinis, vel alterius rei interdictæ, sive quæ jam defecerit, indicem dexterum ante extremitatem sinistri dimitte, quasi cum cultro aliquid amputantem simules. Pro signo vestiendi, maxime cum alba, per pectus manum trahe deorsum. Pro signo exuendi vestem, qua indutus es, cum pollice et indice a pectore trahe. Pro signo discalciandi, præmisso signo corrigiæ, adde signum exuendi. Pro signo lavandi pedes, ambarum manuum interiora ad invicem committe, et paululum frica, quasi lavantem simules. Pro signo boni, quidquid sit et bonum et pulchrum dixeris, pollicem in maxillam, et sequentes duos digitos in alteram, et ita fac eos in extremitate menti blande collabi. Pro signo mali, digitis sparsum in faciem positis, simula unguem avis aliquid lacerando attrahentis. Pro signo innuendi, sive apportandi aliquid, quatuor digitos more solito contra faciem move. Pro signo negationis, summitatem medii digiti, pollici pone, et ita fac prosilere. Pro signo celeritatis, extende

(80) *Circatores* dicti, ad quos monasterium obeundi cura spectabat, eorum officium hic lib. II pluribus explicabitur.

manum dextram, et pone super sinistram in modum seræ, et ita eam celeriter move, quasi qui seram trahit. Pro signo tarditatis, de umbilico trahe manum paulatim super ventrem tuum. Pro signo irascendi, cum quatuor digitis quasi prurientem simula. Pro signo delinquendi, digitis dextræ manus æqualiter compositis, pectus pulsa, ac si pœnitentia compungaris, hoc adjungens, ut iterum cum indice pectus tangas, quasi temetipsum accuses. Si vero alium accusare volueris post pulsatum proprium pectus, prædictum indicem contra illum verte, veluti eum peccasse demonstres. Pro cujusque rei signo, quod facta sit, dexteram parumper inflexam contra pectus tene interiori parte sursum versa, sicque eam celeriter sursum evolve. Pro signo libenter faciendi, carnunculam sub mento dependentem duobus digitis comprehende. Pro signo similitudinis, exteriora manus dextræ in dextra maxilla deorsum trahas, deinde interiora in sinistra eodem modo. Pro signo dividendi, duos digitos, id est indicem et medium, per medium sinistræ manus trahas. Idem est etiam signum cantuum. Pro signo ungendi infirmum, præmisso signo infirmi fac cum pollice in medio palmæ signum crucis. Pro signo lacrymandi, indicem oculo suppositum bis deorsum trahe. Pro signo vocabuli alicujus, id si quæras, quis vocaris? cum summitate indicis caput in dextra parte tangas, deinde manum contra eum, quem interrogas, extentam aliquantulum move, quod semper est signum quærendi. Pro signo luminis extinguendi, præmisso luminis signo, mortui signum adjunge; hoc est indicem per obliquum gutturis trahe. Pro signo cœmeterii, indicem inflexum attrahe, itemque mortui signum adde.

CAPUT XXIV.

De signis ædificiorum.

Pro signo ædificii cujusvis summitatibus digitorum inter se compositis et erectis, manus inferius disjungas, ac si tecti similitudinem exprimere velis. Pro signo ecclesiæ, generali præmisso, signum crucis adde. Pro signo (81) Capitolii, generali præmisso, signum, quod pro venia facis adjunge. Pro signo auditorii præmisso generali, indicem auri appone, quod confabulandi vel audiendi signum est. Pro signo dormitorii, præmisso generali, signum dormiendi addes. Pro signo refectorii, generali præmisso comedendi signum adde. Pro signo necessarii [latrinæ], præmisso generali, indicem ventri appositum deorsum trahe. Pro signo calefactorii, signum caloris adde. Pro signo cameræ, præmisso generali, numerandi signum adde. Pro signo infirmariæ, signum ægrotandi adde. Pro signo coquinæ, præmisso generali, signum caloris, comedendique adde, ad differentiam calefactorii. Pro signo armarii (82), signum libri adde. Pro signo claustri, generali præmisso, indicem deorsum verte circum, quod est signum circumeundi. Pro signo cellæ novitiorum, generali præmisso, signum novæ rei adde. Pro signo processionis, indicem super indicem in modum crucis pone, adjungens signum circumeundi. Pro signo ceræ, manibus ad invicem coæquatis candelas facientem simula. Pro signo candelæ idem facias, addito caloris signo. Pro signo majoris præmitte signum ceræ, et sinistrum brachium cum manu dextra stringe. Pro signo candelæ in modum circuli contortæ, præmisso generali, indicem contra manum sinistram circumfer, addens signum caloris. Pro signo laternæ, premisso generali signo justitiæ, signum splendoris adde. Pro signo absconsæ, signo justitiæ ac caloris facto, signum caloris adde.

* Pro signo scriptorii, posito generali signo ligni, manus extensas super utrumque genu æqualiter ponas, adjungens scribendi signum. Pro signo holocausti (83) generali posito aquæ, signum scribendi adde. Pro signo minii signum rubei coloris pone, item scribendi signum addito. Pro signo pumicis pone generale signum lapidis cum pugno dextro in interiori parte sinistræ extensæ, purgantem pergamenum simula. Pro signo pennæ, signo volandi præmisso, iterum scribendi signum adde. Pro signo circini, in medio manus sinistræ indicem dextrum pone, et medium ad instar ejus circumfer.

CAPUT XXV.

De signis ferramentorum.

* Pro signo ferramenti ad oblatas faciendas facti, posito generali signo metalli, exteriora utriusque manus ad invicem conjuncta rursum disjunge. Pro signo forcipis, generale pone metalli signum, item indicem et medium primo disjunctos conjunge. Pro signo rasorii, sive novaculæ præmisso cultelli signo, indicem dextrum super indicem sinistrum in modum crucis pone simulans acuentem in ea. Pro signo securis, dolabri, runcinæ, terebri, planæ, præmisso signo metalli, simula quod competentius possis, operantem in eis. Pro signo subulæ, præmisso metalli signo, indicem dextrum super indicem sinistrum in modum crucis sicque movens, quasi qui cum subula perforat, simula. Pro signo auri, præmisso signo metalli, adde signum rubei. Pro signo argenti, præmisso generali signo, simula numerantem denarios. Pro signo æris, præmisso signo auri, adde signum metiendi. Pro signo stanni, præmisso signo argenti, adde, ut supra, signum metiendi. Pro signo plumbi, præmisso generali signo, adde signum spissi. Pro signo freni, præmisso generali signo metalli, medium digitum contra os apertum porrige, cæteris digitis complicatis. Pro signo sellæ, cum manu dextra humerum sinistrum duabus vicibus pulsa, adjungens signum caballi. Pro signo baculi, præmisso signo ligni, dextram in pugnum conclusam profer, quasi ipsum baculum tenens. Pro signo si-

(81) *Capitolium* pro *Capitulo*, seu loco in quo monachi de disciplina monastica acturi veniebant.

(82) *Armarium* pro *bibliotheca* positum, unde et *Armarius* bibliothecæ præfectus, *de quo hic lib.* II *agitur*.

(83) *Holocaustum* pro *incaustum*, atramentum.

gilli, præmisso signo brevis conclude pugnum dextrum in manu sinistra, sicut qui sigillum ceræ imprimit. Pro signo caldarii, præmisso signo metalli, utrumque indicem curvatum sursum tene. Pro signo ferramenti, quo caldarius suspenditur: utrumque indicem in modum catenæ invicem junge. Pro signo sartaginis, præmisso signo, dextram a junctura sinistræ per brachium sursum trahe. Pro signo ollæ, quæ est de metallo, præmisso generali signo metalli, adde signum justitiæ: si vero est de terra, præmisso generali signo justitiæ, indicem curvatum attrahe, quod est terræ signum. Pro signo fulcinulæ, præmisso generali signo metalli, cum indice sibique proximo curvatis, simula carnes trahentem cum ea. Pro signo forcipis, indicem super indicem inversum pone, et utrumque move in modum illius ferramenti. Pro signo emunctorii præmisso generali indicem et medium disjunctos extende, addito signo luminis. Pro signo cymbali, præmisso generali simula illum percutientem cum malleo. Pro signo tabulæ, quæ ad loquendum percutitur, præmisso signo ligni, simula eam percutientem. Pro signo ridendi indicem et medium disjunctos ad os porrige. Pro signo sanguinis de naso fluentis, præmisso signo consanguinitatis, frica subtus nasum indice curvato, sicut solet sanguis effluere. Pro signo vomendi, dextram inversam mento suppone, et celeriter in aerem move. Pro signo caballi, cum duobus digitis tene capillos anteriores. Pro signo asini, summitatem pollicis ad aurem pone, cæterosque digitos porrectos move, sicut aurem asinus. Pro signo muli, præmisso signo caballi, adjunge signum asini. Pro signo ovis, cum duobus digitis simula tondentem oves cum forcipe. Pro signo arietis hoc adde, ut indicem curvatum juxta aurem dextram teneas. Pro signo capræ, exteriora manus mento suppone, et invicem sibique proximum deorsum versos paululum commove. Pro signo porci, pugnum fronti imprime. Pro signo catti digitis componentem grenones (84) simula. Pro signo cervi utriusque manus omnes digitos fac quasi cornua prominere. Pro signo leporis, indicem sibique proximum juxta aurem retro extende, et sicut lepus aures commove.

Et ut conclusionem de talibus faciam, quidquid hujusmodi signare volueris generali semper præmisso, sequentia adjungito. His de novitiorum instructione præmissis, per ordinem dicenda est ea disciplina, qua jugiter ille tenetur, qui nobiscum voluerit conversari.

CAPUT XXVI.

Quomodo se levet frater ad nocturnos, et quomodo orationem agat.

(UD var.) Primo igitur ad nocturnos audito signo illico se levare festinat, et priusquam coopertorium dejiciat, sedens in lecto induit se cuculla cruraque tegit cum illa, antequam levet ante lectum. Postquam vero surrexerit, ita stando pellicium aliud super cucullam, si vult, occulte tamen induere poterit. Ipsum quoque lectum non ita negligenter dimittit, (UD.) sed honeste coopertorium desuper extendendo componit * Capitale totum occultat sub illo, dein froccum induit, et si opus est, duos fratres sibi proxime dormientes cum sonitu excitare non negligit. Nam si non excitati ab illo, communi fratrum orationi non interfuerint, in crastino illis solito more in capitulo veniam petentibus ipse etiam veniam petit: si interrogatur, quis in proximo dormierit? idipsum debet facere, quando fratres meridiantur (85). (UD.) In æstate necessarias non intrat, nisi caput capello cooperiat. In dormitorio autem neque in die, neque in nocte, * excepto post completorium, si sibi libuerit, hoc non custodit.

In memoria jugiter debet habere, in gradum dormitorii sputum non projicere. Nihil omnino de vestimentis suis in claustro ponere, antequam tres orationes finiantur. Tabulam aut antiphonarium non inspicere. Ante pueros vel si illi in loco non sunt, ante illum juvenem, qui cum laterna ultimus subsequitur fratres, solet venire in ecclesiam, prius tamen lotis manibus, si necesse habet, vel si ad invitatorium vestiri debet, et quandiu scilla pulsatur procumbens, vel si talis est dies inclinatus, quidquid vult, orat. Locum autem hujus ordinis unusquisque sortitur pro tempore suæ conversionis. Si est novitius, sive ille sit monachus, vel adhuc non consecratus inter suos compares (86) ad gradum est. Ab his tamen juxta gradum spatium relinquitur, per quod in alteram chori partem eatur; gradus... qui posteriora chori debent occupare, per minorem chorum solent intrare. Si est juvenis, cum custode suo inter formas (87) locat se post novitios, admixtis pro ordine suo etiam aliis fratribus, et unusquisque eorum, qui inter formas solent orare, non solum in isto, sed et in alio tempore, si ullo modo potest, debet observare in ea chori parte, cui ipse deputatus est, orationem facere. Quis autem ordo juvenum cum custodibus suis in omni loco habeatur in capite quod de utrisque eorum in sequenti libro est scriptum (cap. 22), plenius invenitur.

Si vero est de his, qui in ordine sunt altiores, locum habet in aliquo sedili unum ad parietes. Si est unus seniorum, in utrolibet cancello occidentalium. Et si procumbendo oratur, ipse super scamnum, quod ante pedes positum est, sustentatur. Si ad dextrum parietem locum habet, super sedile aliquantulum transversus jacet. Si ad sinistrum, ulnas ponit super scamnum: item versus ad latus dextrum. In neutro autem pariete, sive stando oretur, sive procumbendo, nunquam alii est collateralis. Quotiescunque oratio stando agitur, frater, si im-

(84) Barbam quæ infra nares est, seu mystacem significat, de quo jam superius.

(85) Id est, post meridiem dormiunt: unde *Meridianam facere* dixerunt, pro *dormire in meridie*.

(86) *Compares* legendum, non *compatres*, ut mendose ms. habet.

(87) *Forma*, sella, solium canentium in choro.

becillis est aliquantulum, uti non prohibetur : sed A hoc tandiu, donec scilla dimittatur Si autem invalidior est, et litteratus, infra spatium idem in minori choro po'est sedere, sed in secretiore parte ; attamen dimisso signo ad tres orationes, choro, si præ multitudine potest, debet interesse, sive tunc in ordine suo, sive non possit stare. Si vero est illiteratus, extra chorum interim sedet, ab introeuntium tamen oculis remotus Juvenis minus validus, si in choro stare ad orationem inceperit, usque post tres orationes perstabit, et tunc licentia signo infirmitatis accepta sine custode minorem chorum intrabit. Quod si custos ejus tanta infirmitate eum præsenserit laborare, ut nequaquam in choro valeat hoc per spatium perdurare, mox ut ecclesiam ingressus fuerit per majorem in minorem chorum B eum ducat, ibique sint donec scilla dimittantur, juvene sedente, custode autem juxta eum ad orationem inclinante. Postquam tres orationes stando fecerint, juvenis accepta (ut prædictum est) licentia, ibi remanet. Custos vero ad stationem suam secedit. Juvenis, qui conventum de dormitorio subsequitur, et ad cujus ingressum, scilla dimittitur, lumine quod attulit, extincto, laternam super gradum ponit, si locum inter alios juvenes ad orationem esse non cernit, in medio spatii, quod juxta Novitios relictum esse, præmissum est, cum custode suo ad quod tres orationes se locat, ita, ut si quis post illum intrat, locum orandi habere valeat.

Procumbendo autem ad orationem super cubitos et genua froccum post tergum attrahit, ne ita pen- C deat super pedes ad terram. Modus autem hujus orationis solet esse, ut in unaquaque vice, quilibet frater orationes tractim possit cantare. Quod si multum observatur, quandocunque a fratribus simul vel sigillatim tres aguntur, excepto ad completorium quando unaquæque citius finitur. Ergo ubi quisque intra pulsationem scillæ stando vel procumbendo oravit, ibi primam faciens in secunda parum ad sinistram secedit, in tertia iterum ad priorem locum redit; si tamen talis est locus, ubi hæc secessionum vicissitudo observari potest, sicut inter parietes et formas. Ubi autem adeo sunt conferti, quod ad neutrum latus a quoquam potest diverti, ab hac lege sunt liberi. Itaque ad duas vices hujus orationis, signo a priore facto, unusquisque se D erigit, et in eodem loco stans signo sanctæ crucis se munit et inclinat In tertia vero vice postquam erectus se benedicens ubicunque stet, si spatium habet ad sinistram parum divertens ante et retro facit, et hoc ad omnes orationes observat, quas vel solus, vel cum conventu simul posito agit.

CAPUT XXVII.

Quod eisdem orationibus quæ ante nocturnos fiunt, interesse debeat.

Oportet autem eum sollicitum esse, ut istis tribus orationibus intersit, quæ, sicut dictum est, signo dimisso fiunt. Nam si his vel saltem ultimæ earum non interfuerit in Capitulo veniam petit. Quod si ad primam orationem in choro non interfuit, potest ad duas reliquas interesse, ita tamen ut ad alium chorum tunc non transeat ; sed hoc in usu non debet habere. Ad tertiam non intrat, sed ante ad chorum eam facit, et a venia liber erit. Attamen si et hoc in usu habet, inclamatur.

CAPUT XXVIII.

De frater qui post finatas tres orationes lectos in dormitorio, et fratres extra chorum perlustrat.

* Finitis his tribus orationibus, frater ad hoc deputatus, qui supra dormitorium in vicinitate ostii dormiens, illud suo in tempore claudit et aperit, absconsam illuminat, quam secum de dormitorio attulit, rediensque illuc vice claustralis prioris fratrum lectos diligenter circumspicit, et inter eos, si aliquem detectum vel negligenter coopertum invenerit, ita incompositum relinquit, et in capitulo hanc negligentiam publicabit. Si vero quem ibi, vel ad necessarias, quas tunc etiam perlustrarat, dormientem invenerit, cum sonitu excitabit. Deinde indirectum per minorem chorum in sacristiam ad lectos custodum ecclesiæ vadit, et ibi similiter facit, et per eamdem viam rediens, tunc primum eos, qui in minori choro, et ubicunque extra chorum resident, perlustrat. Si dormientes aliquos absque sanguine minutos (88), viderit eos cum absconsa ab humero eorum in muro sursum sonore tracta a somno excitat. Si litteratum inter conversos aspexerit, ei minorem chorum ad alios litteratos intrare innuit, et si prompte ei non obedierit, vel talem infirmitatem, quæ eum ab hoc impediat, non insinuaverit, in capitulo eum inclamabit. Si conversum valentiorem a suis comparibus segregatum inter imbecilliores offenderit, in remotiori parte aliqua occultatum, ad alios conversos (89) facit ire, qui sunt in exteriori parietis parte ad dextrum chorum : si tamen inter eos poterit habere locum ; ibi namque ordo est sedilium sicut et infra chorum. Et quicunque validiores conversi præ multitudine in choro consuetudinaliter esse non valent, cum eadem disciplina, quæ interius,stando vel sedendo, et ipsi exterius ; sed in solo ejusdem parietis ordine, manent. Si qui vero adhuc supersunt, ubicunque eis placet, stationem sibi elegant, non constringuntur ; nam simul sedere non prohibentur. Quicunque tantæ sibi fortitudinis conscii sunt, sua sponte parieti junguntur. Qui vero ad hoc suis viribus diffidit, in alios illic stare non negliget. Quidquid ab aliquolibet eorum sibi agitur ordini contrarium, ad alios, et maxime ad prædictum circatorem pertinet referre ad capitulum. Qui (sicut dictum est) postquam ea quæ extra chorum sunt cum absconsa perlustraverit, ad altare quod juxta ostium ecclesiæ est eam ponit, donec iterum ad duos extremos secundæ No-

(88) Phlebotomi *minuti*, seu *sanguine minuti* pluries in his Constit. nominantur.

(89) Laici monachi, laicis exercitiis, et monachorum obsequiis addicti *conversi* appellantur.

cturnæ, et ad ultimum in Matutinis psalmos cum ea circationem facit. Sed tunc primum ad illos qui in minori choro sunt, deinde eum pertransiens sinistrorsum ad illa altaria, iterumque per eamdem viam rediens ad eos, qui extra chorum usquequaque sunt. Hæc autem absconsa non est illa, cum qua chorus perlustratur inter lectiones sed illa, quam claustralis prior post Completorium posuit juxta lumen quod dormitorium et viam ducentem ad necessarias, illuminat.

CAPUT XXIX.

Quomodo frater se habeat infra psalmos, qui post prædictas orationes recitantur.

Post prædictas tres orationes recitantur quindecim Gradus vel triginta psalmi, si talis est dies, quando non debent ad orationem procumbere. Ad illas eorumdem quindecim graduum (90) incisiones, hi, qui super sedilia sedent, exerta manu, propter hoc parum retro versi solent leniter ea erigere, eodemque modo pro sonitu devitando deponere; quod et quilibet eorum observare debet, quotiescunque vel solus, vel cum aliis sedet. Illi vero, qui in scamnis, quæ infra ad formas posita sunt, sedent, non tunc se, sicut nec aliquando retro sustentant; sed ita sedendo in anteriora quantum valent, se inclinant Quandocunque quis super sedilium misericordias (91) habuerit, se sustentat ibi, sicut est ad *Gloria Patri*, tunc alii absque sustentaculo stant inclinati. Quando autem cuncti debent esse inclinantes longiori mora, sicut est ad preces et suffragia, isti, ut prædictum est, sedent super scamna, item inclinantes in anteriora: quando illi super formas, isti qui stant ante formas, super scabella ante se posita jacent. Quotquot autem de his, qui priores sunt ad lineam positam ascendunt, et super formas transversas contra altare procidunt, cæteri qui adhuc supersunt super ejusdem lineæ sedilia procumbunt. Si aliqui de his, qui certas stationes habent, adhuc supersunt, hi ad gradum sedent et præcumbunt. Ad Nocturnos vero si opportune in choro esse non possunt, extra secedunt Nam hoc semper cavetur, ne retro ad formas stent coram eis, scilicet qui ad parietes locum habent. Notandum autem quod nullus illas tres orationes quæ post Completorium procidendo aguntur extra formas aut parietes facit, nisi solus prior cum duobus collateralibus. Similis quoque ordo ad utramque missam infra Canonem, et ad versum, qui sequitur post prandium, vel ad orationem quoque, quæ in quarta et sexta feria ante processionem agitur, ab omnibus est observandus Hoc quoque observandum est, ut quoties hi, qui ad cancellos et parietes stant, super formas procumbunt, extremi inter eos tanti aliis ad procumbendum secedunt, ut priores eorum super formas jacere valeant. Sive autem sit tempus stando vel procumbendo orandi, interim dum prædicti cantantur Psalmi, frater qui necesse habuerit ad dormitorium ire, et si voluerit in eo transitu tabulam et antiphonarium inspicere, pot rit. Qui tamen, si inclamari aliquid timet, raro hoc facere summopere studet. Alicui vero eorum, qui sub custodia (92) sunt positi, nequaquam tunc licet egredi, nisi tam inevitabilis necessitas ei repente ingruat, quæ nullatenus usque ad finem ejusdem psalmodiæ differri valeat. Quandocunque autem hæc superveniat, prius tamen de choro non exit, quam conventus omnis consideat. Nulli quoque pro sola causa tabulam aut librum inspiciendi, tunc exire licet, nisi armario, et his qui aliquando ad invitatorium vestiendi ad initium Psalmi *De profundis* exeunt de choro; sed ipsi tunc apportant antiphonarium in vestiarium, ut prævideant, quod eis tunc est canendum.

Cæterum quia nulli ad aliquod officium descripto licet negligere, quin pridie prævideat, quid ad Nocturnos debeat agere: hinc si quis pro sui negligentia hoc non procurasse, sed nocturno tempori reservasse, et hoc in usu habere deprehensus fuerit; publicæ redargutioni sine dubio subjacebit. Attamen, si hoc pridem caute quis prospexit, noctis interventu oblivioni forsitan tradiderit vel si ab alio fratre in hoc nocturno temporis articulo rogatus aliquod officium pro eo agere voluerit: qui tamen de hoc, nisi necessitas cogeret, a quoquam interpellari non debuit. Sic vel infra quindecim graduum psalmos: eo tamen ordine, quo prædictum est, vel postea, quandocunque opportunum fuerit, breviter videre, quod vult, poterit. Sed et hoc frequentare cavet, si inclamationem effugere curam habet. Hoc autem unumquemque scire oportet quod ad lectionem aliquem vicarium sibi acquirere non debet, nisi talem qui ad neutrum horum est notatus. Nam secundum consuetudinem nemo duobus his officiis in una nocte agendis est descriptus: si tamen copia talis ad lectorem et cantorem.... Quia vero prædictus liber et tabula ad alterutrum divisa in singulis locis sunt posita, tabula scilicet ante ecclesiam, liber vero infra: ad neutrum eorum aliquando plures quam duo simul consistunt fratres, neque hi invicem tam prope, ut simul, quod prædictum, valeant inspicere; sed cum unus recesserit, alius ei ad videndum succedit.

Lectionem quam ad Nocturnos legere quis debet, in hoc tempore nequaquam prævidet Interim cum post præfatos psalmos duo vel plura ad Nocturnos signa pulsantur, hi, qui certas leges habent, ibidem persistunt Qui autem ad gradus prius sedebant, si talis est dies illic in ordine suo stant, usque dum pariter procumbant ibidem, et tunc vel omnes, vel quidam eorum, si intus stare nequistant

(90) *Incisionis* sectiones, capitula.

(91) *Misericordiæ*, sellulæ erectis formarum subselliis appositæ, quibus stantibus senibus vel infirmis pro *misericordia* insidere conceditur, dum alii

(92) *Sub custodia positi*, qui magisterio seu disciplinæ veterani cujusdam monachi subsunt.

verint, de choro exibunt. Si vero dies non est procumbendi, mox ut iidem psalmi fuerint finiti, intus se locant, si possunt, sin autem non recedunt.

CAPUT XXX.

De eo, qui ingreditur chorum ad Gloriam, vel post Gloriam.

* Qui ad initium operis Dei tam sero veniret, ut ad *Gloriam* primi versus non in loco suo, sed in ipso chori introitu esse possit, non ibi cum aliis procumbit, vel inclinat, nisi in eadem extremitate locum habeat. Sed cum nocturnale officium, vel alia quælibet hora inclinando inchoatur, debet venire ad locum suum, si poterit, antequam *sicut erat* incipiatur. Si autem postquam Psalmos (vel si est Hymnus) incipiatur, ad stationem suam veniens, alte inclinat. Si autem procumbendo idem officium initiatur, et ipse ad prædicti introitus parietem in aliqua vicinitate locum habet, interim dum sui collaterales jaceant, non retro post illos ad suum sedile vadit, sed juxta extremum exspectat, et mox ut ipsi de forma surgunt, ille super eamdem formam, quam maxime tamen suo sedili vicinus valet, procumbit; hoc procurans, ut pariter cum illis in loco suo se collocet. Si vero ad alterius chori parietem vel uspiam inter formas statio ejus est, cum aliis vel ad gradum; vel si illi tanti sunt, retro post illos procidere potest. Quod si in occidentali parte idem ad cancellos locum habet, ibi quidem retro post procumbentes (brevis est via) sedile suum adire valet. Si infra eamdem veniam, usque ad interitum chori pervenire non poterit, intra illos, qui extra chorum sunt, non procumbit; sed in transitu sicut de inclinante prædictum est; antequam inclinet, veniam petit. Quod si juxta finem psalmi primi, sicut est ad Nocturnos, Vesperas, et Completorium, vel ad cæteras horas, juxta finem hymni ecclesiam intraverit, eo modo chorum ingredi observat, ut ad locum suum præmissa venia ad *Gloria Patri*, vel si est hymnus ad ultimum ejus versum cum aliis inclinare incipiat, vel si hoc neglexerit, saltem hoc procurat, ut post veniam cum eis, antequam se erigant, inclinet.

Ut autem ad Nocturnale officium redeam. Postquam semel in chorum intraverit, sola causa sedendi inde non secedit. Primordium autem ejusdem ecclesiæ officii in tanta veneratione observatur, quod ex quo signa incipiunt semel pulsari, usque dum inchoantur nocturnales psalmi, nec eorum aliquis sedet qui in minori choro sunt absque illo, qui magna infirmitate est gravatus; nullus quoque in eo ecclesiæ spatio, quod dextrorsum adjacet choro. Si quis autem eorum, qui in ea parte sunt, præ infirmitate tunc stare non poterit, aliorum ab aspectu prætereuntium secedit.

CAPUT XXXI.

De eo, qui ad nocturnos pro infirmitate non ingreditur.

* Qui noctu infirmatus chorum ingredi non poterit, mox ubi, e dormitorio venerit, competentem tunc sibi locum in ecclesia, ubi postea quiescat, eligit. Qui autem, postquam chorum intraverit, talem sibi infirmitatem increscere senserit, quod non sperat se posse intus perdurare, sine licentia extra secedit, et propter hoc ante et retro non facit, nec juxta se stanti, ut in locum suum ascendat, innuit. Quod si infra quinque aut sex psalmos ita convalescit, quod de cætero se in choro perdurare posse sperat, redibit. Si autem diutius extra moratur, etiamsi convalescat, neque ad matutinum, et si prima mox subsequitur, neque ad hanc, chorum intrabit. Postquam vero statio ejus post tot finitas, quot prædictæ sunt .. vacua apparuerit collateralis ejus reditum fratris desperans, hanc occupabit. Nam amplius hac quantitate psalmorum quisquam extra chorum, qui rediturus est, illuc non tardabit, excepto si sanguine fluit. Quilibet autem horum infirmantium, si est litteratus, et se aliquod adjutorium aliis in cantando fore speraverit, in minori choro sedem sibi in tali loco eligit, ubi continuatim sedere valeat, excepto ad *Benedictus* et *Magnificat*. Et si est notatus litteratus ad lectionem, vel ad responsorium, aut antiphonam ipse si potuerit, hoc sibi peragit officium, sin autem, sibi vicarium substituerit; responsorium quod *Gloria Patri* sequitur, etsi ad hoc sit validus, non ibi cantat: sed si ab uno sit cantandum, alium pro se cantare roget; si autem cum alio cantare debet, et potest, in chorum ad locum suum pro hoc cantando venit, et iterum redit. Si vero nil præsidii in se aliis fore speraverit, tunc ne aliis aut forsitan oneri in aliquo existat, extra in loco, qui ad hoc competens est, se locabit, et propter hoc capellum non induit, sed tamen ad terram se inclinare poterit.

In illa nocte frater, qui absconsam circumfert, si infirmitatem ejus vel ipse scit, vel ab alio didicerit, hanc illi non porrigit. Si autem infirmari eum nesciens, dormienti illam apposuerit, necesse est, ut aut ipse infirmus, aut juxta eum sedens, sua sponte, vel ab eo rogatus eam circumferat; alioquin inclamabitur. Post illam noctem quandiu ante chorum sedebit, absconsa ei ponetur, si dormiens invenitur. Sive autem sit ille, qui infirmitatis causa chorum intraverit; sive qui de eo exiverit in crastino veniam petit: iste dicendo *in nocte extra chorum propter meam infirmitatem*, qui ille autem *Ego non intravi propter meam infirmitatem*. Qui requisitus a priore si melius habeat; si responderit: etiam Domine; jubetur ire sessum: si autem dixerit: non; jubetur extra chorum aliquandiu esse. Et si talis est, qui præ infirmitate ita refici de communi fratrum cibo nequiverat, ad præsens præcipitur cellario, ut in refectorio curam ejus habeat. Postea in ejus loco, qui ejus infirmitati, sive in minori choro, sive extra conveniens est, sedebit. Si talis est ejus infirmitas, quam per quietem sibi concessam, evadere possit, cum primum infra hebdomadam vires plenius receperit, tunc vel ad tertiam vel ad pri-

mam, quæ capitulum præcedit, chorum intrabit. vel in priori vespere duodecim lectionum. Si autem infra prædictum tempus infirmitas ejus venerit, tunc prior, vel ipso infirmo ægritudinis suæ augmentum in capitulo per veniam vel alias ei insinuante, vel sua sponte, vel ab aliquo fratre admonitus, eumdem ægrotum ad infirmariam per alium fratrem adduci præcipit.

CAPUT XXXII.

De eo, qui post gloriam primi psalmi ad quamlibet horam venerit.

* Quod si aliquo modo contigerit. ut aliquis tam eorum qui extra, quam qui intra chorum solent esse, neque ad initium nocturnorum præsens sit, neque postea ante *Gloriam* psalmi *Venite*, in choro quidem ad sedile suum, extra vero ad aliquem locum vacuum, ubi cum aliis competenter inclinare possit, vel de sacristia, ubi custodes ecclesiæ dormiunt, veniens, intra minorem chorum occurrerit, intrans chorum et veniens ad gradum honeste tractimque petit veniam, super manus et genua paululum procumbendo; summitatem frocci, ut super eam teneat manus; et surgens contra altare altius inclinat; quod et ad matutinum facit, si post *Gloria*, vel post *Deus misereatur* venerit : tunc frater aliquis eorum, qui in vicinitate ejus stat, providens, ut ad fratris illius, quam contra conventum facturus est inclinationem, vel ad finem hymni vel psalmi tempus conveniat. Tales, inquam, tempus competenter stanti ei insinuat, a quo per modicam capitis inclinationem (ut moris est) licentia data ad absolvendum fratrem redit. Qui cum manu, more licentiam significantis, innuenti paululum inclinat, et facto ante et retro recedit ad stationem suam : si talis est, qui in choro tunc stare possit et debet. Ibi rursum aliam petens veniam ut prius, sed aliam postea non petiturus, etiam si dies sit procidiendi, cum conventu inclinante, et ipse pariter inclinat. Si autem aliquando hoc, quod prædictum est, de eodem internuntio prævisum non fuerit vel si ille, qui tunc ordinem tenet, videns eum ad gradum, sua sponte mox abire per nuntium jusserit (quamvis et quosdam, hoc vitium in usu habentes, interdum dissimulet ibi videre) tunc ille frater post veniam contra conventum inclinat, et conventus contra eum. Si vero extra chorum statio ejus fuerit, de gradu ad chorum suum tendens locum dat, qui ibi ultimus ad lineam vel ad formam stat, donec veniam et inclinationem, sicut præmissum est, faciat. Quo facto extra secedit, vel si talis est, qui item. sicut prædictum est, intus stare possit, remanebit.

Eodem modo agitur ad diurnas horas erga eum, qui ante *Gloriam* primi psalmi in prædictis locis non fuerit, excepto, quod si quis hoc vitium negligentia magis, quam necessitate sæpius incurrerit; ab eo qui tunc ordinem tenet licentiam de gradu recedendi non accipiet. sed postquam ibi veniam. ut prædictum est. fecerit, inde se non movet usquedum hora regularis sit finita. Tunc contra altare tantum inclinans, ad locum suum vadit, sive intus sive extra sit statio. Infra horam autem aliis inclinantibus ipse non nisi contra altare inclinat : ad preces sive procumbant. sive sint inclinantes, ibidem eos imitatur. Hic talis quandocunque infra psalmos venerit, ad gradus venit. Si autem post psalmos, foris chorum remanebit, et propter hoc veniam in capitulo petit.

CAPUT XXXIII.

De eo, qui sanguine de naribus, vel de erupta vena fluit

* Si quem autem vel de naribus vel de erupta vena fluens sanguis impedit. ne ad horam tempestive occurrere possit, quandocunque, antequam psalmi finiantur, intraverit. propter hoc ad gradum non vadit; sed aliis ad hoc eum hortantibus causam sui per signum patefacit. Si est litteratus, hanc horam secum cantare non negligit : si illitteratus, non aliam, quam quæ in publico cantata est. audit. Qui et ad lavatorium stando hanc audire, et si psalmos ejusdem horæ scivit, illos : sin autem *Pater noster* aliquotiens secum recitare interim potuit. Fit quoque aliquando, ut ad nocturnos quidem post *Gloriam* psalmi *Venite*, ad alias vero horas post *Gloriam* primi psalmi, aliquis, qui prius non fuit in choro, sed tantum ante chorum, ad initium ejusdem horæ non defuit, tunc introeat : nec tamen propter hoc ad gradum veniat : et hoc isto modo : si quando evenerit. ut aliqui conversorum præ multitudine choro interesse non possint. tunc foris positi diligenter observant, si quis eorum. qui choro intersunt, eodem modo, quo sit rediturus. exeat; ut quicunque tunc inter eos intrare eligat, ex occasione exeuntis locum intus habere valeat.

Ergo ad nocturnos post *Gloriam* psalmi *Venite*, cuicunque ejusmodi occasio intrandi copiam dederit, infra primos psalmos per minorem chorum intrabit, ne si per universalem chori aditum tunc ingressus, ab aliis tunc primum ecclesiam intrare putaretur; et ideo ad gradum ire propelleretur. Nam quicunque pro tardo occursu (ut dictum est ad gradum satisfacit, nunquam ea vice per minorem chorum intrabit. Quandocunque autem post versus psalmi intrandi occasio ei dabitur, per superiorem chori aditum ingreditur; quia de eo nulla suspicio sero veniendi tunc erit. Similiter ad matutinum agitur. Ad diurnas vero horas post *Gloriam* primi psalmi; quicunque ex eis sua sponte ingredi voluerit, item per minorem chorum intrabit. Si autem ab eo. qui tunc ordini præerit : vel si nullus prior ad præsens aderit (quod nunquam fieri debet ab aliquo circatore, qui seorsum ingredi jussus fuerit. tunc quia item suspicio in eum non erit, per superiorem aditum introibit, alioquin si tunc intraret, vellet, nollet, ad gradum iret.

CAPUT XXXIV.

Quomodo se habeat infra horas.

(ED. *var*) Ad *Gloriam* singulorum psalmorum qui sunt in regularibus horis tam nocte, quam die,

manus non tenet aliquis in sinu, sed in manicas A mittit, easque constringit, ne inter inclinandum ad terram pertingant, quæ inclinatio illa multum debet esse submissa; nec adeo ad aliam psalmodiam, nam illa nimis mediocriter agitur, in tantum, ut propter hanc manus in manicas ad stringendum non mittantur.* Ad illam prolixiorem psalmorum *Gloriam*, quæ prædicta est, unusquisque accurate observat, ut in fine verbi *Sancto* se cum aliis erigat.

(UD.) Quod si sedere voluit inter psalmodiam, observat ne sedeat juxta alium sedentem; sed ita, ut unus stet et alter sedeat, et invicem exhibere debent occasionem sedendi. * Ad nocturnos quidem in duorum psalmorum spatio; ad matutinum vero æquum illos quinque psalmos dividendo, sicut et ad cæteras vices et horas, prout tunc competens videtur B sedendi vicissitudo. Sed sciendum quod ad matutinum infra psalmum *Deus misereatur*, neque in minori choro, neque extra ad ejus parietem, neque in minoris chori occidentali linea a quoquam sedetur, priusquam sequens psalmus incipitur, neque ab aliquo prorsus ab ecclesia exitur. Hujusmodi autem interscissa sessio fratrum a senioribus est inchoanda mox in ipso primordio nocturnorum. Ad formam de pariete, causa interstandi nullus vel ad breve momentum descendit; sed pro eadem causa ad parietem aliquis stans et in quartum sedile secedit. Econtra ad parietem de forma, sive litteratus sive illitteratus, tam de superioribus, quam inferioribus pro hac causa secedere potest, nisi qui majori custodiæ deputatus est. Ille tantum suis collateralibus, si C tamen eidem custodiæ neuter eorum est mancipatus, in hac re succurrere valet, sicut et ad missas et ad S. Mariam. Hic cum eo, qui ad parietem stat, facere solet; nam tunc ejus adjunctus est; si adhuc tam alte ordinem habet. Ad alias vero vices non illuc accedit, etsi paries ex aliqua parte vacuus sit. Nullus eorum, qui ad formas stant, vel extra, sive litteratus, sive non, aliquando causa, sustentandi ad parietis vacuum sedile accedit. Qui in usu habet inter nocturnale officium uno eodem, congruo tamen tempore ad dormitorium exire, propter hoc non reprehenditur; sicut nec ille, qui bis vel ter illuc vadit; si tamen ejus infirmitas scitur. Hæ sunt autem vices, in quibus illuc ire est incongruum, et ideo D ne præter magnam necessitatem hoc fiat, est procurandum, scilicet infra hymnum et lectionem infra *Te Deum laudamus*, post quoque *Benedictus* et preces. Sed et quicunque ante quodlibet horum officiorum de choro exibat, ad hoc in tempore redire, si aliquo modo valet, festinat; sicut et ad processionem, quæ post matutinum aliquando festive cum responsorio agitur: nam si bis in hebdomada (si tamen intermisse non fuerit ad illam, quæ fit in privatis noctibus, non notatur. Inter quæ etiam, si de dormitorio venit, in suo ordine adjungitur, si convenienter poterit; sin autem, non accedit, priusquam ordo seniorum præteribit. Hoc autem prævidet, ne juxta introitum capituli, tunc fratres in conspectu omnium stando sui ingressum espectet, sed accessum suam ita temperet, ut mox, cum accesserit, convenienter introire valeat.

Sed et sciendum est, quod si aliquis posteaquam conventus ad sanctam Mariam intraverit, infra matutinum de omnibus sanctis supervenerit, si tempus est procumbendi usque ad finem psalmi *Laudate Dominum*, veniam facere debet, sed non postea. Ut autem ad nocturnos redeam: qui infra psalmos ad dormitorium vadit, si est litteratus, inter eumdem recitare eosdem non negligit. si illitteratus, interim tot *Pater noster* cantat, quot psalmos eo absente conventus psallit.

CAPUT XXXV.

Quomodo frater sedeat.

(UD. *var.*) Ubicunque frater sedet, nunquam manicas dimittat ita negligenter ad terram pendere, sed si manus sunt infra sinum, manicæ extra sinum in transversum sint collectæ. Si propter aliud de choro tam longe, ut conventui absens fieret, exigit, vel si postea venit quam hora est inchoata, vel aliud officium, prius ad altare inclinat, quam ad locum divertat. Illuc vero perveniens si alii neque ad altare sunt versi, neque sedent tam summisse quam et nuper, contra altare in faciem suam inclinat, omnesque similiter inclinant, manibus inter manicas missis; non tamen ita alte sicut ille, inclinant. Contra majus altare nunquam inclinat, nisi manibus in manicas missis, et capite quam maxime convenienter. tamen demisso, sicut et ad crucem: contra alia altaria et contra crucifixum in capitulo moderatius Lectori a gradu, ubi facit ante et retro summisse eunti ad lectionem, ac redeunti sedens reverenter inclinat. * Reliquas inclinationes unusquisque visu potius quam auditu addiscet. Si Psalmos noverit, et si in aliquo versu erraverit mox ante finem versus, et quoties in eo offenderit, eodem modo ante se veniam petit, quo superius dixi, ad gradum esse petendam pro occursione tardiori Si autem in Neuma (93) vel in Psalmis fallitur, si Antiphonam aut responsorium pronuntiare negligit, propter hoc veniam petit. Non solum autem ad regulares horas sed etiam ad quodlibet divinum officium, quod agitur in oratorio, petit veniam, si fallitur in verbo.

CAPUT XXXVI.

Quomodo laternam ligneam ad nocturnos circumferre debeat.

(UD. *var.*) Quod si infra lectiones, ille, qui laternam ligneam, quam consuetudinaliter Absconsam nominamus, circumfert, ad eum venire, et putans eum dormire lumen contra faciem intenderit, si vigilat, iterum reverenter inclinat. At si dormivit, et laterna ante eum posita fuerit, excitatus ab eo qui juxta eum sedet, perlustret primum cum ea dextrum

(93) *Neuma*, productio cantus in finali littera antiphonæ.

chorum, a senioribus quidem incipiens, et ita eos, qui super gradum in dextra parte chori et per medium rediens, id est in medio eorum qui ad formam ejus chori et ad lineam sedentes ad se invicem respiciunt, uno transitu, nunc his, nunc illis absconsam demonstrat, et eo tenore chorum minorem ingrediens, et in medio occidentalis lineæ incipiens, dextram ejus partem, moxque eos qui juxta introitum ejusdem sunt, deinde sinistram partem perlustrat, novissime redeundo ad sinistrum chorum eo per omnia ordine, sicut prius dextrum, nullo interim præsumente juxta se forsitan dormientem excitare. UD. Si quem viderit obdormisse, tunc contra ejus oculos lumen ter intendit: si tertia vice non evigilaverit, ponit ante eum laternam, ut ab ipso quoque excitato similiter portetur. Si autem ita evigilaverit, ut contra illum inclinet, antequam se averterit, ab ipso auferenda est, qui eam apposuit. Quod si tanti in dormiendo fuerint deprehensi, hæc deportatio protrahitur usque ad *Gloriam* responsorii, quod in eo nocturno est ultimum. Si quis, qui ad præsens legere vel cantare debet, cum ea deprehensus fuerit, evigilans illi bajulatori, si adhuc tam prope est, causam officii sui insinuat, ut absconsam auferat. Si vero adhuc abiit, idipsum suo collaterali injungit, et ita ille vicem istius in circumeundo agit. Nulli in reditu denuo porrigitur, etsi dormiens a prætereunte inveniatur, nisi infra juxta exitum chori. Si ei, qui in majori custodia est, posita fuerit, ipse cum ea majorem solummodo chorum eo modo sicut dictum est, perlustrat, et si neminem ibi deprehenderit, juxta analogium, quod est in medio gradu, eam ponit. Ibi aliquo converso accepta, et ita chorum circumferenda aufertur.

CAPUT XXXVII.

Qui debeant in intervallo absconsam portare.

A conversis autem, qui sunt extra chorum, primitus portatur, et non per ordinem, sed quicunque melius potest, alium anticipat. Si autem portari negligitur, hi omnes per hoc inclamantur. In duodecim lectionibus mox ad initium tertiæ, septimæ, et undecimæ lectionis choro infertur. Si novem, sicut ante Pascha, ad secundam, quintam et octavam. Si tres longæ, ad unamquamque. Si breves, ad secundam.

CAPUT XXXVIII.

De lege minoris chori.

* Quia minor chorus majori inferius ita est adjunctus, ut pervius sit eundem majorem chorum ingredientibus, non solum ad nocturnos, sed quotiescunque, excepto post refectionem et capitulum, fratres in ecclesiam veniunt, seniores cæterique ad parietes in inferiori parte majoris chori stationes habentes per minorem chorum intrant. Ubi et omni tempore exeunt, nisi quando cum aliis de choro per ordinem recedunt. De refectorio autem, Conventu redeunte, nullus ante chorum, nisi qui sanguine est minutus, de processione divertit, sed omnes pariter illuc ingrediuntur, moxque hi qui juxta stare solent,

A per minorem chorum Conventui quasi occurentes, egrediuntur. Econtra, quando post capitulum ad majorem ecclesiam venitur, omnes extra chorum remanent, qui et ibi locum habent ad capitulum et post completorium; qui fratres a majoribus incipientes, per ordinem de choro egrediuntur cuncti exteriores, quando ad capitulum pulsatur. Post completorium vero mox, ut ante et retro agitur, per minorem chorum majorem ingredientes in ordine suo inde exeunt; excepto quod post completorium phlebotomati, si qui forte adsunt, conventum de ecclesia præcedunt. Ut autem sciatur qui sint, quibus in eodem choro manere concedatur, hi qui inter literatos ad standum, vel etiam ad cantandum non adeo sunt validi: ut ab eis alii in majori B choro valeant adjuvari; et tamen in conventu in aliis locis possunt morari, hi tales propter misericordiam in minorem chorum sunt deputati. Sunt et alii præ nimio servitutis Dei labore exhausti, quibus etiam in eodem choro tamdiu repausare, vel ad sanctam Mariam tam diurnis quam nocturnis horis interesse, et post matutinum dormitum ire permittitur, quousque viribus pristinis restituantur. Sunt adhuc forsitan et alii, qui majori aliqua infirmitate, sicut est podagra, imbecilliores sunt, vel adeo claudi, ut baculo carere nequeant, et tamen alias sani intersunt conventui; illis, quia consuetudinaliter in prædicto choro manere non possunt, conceditur in infirmaria vel in cella novitiorum dormire, ad sanctam Mariam die noctuque horis interesse, excepta C illa, quam infirmi ante prandium suum proxime cantant; hanc enim ipsi in ecclesia majori audiunt. Itaque his, quibus, ut dictum est, in minori choro locus jugiter conceditur, illiterati se non intromittunt, nisi locum vacantem viderint, et tunc illi præcipue, qui cantando alios valeant aliquid adjuvare. Ecclesiæ tamen portarius ibi juxta ostium, quod foras respicit, locum habet, sive sit litteratus, sive non. Ergo, sicut dictum est, literati quicunque sunt valentiores, ad ejusdem chori parietem stant et hoc observant, ut cum eadem disciplina, qua et illi, qui in majori sunt choro, se contineant. Qui tamen hoc habent relevamen, quoties opus habuerint, conversos in vicino positos pro se ad interstandum vel alios in promptu habere, et ipsi super sedilia, si D quæ ibi vacua viderint, denuo possunt quiescere. Sunt namque in eodem choro et aliæ sedes, in quibus infirmiores pro devitanda standi vicissitudine, jugiter sedent. Inter quas et forma ad idem opus est posita, sed ita versa, ut qui super eam sedent, faciem in eundem minorem chorum versam habeant; qui et in tempore procumbendi ibidem jacent: nisi aliqui inter eos pro reverentia locum ibi tunc prioribus suis dent; aliis, qui ad parietem stant super sedilia et super terram interim procumbentibus. In prædictis sedibus quotquot sedere valent, pro indulta misericordia continuatim absque surgendi necessitate repausare licitum habent. Aliquando etiam, qui subito in die infirmatur ad missam, vel ad ali-

quam horam sine licentia (exceptis juvenibus in A majori custodia positis) illuc intrat, et tamen veniam non petit, neque ab aliquo inclamatur, cui et mox aliquis eorum locum sedendi dat.

CAPUT XXXIX.

Quomodo podagricus et claudus se habeant in conventu.

* Ut autem ad illum redeam, qui podagra, sicut dictum est, laborat, huic conceditur ad capitulum etiam si altioris fit ordinis, sedere super scabellum, quia consuetudinaliter sedendi ordo hujusmodi est, ut qui sunt altioris ordinis sedeant juxta pedes domni abbatis vel prioris: deinde ut sint in ordine, medii, vel primi; sed ad refectorium in ordine suo; in claustro autem ad lectionem ubicunque, compe- B tenter sedeant. Qui vero ita claudicat, ut sustentaculo carere non valeat, nulli processioni intererit; in capitulo et in refectorio sedet in ultimo: inde cum reditur ipse ultimus usque in monasterium subsequitur. Qui in minori choro jugiter sedens, propter increscentem ægritudinem ad matutinos extra secedit, propter hoc veniam non petit; sicut nec conversus ante chorum stans pro subito ingruenti infirmitate facit, si pro ægritudine sua in remotiora recedit. Quando omnes, absque conversis, albis vel cappis induuntur, quotquot literati prius in minori choro morabantur, tunc majorem ingrediuntur; sed qui invalidi sunt, cujuscunque sint ordinis, post seniores, ad parietem stant et conti- C nuatim sedent, et quisquis inter eos imbecillior est, si tale est festum, sacristæ cappas distribuenti signum infirmitatis suæ monstrans, cappam accipere humiliter recusat. Si vero omnes albis induuntur, interdum locum senioribus dant, qui ante eos ad formam stant, et ipsi stationem illorum ad formas interim supplent, quod tamen non faciunt, si illi ad formas in cappis, et illi ad parietes in albis sunt. Nullus qui cappa induitur aliquando infra missam ad parietem stat. In quolibet tali officio, quando processio non agitur, conversi validiores, et qui forte quid cantare sciunt, minorem chorum non revestiti, ingrediuntur, neque aliquis alba indutus infra missam, excepto nisi lector inter eos ibi moratur.

Si quando autem processio est agenda in hujus- D modi festo, ipsi quoque in albis tantum vestiti, eundem chorum (ut dictum est) occupant; nam cappis nunquam communiter vestiuntur. Si quis vero ex omnibus ita imbecillis est, quod non potest ad missam revestitus perdurare, accepta licentia exuendi, extra illos sedebit qui in minori choro sunt. Lectori ad nocturnos ad analogium venienti non inclinant, sicut nec ille ipsis. At si quando conventus inclinat fratri majorem chorum ingredienti, tunc et illi inclinant. Econtra, cum ipsi alicui, qui ad illos ingreditur, inclinant, tunc conventus non inclinat.

CAPUT XL.

Qua disciplina frater post matutinos recollocatus jaceat, vel quæ tempore hyemalis intervalli agat.

(*Vid. var.*) Ad lectum post matutinos rediens iterum se collocat cum disciplina eadem qua et post completorium, nisi videat tempus faciendi sonitus jam esse proximum. Tunc enim diurnales calceos induit, et ita se vestitum in lecto collocat. * Nullo modo autem se collocabit, si est tam clara dies, ut legere possit. At si tempus hyemale quando intervallum agitur, præter si opus habet ad dormitorium ire, in ecclesiam revertitur, et postquam consederit, caput operit, et ita in sedili suo matutinali exspectat; excepto, si est illiteratus, et custos alicujus juvenis: tunc relicta sua sede, ubi infra nocturnos stetit, ad eumdem juvenem, ubi ad formam vel ad lineam sedet, vadit, illo, qui prius causa interstandi ejus collateralis fuit, locum dante. Si autem est literatus, et ad parietem locum habuerit, scilicet vel orando, vel sacræ meditationi insistendo, ad altaria tamen causa peculiaris orationis non accedit, nisi de gravioribus personis sit. Priusquam de sedili surgit, caput capello denudat.

CAPUT XLI.

Quomodo mane surgat, et quid statim faciat.

(*Vid.*) Ad sonitum, qui diluculo agitur in dormitorio ad excitandos fratres, quemadmodum ad signum nocturnorum, quantociens surgit, et eadem vice non alios calceos, quam qui ad diem facti sunt, induit; nisi forte sanguine minutus sit. Cultelli sui secum portandi cavet oblivisci. Lavat manus, et si vult, faciem: cum quatuor manutergia pendeant simul in claustro, non tergit ad aliud, quam quod suis comparibus competit, quia duo sacerdotibus et diaconibus differenter deputata, tertium subdiaconibus et idiotis (94), quartum his, qui manus non sanas habent. Pectit caput (95), spargit se aqua benedicta. Quod si est illiteratus nec ad aliquem sacrum ordinem promotus quemcumque se ibi spargentem invenerit, ab illo eamdem aspersionem accipit, sicut et literatus a quovis, qui in sacro ordine sibi est similis vel prælatus. Si quis autem dum se sparserit, aliquem in sacro ordine majorem tam prope supervenisse, vel etiam caput ad aspergendum sibi inclinasse viderit, illi spongiam porrigit, eaque non recepta abit. Juvenis spargit custodem suum si non est literatus, et neminem amplius. (*Vid. var.*) Intrans chorum facit tres orationes, maxime si potuerit esse in loco qui suo ordini competit, sicut etiam ad nocturnos; sin autem, ubicunque sibi copia data fuerit tam extra quam infra formas, nisi juxta cancellos, ubi tantum seniores orant. Hoc enim observat, ne tunc extra formas

(94) *Idiotæ* dicti, qui litteras non fuerunt docti, nec sacris ordinibus insigniti.

(95) Ex hoc loco amplius clarescit nota, quam supra dedimus; nempe monachorum capita ex integro non fuisse rasa.

oret, quando spatium inter formas sufficiens apparet. Quod si interim signum ad primam pulsatur, ipse non amplius in orando moratur, sed mox facto ante et retro ad locum suum recedit.

CAPUT XLII.

Quomodo sedeat ad lectionem.

(UD.) Sedens ad lectionem, ita sedet, ut una sit ulna inter se, et alium juxta se sedentem. Anteriora frocci sui semper ita in gremium trahit, ut pedes bene videri possint (96). Girones quoque colligit utrinque, ut non sparsim jaceant in terra. * Quando sedentem invenit ante se, inclinat, et hoc item illi faciunt, qui proxime illi collaterales sunt, etiamsi vel uterque vel alteruter eorum remotus sit per aliud longiusculum spatium. Quod non solum observat, quando imprimis ibi consederit, sed quotiescunque inde discedens redierit. Idipsum ad capitulum et collationem facit, quandocunque in ordine suo non ingressus postea supervenerit.

CAPUT XLIII.

Quando, cui, et quomodo veniat ad confessionem, quidve ei pro pœnitentia injungatur. (UD. var.)

* Horam confessionis noverit esse privatis diebus in hyeme ante tertiam, sicut alio tempore ante primam, semper quoque post capitulum, quamdiu psalmi *Verba mea* pro fratrum anniversario dicuntur. Ubi tamen tunc stare nulli conceditur, nisi statim, cui confessionem faciat, sacerdotem inveniat. Sed egressus cum conventu, si redire vult, et antequam conventus exeat de ecclesia, confessionem facere non prohibetur. In diebus solemnibus usque ad missæ matutinæ Evangelium, nec ultra. In quadragesima tres dies, per quos silentium tenetur in claustro usque ad sextam. Si quæ festivitas agitur, usque ad tertiam. Et sciendum est, quod ante primam, postquam pulsari cœperit, confessionem facere nulli licebit, nisi ei, qui ante inchoavit, vel saltem capitulum propter hoc intravit, breviter perficere poterit. Similiter et ante tertiam, post auditum signum ad lavandum, is, qui jam cœpit, celeriter perficit. In his ergo horis, quæcunque contra salutem animæ suæ commisit in vita sæculari, primum ad confessionem manifestat domno abbati vel priori, postea vero, cum opus habet ad confessionem pro aliquo excessu venire, ad sacerdotem venit, ad quem potissimum voluerit, UD. illorum, quibus hujusmodi officium injunctum est, et stans ante eum dextram de manica extracta ponit super pectus, quod est signum confessionis. Surgente autem sacerdote et ad capitulum præcedente, sequitur illum. Et primum ante eum veniam petit, toto corpore prostratus, deinde illi contra se manum ad sublevandum protendenti simul et interroganti, Quid dicitis? * Respondet : *Mea culpa*. A quo jussus se levare, postquam consederit, illo dicente *Benedicite* : Respondet *Dominus* : et tunc loquitur, quod habet. Quod si et ipse sacerdos est, sive missam

A celebrans, sive non, mox ut a venia surrexerit, ille alter ad eamdem veniam inflectit, de qua etiam (quamvis ab isto sit sustentatus) non se erigit, priusquam et illi interroganti, *mea culpa*, responderit. Qui et ad ultimum postquam illi pœnitentiam pro confessis indixit, etiam se de propriis excessibus accusans ab illo aliquid pro pœnitentia accipiet. Hanc tamen discretionem in hac mutua confessione habens, ut si ille sacerdos a domno abbate inter alios confessores numeratus est, iste occultiora sua pro ut tunc sibi visum fuerit, illi pandat ; si tamen tunc confessionem facere prius secum deliberabat. Si autem idem sacerdos ad hujusmodi officium deputatus non est, iste summatim et breviter in multis deliquisse coram Domino se accusat, sicque B ab eo aliquid sibi pro pœnitentia dari rogat, quod et consuetudinaliter a diacono fieri valet. Potest etiam cuilibet personæ post breviter comprehensam peccatorum suorum universitatem in orationes ejus se commendare ; sed nihil pro pœnitentia accipere.

Providendum autem utrique est eorum, ne ita conjunctim sedeant, ut vestes eorum aliquo modo ad invicem pertingant ; voces quoque in loquendo quam maxime supprimant, et ne prius ad confessionem conveniant, quam cæteri fratres in libris clare valeant legere. Postquam vero omnia quæ voluerit sacerdoti (non nimium tamen ea prologanda) protulit, ad arbitrium ejus pœnitentiam pro his recipiet. Potest talis esse excessus, quod Dominica C oratio aliquoties ei recitari præcipitur, vel aliquis psalmus, vel utraque simul, aut etiam aliquot psalmi : potest et tam gravis esse lapsus, quod vel LX. vel C psalmi, vel etiam totum psalterium, vel etiam idipsum aliquoties repetendum, vel si talis est persona, aliquot missæ injungantur. Flagella sive jejunia per abbatem, vel si ipse abest et quamdiu abest, per priorem conceduntur. Quæ quidem flagella ad intervalla Horarum, et infra priorem missam a presbyteris suscipiuntur. Sed a Pascha usque ad Pentecosten et infra Octavam ex consuetudine non aguntur. Jejunia persolvens infra prandium ad sanctam Mariam vel in coquina regulari cum licentia commorari, et postea cum ministris, si semel reficitur, vel ad cœnam cum conventu, si bis comeditur, debet reficere. Præterea D domnus abbas hoc habet præ cæteris, quod fratri, si dignum judicat, pœnitentiam injungit usque ad vitæ ejus terminum. Genuflexio autem pro pœnitentia alicui propter hoc non solet indici quam ei qui in conventu jugiter est positus ; quia hæc non potest ordinabiliter frequentari.

Tales autem vicarios ad hujusmodi negotium debet abbas sibi eligere, qui fratres pusillanimes suaque commissa periculose celantes fideliter commonefaciant, ne quid abbatem ipsum celare præsumant, quem utique justissimum est, et eorum male acta simulque bene acta cognoscere ; quippe qui

(96) *Giro*, *Gyro*, *Guro*, laciniæ id est, vestis pars, ac togæ, qua laxior fit seu in largiorem formam in...o se explicat.

post Dominum esse debet potissimus ordinator. Si tale quid ei contingit in nocte. quod nos verecunde appellamus *fragilitatem* (97), ante confessionem UD. septem psalmos pœnitentiales dicit, vel si psalmos nescit, Dominicam orationem septies, et postquam confessus fuerit, hoc quod sibi sacerdos jusserit, dicit.

* Ea die nec textum evangelii osculatur, nec ad pacem venit, nec ad offerendum, nec ad altare accedit, nec in presbyterio servit, nec aliquid quod est sacrum vel in vasis, aut in cæteris utensilibus, quod est benedictum, tangit ; excepto, quod in purificatione sanctæ Mariæ, et in Psalmis propter hoc candelam vel ramos benedictos offerre non omittit. In refectorio nec oblatas (98), nec benedictionem dabit, nisi ad ministros, si necesse fuerit. Sacerdotem ad missæ celebrationem nec induere, nec exuere adjuvat, nec ipse albam consecratam induet : nam absque his quæ ad missas celebrandas sunt deputatæ, cæteræ albæ secundum consuetudinem nostram non sunt benedictæ : et ideo quotienscunque res exigit, his vestiri poterit. Scire autem eum oportet, quod nequaquam ad ea, a quibus prohibitus est, aliquando licentiam petere debet, etiam si aliqua præcipua solemnitas instet. Attamen in Paschali die, et in tribus præcedentibus secundum consuetudinem nullus, sive pro ista, sive pro aliqua necessitate, nisi pro criminali peccato, se subtrahit a communione. Quod si quando in meridie hoc tibi evenerit, propter hoc in crastino, si confessio præcessit, ab his, quæ præscripta sunt, non abstinebis. Si autem rasura vel aliud quod a confessione eum impedierit, in aliud tempus eam differt ; nec tamen interim alicui prædictorum se intromittit. UD. Et apud nos Lavatorium secretum cum aquæ ductu est, ibi lavat femoralia sua, quantum illa conventione sunt contacta, et hoc quandocunque in die occasio sibi data fuerit, nisi quando meridiana (99) agitur. * Si est in custodia, a custode suo illuc ducitur, et foris ostium ab eo exspectatur. Quod et semper est apertum, nisi cum quis id intus agit secretum. Sciendum est non esse nostræ consuetudinis, ut monachus audiat confessionem mulieris, aut alicujus hominis sæcularis, nisi si tam probatus est, cui id abbas injunxerit ; non tamen sine licentia Episcopi, ad quem talium cura pertinet.

CAPUT XLIV.

Quomodo et quando vestimenta sua induat.

(UD.) Aut si habet in promptu mutatorium suum, mutat, quo est indutus ; nec prius ad ea, quæ præfatus sum, accedere præsumit, nisi utrumque, quod dictum est, sibi defuerit. * Et propterea Sacerdotes et Diaconi officium suum exercentes, ex consuetudine tria femoralia habent. UD. Nullus mutat in sola cuculla, nisi et pellicium et froccum, aut Gunellam habeat indutam, ne quid nuditatis suæ possit ab aliquo videri.

* Et si ea fuerit hora, qua, postquam se vestierit, ad dormiendum, collocari non debeat operto lecto quod alio tempore non licet super coopertorium sedet : pedibus super scabellum positis. UD. Eodem quoque tempore, quos exuit, statim complicat, femoralia involvit stamineo. et cum ejus manicis utraque colligat in armario, * quod in claustro juxta ascensum dormitorii vel in alio competenti loco est ad hoc deputatum, sive illa, sive alia die ponenda : dummodo in feria tertia post Evangelium prioris missæ ad lavandum auferenda ibi inveniantur, quæ tamen sic, ut Conventui non occurrat, debet portare. Unde sub scabello, quod est ante lectum, debent servari, donec ad armarium competenter possint portari. Thecam quoque pulvinaris eadem hora illuc portat, si tamen opus est eam lavare ; sed super murum ascensus dormitorii vel seorsim debet illam ponere.

Si custos cum juvene suo vult mutare, interim debet illam alii commendare ipseque in aliquo vacuo lecto mutare. Hora autem mutandi discernitur, quæ, exceptis privatis diebus a calendis octobris usque ad calendas novembris et illis tribus diebus ante Pascha, omni tempore est post Matutinum, quando fratres repausant in lectis. Tunc, inquam, sive antequam se recollocet, sive post hoc ante sonitum evigilans, mutare potest, quisquis voluerit, nisi sit juvenis, et si priusquam sonitum audierit, caligam unam exuerit, vel saltem brachile (100) femoralibus inseruerit, hoc peragere non desistit, sicque, si forte tres illas orationes mane faciendas neglexerit, non illi imputandum erit. At si sonitum prius quam dictum est audierit, et si ad vestiendum se redire voluerit, indutis nocturnalibus (101) lavari, pecti, et factis his tribus orationibus reverti accelerat, ut mutatis vestibus ad primam tempestive veniat ; quæ si simul cum matutino cantatur, ante tertiam mutare potest. Quod si quando eadem prima ante lucem vel postea sic finitur, ut in claustro legere non possit, tunc eodem modo, quo supra ad intervallum in Choro sedebit, quousque sonitum in circulo januæ in tempore est factum, audierit.

CAPUT XLV.

Si coquus est, qua hora cocturam suam videat.

(UD.) Quod si cocus est, ut vulgariter aiunt, cocturam ex more non videt, neque ligurit, nisi ante primam, vel si ipsa prima, ut supra memini, matutinis adjuncta fuerit, ante tertiam ; * et si hæc spatia adeo brevia fuerint, ut tunc fieri non possit, post Evangelium matutinæ missæ ; post cœnam quoque, vel si semel comeditur, post vesperas ; ita tamen

(97) *Fragilitas*, pollutio nocturna.

(98) Panis, seu hostiæ ad missam oblatæ, sed non consecratæ, quæ in refectorio iis distribuebantur a sacerdotibus qui eo die corpus Domini non sumpserunt.

(99) Somnus post prandium, seu in meridie.

(100) Ligamen, alias *braciale* idem quod *brachiale*.

(101) *Nocturnales*, calcei, quibus nocturno tempore usi sunt.

ut propter hoc silentium non infringat. UD. Panniculi quidem recens lavati ita debent esse in promptu, ut non opus habeat, quid loqui. * Hoc autem in infirmaria debet fieri per famulum ad hoc deputatum; et alium ab alio licet in his quæ ad hujusmodi pertinent, infirmitatem adjuvari. Quo facto ibi ad lavatorium infirmorum lavari, et ad manutergium sibi deputatum, debet tergi. Cocturam autem facere post prandium, cum tempus habuerit opportunum, licet, accepta tamen licentia, et quæque ad hanc necessaria a camerario requiret.

CAPUT XLVI.

Quibus horis et temporibus debeat lavare pannos suos, vel si quid aliud vult de rebus suis.

(UD.) Si quid ei placuerit de pannis suis lavare, quod consuetudinaliter potest facere in coquina regulari, ad hoc solum invenit caldarium, in quo calefiat aqua, et temperetur lixivium: in claustro vero truncum amplissimum cum plerisque intervallis cavatum, ut hic stamineum, ibi femoralia lavari possint separatim. Quæ et ante capitulum mittit in aquam calidam, ut mollescant; post tabulæ percussionem lavat, et non diutius, nisi quamdiu loquendi licentia durat, et interim, * dum sacerdos aliique ministri se induunt, UD. excepto si dies jejunii, lavare non prohibetur post tertiam. Si vero est quadragesima et dies privata, post capitulum et post sextam lavat, etiamsi non loquamur in claustro. Quidquid autem lavat, quoquo modo sit lavatum, post horam lavandi aufert et siccat; ne jaceat ita sordidum et torridum ante oculos fratrum de refectorio exeuntium.

CAPUT XLVII.

Quomodo de regulari hora non inde exit, nisi pro inevitabili necessitate.

(UD.) Audito signo, quod ad primam pulsatur, librum tam illum, si quem videt juxta se positum, * quam præ manibus habitum reportat ad armarium, Hoc si fuerit neglectum, 'ab utroque eorum inter quos remanens liber jacuit, erit inclamandum. Quod tametsi ad alias quoque, ad eas tamen non observatur horas. quibus finitis statim in claustrum ad lectionem rediturus est conventus : similiter nec ad officium defunctorum, et quando cymbalum percutitur ad bibendum : tunc enim in loco quo quisque sederit, ut statim reversus ibi inveniat, librum dimittit, nec alii tunc accipere hunc licebit, nisi forte is, qui eum in quadragesima accepit ad legendum, et eo anno necesse habuerit. Quem etiam, sicut et nullum alium librum a quolibet fratre debet requirere. Cæterum ad collationem reportati, ut ordinate in armario reponantur libri, armarius vel adjutor ejus procurat. Ad primæ ergo pulsationem, repositis in armario libris, hi, qui matutinum ad sanctam Mariam audierint, consuetudo est, ut et cæteras ibi (exceptis obedientiariis, et si qui tales sunt, qui choro interesse possunt) audiant horas, statim illuc a conventu secedunt. Ad aliarum vero pulsationem horarum, quotquot ex eisdem conventui intersunt,

A simul ingredientes, cum eo orationes, quæ easdem præcedunt horas, ante chorum faciunt: quam etiam si est una sola, quilibet tardius veniens, ibidem, dum necdum hora est inchoata in secretiori loco facere potest. Ad auditum vero cujusque horæ signum ascensurus dormitorium, in primo gradu si pedem posuit, pergere potest; sin autem, nisi major necessitas fuerit, mox ad ecclesiam redit. UD. Sed quando pulsatio signi ad primam rite protelatur, quousque septem psalmi possint percantari; aliquando si voluerit, postquam conventus pertransierit, ad corporis necessitatem exit. Sed rediens lavat manus, ne cum ventum fuerit ad offerendam, rursus habeat exire; quare, si tam frequenter exierit, hoc in capitulo proclamatum experitur. Sed nec licet

B unquam exire quemquam, quamdiu de regularibus horis in die ulla cantatur, nisi pro inevitabili necessitate; ut v. g. si de naso cruor emanat. * De quo minus ut dubitetur, nec ipsi abbati postquam incepta hora aliqua fuerit, chorum pertransire, vel aliquem inde evocare licet. Ad completorium ante *Gloria* primi psalmi consuetudo consentit : infra quam horam tantum sibi, et priori in consuetis claustri locis et officinis loqui licet.

In choro ad primam, dum cantatur, *Quicumque vult*, nullus sedet. Ad hanc horam, et ad completorium, vel quotienscunque fratres invicem confessionem dicunt, observare debent, ut qui alium præcedit in sacro ordine, ipse quoque confessionem prior dicat, etiam si inferior sit eo cui confitetur. Quando

C post septem psalmos pœnitentiales Litania a prostratis fratribus cantatur, ad ultimum psalmum priores ad gradus, sicque cæteri ordinant se, ut, cum tempus fuerit, non sibi in procumbendo moram faciant; et inter literatos conversus non jaceat, nisi alicujus juvenis custos fuerit, ad quem ipse accedet, ubicumque jacuerit. Ad literatum vero custodem juvenis venire non negligit. In hac litania nullius sancti nomen geminatur, excepto qui singularis ejusdem loci patronus habetur. Ad versum illum *Per passionem et crucem* unusquisque, cum expresse nominaverit, dextera manu, per manicam in facie crucem etiam facit; statimque ad versum *Per gloriosam Resurrectionem tuam* sacerdos et cæteri ministri matutinæ missæ debent exire, ut mox finita

D Litania parati intrent ad altare. Unde etiam, quamquam cæteri in ordine suo, isti tamen ita jacebunt ut exeuntes cæteros non inquietent. Ad offerendum nec anterior nec posterior, quam suus est ordo, quisquam accedit; si tamen præsens fuerit. Quod si aliquis neglexerit, qui tunc ipsi proximus adest, licet in ordine inferior sit, offerre non tardabit.

CAPUT XLVIII.

Quomodo se prxparet ad capitulum, vel quid faciat, si est sibi conscius ullius excessus.

(UD. *var.*) Quando scilla pulsatur ad capitulum, cessat ab eo, quod tunc agit operis, ad capitulum se præperans; stamineum suum undique detrahit, et honeste componit, et claves, si quas habet (qualis-

cunque sit obedientiarius recedit deponit, ut paratus sit, si forte judicium subire jubetur. * Et ut adsit ad versum ibi dicendum observat: quod si hoc in consuetudine habuerit negligere, inclamatur. Attendit quoque si notatus in tabula ibi nominatur, ut tunc inclinet; et si hebdomadarius ibi appellatus fuerit, sive hoc, sive proprium nomen ibi audierit; et quando festivitas aliqua, quæ in Cappis est agenda, ibi pronuntiata fuerit; similiter et inclinante domno abbate: sed et quando idem domnus abbas, (UD.) vel ordinem tenens prior dixerit *Benedicite*, inclinat.* Quo dicto, ob quamcunque causam exiens sive ingrediens: nisi cum domno abbate, vel cum nudus aliquis intraverit, dicit *Benedicite*; ita ut, qui prope capituli sedent introitum, audientes respondeant *Dominus*. Sed si aliquem introduxerit, apertius aliquantulum id dicit, et tunc conventus respondet. Si duo vel plures intraverint, ille solus, qui præcedit, *Benedicite* dicit.

CAPUT XLIX.

Ne conversus a sermone desit.

* Verum conversus ad sermonem ne desit, summopere cavet: cum maxime propter tales fieri solet. Infra quem etiam si dormierit, inclamatur. Postquam autem a tenente ordinem dicitur: *Loquimini de ordine*, et ad actionem capituli ventum fuerit, exspectatur, si quis infirmus ibi sit, qui pro refectione carnis, quam habuerit, veniam petere debeat, et si circatores, qui primas inclamationes faciunt, quid loqui habeant; (UD. *var.*) deinde si quid ei excessus aliquomodo contigit, pro quo sine inclamatione debet veniam petere, ne inclametur ipse præveniens, sive alius vidit, sive non, veniam petit, suamque culpam fatetur. Sed quantacunque fateatur, tamen non amplius veniam petit, præter illam quam petivit, nisi inclametur. * Et sciendum quod plures simul pro diversis causis veniam petere non prohibentur, et quod nullus est dies, excepto primo Paschali tam solemni, pro cujus reverentia venia non sit petenda, et proclamatio omnino vitanda; sed tamen in præcipuis festis hoc agitur parcius, quam in aliis diebus.

CAPUT L.

Pro quibus causis ultro veniam petit.

* Sunt autem quædam instituta, quibus si deerit ultro veniam petit. Id est si infra ambitum muri, vel extra in vicinitate manens, alicui regulari horæ, sive illis tribus orationibus, quæ ante nocturnos, vel in hyeme ante tertiam fiunt, non interfuerit; nisi forte sit sacerdos et interim cantet missam, et ejus adjutor, vel custos ecclesiæ cum adjutoribus suis hostias facit, vel aliquis pro infirmitate infra unam horam balneat. Si capitulum, vel collationem, vel illam, quæ ante missam agitur processionem, vel opus manuum, vel generale mandatum (et si post lavationem pedum advenerit) vel generalem refectionem dimiserit: si mensæ lector, vel coquinæ hebdomadarius in sabbato notatus benedictionem neglexerit: si ad communem fratrum rasuram præsens non fuerit: si de via veniens in ea die ad finem alicujus horæ benedictionem non acceperit, vel si absque ea de monasterio exierit, sed infra biduum non redierit. Sane non solum pro supra dictis, sed aliis quibusdam negligentiis venia facienda. Sicut est, si librum, qui in feria quinta quadragesimæ ei datus est, infra annum non perlegerit; pro quo tamen veniam revoluto anno in eodem die facit; si corporale vel offertorium vel linteum ad portandos calices, vel ad patenam involvendam aptatum, de ejus negligentia ad terram ceciderit: si lectionem suam vel responsorium omnino neglexerit: si talem sonitum in dormitorio noctu fecerit, per quem fratres inquietavit: si in infirmaria, vel in cella novitiorum pro misericordia dormire permissus, ante nocturnos biberit, quamvis mane sine licentia inde non exierit: si mutatorium suum in Dominico die in capitulo invenerit, sive pridie in monasterio fuerit vel non. Si quid tale, sicut est major cereus, fregerit, perdiderit vel profuderit; si quid vestimenti sui pejoraverit; vel si corrigiam rasoriorum, ita ut eidem ultro usui non prosit, inciderit; si librum, in quo ad refectorium debet legi, de ejus neglectu in tempore ibi defuerit, is pro his, inquam, omnibus non inclamatus veniam petat, et oratio ei pro indulgentia injungatur; ni tam frequens et talis sit culpa, quæ priori videatur, non sic esse remittendam.

Tamen restant tria, pro quorum neglectu item sponte sua veniam petat, sed tamen judicium nequaquam evadat; scilicet si quis et de his negligentiis, quæ in abbatis capitulo inveniuntur, in corpore vel sanguine Domini sive clam sive palam evenerit: si per duas vices in anno, id est quando Nativitas et Annuntiatio Domini pronuntiatur in capitulo in tali tempore ibi non erit, ut cum conventu veniam facere possit, maxime cum pulsatio quæ eadem capitula præcedit aliis capitulorum pulsationibus prolixior sit. Sed hæc regula eis tantum est constituta, qui vel in monasterio proxima nocte manentes, vel e vicino advenientes pro sola sui negligentia prædictis capitulis non interfuerint. Si dum mandato trium pauperum adscriptus fuerit, neque ipse neque alius rogatu hoc ipsius fecerit. Qui vero in alterutra prædicta festivitate de aliqua cellarum vel obedientiarum, quæ longe sunt remotæ, vel qui pro aliquo itinere triduo missus, in redeundo tempestive quidem ceperit, sed in itinere jumento suo aut comite, vel in seipso aliquid tale impedimentum passus fuerit, pro quo ante capitulum venire non possit, post veniam, causa necessitatis suæ exposita, liber abscedit. Cæterum pro his negligentiis, quas frater ex hoc incurrere poterit, vel si nocturnæ orationi, vel regulari horæ vel Litaniæ post primam, vel cæteris talibus, quæ præmissa sunt, non affuerit, nihil est quod eum a petenda venia excuset, nisi rupta vena, vel de naribus fluor sanguinis; sicut et si eum intra monasterium, vel extra in vicinitate ejus positum interim occupatum esse contingat. Quando

alicui horum instituto interesse non debuit; præter, quod præmissum est, de mandato trium pauperum, de neglectis duabus veniis, id est in vigilia Nativitatis Domini et Annuntiatione ipsius, de neglecta post aliquam horam *Benedicite* post reditum; de non accipiendo eam in exitu; si non redierit de via post biduum. Sed sciendum, si aliquando æstatis tempore dormiendo nonam neglexerit, quod statim percussa tabula veniam petit, non servans eam in crastinum capitulum.

CAPUT LI.

Pro quibus causis veniam non petat, nisi inclamatus.

* Quod si alius de illo reclamaverit, tunc quidem quotiens de se reclamare vel priorem quid tale, quo culpam ejus notet, loqui audierit, totiens quoque sine mora veniam petit: et cum surrexerit, si se reum novit, cum omni humilitate et promissa emendatione culpam suam fateatur, nullam agens defensionem, nisi si rationalis causa est vel magna necessitas, pro qua talem incurrit excessum, non multiloquio, sed simpliciter humili promit subjectione, et pro tali culpa prælati sententiam cum patientia sustinet; sciens impatientiæ culpam graviore correptione emendandam. Si autem de inclamata non est sibi conscius, nec fateri nec importune negare, sed rei veritatem debet honeste proferre. Quod si sedens et reclamationem de se audiens, prius responderit quam veniam petierit, ex hoc inclamatus et veniam petens in ipso frocco suo unam cum virga percussione maccipit. Qua accepta, postquam responderit *Mea culpa,* jubetur surgere. Postea pro quo est reclamatus sustinet, quod prælato videtur. Unde sedens, si inclamari se audierit, vel non audiens ab alio admonitus fuerit, statim surgens veniam petit, etiam si non intellexerit, quid in se reclamatum sit. Sed et nullus eum ante petitam veniam excusare præsumit, etiam si ejus innocentiam noverit. Hoc autem inclamans debet cavere, ne pro una re duas eum venias petere faciat; sed primo aperte et ipsam causam nominatim dicat. Nam si eum contra ordinem fecisse dixerit, nisi statim adjungat quod fecerit, veniam petere ille non moratur, dicta causa aliam petiturus. Quod si eum aliter quam conveniat, inclamaverit, tolerari quidem debet, donec ille sessum veniat, et tunc inclamari. Sed et hoc sciendum est quod nullus, nisi ordinem tenens, de alio ibi loquetur sermone ad illum directo, v. g. ut dicat *Vos hoc, vel illud fecistis;* nec quisquam nisi quod certum habeat, inclamare debet; ut si ille inclamatam culpam negaverit, iste, unde sciat, eam evidenter dicere, possit. Verumtamen in prioris potestate erit, quomodo talis culpa remaneat. Nam etsi leviores causæ plerumque mediocrius tractentur, tamen, si causa major fuerit, indiscussa non remanebit; neque frater, qui eam vidit, si in proximo vel tertio vel quarto capitulo hanc reclamare non potuerit, ideo reticebit; sed tamdiu eam in memoria retinebit, donec reclamandi locum habuerit.

Quamvis etiam non sit consuetudo ut aliquis totum conventum proclamet, tamen quicunque tenet capitulum data occasione jubet universaliter illos veniam petere, qui diurnales calceos et cultros in præsentia non habent. Aliquando eos, qui ad tres orationes, quæ mane fiunt post sonitum, et interdum illos, qui non fuerunt ad processionem vel ad stationem quæ fit ad crucem, vel ad sanctam Mariam. Hoc autem secundum institutionem beati Utilonis (101*) summo cavendum est studio, ne turpis reclamatio audiatur in capitulo; sed si quis ignarus forte profari cœperit, prior, vel quilibet audiens, reverenter satagit, ne ad audientiam conventus veniat; sed nec judicium evadit, qui scius hujusmodi rei tale quid ibi proferre præsumpserit. Nam nec ulla comestionis vel bibitionis mentio ibi debet fieri, nisi forte de aliquo infirmiore fratre minus se reficiente honeste dicatur, quod indignus sit gratiæ; vel admonitio fiat de pane vel alio cibo negligenter parato. Verum si quis frater tale quid agens, quod reclamari non potest, et admonitus emendare noluerit, is qui causam agnovit, debet eam priori innotescere, ut ab ipso frater delinquens secreto increpetur acri increpatione. Sed si nec sic emendare voluerit, prior illi in capitulo de alia qualibet culpa inclamato hanc in memoriam reducit, eum aliquid tale commisisse, quod ibi reclamandum non sit, ut conventus agnoscat, ut sic sine offensa fratrum in eum gravius emendari possit.

In judiciis autem faciendis non minima debet esse discretio ordinem tenentis: pro culpa enim, quæ in quemlibet reclamatur secundum rei qualitatem aut indulgentia aut vapulatio aut levioris sententia culpæ sequitur. Nam silentium aut jejunium nulli indicitur. Solus autem abbas ligat gravioris culpæ sententia. Quæ autem ad graviorem culpam videntur pertinere, de his non loquar hac vice. Porro nullus stamineo (102) exutus verberatur, nisi rebellis esse videatur. Ille autem rebellis esse judicatur, qui priori in capitulo temere contradicit, vel quia hoc quod sibi injungitur, quamquam verbo non contradicat, agere tamen dedignatur et, ut de majoribus taceam, etiam qui de minimis, quæ in eum reclamantur, non vult se corrigere negligentiis. I. Rebellio proprie dicitur inobedientia, cum ab abbate vel priore alicui quidquam injungitur, seque hoc non facere aperte vocis contumacia profitetur. II. Rebellio est, cum quis a prælato corripitur, et non solum eandem correptionem non humiliter sustinet, verum etiam contra superbe et contumaciter respondere nequaquam veretur. III. Rebellio est, cum de qualibet re sæpius correptus emendare contemnit. IV. Rebellio etiam dicitur,

(101*) *Odilonis* abb. Clun.

(102) *Stamineum* lanea interula, seu camisia, qua monachi vice cilicii utebantur. Nam benedictinis *lineas camisias* interdixit Innocentius III PP.

dum fratri qualibet res injungitur, et quamvis contradicere verbis non audeat, agere tamen dedignatur. Hæ quatuor causæ pro rebellione haberi, et staminei exuitione solent vindicari. Hic ergo, qui tali judicio subjacere jubetur, cuculla et frocco exutis, et ad pedes suos positis sedet, accedensque Camerarius cum cultro, stamineum ejus dissutum, ab utroque humero parum trahit deorsum. Quod tamen prædictus frater, cum primum tempus habuerit, resarcire non negligit, ne ita ad lavandum recipiatur. Frater autem, qui judicium facit, post tergum illius stans id peragit. In unoque capitulo duo judicia nulli inferuntur, nisi pro contradictione ; sed si post flagellum tale aliud in eum reclamatur, quod priori inultum non debere dimitti videtur, jubet eum pro hoc veniam petere ad crastinum capitulum. Quod si aliquis post acceptum judicium verbo, vel etiam ipso habitu aliquod dedignationis signum demonstrare præsumpserit, noverit se inde non recessurum, donec vel spontaneus vel saltem acri correptione coactus dignam pro posse suo satisfactionem cum omni humilitate promiserit.

CAPUT LII.

De discretione judicium facientium.

* Tales vero judicia facere jubentur qui tantæ sunt discretionis, ut sciant, quomodo quamlibet culpam emendare debeant, qui et diligenter attendant quid in quemlibet reclametur, culpam simul et inclamati diligentiam seu negligentiam secum examinantes, non propriæ voluntati satisfacientes. Sæpe enim evenit, ut aliquis diligentiorum fratrum in culpam majorem incidat, quæ non ita in eo, ut in negligente aliquo emendari solet. Jussus autem ad accipiendum judicium se non præparat, nisi inclamatus ; antequam exuatur, nec veniam petit, nec aliquid loquitur ; sed statim exutus, vestimenta sua ita ponit, ut in longum prostratus vix capite ad ea pertingat. Cujus stamineum, si opus est, prius componit is qui judicium faciet. Sed quia diversæ quantitatis virgæ per Granatarium administratæ nunquam desunt ibi, scilicet majores ad corripiendum minus cautos, minores vero ad diligentiores, ipse ad judicium faciendum eligere debet, qualem ipsa re exposci videt. In quo post primam percussionem nec ille manum percutientis, nec iste vocem exspectat *Mea culpa*, respondentis ; sed nulla in hac re servata parilitate, continuatim iste percutit, ille *Mea culpa* dicit, donec prior percutientem cessare jubebit. Nimietas tamen festinantiæ cavetur ab utroque. Scopis autem etsi majores tantum (ut dictum est) culpæ emendentur, modice tamen hujusmodi correptio inchoatur, sed si prælato visum fuerit, jussu ejus sensim augetur, servata tamen ubique fraterna compassione in judicio, tam virga quam scopis faciendo, UT ET DISCIPLINÆ DISTRICTIO TERREAT ELATOS, ET MISERICORDIÆ ADHIBITIO FOVEAT SUBJECTOS. Quamquam nonnunquam etiam minus cautis adhibeantur fomenta pietatis, ut quos non vicit rigor districtionis, vincat amor compassionis. Unde licet non sit consuetudinis, ut qui judicium accipit, quidquam aliud dicat nisi *Mea culpa*, tamen aliquando cum res scopis agitur, et forte se emendaturum dixerit, non solum non notatur, sed et libenter a prioribus accipitur, et ab eis intercessionis gratia, quæ diligentioribus fratribus etiam in minoribus judiciis solet adesse spontanea, minus cautis in majoribus adhibetur, emendationis (ut dictum est) promissione provocata.

Si plures fuerint in quos emendatur, facto in se judicio. quisque a priore jussus sessum ire, judicium inter eos facienti dat locum : de quo si quis amplius loqui habet, non id tunc agit, sed cum cæteri omnes sessum venerint, quia non est consuetudo, ut quoque ad judicium prostrato aliquis ibi loquatur, nisi prælatus quid breviter loqui voluerit. Unde hoc curandum est, ut cum prior quempiam exuere jusserit, nisi quis se de eo velle loqui intimaverit, prior interim hoc differat, donec iste, qui habet, proferat. Quod tamen, si tunc neglexerit, propter factum judicium ille non reticebit. De culpa autem jam emendata, defensionis verbum jam cavetur, ne qui judicium fieri jussit, culpari videatur.

CAPUT LIII.

Quid cavendum sit tam inclamanti quam inclamato.

* Inclamatus etiam suæ inclamationis tam extra quam infra capitulum cavet murmurationem facere ad quemquam. Nam nec ulli de his, quæ talia in capitulo aguntur, extra capitulum licet quidquam loqui, nisi sic possit fieri, ut non scandalum, sed potius ædificatio sit audientium. Sed et cavendum est ne quisquam, cum fratrem ob majorem aliquem excessum videt in anxio positum, quasi tunc primum inventa occasione, ea quæ jam ante ultro reticuit, aut quælibet pristina ejus facta commemorando, culpam illius studeat exaggerare. Similiter inclamato cuilibet cavendum est ne quemquam, nisi ordinem tenentem, sed et hunc non nisi sibi loquentem inspiciat, et inclamantem se in eo capitulo non inclamet. Quod et in proximo aut etiam tertio vel quarto cavetur ; si tamen gravis culpæ ille in eum fecerit reclamationem. Sed neque in eo capitulo in quemquam sui inclamatorem quis jubetur facere judicium, qui primus inclamavit ipsum. Sed et conversis id omnino debet esse alienum : nam sacerdos in sacerdotem, et quisque in eum, qui vel sui vel inferioris est ordinis, facit judicium, et interdum jubetur id facere aliquis eorum qui stant in judicio.

CAPUT LIV.

Quod in reclamando non sit personarum acceptio.

* In reclamando autem non est personarum acceptio, sed tam seniores a junioribus, quam ipsi ab illis inclamantur. Et si in eadem culpa senior quis cum juniore inventus fuerit, non cujus ætatis, sed cujus diligentiæ sit, attenditur ; nec a judiciali sententia, nisi simul cum juniore excipitur ; quamvis hæc diligentibus plerumque temperetur. Interdum

tamen excipitur novitius, si adhuc ordinis est adeo ignarus. Quicunque autem inclamati, quantumlibet sint multi, omnes veniam petunt. Unde etiam ipse domnus abbas cavet ne quid tale dicat, unde conventum simul inclamatum habeat. Nec immerito conventus tantæ dignitatis apud domnum abbatem habetur, cui etiam summa ubique reverentia, prout dignum est, exhibetur, in tantum, ut cum ritu monastico uspiam graditur, nullatenus ei obviam ire ab aliquo præsumatur. Sed si ad aliquam horam versus unus aut duo vel plures in aliquo ejusdem horæ psalmo ex negligentia prætermissi esse reclamantur, si qui specialius in hac re se reos cognoscunt, hi soli veniam petunt, et post psalmos *Verba mea*, vel psalmus cantatur ab omnibus prostratis, etiam si talis est dies in quo non procumbitur ad horas. Pro psalmo vero primo prætermisso, septem pœnitentiales cantantur, adjuncta oratione qualibet pro peccatis. Pro prece aliqua vel antiphona ad suffragia sanctorum prætermissa, agitur quod præsidenti videtur. Quod si sentitur ante finem psalmi versum esse prætermissum, psalmus a capite est repetendus. Cæterum in hujusmodi negligentiis, ubi fere totus aut certe magna pars conventus in culpa est, si tamen levior causa fuerit, admonitio potius, ut emendetur, quam reclamatio debet fieri. Ubicunque etiam aliqui fratres in obedientia aliqua fuerint occupati, negligens quisque a cæteris prius admonendus; sed si emendare noluerit, est etiam reclamandus. Sed quia singula, quæ contra consuetudinem et ordinem nostrum fieri possunt, scribi nequaquam possunt, quædam etiam talia sunt, quæ propter scandalum in capitulo reclamari nequeunt; quæ quisque ignorat, an ad reclamationem pertineant, de his prius interrogare debet.

CAPUT LV.

Quod confessionem culpæ sequitur misericordiæ petitio, si simul culpa est proferenda, et misericordia petenda.

* Nunc autem non est prætereundum, quod confessionem culpæ sequitur petitio misericordiæ. Quoties culpa confitenda, et misericordia simul cuiquam est petenda, v. g. si obitum patris aut matris vel sororis audivit, vel crastino utriusque parentis anniversarius erit, vel quo ipse monasticæ vitæ benedictionem accepit, et ipse pro aliquo excessu veniam petere debuit, de culpa prius agitur, deinde pro postulanda misericordia non nisi semel veniam petit, etiam si ita evenerit, ut et sibi et parentibus suis misericordiam petiturus sit; sed et tunc primum de pertransactæ vitæ negligentia se accusat, deinde parentis obitum pronuntiat, singulariter tamen, ut ad utrumque prior indulgentiam optando respondeat, et ipse toties ei ad pedes veniat; in recedendo observans in primo libri capitulo scriptam inclinationis legem, omnibus ad pedes venientibus datam; quamquam et antequam ad pedes veniret ad reverentiam conventus inclinantis se inclinaverit, quam submisse ad quamcumque absolutionem ibi A steterit. Hoc enim sic habet consuetudo, ut priusquam prima benedictio dicenda fuerit, ad quamlibet absolutionem conventus inclinet, submissus autem hic, qui tunc ob quamcunque causam coram steterit.

CAPUT LVI.

De eo qui aliquem defunctum fratrem in pœnis esse perspexerit.

Est etiam consuetudo, ut si cui defunctum aliquem fratrem in pœnis esse per visum fuerit revelatum, abbati vel priori secreto innotescat; et si jussus fuerit, misericordiam pro eo cum venia in capitulo petat, referens quid de eo per somnum viderit; prioris quoque pedibus post absolutionem defuncto fratri optatam, se pervolvat. Deinde prior B quid pro defuncto fratre communiter aut singulariter etiam faciant, fratribus injungit. Sciendum autem est quod misericordiam petens sine licentia ad præsens poterit inclamari.

Si vero domnus abbas quemquam in capitulum miserit, ut sui alicujus familiaris obitum vel anniversarium annuntiet, is pro hac re non nisi jussus ab ipso veniam petit: et si vel sibi, vel suorum alicui misericordiam est petiturus, cum eadem venia id facit. Hi etiam qui spontaneam petituri sunt veniam, eo quod aliquid infra claustrum perdiderint, sciendum est, quod prius in capitulo de re perdita (nisi adeo minuta, ut acus est, et si quod tale est) prius interrogare, et deinde si non inventa fuerit, C sequenti capitulo veniam petere debent. Sed de itinere venientes pro rebus extra perditis, ad proximum capitulum veniam petunt; si infra capitulum venerint, clauso jam ostio claustri, pulsare licet, et audiens in capitulo ostiarius accepta cum manu licentia exit aperire eis. Intromissi autem, facta oratione in monasterio, statim ad capitulum veniunt, et cum sederint, si quam stando dicturi sunt legationem, hoc unus eorum, cui injunctum est, in loco suo primum agit; deinde si quis eorum pro aliquo excessu ultro veniam petere debet, aut quis in alterum de his etiam, quæ in itinere contra consuetudinem fecit, maxime quæ admonitus emendare noluit, quidquam reclamare habet, non hoc negligit.

D Quasdam vero legationes minores quidem non stando, sed quando sibi visum fuerit, sedendo dicit; quia sunt quædam dignitates, quibus major, quædam quibus minor debetur reverentia. Nam episcopis et abbatibus, congregationibus quoque tam canonicæ quam monasticæ institutionis, quibusdam etiam sæcularibus potestatibus, ut ducibus, hæc exhibenda est reverentia, ut tantum salutationes eorum a stantibus, cætera autem a sedentibus dicantur. Solis vero domno abbati nostro, apostolico, et regi nostro, illa addenda est, ut a conventu ad eorum legationes venia petatur, quæ nihilominus ab eo observatur, cui singulatim quodlibet hujusmodi mandat domnus abba ubicunque ei dicatur. Cæteris vero quibusque orationis suæ vel servitutis

devotionem mandantibus, inclinationis tantum reverentia debetur. Stando autem loqui in capitulo præter hos, nulli licet, nisi veniam petenti. Unde et obedientiariis et cuilibet sic exituro, ut ad capitulum non redeat, sedendo et loquendo quærenda est licentia; obedientiarii quidem ad obedientias suas, et si quos suos pares, vel alios fratres habeant necessarios, secum exituros nominatim dicentibus. De quibuslibet autem sic exituris, ut non redeant, si quis habet aliquid loqui ob acceptam eorum licentiam nequaquam hoc omittit; cæteri quique sic exituri ut redeant, stantes ubi prior eos videre possit, exeundi licentiam manu quærunt et videns prior parum inclinato capite annuere non omittit. Sed evenire poterit ut alias occupatus eos non respiciat: unde si tunc eos videat, sive non, ipsi licenter exeunt. Quod si quis alium jubente domno abbate de capitulo vocat, in ipso introitu capituli sedet; si tamen prius affuit, sin autem in loco suo. Sed et ipse absque licentia non exibit: nam et ille, qui vocatur ad domnum abbatem, non sine licentia inde discedit, sicut nec de monasterio, si est alba indutus, et se locuturum prænoscit; nec de refectorio, si non reversurus. Si vero aliquis accepta licentia de capitulo exierit, ita ut non sit reversurus; sed iterum aliqua ex causa revocatus, vel sponte redierit ante et retro non facit: et si denuo necesse habet exire, priusquam capitulum finiatur, accepta licentia, ut prius nihilominus ante et retro facit.

CAPUT LVII.

De culpa leviori.

(UD.) Missus in culpam leviorem ita se habet, ut ipsa quoque sibi regula præscribit (cap. 24). * In quam nullus mittitur, nisi tale quid commiserit, pro quo etiam gravem districtionem subire deberet, et maxime si is qui præ senio aut debilitate corporis gravem verberum non possit pati disciplinam. Ad Nonam reficiens sedet in loco suo, et si est in æstate non prius ad mensam, quam conventus post bibitionem inde recedit (UD. *var.*) Inter preces nocturnas vero et horarum omnium regularium prostratus jacet. Non offert, non osculatur textum Evangelii, non accedit ad pacem, nec ad missam cum aliis. Si festa dies duodecim lect. vel agenda supervenerit, solutus est interim. Privata vero die veniente rursus intrat, in quo erat prius, usque dum fiat absolutus. Absolvitur autem maxime quando inter preces prostratus jacet ad gradum, aliquo fratre ad eum directo a priore, a quo sibi, quod sit absolutus innuatur. * Tunc facto ante et retro discedit. Quod si forte prior neglexerit, a claustrali priore, vel ab aliquo seniore admonitus, eum absolvit: si tamen ei adhuc visum fuerit. UD. Hoc quoque modo fieri solet absolutio, si eidem noxæ adjudicanti postea contigerit, ut pro aliquo delicto denuo reclamatus verberetur. Et si hoc non fuerit, non absolvitur, nisi prius ejus satisfactio jacentis ad gradum, vel ad unam horam a conventu videatur. * Potest autem prior quemdam hujusmodi sententiæ jugo subdere etiam si domnum abbatem in monasterio scit consistere; sed non absque ejus nutu absolvere. Quod si cuique eo remoto talis sententia imponitur, et forsitan ille interim supervenerit, idem non a priore, sed potius ab ipso inde absolvitur. Qui si eo nondum absoluto discesserit, prior tunc hunc sine ipsius licentia non absolvit. Idem etiam modus est inter majorem priorem, et minorem, nisi quod non mittitur post eum, si recesserit quoquam, sicut post domnum abbatem propter ejusdem fratris absolutionem; sed claustralis prior absolvit eum. Et notandum, quod si cui dicitur: *Sitis hodie in leviori culpa*: in crastino inde omnino liber erit, quia dictum fuit tantum *hodie*.

CAPUT LVIII.

Ubicunque steterit quomodo stare debeat.

UD. Stans autem ante domnum abbatem, vel ubicunque steterit (ubi tamen observari potuerit) id etiam non negligit, ut pedes habeat æqualiter compositos, et nunquam inter standum divaricatos. * Sed et hoc observat, et nunquam scabellum vel aliquod lignum aliquanto majusculum, nisi posito super illud pede transeat, vel causa alicujus brevitatis circumeat.

CAPUT LIX.

De his quæ non licet facere, nisi in tempore loquendi.

(UD. *var.*) Exiens a capitulo, si est ea dies in qua in claustro loquuntur, prius nullum verbum dicat: si litteras novit, librum accipit et sedet. Nam conversi litteras nescientes, libros habere non coguntur. Stando autem nihilominus loquitur. Sed forte si tunc non affuit, quando post percussionem tabulæ *Benedicite* dictum est a priore, et postea veniens aliqui sibi obvianti dicit, *Benedicite*; ob hoc nec ipse nec is, qui obvians ei respondit *Dominus*, notari debet. Et quem tunc primum in conventu alloquitur præmittit *Benedicite*. (UD. *var.*) Quod loquitur, qui loquitur, submissa voce. Loquela sua et audientia non sit nisi de spiritualibus vel de his quibus hæc vita temporalis carere non potest. * Cavet etiam loqui ad alium fratrem in opposito, vel remotiori loco sedentem aut stantem. UD. Si quid opus habet a camerario quærere, tunc maxime quærit. Si opus habet ungues secare, et ille debet ad fratrem juxta se sedentem dicere, quod debeat ungues suos secare, et ille debet ei annuere, dicens *: *Cum Dei benedictione*, et sic præmisso *Benedicite*, eo respondente *Dominus*, prædicto fratri secat. Si opus habet justitiam suam et pateram lavare UD., tunc lavat, observato ibi silentio. Lotas vero in claustro non ponit siccandas, * sed statim in refectorium reportat. UD. Si opus habet cultellum suum acuere, tunc acuit ad cotem, quæ ob hoc in catena pendet in claustro; * vel si magis placet ad alteram juxta lavatorium similiter pendentem. Si in vestimento suo quid dissutum est et aliquid resarcire vult, hoc tempore loquendi, aut ante pri-

mam in æstate, in hyeme vero ante tertiam, et si semel comeditur post prandium, ad lectum suum facit sedens in cuculla sua et pellicio, si opus est; duas enim habet, et si una resarcienda, sedit in altera. UD. Si opus habet quid de vestimento suo ad solem extendere, tunc extendit, et bene meminerit, ut auferat ante collationem, vel si duodecim lectiones in sequenti nocte, ante vesperam.

CAPUT LX.

De eo, qui infirmum fratrem visitare voluerit.

* Si quem fratrem infirmantem visitare voluerit, tunc maxime accipit licentiam visitandi. Illuc eundo debet psalmum *Domine, ne in furore tuo arguas me*, etc., recitare; addita Dominica oratione, et una collecta pro infirmo, *Omnipotens sempiterne Deus*, etc. Cum infirmis fratribus potest ibi loqui antequam ad horam sequentem pulsetur. Quod si citius ad horam pulsatur, ita ut non possit peragere quod cœpit, postea non sine licentia regreditur. Non solum autem in hoc tempore, sed etiam in aliis competentibus horis conceditur quibusdam gravioribus personis ægrotantes visitare.

(UD.) Nihil appellat *suum*, sed ad omnia dicit *nostrum* nisi de patre, matre et culpa, de his licenter dicit *meus* et *mea*. Verum etiam de se aliquid dicturus, dicit *ego* non *nos*. Si quem fratrem appellat, nunquam puro nomine appellat, nisi *domnus* adjungat; sed juvenes *fratres* vocat. Item proprium nomen dicturus *frater* præmittit. In hoc et alio quovis tempore competenti, sicut infra utramque missam potest cum licentia sæcularem amicum convenire et hoc non sine teste, si scitur aliquantulum incautus esse. Nullam omnino osculatur mulierem; sed nec matrem suam.

CAPUT LXI.

De minutione sanguinis, vel phlebotomare volentibus.

(UD. *var.*) Si sanguinem voluerit minuere in XII Lectionibus, vel in alio quocunque die, in quo silentium est tenendum, ipsa hora, qua de capitulo exitur, licentiam a tenente ordinem cum signo quærit. * In privatis autem diebus quando locutio est in claustro, si potest consedere juxta priorem, licentiam petit verbo: sin autem, signo. Quod si domnus abba vel prior capitulum tenuit, et mox finito capitulo, aliquo discessit, quo is, qui minuendus est, sine licentia venire non possit, tunc ab eo, qui ad præsens ordinem regit, licentiam quærit. Cavendum autem est hebdomadæ sacerdoti hebdomadario, diacono et subdiacono, hebdomadario cantori, mensæ lectori, hebdomadariis coquinæ, ut nequaquam sanguinem minuere præsumant, nisi prius in capitulo petita venia licentiam accipiant. (UD. *var.*) Et ut hoc modo, quo fiat ordine, prosequamur, accepta licentia idipsum procurat cellario indicare, ut prævideat famulum qui ad hujusmodi negotium deputatus est, in promptu esse post evangelium missæ majoris. Eo namque momento abscedens de ecclesia induit nocturnales, non alios quidem usque ad diem tertium induiturus, excepto si aliqua processio in albis est agenda, sicut sæpe evenit in susceptione alicujus gravioris personæ. Igitur eodem tempore, quo nocturnalibus induitur tollens fasciam suam de lecto suo, pergit ad illam minuendi sanguinis officinam, et ante omnia facit ante et retro, et ter dicit brevem versum: *Deus, in adjutorium meum. Kyrie eleison.* ℣. *Adjutorium nostrum.* Itemque facto ante et retro imminutio sanguinis inchoatur.

CAPUT LXII.

In quibus locis ante et retro sit faciendum minuto.

* Sed sciendum, quod nullo in loco faciat ante et retro, nisi in ecclesia vel ante crucem sit; excepto ad opus manuum, ad sanguinis minutionem, et in coquina regulari. UD. Silentium tenet, nisi modicum quid dicat de eo quod inter manus habet.* Cellerarius vero adjutorem suum illuc mittere procurat, ut quot sint minuti videat UD. Ab hinc surgens in refectorium venit, aliquantulum de libra sua comesurus et bibiturus, sicut etiam per duos sequentes dies post evangelium majoris missæ; in quarto autem cum ministris. * Ad hujusmodi autem prandium non dicitur refectionaliter versus, etiam si sit illud regulare jejunium, in quo et post tertiam pransurus pietantia non carebit. Finita communi fratrum refectione, si opus fuerit post versus inter primos potest exire. Ad proximam horam post minutionem secedit ante illud altare, quo infirmi inter matutinalem missam solent accubare, et quocunque modo recubans ibi jaceat secundum valetudinem suam, nemo vituperat. Si autem viribus suis confidit, ad sequentem horam inibi consuetudinaliter sedet, et sic deinceps ad reliquas horas ubicunque vult, extra minorem chorum manet. Cum autem post vesperas et matutinalis processio ad S. Mariam agitur, ipse priores subsequens in capitulo, nisi sit juvenis, moratur. Ad nullam horam regularem debet procidere neque pro illis tribus orationibus, quæ post sonitum in choro solent fieri a conventu stando vel procumbendo, ipse unam tantum ante chorum facit sedendo. In fine vero uniuscujusque horæ exiens cum cæteris facit ante et retro, et ante initium cum aliis ante et retro facit. Ad litaniam, si vult procidere, procidat; si vult sedere, sedeat, nemoque illud reprehendat.

(UD.) Ad prandium quando alii habent pietantiam, ille generale per duos dies, et ad cœnam ova tria. Si autem est tempus hyemale, scilicet a calendis Octobris, usque ad Quadragesimam, et si fratres generaliter non nisi semel reficiunt, tunc ille primo tantum die post vesperos, dum incipitur *Placebo*, ante et retro facit, et lotis manibus ad refectorium vadit, * et sine versu consuetudinali, in extremitate sinistræ tabulæ sedet, et cœnat, cellerario procurante ei pro necessitate. Quod si prius a cœna redit, quam conventus ad bibendum venit, sicut sæpe in Septuagesima potest evenire, non omittit, quin iterum cum conventu in refectorium redeat, et si vult, bibat. Si autem conventus illum cœnantem invenerit, illis exeuntibus ipse altius stat inclinis,

usque dum omnes non inclinantes pertransierint. (UD. *var.*) Secundo et tertio die post capitulum veniens in refectorium dicit matutinalem versum et sumit tria cocta pulmentaria; die autem quarto cum ministris pransurus, casei quadrantem, vel quod tantum valet, accipit. * Tertio autem die indutis diurnalibus ad primam redit in chorum, si sunt duodecim lectiones; si autem privata dies est, ad tertiam. Quod si nec viribus suis confidit, priori hoc innotescit. Ad nocturnos interim si obdormivit, nemo eum cum absconsa inquietabit: sed etiam si ad intervallum in lecto pausavit, ita vestitus ad hoc de capitulo,* dum *Deus auribus*, vel si hoc non tunc canitur, dum *Exultabunt* inchoatur, exit. Nec permissus est interim veniam petere in capitulo, UD. si quid reclamatum est ab illo, sed stare jussus pro venia inclinat; * quod tamen cavendum est, si scire potest, quod sanguine minutus sit. Qui tamen in refectorio, si sonitum vel aliquid venia dignum in hoc biduo, quo minuit, fecerit, vel ipse vel alteruter ipsius collateralis veniam petit. Nam si alias tale quid commiserit, quod non sit in capitulo reticendum, usque in diem tertium est differendum.

Cavet autem in Pascha et Pentecoste ante feriam quartam sanguinem minuere, nisi sit talis obedientiarius, qui foris moratur assidue, acquisita licentia a priori. Quod si quis alius in prædictis diebus, vel quandocumque tam inconveniens est, non potest præ infirmitate congruum tempus exspectare, UD. hic in capitulo cum venia licentiam debet impetrare. Cavet autem eo die unusquisque sanguinem minuere, cujus sequente nocte duodecim fiunt lectiones, nisi in Quadragesima: tunc semper in Sabbato post vesperos, dicto *Benedicamus Domino,* minuit; pro eo, quod in die Dominica non jejunat, in qua ex consuetudine post evangelium æstivale prandium habere debet, et die tertia vesperos cum infirmis audit. Si vult statutum prandium fratrum anticipat, ita ut postea non reficiat, et infra communem fratrum refectionem moratur ad S. Mariam. * In Dominico vero die, quo facturus est foris claustrum processionem, induit diurnales: cæteras autem, quæ fiunt nudis pedibus, accepta licentia evitare potest. UD Post completorium de tribus orationibus non nisi unam, et hanc sedendo facit, et statim exit. Quibus autem pro misericordia concessum est, * horas regulares ad S. Mariam auscultare, interim etiam, dum sunt in lege minutorum, ibidem morantur, dum et aliis quibusdam minutis interdum conceditur, insuper etiam, ut finitis ibidem matutinis se in lectis recollocent usque dum die tertio ad primam, vel in hyeme ad tertiam in choro se repræsentent. Nec illud est prætereundum, quod nulli pro sola sanguinis minutione conceditur ad infirmariam venire, nisi in pedis vena velit minuere, et interdum alicui seniorum, qui tantæ debilitatis sit, ut hunc ordinem in conventu nullatenus observare possit. Quod tamen omnino vitat, si in proxima nocte festum duodecim lectionum instat; nisi, sicut dictum, venia præveniat. Alio autem modo quam in vena si voluerit in æstate in duodecim lectionibus sanguinem minuere, accepta licentia camerario voluntatem suam indicat, ut provideat quæ ad hujusmodi necessaria sunt; sed tamen usque, dum nona sit cantata, exspectat, et tunc statim vadit ad illam minuendi sanguinis officinam, et præmisso versu, servato tamen silentio (nisi sit necessarium) sanguinis minutio inchoatur. A Kalendis autem Octobris usque ad Quadragesimam statim post capitulum cum minutis sanguine prandet, et post evangelium missæ majoris, vel post prandium tempore opportuno et ipse sanguinem minuet. Post minutionem vero chorum non intrabit, sed extra ubi et alii minuti, sive si tempus hyemis, sive æstatis non procumbens, neque veniam faciens repausat: et si caputium induit, nemo reprehendit. Habet ad cœnam a cellerario pietantiam, vel si cœna non sequitur, fratribus communiter bibentibus, datur ei melior potus. Die vero secunda ad hanc horam intrat chorum, ad quam quilibet vena minutus intrat die tertia, et ea die post capitulum, vel si est alio tempore post evangelium non deerit prandio minutorum.

CAPUT LXIII.

Quomodo, si inter loquendum ad horam regularem signum audierit, ad orationem occurrat.

(UD.) Sed ut redeam ad locum unde paululum diverti. Inter loquendum, si ad horam regularem signum audierit, in claustro ipsum verbum, quod habet in ore non perficit, sed continuo tacet, et occurrit ad orationem. Qua finita, sedet in choro, et quousque sacerdos missas cantaturus sit vestitus, intendit lectioni. A qua tamen cum primum secundum audierit signum, illico cessat et surgit, sicut etiam ad duo signa, quæ pulsantur ad vesperas, vel quotiescunqne omnia pulsantur, veniam, quam petit, diligenter observat, ne unquam tardius aut celerius quam alii petat. Cum aliis submittentibus se submittit; cum aliis se levantibus, se levat, ad venias, ad preces, ad orationes: aliis non legentibus nec aliud quam solum divinum officium attendentibus, ipse quoque nunquam librum aperit ad legendum, maxime in choro; nisi aliquando gradualem librum ad majorem missam, propter aliquem cantum, qui ad præsens cantatur, vel si est illiteratus, (*var.*) ad vesperos librum hymnorum propter aliquem hymnum ea ipsa vice canendum.

* Item ad cantum, et hymnum matutinorum potest inspicere librum nec tamen proprium dimittat locum, nec alio interim utatur lumine, nisi illo, quod lucet in commune. (UD. *var.*) Et si sacerdos hebdomadarius est, in collectario licet ei quod opus est prævidere, scilicet capitulum præsentis horæ. Signa, quæ cum manu fiunt pro locutione, non amat frequenter facere, conventu maxime cernente, et quotiens facit, facit reverenter et pro necessitate. Ut cætera membra ita ipsum quoque cohibet visum a vagacitate. Finita missa cum summo silentio sedet

ad lectionem quousque ministri et pueri, si in loco sunt, redeant de mixto (103).

CAPUT LXIV.

Qua disciplina sit in refectorio sive post alios veniens, sive ante alios discedens, quomodo licentiam accipiat.

(UD.) Ad horam prandii vel cœnæ si in dormitorium non ascendit, lavatis manibus statim ad refectorium venit. * Ad sedem suam facto ante et retro in regularem coquinam, vel ante cellarium, si juvenis non est, aliquanto ire potest; ut si aliqua re indiget, quam antea verbo quærere non potuit, cellerarium pro hac signis interpellet. UD. Inde rediens stando reverenter expectat domnum abbatem, vel si non potest stare, sedendo. * Si juvenis est, super inferius, si provectioris ætatis, sedet super sedile superius. Intrante vero domno abbate, contra illum inclinat, statimque se erigens erectus stat, usque dum pertransiens in locum suum ad pulsandam scillam perveniat. (UD.) Quam postquam pulsaverit, et versus, oratio benedictioque data fuerit, ipse in loco suo sedens, mensale applicat, nihil tamen omnino comedens, antequam lectio incipiatur, et antequam de manu sacerdotis oblatam (104) accipiat; si tamen est privata dies, et si in ipso die non communicaverit. Si vero pro aqua apportanda vel alia hujusmodi causa dicto versu vult exire de refectorio, * non exit priusquam ipsa incipiatur lectio. UD. De nullo gustat generali priusquam benedicatur. Sibimetipsi nihil unquam apportat frater præter sal, et aquam; ni forte serviendo veniat ad sedem suam. Si quid ei per alium apportatur, reverenter contra porrigit manum et aliquantulum inclinat. Similiter inclinat ad omnia, quæ sibi tunc dantur, vel apponuntur, vel quæ ab eo recipiuntur. Si quid ei ab eo, qui ad scillam sedet, dirigitur, ex toto surgens altius contra ipsum versus inclinat, etiamsi ad lineam sedeat; et quantumlibet forte cupiat abstinere, de hoc tamen non dimittit prælibare. Scutellam quoque applicat ad illum potissimum fratrem qui juxta se superius sedet, ut comedat secum: si is renuerit, applicat ad inferiorem: quod si et ille noluerit, quantumvis remaneat, quod noluit, vel quod non potuit comedere, non mittit quoquam longius ad aliquem fratrem pro ulla gratia privata, sed tamen ut adhuc superius vel inferius sedenti applicetur, alterutri suorum collateralium innuere non omittit. Si duobus fratribus aliquid mittitur et alter eorum interim forte defuerit, reversus inclinare non desinit. * Si tantum sonitum fecerit, qui usquequaque in refectorio audiri possit, veniam petit, quod alio tempore, quando bibitur sed non legitur, minime facit.

Si forte, eo illuc eunte, *Tu autem* dicitur, propter hoc non redit, priusquam veniam fecerit. Si de potu vel humido cibo tantum effuderit quod buc-
A cella panis operiri non possit, sive legatur, sive non, veniam petit. Si cochlear in partes fregerit, ipsa fragmina tollens ad gradum ponit, et veniam petit. De qua surgens ea recipit, et in extremitate, ubi cochlearia et cætera refectorii utensilia continentur, reponit. Si non est divisum, sed tamen adeo est fractum ut non sit habile ad comedendi usum, eumdem satisfactionis servat modum. Si cultellum fregerit, idem facit, excepto quod de gradu receptum ad mensam secum reportat, et in vaginam reponit, et camerario tempore congruo, ut eundem reintegratum aut alium recipiat, hunc reddit. Simili modo satisfacit, quicumque inter comedendum vel bibendum in refectorio, vel ante refectorium in cellario vel ante cellarium aut in regulari coquina
B aliquem prædictorum excessuum incurrerit; excepto quod pro sonitu non alibi, nisi in refectorio, vel in regulari coquina taliter, ut præscriptum est, facto, veniam petit. Et si sextarium vini vel cerevisiæ vel dimidium effuderit, utrinque et in refectorio et sequenti die in capitulo pro hoc satisfacit. In scyphum justitiæ (105) superpositum nihil imponit, nec panem intingit, nisi prius super mensam ante se posuerit. Simul cum alio fratre in uno scypho non debet panem intingere. Nulla re, nec etiam flabello, quo muscæ abiguntur, in æstate interim utitur dum *Benedicite* super cibum et potum datur. Si autem inter comedendum pro aliqua necessitate exire cogitur, propterea, si rediturum se sperat, nisi sit
C ostiarius in suceptione hospitum non loquitur. Si vero illi mox, ut parumper comederit, nausea vel fluor sanguinis ingruerit, ita, ut ad eamdem refectionem redire non possit, postea cum ministris sine licentia reficit.

(UD.) De micis diligentissime cavet, ne quid vel minutissimum cadat et pereat. Cum cultello aufert eas de mensali, ut ad ultimnm cum flebello ad hoc aptato in scutella colligantur et ad eleemosynam deferantur. (*var.*) Quandiu autem a conventu non est separatus, ut sit cum infirmis, nec unum granum piperis gustat, nec quidquam cibi aut potus, nisi in refectorio percipit. Nunquam bibit, nisi pateram cum ambabus manibus tenendo (excepto minuto) et nunquam nisi sedendo. * Si postquam scilla dimissa
D fuerit extra ostium remanserit, nullo modo tunc intrare præsumit, sed tamdiu foris exspectat, quousque lectorem ad versum legisse audiat. Si vero necdum occurrerit, si serius post inceptum lectionis intraverit, si aliquem ad gradum stantem licentiam comedendi accepisse perspexerit, ipse alicubi juxta tabulam stans observat, quando ille discedens sibi accedendi locum tribuat; ubi et tunc, si locus sit tam angustus est standum. Si viderit servitorem ad generalem scillam jam pulsaturum, ibique inter benedictionem stans humiliter se inclinat, quod nihilominus quisque observat, qui quidquam mini-

(103) *Mixtum* panis et vinum lectori ad mensam servitoribus in regula S. B. concessa.

(104) *Oblata*, panis in missa oblatus, sed non consecratus, de quo infra.

(105) *Scyphus justitiæ*, idem quod vas vinarium, quod *justitiæ*, seu *justa* appellatum.

sterii in refectorio agens interim obambulat, et si quid in manibus portat, hoc super mensam ponere procurat. In accedendo itaque cuiquam obvianti humiliter, sicut et ille, se inclinat, nisi tale quid in manibus ferat, quod illum ad hanc inclinationem impediat. Et si forte aliquem sonitum vel aliud venia dignum in ipso accessu fecerit, ante versum veniam petit, sicut et post versum. Si quid tale de gradu discedens commiserit, veniensque ad gradum cum duobus primis digitis combinatis semel ad os directis petit ab eo, (ID. qui ad scillam sedet licentiam comedendi. Quo annuente, quasi cum aliis fecisset et dixisset, eadem per se facit et dicit : id est, primo ante et retro, et versus, si est prandium, *Oculi omnium* : si cœna, *Edent pauperes*, etc. Inclinis *Gloria Patri*, et oratio Dominica * : dicit erectus manu et ore ita benedicens : *Oremus : Benedic Domine*, etc., et inclinans redit ut sedeat. Et si est locus ejus juxta finem tabulæ infra unum fratrem, ille surgens ei locum accedenti dat, sicut et postea, si surrexerit opportunitatem discedendi. Sedens vero, si ante se, cujuscunque generis sit, cibum fratribus jam appositum non invenerit, et hoc servitores ignorant, alteruter collateralis ejus alicui eorum innuit, ut offerat, aut si hoc non potest, ipse surgens ei apportat.

Cæterum si duo, vel plures tardius ad mensam occurrentes pro accipienda comedendi licentia simul intraverint, quotquot in simul possunt, cæteris ordinabiliter sequentibus, præcedit, et qui inter eos præeminet in sacro ordine, ipse etiam præcedentium medius, sive sit literatus, sive non, sive ipsius ordinis celebret officium, sive non ; ipse, inquam, præfertur in danda benedictione. At si omnes ejusdem sunt ordinis, tunc qui prior est, nisi ille sit conversus, cæteri literati. Facta benedictione posteriores paulisper cedentes exspectant, ut qui accedendo præcesserant, discedendo etiam præcedant. Si quis præcedentium aliquid veniæ dignum in accedendo fecerit, interim reliquis expectantibus veniam ante versum petit : si vero sequuntur, differt usque post versum. Præcavendum est autem, ne postquam scilla ad generale pulsatur, nullus comedendi licentiam accipiat, nec discedendi, postquam micas ablatas esse noverit. Si enim opus habuerit aliquando, ut priusquam cæteri, surgat a mensa (quod tamen, nisi obedientiarius sit, cavere ne faciat debet) vel tale opus sibi sit injunctum, quod tamen citius sit perficiendum ; panem et justitiam ita ordinabiliter ponit, sicut poni deberent, si cum cæteris surgeret. Rursus si quid dignum venia surgens vel accedens facit, prius veniam petit quam abeundi licentiam quærat. Sed hanc veniam usque post versum differt, si inter plures, eos tamen propter arctum loci sequens accesserit. Nam si cum ipsis, et ipsi si viderint vel sciverint, deliquit, ut prius veniam petat, exspectant.

(ID. *var.*) De qua surgens venit ad gradum et manum expansam tractim a pectore trahens, cum hujusmodi signo licentiam abeundi quærit. Qua accepta inclinat in faciem et versum dicit, si est prandium, *Confiteantur*. Inclinis, *Gloria Patri*. Erectus, *Agimus tibi gratias*. Si cœna, *Memoriam fecit*, et *Benedictus Dominus*, etc. *Amen*. Facto autem ante et retro incedit pedetentim cantando psalmum quinquagesimum usque ad ostium refectorii. Ibi se inclinans contra mensam principalem dicit omnia quæ in ecclesia dicuntur a sacerdote vel a conventu, id est : *Dispersit. Benedicam Dominum. In Domino. Magnificate Dominum. Sit nomen Domini. Retribuere. Benedicamus Domino. Amen.* Novissime facto retro et ante, si quid fecit tale inter versum, de gradu recedendo veniam petit et sic exit. Quod si non amplius quam semel eo die fratres comedunt, tunc non alios versus dicit, quam illos ad cœnam pertinentes, et *Agimus gratias*. Verum ad unam vicem nunquam facit utrumque ; ut et tardius quam alii veniat, et citius surgat.

CAPUT LXV.

De refectione servitorum.

* Finita refectione generali mox conveniunt servitores, cæterique comessuri. Quibus etiam, quamvis sint pauci, eodem ordine ac reverentia servitur qua et conventui. Ex consuetudine plures non sunt, quam ad scillam sedens mensæque lector, adjunctis ministris, nisi forte contingat, ut major vel claustralis prior, vel ejus adjutor, aut etiam aliquis de via veniens cum illis reficiat. Interdum etiam evenit ut quis obedientiarius aliquo gravi labore præpeditus permissu prioris ad priorem mensam desit : is ergo non prohibetur, cum servitoribus reficere. Itemque quamvis nulli sine magna necessitate concedatur, tamen accepta licentia ante finitam eorumdem refectionem inde discedere potest. In præcipuis vero festivitatibus ostiario cæterisque majora officia administrantibus, si necesse est, post evangelium majoris missæ, cum licentia prioris licet prandere tali scilicet ordine, ut postea nec cum prioribus nec cum servitoribus idem prandium eis repetere liceat. Ministris autem de refectorio exeuntibus, fratres hi tantum, per quos illi transeunt, vel si in capitulo sedeant, omnes inclinando assurgunt. Et est consuetudo ut unus eorum, si nox est, ante alios usque ad ecclesiam ardentem candelam ferat.

CAPUT LXVI.

De habitudine sua, et post prandium et post cœnam.

(ID.) Post refectionem ad hanc horam majori studio quam ad aliam silentium est sibi indictum, et secundum quod tempori vel ordini est consentaneum, ut in claustro sedeat legendo vel cantando, aut si pergit dormitum et legere voluerit, jacendo legit et ita compositus, ac si statim cupiat obdormire. * Ea hora qua vadit dormitum non secum defert librum, sed prius, non tamen in aperto debet eum ponere ad lectum, sicut et post non in aperto referre ad armarium. Si conversus psalterium suum ad lectum suum habet, postea surgens, si vult, non reportat.

Quod de omnibus intellige, et si tanta librorum copia esset, ut illis jugiter ad lectum jacentibus, alii in claustro sedentes habere possent. (UD.) Jacens vero in lecto non modo ea signa, quæ cum manu fiunt, devitat, sed etiam ictum oculorum nequaquam dirigit ad ullius fratris lectum, ut illuc respiciat vel ad momentum. Post nonam, sive sitim habeat, vel non, tamen non omittit cum aliis in refectorium ire bibiturus, nisi sit obedientiarius, * et ea hora foris nimium occupatus. (UD.) Quoties post vesperos cœnatur, cœna facta dormitorium ascendit, * cultrum ad caput deponit, nocturnales calceos induit, et in claustrum sedere venit. Ubi ad illam horam quandiu sedet, tantopere silentio studet, ut si sciolus scribendi forte quid scripserit, nec pergameno, nec penna ipsa quidquid sonitus ullo modo committat: aut si tardius quam cæteri de dormitorio descendit, tam lente pedem ponat, ut ejus incessus, si videtur ab aliis, minime tamen ab illo possit audiri. Hujusmodi autem silentium alio tempore non tam sollicite est observandum. * Cavendum est autem tam post prandium quam post cœnam, ne quis præsumat manus lavare, exceptis scriptoribus, et si quis sacerdos tale quid habet in missali libro prævidere: quem tunc temporis, nisi panno involutum nusquam portabit. Quod sacrista ne hujusmodi panni aliquando ibidem desint, providebit.

CAPUT LXVII.

De eo, quod lumen in claustro suo tempore accendatur.

Procurandum est etiam, ut in tempore hyemali, si vespera serius finitur, lumen mox per claustrum accendatur, quia conventus nocturnalibus indutis, juvenes quoque laternis accensis sedendo absque libris, tamen exspectant, donec cymbalum ad bibendum percutiatur. Tunc enim sine mora prior concutit, et custos hebdomadarius ante finitam bibitionem ante et retro faciens, nonnisi jussus ad collationem pulsat, ut conventu de refectorio eunte consequenter agatur collatio. Ad eandem bibitionem quisquis obedientiarius propter instantem suæ obedientiæ necessitatem ante alios sine licentia exit, non reclamatur, nisi sæpius id ab eo repetatur.

CAPUT LXVIII.

De lectore collationum.

* Quoniam non est nostræ consuetudinis, ut in tabula notetur lector collationis, ideo major sollicitudo debet esse armario, ut tempestive provideat, ne negligentia in legendo ad collationem contingat. Quapropter in die Dominica dat librum per hebdomadam lecturo, eique ostendit, ubi incipere debeat. Nam præteritæ hebdomadæ lector ipsi armario ostendit, ubi legendi finem fecerit. Cavendum est armario, ne unquam minus sciolo id injungat, ut ad collationem legat; sed tam convenienti et intelligenti personæ quæ ita legat, ut audientes ædificet. In præcipuis festivitatibus, quibus a quatuor *Venite* cantatur, vel etiam in cappis, si proprium sermonem habent, inde legitur ad collationem, si statim alias non est lectus neque legendus, qui si potest in duabus noctibus perlegi, tandiu legitur, quoad usque finiatur.

Sed et hoc lectorem oportet scire quod nunquam debet lectionem incipere, nisi ante sibi signum faciat, excepto ad mandatum in sabbato: tunc enim, ut armarius cantum terminat, legere non tardat. Qui tali hora ad collationem venit, quod vel dimidium versus, lectionis audit sedendo, propter hoc veniam ad crastinum capitulum non petit. Finita autem lectione, lector ibi juxta analogium facit ante et retro et statim exit, nisi sit in custodia; tunc parumper divertens, custodem suum exspectat. Omnes, qui remanent de capitulo, finita collatione, egressi de capitulo ad sinistram partem divertunt, donec, toto conventu egresso, de abbate vel priore licentiam abeundi accipiant. Tunc enim si aliqui fratres sitierint, facto signo licentiam bibendi accipiunt. Serius vero nequaquam hujusmodi licentia est petenda, nec etiam posthac, nisi raro; excepto si quemlibet vehemens sitis invaserit, quæ omnino sit intolerabilis: ejusmodi namque vehementiæ non est lex posita: quacunque enim hora quemquam tanta intolerantia vexarit, etiam in mediis matutinis, petet licentiam bibendi. Qua accepta jussu prioris aliquo eum comitante ibit in infirmariam, et nec revertitur postea in conventum, nisi eo tempore, quo et quilibet infirmus, nec sine licentia. Et sciendum, quod qui de completorio remanent cum faciunt prædictum signum abeundi, possunt quoque, si bibituri sunt, ipsa nocte amplius petere licentiam bibendi. Alii vero, qui occupati suis officiis aliquando per licentiam desunt ad collationem, sicut est hospitarius, eleemosynarius, et cæteri hujusmodi, petunt hanc licentiam a cellerario, si forte non possint a priore claustrali, dum facit circam post completorium habere.

CAPUT LXIX.

De fratre dormitorium aspergente.

* Post completorium frater ad aspergendum dormitorium deputatus (qui etiam conversus esse potest) mox finito completorio ante chorum secedit, et juxta altare, quo infirmi sedent, primam tantum orationem facit. Qua facta semetipsum aqua benedicta spargit, sicque ascendit dormitorium, ut illud aspergat. Quod quidem nunquam omittit, nisi dies Dominica sit. Finito, ut dictum est, completorio, cum iterum faciant tres orationes, ad has locum tenet extremum, et priores anteriorem. Quibus peractis, e choro novissime egressus altaribus illic reverenter inclinat. Quod etiam aspersus aqua benedicta a sacerdote nihilominus observat. (UD.) Et veniens ad ostium ecclesiæ caput operit cum capello nec amplius denudat usque dum se collocaverit in lecto.

CAPUT LXX.

Quomodo se collocet.

(UD.) Ergo, cum ad lectum venerit, si est frocco et cuculla indutus, froccum plicat et super tabulam,

vel si opus habet, sub capitale ponit. Deinde coopertorio ad inferiorem partem lecti rejecto scamnum ascendit, et introlatus, ut convenienter lecto insidere possit, se præparat, et tunc manus ad latera, non versus pedes extrahens se discalciat : ita tamen, ut crus cruri non superponat. Postea pedibus æqualiter levatis, et in lectum collocatis, cucullam non prius exuit, quam coopertorium sub cubitos trahat. Tunc quidem eam exutam, sive sit cum pellicio, sive non, complicat, et ad caput ponit; vel si tale frigus habet, super se extendit, capitio tamen ad caput verso. Idipsum novitius adhuc non consecratus cum frocco facit. Super cætera operimenta pellicium ponit, si vult, sed non inversum. Quoties vult, dum tamen moderate sit, sanctæ crucis signo se munit, idemque potest facere quando surgit. Quantum libet aliquando calorem sentiat, nunquam tamen plus corporis sui detegit, quam pedes et brachia et pectus. Si necesse est tempore opportuno tabulam mediocrem ad caput, in faciem lecti infigere potest, sive ad sustentandum capitale, sive ad arcendum lumen lucernæ. Item tabulam inter lectum et parietem non prohibetur congrue adaptare, ad superponendum ei froccos vel quid tale. Quocunque modo recumbens jaceat, videlicet vel supernus, vel lateratim, sive contractis genibus, nemo vituperat. Ad necessarias in cuculla et in pellicio nunquam vadit, nisi postquam conventus se in lectis collocaverit, et tunc coopertorium super lectum non expandit ; in sola autem cuculla potest illuc ire quandocunque voluerit. Si sanguis e naribus emanat, extra lectum contra parietem se inclinat ; si autem juxta parietem non dormit, contra faciem lecti se vertit. Si nauseam sibi ingravescere sentit, in angulum necessariarum tendens, egestum fœno operit. Si alium juxta se positum aliquo modo per somnum fratrem excitare audierit, mox illum non aliquo sonitu, sed aliquid de operimentis vel lectisterniis illius trahendo expergefacit. In soccis et cum capello, si necesse est, potest dormire, in pellicio nunquam. In lecto, sive extra lectum, nunquam alterius faciem suis oculis in dormitorio inspicit. Ad Crucifixum ibi inclinat, quotiens illac præterit.

CAPUT LXXI.

De eo qui tam graviter sitierit.

(UD.) Si tam graviter siti laborat, quod se nocturnorum pulsationem cum patientia nullo modo exspectare sperat, priorem modeste excitans cum signo ei, quod vult, insinuat, qui mox eum ad infirmariam ducens, infirmario causam designat, pro qua venit, et eodem fratre ibi dimisso, ipse ad lectum redit. Ille autem in lecto, quem infirmarius ei demonstrat, se collocans, cum infirmis ad nocturnos venit, et diluculo per infirmarium licentia abeundi a priore sibi impetrata, et diurnalibus de dormitorio allatis, tempore quo et quilibet infirmus, de infirmaria in conventum redit.

Et ut redeam ad nocturnale tempus quo frater sitire cœperit, si potest perdurare usque dum conventus ad nocturnos surgit, jungit se his qui in minori choro orant, et prioris, qui in majorem chorum ibi ingressurus est, adventum exspectat, et donec tres orationes finiantur, et tunc a priore licentia accepta, postquam (ut dictum est) in infirmaria biberit, de cætero usque mane ibi remanebit. Si vero usque post nocturnos se a potu continere valet, tunc cum licentia, ardore sitis exstincto, matutinum cum his, qui in ea hora in lecto jacentibus infirmis cantant, vel si tales non adsunt, et si est literatus, percantare debet; si illiteratus neminem rogat, ut hoc sibi cantet. Quilibet autem qui hujusmodi disciplinæ, et conversationis vir esse vult, quantum in se est summopere præcavere debet, ne talis necessitas illum aliquando prægravet. UD. Hæc pauca, ut memoriæ occurrerunt, de multis dicta sunt, quibus novitii, si fieri potest, prius sunt instruendi quam collegio nostro socientur.

CAPUT LXXII.

Qua lege novitii ante consecrationem eorum habeant.

* Quando domno abbati novitios ad monachicum ordinem promovere placuerit, prius a magistro eorum admonitus, facit inde mentionem in capitulo: et si in eodem die benedictionem fratres accepturi sunt, tunc magister jussus eos adducere, aufert ab eis capitia. Postquam autem introducti veniam petierint, eamdem petitionem repetunt quam in primordio susceptionis suæ fecerunt. Eodem modo agitur, si aliquandiu ablatis capitiis in cella sua sunt commorati, ac deinceps quindecim diebus vel minus, si abbati videtur, a conventu separati, ibidem manent ; excepto quod in choro minori divino operi intersunt. Nam in his diebus non solum dormiunt in prædicta sua cella,sed ibi lectioni vacant et comedunt. In eisdem quoque diebus ad pacem, et ad communionem non accedunt, neque offerunt. Quotidie matutinali missa audita in capitulum fratrum veniunt, ibique super scamnum et scabellum, quæ sunt in dextra parte prope ostium sedent, nullo se intermiscente, nisi solo illorum magistro. Ibi quoque sedent, usque dum sententia regulæ lecta sit et exposita, sive ut in festis diebus solet, lectio evangelica. Ut autem post sermonem domnus abbas dixerit, *Loquimini de ordine,* statim *ante et retro* facientes, præcedentem magistrum suum sequuntur in cellam suam, ut ibi solitum inter eos habeatur capitulum, in quo etiam, si quid tale commiserint, a judiciali sententia immunes non erunt, et propter hoc magister eorum aliquem provectioris ætatis fratrem ibi habet secum, qui in eis judicium faciat, nisi alicui novitio hoc injungat.

Quando conventus post matutinum et vesperos processionem facit ad S. Mariam, ipsi ultimi sequuntur, et ecclesiam non intrant, sed exeuntem foras in capitulo conventum exspectant, et tunc proprius accedentes, stant per ordinem inclinati adjuncto magistro, usque dum omnes transierint. Quando autem sunt pransuri, ante conventum ex-

eunt de ecclesia, et lotis manibus a lavatorio suo pergunt ad coquinam, ut singuli fabas suas apportent. Ad generale quoque apportandum et pulmentum, tot surgunt quot opus fuerit, et ille voluerit qui in loco eis cellerarii servit. Hoc est etiam eis observandum, ut pulsationem scillæ suæ ita communi fratrum coæquent, ut non prius incipiant, sed tamen citius finiant. Ante refectionem autem unus eorum librum accipit, et tandiu legit quousque eum magister eorum præsidens ad scillam cessare jubet. Qui cum cæteris manducant juxta finem refectionis iterum surgit et parum legit, et cum *tu autem Domine*, lectionem finit. His autem aliisque modis, prout possunt, eam imitantur disciplinam, quam nos in refectorio habemus. Sed et hoc eis sciendum, quod post refectorium ibi in cella debent finire absque psalmo versum sic, ut prius ad locum inclinationis veniant quam conventus de refectorio transeat. Qui videlicet locutus est ante refectorium, ubi post singulas refectiones debent inclinati stare, et ordinati ab ostio refectorii usque ad gradum dormitorii conventu de refectorio exeunte, similique ante eos inclinatione, transeunte. Quem et ipsi subsequuntur simul cantantes psalmum, quem prius prætermiserunt.

Quocunque autem habent pariter ire, magister eos debet præcedere, et cum inclinantibus ubique pariter inclinare. Si quis eorum de ecclesia ad cellam ipsorum ire voluerit, non præsumit, nisi vel uno socio secum assumpto, et, si nox est, non sine lumine. Ad collationem fratrum conveniunt; inde surgente conventu, ipsi inclines stant in eodem loco ubi sederunt, usque dum omnes pertranseant. Quando alii ad mandatum, vel infra collationem bibunt, ipsi in cellam suam divertentes idem faciunt. Sane sicut sunt novissime ecclesiam intraturi, sic quoque post aspersionem aquæ benedictæ novissimi sunt exituri. Quanto tempore sunt spoliati capitiis non ponitur absconsa coram eis, sicut nec in illis duabus noctibus post nocturnos, post novitiorum acceptam benedictionem. Nunquam post nocturnos neque de capitulo, si opus fuerit sine lumine licet eis exire; sed unus qui inter eos prior esse videtur, cum laterna cæteros antecedit. Dominicis diebus aliis ad processionem exeuntibus, ipsi in exitu ecclesiæ intra ipsam ecclesiam stant ordinati inclines, donec pertranseant fratres. Interim dum sunt sine capitiis, possunt albis et cappis licenter indui, sicut et alii cuilibet processioni, quæ extra monasterium non agitur, intersunt, sed ultimi præcedente magistro eorum; et ad stationem quæ in vestibulo agenda est, ipsi retro post seniores quasi lineam facientes, stare debent.

CAPUT LXXIII.

De iterata novitiorum petitione.

* Finitis autem prædictis diebus, cum jam monasticæ vitæ benedictionem sunt accepturi, post priorem missam non ad capitulum fratrum, sed in cellam suam cum magistro conveniunt, ibique inte-

A rim exspectant, donec eodem magistro in conventum redeunte, et capitulo aliquantulum protracto, domnus abbas jubet eos ad idem capitulum sibi repræsentari. (UD.) Venientes autem et veniam petentes iterum interrogati, quid velint? ita prostrati respondent, sicut initio susceptionis suæ fecerunt. At vero postquam surrexerint, iterum domnus abbas, ut prius, aliquanta insinuat de austeritate regularis disciplinæ, et inter cætera non reticet; melius esse, ut sine benedictione ad sæculum redeant, quam accepta benedictione non perdurare. * Tunc si qui inter eos sunt (quod absit) qui perstare nolunt, magister eorum in cella ipsorum exuet eos, et sic redditis pristinis vestimentis suis illæsos sinet abire: qui statim ad pedes ejus venientes bini et B bini, et si tres remanserint, hi simul ad pedes veniunt, sicque exeuntes de capitulo diligenter instruuntur quid in ipsa benedictionis acceptione debeant agere. Eo die quo ordinantur, ad singulas horas psalmus *Levavi*, si domnus abbas ad præsens jusserit, pro eis cantatur, et ipsi propter hoc ad pedes ejus volvuntur.

CAPUT LXXIV.

De benedictione novitiorum.

(UD.) Post evangelium majoris missæ mox rite benedictio est agenda, et hoc modo inchoanda. Singulis scriptum est, quomodo profiteantur quod est hujusmodi. *Ego frater Ill. promitto stabilitatem et conversionem morum meorum, et obedientiam secundum regulam sancti Benedicti coram Deo et sanctis* C *ejus in hoc monasterio, quod est constructum in honore beatæ Mariæ semper Virginis in præsentia domni abbatis.* (*var.*) Hoc unusquisque, ut ad gradum perlegerit in brevi sua, statim ipsam brevem ponit super altare, jugiter ibi reservandam. Si litteras nescit, magister pro eo legat, ipse tamen signum crucis in fine ejusdem chartulæ propria manu scribit; sed hoc litteratus non facit. Cum autem perlecta fuerit, ipse novitius de manu magistri eam accipit, et super altare ponit. Qua posita et altari osculato parumper retrocedit, et veniam super genua petit, statimque in locum suum ante gradum redit. (UD.) Cumque ordinatim ante gradum steterint, petunt ter veniam super manus et genua, ter etiam hunc versum dicendo, *Suscipe me, Domine, secundum* D *eloquium tuum et vivam.* Et toties a toto conventu similiter eis respondetur, tertia vice, *Gloria Patri* adjuncto gyrum faciunt poplitibus flexis et postea prosternunt se ad orationem.

Domnus abbas, sive illam missam celebret sive non imponit: *Kyrie, eleison. Pater noster:* et post *Miserere*, et præmissis his versiculis: *Salvos fac servos*, etc. *Mitte eis, Domine*, etc. *Nihil proficiat*, etc. *Esto eis, Domine, turris fortitudinis.* Sequuntur hæ collectæ: *Deus indulgentiæ Pater. Deus qui per coæternum Filium tuum*, etc. *Domine Jesu Christe, qui es*, etc. *Veni, sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum*, etc. Cucullas ita benedicit: *Domine Jesu Christe, qui tegumentum*, etc. Si novitii, sua benedictione finita,

consurgunt ab oratione, et si plures sunt in eodem loco stantes, aqua benedicta asperguntur : si autem pauci, in sanctuarium veniunt, ut ibi ab abbate aspergantur. Exuunt froccos et induunt cucullas : et inter exuendum dicturus est ad singulos domnus abbas : *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis,* et inter induendum, *Induat te Dominus,* etc. Tunc fratres, qui in sanctuario sunt circa ipsos, ab ipso domno abbate incipientes osculantur, deinde circumeunt per chorum, præeunte magistro eorum,* et fratres quotquot possunt usque ad tempus offerendi osculantur, incipientes ab his qui chorum tenent, vel, si illi desunt, ad formas de senioribus. Nam ipsi soli eo die offerunt ; si tamen duodecim lectiones sunt. Sed ad osculandum postea non redeant, etiam si prius omnibus osculum non dederint. Ad pacem ultimi, ad communionem accedunt primi. Tot esse possunt, ut in his tribus diebus, etiam si privati sint, nemo, nisi soli novitii ad majorem missam offerat, aut ad pacem et communionem accedat.

Sed notandum quod monachus, qui de alieno monasterio venit, et ipso die chartulam suæ professionis legere debet, primus omnium legit, et si prius in conventu aliquem superiorem locum habuit, mox tamen sua sponte, qualiscunque persona sit, ibi in choro in ultimum locum litteratorum debet ire, si ipse est litteratus : in capitulo vero et in refectorio etiam conversorum erit ultimus.

CAPUT LXXV.

De habitudine novitiorum in illo triduo post benedictionem.

In his tribus diebus caput non denudant jugiter capello coopertum; in cucullis dormiunt : sed tamen froccos exuunt : calceos quoque et cultellos deponunt : coopertoriis se operiunt : pellicos de cucullis extrahunt, si placet : nihil omnino loquuntur, et propter hoc cum sermo finitur in capitulo inde exeuntes in ecclesiam vadunt, et per tempus loquendi omnino ibi persistunt. In minori choro operi Dei intersunt, ibique illas tres orationes ante primam faciunt. In eisdem diebus quoque nulli processioni intersunt, nisi quæ ad sanctam Mariam agitur. Cotidie offerentes ad pacem et ad communionem accedunt, quod non omittunt etiam si aliud quid eis contingit dormiendo. Si in refectorio sonitum vel aliud quid hujusmodi fecerint, ita cucullati veniam petunt. (UD.) Tertio tandem die ad majorem missam, vel si domno abbati videtur, ad missam quæ infirmis canitur ad S. Mariam, cum sacerdos eos fuerit osculatus, de capitibus eorum abstrahit capellum, et de cætero licet eis sicut aliis fratribus loqui et exuere cucullas.

Si quis infirmus (ut aiunt) *Ad succurrendum* benedictionem accipit, et præ infirmitate silentium tenere non potuit, ante alios professionem ad gradum facit, et cum aliis, qui benedicuntur, capita contegentibus, ipse quoque contegit : omnia quæ illi faciunt eo triduo similiter facit, et quod prius omissum erat,

A suppleatur. Hujusmodi autem adjutus benedictione, capitulo caret, si domnus abbas eum non consecravit ; et quamvis in ordine extremus sit, tamen novitiis omnibus superior erit. Postquam autem et ipsi consecrati fuerint, in ordinem suum priorem descendit.

CAPUT LXXVI.

De sæculari qui ad extrema veniens monasticari se petierit.

* Si quando sæcularis aliquis ad extrema perveniens monastici habitus consecratione se juvari petierit, a domno abbate, vel si ipse non aderit, vel etiam aliqua necessitate præpeditus ad eum venire non potuerit, a priore (tamen vice ejus) monachico habitu induitur et consecratur, sicut et quilibet no-

B vitius in claustrum receptus, si ita fuerit infirmatus (ut aiunt) *ad succurrendum* ordinatur. Nam verbo tantum prout potest, facit professionem, et consuetæ orationes super eum dicuntur. Quod si obitus ejus adeo prope esse cernitur, ut credatur tamdiu non posse vivere quousque benedictionem tali modo percipere possit, cuculla tantummodo benedicta induendus est, et statim, si pati potest, ad monasterium : si autem in eodem loco mortis debitum solvit, in claustrum tamen recipitur, et inter fratres sepelitur. Si vero ad monasterium allatus de infirmitate convaluerit, post primam vel alio tempore post tertiam in cellam novitiorum per infirmarium in capitulum pro petitione facienda per magistrum dicitur ; sed quamvis monastica benedictione adjutus sit, tamen

C capitulo carebit, etiamsi a domno abbate consecratus sit, nisi ipse præsens vel eo absente prior jussu ipsius hoc concesserit, quousque cum aliis, qui benedicendi sunt, professionem faciat, et cætera, quæ in tribus diebus agenda usus postulat. (UD.) A tertia autem die, qua per sacerdotem (sicut dictum est) de capitibus eorum cucullæ abstrahuntur nequaquam ulterius a capitulo separantur, et domnus abbas secundum gratiam, quæ singulis est data, eos jubet de cætero in ecclesia servire scilicet ut legant et cantent, qui hoc sciunt.

CAPUT LXXVII.

Quod diligenter examinandi sint novitii sacerdotes et levitæ, antequam officium suum agere permittantur.

D (UD.) De his tamen, qui vel sacerdotes sunt vel levitæ, diligenter examinatur quomodo sint ordinati, qualis sit eorum conscientia, et per aliquot tempus probatur eorum conversatio, quam ad hujus ministerii licentiam permittantur. Præcipue qui sacerdos erat antequam veniret omnino ab hoc officio prohibetur, usque dum sæpius perspiciens addiscat quam multiplici studio tale sacramentum tractetur a nobis. * Quando autem domnus abbas hujusmodi licentiam novitiis per se vel per nuntium dederit, admonente magistro eorum, non ad pedes ipsius sicut nec prioris in loco ejus sedentis veniunt ; sed tantum inclinant in sedibus suis. Quod et tunc faciunt, si jussi coram assistunt, et sacerdotibus quidem novitiis mox

deputabuntur fratres hujus officii periti, singulis singuli, qui eos studiose instruant, quam magna diligentia apud nos hæc tractentur sacramenta. Nulli tamen novitio quantumvis perito infra dimidii anni spatium, absque magna necessitate, licet apud nos majorem missam celebrare. (UD.) Sed ut hic meminerim tam qui examinantur, quam qui jam examinati aliquomodo servire jubentur, unusquisque eorum sedens in capitulo diligenter attendit, ut animadvertat, si est ad ullum scriptus obsequium, quod vel in ecclesia vel extra sit agendum.

CAPUT LXXVIII.

De hebdomadario cantore.

(UD.) Si est ad invitatorium notatus, antequam ipsum inchoet, stans ad gradum cum suo collega, vel quando finit, utraque vice facit ante et retro.* Sed, priusquam ipsum invitatorium incipiat, et postquam inceperit, etiam et antequam post *Gloriam* iterum incipiat, unum servat modum inclinandi, id est in anteriora tantum. Verum post ultimum psalmi *Venite* versum aliquamdiu stat inclinatus, dum invitatorium cantat conventus. Et sive duo vel quatuor *Venite* præcinant, hanc inclinationis legem observant. (UD.) Si ex duobus invitatorium cantaturis prior est notatus, tunc etiam erit hebdomadarius, et per totam hebdomadam tam in tribus, quam in duodecim lectionibus *Venite* cantabit; nec tamen amplius, * nisi in sabbato prioris hebdomadæ ad hoc est notandus; excepto si talis festivitas supervenerit, in qua a quatuor canendum est; tunc item ipse prior in tabula est notandus; cum quo tamen in duodecim lectionibus non transactæ hebdomadæ cantor, sed potius is, cui armarius unaquaque vice id injunxerit, *Venite* cantabit. Quoties autem quatuor invitatorium cantare debent, hi quatuor ad tertiam quindecim graduum incisionem de choro exeunt, et prius lotis manibus sacristiam intrant, ac albis vestiuntur et cappis, et illo versiculo *Domini est salus* imposito, chorum intrant, eo modo, ut altiores in sacro ordine medii, inferiores ad gradum consistant ultimi, et unusquisque, si fieri potest, in parte sui chori. Nam etsi omnes de uno choro sint, hunc tamen ordinem intrando observabunt. Deinde consuetudinali, sicut præmissum est, inclinatione completa, invitatorium moderate incipiunt, et simul primum versum hi, qui in dextera parte stant, percantant, ac deinceps totum psalmum alternatim, secundum unum, et secundum alterum versum cantantes usque *Sicut erat;* ibi omnes simul cantare debent. Ante versum illum, *Hodie si vocem*, invitatorium, si opus fuerit, ab armario altius est imponendum.

Sed, ut redeam ad hebdomadarium, ipse per totam hebdomadam officium majoris missæ imponit præter versum offertorii, de quibus imponendis armario signum facit. Quod si aliquando in sequenti hebdomada missa matutinalis festive canenda est, officium ad hanc quoque imponere pertinet ad ipsum, etiam si pro defunctis, ad quam etiam ultimus erit offerentium. (UD.) Cum in die Dominica vel in qualibet ei simili omnia signa ad majorem missam sunt pulsanda, ad eum pertinet, ut primus scillam incipiat pulsare, et ut chorus teneatur ab ipso. Cappa se induit, quam ipse sibi inter sonum vel psalmos apportavit. * Si sacerdos est, post evangelium imposita oblatione potest pro cantanda missa vel alia hujusmodi necessitate licentiam accipere, et data alicui (106) de oblatis cappa, factoque ante et retro discedere. UD. Qui et incensum sibi allatum, quo corpus Domini ante consecrationem est incensandum, ponit in thuribulum, quod etiam facit in Virginum principalium festivitate. * Quotiescumque tempus et locum potest habere, licet ei sedere. Cæteris inter cantandum se inclinantibus, ipse quoque inclinat; excepto quando *Sanctus* cantatur, tunc enim stat erectus. Postquam etiam Dominica oratio finita fuerit, statim se erigit. Ad collectas vero primas et ultimas et ad secretas per totum inclinis erit. Finita missa, a loco suo non discedit, priusquam mensæ lector benedictionem acceperit. (UD. *var.*) In duodecim lectionibus ad nocturnum et matutinum, antiphonas ad quas notatus est, imponit; in aliis noctibus quæque in suo choro imponendæ sunt, ab ipso imponuntur, tam in sequenti hebdomada quam in præsenti. Nihilominus ad horas omnes regulares imponit antiphonas, præter ad vesperos, ad quos non imponit in tali festivitate, in qua singula responsoria a duobus cantantur: nam tunc primam tantum imponit, reliquas armarius quibus sibi videtur imponendas injungit.* Si talis festivitas supervenerit, in qua una antiphona canenda sit super feriales psalmos in priori vespera, hac etiam ab hebdomadario imponitur. Similiter quoque primum quodque responsorium tam breve quam longum, quod ad matutinum sive ad vesperos est cantandum, ipse cantat, nec tunc ipse subtrahit se, cum duo id vel plures cantabunt. Litania missam antecedens, quæ ad processionem canitur nequaquam ab eo qui fuit transactæ hebdomadæ, sed potius ab his quibus armarius librum porrigit, præcinitur: qui aliquantulum antequam finiatur oratio illa, *Deus cujus miseratione*, ad gradum procedunt, et inclinantes se tantum ad altare, statim finita oratione, litaniam incipiunt. Prædictus autem hebdomadarius, quotidie ad majorem missam, licet de sinistro choro sit, sed quando cappa amictus incipit, dexter chorus illum adjuvat. Quando autem omnes sumus albis induti, non ad eum, sed ad armarium pertinet missæ majoris officium.

(106) Huc pertinet quod Trithemius Chron. Hirsaug. pag. 229 de sancto Wilhelmo habet: *Instituit etiam vir Dei Wilhelmus exemplo Cluniacensium consuetudinem oblatorum, quos manere in pristino habitu sacra constitutione permisit: quorum ministerio in multis uti rationabiliter consuevit, in his maxime, quæ in medio sæcularium, quo Barbatos* (Conversos) *mittere, vel monachos non licebat, peragenda videbantur*. Consule loc. cit.

CAPUT LXXIX.

De eo qui notatus est ad primam antiphonam.

(UD.) Quod si hebdomadarius non est, et tamen ad aliquam nocturnorum antiphonam est notatus, cum imposuerit eam finito primo versu Psalmi facit ante et retro, nisi contra altare sit : nam illi omnes, * qui in eo latere stant, ubi est sedes domni abbatis, tunc tantum in anteriora inclinant. Quod si eam omnino neglexerit, ita ut ab alio incipiantur, propter hoc nec ibi, nec postea in capitulo veniam petet, nisi inclamatus fuerit. Si autem incipiendo eam fallitur, statim veniam petit priusquam se inclinet ; si tamen in verbo fallitur. Nam propter Neumas (107) nemo veniam petit, quia hoc nec sanctus Benedictus præcepit.

CAPUT LXXX.

De eo qui notatur ad aliquam lectionem.

Si ad lectionem est notatus, antequam legat, veniens ad gradum facit ante et retro, et inde ad analogium multum inclinis accedit et recedit ; nisi ea vice, quando conventus nondum consedit ; si tamen analogium ita est positum, ut lecturus transire debeat per conventum. (UD.) Postquam perlegerit, rursus ad gradum non solum ante et retro facit, sed etiam illam veniam super manus et genua premittit. (*var.*) A quo etiam notandum hoc moris esse nostri, ut eo tempore, quo prophetæ leguntur in ecclesia, lectio prophetice incipiens, sed historice finiens, cum *Tu autem :* historice vero incipiens, sed prophetice finiens, cum *Hæc dicit Dominus* terminetur ; * *Tu autem* etiam dicitur ad finem cujusque codicis prophetarum perlecti.

CAPUT LXXXI.

De eo qui notatur ad aliquod responsorium.

(UD.) Quod si ad responsorium notatur, hic quidem moderate inclinat, et antequam imponat et postea finito versu vel *Gloria Patri*, (si hoc est adjungendum) facit et ibi ante et retro, et post versum ad aliud momentum inclinem se submittit. Et si cum alio est cantaturus, ad gradum cantabit.

CAPUT LXXXII.

De sacerdote hebdomadario.

(UD.) Quod si scriptus est, ut sacerdotio fungatur et in præsenti septimana majorem missam cantaverit, etiam sequenti matutino cantabit aliquam, sive in monasterio, sive ad S. Mariam cantanda. In ipso accessu diaconus et subdiaconus linteum altaris explicant, itemque, finita missa, complicant. UD. De his autem, quæ sacerdos dicturus est, non pauca corde tenus scire debet, primum tres collectas ad cantum quindecim graduum ante nocturnos, vel, si psalmodia protenditur usque ad finem psalterii, collectas ad suffragia sanctorum, collectas ad officium pro fidelibus defunctis, collectas ad psalmos pro familiaribus, collectas ad psalmodiam *Deus auribus*, cursum ad rasuram. * Usus quoque nostros multifarie scire debet, maxime in collectis dicendis et ordinandis, UD. ut in conventu nihil unquam dicat, quod ab usu ullo modo dissideat. Scire autem debet,

A quod si aliquando post familiares psalmos aliquid sequitur continuatim, * ut est officium vel missa defunctorum, processio vel litania, non dicitur *Benedicamus Domino*. Si quis præ senectute, vel ingenii tarditate præscripta non potest memoriter discere, nullo modo ei conceditur quidquam horum in conventu contra ordinem facere. (UD.) Cui autem, hoc exigente convenientia, conceditur, quantumlibet sciolus sibi de omnibus videatur, tamen non debet dedignare frequenter, sicut et cæteri omnes, qui ad aliquod divinum officium sunt prænotati de quibus incerti sunt, armarium interrogare. * Si inde locum habet, ad formam vel in extremitate parietis, per illam hebdomadam quando notatur ad missam, locus ei parumper altior ad parietem est conceden-
B dus propter reverentiam injuncti sibi officii, et ut competenter a conventu possit audiri. Qui etiam observare debet ut nullam horam inchoet, priusquam signum dimittatur. Quoties autem duodecim fiunt lectiones inter cantum vel prius, si voluerit, ad lavatorium manus lavare debet ; quare post nocturnos non prius exit de choro, UD. quam ex alternatione modulantium ventum fuerit ad illum versum *Pleni sunt cœli :* sed tunc exiens statim sacrarium intrat. vestitur alba, stola, et casula, perlectoque Evangelio audiente, si opus est, armario ; * ibidem thus imponit, et sic de vestiario cum processione incedit, ut sacrarium intrare valeat illo versiculo *Per singulos dies* imposito : UD. textumque Evangelii, quem reverenter inter brachia
C portat, reclinat ad pectus, in medio altaris ponit, quem etiam in modum crucis incensat, ibique ante altare ad orationem Dominicam se inclinat. (*var.*) Cum ventum fuerit ad illum versum, *In te, Domine, speravi*, erectus signat se, ac deosculato altari librum tollit, et iterum, sicut prius inter brachia decenter aptat, ut viso eodem Evangelii libro conventus se inclinet, * sicque ad analogium tendit. Sed conversus, qui thuribulum portat, præveniens eumdem sacerdotem, analogium in modum crucis incensat, recedensque non inclinat ; lecto Evangelio, et cæteris (quæ tunc agenda sanctus præcipit Benedictus) rite peractis, priusquam idem sacerdos matutinum incœperit, UD. non se movet a loco, us-
D que dum dixerit cum aliis : *Gloria Patri*, aliquantulum inclinans. Quibus se erigentibus, ipse recedit. Verum semper accelerat, ut prius sit reversus in chorum, * quam primus psalmus matutinorum finiatur : et si *Venite* in albis canitur, ipse albatus in chorum revertitur. Si quinque candelabra viderit ante principale altare, cappa debet indutus incensare, et tunc infra hymnum exit, ut eadem cappa se induicat. Tunc, etiamsi domnum abbatem in choro reliquerit, et si illum antiphonam imponere audierit, cum acerra, quando canticum *Benedictus* inchoatur, ad eum accedit, sequente converso cum thuribulo, et cum osculatione manus, thus ei imponendum porrigit. Quod si domnus abba tunc in choro non

(107) Vide ea, quæ de Neumis supra diximus.

est, ipse in sacristia thure imposito thuribulum accipit, et ad initium prædicti cantici sanctuarium intrat, ut altare incenset.

CAPUT LXXXIII.

Quomodo altaria incensare debeat.

(*var.*) Modus autem incensandi hic est. In primis faciem altaris incensat tribus vicibus, deinde per tres vices superficiem, item in medio altaris, deinde utrumque cornu tribus vicibus in superficie, et semel in transversum ; postea utrumque latus sicut et faciem ; postremo ubi retro stare solent reliquiæ et plenaria (108) in utraque parte ter dirigit manum cum incenso. Postea vero incensat altaria minora choro proxima, et S. Crucis altare, faciens super singula cum incenso semel crucis signum. * Si cujus S. reliquiæ sunt in capella S. Mariæ, cujus festivitas est, illuc quoque vadit, et solum illud altare, in quo sunt reliquiæ, simili modo, ut cætera minora altaria incensabit. Deinde, si domnus abba, vel episcopus, aut alia talis persona in choro est, cum thuribulo intrabit, præmissaque humili inclinatione illi porriget incensum, deinde priori. Sed si nulla harum affuerit personarum, soli priori pro reverentia a sacerdote porrigendum est. At si septem candelabra sunt ante majus altare posita, tunc a duobus est incensandum, et propter hoc sacerdoti alicui sacrista innuit, qui simul cum hebdomadario sacerdote incenset. Hebdomadarius vero, licet inferior ordine, dextram cornu altaris consuetudinaliter incensat, et in suo choro postea rediens stabit. Hi duo, si domnus abba vel aliquis prænominatorum est in choro, simul cum thuribulis debent intrare, simulque eidem et priori incensum porrigere. Quod si Hebdomadarius rogat alium pro se legere Evangelium, postea legens omnia hæc prescripta sciat se facturum. Si autem inde rogatus cum alba redit in chorum, cum ad exuendam albam exierit, suffragia Sanctorum hebdomadarius dicit, et cætera, quæ tunc sequuntur. Si vero absque alba redit, suffragia Sanctorum et cætera usque ad processionem peragit ; et si missam majorem est celebraturus licet cæteræ horæ ad eum non pertineant, horam tamen, quæ missam continuatim præcedit, et Nonam, quæ continuatim prandium subsequitur, Completorium quoque implebit sicut et Vesperas, si incensabit. (UD.) In privatis diebus quoties bis comedimus, priusquam signum ad Tertiam pulsetur, manus ex more lavat ut oratione facta mox se sacerdotalibus induat, et Tertiam imponat ; et tunc ad Litaniam cum sedendo decantatus fuerit ille versus *Omnes*, etc., exit de choro, ut casula se vestiat, et cum processione ad altare veniat. Eundem ordinem exeundi post factam orationem observat, sive Litania missam præcedat. * Si dies est talis, ut nonnisi semel comedatur, vestit se inter cantandum Litaniam : et si processio est agenda, ut in quinta feria Quadragesimæ, non se vestit, donec et ipsa jam facta fuerit * et tunc per minorem chorum discedit ad lavandos pedes, sicque accelerat, ut tempestive imponat thus in vestiario, UD. et sic accedens ad altare portat ipse codicem missalem in brachio sinistro.

* Si quis episcopus vel abbas missam cantare debet, diaconi ejus eundem missalem portare debent. (UD. *var.*) Quo deposito in dextrum cornu altaris inclinat se contra medium altaris ad orationem maxime Dominicam. Qua completa muniens se signo crucis, osculatur altare et textum Evangelii clausum ; si tamen aliquo fabri opere exterius est decoratus ; sin autem, apertum. * Deinde dat locum diacono, ut stare possit prope dextrum cornu altaris ; ipse stat prope sinistrum, et inclinis contra diaconum et subdiaconum : similiter inclines dicant confessionem. UD. Cujus etiam forma ita est præscripta, ut nec ad missam, nec ad horas, quibus est dicenda, verbis amplioribus dicatur quam hujusmodi : *Confiteor Domino et omnibus sanctis ejus et vobis*, *Pater ; quia peccavi in cogitatione, in locutione et opere, mea culpa ; precor vos, orate pro me. Misereatur vestri, Omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia peccata vestra : liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet vos in omni opere bono, et perducat vos ad vitam æternam, Amen.* Adjuncto : *Indulgentiam et remissionem et adjutorium.* Postquam collectas dixerit, diacono dat missalem in sinistro cornu ponendum, nisi secum maluerit ferre, si quid voluerit prævidere. (UD.) Ad Epistolam sedet usque dum ad Evangelium venitur. Diacono lecturo dat benedictionem hoc modo : *Deus misereatur nostri et benedicat nobis.* Ea vice stat ipse prope dextrum cornu altaris, et diaconus prope sinistrum. * Recedente autem eo de altari ad analogium vertit se sacerdos post illum, et ita stat, usque dum perfectum sit Evangelium. Non solum autem ille, sed et totus conventus reverenter se illuc, vertit, ubicumque legitur Evangelium.

CAPUT LXXXIV (109).

Qua diligentia dominici corporis consecratio et communio celebratur.

(UD. *var.*) Dignum videtur, et necessarium hic inserere, qua diligentia quove studio ad Dominici Corporis et Sanguinis consecrationem serviatur. Primum propter hoc ipsum factum est unum armariolum ante faciem majoris altaris optime compaginatum, et intrinsecus pannis undique vestitum. In quo nihil aliud reconditur nisi illa utensilia quæ necessaria sunt ad Missarum solemnia, dumtaxat in Conventu generaliter agendarum ; id est præcipue duo calices cum patenis diversæ quantitatis, et duo corporalia, unum duplum, sicut omnia Corporalia solent esse ad privatas missas, alterum simplum. Minor calix cum duplo corporali ad matutinalem missam, major cum simplo ad majorem. Nam et unum simplum semper in sinistro cornu est altaris in una capsella cum serico decenter ornata, ut a prioribus nostris

(108) *Plenaria* f. capsæ, vel ornamenta.

(109) Vide caput 35. Ordin. Cluniac. part. I. per Bernardum.

accepi, propter hoc, ut ad manum possit esse contra periculum ignis, quod si forte contigerit; quia multum valet apportatum. Item ibi est patena mediocris et argentea et ejusdem metalli scutella, habens operculum ejusdem metalli fabrili opere colligatum. Ibi ampullæ ad subministrationem vini et aquæ. Nam et in ampulla vinum ante consecrationem solet offerri. Ibi urceus argenteus cum appendicio suo ad manuum ablutionem. Ibi linteola plura, sine quibus singula sacrata vasa nec lavantur, nec quoquam portantur. Ipsum quoque armariolum habet in medio tabulatum, ut quæque sacratiora sint sursum, cætera deorsum. Ad initium missarum referatur a majore custode ecclesiæ, vel ab ejus suffraganeo, qui tunc est hebdomadarius. Panno eodem desuper operitur, qui et patenam ibi ponit simul cum corporali : calicem vero cum linteolo in longum extento tenens, et desuper operiens portat ad amphoram aquæ, quæ de stanno semper est in ecclesia, et in loco competenti, ut omnes ibi calices laventur, quorum usus est ad privatas missas. Ibi quoque tunc hebdomadarius apportatum calicem diligenter lavat aqua bis infusa : etsi non est sacerdos vel levita, quærit ad hoc sibi vicarium alterius ordinis, ut in quarta feria, et in sabbato manu interius missa bene in fundo ipse calix confricetur, ne forte aliquantulum fœtiscat propter vini crebram infusionem ; ergo lavatus reportatur, et super armariolum ponitur.

Subdiaconus anticipat lavare manus, ut ipse ad ministerium calicis sit paratus. Quem interim dum Evangelium legitur accipiens simul cum patena et corporali, experitur si quid aquæ inter lavandum in illo remanserit, et effundit in caveam ad hoc factam in proximo altaris, sicut et altera ibi facta est paululum remotius, ubi idem subdiaconus et alii subministri manus super eam lavent. Stat juxta sacerdotem usque dum Evangelium finiatur. Ponit corporale super medium altare, anterius accedens, calicem quoque retinens et patenam : comitatur sacerdotem procedentem aliquantulum contra fratres, ut a singulis offeratur.

* Perlecto autem Evangelio minister textum ejusdem Evangelii a diacono accipiens, ad osculandum affert sacerdoti, deinde primum offerenti. Hoc semper observatur, nisi in Parasceve, quia tunc perlecta passione, nullus, excepto solo diacono, textum Evangelii osculatur.

Sciendum autem quod in his diebus, in quibus fidei symbolum canitur, minister, qui tunc, sicut etiam in omnibus duodecim lectionibus festis tenet ante, exspectat usque dum idem symbolum pene sit finitum, et tunc accipiens calicem, ut præmissum est, a subdiacono in eandem caveam, si quid de aqua remanebat, infundit, et de super altare corporale ponit. UD. A diacono aqua et manutergium apportatur, et reverenter exhibetur. Qui lavatis manibus accedit ad altare. Et ut hic proprie dicam de majori missa, utrumque corporale, vel quod in altari semper jacet, vel quod a subdiacono vel ministro apportatum est, accipiens, expandit, illud quoque semper illic jacet supponens. * Consummata igitur oblatione sacerdos quoque lavat manus, et tergit cum mundissimo linteolo, UD. quod sibi soli ad hoc est deputatum, cavens postea ne aliud quid tangat cum digitis, quibus Domini corpus tangendum est. Subdiaconus portat hostias ad diaconum secus altare stantem et operientem se, ut de omnibus tres eligat, quas voluerit ad consecrandum. Vinum, quod oblatum est, funditur ab ipso subdiacono in alterum calicem, tantumque relinquit, quod sufficiat ad consecrationem : ad quod tamen ipse non miscet aquam ; quia ei nec vinum nec aquam licet infundere, sed allatam ampullam aquæ simul cum calice dat diacono, ut ille misceat. Dat et linteum, quo calix de foris tergatur diligenter, ne forte quid vini vel aquæ exterius remaneat. (*var.*) Et sic hostiis super altare compositis, subdiaconus cum patena et ampulla revertens, patenam ponit super armariolum et ampullam in loco quo solet servari. Accipit aliam patenam argenteam infra scutellam auream reconditam, et tergit studiose cum panno candidissimo prope armariolum propter hoc ipsum jugiter pendentem, et postea cum linteolo honeste et reverenter hanc involvit. * Interim diaconus thus ad imponendum sacerdoti dat : si privata est dies, sicut in festis diebus, conversus chorum regnanti apportat. Quo imposito altare et sacrificium sacerdos incensat hoc modo : in primis tribus vicibus incensat in faciem altaris, deinde facit tres cruces cum eodem incenso super sacrificium, post hæc super utrumque cornu altaris per tres vices incensat quantum potest extendere manu.

(UD.) (109*) Cum autem dixerit ante præfationem : *Per omnia sæcula sæculorum*, tunc venit diaconus retro stare post sacerdotem, subdiaconus ante gradum in ipso accessu contra altare inclinans, quod et minister in duodecim lectionibus est facturus, ibique stat sursum tenens patenam, ita ut præmissum est, coopertam. Stant autem erecti, usque dum ad hoc ventum fuerit, ut cantetur *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Postea inclinati esse debent, et ad orationem intenti, usque dum per sacerdotem Dominica oratio sit finita. In quacunque autem incessione subdiaconus et minister omnino debent cavere, ne prius post sacerdotem veniant, quam diaconus, ubicunque incensaverit, redeat. Notat quoque diaconus quando sacerdos inter canonem se inclinaverit, ut postea cum illo se erigat, calicemque cum eo discooperiat, et cum levante levet, iterumque repositum cooperiat ; prius tamen in ipso accessu osculatur altare, ac deinde sacerdotis brachium parum infra humellum. Deinde post Dominicam orationem accipit a subdiacono patenam ita cum linteolo daturus

(109*) Variat hic, cum integri § §. a Wilhelmo qui in codice Udalrici habentur, omissi sint.

sacerdoti osculando manum ejus, sicut et subdiaconus sibi. Sacerdos autem ponit eam ad pedem calicis, et postquam fregerit hostiam, unam portiunculam (ut mos est generalis) mittit in calicem, duas super patenam, et cum corporali tegit utrumque. Prius autem super ipsum calicem digitos diligenter excutit, ne quid forte inter frangendum de corpore Domini adhæserit. Quibus adhuc cum omni studio clausis, et ad pectus applicatis (110), brachio dextro super sinistrum posito, primum diacono et subdiacono tum etiam ministro dat pacem, et si quid de corpore Domini remaneat, hoc ipse accipiat. Et postea descendit propter ipsam pacem ad fratres, ipso diacono interim prope altare stante, et ne qua negligentia in Dominico corpore vel sanguine contingat providente. Sed subdiaconus patenam ad calicem pertinentem, quam posuit super armariolum, reportans, simul cum linteolo ponit super altare, et postea stat inclinis ad supplicationem ad cornu altaris dextrum, usque dum redeat sacerdos. Qui rediens portiunculam Dominici corporis accipiat, ac deinde patenam, super quam corpus Domini est dividendum, mittit in scutellam, quam minister altaris allatam de armariolo tenet super reclinatorium; deinde est in dextera parte altaris, propter hoc maxime ibidem factum inter duas ciborii columnas, statim diacono corpus Domini tribuit ac deinde ipse sanguinem sumit, et calicem diacono dat. Cum quo ille mox in competentem locum secedit, ut ipse, et si quis de fratribus corpus Domini sumpsit, de eodem sanguine Domini communicare possint.

Deinde vero subdiaconus corpus Domini accipit, et post eum omnes qui volunt, ac novissime minister, qui tenet scutellam, si quid remanet; prius tamen veniam petunt; et qui in albis vel in cappis sunt tantum se super manus submittunt; sed postea veniam petere vel saltem quoque inclinare devitabunt, etiam si domnus abba illis obviaverit, quousque de vino biberint. Debent autem singuli scutellæ ita se adjungere, ut si forte inter sumendum aliquando corpus Domini vel de ore sumentis, vel de manu tribuentis lapsum fuerit, non nisi in scutellam cadere possit. Si de alio choro communicare voluerit, quam de eo, in quo offertur, accepta licentia in ordine suo ad pacem et ad communionem accedit. Si quis vero de choro suo in alterum chorum ad missam ire jubetur, hic non sine licentia cum eodem choro ad pacem et ad communionem accedit, nisi perstare debeat. Si vero ea die hoc in choro suo agitur, pacem debet accipere, et si vult, potest communicare.

Notandum autem, quod omni privata die, non plures quam quinque ex consuetudine ad communicandum procedunt, cum hostiæ tantum in tres partes dividantur. Postquam autem subdiaconus corpus Domini acceperit, statim ad diaconum cum arundine et ampulla venit, de qua vinum in calicem

A fundit, cum sanguinem deinde a bibentibus minui viderit. Inde quoque, cum primum se inde expedierit, et ultimum ad altare communicare perspexerit, accipiens alterum calicem de armariolo, sacerdoti ad abluendos in eo digitos simul cum ampulla vini apportat, ac primo paululum vini eidem super quatuor digitos, quibus corpus Domini fregerat, fundit. Quod sacerdos, postquam ebiberit adhuc secundo quod infunditur bibit, ut et ille calix utcunque abluatur.

Postquam omnes Dominico sanguini communicaverint qui corpus Domini acceperant, novissime ministro defertur, ut et ipse de eodem Domini sanguine bibat, si tamen corpus Domini acceperat: nam ex usu non communicat, nisi aliqua pars corpo-

B ris Domini remaneat. Interim vero diaconus corporalia complicat, tollensque patenam, quam subdiaconus posuit super altare, dat eidem hanc cum corporali. Eodem momento minister accipit scutellam, in qua est argentea patena, et tam ipse quam ille qui calicem tenet, ambo recedunt retro post sacerdotem stantes; qui cum calice contra dextrum cornu altaris, qui cum scutella contra sinistrum. Contra quos illuc secedentes totus conventus pro reverentia Dominici corporis et sanguinis veniam petit. Ille autem qui portat candelabrum, postea quam sacerdos a pace redierit, sursum hoc tenet levatum, nec prius hoc deponit, quam post communionem prima collecta inchoaverit finiri. Mox etiam patena

C simul cum calice ad armariolum reportatur; ubi quantumlibet sit clara dies, tamen cum candela utrumque diligentissime consideratur a subdiacono et alio servitore, si quid forte minutissimum remanserit de corpore Domini. Et si quam majorem partem minister viderit remansisse, hanc non tangit manu, sed lingua tantum levat et sumit; si prius tamen ipse communicavit: quod si non fecit, subdiaconus illud absumit. Verum sive quid remanserit, sive nihil, non tamen hoc negligitur, ut patena, in qua corpus Domini est divisum, duabus vicibus cum vino cautissime lavetur, quod e calice super scutellam posito receptum non minori reverentia ebibitur, quam si esset ipse sanguis consecratus.

Recedens autem ab altari sacerdos, dat librum missalem diacono reportandum. Stolam ipse com-

D plicat, nisi forte sit, ut in festis præcipuis, deaurata; tunc enim est a sacrista complicanda. Sciendum autem, quod sacerdos cæterique ministri altaris, quando nona continuatim missam sequitur, vel vespera, ut est in Quadragesima, postquam se exuunt, orationem, quæ ad illam horam pertinet, in secreto loco faciunt.

In privatis diebus hostiæ non consecratæ portantur in refectorium, ut his, qui eo die non communicaverunt, per manus sacerdotis hebdomadarii et prioris hebdomadarii distribuantur. Quod hoc ordine fieri solet, ut primum tribuatur de ipsis hostiis

(110) Bernard. Ord. Cluniac. part. I, cap. 35, habet: *et manus in modum crucis ad pectus applicans.*

domno abbati, posteat utrinque ad dextram et sini- A stram ipsius abbatis incipitur, et usque ad finem utriusque parietis distribuuntur, sicut et postea ad lineam agitur, et tribuentium manus osculantur singulis.

Benedicens tres cruces facit contra mensam principalem, contra sedentes in opposito, contra inferiores se; ad potum vero non nisi unam. Si ad benedictionem primam defuerit in refectorio et postea supervenerit, ipse cætera, quæ restant, dicat. Post completorium priusquam finiatur tertia oratio, exit de choro ad aquam benedictam, ut cum ea singulos aspergat.

CAPUT LXXXV.

De benedictione frugum novarum, ab eodem hebdomadario facienda.

* Sunt adhuc quædam benedictionum diversitates, B quæ, quoniam a sacerdote sunt dicendæ, non hic sunt reticendæ, ut est benedictio uvarum, quæ etiam in multis libris missalibus habetur, et maxime ad nomen sancti Sixti. Quæ si nondum sunt maturæ, Decanus villæ observat, ut quando primum maturescant, custodi ecclesiæ eas deferat, quatenus ille sacerdoti inter canonem (111) ad horam competentem et prænotatam benedicendas offerat. Ubi etiam amarius non debet deesse: nam sacerdoti orationes super his dicendas ipse ostendit. Postea in refectorio benedictæ uvæ per sacerdotem et prioris septimanæ hebdomadarium distribuuntur in loco hostiarum, quod non omittitur, etiamsi est Dominica dies. Sunt præterea et aliæ tres species, quæ ex more in refectorio benedicuntur, id est novellæ C fabæ, novus panis, et mustum; et hoc modo. Lectio ad mensam prius inchoatur, post cujus primum versum stans sacerdos in medio refectorii ante principalem mensam, præmissa salutatione, singula benedicit absque stola. Fabas ita: *Benedic Domine hos fructus.* Panem ita: *Benedic, Domine, creaturam panis.* Mustum ita: *Domine omnipotens Jesu Christe, qui ex quinque panibus;* et reliqua.

CAPUT LXXXVI.

De privata missa quomodo sit cantanda, id est, legenda.

(UD.) Sacerdos si privatam missam cantare voluerit, innuit converso cum signo crucis, quod est signum cantandæ missæ. Qui continuo sequens illum ad locum, ubi sunt utensilia recondita ad missarum D solemnia, accendit candelam, ponit in sinistrum brachium sacerdotale vestimentum, ita ut limbo albæ subtus verso librum missalem superponat. Sacerdos autem etsi prius, sicut et conversus, ad lavatorium in claustro manus laverit, studiosius tamen et de vase in ecclesia ad hoc opus destinato eas lavare non omittit; calicem quoque jam cum vino et aqua immixta paratum ad sacrificium similiter et patenam cum hostia et corporali superpositam, insuper et duas accipit ampullas, unam vini, alteram aquæ, ipsas quidem cum sinistra levans ambas, et calicem dextera, patenam cum corporali pollice retinens desuper imposito, et ita sequente converso pergit ad altare, ubi est cantaturus.

(UD.) Ad vestimentum autem non est improvisum nec omissum, ut ad singula altaria, una sit tabula, in qua ponatur unum lignum patulum et muro infixum, super quod ponuntur ampullæ. Pendet quoque in promptu manutergiolum ad quod sacerdos, postquam se induerit, lavatas tergit summitates digitorum, quibus necessario res tangit sacratas. Ubi ergo conversus vestimentum et lumen, sacerdos quoque ampullas in loco suo deposuerit, tenens calicem ipse a parte dextra, et conversus a sinistra, accedentes ad altare, facta a converso genuflexione, complicatum altaris explicant, et calice in medio altaris, ac libro missali in dextra parte positis, * sacerdos exuens tunicam ante altare, facit genuflexionem. Interim adjutor ille soluto vestimento humerale ei expansum, applicat, deinde albam inferius expansam, sed ex parte capitii complicatam contra illum tenet. Qua induta post cingulum dat fanonem (112), deinde stolam; quam cum necdum sacerdos posuit super collum, (*var.*) si ad horam regularem pulsatur signum, adjutorem suum mittit ad priorem et accepta licentia missam cantabit. Ad signum ante tertiam, si citius solito ad lavandum pulsatur, vel ille ex aliqua necessitate impeditus saltem ante idem signum manus abluit, ab incepto suo non desistit, et semetipsum, et adjutorem suum aqua benedicta aspergit; quod etiam si statim post litaniam cantare voluit, non omisit.

Inter tenendum stolam confessionem dicit, respondente sibi converso versum *Misereatur*, ac statim adjungente confessionem; cui dum ille respondet, deosculando stolam sibi ipse imponit, *Indulgentiam* cum illo versu *Adjutorium nostrum*, etc., mox adjungens; * Converso cum genuflexione hanc ipsam indulgentiam accipiente; qui etiam illi casula induto aptet eam in brachia, et in summitate casulæ juxta morem componit humerale. Tunc ablutis et tersis digitis orationem brevem sacerdos facit inclinis. Qua terminata, erectus crucis signo se munit. Post, osculato altare, dicenda requirit in missali.

(UD.) Inde missam incipiens totum cantum, qui ad eum pertinet, * pro edicto Patrum nostrorum, magis legit indirectum, quam audeat cantare. Ad *Gloria Patri*, se inclinat, ad *Dominus vobiscum*, totum se vertit manibus erectis et capite inclinato. Collectam absque tono ad dexteram altaris dicit, in prima et ultima tantum replicans *Per Dominum*. Sed lecturus Epistolam librum ponit ad sinistram, ibique reliqua dicit usque post Communionem. Dum collectas primas, medias et ultimas dicit, adjutor ejus acclinis assidet. Ad Canonem vero in diebus festis et octavis

(111) *Primitias fructuum Deo consecrare ex institutione Eutychiani PP. profluxit, uti refert pontificale Damasi:* Hic instituit fruges, fabas, et uvas in altario benedici, *velut et martyrologia Rabani, et Notkeri. Vide Hug. Menard. lib. Sac. Gregorii pag.* 173.

(112) Fano, *Sindon, mappa.* Vide supra, et in *ind. nost. onomast.*

stat vel sedet; sed super genua privatis diebus procumbit. Lecturus Evangelium a domno abbate, si adest, benedictionem accipit, deinde osculatur et altare, et inter dicendum *Sequentia sancti Evangelii*, singulas cruces facit cum pollice in fronte, ore et pectore: tunc, Converso respondente *Gloria tibi, Domine*, et se signo Crucis in facie signante, ipse osculatur Evangelium. Similiter facit, cum illud perlegerit, statimque Converso et aliis communicare volentibus ad osculandum porrigit.

Ut autem post Evangelium dixerit: *Dominus vobiscum*, statim acceptum de altari linteum, quod ibi causa offerendi jugiter jacet, complicatum eidem adjutori suo porrigit, deinde calicem cum patena ad offerendum. Alius quam adjutor ejus potest ibi offerre, si iste non vult communicare. Inter dicendum offerendam in medio altaris corporale expandit, Converso interim acclini, cum calice ex patena superposita astante, donec ipse ad ea accipienda expedit se. Quæ ubi singillatim idem primum patenam cum hostia, deinde calicem utraque manus deosculatione oblata susceperit, et calicem superpositum corporale et patenam subtus tectam locet, priusquam calicem accipiat, linteum plicatum a Converso non sine manus deosculatione recipit, et in altari reponit. Deinde binos et primos utriusque manus digitos, quibus corpus Dominicum est tractandum, lavat et combinat, non antequam eos post communionem laverit, nisi ad cruces faciendas, ab invicem separandos, sicque tandem ad orationem *Suscipe, sancta Trinitas*, etc., sese inclinat, et eamdem orationem ad missam vivorum et defunctorum semper uno modo dicit. Qua dicta, per dextram Versus adstantes cum humili capitis inclinatione dicit: *Orate pro me peccatore*. Dehinc item reversus per dextram ad sinistrum cornu altaris collectas secretarum eo ordine dicit quo et primas; sed ad primam tantum præmittit, *Oremus*, et cum *Per Christum Dominum nostrum*, singulas finit præter ultimam: ad hanc enim *Per Dominum nostrum* dicit secreto, usque, *Per omnia sæcula sæculorum*, quod altius est pronuntiandum. Inter dicendum: *Sursum corda*, utrasque manus quatuor digitis (ut dictum est) combinatis, reverenter usque ad humeros levat. Cui etiam hoc sciendum est, quod hinc eo, quo tunc se habet habitu, non ante mutare debet, quam sacrificii consecrationem perficiat, nisi cum aut inclinatus, aut in Cruce facienda vel sacrificio tractando occupatur.

Cæterum, dicta præfatione, ad *Sanctus* se inclinat, sicque inclinis ad *Benedictus qui venit*, in facie se signat, quod utrumque et Conversus debet facere. Sed Sacerdos, inchoato *Te igitur*, se erigit, sed acclinis: et dicto *Supplices te rogamus, ac petimus*, tunc primum cum osculatione altaris se ex toto erigit. Inter dicendum, *Hæc* ✠ *dona, hæc* ✠ *munera, hæc sancta* ✠ *sacrificia illibata*, tres communes cruces super utramque oblationem facit; similiter et tunc, cum dicit, *Benedictam* ✠ *adscriptam*, ✠ *ratam* ✠; sed duas singillatim super hostias et calicem

A tunc facit, cum dicit, *Corpus* ✠ *et sanguis* ✠. At cum dicit, *Accepit panem*, ipse accipit hostiam primis quatuor digitis, et aliquantisper levat, nec ante ponit quam dicat *Hoc est corpus meum*. Sed cum dicit, *Benedixit*, duobus sinistræ manus digitis hanc ipsam hostiam tenens, dextra crucem super eam facit. Item cum dicit, *Accipiens et hunc præclarum calicem*, accipit et ipsum corporali coopertum, et levat parum. Sed dicto *Gratias agens* ponit, cum sinistra tamen tenens, et ad *Benedixit* ✠, benedicit. Ad *Accipite*, iterum levat et tenet usque dum dicat, *Hic est calix sanguinis*. Item cum dicit, *Hostiam puram* ✠, *hostiam sanctam* ✠, *hostiam immaculatam* ✠, facit tres cruces communes super utrumque, et unam super Corpus Domini, cum dicit, *Panem sanctum vitæ æternæ*, alteram super calicem, cum dicit,

B *Et calicem salutis perpetuæ*. Nam sic ipsum Corpus Domini inter se et calicem super corporale debet posuisse, ut in singulas, cum ordo exigit, et communes super hæc possit facere cruces. Ad *Supplices te rogamus*, se inclinat. Et cum dicit, *Ex altaris participatione*, osculato altari se erigit, et inter dicendum, *Sacrosanctum corpus et sanguinem*, nullam omnino crucem facit. Sed dum dicit, *Omni benedictione cœlesti et gratia repleamur*, in facie se ipsum cruce signat. Item ad *Sanctificas* ✠, *vivificas* ✠ *benedicis* ✠, tres communes cruces facit super utrumque simul. Ad *Præstas nobis*, calicem disco cooperiens accepto tum corpore Dominico. Inter dicendum *Per ipsum* ✠ *et cum ipso* ✠ *et in ipso* ✠,

C calicem tenens sinistra, et corpus dextra cum ipso tres cruces per medium calicis desuper ante, et tres ante se extra in calicis latere, tunc cum dicit, *Est tibi Deo Patri* ✠ *omnipotenti, in unitate* ✠ *sancti Spiritus, omnis honor et gloria*. Inter dicendum, *Per omnia sæcula sæculorum*, corpus Domini inter se et calicem primis quatuor digitis tenens ipsum pariter cum calice de corporali ambabus manibus parumper levato sustentat.

Ad *Præceptis salutaribus*, posito calice, corpus Domini ponit propius quam prius, ut statim digitis inter calicem, ne quid de corpore Domini adhæserit, excussis, cum calice etiam corpus Domini cooperiat. Dicta autem oratione Dominica, respondetur *Sed libera nos a malo*; ipse autem tacite respondet

D *Amen*. Sic quoque *Libera nos, quæsumus, Domine*, statim inchoat, et dicto *ab omni perturbatione securi*, tunc calicem disco operiens corpus Domini accipit. Et inter dicendum, *per Dominum nostrum*, dextram partem Dominici corporis digito secans, non penitus eam separat, sed cum dicit, *Qui tecum vivit et regnat*, sinistram particulam ex toto dividit, medieque conjungit. Et cum dicit: *Per omnia sæcula sæculorum*, dextram particulam accipit, cum qua ad *Pax Domini*, per medium calicis desuper tres cruces tanta fecit festinantia, ut ipsas inter has quinque dictiunculas perficiat, et ad finem harum, ipsam particulam in sanguinem mittat, cæteras duas super calicem, ubi hanc ipsam corporis Domini fecit

fractionem duobus sinistræ manus digitis tenens donec *Agnus Dei* per semetipsum tunc percantet, ac inclinis, super calicem communicando eas accipiat.

Si Missam defunctorum cantat, nemo nisi ipse solus communicat. Sed si vivorum missa est sic quoque tenendo dat Pacem Converso, et ille astantibus, si qui sunt, qui communicare voluerint. Deinde tamen ad privatam missam non pluribus licet quam duobus, quorum, qui adjutor est, Pacem a sacerdote accipiens ; tunc facit ei signum communicandi, addito signo duorum, ut ille intelligat duos velle communicare cum unam partem ille susceperit, alteram in duas divisam tribuat ambobus, veniam prius super genua petentibus, et sibi manum osculantibus. Ad quorum os communicantium tam caute applicat corpus Domini, quod tenet dextra cum calice, quem sustentat sinistra, ut dum corpus Domini communicanti datur, manus dantis nequaquam longius a calice separetur : deinde sumpto sanguine ipse communicantibus dat de eodem illo, qui prior communicavit cum linteo, quo offerebatur ; calice ab eo suscipiente. Et cum utraque in eadem parte calicis, qua et sacerdos sanguinem sumpserit, sacerdos calicem recipit. Tunc adjutor ejus sive ipse communicavit, sine non vinum ei ad abluendum (113) calicem dat : tunc infundit ita, ut secunda vice quatuor digitos, quibus corpus Domini tractavit, super calicem lavet, quos etiam in ea parte, ubi sanguinem sumpsit, ad summum calicis ingerere debet, et qualibet vice vinum infusum ipse sumere ; quamquam de eodem calice etiam communicantes mox debeant vinum bibere. Hoc scientes, quod tunc primum cum deosculatione manus sacerdoti calix est reddendus. Verum mox post ablutionem calicis ille non moratur corporale plicare, et dicta communione missali quoque ad dextram posito, missam consummabit.

Sciendum autem, quod in summis festis omnes debent communicare, et ad majorem missam Pacem non accipere, quo cæteri citius possint communicare. Cum ergo in ultimis dicit *Dominus vobiscum* versus ad adstantes, eodem ordine quo et prius ad altare se vertit, et cum deosculatione altaris orationem illam altaris, *Placeat tibi, sancta Trinitas*, parumper ad altare inclinis tacite dicit, sicque clauso libro recedit ab altari. Tunc Conversus casulam, ipso sub ea manus tenente, per summitatem capitii accipiens exutam plicat, et interim stolam cum fanone sacerdos... inferius conversus et humerale simul plicant, caventes ne quid horum ad terram decidat. Tunc conversus casulam et cætera plicata in albam composita colligat. Deinde post petitam ante altare veniam, tunica indutus sacerdos digitorum summitates lavat, maxime propter calicem et corporale, quæ cum ampullis, libro ac vestimentis eo ordine, quo illuc per se et per conversum sunt allata, reportanda, et in loco sunt reponenda. (UD.) Sed et hoc sciendum est sacerdoti privatam missam cantanti ; si interim, dum Hora incipitur, missam finierit, ita ut ante *Gloriam* primi psalmi in Chorum venire possit, conversum cum vestimento non plicato dimittat, et ipse ad Horam pergit. At si venire non potest ante *Gloriam* primi psalmi, non se movet a loco, nec conversus, quousque Hora finiatur; sed ibi cantat eam.

Hæ sunt autem vices in quibus sacerdotes possunt hujusmodi missas absque licentia cantare. Cottidie ante primam, si tamen prima non conjungitur, matutino, ut sæpius in hyeme ; et post capitulum usque ad tertiam. Sed infra Quadragesimam in diebus duodecim lectionum, quando secundum consuetudinem triginta psalmi cantantur, debent eidem psalmodiæ usque ad finem decem psalmorum interesse ; aut si capitulum est post tertiam, usque ad sextam ; nec minus post sextam ; si tamen fratres tunc non ierint dormitum. Aliquando vero post Evangelium majoris missæ aliquis sacerdotum licentiam accipere potest : quod tamen reprehenditur, si aliquamdiu frequentatur. * Sciendum autem quod nullus sacerdos in una die duas missas debet cantare, nisi magna cogat necessitas, et nisi domnus abba, vel prior ei concedat : has autem missas simul debet cantare, et ad priorem tam digitos quam calicem differt lavare. Sed diaconus vel subdiaconus non debent ad duas missas legere, nisi pro non parva necessitate.

CAPUT LXXXVII.

De subdiaconibus.

(UD.) Subdiaconus, qui lecturus est epistolam, cum sacerdote processurus ad altare, portat textum Evangelii, et ponit in medio altaris. Pluvillum non portat, nisi in duodecim lectionibus. * Quo deposito, et confessione dicta, si in duodecim lectionibus est in presbyterio stat versus ad aquilonem, donec sacerdos collectam incipiat. Inchoata autem ea, vertit se ad Orientem, et inclinis stat usque quo ad legendum procedat. In privatis diebus, sive sit in custodia, sive non, in dextro choro stat ad parietem. Ibi etiam inchoata prima oratione cum cæteris fratribus super misericordiam (114) se submittit usque dum ad orationem ultimam dicatur, *Per Dominum nostrum*. Si quando prophetiæ lectio recitanda est, lecturus eam, etiam si de dextro sit, oppositum in sinistro choro locum occupat, quod nulli alii officium quodlibet acturo sine jussione prioris licet. (UD.) Antequam incipiat et postquam lectionem finit, ad utramque vicem ibidem ubi lecturus est, ante et retro facit. * Finita lectione reponit librum in armariolo, quod habet in presby-

(113) *Sic autem cit. codex :* Servitor qui superest, adhuc accedit cum altero calice extra reclinatorium, ut sacerdos super eum cum vino lavet digitos quibus corpus Dominicum tractavit, sicut et diaconus, mox ut communicavit, et antequam corporalia complicaret, ut iterum sacerdos ebiberit hoc vinum, quod secundo servitor infundit ut ille calix utrinque abluatur.

terio. Et si duodecim lectionum dies est, prope diaconum sine licentia sedet. Jurisque est sacristæ hebdomadarii, ut ei sellam provideat, quam etiam vel illo surgente, vel postea, cum visum fuerit, reportat. Hic textum Evangeliorum in omni missa, quæ solemniter agitur, pulvillo supposito circumferre debet per chorum et extra, etiamsi fiat pro defunctis : si tunc sine pulvillo. primo quidem ad eum vadit, qui chorum tenet, deinde ad eos qui stant ad formas in dextro choro et sinistro; omnes, qui ibi volunt, accedunt, hisque exteriores succedunt; deinde revertitur ad eos, qui ad lineam stant in ea parte, idemque facit ad sinistrum chorum. Nunquam autem inclinaturum se noverit, quocunque textum Evangelii ferens ierit. Cottidie autem ad priorem missam sacerdoti, et soli, qui primum offert, ceroferario librum porrigit ad osculandum, excepto si festive celebratur, quod ad majorem missam in privatis diebus minister facit. Eundem librum, si est fabrefactus, tam diaconus quam sacerdos clausum osculantur. Osculantes autem non ante, sed post osculum inclinant. Privatis diebus subdiaconus infra canonem patenam tenet; in duodecim lectionibus vero minister.

CAPUT LXXXVIII.

De cantoribus gradualium, responsoriorum, Alleluia, Kyrie.

(UD. *var.*) Sed et qui cantant responsoria, gradualia, responsiones, *Alleluia* et *Kyrie, eleison*, ante et retro faciunt ad gradum, et priusquam imponant, reverenter inclinant, et hæc in privatis diebus nonnisi communiter cantentur a conventu. * Si quod festum amplius in septimam evenerit, cantanda sunt iterum ab iis a quibus et prius in Dominica sunt cantata. Subsequenti vero hebdomada in prioribus missis eadem ipsi sunt cantaturi. Si tamen eædem missæ solenniter sunt agendæ, excepto si missa pro defunctis cum maximo ritu est celebranda; tunc cantant responsoria, quibus armarius injungit. Scillam provectiores fratres, vel ipsi hebdomadarii, si tales sunt, tenent. Hi etiam versus animarum canentes, cum inchoant, tunc tantum in ante inclinant : sed in fine ejus, ante et retro faciunt. Nullus tamen eorum vel aliorum illic obsequentium ante finitam efferentiam se exuit. UD. Quod si omnes sunt in cappis vel albis, armarius innuit quibuscunque voluerit pro eis cantandis.

CAPUT LXXXIX.

Quando in claustro non sit alte cantandum.

* Et hoc subnotandum est, quia nemo cantat in claustro in festis duodecim lectionum, quæ apostolis feriantur, nisi fratres illi, qui notati ad *Graduale*, vel ad *Alleluia*. Isti quidem ante primam prædictum cantum ad invicem affirmare possunt, suppressa tamen voce. Quod si prima in tantum acceleratur, ut brevitas spatii illud non patiatur, tunc quidem in vestiario, quando se albis induunt, eundem cantum audiente armario prævidebunt.

CAPUT XC.

De diacono.

(UD.) Diaconus sacerdotem præcedere solet ad altare. Sacerdote se inclinante ad orationem ipse similiter inclinis. Sacerdote se erigente, signat se et facit ante et retro. Accedens sinistrum cornu altari osculatur. Pergit stare contra sacerdotem, ut confesso confiteatur; et si dies est festiva, ab ipso ei cum manus deosculatione incensum porrigitur. (*var.*) Quod postea recipiens incensat latera altaris et cornua posteriora, deinde retro illa altaria, quæ sunt choro proxima ; primo medium, deinde ab eo quod in sinistra parte est extremum incipiens, et ita cætera pertransiens facit desuper incenso semel crucis signum, et redit in presbyterium. Quod si in monasterio vel in capella S. Mariæ instantis festi Reliquiæ continentur, in quocunque altari eas reconditas noverit, id etiam incensare solum procurabit. Si vero tanta solemnitas recolitur, ut quatuor ea nocte invitatorium cantaverint, omnia ad S. Mariam altaria incensat adjuncto illo apud crucem, præterea in Inventione et Exaltatione S. Crucis unum illud incensat. Reversus in chorum, si domnum abbatem vel aliam personam talem ibidem repererit, ipsi quoque incensum præbebit. Regressus continuo ad locum suum cum thuribulo stat post sacerdotem paulisper ad dextram se applicans. Quando sacerdos se convertit ad salutandum, diaconus se cum eo non vertit, nisi tantum ad *Ite missa est*.

Expleta igitur oratione, diaconus, tollens librum missalem, ponit eum in sinistro cornu altaris. Cum sacerdos sederit, diaconus ei casulam retro levat, stolam ei componit. Nam et ipse dalmaticam et subdiaconus, subtile, si sederint, levant. Et si talis est dies, ut et ipse diaconus casula indutus (ut est in Quadragesima) hanc statim, sicut est mos generalis, plicatam sibi circumdat, et tunc sedet, prius tamen sacerdote innuente. (UD.) Si prævidere diligentius voluerit Evangelium, sumit librum de altari, inspectumque sufficienter, reponit; * deinde incensum, ut prædiximus, sacerdoti porrigit, ut textum Evangelii incenset. Quo incensato thuribuloque ab eo recepto, benedictionem accipit. Si domnus abba vel alia talis persona præsens fuerit, acceptam coram altari a converso acerram ipsi defert, incensum, ut thuribulo imponat, postulatamque ab eo benedictionem reportat, et tunc sacerdos nihilominus plenarium desuper signum crucis faciens incensat. Diaconus autem accipiens illud dextra ejus parte osculatur altare, subdiacono pulvillum ante ipsum portante. Finito Evangelio dat librum subdiacono, et tunc iterum missa finita facit ante et retro. Si *Credo in unum* canitur, cum pervenitur *qui locutus est*, etc., lavat manus. Si vero non cani-

(114) Scamnum, subsellium. Vide superius.

tur, statim finito Evangelio. Sciendum vero est, quod in tempore offerendi non aliter incensandum est, quam ut prædiximus, excepto si apud aliud altare invenerit sacerdotem missam celebrantem. Quod si infra Evangelium vel canonem fuerit, nequaquam ei appropinquat, nisi forte eum fere finitum præsenserit. Si vero alia hora supervenerit, thuribulum sacerdoti tribuit. Qui eo, quo supra dictum est, modo incensat.

CAPUT XCI.

Quomodo incensandum in festivitate sancti Michaelis.

* Est adhuc singularis modus in dedicatione Sancti Michaelis archangeli : tunc enim finito versu offertorii factaque repetitione, *Et ascendit fumus*, duo diaconi accedentes ad majus altare, latus ipsius utrumque incensant, copiose imposito thure, quo facto accedentes ad posteriora cornua, verso ad invicem vultu, superiorem altaris partem jugiter incensant, non cessantes, donec repetitio offertorii finiatur. Procurandumque prius est, ut sacerdos in ipso fine versus offertorii suam super calicem incensationem consummet. Diaconorum alter ad id officii est, qui eo die ministrat, alter vero ab armario providetur cappa indutus. Inde ad altare sancti Benedicti progredientes eundem modum ibi observant, quem ad principale altare, quandocunque a duobus incensatur presbyteris. Deinde separati ab invicem omnia altaria monasterii sive S. Mariæ incensant, in quolibet faciendo desuper crucem. (UD.) Sciendumque est, aliis temporibus, quando duo incensant, similiter fieri debere. Sed diaconus ea die ministrans ad crucem incensat. * Ad missæ finem nunquam *Ite missa est* ab eo pronuntiatur, nisi etiam *Gloria in excelsis* canatur. Per totam autem hebdomadam tam ad Nocturnos quam ad missam ex consuetudine ipse legit, et propter fragilitatem non nisi ad missam vitabit.

CAPUT XCII.

De servitoribus ecclesiæ.

Servitores propter hoc munus, quod thuribulum et candelabra portant diligenter observant, ut nunquam ad obsequium sacerdotis, levitæ vel subdiaconi desint. Quotienscunque ad ullum divinum opus ipsa indumenta deponunt, vel si opus habuerint aqua et manutergio scilicet manus lavaturi, sed et tunc sacerdoti et levitæ brachia osculantur; unus de eisdem servitoribus jugiter illi obsequitur.* Hoc autem ordine suum peragunt officium, ut primo invitatoria canituris, si tunc exigit ad induendas albas vel cappas, obsequium præstent, abstractasque rursus ipsi sine eorum auxilio complicent. Deinde infra cantum de choro exeunt sicut et sacerdos manusque ad lavatorium abluunt. Cum autem undecima legitur lectio, sive in choro, sive extra chorum sint, absque mora in revestiaria conveniunt, ibique albis ex more se induunt.

Observandum etiam est, ut qui prior inter eos est, provectioris quoque sit ætatis, cui thuribulum et crucem portandi injungitur officium. Hic in domum inter benedicendum sal et aquam, et inter procedendum ad sinistram sacerdotis stat et ambulat. Hic etiam in loco congruo reservatos, folliculo ad hoc deputato, succendit carbones; reliqui duo ad candelabra ferenda ordinantur. Cumque procedit, qui de sinistro choro fuerit, in ea parte quoque stabit. Si vero ambo de uno choro fuerint, ordine inferior in sinistrum chorum secedit, similique modo ad missam faciunt. Quando versus *In te Domine speravi* inchoatur, tenens thuribulum facit signum crucis super analogium et recedens non inclinat. Postquam omnes in sacristiam revertuntur, si talis est dies, ut ab uno incensandum sit altare, is qui thuribulum portaturus est, foris chorum remanet iudutus, cæteris se exuentibus. Quod si tale festum est, ut a duobus incensari debeat, ceroferariorum unus cum eo remanebit, ordine scilicet prior, si fieri potest. Tunc enim sacerdotes singula thuribula (si tamen domnus abba non aderit) in revestiario sumentes, ibique thus imponentes ad incensandum altare procedunt, quos isti accensis candelis subsequuntur. Sed si domnus abba de hoc aderit, et vel ipse cum sacerdote voluerint incensare, vel aliis duobus per majorem chorum intrantibus thus imposuerit, non mox candelas accendunt, quando ad eum accedunt ; quia thuribula tunc temporis gestant : sed postquam imposito thure manus thuribulis expediunt. Post sacerdotes ad altare procedunt et tunc eas accendunt : illis vero post incensatum altare Dominicum, ad retro posita quinque altaria euntibus, et medium eorum more principalis incensantibus, et inde redeuntibus, isti tunc demum procedunt. Sacerdotibus autem in chorum redeuntibus, unus eorundem servitorum incensat dextrum chorum, alter sinistrum, primo quidem ad parietem, deinde in minori choro uterque suam partem; postmodum eos qui stant ad lineam ; postremo eos, qui ad formam. Si vero ab uno incensatur, primo quidem eos, qui ad dextrum stant parietem, deinde eos qui ad sinistrum incensat ; dehinc in minori choro dextram partem, deinde sinistram, postea formam in utroque choro, deinde eos, qui sunt extra chorum singulis breviter inclinans. Postea illa altaria, quæ sacerdos non incensavit incensat ; si tamen quid de incenso in eodem supererat thuribulo, contra faciem cujusque eorum ter porrecto.

Si quando domnus abba solus vult incensare, sacrista apportat ei acerram, et unus servitorum thuribulum, sive sit in choro, sive in vestiario. Eodem modo et ad vesperos incensatur. Sed tunc ante hymnum administrator incensi ad præparandas prunas exit et si vestiendus est ut antequam sacerdos eum subsequatur, hoc faciat ; nec tamen manus tunc lavant, quia et ante vesperos hoc faciebant.

Ad processionem in die Dominica ceroferariorum alter cum duabus scutellis sal consecratum portans præcedit fratres, alter cum aqua benedicta. Is in-

trans in infirmariam, singulos ibidem in lectis sedentes, (omnes enim tunc ibi sedere debent) aspergit, quem tamen sacerdos, finita oratione, non exspectat. In aliis autem omnibus officinis aspersionem ultra finem orationis nequaquam protelatur. Sal portans in introitu refectorii super mensam ostio proximam cum scutella ponit, ut ad fratrum necessitatem inibi refectionis hora inveniatur, ipse alteram in ecclesiam deferens. Inchoata missa rite ordinantur in sacristia, ut dum *Gloria Patri* a cantore initiatur, sine mora ad altare procedatur, confessione terminata servitor incensum porrigit diacono, manum ejus osculando. Et postquam ab eo, incensatis altaribus, reverso illud recipit, primo ipsum,deinde ministros altaris, et postea conventum eo ordine, quo supra ad matutinum meminimus incensat; hoc tantum variato, quod pariter et his qui stant ad formas et his qui post illos ad parietem, incensum porrigit, et quod post incensatum minorem chorum, prius hos, qui stant ad secretariam servat; sed tunc ad imponendum thus acerram cum thuribulo ei, qui chorum regit, apportat. Si vero domnus abba, vel alia talis persona adest, idem cantor acerram, et Conversus thuribulum ei affert. In privatis diebus semel tantum, id est, post offertorium prædicto modo incensat.

Sed notandum quod in duodecim lectionibus ad missam majorem his fratribus incensum est administrandum, sicut etiam cum festive agitur ad missas defunctorum. *Kyrie eleison* incepto, ceroferarii candelabra ponunt inter alia majora : et quia in Sabbato S. Pentecostes missa a *Kyrie eleison* inchoatur, mox ut ingrediuntur, ea ponunt, nec antequam Evangelium legi debet, ea levant. Quo perlecto iterum ea ponunt ; sed prius ea non levant, quam sacerdos a pace redierit, et tunc ea sursum tenentes, thuribuli portatore in medio eorum cum thuribulo et incenso, quod imponit, quia portat, stante, donec post communionem prima collecta usque ad *Per Dominum nostrum* finita sit, inde non recedit. Infra hebdomadam cum non est festum duodecim lectionum, invicem observant, ut quisque in die sibi terminato candelabrum et thuribulum portet. Idem in sequenti hebdomada ad priorem missam, si festive agitur, ministerium portandi luminis, et incensi faciunt ; si autem festive non agitur, unus eorum lumen portat. Qui etiam se non exuit ; sed inter communicandum tenens candelabrum non prius, quam post Communionem prima collecta finita fuerit : nisi forte ad ecclesiam S. Mariæ, vel ad altare S. Crucis missa canatur ; tunc enim sacerdotem et reliquos ministros præstolatur. Sive autem sit unus vel tres, administrata diacono aqua offerre non tardant : deinde vero duo ex illis albas exuunt, iterum reversuri ad ministrandum aquam sacerdoti ; tertius vero qui thus debet circumferre, interim se differt exuere. Candelabra autem sacrista Hebdomadarius finita post Communionem prima collecta cum luminibus reponit in locum suum. Quocumque autem modo hæc missa agatur, ministros altaris in vestiendo se, vel exuendo se, quantum possunt, adjuvant.

CAPUT XCIII.

De ministris altaris.

* De his quos ministros altaris appellamus, quantum videbatur dicendum, superius est præmissum. Quorum unus tempore æstivo, calore augeri incipiente, de hoc cotidie ad majorem missam, interdum prope dextrum cornu altaris, interdum vero post tergum sacerdotis stando ventilare, ne muscæ venientes, ei sint impedimento, debet. (UD. *var.*) Horum autem statio, sacerdotisque, diaconi, subdiaconi et ceroferarii, in privatis diebus hujusmodi est sicut ad horam ante missam, cui ipsi intersunt albati. Quisque in choro suo stabit. Nullus nisi jussus de uno choro transit in alterum.

CAPUT XCIV.

De his qui jubentur chorum mutare.

* Si quis autem alba indutus hoc modo chorum mutare jubetur, mox in sequenti hora regreditur. Sin autem, absque jussu non redit, nisi quis de illitteratis sit. Sacerdos supra seniores stat ad cancellos, vel si abbas aliquis in eo choro est, infra eum. Diaconus et subdiaconus, si sine uterque sunt custodia provectioris ætatis, ministri quoque altaris si sunt litterati, et extra custodiam ad cancellos; si vero custodiæ mancipati, vel adolescentiores sint, in summitate lineæ stabunt. Iidem ministri, si sunt conversi, quamvis sunt acolythi vel subdiaconi et ceroferarii in summitate parietis contra altare sint locati. Providendum est autem ne ex his omnibus plures sint in custodia quam duo.

CAPUT XCV.

De mensæ lectore.

Mensæ lector, si non est in custodia, in minori choro infra utramque missam ex toto intendit his, quæ lecturus est : sin autem in majori choro ad finem formæ occidentalem residet : quod si in aliquibus dubitat ab armario, vel ab alio quolibet perito fratre percuntari ea licitum habet. Cum prior missa apud ecclesiam S. Mariæ celebratur, si est in custodia, ibidem ; sin autem in revestiario sedet. Quando fratres communiter albis vel cappis vestiuntur, ipse quoque ad firmandam lectionem in alba sedet non i cappa. (UD) Quod si ipso die sequentia canitur, ea inchoata, chorum intrat, finitoque Evangelio revertitur. Finitis majoris missæ solemniis; vel si aliquando illa extra monasterium canitur, ad finem prioris missæ, veniens ad gradum fecit ante et retro, et tunc versum hunc cum conventu respondente pronuntiat: *Domine, labia mea aperies*, etc.,prosequitur sacerdos ea benedictione : *Salvum fac servum tuum. Mitte ei, Domine. Dominus custodit te. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, et auferat a te spiritum elationis.* Vel istam. *Averte, quæsumus, Domine, ab hoc famulo tuo spiritum elationis et ignorantiæ, ut humiliter legens sensum et intellectum capiat lectionis. Per Dominum.* Finita benedictione lector inclinat ante et retro. Sin autem aliquo inter-

veniente casu huic versui defuerit, alius pro eo hunc dicit, et pro neglecta benedictione veniam petit.

* Ante generalem refectionem de pane prælibat juxta præceptum S. Benedicti. (cap. 38). Cavet præterea ne ante finem missæ vel orationis interdum missam sequentis illo pergere præsumat, cum nec inde recedere debet sine coquinæ hebdomadariis. Prandio inchoato, si ad officium defuncti tabulam audierit percuti, surgens continuo ad ecclesiam vadit, sed finitis tribus lectionibus redit, eodemque modo cæteri. Si vero pro obituro fratre percutitur, concurrentes et ipsi nequaquam regrediuntur. In refectorium veniens et stans in loco suo, non facit ante et retro aliisque adversum inclinantibus, ipse stat erectus, et si ad benedictionem sic venire potest, ut veste sua fratrum capita non tangat, locum non mutat; sin autem, cum inchoatur versus, tali loco se applicat, unde ad gradum absque fratrum impedimento venire valeat. (UD.) Et quia nullus fratrum quidquam gustabit, priusquam lectio incepta fuerit, cum primum domnus abba, vel prior consederit, lector benedictionem petit, sed in Cœna et in Parasceve sub silentio et accelerat lectionem adordiri. * Sed si liber aliquando ex negligentia præsto non fuerit, ipse si quid tunc legere memoriter congruum poterit, legit. Ille vero, ex cujus negligentia hoc evenit in crastino capitulo pro hoc veniam petit. Si homiliam lecturus est, quæ præcedenti nocte ad matutinum lecta est, verba tantum Evangelistæ præmittit, v. g. *Cum audieritis prælia* non adjungens, *et reliqua*, nec expositoris aliquam mentionem faciens. Si autem illa, quæ ad matutinum non præcessit, tunc verba Evangelii item præmittit, et subjuncto expositoris nomine homiliam incipit. Quotienscunque vero epistolam vel passionem, vel vitam alicujus sancti legi evenerit, præcedentia eorum et subsequentia nunquam sub silentio præterit. Quod etiam in exordiis et fine Prophetarum, cæterorumque librorum faciendum esse certum teneat; in sermonibus autem præcedentia eorum tantum. Si vitam vel passionem alicujus sancti inceperit, et si ante ejus finem Dominica vel aliud festum occurrerit, quæ sunt competentia, legit. Quibus peractis, quod de vita vel passione residuum fuerat, repetet. Quod si tempus legendæ alicujus historiæ vel prophetiæ, quæ subsequenti tempore congrue legi valeat, interim supervenerit, propter hanc inceptum non omittit.

Inchoans lectionem, si submissa voce legerit, ab armario adveniente signum altius legendi accipit; si corrupte, prior ei, ut corrigat, vel signo aliquo, vel ipsum verbum emendando innotescit. Observat quoque idem lector ut, quando scilla est pulsanda, impedimentum protrahendo lectionem pulsaturo non faciat; sed postquam illum mensæ cum ferculo appropinquantem viderit, aut tacendo, si apte valet, vel celerius solito legat. Respirare etiam frequentius, si necesse habet, potest; mediocriter tamen. Si altiori interdum voce quam expedit, legit, mutare eam competenter valet, si sibi placet. In cœna Domini et in Parasceve finita lectione solerter intendit domnum abbatem, et viso ejus signo, legere desistit. Et si in fine versus alicujus sibi innuitur, ejusdem versus aliqua verba repetit, ut eo competentius lectio finiatur. Lectione finita, veniens ad gradum facit ante et retro, et si non est in custodia, secedit in dormitorium vel in regularem coquinam; si autem est in custodia, ad justitiam suam vadit, et illic erectus exspectat quousque versus finiatur. Quo finito ante et retro non faciens, custodi suo se jungit, et tunc similiter sicut in refectorio ante et retro non faciens, ascito custode refectum vadit, et tunc primum ad locum suum ante et retro facit. Ibi quoque a custode suo commendatur fratrum alicui, qui tamen postea cum psalmo non juxta eum incedit, qui ad scillam sedebat. Si necesse habet ante cœnam cum licentia bibit, quando conventus nondum intravit. In hebdomada, si duobus diebus pro necessitate aliqua alium fratrem, ut pro se legat, rogaverit, non reprehenditur: quod si amplius... (UD. *var.*) nisi pro infirmitate, et ob hoc petens veniam, in capitulo monstraverit.

CAPUT XCVI.

De lectore ministrorum.

(UD. *var.*) Librum in quo legendum est, in refectorium portat et reportat is qui legit ad servitores, adjuvante eum ipso, si opus est, mensæ lectore: qui et mox cum eum deposuerit, quod legendum est invenit. * Huic etiam ea quæ lecturus est, firmare licet, quandocunque exceptis missarum spatiis librum et otium habet. Ad legendum vero, inde exire non tardabit, mox ut post refectionem conventum ex toto chorum cum psalmo intrasse cognoverit, et si est in custodia eodem ordine, quo prædictum, de ecclesia exit; sic quoque et ille alicui in refectorio committatur: at si in custodia non est de choro exiens, faciet ante et retro, et finita refectione ministrorum factaque consueta inclinatione ad gradum potest in eodem loco licentiam bibendi accipere; sed iterum ibidem priusquam bibat ante et retro debet facere. si nona sequitur, quia tunc cum eisdem ministris eam est cantaturus, ad ecclesiam regreditur. Quandocunque autem id agere non habet, nequaquam illos exspectare solet. Sive autem in custodia sit, sive non, de analogio recedens librum secum portat, quem et super mensam ad lineam ponit, donec ante et retro faciat.

CAPUT XCVII.

De hebdomadariis coquinæ.

* Hebdomadarii coquinæ solent esse quanti sufficiunt: quorum qui prior est sive obedientiarius, sive alius, omnino non prohibetur breviter verbis ante cellarium ipsi cellerario indicare, si aliquid est valde necessarium, quod per signa non potest explicare. Hoc similiter infirmario et refectorario licet. (UD. *var.*) Quod primo faciunt cantatis in duodecim lectionibus vesperis de omnibus sanctis usque ad

Kyrie eleison; aut in privatis diebus pergunt in coquinam ut accipiant fabas: quibus acceptis lavant eas diligenter aquæ tunc infusæ; in qua etiam faciunt eas pernoctare caldario bene cooperto. Matutinis Dominicæ diei expletis, quando illi qui præterita hebdomada servierunt, ad gradum venientes Deo gratias agunt pro consummatione peracti obsequii hunc versum ter cum totius conventus responsione dicentes: *Benedictus, Domine Deus, qui adjuvisti me, et consolatus es me*, isti item in obsequium facturi, Dei adjutorium petunt ita dicentes: *Deus in adjutorium meum intende*, etc.* Quodsi quis illorum ibi præsens non fuerit, qui tunc proximus stat benedictionem pro absente accipit; sed ille tamen in crastino pro hac neglecta veniam petit. UD. Pro exeuntibus sunt dicendi versiculi a sacerdote: *Salvos fac servos; Converte, Domine, usquequo*, eaque collecta; *Deus cui semper humilium*, etc *Misericors ac piissime Deus, qui ubique famulos tuos*. Pro intrantibus vero *Salvos fac servos; Mitte eis, Domine*, Oratio.

Prius etiam quam conventus exeunt de ecclesia S. Mariæ, ut se possint calciare et interim descendere, dum conventus ad necessarias est; manus et facies lavant et pectinant; faciunt tres orationes, ut moris est in ecclesia, si intrare potuerint, si non prope fores ecclesiæ. * A calendis autem octobris usque ad Pascha finita prima vadunt in dormitorium et diurnalibus se calciant; manus et facies lavant et pectinant, et, si fieri potest, ignem accendunt, ut finita litania, ad quam nequaquam desunt, idem ignis sit in promptu ad supermittendas fabas. UD. Intrantes coquinam lavant fabas ternis aquis, et sic mittunt super ignem. Aqua caldario fervescente et spumas ebulliente ejiciunt eas jugiter transverso cochleari, ne forte simul cum spumis supernatantes fabæ projiciantur. Quas etiam a fundo sæpius cum ipso cochleari diversant, ne cum mandi debuerint, sapiant ignis odorem. Folliculi fabarum cum se incipiunt aperire, non permittunt eas amplius super ignem. Aqua frigida iterum refrigerantur, iterumque cochleari huc et illuc diversantur. Mittuntur in unam cuppam habentem cooperculum bene compaginatum. Caldarium quoque in quo coquebantur, intrinsecus usque ad nitidum lavatur. (UD.) Reclinatur etiam tabula ad parietem inclinata, in quam, cum lavatæ fuerint, ponuntur; et ipsa tabula tota desuper infunditur aqua et tergitur scopis: prius tamen consueta inclinatione præmissa, ter rursus dicunt hunc versum, quem in choro dixerunt: sed tamen hic adjuncta trina vice *Gloria Patri*, Dominica oratione, versu *Adjutorium nostrum*, etc. Iterum facto ante et retro, ita demum tabulam reclinant. Cantant omnes horas regulares pro more canonicorum. Vesperos pro fidelibus defunctis loco suo imponunt et ad ultimum *Verba mea*. Effusa autem aqua lavantur scutellæ, infunditur ea calefienda, qua olera sunt coquenda. Quod si matutinæ tardius explentur, ut aliquando contigerit, maxime in festis præcipuis et æstivalibus, et signum ad primam maturius est pulsandum, tunc prius quam quid aliud faciant, tabula reclinata, horas adordiantur. Si quid remanet, quod ante primam non cantaverint, non est consuetudo ut post primam cantetur in manifesto. Qua finita, vel si est in privatis diebus post evangelium missæ matutinalia olera caldario immittunt, et post capitulum in alterum fabas iterato.

Accipiunt lardum (115), qui cum aliquantulum coctus fuerit, cum oleribus exprimunt inde sagimen fabis superfundendum. Propter quod tamen ad majorem missam non omnes se subtrahunt, sed duo tantum et præcipue, si qui eorum sunt idiotæ, quibus autem non debet a commilitonibus indultum esse, ut aliquam privatam missam possint audire. Hi, ut præmissum est, sagimen fundunt, et per eos iterum fabæ calefiunt. Hi, si opus viderint pro morosa coctione, ut amplius aqua super olera mittatur, quantum mittere volunt, primum in sartagine calefaciunt; quia ea natura est olerum ut de aqua frigida saporem habeant deteriorem. Cavetur etiam cum mittenda sunt in caldarium, ut non alia aqua quam de fervida laventur. Fabæ non condiuntur nec adipe sparguntur, nisi quando percoctæ fuerint, ne forte mora longiori sal evanescat. Et si unus coquorum voluerit, non est illicitum, de ipsa fabarum aqua paululum prælibare, ut probet, si bene sint conditæ.

Ad mixtum non accipiunt, nisi quod S. Benedictus præcipit, quartam partem panis absque libra sua, et de vino; sed tamen ea die, qua aliquis fratrum post majorem missam sepelitur, mixto carent. Finita hora postquam sunt refecturi fratres, celeriter exeunt, ut fabas administrent, vel ad initium psalmi *Miserere* ea die qua raduntur, aut si psalmus non cantatur ad preces exeunt. Quorum, qui prior est, si tamen bene noverit, et hujus est virtutis, cum cochleari ad hoc facto fabas mittit in scutellas; alii portant ad mensas, a principali incipientes mensa. De oleribus e contrario fieri solet, quæ ita administrant, ut a novissimo incipiant.

Scutella posita cum ipsis oleribus ante domnum abbatem vel priorem, qui eam apposuit, cum signo mediocri licentiam quærit a præsidente, ut scillam jubeat sonare.* Quo annuente paululum inclinat, et ad scillam veniens tamdiu sonat, quousque juvenis *Benedicite* incipiat pronuntiare. (UD.) Sed et interim dum benedictio a sacerdote compleatur, prælatus dapifer stat inclinis ante architriclinium, et tunc facit ante et retro. Quod medium datur inter fabas et olera, tres dies in septimana, id est feria secunda et quarta, et sexta solet esse pietantia, quam aliis diebus generale... *Generale* appellamus, quod in singulis scutellis datur. *Pietantiam*, quod in una scutella duobus verbi gratia. Aliquando pro pietan-

(115) Hinc oleum lardinum, seu lardi, quod ob defectum olei olivarum monachis concessum fuit.

tia datur absque scutella unum crudi casei fratrum vel quatuor ova. Tunc caseus quidem ita ministratur, ut ad scillam sedenti in scutella apponatur, cæteris vero per singulas mensas singulæ porrigantur scutellæ casei frustis plenæ, ut quod sibi placet, quisque accipiat: si ova octo duobus simul in prima scutella apponuntur: cæterum pietantia, quæ duobus simul datur ad scillam sedenti vel priori in loco suo non dimidiatur. Pro generali ova quinque dantur unicuique, et caseus nunquam nisi coctus. Sed quidquid est generale a novissimo incipitur administrari, et ad hoc scilla sicut et ad olera, sonatur: pietantia vero a priore et de hac hebdomadarii coquinæ nihil omnino ex debito se intromittunt, nisi quod in fine prandii fragmenta ejus colligunt; sed cellerarius, quibus ad hoc innuerit, cum his eam administrat. Quidquid est generale, hoc apponunt, nisi pisces sint, quos Cellerarius ipse singulis eis suggerentibus apponit, adjutore suo ex altera parte similiter faciente. Quibus appositis cellerarius ipse scillam pulsabit. Si autem est alius generalis, ad hoc prior eorum scillam pulsat. * Quod si solito tardius administratur, prior scillam ante se pulsare non moratur. Poma vero cruda vel herbæ ad prandium, si bis reficiunt, nunquam alicui dantur in refectorio. (UD.) Scutellas colligunt eas solas, in quibus fabæ oleraque administrata sunt, propter quas etiam unus jugiter remanet in coquina, qui ita recens (116) ollitas abluat, eademque aqua, qua diluculo sunt ablutæ, ne si comestorum reliquiæ induruerint, major fiat abluendi difficultas. Eadem est diligentia de caldariis, ut et ipsa lavata sint, si non ante, prius tamen quam servitorum refectio finiatur. Focus etiam caute cooperitur, ut in crastinum vivus reperiatur. Post vesperos iterum fabis jam lavatis pro gratiarum actione dicunt præfatum versum, *Benedictus es, Domine, qui adjuvisti me;* eodem modo, quo alterum dixerunt in matutino. Sed si voluerint, duos dies expedire possunt de lavatione scutellarum, id est in secunda feria et quarta, in quibus pro consuetudine cellerarius non potest contradicere, ut eas in cellarium diluculo portatas non commendet famulis suis propensione studio lavandas. (UD.) Veniente sabbato post nonam vel post vesperos scopant coquinam, totasque sordes; quæ fiebant per occasionem cinerum, vel lignorum foris ostium accumulant, ut inde per famulos cellerarii efferantur. Calefaciunt aquam ad mandatum et eo die differunt versum: *Benedictus es, Domine,* usque dum mandatum sit peractum, et in refectorio etiam lectio collationis jam finiatur. In sequenti autem sabbato, cum noster aquæ ductus limosam habeat aquam, qualecunque sit festum, scopant utrumque lavatorium, tam quod est ad ecclesiæ usus quam quod ad manus.

Item scopant necessarias fenique reliquias per totam hebdomadam expensi congerunt ad murum, et si est tempus æstatis per totam illam hebdomadam post nonam in refectorio propinant aquam. * Sed hæc propinatio sicut et meridiana repausatio in Palmis initiatur et usque ad Kalendas Octobris protenditur. Sciendum vero est, quod in quacunque die Quadragesimæ fratres una vice comedant, post prandium fieri debet præmissa lavatorii emundatio quæ tamen, cum bis comeditur, usque post nonam differtur; sed in Quadragesima statim post sextam peragitur, semper quidem mundis scopis ab eleemosynario datis ad hoc solum opus utendis. Sciendum est etiam, quod præfati ministri in Quadragesima et alio tempore quotiens post cœnam officium defunctorum est agendum, a conventu exspectantur, nisi cum maximo ritu agatur, vel brevis alicujus defuncti adveniat, pro quo simul omnia signa pulsentur, vel, si nimis sero est, eisdem ministris licet bis vel ter in hebdomada alios fratres rogare, ut pro se serviant.

CAPUT XCVIII.

De utensilibus coquinæ.

(UD.) Hæc autem sunt utensilia, quæ nunquam deesse debent in coquina. Primum tria caldaria, unum ad fabas, alterum ad olera, tertium simul cum tripode ferrea ut si quis pannos suos lavare voluerit, lixivium facere possit. Cuppæ quatuor, una ad fabas reservandas, quando fuerint ita semicoctæ; altera in quam cadit aquæductus, et in qua olera prius lavantur, quam in caldarium mittantur tertia in qua scutellæ, quarta ad hoc solum, ut aqua calida in eam mittatur ad mandatum et rasuram, quibus fratres inter radendum utuntur; quam et calefacere debent, qui in priori septimana servierunt. Item quatuor cochlearia, unum ad fabas, alterum ad olera, tertium non adeo grande, sed mediocre ad saginam exprimendam; quartum est ferreum, ad focum cineribus cooperiendum, ad quem componendum vel distrahendum est etiam ejusdem generis forceps. Item quatuor paria manicarum, ne manicæ stamineorum fratrum de nigredine coquinæ familiari sordidentur.

Sunt et ibi duo paria palmariarum (117), quæ ita Romanice appellantur, manus quæ defendunt a calore caldarii, quando recens ablatum ab igne quoquam est movendum vel inclinandum. Tria manutergiola, quæ in omni quinta feria mutantur, minimeque manus ad solita tergunt manutergia fratrum, quæ pendent in claustro. Unus culter ad lardum incidendum, et simul cos ad acuendum. Una patulla ad aquam, si opus fuerit, calefaciendam et ad adipem fundendum. Altera, quæ permodica in fundo minuatim perforata, ut ipse adeps per eam coletur. Una pixis in qua sal recondatur, et unum scrinium, in quo minora quæque recondantur. Una urna, qua aqua hauriatur, scopæque duæ, quibus caldaria post coctionem scopentur. Duæ retis abscissiones, quibus utantur ab ablutionem scutellarum, et cal-

(116) Id est, *oleo illitas.*

(117) Genus chirothecarum, quod manum palmas tegit, ut in ord. Cluniacensi jam notavimus.

dariorum. Duæ tabulæ ad scutellas, una in qua ponantur post refectionem utcunque lavata: altera in qua diluculo, quæ ad perfectum debent esse lavatæ. Duo sedilia, quæ *bancos* vulgo appellant; una sella quadripoda et summissa, super quam ponatur cuppa cum oleribus, quando sunt in caldarium mittenda. Una petra, etiam major quam molaris, super quam iterum ponitur caldarium, sive sint fabæ, sive olera, quæ administrantur; altera super quam et altera cuppa ponitur de qua scutellæ lavantur inter reficiendum. Unus follis ad sufflandum ignem. Unum flabellum vimineum ad ventilandum. Unus contus ad subportationem caldariorum; alter ad ignis dimotionem. Unus canalis in qua lixivium semper habetur, propter manus frequentius lavandas. Duo quoque tigroni, uterque de tribus lignis licet imparibus angulis sint facti, qui in modum ostiorum huc et illuc versari possunt. In his pendent, catenæ, quibus caldaria suspenduntur, suspensa implentur aqua prope aquæ ductum, et ita deducuntur absque labore usque super ignem.

Sciendum quoque quod pro nulla necessitate aliud quid coquitur in coquina regulari, præter fabas et olera, nec etiam aliud genus leguminis. * Sed si fabæ desunt, præfatum tamen cursum et psalmodiam ibi cantare non omittunt; quia aliud multiplex servitium non sinit eos vacare, ut est focus nutriendus, aqua ad ablutionem caldariorum et scutellarum calefienda, lardus cum oleribus coquendus, ac post inde sagina exprimenda, et cætera his similia, quæ ipsa necessitas melius docet non prætermittenda.

(UD.) Cæterum fabæ etiam quando ita sunt novellæ, et pro quibusdam deliciis cum pipere condiuntur, non a fratribus sed a famulis coquuntur. In ipsa coquina regulari scriptor tantum, si incaustum (118) temperare voluerit, non prohibetur, et si quis voluerit calceos suos ungere, providebit horam competentem, id est in æstate ante primam, et in hyeme ante tertiam, et si meridianum non agitur, post nonam; si tamen servitores non habent amplius administrare. Pueri quoque candelas quibus opus habuerint, faciant in ipsa coquina cum magistris suis.

CAPUT XCIX.

Quando fratres anticipent mandatum in quinta feria, et quomodo pedes prælavent.

* Quotiescunque aliquod festum, in quo psalmus *Venite* a quatuor est cantandus in sabbato, vel in Dominica occurrit agendum, in quinta feria præcedente mandatum est anticipandum. Tunc etiam fratres prælavant pedes, et si quis podagra vel alio morbo ita infirmatur in pedibus, ut eos competenter in claustro cum ipsis abluere non possit, cum licentia lavabit in infirmaria, et famulus infirmarii aquam administrabit illi: sed postea ad mandatum ipsi pedes non lavantur.

Sed hoc sciendum, quod hæc pedum lavatio post A vesperos statim mutatis diurnalibus agitur; si tamen non est cœnandum; debet præmitti, officium sequi, etiam si ipsa hora hujusmodi brevis superveniat pro qua omnia signa simul pulsari debeant. Verum et diurnales facta mutatione in claustrum sunt reponendi. Quia nullus nisi nuper minutus debet dimittere, sive opus sit, sive non, quin aliquantulum eos abluat; quia hæc talis consuetudo ex antiqua patrum institutione tenenda est magis pro humilitate quam pro necessitate. Nam sunt nonnulli nostri ordinis tantæ humilitatis, ut staminea sua et alia vestimenta nunquam ab alio quoquam, nisi a seipsis lavari patiantur. Attamen soli obedientiarii, qui pro aliqua necessitate postea sunt exituri diurnales non mittant, sed corrigiis infra compositis cum eisdem B etiam mandato intersunt. Est autem consuetudo ut cum calcei ita in manibus portantur, extenso brachio per corrigas tantum tenantur, ita ut inter manum portantis et calceos dependentes quasi unius cubiti sit intervallum. Lotis ergo pedibus et diurnalibus aliquantisper ablutis si cui libet ungues pedum resecare, hoc in eodem loco debet facere quippe cui tunc temporis cultellum ad hoc solum secum portare permittitur: sed et soccos ibi tunc excutere conceditur. His autem peractis, non morantur calceos cum cultris ad lectum portare, et mox redeuntes in claustrum manus lavant, et si officium defunctorum non est agendum, percussionem tabulæ ad mandatum, sive cymbali ad bibendum, si non cœnaverint, ad C lectum sedentes cum summo silentio exspectant. Si autem, ut aliquando hyemali tempore contingit, cœnantibus ministris propter instantiam noctis a conventu lectio interim haberi non potest, accensis luminibus in capitulo tabulæ percussio exspectatur. Post cœnam vero ministrorum vel communem bibitionem inquiret prior a domno abbate, si velit mandato interesse. Illo autem sive volente sive nolente, prior tamen non omittit tabulam percutere.

CAPUT C.

De mandato fratrum.

* Igitur percussa tabula hebdomadarii coquinæ, qui præsenti hebdomada servierunt ad lavandum, qui servituri sunt in sequenti ad tergendum pedes, D se parant. Conventus capitulum intrat, sicque facto ante et retro sedens, intrantem abbatem vel priorem exspectat. Priori assurgitur erectim super scabella; abbati vero intranti stando, sed non inclinando. Imponente antiphonam domno abbate, vel, si ipse absens est, armario, illi qui pedes fratrum lavaturi sunt, præcedunt tersuri cum linteis; præcincti cum linteis subsequuntur, et sic capitulum ingressi; si quatuor sunt, primus et tertius in ordine in dextra lavant parte, secundus et quartus in sinistra, pedi quem laverunt statim calceum supponere non negligentes. Quem ordinem servant et qui pedes tergunt domno abbati et his fratribus tantum qui super sca-

(118) *Incaustum, encaustum,* Italis, *Inchiostro,* Lat. *atramentum.*

bellum aut super juncum sedent, flexis in terra genibus, pedes fratrum lavant et tergunt. Qui prius partem suam perlaverint, in altera parte lavantes adjuvant, quo citius se expediant.

Peracta autem pedum lavatione simul et manutergiorum, extra capitulum ubi aqua lavantibus ministrabatur per conversum, cui hoc officium fuerat injunctum, in eodem loco, sibi invicem aquam ad manus administrant, quas tamen non tergunt. Tunc ingredientibus illis cum baccinis ad ablutionem manuum nullus absente abbate priori assurgit; sed unusquisque sedens ministrum aquæ exspectat. Verum si episcopus aliquis vel abbas ibi in loco domni abbatis sedet, surgenti omnes assurgunt, et si super scabellum steterit, tunc nec conversus ad terram descendit, sed stando super scabella præstolatur donec consideat.

Facta autem et manuum ablutione eodem ordine quo et pedum, si quis ibi non hebdomadarius, sed rogatus ab aliquo hebdomadario vice illius ministrat, hic cum foris capitulum baccinum deposuerit, regressus in locum suum secedit, faciensque ibi ante et retro, sedet. Is ergo a quo rogatus fuerat exiens ante capitulum se cæteris in ordine suo jungit, sicque præcedentibus, qui pedes laverunt omnes simul ante sedem domni abbatis ante et retro faciunt. Tunc tandem sequitur eos conversus, qui aquam ministravit eis lavantibus, et veniens in locum suum ibi ante et retro facit et ipse. Lecturus autem ad collationem surgens statim, cum sacrista accepta licentia ad pulsandum exierit, petita benedictione, lectionum orditur statim ut cantum finitum audierit. Lecto uno vel duobus versibus, qui tunc tenet ordine sedens in principali loco, innuit ei qui sibi in tenendo ordine ibi proximus est, et ille facto ante et retro suavi egreditur incessu ad percutiendum cymbalum, si tamen lectum audierit versum; quem etiam refectorarius pari sequitur incessu. Audito itaque cymbalo, fratres ordinate in refectorium procedunt, et qui in eundo dexteri sunt, inclinant se cymbalum percutienti, ipse quoque inclinatus non se ad plenum erigit, priusquam omnes pertransierint. Tunc etiam lector eundo in refectorium neque primus est, neque si altioris est ordinis, locum suum servat, sed ordinem qui ei inter primos eventu occurrit, in refectorium usque tenet. Ibi quoque versum legere debet stans: similiter et totus conventus exspectat donec ordinem tenens unumquemque, quem præteriit, inclinantem considerat, a quo etiam innuitur ei statim, ut legat. Refectorarius autem mox, ut vocem legentis audit, scillam semel manu resonare facit, ut audito hujus sonitu conversi ac juvenes, quibus hoc est proprium, surgant ad propinandum, quibus cum ipse sine ordinis eorum consideratione, prout accesserint, pateras potu impleverit, et ipsi similiter, prout ab illo recedunt ante gradum, utraque parte tabulæ quæ refectorium dividit in longum, vel alter post alterum steterint extremo jam progrediente proximum

A jam lectionis exspectat, ac tum tandiu scillam pulsat, quousque juvenis vel puerorum aliquis, si assunt *Benedicite* incipiat. Tunc, data per sacerdotem benedictione, mox qui primus eorum ad gradum contra priorem steterit, ipsi poculum porrigit, et ipse pateræ suæ infundit, cæteri vero cæteris propinant, incipientes a prioribus ad utrumque refectorii latus, postremo in medio considentibus. Cum autem quisque pateræ suæ infuderit quantum sibi visum fuerit, juxta se sedenti porrigit. Sed si domnus abbas affuerit ipsi soli vasculum in quo sibi propinatum fuerit, dat, sive sit phiala, sive patera sua; cum biberit, ante se ponit; quod etiam licet cuilibet abbati vel priori juxta se sedenti, vel per seipsum ordinem tenenti. Propinantium pateras ipsi pincernæ infundunt;
B illi autem, peracto suo officio, non ut prius ordinati, sed quotquot convenienter in simul jungi possunt, præcedentes cæteri eodem ordine subsequentes ad gradum similiter ex utraque parte mediæ tabulæ ante et retro faciunt; et sic in locum suum bibituri redeunt.

Si quis fratrum interim supervenerit lectione nondum finita, bibendi licentiam accipit. Si quibus de potu quid remanet bibentibus, hoc infundunt justitiis suis, et pateras superponunt inversas. Finita autem lectione lector ponit librum in supremitate mensæ illius lineæ, quæ est propior sedi suæ, factoque ante et retro, librum recipit, et veniens in locum suum ante se ponit, et sic sedens bibit. Deinde cum priori visum fuerit scillam ad surgendum tunc percutit, ac
C in eodem loco stans versus ad conventum pronuntiat versum *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, sicque facto ante et retro inde redeunt in ecclesiam. Attamen sciendum est quod in hac sola processione fratres vicissim possunt mutare, propter discedentes obedientiarios, qui tunc inde cum licentia discedere possunt. Quam mutationem non licet in alia processione, nisi in fine fieri.

CAPUT CI.

Quando fratres infra collationem bibant.

* Item quotiescunque fratres inter collationem bibunt, hunc præscriptum ordinem tenebunt. Quia vero id occasio obtulit, quibus fiat temporibus, non debet reticeri. In omnibus festis, quæ maximo ritu celebrantur, ipso die sancto infra collationem bibunt,
D sive vigiliam habeat ipsi festivitas, sive non. Quod si vigiliam habet, in ea die, quæ vigiliam præcedit, fratres inter collationem bibunt. Bibunt etiam quotiescunque in æstate in crastina die debent jejunare, et quoties insuper priori videtur, vel propter nimium calorem, vel propter hujusmodi causam rationabilem, et usque ad Idus Septembris.

CAPUT CII.

De mandato prium pauperum.

(UD.) Brevis in capitulo clauditur cum his tribus, qui ad quotidianum mandatum notantur: quod inchoatur in capite jejunii, et perdurat usque ad Kalendas Novembris. Omni die, sive una vice, sive duabus comedatur, post cœnam agitur. Sane con-

ventu in ecclesiam post cœnam cum psalmo intrante, qui id facturi sunt, per minorem chorum transeunt, et sic se prope ostium in unum colligunt. * Mox post versum finitum tabula percutitur, et ipsi primi vel inter primos exeunt, et psalmum *Laudate* imponunt. Presbyter in medio, alii vero hinc et inde collaterales illi eumdem psalmum cantantes incedunt. Cum autem ad januam ventum fuerit, qui inter tres junior est paululum præcedit, januam aperit, et primus exit, ac post eum alter ille, sequente hoc sacerdote, sicque ad locum huic operi deputatum pergunt, UD. videlicet ibi tres pauperes inveniunt jam pedibus nudatis, et a famulo eleemosynarii prælavatis. * Ante quos etiam eo ordine, quo illuc venerunt, qualiscunque sit dies, veniam petunt. UD. Deinde finito psalmo superior locum dat presbytero, secedens ipse in medium et antiphona *mandatum novum* imposita, pedes pauperum lavant,* lotos post cum linteo deinde capillis parum tergunt, osculantur, simulque oculis tangunt. Qui postremus est in ordine idem linteum a famulo acceptum in manum dat sacerdoti, deinde sacerdos medio, et medius ultimo.

(UD.) Postea lavatis primum manibus propriis, ad manus quoque pauperum aquam præbent et manutergium. Scillula a sacerdote semel percussa cessatur a cantu. Pulsatur tandem scilla : qua dimissa *Benedicite* datur super cibum et potum, si habetur, A et sic pauperibus ministratur. Panis eis in dexteram, potus in sinistram mittitur. et manus utraque osculatur. Deinde mutantes se, stant et inclinant se ad ordinem hujusmodi. (*var.*) *Ostende nobis, Deus, etc. Kyrie, Christe, Kyrie, Pater noster. Et ne nos. Suscepimus, Domine,* etc. *Tu mandasti mandata tua,* etc. Oratio *Dominus vobiscum. Oremus. Adesto, Domine,* etc. Facto autem ante et retro et præfato psalmo imposito recedunt. Cum autem venerint ad fratres in claustro sedentes, inclines incedunt, et fratres eis transeuntibus similiter inclines aliquantulum assurgunt. Pervenientes cum ipso psalmo in chorum ad gradum, iterum dicunt Dominicam orationem, versum *Et veniat super nos misericordia.* Collectam. *Actiones nostras. Dominus vobiscum,* B *Benedicamus*. * Et iterum faciunt ante et retro.

CAPUT CIII.

Qui sint ad hoc mandatum quotidianum admittendi.

Sed sciendum quod sacerdos hebdomadarius ad hoc mandatum nunquam est notandus. Presbyter vero etiam ab officio suo suspensus sicut et diaconus possunt hoc mandatum facere in sacerdotis loco. Quia idem sacerdos etsi non fungatur sacerdotali officio, ubique dicit *Dominus vobiscum.* Conversus qui cum presbytero aut diacono et alio litterato hoc facturus est mandatum, in secundo loco, si tamen suus ordo exigit, notari debet. Hic jam claudenda est nostra loquela. Amen.

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO S. WILHELMI.

Quia superioris libri descriptione primum de novitiorum disciplina, ac deinde de reliquis consuetudinis nostræ institutis maxime infra claustri limitem quotidie agendis regulam dedimus, nunc quod restat de singulis singulorum obedientiis foris vel intus necessariis in secundum librum distinguimus. Et quia omnis obedientiæ nostræ caput et magistrum, utpote Christi vice positum abbatem credimus, ipsum in hujus voluminis exordio de electionis ejus diligentia, ac de impendenda electo reverentia locuturi, præponimus.

CAPUT PRIMUM.

De electione speciali, et ordinatione domni abbatis.

(*var.*) Electio domni abbatis hoc habet, quasi legitimum sempiternum, quod ad eam nullus mortalium interesse solet, præter eos solos, qui sunt ecclesiæ nostræ professi. Ergo imprimis res ipsa sedulis omnium fratrum precibus studiosissime Deo commendatur, ac deinde coadunato seniorum consilio de ipsa electione tractatur, et quomodo secundum Dominum fieri possit tota intentione perquiritur. Cum autem ad orationem ipsius electionis ventum C fuerit, primo totus conventus se in ipso capitulo prosternit, et de canticis quindecim graduum (119) septem prima decantat sequente oratione Dominica, et ipse prior aliis adhuc prostratis se levans præmisso versu : *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,* hanc dicit orationem (120). *Assumus, Domine S. Spiritus, assumus quidem peccati immanitate detenti ; sed in nomine tuo specialiter aggregati, veni ad nos, et esto nobiscum, et dignare illabi in cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamus, et ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus : esto salus et suggestor et effector judiciorum nostrorum ; qui solus cum Deo Patre et ejus Filio nomen possides gloriosum : non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam* D *diligis æquitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non accepti muneris, vel personæ amor corrumpat, sed junge nos tibi veraciter solius tuæ gratiæ, et gloriæ dono ; ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut et hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequa-*

(119) Id est, *de psalmis gradualibus.*
(120) Oratio hæc a S. Hugone Cluniacensium abbate facta est, ut colligitur ex codice Udalrici.

mur præmia æterna. Respondetur tamen *Amen* ab omnibus. Quos iterum confidentes prior compellat, suadens, ut de præsentia divinæ gratiæ nequaquam dubitent. Loquitur etiam nonnulla causæ et tempori consentanea.

* Inter hæc sive ipse prior, sive alius senior, cujus animam timor Domini possideat, monetur et rogatur a cæteris majoribus, ut primus edicat quid de gerenda electione sentiat. Si de eo quem primum nominaverit, pars aliqua fratrum dissenserit, in sequentem vel si opus, usque in tertium diem differtur, et interim jejuniis, orationibus, et eleemosynis instantius super hoc Dei misericordia invocatur. Tandem vero secundum regulam S. Benedicti (cap. 64) electo abbate, in ipso capitulo imponit prior antiphonam. *Confirma hoc, Deus.* Cantatur psalmus : *Exsurgat Deus*, tonaliter et sic deducitur in ecclesiam. Ibi jacet prostratus ad gradum, donec finiatur psalmus et antiphona, cum oratione Dominica, dictoque versu *Et veniat super nos,* cum oratione *actiones nostras*, etc., surgit, statuitur in locum Domini abbatis, imponitur hymnus *Te Deum Laudamus*, et consequenter incipit custos pulsare ad classicum.

Eadem autem hora ad secundum prædicti hymni versum singuli fratres veniam petentes incipiunt eum osculari. Quo facto cuncti cum ipso revertuntur ad capitulum, omnesque obedientiarii monasterii ponunt claves suas ad pedes ejus, et ipse præcipit eisdem, ut recipiant eas. Postea cum proxime opportunum fuerit, invitatur episcopus ad benedicendum eum, et ipse, non alius, donat ei pastoralem baculum. His breviter prælibatis de electione domni abbatis dicatur, quod, sine personali acceptione, generaliter pertinet ad ordinem nostrum, et ad illum, quicunque officio functus fuerit abbatis.

CAPUT II.

De generali officio domni abbatis,

(UD.) Domno abbati in omni loco (ut dignum est) singularis reverentia defertur. * Primum in ecclesia quandiu scilla pulsatur ante nocturnos, super (121) misericordiam sedilis sui, si opus habet, quiescit ; fratribus tamen interim solito more inclinatis. Si autem procumbendo oratur, tunc ipse infra prædictum spatium super formam jacet, et tres orationes ibidem facit. Nullus in choro juxta eum in sedili proximo stat, nisi abbas aliquis ; quibuslibet tamen prope illum stantibus locum vicissim sedendi dat. Quoties antiphona imposita, inclinat, omnes quoque cum eo inclinant, etiam quando veniam petit pro hoc, si in verbo fallitur aliquo. Si aliquando cum lectori benedictio danda est, dormitat, qui ei proximus sedet, honeste excitat. (UD. *var.*) Quandiu est in conventu, semper ad octavum, si hoc breve est, ad VII responsiorum notatur, et ad duodecimam lectionem, ad quam incedenti universi assurgunt, nec sedent, donec ipse pertranseat. Ne autem propter illum de analogio revertentem denuo surgere debeant finita lectione rursum ipse notatur,* usque dum surrexerint ad *Gloria Patri* responsorii cantanti. Tunc rediens ante sedem suam facit ante et retro sicut et prius. In tribus autem ante Pascha noctibus ad sextum responsorium et ad nonam lectionem notatur. (UD.) Si quando vel omnia vel quædam responsoria cantantur ad gradus, quod ipse cantat. cantat in sua sede cum concentoribus suis, juxta eum, si fieri potest, sin autem, retro stantibus. Quo cum illis finito de sede paululum procedens facit ante et retro. Sed et cantor prius ad eum venit, pronuntians, si quæ antiphona est ab ipso imponenda, vel responsorium cantandum.* Quod si ipse cantare vel antiphonam imponere noluerit, vel etiam præsens non fuerit, idem cantor vicem ejus in hoc agit. Ipse etiam causa monendi ad eum accedit, si ad lectionem eum non venire perspexerit.

Ad ejus curam proprie respicit hymnum, *Te Deum laudamus*, aut per se incipere aut alii juxta se stanti id injungere. (UD.) Quod si neglexerit, tunc prior incipit. Ad eum quoque pertinet, ut legat evangelium, quoties post nocturnos est legendum, * et ut tunc in alba in choro sedeat, si talis festivitas est, ut altaria incensare debeat. Tunc, inquam, solus et alba tantum indutus incensat, si in tali est festo, quo et ab alio sacerdote ita incensari debeat. (UD.) Tunc etiam ad sedem suam incipit antiphonam super canticum Evangelii, ac postea thus ibidem imponit. At si tale est festum, quo cappa indui debet, infra hymnum ad eam induendam in vestiarium venit, et si antiphonam non vult incipere, ibidem thus imponit. Si vero antiphonam est incepturus denuo ad sedem suam redit, ibique post incœptam antiphonam illic imponit. Ubi notandum, quod quotiescunque solus incensat, sive sit in choro, sive in vestiario, sacrista ei acerram et servitor thuribulum apportat. Super canticum Evangelii non amplius nisi in duodecim lectionibus antiphonam imponit. (UD.) Sacerdos oblaturus incensum, prius ad eum portat, si est in choro, ut per ejus manum in thuribulum mittatur ; item diaconus ante Evangelium : idipsum facit, qui tenet chorum ad offerendam etiam si domnus abbas tunc cantet missam.

In capite jejunii, si præsens est, ex consuetudine fratribus cineres imponit, quos et ipse postea a priore accipit, sicut et sacerdos, si domnus abba non aderit. Quicunque de suis professis, nisi sit abbas, ipsum osculatur, et ante et postea veniam petit, nisi ad missarum solemnia sit. In medio dormitorio est lectus ejus prope crucifixum. (UD. *var.*) Sonitum ipse facit, quo fratres diluculo ad surgendum excitantur. Qui, si aliquando solito diutius dormit, prior pro eo sonitum facit. Si ipse præsens est, quando ad capitulum pulsari debet, per se, si vult pulsat. * Si autem præsens non est, non debet pulsari, nisi prænuntietur illi, cui, si vult, in primordio interesse, et si aliquid ex maximis solemni-

(121) Id est, pro gratia super sedile sedet aliis inclinantibus capite.

tatibus instat, capellanus ejus, antequam scilla dimittatur, in minorem chorum divertit, ibique donec conventus præcedat, subsistit, et tunc pastoralem virgam juxta introitum chori jugiter positam accipit, et ante lectorem capitulum ingreditur atque ad dextram domni abbatis ponit, finitoque capitulo illuc ubi prius acceperat, reponit.

Quandocunque eo præsente nomen ejus fratres in brevi recitari audierint, omnes quotiescunque et ipse inclinant. Finito sermone, si talis excessus in sacramentis sibi forte accidit, * quando missam celebravit, scilicet si vinum sine aqua, vel aquam sine vino, pro sanguine Domini consecravit, vel si quid de eisdem sacramentis cecidit, vel si corpus Domini bis accepit; hoc modo agere incipit. Primum sedendo cum omni humilitate se accusat, seque a fratribus super hoc adjuvari postulat: quo audito, ministri, qui ubi idem excessus contigit, ministraverant, surgunt, et petita venia in stamineo judicium accipiunt. Illis vero ad sedem suam redeuntibus, omnes sacerdotes officium missæ celebrantes, veniam petunt. De quibus septimum si videtur, et octavum vice sua eligit, et hos, sicut et ministros judicium facit subire, finitoque capitulos post psalmos *Verba mea* cantantur septem psalmi pœnitentiales a fratribus prostratis, nisi dies sit Paschalis, et dicuntur hæ orationes: *Concede nos famulos. Ineffabilem* vel *exaudi, quæsumus, Domine,* præmissis his versibus. *Post partum.* Versus. *Adjuva nos, Deus.* Verum quia prædicti excessus non solum abbati, sed et aliis fratribus diverso modo possunt evenire, quam diverse etiam emendentur non est reticendum.

CAPUT III.

Quid agendum sit, si forte negligentia aliqua in corpore vel in sanguine Domini evenerit.

* Si de sanguine Domini aliquid ceciderit super corporale, recondendum ipsum corporale, ac loco reliquiarum servandum. Si super pallam altaris, incidenda est particula ipsa, et pro reliquiis servanda. Si super casulam similiter agitur. Si vero in terram, lingendus, extergendus, atque radendus est locus, sive lapis, sive terra, ipseque pulvis in sacrario, vel in piscina recondendus. Is autem, cui talis accidit negligentia, ante capitulum suum stamineum ita dissuit, ut, si abbati placuerit, nudus suscipere judicium paratus sit. Quod autem ita se præparet, etsi consuetudo non est, tamen nemo reprehendit. Post hæc agitur, quod de ministris, de sacerdotibus, et de septem psalmis prædictum est. Si autem de corpore Domini super altaris pallam aliquid ceciderit, pars illa non inciditur, sed vino tantum abluitur. Ille vero, cui hæc negligentia contigit in capitulo veniam petens, competens super stamineum judicium accipit cum illo, per cujus incuriam tale quid accidit. Si vero Dominicum corpus in terram ceciderit, simili modo per omnia agendum est, sicut supra dictum est, de sanguine Domini. Quod si in sanguine Domini musca, vel aranea, vel tale quid ceciderit, quoniam talis res non sine periculo potest glutiri, cum necesse est, igne cremandum est. Satisfactio autem hujusmodi casus in arbitrio præsidentis est, quo scilicet illi, cui hoc evenit, aut judicium accipere, aut psalmos jubeat, aut etiam publice eleemosynas dare, vel in conventu psalmos, prout sibi videtur, decantare præcipiat.

Sciendum autem quia quandocunque alicui fratri aliqua de istis negligentiis post capitulum contingit nequaquam emendatio differtur, sed abbati sine quo nunquam hujusmodi res tractatur, si est in claustro intimatur; moxque ad convocandos fratres tabula percutitur. Quotiescunque domnus abbas ad capitulum venerit, nec ab aliquo venia illic petitur, nec quisquam inclamatur, donec si quid illa vice dicturus est, finierit. Si quoquam profecturus fuerat, et interim aliqui fratrum nostrorum obierant, post reditum suum ad primum capitulum ab armario est admonendus, ut indulgentiam exoptet.

CAPUT IV.

De fratre incarcerato.

* Si fratrem aliquem incarceratum invenit, quem digna pœnitentia pro testimonio prioris et seniorum, quos ipse prior ad eundem direxerat, de carcere liberari exposcit, hunc petita venia pro eo ab eisdem senioribus jubet dissolvi, et in capitulum adduci, qui ut cor pœnitens veniam petendo demonstrat, jubet eum in ultimo sedere, aut etiam, si videtur de eadem noxa omnino liberum esse. Si quando infra sermonem ad capitulum accedit, priusquam illi finiatur non intrat. Intrans autem, si fratrem in judicio stantem, vel etiam exutum invenit, hunc prior mox sedere facit, et si talis est negligentia, quæ non sit leviter dimittenda, tunc dicit ei: *Ite sessum, et postea redite.* Qui reversus, profunde inclinat (hoc a quolibet observatur, qui hoc modo ire et redire jubetur), ad ejus introitum fratres assurgunt, et erecti ante scabella, donec pertranseat, consistunt.

Si de aliqua consuetudine dubitatur, quidquid ille communi seniorum consilio ibidem definierit, de cætero quasi pro lege tenetur. Nam hoc oportet seniores, quantum in ipsis est, providere, ne unquam per eum ulla consuetudo, nisi in melius transmutetur. Quod si ipse absque fratrum consensu aliquam consuetudinem sic immutat, ut postmodum perstare non valeat, humiliter inde est admonendus, et quidquid super hoc communiter a conventu decernitur, in hoc juxta majorum traditionem consentire non moratur. Ad illum quoque solum respicit, non solum majores obedientiarios, verum etiam quosdam eorum adjutores constituere, v. g., adjutorem primum custodis ecclesiæ, camerarii, cellerarii, magistri novitiorum, infirmarii, armarii. Ipsos tamen obedientiarios, sicut et cujuslibet cellæ priorem, prior sola necessitatis causa potest de obedientiis suspendere, si forte domnus abbas vel tamdiu alibi moratur, vel adeo remotus est, quod legationem ad eum non potest dirigere. Talis autem necessitas

cogit eum, quemlibet eorum de obedientia suspendere, si quid tale commisit, quod per se absque domno abbate emendare non possit. Adjutores vero prædictos pro simili, vel etiam minori necessitate potest mutare absente abbate : cui soli etiam repositum est, ut quemlibet fratrum mittat in culpam graviorem. Et hæc est hujusmodi.

CAPUT V.

De culpa graviori.

* Frater qui contumax, aut inobediens, vel in aliquo contrarius sanctæ regulæ exstiterit, hic quoque secundum regulam est tractandus. Qui vero aliquod tale crimen, ut est furtum vel sacrilegium incurrerit, sentiens illud ita publicatum esse ut non possit tanti sceleris reclamationem effugere, domno abbate capitulum tenente, petit veniam sua sponte ; deinde lamentabiliter profert in quo lapsus sit crimine. (UD. *var.*) A quo cum audierit, *Ite, exuite, vos et discalciate, et revertimini sicut mos est ;* exit, præcedente eum camerario in auditorium : ibi eo adjuvante primum pedes denudat, caputium quoque staminei sui dextra levaque incisione laxat, ut brachia per ipsum valeat extrahere, et stamineum cum manicis circa femoralia ligare (non tamen aufertur ab eo cultellus neque cingulum) accipit manu dextra jugiter ibi jacentium virgarum manipulum, ab ipso camerario tunc ad præsens colligatum, UD. et in leva cucullam decenti complicatione pendentem, et camerario præcedente, ita venit in conspectum domni abbatis, ac virgis cucullaque ante se positis, veniam petit. Jussus, ut surgat, sedet ad terram, et cucullam super genua ponit. * Verberatur, quantum domno abbati videtur, deinde jussus, ut se induat, ita sedens cucullam nudo corpori induit et surgit. Post hæc jubetur exire ad induendum. Comitatur eum, qui et supra ; rediens discalciatus, iterum se prosternit. Cum audierit a domno abbate: *Frater ! estote in graviori culpa*, protinus caput inflectit, capellum induit, quod et postea non abstrahit, quamdiu in tali sententia fuerit ; nisi quando ante ostium ecclesiæ se prosternit ; tunc enim parum illud detrahit. Deinde et designatum talibus locum tendit, prosequente eum fratre, cui tunc a domno abbate committitur.

In prædicti autem auditorii occidentali angulo quædam est mansiuncula ad hujusmodi fratres recipiendos tantæ quantitatis, ut uni sufficiat homini, et est jugiter a camerario serata, nisi quando aliquis tenetur in graviori culpa, tunc tantum a custode suo noctu clauditur, si suspicio fugæ in eum habetur. Antequam ædiculam frater iste, prope custodem suum sedens moratur, donec finito capitulo mox per eleemosynarium, si opus est, scopetur, et junco sternatur. Ibi jugiter manet, sed discalciatus, et absque custodia. Ibi super juncum dormit et reficit. Nullus ei loquitur, nisi frater prædictus. Ille enim de singulis, quæ si sunt agenda, debet eum præmonere, et in tempore suæ refectionis, quæ sunt necessaria, administrare. In qua hora et quantum domnus abba præcipit, de pane siligineo, et justitiam ejus cum aqua, et pateram ejus illi adportat : nisi præfatus Pater aliquid pro misericordia ei superimpendat. Qualiscunque autem sit ejus refectio, ad eam non prohibetur manus abluere ; sed neque mensale, neque mensam permittitur habere. Cibus ejus non benedicitur : reliquiæ cibi ejusdem et potus, si non est aqua, singulariter absque fratrum fragmentis pauperi alicui tribuuntur. Pro corporali necessitate licet ei ad infirmariam ire. Ad omnes horas ante ecclesiam venire priusquam instans hora sit incepta, observat ; et tunc veniam petens, prope ostium stat, vel, si est infirmus, sedet, donec conventus *Kyrie eleison* incipiat. (UD. *var.*) Tunc solo tenus se prosternens et post collectam surgens capellum reinduit, donec iterum post psalmum non levat, donec si fratres debent exire et omnes exierint. Ad ambas missas manet in angulo capituli.

* De industria domnus abbas jubet aliquos seniores ad eum venire, qui eum exhortentur, ut quidquid ei correptionis temporaliter fuerit irrogatum, totum habeat gratum, ut divinæ clementiæ possit reconciliari. Et cum fuerit visum domno abbati, concordat etiam cum iisdem senioribus, ut pro ipso reo in capitulo veniam petant, (UD. *var.*) maxime si bene sunt experti, et testari possunt, quo pro reatu suo spiritum habeat contribulatum, cor contritum et humiliatum. Quod cum audierit, fratri renuntiant. Ad proximum vero capitulum eis veniam pro eo petentibus ac pœnitentiam coram annuntiantibus adjungit et suas preces conventus. Annuit abbas, ut faciat cum illo misericordiam, et mittit pro eo. Potest autem talis esse frater, qui non plus una nocte in hujusmodi sententia dimittatur. Nam qualiter circa eum sit agendum, ex ante acta ejus conversatione, et præsenti pœnitentia abbati est colligendum. Missis autem pro eo priore et camerario, se nudat eodem modo, quo et supra, et veniens iterum vapulat, si videtur domno abbati, sicque cuculla induta, ad pedes ejus et omnium fratrum provolvitur, primum ad eorum, qui ad sinistram domni abbatis superius sedent, deinde in dextra ejus parte : postea revertens ad eos, qui super scabellum sedent, eundem servat ordinem : quo facto iterum veniam petit. Jubetur exire ad se induendum : comitatur eum solus camerarius. Indutus et calciatus revertitur, et iterum veniam petit.

* Jubetur, ut ultimus sedeat. Ex tunc ultimus est omnium in omni loco. Sive sit litteratus sive non, semper ad parietem est ultimus in choro, super scabellum in capitulo, ad mediam mensam in refectorio.

Interim non communicat, sicut etiam nullus ex quacumque culpa sit ultimus. Non venit ad pacem, non osculatur textum Evangelii. In ecclesia nec ad lectionem, nec ad cantum notatur, ad coquinam tantum servit, et ad mandatum fratrum, triumque pauperum, non tamen in loco sacerdotis. De cætero nulla ei obedientia interim injungitur.

Post singulas horas veniam super genua petit, A nec tamen propter hoc se ad altare vertit. Nunquam albam induit, nisi processio in albis agenda sit. Quando autem est sine alba in choro, a pariete, pro nullo alba vel cappa induto, ultimus interim dimovetur.

(UD.) Hæc singula cuilibet quacunque ex causa in ultimis posito sunt observanda, excepto quod, ut prædiximus, venia post horas petenda, quæ proprie huic, de quo agimus, est ascripta. In processu vero temporis aliquos seniores humiliter rogat; sed tamen absque venia, ut intercedant pro eo. Nunquam enim aliquis in conventu, neque in ipso capitulo hujusmodi intercessionem cum venia quærit. Iidem autem seniores, cum primum potuerint, pro ejus omnimoda solutione deprecari non differunt; si B tamen ejus intimam pœnitentiam perspexerint. Nam pro fratre tales excessus in usu habente, non tam cito ut solvatur, domno abbati aliquando suggeritur. Ad quorum postulationem prædictus Pater solet respondere, prout pœnitentis qualitatem novit exigere. Nam talis potest esse, quem ad proximum capitulum restituat in pristinum locum, et talis, cui id fieri nondum salubre esse decernat. Hæc autem intercessio quatuor modis fieri solet. Nam aliquando seniores, qui prius pro eo intercesserunt, domno abbati, ne obliviscatur in capitulo ad memoriam reducunt. Aliquando vero contingit, ut prædictus frater de aliqua parva negligentia reclametur, sicque data occasione tam ab C eisdem senioribus, quam a cæteris fratribus pro illo supplicatur, aliquando autem præsente abbate petit veniam, spontanee, ut eo opportunius fratres pro eo possint intercedere; aliquando vero evenit, ut ipse domnus abbas vocet eum, ut surgat et in medium veniat, nullo admonente. Quo veniam petente, loquitur consentanea et causæ et personæ, et reddit ei pristinum, vel si placet, inferiorem locum. Cadit ad pedes ejus, sicut etiam quilibet tam in ecclesia quam in capitulo, si quando eum promoverit ad locum altiorem. Quod si ipse impeditus, id priori commiserit, et ille in capitulo fratrum rem indicaverit, promotus pedibus illius illico provolvitur; et quamvis deinceps nullam ab aliis separationem patiatur, tamen si fuit fratrum confessor, vel ad sacros ordines promotus, nequaquam his officiis fun- D gitur, nisi et postmodum pro bonæ vitæ meritis a domno abbate concedatur. Et si inter sæculares de aliquo crimine publicatus fuit, nusquam amplius extra claustrum mittitur, nisi tam sancte et juste vixerit, quod ei bene deinceps credi possit. Quod si in alio loco quam apud nos tale quid perpetravit, illuc jam amplius non redibit, qualiscumque testimonii fuerit et quantumcumque senex fuerit. Si qua mala suspicio fratris fuerit tandiu laternam sub custodia portabit, donec per summam humilitatem sanctamque conversationem inde absolvi meruerit. Hæc hactenus de illo qui, domno abbate domi consistente, lapsus est in crimen capitale.

Qui vero illo longe remoto de tali culpa inter fratres publicatus fuerit, si sacerdos est, prior eum suspendit ab officio, ab obedientia, quamcumque tunc habet, a corpore Domini, et a cæteris hujusmodi; reliqua differt, usque ad abbatis præsentiam. Idipsum observat prior ad quamlibet cellam, si tale quid ibi evenerit, et insuper ipsum fratrem ad principalem locum, vel per se, vel per alium adducit, sicut et illum, qui de fuga redit; hunc enim nec in claustrum ibidem admittit. Si quis vero noster professus accommodatus abbati, qui ex nostris in alieno monasterio est præfectus, tale quid commiserit, hunc idem abbas ex consuetudine corrigit, et tamen si est de fuga reversus, cum primum ad nos venerit, nequaquam in claustrum, nisi solita satisfactione recipitur, etiamsi domnus abbas in illa priore satisfactione adfuit, nisi forte ipse eumdem vestitum recipi in audientia fratrum decreverit. Adductus autem ad nos ille, inquam, qui alibi crimen capitale commisit, sicut mos est, benedictionem accepturus, sive domnus abba domi sit, sive non, claustrum mox ingreditur. Si vero domi non est, priusquam reversus fuerit, idem frater nequaquam in præsentiam illius venit: sed interim in infirmaria commoratur, donec ipso jubente per priorem et camerarium exutus in auditorio nudus in capitulum repræsentetur. Quod si domnus abbas in monasterio est illo adveniente, licet interim in conventu sit, non tamen prius ante eum venit, quam ad capitulum ab eo proclametur, sicque petita venia, præscriptam per omnia de graviori culpa disciplinam experitur.

Hæc emendationis lex, quam diximus, semper observanda est, in hujusmodi lapsibus, nisi quod domno abbati clam allatum fuerit, ipse etiam clam tractare velit; quia talis causæ tractatio in ejus solius pendet arbitrio. Si quis autem de gravi culpa inclamatus negaverit, sicque res in dubium venerit, consuetudinali judicio interim ferente a quo comprobatur, id a capitulo differtur, secretoque probata iterum illuc refertur; excepto solo crimine fornicationis. Quod quidem cum propter scandalum non reclamari, sed domno abbati, vel eo absente priori secreto solet intimari. Si ab aliquo indiscreto reclamatur, simili etiam probationis occasione a capitulo differendum est. Sed quomodocunque probatum nunquam illuc est referendum, ea videlicet ratione; ut si quis reus inventus fuerit, hoc secreta districtione experiatur, quod in publica confusione, non sibi sed cæteris parcitur. Hanc etiam probationem prior facit, domno abbate non longius remoto quam est iter bidui.

CAPUT VI.

De aliis generibus correptionis.

(UD.) Sunt autem apud nos adhuc et alia genera correptionis, quæ non solum domnus abba facit, sed etiam, si opus fuerit, prior eo absente. Nulla enim monachorum ecclesia tantum dehonestatur propter quid tale, quod ab aliquo fratre committitur,

quantum propter hoc, si quod nequiter perpetratur, negligenter et absque digna emendatione dimittatur. Idcirco si quis de aliquo flagitio foris claustrum commisso divulgatur in populo, in præsentia quoque populi solet emendari, ut qui ejus excessum cognoverint, cognoscant etiam emendationem. Cunctis enim, qui videre voluerint videntibus, et maxime in media platea ejusdem loci, in quo commissum est, nudatur, ligatur, et verberatur. Et quamvis hoc districtissimum genus correptionis et confusionis sit, postea tamen in principali loco graviori culpæ subjacebit.

At si culpa sua non est de gravioribus malis, sed forte, ut cum aliquo inhoneste in audientia popularium contenderit; pro hujusmodi, cum venerit dies Dominica, vel alia festivitas, quæ feriatur, populari conventu celebrius ad initium missæ matutinalis concurrente, ad ecclesiam stat ipse nudis pedibus prope fores ecclesiæ, et unum codicem grandiusculum tenet in manu. Capellum vero non induit, ut ab omnibus agnosci possit. Nemini loquitur intranti vel exeunti. Unus enim famulus semper est juxta illum, qui dicat interrogantibus propter quid talis ei pœnitentia sit indicta. Nam non recedit inde quousque missa finiatur.

CAPUT VII.

Rebellis quomodo tractetur.

(UD.) Quod si quis inobediens et rebellis aliquo modo fuerit in capitulo, fratres ex more non exspectant, ut præcipiatur comprehendi, sed ipsi ultro continuo irruentes comprehendunt, et invitum exspoliant, et si videtur priori, licet antea verberatum, jubet acriter virgis cædi; insuper quoque in Bogas vel in carcerem mitti, quod consuetudo non contradicit, etiam si domnus abbas in monasterio sit. Sed si inter eundum ad carcerem aliquam rebellionem ostendit, solummodo eum minis terrent. In carcerem vero mittentes prius auferunt ei cingulum cum cultello. Ibi quandiu jacet nihil de cibo vel potu gustat, nisi quod domnus abba, vel, illo absente, prior jusserit. Carcer est talis in quem cum scala descenditur, nec ostium, nec fenestram habet.

CAPUT VIII.

De Bogis.

(UD.) De (122) Bogis quocunque sunt quædam leviores, quibus inclusus in dormitorio dormit, et ad processionem non deerit, et insuper in nocte laternam portat. Quædam vero graviores, ita ut inclusus dormitorium ascendere non valeat, sed in infirmaria cum custodia dormiat.

CAPUT IX.

De eo qui inobediens est extra capitulum.

(UD.) Quod si inobedientiam suam foris capitulum aliquo modo monstraverit, statim jubente domno abbate tabula percutitur; quod est signum conveniendi; propter hoc, ut iterum verberetur. Potuit et tale quid tam præsumptuosum in præsentia loqui domni abbatis, vel etiam prioris, ut propter hoc etiam non minus tabula percutiatur, item præcipiente domno abbate. In hujusmodi ergo non re sed solo nomine monacho, non ordo servandus, non abbatis commiseratio, non seniorum compassio adhibenda; sed corporalis districtio tandiu est exaggeranda, quousque hoc voluntarie facere incipiat, quod præsumptuosa prius induratio non sinebat. Si quis autem frater priorem vel modice conturbaverit, mox cum venia satisfacit. Talis potest esse excessus fratris in fratrem, pro quo tantum signis ei suam inducat pœnitudinem. At si tale quid in conventu facit, unde alios scandalizari cognoscit, propter hoc in capitulo veniam petit sponte, alioquin inclamatus districtiori subjacebit sententiæ.

CAPUT X.

De fratre qui sponte sua de monasterio egreditur, vel projicitur.

(UD.) Frater, super quo S. Benedictus præcipit (*Reg.*, 28, 7), ut abbas utatur ferro abscissionis, a camerario in vestiarium ductus habituque monachico exutus, ac vestimentis, quæ ipse attulit, vel aliis similibus indutus projicitur. Projectus autem sive egressus proprio vitio de monasterio, ter est recipiendus, receptusque si caret habitu monachico, in eleemosynaria; sin autem, in domo hospitali servandus usque in diem, qua congregationi est associandus. Qui si iterum persuadente diabolo, antequam in claustrum recipiatur discedere vult si improbus incorrigibilis sit, dimittendus est; si vero probatus, et utilis, in via est destinendus, quia talis etiam, si fugerit, persequendus est, et capiendus.

Ea vero die, qua introducendus est ostiarius et camerarius pro eo mittuntur a capitulo. Ab his ergo duobus in auditorio hospitum, sicut mos est, denudatur, et in capitulum cum virgis, quæ ostiarius de capitulo secum attulit ducitur. Camerarius autem affert ei cucullam, si ea caret, per occidentalem partem claustri transiens, et vestimenta illius, quæ tunc exuit, per eamdem viam rediens in auditorium, quod est in claustro portat: quia fratribus capitulum tenentibus, nulli præter hunc transire illuc licet. Finita vero sententia abbatis super eodem, jubetur in ultimo sedere. Abbate autem absente, non recipitur a priore, nisi remotus sit itinere tridui. Tunc recipiet illum, sed nudum, indicans ei, quia judicium tantæ noxæ domno abbati ex consuetudine sit reservandum. Pro quo tamen ad pedes ejus non venit. Præfato autem priore redeunte, idem in infirmaria jugiter moratur, summopere cavens, ne appareat conspectui illius nisi ab eo appellatus. Quando autem jubetur in capitulum venire, stamineum ejus in auditorio a priore et came-

(122) *Al. cod. pro* Bogas. *habet* Boijas, *id est, compedes, vincula.* Carcer adeo durus Stephani archiep. Tolosani miserationem permovit, ut anno 1350, die 27. Januarii jussu regis in universo Galliarum regno mitior facta sit delinquentium pœna. De quo vide Steph, Baluzii not. ad capit. pag. 1088.

rario, qui eum adducent, dissuitur, renibusque competenter circumdatur, sicque alia veste sua induitur, ut si forte reservatum judicium jubeatur accipere, sine mora possit obedire.

CAPUT XI.

De promotione fratrum in ordine.

* Proprium est domni abbatis secundum sententiam S. Benedicti (*Reg.*, c. 63) fratres in ordine promovere: quæ videlicet promotio est hujusmodi. Si propter aliquam rationabilem causam quemlibet conversum in ordine promoverit, hic ubique illum ordinem servat, excepto quod in ecclesia inter litteratos non stat. Nulli enim de conversis ibi inter litteratos locum concedit nisi tam bonæ conversationem et tam provectæ ætatis fuerit, cantumque didicerit, ut psalmos, hymnos et responsoria rite psallere, lectionemque legere noverit. Hunc talem, si videtur, permittit in eodem ordine stare, in choro, quem et in capitulo habet, ac in refectorio. Quando autem aliquis promovetur, eo, inquam, præsente cujus antea ibidem ordo fuit; is quidem reversus suo loco non privatur: nisi domnus abbas cum dicit: *juxta illum sedere*: subjungat *in omnibus locis*. Si vero præsens est, qui prius illic ordinem habuit, sed in alia parte capituli tunc sedet, postea nuper promoto inferior erit.

CAPUT XII.

Item de domno abbate.

(UD.) Ubicunque contigerit, ut colloquantur domnus abbas et aliquis fratrum, si frater contra se commotionem ejus senserit, continuo in longum prostratus veniam petit; * excepto coram sæcularibus hominibus. Viderit autem abbas quid vel quantum sibi liceat, ne hujusmodi sancti Patris nostri Benedicti metas transiliat. UD. Nullus etiam transit ante eum ubicumque sit locorum, quin ad eum altius inclinet, * nisi dormitorio et in ecclesia, aut post communionem ad vinum eunte, et subdiacono textum Evangelii circumferente. Quicumque autem ei obviaverit, hic multum inclinis stat, donec ipse pertranseat. UD. In ecclesia infra illum stat ipse sacerdos alba stola, vel etiam cappa indutus. Ad processionem in Dominica, ante albatos incedens, virgam pastoralem portat, quod et in omni duodecim lectionum processione, cui interest, observat. Ad hanc autem, quæ in albis agitur, ipse cappa utitur, quam tamen exuit facta processione. Si majorem missam vult celebrare, tunc stolam cum fanone a sacrista sibi allatam induens, ipsemet tertiam imponit, eaque finita in sacristia casulam induit. Ad hujus missæ processionem portat diaconus missalem librum ad altare. Sella ejus juxta dextrum ejusdem altaris cornu ita est posita, ut facies illius ad chorum sit versa. At si ipsemet missam cantare noluerit, cappa una de his quæ sunt armarii ab eodem illi defertur, ut per eum chorus teneatur.

Si cum episcopo vel abbate uspiam noctu incedit, ipsius tantum lucerna utrumque præcedit. Si audit
A missam ad sanctam Mariam, vel interim, dum ibi canitur, supervenit, liber post Evangelium ad osculandum ei defertur, et pax datur. Ibi, vel ubicumque missam audit, sacerdos, sive diaconus Evangelium lecturus, se ad eum pro benedictione vertit, nisi longe remotus sit.

Hoc in ejus potestate est, quemcumque abbatem talis loci, qui ex toto proprietatis jure principali loco est subditus, si necesse est, deponere; quia ea promotionis occasione obedientiæ professio non evacuatur, nec jugum subjectionis excutitur. Talis autem depositionis erit modus. Si irreligiose et non secundum ordinem nostrum vixerit, et pro hoc cum omni humilitate a senioribus suis bis vel ter
B commonitus incorrigibilis extiterit, tunc ad domnum abbatem res respicit; ita ut, dum primum fieri potest, aut ipse ad illos, aut illi ad ipsum invitati veniant, quatenus talis pertinacia coram ipso proclametur, ac secundum quod ratio postulat, res ipsa communiter discussa dirimatur. A quo etiam primum discrete paterneque bis vel ter admonitus adhibita quoque severitate corripiendus est, et nec sic correctus, tunc demum deponitur, et in principalem locum reductus, in ultimo statuitur, et juxta modum culpæ tractatur. Est et alia causa pro qua etiam nulla præeunte commonitione deponi debet, sine aliqua refragatione: si de aliquo criminali peccato infamis effectus, et in principali loco super hoc discussus, se excusare nequiverit, omnino deponendus est, etiam si alias bene vixerit. At si quod
C hujusmodi crimen paucis scientibus commiserit, sed ex intimo corde compunctus, pœnitens et confessus emendationem spoponderit, non deponitur; si tamen alias honestam ac religiosam vitam duxit.

(UD. *var.*) In conventu, si domnus abbas cappa utitur, reprehenditur, clericis et peregrinis monachis, qui ita vadunt pedites nobiscum in refectorio commissuris, ipse aquam ad manus ministrat, et propter hoc refectorarius semper in promptu habet baccina et manutergium, de quibus et ipsi abbati, cum opus fuerit, servitur: et tales semper ad mensam principalem sedent. Quibus etiam, sicut domno abbati libere servitur, excepto quod ei singulariter et sæpius, quam illis quædam admini-
D strentur.

* Quoties ad generale prandium fratrum fuerit, duas libras panis ante se invenit, quarum unam cum scutella alicujus edulii plena, quas frater illi serviens ante frater colligit, addito et potu, alicui pauperi assidue mittit. Ipse, si adeo invalidus, ut ante mensam ante et retro non fecerit, priorem vel alium fratrem pulsare scillam facit, et usque dum tempus sit dicendi *Benedicite*, sedet; quod ipse tamen ea vice primus incipit. Quod si inter legendum talem sonitum fecerit, qui dignus sit venia, assurgendo contra conventum inclinat, et conventus contra eum. Si autem tale quid effuderit frater sibi serviens, veniam petit. Qui etiam frater signorum ita debet

esse scius, ut quidquid domnus abba pro charitate A alicui vult impendere, per hunc solummodo signis possit facere. Idem frater ad hoc officium deputatus, ætate et moribus debet esse provectus. Si quid ad infirmariam mittit, ad præsens infirmario ab eodem fratre datur, ut per eum illuc afferatur. Solet etiam interdum lectori cæterisque ministris charitatem per eundem fratrem facere, quam ille in fine principalis mensæ repositam, eisdem postea reficientibus distribuit, atque cum signo auctorem charitatis ejusdem prodit. Qui mox versus principalem sedem æquali inclinant reverentia, ac si domnus abba esset in præsentia. Ipse etiam sicut et quilibet ad hanc sedens scillam coram se pendentem pulsat, si generale solito tardius administrari considerat.

Finita refectione et conventu exeunte, unus de B capellanis exspectat, ne forte inter eundum ad ecclesiam pro aliqua necessitate solus divertat. Quandiu in domo infirmorum repausat, nulli interest processioni, neque ullius causa usquam equitat. Solet quoque subinde de cella novitiorum in refectorium charitatem suam mittere; quam frater recipiens, reverenter in ante inclinat.

(UD.) Postquam nox fuerat, portatur ante eum laterna tam in conventu quam extra conventum usque ad lectum. Ubi qui portat, obsequitur illi et ad collocandum et ad levandum. Nusquam sine lectione reficit, ideoque, quia in refectorio non nisi aut ad communem, aut ministrorum refectionem lectio debet audiri, si non ad harum alteram, nunquam C reficit ibi. Quando est in itinere, fratres comitantes illum jugiter observant in via, ne desint, cum quamlibet horam cantat regularem; quia si quis eorum forte non interfuerit, postea eam sine licentia ejus non canit. Illi nimirum eodem modo in itinere sicut in claustro suas invicem negligentias diligenter notant; atque in capitulo quod domnus abba ubique locorum, prout competentia docuerit, cum illis habere potest, simpliciter reclamant. In ejus comitatu nullus suorum in armis militaribus esse debet. Quamdiu est in itinere, mandatum quod in sabbato agitur, prout potuerit, imitatur, videlicet pedes ac manus lavando, et charitatem bibendo. Similiter facit si in monasterio consistens fratrum mandato non interfuerit, quod tamen nunquam nisi pro in- D evitabili necessitate dimittit.

(UD.) Romam profectus vel alicubi per dimidium annum moratus, cum redierit, cum processione suscipitur, fatribus albatis vel cappis generaliter indutis. Pro hujusmodi autem susceptione debet ante prandium advenisse; quia oportet eum ea die communi fratrum refectioni interesse, et pro ejus adventu debet ibi charitas solito longior esse. Si ipso die competenter fieri potest, aliqua regulari hora finita, prævenit omnes de ecclesia exituros, prope cujus ostium stat aut sedet, assistentibus fratribus, qui secum in via erant, et singulos viritim exeuntes osculantur. At si in illo die fieri non valet, in sequenti post capitulum fiet.

CAPUT XIII.

Quem ordinem servet domnus abbas, quando in cella novitiorum comedit.

* Quotiescunque domnus abba in cella novitiorum comedit, ex consuetudine cellerarius, vel adjutor ejus illi servit. Lectio quam inter comedendum habet a capellanis legitur, sed diverso modo: nam cum nullus eorum sine jussu illius ibidem comedat, ab uno eorumdem, qui jussus illic comedit, inchoatur; sed ab aliquo consociorum ejus, de fratrum refectione per licentiam veniente, finitur. At si refectus, ante refectionem domni abbatis redierit, idem ipse eam incipit et finit. Potest iisdem Pater interim aliquod verbum ædificationis, si vult, interserere. Ideo autem Capellani cum illo raro, et non nisi jussi reficiunt, quia debiliores fratres sæpissime ab eo vocati ejus refectioni intersunt: quorum justitiæ a refectorario, et ejus admonitione mensæ cum mensalibus ab infirmario illuc deferuntur, sed prius non reportantur, quam iidem fratres in refectorio comessuri noscuntur. Nam si post nonam debent bibere, apponuntur eis aliæ in refectorio justitiæ; si tamen eamdem nonam in monasterio cantant, vel ad sanctam Mariam: nam neque aliquam horam, nisi a domno abbate jussi, in præfata cella canere præsumunt. Quod si illis jubetur, ea vice post nonam licenter ibi bibunt. Quicumque autem illuc ad unam tantum refectionem vocatur, mox ea finita regreditur, non amplius illuc rediturus pro hac causa, nisi jussus. Post collationem nulli licet illic bibere, nisi forte alicui tunc cœnanti cum domno abbate. Quod tamen cavendum summopere est, ne eum tam sero, nisi magna necessitate cogente, cœnare contingat, ut aliquando collationem supersedeat. Nullus enim frater incolumis, nisi ad vesperos in claustro erit, post cœnam ministrorum ullius rei gratia comedit.

Præfato tempore capellani qui, cum domno abbate non cœnabant, possunt cum licentia in refectorio bibere. Illud quoque sciendum est quod nemo in XII lectionibus in æstate, et in octavis, ante capitulum vel ante tertiam, quam præcedunt tres orationes, vel infra regularem horam, in eadem cella quidquam, excepta novitiorum confessione superius memorata, loquitur, quodque obedientiarii nunquam de obedientiis suis, vel de alia re, nisi per licentiam domni abbatis vel prioris, eo absente ibi loquuntur. Nullus in eam sæcularis unquam ingreditur, exceptis famulis, qui pro aliquo negotio illic interdum faciendo, horis tamen competentibus, ingredi præcipiuntur, et hospitibus a custode hospitii infra alterutram missam spectandi causa aliquando introducendis. Cum quibus nemo, nisi ipse solus loquitur, sicut etiam nec cum famulis supradictis, nisi is tantum, qui eos adducit. Nam et hoc ab omnibus pro quavis causa cum licentia ibi commorantibus observatur, ut nullus alii vel saltem in tempore loquendi quid loquatur; sed mox percussa tabula fratrum locu-

tioni adjunguntur, exceptis capellanis, quibus et in tempore silentii licitum est, etiam domno abbate absente, ibidem morari, si tale quid, sicut est cartulas facere, eis injunctum est, quod absque mora sit peragendum, et si ad hoc, quæ signis invicem exprimere non possunt, breviter loquuntur, propter hoc non reprehenduntur.

Notandum est autem ipsis capellanis, quod non magis licet eis claustrum exire, vel aliquam officinam intrare, quam et aliis fratribus assidue in conventu manentibus, excepta eadem cella. Verum si quis eorum ad ostium quærendo abbatem accesserit, nequaquam ingrei præsumit, nisi veraciter eum intus consistere noverit. Quicumque illorum ab eis obsequio expeditus esse potuerit ad offerendum, ad capitulum, ad processionem, ad officium defunctorum, quod cum maximo ritu colitur, usque dum tres saltem lectiones finiantur, ad mandatum quoque, et ad communem fratrum refectionem non deerit, si inclamationem effugere voluerit. De hoc autem omnes simul inclamandi sunt, si domnum abbatem usquam solum relinquunt. Missam ipsius abbatis nullus obedientiariorum in eadem novitiorum cella sicut nec alibi in monasterio debet audire, nisi eo tempore quo et alii sacerdotes solent cantare. Et est sciendum quod sæpe dicta cella aliquibus illic dormientibus non obseratur, sed cum absconsa a claustrali priore etiam domno abbate præsente perlustratur. Et ut breviter concludam, tanta disciplina illic per omnia observatur, ut nil vestimenti ab aliquo ibi dormiente in claustro ejusdem cellæ suspendatur.

CAPUT XIV.

Quando, et ad quæ officia notari debeat.

* Sed ut redeam in claustrum : ad duas septimanas in anno, si est præsens abbas et incolumis ad majorem missam notatur, id est Dominica Resurrectionis et Pentecostes. In quibus tamen alius sacerdos armario injungente, dicturus est horas regulares, præter vesperos et matutinum, et in refectorio daturus benedictionem. Qui et eisdem diebus ad canticum Evangelii non viliore cappa, quam ipse abbas vestitur, et cum eo simul altaria incenset, et officialem librum teneat ad ejus obsequium. In Nativitate Domini tantum ad majorem missam scribitur, et sacerdos in sabbato præscriptus, vel si in Dominica venerit, ab armario deputatus, cætera quæ sunt agenda implet. Quamvis autem amplius non notetur, quoties tamen vult per totum annum cantat majorem sive minorem missam, vesperos et matutinum.

Sed sciendum antiquam Cluniensium esse consuetudinem, ut in Nativitate Domini ministerium coquinæ faciant domnus abbas et cellarius simul cum decanis. Quod ideo tacere noluimus, ut animadvertatis a quanta sanctitate incœperit ille locus, quamquam modo non sit, nec absque magna importunitate idipsum humilitatis et religionis exemplum fieri possit : nam tanti fratrum, tanti hospitum

A occurunt ad hanc sacrasanctam solemnitatem, quibus singulis habet abbas pro tam diversis negotiis respondere, quod omnino non expediret, si tunc se levatione fabarum occuparet : a qua tamen alio competenti tempore non magis ipse quam et fratres se non excusant.

Hac autem vice sicut et in Pascha ac Pentecoste provisores villarum, qui *Decani* appellantur, ad hoc in brevi recensentur, quorum consuetus numerus nequaquam tunc minuitur quando abbas cum eis notatur. Nam in refectorio amplius huic negotio se non intromittit, nisi quod tantum quasdam scutellas a fratribus ei apportatas primo super mensas ponit. Hanc autem administrationem cum cæteris coquinæ servitoribus percusso cymbalo incipit, prioremque
B vel alium scillam pulsare præcipit, et, cum tempus fuerit, ipse primus *Benedicite* imponit, ac dicto versu sessum vadit. Ipse quoque omni die Dominica cum pueris, si in loco sunt, mandatum facit pauperi, cui lavat pedes, tribuit duos denarios, et pueris singulos, ut per ipsos pauperibus tribuantur. Quod si ab illo mandatum idem negligitur, tunc a pueris et eorum magistro, vel si illi desunt, ab armario providetur. Eorumdem puerorum confessionem si est recepturus, magister prædictus adducit illos usque ad introitum capituli ibique eos exspectat redituros.

CAPUT XV.

De eligendo abbate ad alium locum, ac de reverentia eidem exhibenda.

C * Si forte domnus abba rogatur ab aliquo, ut de suis fratribus abbatem constituat in alieno monasterio, juxta consilium seniorum eligit, qui tali videatur dignus officio. Electus autem si sapit, recusat, quantum potest, tale onus suscipere ; servata tamen obedientia, si viderit Patrem in sua perstare sententia. Post injunctam sibi obedientiam inclinat et sedet ad sinistram domni abbatis, ipso jubente. Cum venerit ad locum, cui est præferendus, ibique per domnum abbatem sive per ejus nuntium fratribus illis fuerit designatus abbas, tunc cætera quæ pertinent ad ejus promotionem ita peraguntur, sicut de electione domni abbatis supra scriptum invenitur. Post hanc promotionem, cum primum ad nos vene-
D rit, cum processione suscipitur, baculusque ejus pastoralis, vel si suum non attulit, unus de baculis domni abbatis, et tunc et postea quoties ad nos revertitur, juxta altare quod est proximum ostio, per quod itur de claustro in ecclesiam a sacrista ponitur, quatenus per hanc debitam ei fratres reverentiam exhibere commoneantur.

Si capellano caret, prior ei idoneum adhibet. Quamdiu apud nos moratur a fratribus ei inclinatur, præsente etiam domno abbate. Quo absente ubique dat benedictionem, et antiphonam in duodecim lectionibus super canticum Evangelii imponit, quam illi armarius innotescit. Cum quo etiam inclinante, vel si fallitur veniam petente, conventus inclinat. Post inclinationem thus imponit, si alius sacerdos

est incensaturus, qui ei acerram per manus osculum A porrigit. Octavum responsorium ad gradum cum aliis, aut in sede sua solus cantat. Duodecimam lectionem Patre monasterii absente, eoque præsente octavam legit, et duodecimum responsorium eodem ordine, quo et octavum canit. Ad gradum de sede sua tendenti quando lectionem prædicto Patre absente lecturus est, fratres erectim assurgunt, ipso vero præsente, parum de sedibus suis se levantes submittunt, et eo redeunte similiter agunt. Idem quando incensare debet per se thus extra chorum imponit incensatisque altaribus domno abbati et priori incensum offert. Nam etsi nullus abbas assit propter solum priorem illud in chorum reportat. Eumdem vero abbatem, domnus abbas accipiens B thuribulum a converso, vicissim incensat. Cum alio autem incensans sacerdote, sive cum alio cujus ipse est prior abbate, nulli nisi in choro, excepto domno abbate debet incensum præbere. Quando autem cum aliquo sacerdote, nullo abbate astante, incensat, ipse quidem priori, sed sacerdos illi incensum administrat. Ad processionem et in choro, etsi ipse alba indutus non sit, tamen albis superior erit. Cum missam celebrare voluerit, sacrista ei solito meliorem paraturam accommodabit. Ad capitulum non venit, nisi cum domno abbate, cum quo etiam ad principalem mensam sedet in refectorio, vel solus, eo absente. Post prandium ministrorum, comedens ad unam de superioribus mensis, sedet cum comitibus suis aliquantulum ab eo remotis. In dormitorio dormit ex consuetudine, potest tamen, si necesse C est, providente priore in cella novitiorum, sive in infirmaria dormire.

Si fratribus suis societatem et capitulum nostrum vult acquirere, in capitulo ante domnum abbatem debet veniam petere, et interrogatus quid dicat, cum responderit, *Misericordiam quæro*, surgensque voluntatem suam patefacit; assurgit donmus abba cum conventu, et dat ei societatem et capitulum, simulque recipitur ab eo. Nam priusquam hoc modo societas ab eis confirmetur, nullus nostrum ad illos, vel ex illis ad nos veniens capitulo interesse permittitur, nisi hoc cum venia promereatur. Si quid tale fecerit, unde fratres nostri loci quidquam moleste contra se habere cognoverint, quantocius advenit et D humiliter conventui inde satisfacit, ut quibus occasio ad ruinam esse poterit, exemplum ædificationis fiat.

Expulsus forte de loco suo pro aliqua persecutione, si spem redeundi habet et tamen diutius apud nos commorari debet, supradictum ordinem non servat, sed ex consuetudine, fratrum inclinationes et capellanum cum laterna sibi non impendi humiliter a domno abbate postulat. Si in competenti loco et tempore cum aliquo fratre sine licentia loquitur, hoc quidem in eo tunc dissimulatur; sed in fratre procul dubio inclamatur. At si postmodum in talibus ordinem transgreditur, super hoc ut emendet caritative admonetur. Quod si amplius ad monasterium suum redire diffidit, pristino suo ordine contentus erit, nisi domnus abbas eum promoverit.

CAPUT XVI.

De ordinando priore (123).

(UD.) Quando prior est ordinandus, primo domnus abbas habet inde consilium cum senioribus, et in arbitrio illorum electionem ponit. Postea refert sententiam in capitulo, et de quo consenserit, laudant omnes. Quem elegerit, si sapit, veniam petit, excusans se ad munus hujusmodi non idoneum esse. Ad ultimum si ei injuncta fuerit obedientia, non aliud facit, quam inclinat. Sedet ad sinistram domni abbatis. Cum surrexerint de capitulo eunt cum psalmodia solita in ecclesiam majorem. Ubi mox novus prior, in sedem præcessoris sui succedit, et finitis psalmis ad gradum veniens ante et retro facit, hunc versum ter dicendo. *Deus, in adjutorium meum intende*. Et conventus similiter respondet. Dat ei hanc ipse domnus abbas benedictionem. *Tuam, clementissime Pater, omnipotentiam supplices deprecamur, ut infundere digneris super hunc famulum tuum, quem tuo servorumque tuorum servitio mancipamus, spiritum sapientiæ et intellectus discretionisque; dona ei in hac domo tua ita agere, et injunctum sibi officium ita administrare, ut et tibi placere valeat, et utilitatem servorum tuorum, te auxiliante, perfectissime expleat, propter quod et hic et in futuro sæculo mercedem laborum suorum in consortio sanctorum tuorum a te piissimo largitore percipiat. Per*, etc.

Et ut hic quoque ejus absolutio non differatur, meminerit quando absolvendus est, ut mittat versum cum illo *Benedictus es, Domine Deus, qui adjuvisti me et consolatus es me*: et tali absolvitur benedictione. *Domine Jesu Christe, qui pie servientibus tibi munificus retributor et clemens largitor existis, hunc famulum tuum, qui in hac domo tua nunc usque fideliter laboravit, et tibi, servisque tuis obediendo injunctum sibi, te auxiliante, administravit officium: laboribus suis solita benignitate responde, et pius remunerator appare, et præsta; ut in hac domo tua jugiter permaneat, et mercedem laborum suorum, et hic et in retributione justorum a te percipiat, largitoremque omnium bonorum te esse plenissimum se non dubitet...*

* Est autem consuetudo, si res exigit, ut dum Pater de eadem obedientia absolvatur, de alio, si fieri potest, ut pertractetur, qui mox in ejus locum subrogetur, quatenus eadem hora, qua iste benedictionem egrediendi, ille etiam accipiat benedictionem egrediendi. Qui si forte propter aliquod crimen de prioratu destituitur, confestim in ultimo ponitur, postea secundum rem tractandus; sin autem, ad priorem redit ordinem. Quod quidem ita (sicut dictum) de quovis cellæ nostræ priore, si ad nos vocatus, a prioratu suo ob similem causam deponitur, est agendum. Qui etiam nihil retinet de

(123) Vide cap. 2, part. I Ord. Cluniac.

his, quæ secum attulit, exceptis vestibus suis, sed pariter cum equo, quem sedet, remittuntur, et postea successori suo tribuuntur.

(UD.) Ab hora autem ordinationis suæ, prior noviter electus post domnum abbatem de omnibus rebus et causis, quæ ad monasterium pertinent, se intromittit, nisi de thesauro ecclesiæ et de armaria (124), quæ in potestate abbatis consistunt. * In sinistro choro stat supremus. Item in refectorio sedet supremus ad mensam, quæ ad dextram domni abbatis; et si ille deerit, sedet in ejus sede in refectorio; cui vult, mittit; extra refectorium vero nulli mortalium licet ei quidquam mittere. * Quotquot sunt, qui ullam habent obedientiam, ad eum respiciunt omnes, UD. et si tale quid præcipuum acturi sunt, nequaquam agitur absque ejus consilio, et absque ejus consensu. (*Var.*) Si perrexerit ad obedientias vel alias, ducit secum unum fratrem, qui cum eo cantet cursum regularem, et vestimentum sacerdotale, adjuncto calice. Quod tamen rediens statim custodi ecclesiæ reddit. Si iter agens eodem die ad claustrum revertitur, absque licentia non debet in via prandere. Eamdem licentiam ipse nulli potest dare domno abbate in monasterio consistente, nec etiam eo absente, nisi pro magna necessitate. Nihil pecuniæ privatim habet. UD. Nam quando deforis reversus fuerit, quidquid apportat, totum camerario reddit, nec minus ab illo quidquid opus habet, recipit. Quod ideo a nostris Patribus præcautum est, ne illa mala pestis proprietatis, et præsertim monachis adeo periculosa, aliquo modo subrepat. * Verumtamen quidquid illi intus vel foris pro charitate ab aliquo defertur, licenter accipit; sed et hoc in communem fratrum utilitatem expendit, nisi domnus abbas aliud inde fieri jusserit. Ad matutinum non legit, neque cantat, nisi ad quod eum armarius notat. Et quamvis capellanum non habeat, nunquam tamen solus claustrum exit, nisi aliquem de fratribus pro reverentia secum duxerit.

CAPUT XVII.

Quæ reverentia priori impendatur, et quid sibi facere liceat, et non?

* Quotiescunque cum armario chorum tenet, textum Evangelii priusquam ille osculatur; sed incensum non imponit. Ipse etiam cappa indutus vel alius nutu ejus eadem hora offert, et absque licentia præcentoris cappam exuit, si ante finem missæ eum inde discedere contingit : ad eum pertinet licentiam dare missam celebrandi, vel abbas aut cappas exuendi, postquam domnus abba in missarum celebratione post offerendam accesserit ad altare, quod et cuilibet ordinem regenti licet facere. Ipse vero prior missam celebraturus, postquam primum ad altare accesserit, nulli quid faciendi licentiam dat; sed potius, qui ad præsens ordinem regit. Ad capitulum et post completorium pulsaturo signi vestem aliquis pro reverentia deponit, finitaque pulsatione reponit, et postquam chorum exierit, nullus ei obviam ire præsumit. Ad capitulum omnimoda, prout dignum est, reverentia, ei ab omnibus impenditur, et tamen cavet se de his intromittere, quæ ad abbatis judicium novit respicere, sollicitus ibi et ubique ad se pertinentia pie discreteque tractare. Leviori culpæ aliquem a seipso subjugatum post abbatis reditum sine illius præcepto non solvit. Cum obedientiariis vel aliis fratribus alias quam in capitulo nihil dure vel aspere loquitur, ne pro illius inopportunitate aliquis inordinate veniam petere cogatur, nisi forte D. abbate absente tale quid, ut supradictum est, cum consilio seniorum abeat tractandum, quod in capitulo non sit publicandum. Is namque, qui in tali noxa deprehensus fuerit, quoties ab aliquo inclamatur, toties veniam petit. Nullum in ultimo ponit, nisi eum, qui de fuga, abbate remoto, rediit. In gravioris culpæ sententiam neminem mittit. Cætera omnia ad regularis disciplinæ districtionem pertinentia in ejus sunt potentia.

Quando fratres in conventu solito altius loquuntur, vel in ecclesia ad preces vel ad litaniam minus audiuntur, propter hoc ab eo sonitu ante se facto admonentur. Si horæ regulari interfuit, quæ refectionem præcessit, excepto ad vesperos, si post *Benedicamus Domino* non reversurus exierit, ipse cymbalum vel alius provectæ ætatis nutu ipsius percutit, incipiens ad *per Dominum*. Et hæc pulsatio quousque media pars conventus exierit de ecclesia protelatur, et tunc de quinque percussionibus, duabus quidem paulisper protractis, tribus vero conjunctis, finitur. Quo facto quærit domnum abbatem in sacristia, in infirmaria, in cella novitiorum, ante cellarium. Quem si non venturum didicerit, pulsatum vadit, et tandiu pulsat, quousque fratres de dormitorio cum gravitate tamen advenisse cognoscat.

Simili modo claustralis prior facit percusso cymbalo, et, utrolibet invento, scilicet domno abbate vel priore, nisi eodem jubente, alteri postea non indicabit. Si vero percutiens cymbalum scit priorem hoc audire, neutri illorum hoc innotescit : sed prior abbati hoc annuntiabit. Ei, sicut cuilibet ad scillam sessuro, nunquam conventu præsente, nisi integer panis apponitur. Ad hanc sedens, si sonitum fecerit, vel aliquid effuderit aut fregerit, eamdem quam et domnus abba satisfactionem facit. Nullum ibi fratrem pro impendenda charitate nominat. Quoties generalis pictantia fratribus impenditur, tunc sibi soli sive ad scillam, sive in loco suo sedenti, integra datur. Scire debet, quod propter abbatis micas lectio est protelanda. Si minutus est sanguine, cum conventu non dubitat chorum intrare. Post singulas refectiones finito psalmo debet ante vestiarium stare, quousque viderit fratres exiisse. Quandocunque in refectorium itur bibere, non prius scillam debet dimittere, quam videat omnes intrasse. Quilibet fratrum propter infirmitatem ad processionem, quæ

(124) *Armaria*, bibliotheca, unde *armarius* bibliothecarius.

privatis diebus agitur, et ad opus manuum cum ejus licentia deesse valet, potest quoque interdum pro nimio frigore vel pro alia necessitate a processione eadem penitus absolvere, vel, si opus est, ea peracta calciandi licentiam dare.

Ante chorum vero sedens, sive minutus, sive alia infirmitate detentus, nulli dat licentiam in choro quid faciendi : quia illud est officium tunc ordinem regentis. In Dominicis diebus quando fratres de vestibulo in chorum procedunt, ipse, vel quicunque tunc ordinem regit, ultimus post albatos incedit. In Sabbato solet notari ad missam majorem et ad coquinam ; sed rarius quam alii, quia in multis est occupatus. Notatus ad missam omnia sicut et alius sacerdos ipse perficit, nisi quod absente abbate in capitulo neque in refectorio versum dicit ; sed tamen ne vicarius ad hoc desit. Jubet quoque unumquemque in domum infirmorum ad repausandum intrare, quacunque hora eum adeo sentit ægrotare; sed tamen postea si opus fuerit, pro reparandis viribus, non potest ei carnis refectionem concedere, domno abbate, inquam, in monasterio manente, nisi ipsius jussione. In libro memoriali (125) quemcunque vult, facit notari ; sed non in regula absque domni abbatis licentia. Quod si quem psalmum pro aliqua tribulatione post discessum abbatis jubet cantare, qui usque ad ejus reditum protrahitur, statim eo redeunte dimittitur. Si regularem horam, quæ prandium præcedit, ad S. Mariam pro necessitate aliqua cantat, non notatur. Ibi ad primam et ad completorium confessionem præmittit, nec non benedictiones ad nocturnales dat lectiones, etiamsi sub infirmorum lege sit ; quod tamen claustralis prior, etsi sanus, non facit. Ea die, qua post reparationem de infirmaria redit, ante capitulum claustrum non exit; sed si tale quid alicui habet dicere, hoc in eo tempore, si est privata dies, in auditorio fratrum paucis potest ei innotescere ; et si domnus abbas capitulo primum interfuerit, veniam consuetam pro carnis comestione petit; quod minime facit, si postea supervenerit.

Sed sciendum, quod quandiu in domo infirmorum moratur, nullus absque licentia tunc ordinem regentis ad eum venire præsumit. Cum autem per omnia inibi manens infirmo alii se disparem non faciat ; tamen si quid alicui mittere vult, non notatur. Cum ad cellas omnino nobis subjectas venerit, quandiu in qualibet illarum manet, eumdem ordinem, quem et in principali loco per omnia tenet. Si quem fratrem, qui sit prior priore ejusdem cellæ secum abducit, hic eumdem priorem in ordine præcellit, quod tamen non fit, si quis talis cum domno abbate sine priore illuc venerit : tunc enim ipsius cellæ prior tam ordinem quam officium obedientiæ suæ in omnibus illic observat.

Decani et priores, qui talibus præsunt locis, ubi regularis ordo sic observatur, ut scilla in refectorio ad mensam suspendatur, de mensa surgunt, et non solum majori, verum etiam claustrali priori obviam vadunt, si inter comedendum adveniunt.

Hæc et his similia in priorem reclamantur, si infra ambitum muri, vel in ejus vicinitate tam prope manens, ut tempestive possit audito signo ad regularem horam accurrere, non alias quam in majore ecclesia, vel ad S. Mariam eamdem cantat : si de illa, nisi inevitabili necessitate prius recedit, quam in choro finita sit; si infra aliquam horam loquitur excepto infra conpletorium, si et tunc est valde necessarium ; si alias quam in capitulo confessionem alicujus audit, exceptis novitiis; si sermonem, qui de Evangelio vel de regula est, plus solito protraxerit : si ad refectorium fratres ultra solitum eidem primo ferculo administrato, exspectare facit ; si aliis vestimentis utitur, quam his quæ communiter fratribus tribuuntur ; si quidquam ex hoc, quod illic pro charitate impenditur usquam, nisi in communem fratrum utilitatem distribuit ; si solus claustrum exit ; si solus (quod absit), cum muliere loquitur ; si frequenter tardior cæteris dormitum vadit ; si ullo modo contra ordinem vel ipse facere, vel aliis concedere præsumit.

CAPUT XVIII.

De suffraganeis prioris, quos decanos appellamus, quo ordine ipsi vel alii quique exituri benedictionem accipiant, et qualiter se in via habeant.

(UD.) Suffraganei autem prioris ad exteriora sunt villarum provisores, quos *Decanos* vocamus ; his non licet, sicut et nulli fratrum, usquam sine licentia de cella equitare, etiamsi eodem die debeat reverti. * Hi sicut et quilibet migraturi, post finitam horam elevata manu et signo crucis contra domnum abbatem vel priorem facto, ita petunt licentiam abeundi. Et si forte ita evenerint, ut domnus abbas, vel major prior, prioris tunc in choro ordinem regentis, ingrediatur, (*var.*) benedictionem accepturus, qui tunc eum sequuntur, et si qui cum eo tunc in ipso choro migraturi (exceptis his, qui eum sunt comitaturi) etiam si sint albis induti, ab ipso ad gradum accedente, priusquam ante et retro faciat, petunt licentiam ; quo annuente, et illis (ut moris est) ad gradum inclinantibus UD. (vel si talis est dies, procidentibus) prosequitur sacerdos his versibus : *Salvos fac servos. Mitte eis, Domine.* Collecta : *Adesto, Domine, supplicibus.* Qua finita, si statim volunt exire, qui albis sunt induti, ab eodem exuendi licentiam petunt, a quo et abeundi licentiam acceperunt ; sed in loco suo ante et retro non faciunt ; vel si hoc neglexerint, ab eo, qui ad præsens ordinem regit, eandem licentiam quærunt, et in loco suo tunc ante et retro faciunt. Quod si aliqua de causa præpediti ea die non discedunt, in sequenti recessuri nihilominus eandem benedictionem reci-

(125) Liber memorialis, alias necrologium, in quo nomina benefactorum et amicorum notabantur. In codice vero, quo regula S. P. B. descripta erat solummodo notabantur illustriores benefactores, et qui singulari fœdere monachis conjuncti erant.

piunt, quam si in Dominica post matutinum sunt accepturi, servitorum coquinæ benedictio debet præcedere. Hoc autem debent scire, quod a Kalendis Octobris usque ad Pascha nunquam, nisi aut in octavis, aut in duodecim lectionibus, vel quoties tertia capitulum sequitur, si non est generale jejunium, post tertiam mox benedictione accepta, si volunt prandere, licenter possunt. Si vero regulare est jejunium et tertia præcessit capitulum, eo finito reficiunt, postea non comessuri, nisi per licentiam. At si universale instat, et unde prandeant foris, habere diffidunt, exeuntes necessaria ad prandium secum deferunt. Idem in Quadragesima observant; quare tunc pro hac causa nequaquam fratrum prandium anticipant. Quod si post Nonam benedictione accepta communem refectionem exspectant, postea, sive longe, sive prope, licenter pergunt: quod tamen alio tempore nulli licet post vesperos facere, nisi soli illi, qui pisces vel emendo vel piscando debet acquirere.

Verum priusquam exeant claustro, præcavent ne reverti necesse habeant; quoniam propter quamcunque causam regressi fuerint, e claustro sine licentia denuo egredi non præsumunt. Si quis etiam ita præparavit, ut illico ascendat super equum, si evenerit, ut signum audiat ad horam ullam regularem, et adhuc sit infra septa murorum, armamentis viæ depositis revertitur ad horam, nec præsumit iterum absque licentia exire. Ad percussionem vero tabulæ ab abeunte fratre, si est extra portam, nec ad illam, quæ fit propter Brevem, si jam exivit claustrum, non revertitur. Et cum circa tempus Nonæ abire voluerit, si interim pulsatur signum, quod fratres excitat ad surgendum, vel tempore Hyemali ante tertiam ad calceandum, propter hoc non omittit. Egressus autem portam cellæ, caput caputio obtegit, donec a villa exierit. Hoc etiam per villam aliquam transiens custodit UD. Super equum ascensurus, prius cappam induit, quam se cingat, nec eam abstrahit, nisi prius se discingat. Quantumvis enim lutosa sit via, si cappa non est indutus in frocco, equitat discinctus; in cuculla vero sine frocco, nisi desuper cappa induta, nunquam equitat. Obviantes monachos clericos, et quosque in habitu conversionis salutat, dicens eis: *Benedicite*. Sæculares vero more vulgari compellat. Obviantem amicum sæcularem, si voluerit sedens in equo osculari, poterit: monachum vero nunquam, nisi ad terram descendens. *(var.)* Ubicunque autem ascendit, locum altiorem quærit, et sic cum gravitate ascendit. Unde et ante portam monasterii ad ascendendum truncus est positus. Cavere debet in itinere, ut nihil in se irreligiosum aut ordini nostro contrarium a quoquam notari possit; ut vestimenta sua a tergo non difflue (excepta interdum propter pluviam cappa) sed composite infra sellam jaceant, ut nec anterior, nec posterior sellæ corrigia vel aliud quid tale sibi desit, nec in equo simul verso respiciat. Ne sine fasciolis equitet; si tamen ultra unum milliarium a

A cella vult discedere. * Ut uno calcari, si alterum habere non potest, sit contentus, nisi aut obedientiarius sit, aut longius ire velit. Ne manticam secum in caballo, si opus est, portare dedignetur. *(var.)* Numquam peditem in itinere longiori, quam duorum milliariorum spatio comitem habebit; attamen ad fluvium veniens, aliud, si necesse est, equo transportare valet, quod alibi nusquam licet. UD. Et cavendum summopere habet, ut caballo suo nunquam fræna ad currendum laxet. Ipse quoque nunquam currit, nisi propter obiturum et incendium.

Dum est in via, si est talis dies, qua ad horas venia est petenda, ipse etiam quando quamlibet horam cantare voluerit, descendens ad terram, de capite capellum, de manibus chirothecas abstrahit veniam quoque petens, orationem Dominicam dicit. B Inde se levans, signo crucis facto, iterum veniam petit; hora imposita, ascensoque equo, tenet viam. * Quæ tamen, si adeo lutosa est, vel si ipse adeo infirmus est, pro descensu sedens in equo, psalmum *Miserere mei, Deus*, etc. præmittit, deinde dicta oratione Dominica, horam cantat. In duodecim lectionibus vero, et quandocunque venia non est petenda, nec psalmum canit, nec ad terram descendit. Unde priusquam de claustro exeat, quando dum abest, duodecim lectiones legantur, prævidisse debet; debet etiam ex usu cantare cursum sanctæ Mariæ. Si illiteratus, injungitur ei aliquid pro regularibus horis cantandum, id est oratio Dominica, et si quid, C scit hujusmodi.

Prandere in itinere sine missa, etiam in majoribus festis, ideo licenter potest, quia non nisi in notis locis, aut noti sacerdotis missam audire, nec per se ipsum, si est sacerdos, cantare præsumit. Cui, si fragilitas evenerit, uno tantum die a missæ celebratione se abstinet, quod amplius non devitat, etiam si mutatorium aliud habere, vel confessionem facere non valeat. Regulare jejunium foris observat, nisi exiens prandendi licentiam acceperit. Prandere in prato potest, si necesse fuerit. Qui ei cibum vel potum administrat, nunquam administrat in sola camisia vel in femoralibus solis, nisi forte eveniat, ut ab alio quam suo comite ei administrandum sit. Inter comedendum, si quid breviter dixerit, pro his quæ ad præsens necesse habuerit... de alia tamen D loquela longiore cavet. Antequam comedat, dicto versu legit aliquid de sacra Scriptura, et in fine similiter. In via quoque sitiens, si carens quoque vase ad fontem biberit ex manibus, ob hoc notari non meretur Talis autem qui sit imberbis vel rasus barbam, non debet esse in ejus comitatu. Sed neque mittere a se comitem, et solus equitare præsumit. Ubi vult hospitari, si adeo prope est ecclesia, vesperos ibi cantare non omittit; Completorium et Matutinum non ibi cantat, sed in lecto vel in loco competenti juxta lectum, nisi hospitium ecclesiæ sit conjunctum. UD. Cavet autem aliquam ecclesiam cum calcaribus et cappa indutus intrare vel de manu feminæ aliquid accipere, cum ea ad mensam sedere,

cum ea quidquam dicere sine teste prope eos seden- A te. Omni tempore priusquam nox fuerit, si magna necessitate aliqua impediente, alioquin Completorium ultimo non differt.

Sunt præterea quæ tam foris quam domi observat, id est, si est cuculla exutus tam in die quam in nocte, nullum verbum emittit. Observat etiam, ne quoquam ponat eam longius a se, quam sit cubitus unus. (*var.*) In cuculla sine pellicio sedere vel ambulare poterit. * Si ad aliquod monasterium, quod est nostri ordinis, vel ubi capitulum habemus, venerit, ibi eadem se habet disciplina, qua et domi se habere solet, et si antea illic non erat, cum intraverit chorum sive capitulum, si interim habetur, et si nemo eum inducit, ultimum petit locum ; in eo tamen choro in quo et domi ejus est statio. Si vero B ad alienum omnino monasterium venerit, ibi nec claustrum intrat, nisi jussus sit : ut illic sibi ostensum fuerit, ita facit. Cæterum si ad quodcunque monasterium venerit, sine licentia de claustro non exit, nec comiti suo quidquam loquitur. Sciendum est etiam : quando quodcunque monasterium nostri ordinis est ingressurus, ubi infra spatium dimidii anni non fuit vel quod nunquam intravit, ante ostium per quod primum illud intrat, super genua veniam petit, et ad loca de via redeuntibus ad orandum constituta, se prosternit ; nisi dies paschæ sit.

Quod si duo fratres pariter ad aliquod monasterium venerint, ad quod alter eorum nunquam venerat, alter vero in proximo aderat, de venia ad limen januæ petenda et de oratione facienda, quod C priori bonum videtur, junior imitetur. Hæc specialiter de uno dicta, generaliter ab omnibus nostri ordinis monachis sunt observanda.

Sed decano adhuc quædam sunt specialiter observanda ; id est, ut post comestionem nullum domesticorum suorum verberet ; nunquam etiam fratris alterius, si fieri potest, testimonio careat, qui secum jugiter moretur. Item si ejus obedientia sita est infra iter dimidiæ diei, UD. omni sabbato ad monasterium redire debet. Nam nec lotos pannos induere, nec se radere præsumit præter ibi. Nihil etiam cum ingenio lucratur ; agros et vineas diligenter exercet, et alit pecora et jumenta. Nihil habet absconditum nec in domum extraneam commendatum ; quod a nostris majoribus omnino est D anathematizatum. Seges et vinum quando ex toto fuerit collectum, debet prior ex more videre quidquid habuerit in horreo, quidquid in cellario. Quantum videtur, dimittit ad commeatum ejusdem decani et hospitum supervenientium, et ad opus agricolandi ; quod superest jubet ad monasterium deferri. Similiter facit eodem tempore in cellis nostris, ubi tantum sex aut decem fratres morantur, si tanta rerum copia habetur, unde plures possint sustentari ; eisdem fratribus victum et vestitum, ac hospitum necessaria pleniter dimittens ; quod superest, jubet ad monasterium deferri.

CAPUT XIX.

De communi ordine de via redeuntium.

* Nunc autem præmisso itinerantium ordine, jam de via redeuntium communis ordo non est omittendus. Fratres qui de via veniunt, neminem infra muri ambitum osculantur, antequam orationem faciant. Si quid tamen, quod necesse est, extra claustrum breviter loquuntur, in hoc non reprehenduntur. Qui si in meridie post refectionem ministrorum advenerint, postquam fratres surgant non ingrediuntur : propter hoc non clauditur infra refectionem ministrorum, ut quisque tunc veniens, ingredi valeat. Tempore loquendi redeuntes, in ipso claustri introitu tantum *benedicite* dicunt ad assidentes. UD. Itaque ea die, qua redeunt, corpus Domini nisi facta confessione non accipiunt ; quia fragilitas humana devitare non valet quin usu vel auditu, aut etiam locutione multoties peccet. In eodem die post singulas horas faciunt ante et retro, et dicitur una de his collectis : *Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum. Quæsumus, omnipotens Deus. Omnipotens sempiterne Deus.* Præmissis his versiculis, *Salvos fac servos*, qui semper primus est : secundus *Convertere Deus* vel *Ecce quam bonum*, vel *Beati, qui habitant.* Pro quibus si collecta tribus vicibus vel sæpius dicta fuerit, pro his ad completorium non est dicendum, nisi duobus versiculis præmissis absque salutatione. *Misereatur. Omnipotens sempiterne Deus.* * Quod tamen domno abbati, nec episcopo, vel abbati alicui aut priori nostro est dicendum, sed collecta similiter, ut ad cæteras horas.

Benedictionem nullus causa prandii negligit, si cum ministris tempore quo nona canitur, reficit. Nam exrefectus eam accipit, iterumque ad refectionem redit. Sed sciendum, quod si quis fratrum foris positus, paschali solemnitati vult interesse, in quarta feria debet venisse. Quod si forte neglexerit, quicunque sit veniens, in ipsis tribus diebus post quamlibet horam finitam, prædicta benedictione quidem non caret ; sed nemo illi in eisdem diebus osculum præbet. Cui quoque, si est noster professus, cavendum est, ne in tribus festis videlicet nativitatis Domini, Paschæ et pentecostes, ante tertium diem, nisi magna coactus necessitate, abeat ; sed et tunc quousque capitulum finiatur, exspectat. Hoc etiam sciendum est, quod si qui venerint, dum conventus in choro non fuerit, si major monasterii porta tunc clausa est, aspersi aqua benedicta, primum ad crucem, deinde in choro, et post inde ad S. Mariam inter formas in longum prostrati, si talis est dies, sin autem, inclines debent orare. Quod si infra capitulum veniunt, tertiam orationem ad altare, quod est in dextra parte chori faciunt. Si infra regularem horam venerint, ita ut ante *Gloriam* primi psalmi chorum intrare possint, aspersi tantum chorum ingrediuntur, finita hora post acceptam benedictionem ad crucem, si porta (ut dictum est) tunc clausa est, deinde ad S. Mariam oraturi.

Si vero post *Gloriam* primi psalmi ecclesiam in-

traverint (non enim foris exspectare præsumunt), advenientes ad gradum veniam non petunt. Post aspersionem facta una oratione ad prædictum altare ibidem eis benedictio est exspectanda; quia nec sic venientibus, nisi pro corporali necessitate, licet a regulari hora recedere. At si infra completorium supervenerint, ad crucem non orant; sed facta item oratione ad prædictum altare ibidem exspectant, et accepta post completorium benedictione ad S. Mariam orant. Venientes etiam ita, ut nec cœnæ servitorum interesse, nec postea ante collationem possint reficere, ad collationem debent interesse, et sic post completorium accepta benedictione possunt reficere. Si vero infra completorium venire non possunt, postmodum cellam intrare non præsumunt, sed in crastino ita intrant, ut post singulas horas præscriptam benedictionem accipiant. Qui per unam tantum noctem foris morantur, hi neque cum exierint, neque cum redierint, benedictionem accipiunt, nisi forte evenerit, ut aliquis de via veniens et benedictionem redeuntium accepturus, eadem die rursus exeat, et crastina redeat, huic tunc non substrahitur benedictio, quam habuisset in priori die, si remansisset. Verum si quis ad eamdem horam redeuntis simul et exeuntis benedictionem est accepturus, is cum accesserit ad gradus ab ordinis rectore cum signo crucis licentiam quærit abeundi, et facto ante et retro, cum eadem inclinatione sive prostratus, sive stans, primum redeuntis, deinde exeuntis benedictionem accipere potest. Quem si rediisse de via sacerdos nescierit, aliquis astantium sciens, ei innotescit. Debent autem de itinere redeuntes in choro interesse matutinis; nisi sit aliquis de longinquo veniens, et tali infirmitate gravatus; illi conceditur extra chorum, vel ad S. Mariam matutinis eisdem interesse.

CAPUT XX.

De claustrali priore, et ejus adjutore.

(UD.) Claustralis prior vicarius est majoris per omnia prioris, quare non solum debiliores fratres ad propinqua loca ad repausandum mittit; verum etiam validiores ad cellas valde remotas in auxilium fratrum illic commorantium, domno abbate vel priore longe remotis. Verumtamen nunquam in privatis diebus aut duodecim lectionibus ad offerendum, vel ad pacem post aliquem albatum, nisi in ordine suo accedit. In festis autem, quæ in albis aguntur, absente priore, primus etiam ad singula hujusmodi procedit, excepto si domnus abbas vel prior missam cantat in conventu: * tunc enim nullo modo se primum his admittit, nisi omnium prior in ordine sit. Quotiens ipse ordinem tenet ita, ut neque domnum abbatem neque priorem interim advenire speret, tunc ad processionem, quæ privatis diebus agitur, ultimus incedit, et cum venerit ad S. Mariam, in choro sinistro consistit, etiamsi in dextro ejus statio fuerit. Si cui opus fuerit absente priore ad infirmariam gratia repausationis ire concedit, ipseque infra refectionem

A eorum, sicut et quisque tunc ordinem regens, illuc venire non negligit, et singulis pro temporis competentia charitative, breviter tamen, loquitur. Cum ministris reficiens ad scillam sedet. Hic est, quocunque domnus abbas vel prior proficiscatur, qui in claustro jugiter moratur, et qui præcipue pondus totius ordinis portat. Propter quod tamen altiorem inter fratres non habet ordinem.

Ut autem eo expeditior ad idem officium sit, armarius nunquam illi aliquid tempore refectionis vel collationis injungit. UD. Hoc est autem quod nullo die omittit: post completorium aspersus aqua benedicta statim, nisi ipse asperserit, stare prope ostium ecclesiæ secedit, ut singulos intueatur, quomodo inclinent ad altaria et ad sacerdotem, per
B quem asperguntur. Postquam omnes exierint, sive ille asperserit sive non, accipit absconsam ab hebdomadario illuminatam, et capello induto totum claustrum perlustrat. Primo videt, si clausa sit janua auditorii hospitum; domus eleemosynaria; si quis adhuc sit et propter quid sit ante cellarium; si coquina regularis sit obserata; refectorium, deinde cellam novitiorum, domum infirmorum videns, si ipsi jam se collocaverint, et quomodo se habeant, si quis eorum adhuc remanserit in ecclesia S. Mariæ: (*rar.*) ascendit dormitorium, portans secum, si quid forte in claustro neglectum offendit; prospicit quoque omnes necessariarum sedes. Tempore hyemali quando fratres post cœnam collationem in capitulo exspectant, facit unam circam per
C omnes officinas claustri, observans ne aliquis, si, qui tunc in capitulo sedere deberet, inutilitati vacet. Facit quoque aliam circam ad intervallum quod solet esse inter nocturnos et matutinum, et in illa circuit omnes lectos in dormitorio, in cella novitiorum, inde transit ad ostium refectorii, coquinæ regularis, cellarii, eleemosynariæ, * ostii claustralis, deinde ad infirmariam per capitulum transit, sed per auditorium in ecclesiam majorem redit, circuiens omnia altaria, et angulos ecclesiæ ac sacristiæ; inde revertitur per chorum, sicque verso tantum contra juvenes lumine pertransit, et absconsam in locum suum reponit. In his omnibus, si quid negligentiæ cognoverit, hoc in crastino reclamabit. UD. Has circas etiam pleniter ordinem tenens
D ex usu facit. Quod si minutus est, vel aliqua infirmitate gravatus, alii ab eo hoc injungitur.

Ut autem breviter de ejus officio concludam; si domnus abbas non adest, neque prior, non solum omnes obedientiarii, qui in claustro sunt, ejus præcepto obediunt, sed etiam ipsi decani ad quæcunque opus fuerit. Ideoque valde necessarium est, ut talis constituatur, qui ad tot tantaque negotia procuranda idoneus habeatur. * Hic talis sive ordinem tenens, mox ut audit signum collationis, debet capitulum intrare, ne postea intrans conventum faciat assurgendo laborare. Cæterum quanquam hæc omnia, quæ supra dicta sunt, licenter faciat, priore tamen in conventu manente, nulli quid fa-

ciendi vel loquendi licentiam dat; sed in hoc non notatur, si tunc temporis in cella novitiorum, vel in aliis claustralibus officinis, vel sua sponte, vel ab aliquo rogatus, quod necesse est, loquitur. Habet autem et ipse suffraganeum unum, qui in singulis quæ ad manum sunt agenda suppleat vicem ejus absentis, præsentis vero per omnia, quando prior aliquo proficiscitur, vel in domo infirmorum propter infirmitatem commoratur. Habet quoque adjutores, juvenum custodes, et circatores. UD. Claustralis prior absolutus de eadem obedientia, * veniam petit pro indulgentia, quod tamen ex consuetudine alii adjutores obedientiarum non debent facere.

CAPUT XXI.

De circatoribus (126).

(UD.) Circatorum munus est, ut omnes negligentias quæ ullo modo contra ordinem possunt contingere, notent, et in capitulo reclament: ideoque totum claustrum non semel, sed multotiens in die circumeunt, ut nec locus sit nec hora, in qua frater ullus securus sit, si tale quid commiserit, non deprehendi, et non publicari; sed maxime quando fratres lectioni vacant, ne forte aliquis ad eam non sit intentus, explorant * Ergo quotidie aliquis illorum ante primam vel alio tempore ante tertiam singula altaria circumspicit, et si ultra duos obedientiarios cum adjutore ad aliquod aliud altare perspexerit (excepto in summis festis) vel si quam negligentiam viderit reclamare non omittit. Cæteras vero circationes mox post finitas singulas horas (nisi post nonam quando fratres bibituri sunt) solent facere, post offerendam matutinæ missæ, post evangelium majoris, ad officium defunctorum, post tres lectiones; insuper etiam prout status cujusque loci exigit. Hæ igitur circationes debent fieri in domum eleemosynariam, ante et infra cellarium usque ad limen exterioris ostii ipsius, et usque ad limen exterioris coquinæ, in regularem coquinam, in refectorium, in cellam novitiorum, in cameram, in infirmariam, ad locum, ubi cocturæ liguriuntur, et sanguis minuitur, in capellam S. Mariæ, in cœmeterium, ad fabricam, ad scriptores, in sacristiam, et in quemlibet locum, ubi tale quid operis agitur; et quidquid dignum reclamatione ab eisdem circatoribus conspicitur, ibi quidem reverenter dissimulatur; sed dicto ad capitulum *loquimini de ordine*, sine mora reclamatur. Et in his reclamationibus, sicut et in omnibus, omnino personarum acceptio est devitanda.

Aliquis etiam quotidie cymbalo percusso ad horam refectionis ante ostium refectorii consistit quousque conventus introierit, diligenter notans qua disciplina se fratres ad lavatorium habeant, vel si quis negligens usquam incompetenter divertat, vel ad sonitum scillæ festinans indisciplinate veniat. Idem quoque prope finem refectionis vadit in coquinam regularem, in cellarium in cellam novitiorum, ut si forte aliquis illuc absque rationabili causa ierit, eum latere nequeat. Sed antequam *Tu autem*, dicatur, regrediens notat, si fratres, quos transit, combinatis pedibus sedeant, si per omnia se regulariter contineant, sicut et exiens fecit; nulli tamen ibidem signum faciens; sed si quid ordini contrarium perspexerit, hoc usque ad tempus reclamandi a memoria ejus non recedit. Quod tamen in claustro non devitat, sed ibi circumiens, cuilibet, quem dependenti vestimento sedere viderit, modeste innuit, ut illud componat.

Scire autem debet juvenum excessus maxime notandos et inclamandos, quippe qui minus delinquentes, cæteris etiam acrius corripiuntur. In meridie circuit claustrum, et si domus eleemosynaria sit serata, prospicit; inde in cellam novitiorum, et in infirmariam pergit, atque ea hora dormitorium quantocius potest ascendere. Infirmis comedentibus nullus eorum ad eos intrat, sed per ostium, quantum valet, quomodo se habeant, explorat. Simili modo intra officinas, quæ claustro junguntur, stans potest foras prospicere, si quid ibi ab aliquo fratrum fiat reprehensibile. In omni quoque festo in cappis aut albis celebri, aliquis illorum post evangelium deposito interim fanone in stationis suæ loco, cappa vero in vestiario, solitam facit circationem. Qua facta eamdem induit, et in chorum redit. Verum quamvis omni studio singulas negligentias debeant annotare, verbis tamen non debent amplificare; sed simpliciter reclamare: nisi aliquis incautus se velit incaute defendere, cui donec ipsa veritas excutiatur, in reclamando non parcitur. Hoc autem semper esse præcavendum noverint, ubi fratres aliquos hora incompetenti colloquentes viderint, ne clam quid loquantur, auscultent; nec per signum aliquod perturbent. Si vero ipsi fratres licentiam colloquendi acceperunt, hoc sibi verbis et signis mox innuunt.

Obedientiarii autem, qui non possunt omittere, ut non aliquando aliis silentibus de obedientiis suis, in tempore tamen et loco competenti, videlicet ante cellarium, loquantur, si quem circatorum supervenire viderint, propter hoc non conticescunt, nec quæ sit loquela eorum illi dicunt: quippe qui nihil aliud quam de obedientiis in tali loco colloqui debent. Ad eos etiam pertinet ordinis rectorem ad refectorium vocare, si eum primo ferculo administrato viderint diutius tardare. In feria secunda primæ hebdomadæ Quadragesimalis post distributionem librorum omnes veniam petunt seipsos accusantes, quod officium circationis prout habuerunt, non impleverint. Quod si quis eorum aliqua de causa præpeditus eamdem obedientiam implere non poterit, inde absolvitur, et ad præsens alius in locum suum subrogatur.

CAPUT XXII.

De juvenibus, et eorum custodibus.

* Frater, qui est hujus ætatis, ut adhuc custodia indigeat, etsi ultro sæculo renuntiaverit, et optimæ

(126) Vide Ordin. Cluniac. par. I, cap. 4.

sit opinionis, minime tamen custodia carebit: (*ud. var.*) et idcirco laicus, nisi tam provectæ ætatis sit ut sine custodia esse possit, neque scholaris puer in claustrum suscipitur; sed si res ita exigit, ut nullo modo sibi ingressus denegari valeat, ad aliquam cellam mittitur, quousque ad intelligibilem ætatem perveniat. Sed et illi maxime, qui nutriti sunt in monasterio, si in moribus viri esse noluerint, virilis ætas nihil eis profuerit, ut a custodia solvantur: in qua, qui positus fuerit, primum in dormitorio lectus ejus est prope lectum custodis sui, ad quem absque illo nec accedit unquam, nec recedit. In nocte vero quocunque incesserit, vel etiam ante completorium, si solito serius fuerit, vel post sonitum, si adeo mane erit, ad mandatum quoque, si eo indiget, sicut sæpe in hyeme contingit, portat ante se laternam, custode prævidente, ut candelam habeat semper: in refectorio eam exstinguit et super scabellum pedum suorum ponit. Ibi semper ita intermixti esse debent juvenes, ut inter duos juvenes, alii duo fratres sedeant, ea scilicet causa, ut si forte unus discedat, alter remaneat.

Custos si eum duxerit ad necessarias, postquam ipse surrexerit, jugiter quidem, sed modeste eum intuetur, quantumcunque et laterna stet ante eum. Si vero in nocte opus habuerit surgere, excitat custodem, capitalem vel aliquid de operimentis ejus tangendo; accendit ipse laternam et pergit ad necessarias, nec ante a custode exstinguitur, quam ille collocetur. Alio etiam tempore ipse juvenis eam semper accendit et exstinguit, nisi post completorium et post matutinum: tunc a custode est accendenda, et quando se recollocat ad dormiendum, iterum exstinguenda. Si eum in ecclesiam vel in refectorium duxerit, non eum deserit, usque dum sit in præsentia conventus. Si notatus fuerit ad coquinam, ante sonitum non venit in eam. Cum nullo alio nisi cum custode hanc debet facere, qui et eum diligenter ibi et ubique debet custodire, ac de negligentiis suis jugiter proclamare; quia, quidquid eo præsente deliquerit, totum illi imputatur, si ab eo super hoc non inclamatur. Ad tres orationes, quæ rite fiunt ante nocturnos, et ad illas, quæ ante primam vel ante tertiam, et post completorium fiunt, ad litaniam quoque post primam, nunquam ab invicem separantur; sed sub litania custoditus jacet ad sinistram custodis. Si juvenis stat in uno choro, et custos in altero, juvenis debet in custodis vigilia vigilare, quando defunctum habemus. Quando proceditur ad aquam benedictam, ad communionem et ad processionem, si diversi sunt in ordine, custodiendus ascendit vel descendit, custos vero non mutat ordinem suum, nisi propter eum qui forte pro aliquo excessu in ultimo est positus. Quod si quis promeretur, quamvis eumdem ordinem per omnia habeat, qui de ultimo supra dictus est, gravioris culpæ tamen vinculo nunquam constringitur; sed statim ut tale quid commiserit, ...ibus et nimiis verberibus corripitur. Ideo nun- A quam sua sponte debet flagellum secreto suscipere.

In qualibet processione, quæ circa vel extra claustrum agitur, a custode suo si est conversus, alicui litterato maxime propter cantum commodatur, sicut et ille, qui custodem habet de superioribus unum, qui sit inferioris ordinis, est commendandus. Posito in custodia diacono vel subdiacono, si tale quid contigerit, ut ad missam legere non possit, propter hoc nec verbo, nec signo quemquam sui similem appellat, ut pro se legat; sed ejus custodi cum testimonio sui custodis rem innotescit, ut fratri ejusdem ordinis loquatur pro vicissitudine legendi. At si hoc tempore non voluerit, maturius admonet armarium, ut ipse tempestive provideat cui legendi munus injungat. Lecturus autem a suo custode ad B vestiarium est ducendus, et per adjuvamen servitorum vestiendus. Quem et alicui ibi ministrantium committit, usque dum peracto suo officio iterum se disvestiat.

Singuli autem tales, si (ut dicitur) tergoribus suis voluerint esse consultum, tunc summopere cavent, in omni loco, ne absque mediatore stent simul, aut sedeant, vel se ad invicem pingant, aut vestimentum aliquo modo tangant, et ut nunquam alter alteri juveni sive in custodia posito sive non, aliquod signum vel etiam nutibus oculorum facere, vel ad eum subridere, vel aliquam familiaritatem simulare præsumat, aut etiam sic sedeat, ut alter alterum versis ad invicem vultibus intueri valeat. Nam hæc et alia hujusmodi unusquisque in alterum ex con- C suetudine reclamat. Reclamat quoque in quemlibet familiaritatem aliquam ad se habentem, vel quidquam cum eo loquentem custode suo non audiente. Custodem vero de hoc tantum inclamat, si eum sine custodia dimittit, vel si quam in eum austeritatem exercet, ubi humanitatem ei exhibere deberet. Cavere habet unusquisque eorum, quin in claustro cum tabulis, illi gratia scribendi concessis, a circatore obambulante, easdemque tabulas inspiciente, aliquid tale inscriptum possit inveniri, a quo dignus sit inclamari. Sed est sciendum quod nullus eorum carnem, nisi adeo infirmus, debet manducare, neque balneare, sive sanguinem minuere. Quod si alicui pro infirmitate conceditur sanguinem minuere, ad proximam horam accepta cum signo D minuendi licentia in minorem chorum secedit, ibique usque in diem tertium persistit. Attamen ad tres orationes post completorium et ad intervallum nocturnale in majori choro ex consuetudine non deerit, ad S. Mariam quoque sedens in suo ordine non indutus capello, sed quantum potest oculos tantum tuetur a lumine. Si autem alio tempore ita infirmatur, ut ad matutinum perdurare nequeat, item per semetipsum licentiam quærit, et in prædictum chorum vadit, et insequenti tamen die propter hoc veniam non petit. Si vero in ea nocte ad aliquod responsorium est notatus, in majori choro illud canit et confestim redit, sed nunquam tamen quartum aut octavum responsorium cantat, nisi sint

brevia. Quod si talis eum infirmitas occupaverit, ut conventui interesse non possit, tunc ad infirmariam ire jubetur, et illic non minori diligentia, ac si esset in conventu, custoditusque etiam ibi laternam portat.

Adhuc autem quidam juvenes, qui a majori custodia sunt soluti; quidam vero, qui nunquam in custodiam sunt positi, sed tamen suspicione juventutis (cui interdum rara fides est adhibenda) minori custodiæ, ea conditione subjiciuntur, ut nusquam extra conventum absque custode ire præsumant, neque dormitorium infra matutinum sine laternis ascendere audeant. Ad hoc solum ante altare quod est prope ostium ecclesiæ, tot laternæ a camerario et candelæ a sacrista sunt ponendæ, quot ad hujusmodi necessitatem possint sufficere. Hi tales non habeant custodes, sed quotiens quis eorum de conventu habet ire, alicui ad hoc idoneo et expedito signum faciat, qui et eum statim sequi non renuit. Sciendum autem quod nulli juvenum, sive in custodia sit, sive non, ad aliquam cellam solus sine alio provectioris ætatis fratre ire vel redire permittitur, quia nimis notabile esset, si solus benedictionem accepisset; qui etiam scire debet, si adhuc dum sic emittitur de custodia vel de forma, non est absolutus in reditu suo, etiamsi per decem annos alicubi permanserit, sed iterum sive in custodiam sive ad formam redit. Qui vero propter aliquem excessum in alterutram custodiam mittitur, mox ab ea absolutus ad parietem, si stationem antea ibidem habuit, regreditur. Juvenis per quem prior in refectorio charitatem suam impendit, panem suum et justitiam cum cochleari ad mensam portat et reportat. Si ad confessionem vult venire, a custode suo confessori permittitur, per quem etiam facta confessione, illi juxta introitum capituli exspectanti reducitur.

Si, quod absit, officinæ claustri incenduntur, juvenes cum aliis ad exstinguendum non currunt, sed interim cum custodibus suis in choro ad litaniam canendam se prosternunt. Notandum autem, quod nullus eorum sedile a domni abbatis sedili situm, nisi eo tempore, quando priores stant contra altare, intrabit; sed et tunc nulli eorum in sede de altari astare licebit, nisi alba indutus sit. Ad vesperos et matutinum vel de omnibus sanctis, antiphonæ super psalmos et hymni, antiphonæ ad officium defunctorum ab iis imponuntur, et brevia responsoria cantantur.

Interim, dum coronæ novitiis in choro designantur, ab hebdomadario juvene, antiph. *Tu es Deus qui*, etc., imponitur, et litania ante missam ab ipso præcinitur. Versus omnino ab his, si tot sunt, pronuntiantur; sin autem, tam ab aliis juvenibus quam ab istis dicuntur. Item ab eisdem antiph. ad suffragia sanctorum incipiuntur, et tunc imposita qualibet antiph. tamdiu debent stare, quousque dicatur *oremus* a sacerdote. Insuper quotiens antiphonæ a senioribus ad matutinum sunt imponendæ

A si quæ forte ab aliquo eorum negligitur, mox ab istorum aliquo imponitur.

CAPUT XXIII.

De armario.

(UD.) Præcentor, qui et armarius, armarii nomen obtinuit, eo quod in ejus manu solet esse bibliotheca, quæ et alio nomine armarium appellatur. * Hæc est obedientia, quam ex more nullus meretur, nisi nutritus sit, vel aliquis quilibet ad hoc officium idoneus, sicut e contrario illas obedientias, quarum supra memini et adhuc est animus meminisse, non merentur, nisi qui jam ætate majuscula aut clerici ex stiterunt, et per vices, si qui de alio monasterio advenientes, iterumque apud nos profitentes, tam pro

B babili conversatione aliquandiu inter nos fuerunt. UD. Igitur iste, de quo agitur officialis, rite unum habet suffraganeum, qui et pueris cantet, si in loco sunt, et brevem faciat de litania et responsorio e aliis obsequiis. Cæterum fratrum nomina non aliu quam ipse ponit, nisi forte et ipse ita voluerit, ejusque secundus hujus sit industriæ, hujusque sensus.

De ejus autem tam continua occupatione, ut al qua perstringam, tota divinæ servitutis ordinatio i ecclesia super nullum pendet, quantum super illum nec de hoc habet alium aliquem magistrum, quam extra ecclesiam, et ad hujusmodi omnes debent semper obedientes esse. Si quid tamen contra usum præsumpserit, vel neglexerit, hoc interim omnin dissimulatur; usque dum in capitulo reclametu

C (*var.*) Ad cantum Evangelii, ad vesperos et ad matutinum antiphonam imponit; excepto quod domnu abbas, eo absente, in duodecim lectionibus est im positurus. * Quas si non recte imposuerit, vel tan tum non proprie, id est, modulaverit, alteruter co lateralis ejus, ut corrigat, summissa voce admone re poterit. (*var.*) In psalmi vero susceptione, fallitur, a quolibet sciolo et in eodem choro stan adjuvatur. Quod si in aliquo tono erratur, nulliu scientia præjudicat illi. cum eum potissimum omn attendant, et sequantur. UD. Domnus abbas quand est in conventu, armarius non se notat ad ullam l ctionem vel responsorium, ut si ille forte non leg rit, ipse pro eo legat. * Quando vero domnus abb abest, ipse ad lectionem vel ad responsorium nota

D potest. Ad aliud autem officium nunquam, nisi a coquinam et ad mandatum trium pauperum, a collationem quoque, si vult, legere potest. (UD.) S lus ille non reprehenditur, si quam antiphonam v responsorium nominaverit absque libro, indice alicui fratri, ut cantet. * Omnes quoque versus off rendæ ad majorem missam imponit. Ad quoru singulorum impositionem in duodecim lectionib ante et retro facit, nisi ad Orientem versus s tunc tantum inclinat, sicut et privatis diebus, qu cunque parte chori locum habeat. Ipse etiam Pa schali tempore privatis diebus tantum *Alleluia* a missam imponit. Hymnum vero nunquam, nisi duodecim lectionibus, si et tunc hebdomadarius

eodem choro steterit. (UD.) Quemlibet cantum quantumlibet submissa voce cantetur, nemo alius audet ad altiorem levare vocem. * Ipse autem nunquam debet negligere, quando nimis submisse cantatur, quando vel solito festinantius vel protractius quocunque loco, vel tempore, quin statim fratribus innuat manu quidquid emendandum est in cantu. Quod quamvis licenter fieri possit, nunquam tamen nisi cum magna reverentia, neque de choro in alterum chorum facere præsumit; sed, si opus est, proprius accedat.

(UD.) Ipsum quoque scire convenit, quia nullum divinum officium intra vel extra ecclesiam agitur, cui ipse vel suffraganeus ejus non intersit. Omni die, competenti hora, audit pueri vel juvenis lectionem, quam in sequenti die lecturus est in Capitulo: (*var.*) lectiones quoque quæ legendæ sunt ad nocturnos in Quadragesima post sextam, in æstate vero post nonam; vel si semel comeditur post prandium audit. * Quod si aliquando brevitas temporis non patitur, ut post nonam, vel post prandium possit audire, inter pulsandum vesperos, si *Deus auribus* non canitur, et tunc in vestiario audit. Post vesperos vero nunquam, nisi forte propter minus sciolum id necesse videatur. (UD.) Lectionem quoque, quam domnus abbas est lecturus, debet audire; sed ubi vel quando, in ipsius abbatis est arbitrio. Quando major matutinalis missa est cantanda, ubi sacerdos se cum cæteris ministris vestierit, nulla vice armarius per consuetudinem defuerit; primum ut videat, si præsto sint omnes personæ quæ sunt obsecuturæ, et insinuet, si quid opus est, ut insinuetur (*var.*) Similiter facit quotiescunque post nocturnos Evangelium, vel si qui invitatorium canituri albis vel cappis vestiuntur. Totius rei est præcipuus ordinator. Si quis frater infirmus infirmorum oleo est ungendus, vel si obierit, ad sepulturam efferendus, vel si quis de foris allatus est recipiendus, ipsi cura est, quis sacerdos induatur, quomodo ungatur, quomodo Domini corpus apportetur, quomodo communicetur, et quæ collectæ, dum obierit, a priore super eum dicantur; et dum lavatur, et dum vestitur et antequam in ecclesiam apportetur, et quid cantetur, et quomodo tumulus benedicatur infra canonem missæ matutinalis, et quomodo sepeliatur: omnibus his intererit præcipuus monstrator.

Ipse supervenientes breves defunctorum fratrum nostrarum a priore accipit, et nomina eorum in martyrologio scribit, descriptos alios pergentibus fratribus, per diversas provincias distribuit; nec obliviscitur, si quis frater obierit, missarum, quod de VI fratribus triginta commendantur. Ipse etiam vestiario et eleemosynario libros matutinales debet commodare, et post hospitum et peregrinorum decessum, quibus tamen si apud nos infirmantur, non ipse sed plebeius sacerdos providet, ut communicentur. Ad omnes processiones nihil nisi quod ipse imposuerit, omnino cantatur. In tribus diebus Rogationum ad imponendum antiphonas fratribus ad A hoc idoneis intimat, quibus et libros, in quibus eædem antiphonæ scriptæ sunt, distribuit. (*var.*) Postremo quidquid tale quasi novum supervenerit gerendum, de hoc ille præcipue memor et diligens esse debet, quando fabæ novellæ, vel novellus panis, sive mustum est in refectorio benedicendum, vel si talis persona advenerit, antequam et postquam suscipitur, imprimis lectio est recitanda, vel opere manuum facto, vel si cujusdam novitii corona vel barba radenda est, ad hæc singula et horum similia, providet, ne fiat negligentia vel de persona vel de hoc, quod persona est dictura.

CAPUT XXIV.

Quando chorus, ut aiunt, ab ipso teneatur.

* In omnibus festis, quæ in albis aguntur, in Sabbato quoque sancto, Paschæ et Pentecostes, et in die Palmarum armarius ex usu debet tenere chorum, sed in albis solus; excepto in Purificatione S. Mariæ. In eisdem vero duorum Sabbatorum diebus, illum, qui secum litaniam præcinit, sibi adjungit. In psalmis autem quotquot necessarios habuerit, in quibus B singulis ipse cappas distribuit. In Nativitate Domini ad duas priores missas duo fratres, qui choro præsint juxta libitum ejus notandi sunt, quibus ipse sua sponte medium se adjungit. UD. In ipso autem et in Pascha et in Pentecoste ad officium majoris missæ, et ad tenendum chorum, ipse et cum eo duo fratres de melioribus cantoribus, qui ad hoc idonei videntur. Qui tamen non præsumunt per se accedere, nisi ipse manu sua cappas dederit, * quæ in capite C formæ semper de melioribus a majore sacrista ante tertiam, vel si processio agitur, post eam præparantur, quas prius tamen non distribuit, nisi quando *Benedicamus Domino* ad instantem horam dictum fuerit: et cum eas acceperint, non prius eas induunt quam in locum stationis veniunt. Quibus ipsemet, eam scillam, quam pulsat, alii pulsandam commiserit, suam quoque cappam induens se adjungit. Quorum si quis vult discedere, præmissa cantanda cum signo missæ, pro alia causa, cum signo exeundi quærit licentiam a tunc ordinem tenente; deinde rediens ad priorem locum, et armario cum signo discedendi innuens facto ibidem ante et retro discedit. Qui, si indutus est cappam de melioribus, hanc ibidem exutam ponit super cancellum; si vero D de mediocribus exiens adhuc ea indutus, in vestiario exuit eam et complicat.

(*var.*) Si necesse est, potest mutare fratres sibi collaterales a dextra in sinistram, vel a sinistra in dextram. Thuribulum a converso sibi primitus apportatur, nisi prior vel aliqua major persona interfuerit. De cætero cujuscunque ordinis sæpedictus sit armarius suum non amittit principatum. Si vult communicare, ultimus est ad pacem, primus autem post subdiaconum ad communionem. De suffraganeis vero ejus, qui vult communicare, nutu tantum ejus accedit in suo ordine, si chorum ea die scit communicare; sin autem quæsita a priore licentia item non sine nutu armarii accedit, cæteris qui re-

manent interim dum pax datur, *agnus Dei*, et com- A munionem cantantibus ; adjunctis, si opus est, de Psalmis, versibus. Nec de illis, qui fuerunt ad *graduale*, vel ad *alleluia* notati, aliquis intromittit, nisi ipsi, quibus libellos tribuendo innuerit. Sed pro diversitate festivitatum, dissimilis quoque debet esse numerus, utrinque cantantium : nam in festo *gradualia* duo, *alleluia*, tres cantant, in cappis autem tria *gradualia*, quatuor *alleluia :* in præcipuis vero festis utrinque, quotquot armarius voluerit: sed pluribus *alleluia* quam *graduale* cantandum injungit. UD. Domno abbati et cuilibet sacerdoti intimat, quo sono incipiat *Gloria in excelsis*, et si opus fuerit diacono, *Ite missa*. (*var.*) In fine missæ prævenit cæteros in exuendo cappam, et in agendo ante et retro, et deponit signorum vestes, et cum dictum fuerit *Deo* B *gratias :* scillam pulsat, sicut et fecit ante missam, post *Deo gratias*, psalmis familiaribus (127) finitis.

Verum si est Dominica dies, tunc exspectat donec mensæ lector benedictionem pene accipiat. Infra missam vero, qua ipse vel solus, vel cum pluribus chorum regit, eumdem modum inclinandi sive erigendi servat, quem et cantor hebdomadarius. * Descripto itaque ordine, qui ab ipso tenendus est in officio missæ festorum. Dicendum quoque est quomodo in dissimili celebritate notet fratres in tabula ad vigilias nocturnorum.

CAPUT XXV.

Quomodo fratres in singulis festis notare debeat.

* Igitur in albis ad singula responsoria singulos C notat fratres: ad IV. et VIII. duos, adjuncto domno abbate ad VIII. si adest ; ad XII. tres. In cappis similiter ad singula responsoria singulos fratres, sed quartum et octavum tres cum domno abbate, ad octavum quatuor, si adest, ad XII quatuor. In præcipuis vero festis ad singula responsoria notat duos fratres, ad quartum quatuor, ad septimum tres, ad octavum quinque, ad undecimum tres, ad duodecimum sex vel plures, sacerdotes quoque sic annotare debet, ut nullus ad hoc officium idoneus alicujus obedientiæ occasione a majoris missæ septimana, excepto cellerario, infirmario et capellano S. Mariæ, se excuset. Nam nullus, cujuslibet dignitatis ante conversionem fuerit, ab aliquo officio in ecclesia vel extra ecclesiam gerendo, qui potest facere, omnino relaxatur, nisi in capitulo venia præcedente, id pro- D mereatur. Nam armario etiam non licet ullum ad quodlibet officium Sabbato in capitulo pronuntiatum per se ipsum inde relaxare, nisi de lectionibus servitorum, de gradualibus, vel de responsoriis. Interdum autem in præfata breviatione (128) non personarum observat ordinem, sed potius temporis, ac festivitatum qualitatem. Si quando talis inbreviatio est agenda, non agitur in illa tabula quotidiana, sed in alia majori et proprie ad festivitates deputata. UD. Solet etiam apud nos et alia commoda imbreviatio non inutilis fieri : nam, quia armarius alias adeo est occupatus, committit adjutori suo, ut qui servierint in coquina omnes per ordinem conscribat, ne per oblivionem quisquam frequentius quam alius eo munere gravetur.

* Quandoquidem scriptum est quo ordine fratres ad nocturnale officium debeant notari, oportet etiam scire quod ad vesperos et matutinum vel singulorum festorum responsoria debeant cantare ; in albis quippe duo, ipso hebdomadario altero : in cappis duo cum hebdomadario tres. In præcipuis vero festis ad vesperos quidem priores quatuor, ad matutinum vero vel ad vesperas secundas tres. Qui singuli in singulis festis dicunt etiam *benedicamus Domino*. Qui tamen ante, hora competenti, ab armario sunt providendi, et quid debeant canere præmonendi. Hoc vero debet esse in ipsius providentia, ut sicut ipsa festa pro suæ celebritatis differunt excellentia, ipse quoque fratres differentes in eisdem notet ad cantandum et legendum pro cujusque personæ ætatis et scientiæ convenientia; hoc non solum in prædictis festis, sed et in aliis duodecim lectionibus observans, ut ad quartam lectionem provectæ ætatis notet fratrem, licet inferius habeat ordinem ; et ad octavam seniorem in altiori loco stantem. Similiter non negligit observare, ut quando suo vel tria aliqua responsoria simul cantant, ut vel unus eorum provectior sit ætate ; quando vero quatuor vel plures, intermisceantur illis aliquot seniores.

Si in secunda feria primæ Quadragesimalis hebdomadæ duodecim lectiones evenerint, ipse providet ut primo evangelii, deinde regulæ lectio in capitulo recitetur, et ad finem utriusque *Tu autem* pronuntietur. Tunc etiam fiunt duo sermones, anterior de festo, sequens de Quadragesima. Sive autem in festivo die, sive alio contigerit, postquam tunc ordinem regens dixerit *loquimini de ordine*, ipso in loco suo sedens recitat fratres et libros eisdem præterito anno ad perlegendum distributos. Quos secum ad capitulum delatos omnes ad vocem recitantis super tapete constratum reponunt, et armarius iterum libros in futuro anno perlegendos primo ordinem regenti, quem ille voluerit, deinde aliis in dextra parte ipsius : adjutor vero ejus in altera parte singulis obviam de loco suo venientibus pro accipiendis distribuunt, hoc tamen præcaventes, ne psalterium, hymnarium, vel alium neumatum librum alicui dederint. Facta autem hac distributione, uterque rursum sua in parte sedens singulos singulorum libros fratrum nominibus in brevi ascribunt, interim fratribus, qui libros suos præcedenti anno non perlegerunt, pro hoc veniam petentibus. Qui vero inter

(127) *Psalmi familiares* dicuntur ii *qui in omnibus XII. lectionibus horas sequuntur :* quorum *laboriosa, imo pluribus odiosa paulatim multis de causis est adducta multiplicitas, quæ quia multos gravabat, multorum, et totius pene conventus postulatione in hac parte immutata est*. Verba sunt Petri abb. Cluniac. in stat. Clun. cap. 21.

(128) *Breviatio, inbreviatio*, est annotatio in *brevi* seu scheda, qua ministri altaris notabantur ; vide exemplum apud Guidonem, lib. 2.

distribuendum libros defuit, postea ascribendus est libro, quem ab armario acceperit. Qui autem vult, potest alium cum suo cambiare. Quem si perlegerit, revoluto anno veniam non petit; quia non perlegit librum quem ab armario accepit. Libros absque licentia potest foris præstare, sed non sine vadimonio. (129).

Quandocunque bissextus evenerit, lectionem de martyrologio ipse partitur, ita ut medietas ejus uno et medietas altero die legatur. In cœna Domini ipse tantum de hostiis facit consecrari, et in sequenti die ipse de cristallo novum elicit ignem, et in Parasceve dum crucem pene adoratam esse viderit, accelerat in vestiario processionem ordinare, ut corpus Domini de altari, ubi pridie reconditum est, ad majus altare reportetur. Quod fiet isto modo. Primo sacerdotes duo albis et fanonibus induti cum candelabris, tertius vero cum thuribulo procedunt (nullus enim conversus huic officio se admittit) quos etiam alii duo sacerdotes casulis induti sequuntur, sacerdote hebdomadario sequente. Quorum unus calicem cum aqua et vino non consecrato portat, alter vero nihil portat, sed mox ut illuc venitur, corpus Domini discooperit et ab hebdomadario incensatum in scutella, in qua est reconditum, ad majus altare reportat. Quod altare paulo ante a sacrista ita plicatum, et ab eodem mox superponebatur, expansoque super illud corporali a sacerdote, ac desuper patena cum corpore Domini posita, calix quoque, ut mos est, ponitur. De hujusmodi autem officio non intromittunt se diaconus nec sacerdos, quia prædicti sacerdotes vicem illorum per omnia supplent. Sed et illi, qui candelabra et thuribulum tenent, ante altare stantes, non discedunt, priusquam omnes communicasse noverint. In omnibus ergo, quæ sæpe dictus armarius agit aut ordinat, summopere cavet, ne quid contra usum præsumat. Nam ut aliqua evidenter dicantur, non magis illi quam aliis extra septa claustri pro aliqua occasione licet progredi, nec tempore silentii aliquando, nisi cum licentia loqui. Nec in camera, ubi libri reconduntur, aliquem facit intrare, nisi pro rationabili aliquid adhuc apportandi, vel reportandi, vel aliud quid, quod ad illius obedientiam illic faciendi necessitate pertinet. Nihil ibi scribit, nec legit, nec cantat. Nullum ibi verbum cum aliquo confert, nisi sit inevitabilis causa, et quæ per signa insinuari non potest. Suffraganeus vero ejus, nisi ab eo monitus, et tunc quando vicem ejus absentis per omnia tenet, nequaquam illuc venire debet. Infra utramque missam, si absque detrimento chori abesse poterit, et post cymbalum percussum, hora refectionis, dummodo tempestive ad mensam occurrat, in claustro scribere, vel tale quid necessarium potest facere. Sed et aliis quibusdam conceditur post percussum cymbalum ibi sedere, si quid scripserint, vel aliud quiddam necessarium et utile fecerint. Quibus tamen

A non conceditur, ut per aliquam regularem horam illic sedeant; sed mox audito signo cum cæteris ad opus Domini festinant.

CAPUT XXVI.

De scriptoribus.

Sunt autem alii scriptores, quibus injungitur in capellis ad scribendum jugiter sedere, et regulares horas ibidem canere, exceptis festis, quæ feriantur et priori vespera, tertia et missa illorum, quæ in albis sine feria celebrantur. Ad capitulum et ad collationem venire non negligent, et officio defunctorum, quod celeberrime agitur. Et si quando præsentes vel absentes tabulæ sonitum pro aliquo mox agendo… audiunt usque ad finem trium lectionum, et processioni in privatis diebus et missæ subse-

B quenti usque post Evangelium intersunt. Tempore hyemali finita litania nocturnales non mutant, donec signum, per quod fratres ad lavandum vocantur, audiant. Quibus tunc mutatis, ac cæteris quæ sequuntur peractis, et opus solitum redeunt, usque dum factis tribus orationibus signum pulsetur ad tertiam; tunc et ipsi præmissa oratione eamdem horam cantare non differunt. Si quis eorum vero post Evangelium missæ majoris privatim vult canere, ab ordinis rectore in choro debet licentiam accipere. Si quis etiam ipsorum sanguinem minuerit, tertia die ad primam, vel alio tempore ad tertiam choro ex consuetudine interesse debet.

CAPUT XXVII.

De custode ecclesiæ.

C (UD.) Apocrisiarius, qui custodit ecclesiæ thesaurum et in cujus manu est quidquid a popularibus ad altaria offertur, sacerdos esse debet. Qui ut officium suum digne possit adimplere, adhibeatur ei solatium aliquantorum fratrum. *Inter quos tamen est unus præstantior, qui vicem ejus absentis agit. Idem ergo apocrisiarius potest loqui in tempore silentii de obedientia sua quod necessarium est cum quolibet eorumdem fratrum, quamvis nequaquam sibi concedatur, ut tunc temporis communiter cum omnibus loquatur, excepto sabbato; si forte tunc brevitas spatii, aut alia necessitas hoc impedit. Nam in omni sabbato eos debet pariter convenire, et de usibus ecclesiæ instruere, ac præcipue subsequentem hebdomadam uni eorum commendare.

D

CAPUT XXVIII.

De portario ecclesiæ,

* Porta quoque ecclesiæ uni specialiter committitur, qui eam semper claudat et aperiat suo tempore. Et hic studiose talis eligitur, qui gravis sit in moribus, nec ad risum facilis, ne quam in eo loco levitatem intrantes vel exeuntes deprehendant. UD. Et est ei hoc omnino interdictum, ut quando claudit vel aperit, pro nulla occasione vel pedem extra portam protendat. Hunc si aliquando contigerit, * ut hospes aliquis infra capitulum in ecclesia remaneat, vel si talis est festivitas, in qua phylacte-

(129) *Vadimonium*, vadium, wadium, pignus, fidejussio.

ria(130) circa altare sint suspensa, illic moratur, et interim legere non prohibetur. Lectus ejus ante Sacristiam juxta ostium per quod in sinistra abside (131) in inferiora ecclesiæ intratur, positus est. UD. Præter cæteros est illi soli injunctum, ut omni sabbato conchas et candelabrorum pateras, in quibus candelæ ardent, diligenter abradat, ne aliquid ex decurrente cera remaneat. Simili quoque studio totum pavimentum, quod circa majus altare est, prius aqua infusa purgat, et cæterorum altarium pavimentum scopa emundat.

(*var.*) Claudit etiam et aperit ecclesiæ fores variis modis per diversa tempora. Nam cum ante nocturnos finitis quindecim vel triginta psalmis, tam in hyeme quam in æstate eas semper aperiat; in hyeme tamen finitis duobus nocturnis ante officium defunctorum, quod in nocte cantatur, semper eas claudit, atque ita permanent usque dum scilla ante tertiam pulsetur : finitaque missa matutinali claudit eas, clausæque permanent usque post sextam; tunc aperiuntur et missa finita usque ad vesperas clauduntur. Post regulares vesperas clauduntur ita usque ad nocturnos permansuræ. In æstate itaque cum statim post matutinum regularem clauduntur; ad primam aperiuntur, et usque dum matutinalis missa finiatur, patent. Quæ tunc clausæ ad missam aperiuntur, postea usque ad vesperas obserantur. Quibus finitis usque ad nocturnos omnino clauduntur. In Quadragesima privatis diebus post matutinalem missam clauduntur, usque dum vesperi finiantur. In duodecim lectionibus tam in hyeme quam in æstate ad scillam, quæ post completorium sonat, aperiuntur. Studiose tamen agit, ut si quis eas a primo mane usque post completorium percusserit, et vel ipse audierit vel ab alio comperit, ad aperiendum paratus sit. * Quas etiam claudendas tanto impetu ad invicem impingit, ut conventus, si est in choro, audire possit. Ut autem tanto aptior esse valeat huic officio, conventu manente in ecclesia manet et ipse in minori choro.

CAPUT XXIX.

De hebdomadario ecclesiæ.

(UD). Cæteri septimanas suas in qualibet Dominica nocturnos incipiente vicissim faciunt, eo modo quo eis est præfinitum a sacrista, et unusquisque opus habet ut quid per hebdomadam facturus sit, diligenter attendat. * Primo namque (ut dixi) ad nocturnos postquam horologium ceciderit, et prædictus sacrista pulsare scillam inceperit, ipse eam de manu illius accipit ac tandiu pulsat, usque dum pueros vel juvenem ad hoc deputatum cum laterna chorum intrare viderit. Potest tamen interim alio vice ejus scillam pulsante, si necesse est, dormitorium ascendere, inde redeundo ad lavatorium manus abluere, quod et semper in duodecim lectionibus debet facere.

(130) *Philacteria*, arculæ, thecæ, in quibus reconduntur SS. Reliquiæ.

(131) ἀψὶς, *Absida*, fornix, arcus.

UD. Factis tribus orationibus, pulsat unum de majoribus signis usque ad psalmum *Lætatus sum.* (*var.*) Secundo, signum quod minus est, aliquantulum, ad *Requiem æternam*, usque dum finita sit oratio Dominica cum collecta. Tertio, a *Kyrie eleison*, usque dum item finiatur oratio Dominica cum collecta. Quarto, finita collecta, ad *Per Dominum*, pulsantur omnia signa, vel si est privata dies, duo ad *Kyrie eleison*. (*var.*) Ad ultimam incisionem canticorum graduum ante finem psalmi *Memento* ; vel si triginta recitantur, *Laudate Dominum de cœlis*, accendit idem duos cereos candelabris affixos ante altare, et tertium retro altare. * Quod si ipse interdum privatis diebus post accensos cereos ad pulsandum tempestive non revertitur, ab aliquo consociorum ejus pulsatur. Tres autem cerei retro altare majus pendent, quorum medius (de quo prædictum est) quotidie ad nocturnos et vesperos, in duodecim lectionibus ad missam accenditur. In festis vero albarum duo ad nocturnos et tres ad evangelium, simul autem ad missam et ad utrosque vesperos illuminantur. In quibuslibet autem eminentioribus ad utrosque vesperos et nocturnos pariter erunt accendendi ; sed ad *Gloriam* responsorii octavi exstinguendi. Tunc namque viginti quatuor candelæ sursum in circuitu altaris positæ accenduntur. Ad missam vero illi tres accendendi, sed quinque de his sunt circa altare in parte Orientali. Item ad lectiones observat ut lumen cum quo legendum est, semper ad ultimum psalmum nocturnorum eo tempore afferat, ut lectori ad *Gloriam* ejusdem psalmi ad gradum ante et retro facienti et ad analogium eunti, ipse discedendo non occurrat.

(UD). Ergo ad nonam lectionem, quæ est de Evangelio, in loco, ubi expositor homiliæ nominatur, adhuc et tertium ante altare cereum accendit. Cum sacerdos dicturus est collectam, huic etiam providens lumen apportat, in duodecim lectionibus quidem et in octavis, et in eorum similibus precibus pene finitis : * in his autem diebus, quando psalmi preces sequuntur, infra psalmum, *Inclina :* in Adventu vero Domini, et in Quadragesima ante preces. Officialis autem liber subtus formam ante sacerdotem a prædicto fratre positus jacet assidue, ut cominus eum possit habere, nisi eum aliquis ad monumentum auferat : quæstionari tamen, ne in suo tempore desit, præcavet, alioquin inclamationem non effugiet. At si sacerdos idem vel propter festum non in loco suo ad matutinum et ad vesperas stat, vel alium vicem suam agere rogat, hebdomadarius eumdem librum cum lumine sacerdoti, quicunque est, ad easdem vices apportat et reportat. Mox etiam post *Benedicamus Domino*, si antiphona alicujus festi non sequitur, benedictio ab aliquo non accipitur; extinctis omnibus cereis in circuitu altaris illum, qui prius ardebat in concha (132), reaccendit,

(132) *Concha* est candelabrum concavum, quod fune, vel catenulis suspendi solet. Vide indicem vocum exoticarum.

tam in die quam in nocte arsurum · nisi propter alios accensos exstinguatur; accendit et illum candelabro affixum et super gradum ponit, ut portetur ad processionem, quæ fieri solet ad S. Mariam vel S. Crucem.

Sciendum tamen nunquam, nisi formæ tapetibus sint coopertæ, illuc afferenda esse duo candelabra : quæ et semper ante altare S. Mariæ sunt ponenda. * Ad S. Crucem prævenit conventum, ut ad basilicæ columnas candelas, quotquot sufficiant, (UD. *var.)* affigat ardentes, ita arsuras, usque dum abcesserit conventus. Ad sanctam Mariam vero, quando illuc processio agitur, quotquot lumina sunt necessaria, et unum de his tribus, quæ pendent in capitulo scilicet proxima ejusdem ecclesiæ foribus accendit: accendit etiam in festis, quæ in cappis celebrantur, tres cereos ante majus altare in majori ecclesia ad singulas horas, nisi ad completorium. Aurora apparente sacerdotes privatas missas incipiunt cantare. Ad quas idem hebdomadarius statim post *Benedicamus Domino*, accensis primum ad S. Mariam vel ad Crucem prædictis luminibus, * deinde pexo capite, manibusque ablutis, vinum et aquam providet, ne fratri ad sacrificium præparandum deputato, postquam et ipse eodem tempore caput pexerit, manusque abluerit, desint. Idem namque frater, qui debet esse sacerdos aut diaconus quotidie, nisi in Parasceve et Sabbato sancto post matutinum, vel in hyeme infra litaniam ante capitulum, et ante majoris missæ evangelium omnes calices ad missas privatas pertinentes breviter lavat, hostiis superpositis, vino et aqua infusis ad sacrificium præparat, ut cum primum sacerdotes accesserint, omnia parata inveniant.

Idem ipse in omni quarta feria et Sabbato, qualiscunque sit dies, in festivis quidem post matutinum, in privatis vero post prioris missæ evangelium supra dictos calices digitis interius missis studiose lavat. Quotidie quoque ante horam prandii, cum jam amplius nulla sit missa canenda, recenset eos, et caute perspicit, si quid in eis de corpore Domini adhæreat. Quod si fuerit, ipse vel alius nutu ejus statim absumit. Recenset etiam libros missales, ac vestimenta sacerdotalia, quæ ad eosdem calices pertinent, et vinum cum aqua; de præfatis ampullis in amphoras refundit. Attamen autem priusquam de hujusmodi officio se intromittat, præfatus hebdomadarius armarium, quod est tricameratum, reserat, in quo calices prædicti in supremo, corporalibus superpositis, reconduntur; UD. in medio hostiæ et candelæ, sine quibus nulla est missa canenda: in imo vero ampullæ majores et minores. Majores quidem ad vinum, minores vero ad aquam, et amphoram in qua vinum de cellario allatum habetur. * Est ibi et illud armariolum, in quo libri missales, qui ad prædictos calices pertinent, cum vestimentis sacerdotalibus servantur. Forinsecus autem etiam duæ ampullæ sunt implendæ, de quibus funditur quantum ad sacrificium de aqua est miscendum. Sed illa amphora, de qua manus abluuntur seorsum ponitur.

A Altera vero in caverna prope armarium, in quo calices cæteraque ustensilia prædicta servantur, est posita. In eamdem cavernam minores ampullæ diluculo aqua impletæ a fratre prædicto ponuntur, et sic donec missæ privatæ ex toto sint celebratæ, ibi dimittuntur; et non nisi, quantum ad eas canendas transportantur ; sed tunc ad ampullas vinearias reponuntur.

(UD. *var.*) Vinum autem de quo sumendum est ad sacrificium in cellario in tali cuppa, quæ est serata, servatur. Ad hanc quotiens hebdomadarius accesserit, non modo manus, sed etiam duciculum et fundum cuppæ in circuitu duciculi diligenter lavat, quam aliquid de vino accipiat. Vinum quod in majori ecclesia vel ad S. Mariam remanet, in crastino reportat in cellarium, ut misceatur aceto per vinarium. Si est eo tempore, quo prima cum ipsa die incipiente canitur, tunc se rite ad familiares psalmos diurnalibus calciat, manus ac faciem lavat, ac reversus ad litaniam cum amphora majore plena aqua, antequam tota finiatur. Idem recitatis tantum sanctorum nominibus levat se, sicut et sæpe dictus frater, et accelerat vinum et aquam apportare. Altaris tabulam tali die non discooperit, antequam pulset scillam, de qua signum datur fratribus ad calciandum; in æstate vero vel quoties bis comeditur, ante primam. Sed e contra ad missam, litania præcedente in loco, sin autem ad familiares psalmos, qualiscunque sit dies, ea contegit; sed in Dominicis diebus duobus albatis, ut vicem suam in hoc impleant, innuit. Post missam vero discooperitur, et sic usque post vesperas dimittitur. In vigiliis autem principalium festorum ad missam non detegitur, verum in omnibus festis, quæ in cappis aguntur, ablato ejusdem altaris velamine, pro eo pallium ad missam ponitur, per sacristam, sic dimittendum usque post completorium.

CAPUT XXX.

Quomodo ad singulas horas pulsare debeat, et quid aliud officii agatur..

(UD.) Signa, quæ pulsanda sunt ad singulas horas sollicitus est, ut pulset tempestive; ita tamen, ut nihil præsumat, nisi jussus a majore, et secundum quod per usum est constitutum. Quando fratres ante tertiam, vel ante nonam lavant manus, stat ipse, vel sedet infra juxta ostium ecclesiæ; et cum pueros vel juvenem, ad cujus introitum ad nocturnos solet scilla dimitti, jam se viderit lavasse, pulsare signum non tardat. Factis autem tribus orationibus, vel si est ante nonam una, majus signum pulsat. Ad sextam vero, cum primum sanguine minutos pransos esse cognoverit, pulsat; si autem illi desunt, pulsare, nisi jussus, non præsumit. Quod et post nihilominus observat; quanquam illud spatium debeat esse brevissimum. Nam non amplius erit, quam ut sacerdos cæterique ad majorem missam servituri, se lavare debeant, ut sint parati ad induendum. At si sexta majorem missam subsequitur, donec servitores coquinæ accepto jam mixto redire perspexerit, pulsa-

tioni se non admittit, et eamdem pulsationem tandiu A protelat, quousque omnes pene advenisse cognoscat. Id ipsum de nona observat; sedet enim infra ecclesiam juxta ostium; nisi sit universale jejunium: Quod si fuerit, postquam ministri se exuunt, parvo facto intervallo, pulsat.

Observat quoque, ut a festivitate S. Lucæ evangelistæ, usque ad Purificationem S. Mariæ, quoties bis reficimus, statim post prandium finito versu, nonam pulset; quia tunc servitores cum ea non exspectamus, neque ante vesperos ad bibendum in refectorium redimus. Privatis diebus quotidie post capitulum paulo ante tertiam, si, inquam, eam mox subsequitur, scillam pulsat, per quam sacerdotem cum cæteris ministris, ut se præparent ad vestiendum, præmoneat. Quotiescunque processio nudis B pedibus est agenda, dimisso signo ad *Per Dominum*: fratribus in æstate ad surgendum, alio tempore ad discalciandum innuitur. Crucem super altare et aquam super gradum ponit, ut pene finita collecta, quæ a sacerdote inter procumbendum dicitur, a bajulis earum, ibi accipiantur. In æstate quoque quoties fratres semel reficiuntur, majori signo in meridie excitandi sunt.

Ad utramque missam singula, quibus opus fuerit, providet, et primo calicem, cum quo est sacerdos oblaturus, post introitum lavat. ud. Duo autem sunt calices, minor ad matutinalem missam, major ad publicam. In duodecim lectionibus, quia ad missas non offertur, nisi ab uno choro, ad hoc unam tantum patenam, et unam cum vino apportat ampullam. C Quas lecto evangelio priori accedenti donat in manus, ut offerat. Verum ad majorem missam prior innuit uni, scilicet priori claustrali, ut pro se offerat. Si autem festum in cappis, vel in albis agitur, non ab alio quam a seipso; si tamen poterit, offertur. Et propter eos quibus libuerit communicare, mittuntur in die Dominica hostiæ quinque, in aliis nonnisi tres, excepto in maximis festis. Item ab armario providetur, ut tantæ mittantur, ex quibus omnes possint communicare. In privatis diebus ad priorem missam, quia omnes offerunt, curat idem hebdomadarius, ut tot calices mediocres ad hoc solum factos cum vino in promptu habeat, quot ad offerendum sufficiant, et pares cum hostiis patenas: (*var.*) quos in tempore offerendi fratribus cum offerto- D riis tribuit, incipiens a priore. Quo facto in sinistro choro in fine formæ se locat, tenens in manu scutellam hostiis refertam, quas cum argenteo cochleari offerentibus distribuit, habens a latere hebdomadarium peractæ hebdomadæ, qui et ipse tenens ampullam de vino, offerentibus subministrat, et ipsi ad ultimum offerunt. Ad majorem missam non offertur, nisi ab uno choro; quia pauciores calices præparantur, et hebdomadarius solus stat ad porrigendum hostias offerentibus.

Cum vero sacerdos cæterique ministri in revestiaria conveniunt, et cantatur missa vel major vel minor, ipse hebdomadarius ecclesiæ semper candelabra cum cereis de altari, textum Evangelii, et de armariolo lectionarium affert. Nam liber missalis jugiter jacet juxta paraturam sacerdotis (133). * Et si est in hyeme, vel ipse vel socius ejus prunas ardentes de regulari coquina eidem apportat sacerdoti.

Postquam finita missa *Deo gratias* dicitur, ad nonam, si talis est dies, vel si est Quadragesima, ad vesperas pulsat. Quotiescunque missam signum nonæ subsequitur, post factam orationem aliquantulum diutius idem signum pulsatur. In privatis diebus, exceptis quinque principalium vigiliis, quatuor temporum sabbatis, tribus diebus Rogationum, et quando uvæ benedictiones dantur, portat in refectorium binas scutellas cum hostiis ad priorem missam oblatis, et super mensam principalem ponit, de quibus singuli (ut superius dictum) qui noluerunt, aut non potuerunt communicare, accipiant. Refectione transacta easdem scutellas de mensa recipit, quarum maximam peractæ hebdomadæ procurator ad gradum ab eo accipit, et sic primi exeunt.

Postquam in ecclesiam ventum fuerit, scutellam socio committit, ut expeditus scillam pulsare possit. Nam ad illum pertinet, ut eam semper post refectionem et ad collationem possit pulsare, et propter hoc primus in chorum venit. De mandato autem et de collatione, si hæc tam sero aguntur (quia ipse tunc lumen ante priorem portet) socius ejus pro scilla pulsanda ecclesiam præ cæteris intrat. Ea die qua fratres semel reficiunt, et in crastino duodecim lectiones aguntur, formas (134) non debet complicare priusquam ministros scit de refectorio convenisse, ut sit forte brevis alicujus defuncti superveniat, fratres inter officii collectas super formas se prosternere valeant; sed tamen vigiliæ principalium festorum excipiuntur, in quibus fratres nec ad majorem missam, nec postea prosternuntur.

Quando ad vesperas pulsat, hunc ordinem in pulsatione observat. Si *Deus auribus*, non cantatur, ut est a Kalendis Novembris usque ad Septuagesimam (isto enim tempore noctu canitur post orationem) scillam aliquantulum diutius quam signum nonæ, quando missa sequitur, trahit. Si vero canitur post factam orationem, quousque idem psalmus finiatur, eam trahit. Qua dimissa ante chorum secedit, et eandem orationem facit, sicut et illam, quæ nonam, quando non nisi semel reficitur, præcedit. Percantatis autem duobus sequentibus psalmis, secundum pulsat signum: quod prius non dimittit, quam tres primos (135) quindecim graduum psalmos finitos esse noverit. Tertium vero signum ad proximam *gloriam* ante psalmum *Sæpe expugnave-*

(133) Dubium non est, hoc a Wilhelmo additum esse, siquidem *juxta considerationem loci et aeris temperiem* quædam addidisse ipsemet in prologo fatetur.

(134) Scamna, sedilia in choro. Vide supra.

(135) Id est, psalmi graduales dicti: de quibus etiam superius.

runt pulsare incipit. Quo itidem dimisso, post finem trium psalmorum exspectat, usque in finem precum, et tunc alio adjuvante, pulsat usque dum sufficiat. Quibus pulsare cessantibus, sacerdos, prætermisso *benedicamus Domino*, vesperas inchoat. Similiter ordo pulsandi in eadem psalmodia observatur, si omnia signa pulsantur, excepto, quod tunc major sacrista scillam pulsare incipit. In Quadragesima vero ea die, qua processio agitur, mox ut aliquot de fratribus pedes abluerint, *Deus auribus*, incipitur. Ad vesperas accendit candelas, interim dum simul pulsatur : quibus finitis, cum primum fratres de choro exierint, socio assumpto in minorem chorum, vel alias secedit, ubi a conventu videri non possit, et postquam altaris tabulam contegit, ad S. Mariam post conventum vadit.

Tempore hyemali interim, dum ad collationem pulsatur, si tam sero fuerit, tria luminaria in capitulo accendit. Interdum autem, si ministros tam sero cœnare contigerit, ante collationem ea accendere non negligit. Quo viso fratres subsequuntur, etiam si mandatum sit agendum, et ita exspectant; quia nec mandatum nec collatio unquam, donec ministri de refectorio redeant, incipiatur. Ipse quoque medium de eisdem luminibus ante ordinis rectorem in refectorium portans candelabro affigit, quod super mensam principalem positum invenit. Inde revertendo, eo quo prius ordine, eumdem rectorem usque in chorum præcedit. Si vero ille ante chorum pro aliqua necessitate recedit, iste tamen cum lumine in chorum præcedit, ut viso lumine non sit mora in agendo ordine. Similiter facit, quotiescunque ad collationem lumen necessarium fuerit. Prædictus ordo in portando lumine etiam tunc observatur, quando infra collectam causa bibendi in refectorium itur. Quod si forte contigerit, ut non ad collectam, sed in refectorio opus sit lumine, tunc refectorarius cereum super mensam ponit, quem prædictus hebdomadarius ante priorem in ecclesiam portabit,

In æstate vero ad mandatum nunquam omittit eundem ordinem portandi luminis. Post completorium in ordine suo ad aspersionem aquæ præcedit, et inde in minorem chorum divertit, ibique moratur, donec conventus pertranseat, ut claustrali priori absconsam cum lumine porrigat. Quo facto cum circuli omnium signorum, quæ in uno ferreo quadridente solent esse collecti. Horum signorum, quæ ad nocturnos pulsanda sunt, circulos ordinate in unum dentem colligit, ne ad nocturnos possit errare, aliud pro alio arripiendo.

In feria quarta et in Sabbato calices ad publicam, et ad matutinam missam pertinentes (si tamen ipse est sacerdos vel diaconus, nam si hoc non est, vicarium ad hoc acquirit), post introitum earumdem missarum parat. Calices autem cum quibus offertur, post oblationem alterutrius earum manu immissa studiose lavat, omnes vero ampullas majores et minores, si duodecim sunt lectiones, post matutinum ; sin autem, post evangelium prioris missæ portat ad aquæductum et diligentissime lavat; uno etiam tali ferramento vel ligno ad hoc proviso, cum quo bene possit eas in fundo fricare. Huic autem ampullarum lavationi, etiam si conversus sit, potest se intromittere ; nam et calices, in quibus solet offerri, possunt a converso lavari, quia non sunt consecrati ; ad hunc quoque pertinet, ut tribus diebus Rogationum ad matutinalem missam * sacerdoti et diacono vestes majoris missæ et ceroferario thuribulum cum acerra administret, duos etiam cereos ante altare accendat, et bancalia (136) sicut in omnibus festis, quæ in albis aguntur, in capitulo expandat.

CAPUT XXXI.

Item de apocrisiario.

(UD.) Nunc ut de ipso apocrisiario aliquantulum dicam, de hoc quod a popularibus offertur decimum denarium et panes ex integro dat eleemosynario : ova et caseos cæterasque manducabiles species cellerario, * quamvis hujusmodi speciebus ad usus ecclesiæ liceat sibi aliquantulum retinere. UD. De cætero quæcunque ad manus ejus venerint, expendit præcipue ad sarta tecta ecclesiæ instauranda, ne aliquando dilabantur, et ad luminaria, et ad cætera quæ sunt in ecclesia necessaria et utilia. Ad refectorium dat candelas, ad infirmariam, camerario, custodi hospitum, domno abbati et priori quoquam ituris, qui nunquam sine lumine dormiunt. * Insuper lumen unum providet in fratrum dormitorio. Præter hæc quæcunque ad mandatum, quod fit per singulas septimanas, sunt necessaria, de sua administrat obedientia. UD. Ad hæc omnia, ne aliquando facultas deficiat, habet unam villam satis bonam cum decimis, vineis et agris.

CAPUT XXXII.

De hostiis faciendis (137).

(UD.) Quod pertinet ad Eucharistiam et ad corpus Domini ; quia dignum est ut cum summa reverentia et diligentia geratur, expedit ut ipse quoque gerendi modus non taceatur. *(var.)* Primum igitur frumentum, de quo futuræ sunt hostiæ, quantumlibet bonum sit naturaliter et purum, tamen granatim eligitur, nec per alias personas quam per ipsos fratres, scilicet apocrisiarii adjutores, * et aliquando infra capitulum per novitios nondum consecratos. Cum ita fuerit electum, lavatur studiose, et in panno nitido diffuso siccatur ad solem. Colligitur in saccum, qui ad hoc solum de panno bono conservatur. UD. In quo collectum commendatur uni famulo, tam moribus quam ætate maturo bonique studii. *(var.)* Qui portans illud ad molendinum, molam purgat, operitque per omnia cum cortinis sursum et deorsum : seipsum induit alba, et supra caput alligat (138). Super humerale, ut nil de facie præter oculos solos possit apparere. Ita molit, ita farinam

(136) *Bancale* subsellii stragulum tapes, quo scamnum, seu *bancus* insternitur.

(137) Vide Ord. Cluniac. par. I, c. 53.

(138) Linteum, quod caput et humeros tegit.

cribrat: cribrum quoque prius diligenter lavat. Cum autem nullum tempus, quot vicibus in anno hostiæ sint formandæ, præfixum sit, custos ecclesiæ quotiescunque opus fuerit, ut fiant, providet.

* In ea die formatores hostiarum, neque capitulo, neque horis regularibus intersint, et tamen in crastino veniam non petunt. Ipse quoque, si non est sacerdos vel diaconus, UD. vicarium sibi ad hoc opus quærit, et duos alios, qui sunt de his ordinibus; quartus erit, si videtur, conversus. Ili quatuor, si est tempus hyemale, finitis nocturnis, (si autem æstivum, post matutinum) *(var.)* se calciant, facies manusque lavant, et capita pectinant, et secedunt ad aliquod secretum altare. Ibi cantant quæcunque canenda sunt, usque ad horam prandii. Nam postea nullatenus se de hoc opere intromittunt. Igitur lavatis manibus hi tres, qui sunt sacerdotes vel diaconi, in loco quo hostias facturi sunt, albis et humeralibus (sicut de illo, qui molit farinam, est præmissum) se induunt. Quorum unus farinam conspergit, et vehementissime compingit super tabulam nitidissimam habentem limbum in circuitu aliquantulum in superficie cætera altiorem, ne aqua effluere possit. Conspergit autem cum aqua frigida; quia dicunt hostias ita fieri candidiores. A duobus reliquis hostiæ formantur.

Ferramentum, in quo sunt coquendæ, tenet conversus, manusque induit chirothecis. Unde inter conversum et formatores hostiarum ponitur una tabula, et super hanc sunt duo pali infixi, et super palos unum lignum transversum, super quod ponit fermentum ad hostias imponendas. Quæ cum fuerint coctæ, cultello abraduntur, et cadunt in scutellam deorsum in tabula positam, et panno jugiter coopertam; nisi quando hostiæ abraduntur. Omnino tenent silentium et summopere cavent, ut non modo saliva, sed nec flatus eorum ad hostias aliquo modo pertingere possit. Solus conversus, si quid opus fuerit, paucis verbis famulo innotescit, qui facit focum, ad quem non mittunt, nisi ligna arida, et de industria ad hoc præparata.

* Frater, qui farinam conspersit, postquam expeditus fuerit, ad hostias eligendas vacabit, ita ut quæ ex toto sunt integræ, ad missarum celebrationem seorsum; quæ aliquantulum rimosæ, ad offerendum, reserventur. Si quæ autem diminutæ, vel ibidem, vel alias ad terram dilapsæ inveniuntur, diligenter collectæ, tempore quo sacristæ hebdomadario videtur, ad refectorium deferantur et in cophino aliquo ad fragmenta mittantur. (UD.) Ipsi autem hostiarum operarii eo die non cum conventu comedunt, sed cum servitoribus, *(var.)* et pro tanto labore habent de cellerario pitantiam.

CAPUT XXXIII.

De corporalibus sive aliis hujusmodi lavandis.

(var.) Corporalia (139), quando lavanda sunt, non minore studio lavantur, et ad hoc quoque est tempus præfixum, scilicet ante Pascha. Item ad hoc deputata sunt vasa ænea, et tanquam pelves amplissimæ, in quibus lavantur, et quæ ad nullos alios usus habentur. Post vesperas in ecclesia juxta caveam, super qua calices lavari solent, bis intingantur aquæ frigidæ, et teruntur in manibus. Iterum aqua tertio infunditur ita per noctem mensura, mane vero inde exprimenda, et in eamdem caveam, sicut prius effundenda. Et notandum quod aqua cui intinguntur, in eodem vase est afferenda, in quo et sacrificio offertur miscenda. Deinde portantur ad officinam secretarii, in qua sunt lavanda. Ubi jam famulus lixiviam temperavit limpidissimam, et diligentissime collat, et non tamen mittitur super corporalia, nisi sint prius panno undique involuta. * Quæ, postquam bene lota fuerint, et aliquantulum siccata, a fratre uno alba induto intinguntur conspersioni, quæ facta est clara et liquida de optima farina, et ita siccantur ad perfectum, UD. et interim minime custode carent diligenti, maxime qui muscas abigat ab eis. Qui etiam nequaquam albam exuit, neque inde usquam discedit. * Idem ipse, si forte propter hoc aliquam horam neglexerit, veniam non petit.

UD Chordam super quam suspenduntur prius lavare non negligit, quæ et in uno marsupio ad opus hoc solum jugiter servatur. Quando autem levigantur (140), unus eis pannus substituitur nec ponuntur unquam super lignum nudum. * In eodem etiam tempore et quotiescunque opus fuerit ab eisdem fratribus offertoria et linteola, cum quibus calices portantur, exterguntur. Totum agit apocrisiarius socialiter cum aliis junioribus suis, et providet, ut semper fiat ante prandium. Præterea habet sub se aliquos famulos, quorum omne studium est et labor, accepta, si opus est, ex cera candelas facere, cereos decenter formare, oleum conficere, vestimenta consuere, sarcire et levare, oratorium quoties oportuerit ad crucem scopis mundare, cortinas suspendere, item peracta celebritate auferre, plicare, atque recondere, et alia quædam ecclesiæ utensilia, prout sacristæ videtur, providere. Ad hujusmodi autem interiores sacristæ adjutores se non admittunt, nisi tale quid habeant quod sine eorum adjutorio perficere nequeant. In prædicto quoque tempore quo lavantur corporalia iidem famuli linea altarium velamina cum albis, si quæ forte in hoc anno lavandæ sunt, lavant, exceptis his quæ ad majorem missam et ad privatas missas et matutinam pertinent; quæ semper ad primam Dominicam Adventus Domini et Quadragesimæ lotæ esse debent; insuper quotiescunque opus fuerit lavandæ. Manutergia autem et alia hujusmodi non solum in hoc tempore, verum etiam quandocunque necessitas exigit, ab eisdem famulis lavantur.

(139) Corporale est linteum, quod in altari sustinet hostiam et calicem dum celebratur missa. Vide Bernard. Ord. Clun. part. I. c. 54.

(140) *Levigare*, polire. *Leviga* instrumentum levigandi, quod etiam complanatorium dicitur. *Joan. de Jan.* Germ. *Beglen.*

CAPUT XXXIV.

Item de apocrisiario.

* Quod ad apocrisiarium solum pertinet, vel, si ille non adfuerit, ad ejus vicarium; primo horologium dirigit et ordinat. De quo, cum fieri possit, ut aliquando fallat ipse notat in cera, et in cursu stellarum vel etiam lunæ, ut fratres surgere faciat ad horam competentem.

Ideoque ad nocturnos non alius quisquam inchoat pulsare scillam, præter ipsum. Quod tamen non prius facit, quam duo lumina, unum ante fores ecclesiæ, alterum ante dormitorium accendat. Quod si in duodecim lectionibus se nimis tarde pulsasse perspexerit, infra matutinum vel ad *Kyrie eleison* ante gradum se prosternit, et, si prior ante non jusserit, finitis precibus non faciens ante et retro, discedit. At si in privatis diebus evenerit, in capitulo veniam petit. Cum tempus fuerit ad primam pulsari, facit. Sed hæc pulsatio non uniformi agitur modo. Nam, in die S. Paschæ, et in aliis præcipuis festis signum unum de maximis, in cæteris vero unum de minoribus, secundum dignitatem cujusque festi, pulsatur. In die Palmarum et quotiescunque processio ad aliquam extra claustrum ecclesiam agitur, duo maxima pulsantur quousque illuc perveniatur, quod nihilominus in redeundo observatur. Ad tertiam quoque privatis diebus, sed et quotidie ad vesperam pulsatio signi est in ejus arbitrio; nisi in Quadragesima, et nisi domnus abbas sit ad parlamentum; tunc enim petitur ab eo licentia pulsandi. Quacunque autem hora pulsare tempore loquendi cœperit hebdomadarius, ex consuetudine nullus eum prohibebit. Sacrista, si inter prandium generale necesse habet in ecclesia excubare, vel tale quid agere, quod non possit differre, absque licentia potest ad idem prandium deesse, et ea die cum servitoribus coquinæ mixtum accipere Ad collationem pulsatio non in ejus, sed in prioris est arbitrio. Quoties agitur mandatum, eo jam peracto, venit ante priorem, et licentiam pulsandi quærit. Postquam dimittit signum, revertitur ad locum suum, et cum cæteris pergit in refectorium ad bibendum, mox ante alios reversurus, ut recolligat ad servandum conchas et manutergia, quibus usus fuit ad mandatum.

Post completorium, attendit ut portarius cum aliquot ecclesiæ custodibus totam scrutetur ecclesiam, ne quis forte fur latendi habeat occasionem. Ostium ecclesiæ, quod est contra claustrum prope quod ejus est lectus, nunquam in nocte sera obfirmare omittit, ita ut non possit absque clave reserari, et ipsa clavis ab ejus latere non recedit. Providet quoque in festis præcipuis, ut ab ingressu fratrum ad nocturnos usque ad finem majoris missæ, duo super majus altare cerei continuo ardentes perseverent, quod in aliis, quæ in cappis aguntur, tantum ad missam observatur.

Est consuetudo in octava Pentecostes, in festo Omnium Sanctorum, in Dedicatione ecclesiæ, et in summis festis, ut ad tertiam nocturnorum lectionem, A et ad VI et ad IX, unus sacerdos cappa indutus principale incenset altare, et portet incensum ad omnes fratres infra et extra chorum. Ad hoc sacerdotem, quem viderit, invitat idem apocrisiarius, faciens ei signum de incenso. Item ad nocturnos in præcipuis festis quando tria diversi coloris pallia ponuntur super majus altare, ipse, si aliter non potest, cum suffraganeo suo aufert singula singillatim; scilicet ad *Gloriam* tertii et octavi responsorii, et in eo loco semper etiam in duodecim lectionibus altaris tabulam detegit, hucusque panno coopertam. Accipit et textum Evangelii de altari et portat ad vestiarium, ibique lumine accenso sacerdotem ad altare procedentem subsequitur usque in presbyterium. Ibidem sinistrorsum ceroferario astat, donec sacerdos de B altari ad analogium pervenerit, librumque aperuerit, et tunc illi lumen cum manus osculatione porrigit, quod tamen hebdomadarius ejus adjutor finita oratione absque osculo ab eo recipit. Sacrista autem perlecto evangelio signorum restes deponit, finataque collecta ad *Per Dominum*, scillam trahit.

Qua dimissa, dum sacerdos matutinali lectione imposita de analogio revertitur, Evangelii textum de manu ejus accipit et super altare reponit. In privatis noctibus quando mox matutini nocturnos sequuntur, et familiares psalmi non subjunguntur, finita collecta et dicto *Deo gratias* ad matutinalem lectionem pulsat; si vero subjunguntur, ad *Per Dominum* sequentis collectæ pulsare incipit.

C Intervallum hyemale ita debet temperare, ut claustralis prior cum absconsa totum claustrum possit circumire. Signo quoque matutinali talis cautio ab eo debet adhiberi, ut post matutinalem lectionem inchoata prima lux diei aperte valeat videri. Quod si quando non observatur, prima tamen cum cæteris ad eam pertinentibus, non differtur. In tali festo, in quo cum duobus thuribulis est incensandum, si domnus abbas non cantaverit vesperos et matutinum, sed sacerdos hebdomadarius, qui tunc cum eo incensat, hunc quoque apocrisiarius, ut prædixi, alium invitat, sed de altero choro: quod tamen, si domnus abbas vesperos et matutinum cantaverit, non facit; quia tunc hebdomadarius cum eo ex consuetudine incensabit. Debet in memoria habere, ut in vigiliis principalium festorum, post D matutinum, in vigiliis vero talium, sicut est S. Joannis Baptistæ, dum fratres sunt in refectorio, vel si bis reficitur, post nonam dorsalia suspendantur et altaria præparentur, et si vigilia eadem in Dominica vel in alia duodecim lectionum die evenerit, ante vigiliam suspendantur; et si festum aliquod duodecim lectionum eamdem vigiliam subsequitur ea die, sicut nec infra hebdomadam Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes dorsalia non deponantur; et ut in tribus diebus eorumdem festorum, qui primum sequuntur, et in commemoratione S. Pauli nihil de ecclesiæ apparatu minuatur.

Debet etiam in memoria habere modum quemlibet festivitatum, in quibus tota ecclesia palliis sit

adornanda, et in quibus nonnisi presbyterium solum, in quibus ad vesperas et ad nocturnos ante faciem altaris principalis accendi debeant cerei septem, et in quibus nonnisi quinque: et quæ agendæ sint in albis, et quæ in cappis; et cappæ quidem in uno choro per ipsum, in altero per ejus adjutorem ; utroque etiam, si sint conversi, alba induto, singulis fratribus distribuuntur, quas et circa finem missæ sine licentia possunt exuere, ut sint parati cappas, cæteraque vestimenta adjunctis fanonibus recipere atque recedere. Qui quidem fanones, si talis est festivitas, quæ in cappis agatur et processio fieri debeat, et tamen tertia præcedit, pariter cum albis distributi, non prius recipiantur quam processionalis cantus finiatur. Si vero tertia subsequitur, statim psalmis finitis resumuntur. Quod si processio non agitur, nequaquam fanonibus utuntur. In quolibet autem festo in albis agendo, sive processio agatur, sive non, recipiendi non sunt donec dicatur *Per omnia sæcula*. Cæterum licet tali ordine (sicut dictum est) in singulis festis cappæ vel fanones distribuantur ac recipiantur, in Palmis tamen et in Purificatione S. Mariæ nemini tribuuntur, sicut nec reliquiæ eadem die portantur.

Præfatum quoque sacristam scire convenit, quo ornatu in festis principalibus agenda sit processio: ab eo namque infra spatium chori quæque ad hæc pertinentia adjutoribus suis administrationibus sunt disponenda. Igitur in eadem processione primo aqua benedicta, cruces, textus Evangelii portantur, quos subdiaconus epistolam lecturus, et minister altaris tunicis induti bajulant, et ante utrumque incensum: candelabra vero e latere eorum feruntur. Deinde cruciculæ, capsulæ, cæteraque minora ornamenta; novissime sanctorum reliquiæ, a quibusdam senioribus, minus cantare valentibus, portantur. Post quos e vicino priores, sicut mos est in Dominicis diebus, usque in vestibulum secretarii, sed facta ibidem statione, ultimi chorum ingrediuntur.

Quod si aliquando evenerit, ut missa matutinalis ad majus altare canenda sit, sicut in Nativitate S. Mariæ, eo per omnia modo celebratur, quo in privatis diebus major solet celebrari, excepto quod sollummodo prior tres hostias, vel si est dies Dominica, quinque offert, et quamvis ille solus offerat, alter tamen chorus ad pacem accedit, et qui voluerit, corpus Domini accepit. Post tribus distributis juxta morem cappis, pulsantibus omnibus signis, cantuque imposito, agitur processio.

Cineres quoque qui in capite jejunii fratrum capitibus imponuntur, ex ejus industria fiunt de cremiis sarmentorum, et studiose mundantur et cribrantur.

Dominica Quadragesimæ prima post completorium per ipsius providentiam suspenditur velum inter majus altare et chorum, in feria quarta ante Pascha itidem auferendum. (141) De his sciendum, quia nullus, præter sanctuarii custodes sive ministros, absque rationabili causa audet transire. In crastinum vero post litaniam auferuntur cuncta ornamenta.

Quæ vero auferri nequeunt, velantur. Ad eum quoque pertinet, ut in Sanctorum vigiliis, quorum festa in Quadragesima celebrantur, et in Sabbatis ejusdem post sextam majus altare, et illud, in quo instantis festi reliquiæ suut, pallio adornetur. In cunctis etiam festis, quæ vel in cappis vel in albis celebrantur, providet ut cuncta altaria palliis adornentur.

(UD. *var.*) In die quoque Palmarum debet aliquos diligentiores de conversis eligere, qui capsas et arcas SS. reliquiarum ad processionem humeris sciant portare. In qua videlicet processione præfertur aqua benedicta, postea cruces, textus Evangelii duo, candelabra quatuor, thuribula duo, deinde conversi omnes, ad ultimum seniores, sicut et in qualibet processione, quæ extra claustrum agitur. Sed famuli ante prædictam processionem vexilla ferunt, quod et in tribus diebus Rogationum faciunt. Lapis chrystallinus, de quo ignis in Cœna Domini est eliciendus, ab eo servatur, qui et in eodem die et in duobus sequentibus, per eum armario præsentatur, ut per ipsum ignis inde proferatur, qui tamen a famulis ipsius sacristæ succendendus est, ac nutriendus. Eodem die conventu ad prandium progrediente, ipse sacrista cum adjutoribus suis remanet, ut cuncta altaria velaminibus nudet.

In Parasceve post tertiam cruces et cætera, quæ Quadragesimali tempore fuerant cooperta, facit discooperiri, sola majore cruce usque dum antiphona *Ecce lignum* imponitur, velata. Eodem quoque tempore adorandam (ut moris est) præparat crucem. Per ipsum etiam majus altare linteo candidissimo operitur, et corporale superponitur : sed paulo antequam corpus Domini illuc reportetur. Ipse quoque providet, ut eodem die infra refectionem fratrum cuncta altaria aqua et vino a sacerdotibus honestioribus, per se vocatis, dum adhuc sunt nudis pedibus, abluantur ; et quod liquoris in majori altare fusum fuerit, spongiis colligatur, indeque expressum in sacrariis refundatur.

In Sabbato S. Paschæ cortinas in majori ecclesia, et in capella S. Mariæ suspendi facit, quibus dorsalia defendantur, nec ante Adventum Domini auferentur, nisi interim dum monasterium in præcipuis festis scopatur. Item in eodem Sabbato et Pentecoste ad missam scillam trahere ad ipsum respicit; quia tunc armarius chorum tenet.

Tribus diebus Rogationum ipse cum adjutore suo phylacteria fratribus distribuit. A quibus tamen abstinent se hi, quibus tale quid accidit, ut a pace et communione abstineant. Ea vero quæ ad missam sunt necessaria, ad ecclesiam, ad quam proceditur, ut deferantur, ipse providet. Ibi quoque astat altari, fratribus phylacteria deponentibus, et quotquot poterit, ipse recipit, et in altari deponit. Similiter

(141) Vide Bernard. Cluniac. part. I, c. 63.

et cum ea recipiunt, astans reddit cuique, quod et prius portavit, vel, si ille non agnoverit, ipsi per se accipiunt, sive ei reddenda ostendunt. Quibus hoc sciendum est, quod et postquam ea deposuerint, et antequam recipiant utrobique veniam petunt. In eisdem diebus nulli licet pannos suos lavare, vel aliquid hujusmodi operis in claustro facere. Scribere vero et in aliis locis competentibus vestimenta suere vel resarcire fratribus ad hoc deputatis licet. In festis principalibus, ut phylacteria circa altare suspendantur et auferantur ipse procurat. Utraque autem vice tam ille, qui ea porrigit, quam qui suscipit, albis induuntur.

Item in eisdem festis duo sacerdotes ab eo accersiti, apportant oblationem, unus hostias et vinum, alter vero colam auream vel argenteam, et ampullam aquæ, de qua vinum est miscendum. Adhuc autem ab armario diaconus aliquis illuc dirigitur, et accepta cola de manu ejusdem sacerdotis, sicut et ille eam de subdiacono accepit qui infra missam vel ad processionem eam in manu suspensam portavit; aquam calici per eam infundat, tunc cum vinum et hostiæ a priore fuerint oblatæ. Item in festis capparum unum de litteratis advocat, qui hostias et vinum apportet.

In festis Omnium Sanctorum providet ut nullum sit altare in majore ecclesia, vel ad S. Mariam, ante quod non ardeat unus cereus a vespera usque ad vesperam, imo usque post completorium. Et quando alterutrius ecclesiæ, dedicatio recolitur, similiter omnia altaria illius tantum ecclesiæ, cujus tunc instat dedicatio, illuminantur. Quod si forte alicujus monasterii dedicatio infra Quadragesimam evenerit, altaria tantum cuncta adornantur, et a duobus albatis incensantur. Introitus ter repetitur, responsorium a quatuor et *Kyrie eleison*, et *Sanctus* et *Agnus Dei* de majoribus canitur. Ante omnia autem præfatus sacrista hoc summopere observat, ut corporalia, pallas altaris, vela et cortinas ecclesiæ, et cætera hujusmodi, quæ sunt divino ministerio consecrata, cum inveterata fuerint, incendio tradat, et cineres eorum in piscina vel in baptisterio recondantur.

CAPUT XXXV.

Quid agatur contra surgentem tempestatem.

* Surgente tempestate a sacrista in claustro crux est ponenda contra tempestatem eamdem versa, et reliquiæ cum aqua benedicta. Statim duo signa maxima pulsantur, quousque instantia tanti periculi transisse videatur. At si in tantum viderit increscere periculum, ut necessaria sit convocatio fratrum, tunc sine mora pulsat duo maxima grandinem significantia: quotiescunque tali ordine pulsantur, ut hoc fratres audientes, et grandinem imminentem cognoscentes, quacunque hora tam nocte, quam die, non quidem currentes, sed solito citius ambulantes in ecclesiam (ubicunque fuerint) conveniant, et nisi aut missam aut regularem horam jam cantare inceperunt, mox litaniam

A incipiant. Qua finita septem psalmos, si opus fuerit, adjungant. Interim quoque continuatim omnia signa pulsantur. Sed hæc consuetudo in tanta est cura, ut etiam si fuerint in refectorio, cadente grandine, ibi litaniam incipiant. Quod et tunc faciunt, quando incendii periculum imminere cognoscunt. Ad quod, licet festinanter curratur, tamen nemo ibi loquitur, donec prior dicat *Benedicite*, si tamen adeo videt incendium prævalere.

CAPUT XXXVI.

De camerario.

(UD.) Camerarius, quantum possumus habere denariorum de villis nostris, ipse pergit, et recipit eos tempore suo. (*var.*) De his autem villis quæ tam longe sunt positæ, ut nec vinum, nec annona quæ B ibi nascitur, possit ad nos pervenire, ibidem venditur, et pretium camerario defertur. Postremo quidquid auri vel argenti pro charitate undecunque donatur nobis, totum ipse recipiet, excepto quantum hic sum dicturus. Si quis decem solidos aut pauciores, vel tantum auri sive argenti donat, hi semper cellerario sunt deputati ad hoc tantum, ut fratribus infirmioribus et delicatis, absque hoc, quod generaliter omnibus datur, aliquam in refectorio impendere possit charitatem. * Si vero numerum prædictum vel uno denario supercreverint, camerarius accipit. Interdum domnus abbas de hujusmodi oblatione ad præsens cellerario aliquantum dari præcipit, ut infirmioribus fratribus (sicut dictum est) aliquam charitatem facere possit. Nunquam tamen C quidquid auri vel argenti, vestium, vel hujusmodi charitatis gratia offertur, prius in usum aliquem expenditur, quam in capitulo præsentetur.

Est etiam consuetudo ut, si quis oblationem per se obtulerit in capitulo ad pedes prioris munus suum ipse ponat, et pro hoc optari sibi præmium æternum audiat. Cui etiam. si steterit, prior surgens, si genuflexerit, sedens fraternitatem tribuit. Quam tamen, si domnus abbas dederit, non hunc, ut genuflectat, monebit, sed tantum ipse sedendo dabit. Et si duo vel plures fuerint, pariter introducuntur, et pariter offerunt: quia oblationes eorum pro una deputantur.

Sed pecuniam una die pro charitate nobis missam conferre licet in proximo capitulo præsentandum, si D summam decem solidorum (ut supra dictum est) excedit, idem camerarius juxta morem accipit. Oblationes autem novitiorum, sive quæ pro defunctis sæcularibus offeruntur, postquam domno abbati, vel eo absente, priori præsentantur, vel exponuntur, omnia camerario deputantur, præter ea quæ hic excipiuntur: pallia et vasa aurea et argentea, et quæque hujusmodi ad usum et ornamentum ecclesiæ pertinentia. Libros quoque missales accipit sacrista, reliquos vero libros et pergamenum armarius; vaccas et oves et capras cellerarius ad usus fratrum; boves decanus villæ ad arandum. Culcitram vero et linteamina, et si quæ sunt similia, de eisdem oblationibus custodi hospitum, quantum necesse est tribuit camerarius. De cætero, ut præ-

missum est, omnia veniunt ad manus ipsius camerarii, nec immerito, quia frequenter accidit, ut de omnibus rebus annuatim nascentibus parum habeamus in subsidium vitæ temporalis, præter quod denariis est comparandum. Quod cum per vices eveniat de victu, quidquid ad vestitum pertinet, hoc non per vices sed semper et pene ex toto est comparandum.

CAPUT XXXVII.

Quid unicuique fratri singulis annis de vestimentis tribuatur.

(UD. *var.*) Quilibet autem frater assidue debet habere unum froccum, et, si fieri potest, duas cucullas. Quibus parandis a quolibet fratre vetera camerarius requirit, ut secundum ea metiatur nova. Novum pellicium, si fieri potest, singulis datur annis, et in festivitate S. Michaelis, vel interim dum conventus fuerit ad prandium, ponitur in ejus lectum. Quæ pelliciorum distributio in camerarii solius est arbitrio. Ab ipsis autem, quibus dantur, vel eorum rogatu nominibus suis ab aliis notanda. Iterum in festo S. Martini novi pedules ad lectos ponuntur. In Cœna Domini autem, si fieri potest, calceamenta dantur, et hoc modo. Priusquam fratres de ecclesia exierint super perticas tres suspensa a famulis camerarii in capitulum apportantur, et super quatuor palos terræ infixos ipsæ perticæ mittuntur. Postquam autem regulæ sententia exposita fuerit, jubente domno abbate, consurgit camerarius et adjutor ipsius, ac per eos ipsa calceamenta erogantur, armario et ejus adjutore ea eligentibus, et eis ad manum suggerentibus. Quibus singulis singulorum fratrum nomina in breviculo sunt ascripta, et assuta; excepto si qui noviter adveniunt, quorum nomina tunc scribi non possunt. Ideoque, quæ illis sunt danda, singulariter sunt suspensa. (UD.) Accipientes autem nova in eadem hora reddunt vetera bene abluta; si tamen plusquam unum par diurnalium habet, ut pauperibus dentur.

De stamineis et femoralibus, vel si quæ sunt similia, nihil aliud est constitutum, quam quod cum fuerint inveterata, nec magis proficua, eis ablutis et per ipsos fratres camerario redditis, alia sunt tribuenda. Et ut hoc semel dicam quid ad amictum unusquisque fratrum habere potest regulariter et pro consuetudine generali, primo sunt duæ cucullæ, et unus froccus, duo staminea, duoque femoralia, duo paria calcerum, unum cum corrigiis ad noctes, duo paria caligarum, duo pellicia, capellum de pellibus ovinis sive cattinis, quinque paria pedulium. Ad lectum capitale, coopertorium laneo panno obductum, sagum, brachiolineum (142) quo femoralia succinguntur, corrigia cervina, qua et stamineum, et in qua pendet cultellus cum vagina, acus cum filo et vagina.

Sacerdos et diaconus officio suo fungentes ex consuetudine habent tria femoralia, ut si quid eis in nocte contigerit, in promptu sit ea mutare. Et camerarius, si cui habenti duo pellicia, vult addere adhuc pro misericordia et tertium, aut fasciolas propter tibias infirmantes, is, qui accepturus est, a priore accipit licentiam. Si cui vero unum par caligarum de pellibus ovinis etiam sine licentia camerarius dederit, propter hoc non meretur vel largiens, vel recipiens reprehendi. * Frater autem fratri quamlibet vestem suam potest præstare, non autem absque licentia prioris debet dare. Debent autem unicuique dari, quæ suæ conveniant quantitati simul et qualitati. Quod si neglexerit camerarius, ab accipiente super hoc potest admoneri. Super hæc quæ prædicta sunt, quicunque amplius quid de hoc genere habere voluerit, hoc profecto nec pro justitia nec pro misericordia, sed pro magna censetur superfluitate.

Omnia pellicia sunt velleris ovini et caprini; coopertoria vero aut ovini aut cattini, aut leporini aut putonii et nunquam de ullo genere majoris æstimationis. Froccus et cuculla de tali sunt panno (*var.*) quale in hac provincia invenitur, quod tamen non sit agnini velleris, vel alius pretiosæ æstimationis. UD. Si quando tale quid comparaverit vel vendiderit, camerarius negotiatione sua ex toto peracta, mercatori, cum quo negotiatus est, secundum quod negotium est, et persona, aliquantos adhuc reddit sponte sua denarios, propter illud S. Benedicti præcipientis (*Reg*., c. 57), ut res nostra semper vendatur vilius quam aliorum hominum.

Quoties loquimur in claustro ipse vel adjutor ejus, qui clavem cameræ portat, nunquam deest; tunc enim auditurus est a singulis quid ille aut quid ille opus habet. Quod si aliquoties neglexerit, inclamatur. Ea tamen vice alter eorum stat ante cameram, dans quæ danda sunt, ut fratres tempore silentii loqui necesse non habeant. * Interdum autem potest evenire ut aliquis vel brevitate temporis vel alia impeditus necessitate, si quid necesse habet non possit exquirere; cui soli quod vult signis innotescere non valenti omnino non est interdictum quin permissu camerarii tempore opportuno cameram ingrediatur et breviter necessaria duntaxat loquatur; si tamen necessitas imminens, et usque ad proximum tempus loquendi non potest differri.

Frater, cujus pellicium vel stamineum vel femoralia ita sunt disrupta, ut adhuc valeant resarciri, diluculo ponit ea in loco ad hoc deputato, ut veniens adjutor camerarii portet foris ad sartores. Post vesperas autem reportans, reponit in eumdem locum, ut ab eo, ad quem pertinent recipiantur. * Ubi sciendum est, quod tam in duodecim lectionibus quam in privatis diebus, quæcunque ibi reposita sunt, etiamsi non resarciantur, ante collationem recipi debeant. Si autem aliquando contigit, ut ab aliquo negligatur, post completorium in transitu potest recipere, dummodo sequentibus ullam moram

(142) Vide indicem vocum exoticarum.

non faciat. Qui per seipsum quid de vestimentis suis laverit, et in claustro super funiculum suspendit, ante collationem, vel si in crastino duodecim lectiones, ante vesperas auferre meminerit. Froccum autem, cucullam, stamineumque et femoralia, caligas etiam, sed non nisi ablutas ibi suspendere licet. Coopertorium vero ibi suspendi non licet.

Socci sunt ibi abluendi, et super gramen claustri ad siccandum ponendi. Nihil tamen omnium in duodecim lectionibus, vel cum processio agitur, ibi est dimittendum. Sed et hoc sciendum, quod in dormitorio coopertoria nonnisi ovina inversa sunt suspendenda. Sciendum quoque, quod adjutor camerarii vicem ejus absentis, sive infra sive extra cellam per omnia gerit, præsentis vero infra ambitum cellæ tantum. Extra enim prodire non præsumit, B nisi major jusserit.

Quando fratres exituri, vel de itinere redeuntes, benedictionem accipiunt, idem adjutor diligenter debet prospicere, qui vel quot fratres benedictionem accipiant, ut de lectis sciat ordinare. Providet quoque, ut in dormitorio honestiori loco, vel duo lecti propter hospites semper sint parati; Nemo debet se mutare de lecto in lectum, vel vertere lecti caput in aliam partem sine ejus licentia: sibi tantum licet in dormitorio hujusmodi facere. Ipse etiamsi est impeditus, non ibi deerit, ubi quisque exiturus, vestimenta sua componit, providens ne plus eisdem vestimentis secum deferat, quam usus et necessitas postulat.

Scire debet camerarius, quod frater dimidium C annum vel minus, hic in monasterio aut in cella aliqua commoratus, neque hinc illuc, neque inde huc juxta festivitatem S. Michaelis causa hyemandi vel de cætero permanendi ex consuetudine mittitur, nisi indumentis, quæ eo tempore fratribus communiter erogantur æque et ipse vestiatur. Quod si prior ad cellam neglexerit, et fratrum aliquem circa tempus prædictum, veteribus et attritis vestimentis indutum huc transmiserit, hic a domno abbate, vel priore eo, unde venit, sicut dictum est, vestiendus remittitur, et si visum fuerit, denuo redire præcipitur. Camerarius præfatus debet etiam ad opus itinerantium fratrum cappas et fasciolas, calcaria, chirothecas, et cingula; ad opus vero clericorum hospitum, qui in refectorio aliquando comedunt, D superpellicia quotquot sunt necessaria, ostiario dare. Nulli enim litterato, nisi clericali vestimento indutus sit, in refectorio licet comedere. Vetera quoque fratrum vestimenta usibus eorum non apta (si quæ tamen fratribus exterioribus superfuerint) pauperibus distribuenda, dat eleemosynario; armario etiam pelles, cultros, et colores, et quæcunque ad libros conficiendos sunt necessaria; refectorario quoque ad opus domni abbatis et hospitum in refectorio comedentium, duo bacina cum manutergio; præterea infirmario alia duo bacina ad opus infirmorum in lectulis jacentium.

In Nativitate Sanctorum Joannis et Pauli fœnum A a decano villæ accipit, et hoc in lectus fratrum sterni facit. Ipse etiam et adjutor in hyeme aquam calidam ad lavandos fratrum pedes post processionem et ante mandatum providet. Inter cætera pertinet ad eum etiam de fullonibus, fratrum lavantibus pannos, et ut per eosdem mensalia ac manutergia separatim ab aliis pannis laventur. Hos adjutor ejus omni tertia feria post Evangelium matutinalis missæ ducit in claustrum, ut pannos fratrum accipiant ad lavandum de arca, in qua semper a fratribus congesta inveniuntur. Curam quoque habet non minimam de omnibus ferramentis in claustro necessariis, de rasoriis fratrum, et forcipibus et linteaminibus ad rasuram pertinentibus.

CAPUT XXXVIII.

De fratre qui servat rasoria

* Ad rasoriorum custodiam specialiter unus frater deputatus est. Hic ea servat in scrinio, modico quidem, (UD. *Var.*) sed sera firmato, quod ponitur secus introitum dormitorii sursum. * Servat et lintea, ibidem etiam jugiter suspensa, qui ante tres vel quatuor dies rasuræ scrinium portat in claustrum, et in una parte sedet extra conventum, versus ad ostium cellarii, ipsa rasoria acuendo et præparando ad hoc opus, præter alias horas, quibus conventus in claustro sedet ab missam matutinalem: ne tamen offerendæ desit, sicut nec quisquam, qui est in claustro, et ad officium defunctorum post tres lectiones licet ei vacare. Huic etiam, si opus est, adjutor datur.

CAPUT XXXIX.

De rasura fratrum.

(UD.) Cum ad hoc ventum fuerit, et rasura generalis fiat, percussa tabula in capitulo, et data licentia loquendi de rasura, exeuntes de capitulo faciunt fratres quasi duas lineas sedendi, scilicet ad cancellos claustri, et prope murum, unusquisque in eodem ordine quo et in capitulo: * hoc caventes, ne quis alii, priusquam sederit, signum radendi faciat. (UD.) In una linea a prædicto fratre, in altera vero ad ejus adjutore singulis fratribus singula dantur rasoria. Scutellæ autem noviter ablutæ per eleemosynarium dittribuuntur, binis et binis singulæ, a loco suo nequaquam se moventibus, sed cum disciplina præstolantibus, usque dum ad se veniat, * qui scutellas vel rasoria portat.

Providet autem custos rasoriorum, ut interim lintea distribuantur. Verum priusquam sedendo et inclinando quisque sibi data susceperit, apportat lexiviam quæ antequam pulsaretur ad capitulum, in congruis locis, non tamen ante fores ecclesiæ, camerarii adjutore procurante posita est, ad radendum se præparat. Sed nullus caput suum prius humectat, quam psalmodia inchoatur; nullus quoque ante ostium ecclesiæ vel ante capitulum sed ad radendum, si alibi patet spatium. (UD.) Quisquis radit alterum, froccum exuit, et in cuculla radit; qui vero raditur, raditur in frocco suo, cuculla exuta, et prope se composita. Quod si forte pro lexivia [*al.* aqua calida] perrexerit

apportanda, ipse cucullam decenter complicatam secum in brachio portat.

Inter radendum cantatur psalmodia *Verba mea*, deinde psalmus *Laudate*; si forte ea die est pro cellerario cantandus, vel tres psalmi usualiter pro tribulatione aliqua, et si quæ sunt hujusmodi post capitulum canenda. Sequitur cursus canonicorum eodem ordine, quo ad opus manuum canitur. Insuper in fine psalmi familiares adduntur absque his, qui ad vesperos pertinent. Quibus etiam subjunguntur psalmi, qui a prostratis solent recitari, sicut in tempore Quadragesimali: exceptis vespertinis. Et sacerdos hebdomadarius, qui collectas dicit in medio fratrum, ita debet sedere, ut ab omnibus possit audiri. Et hic cursu finito, antequam reliqua psalmodia finiatur, alii expedito, vicem officii sui injungit, ut et ipse radi possit. Unus vel duo circatores litterati, dum psalmodia canitur, circumeunt, ut fratres admoneant ad psallendum. Nonnisi finita psalmodia, tunc tandem radendi, ab hoc officio cessant. Si quis per eos admonitus emendare quidlibet neglectum noluerit, vel admonitionem graviter tulerit, raro inclamationem effugit. Quæ necessaria sunt rasuræ, licet alterum ab altero signis petere. (UD. *var.*) Cæterum usquedum psalmodia sit consummata, erit summum silentium, nisi qui radit, imprimis dicit *Benedicite*, et a radendo respondetur, *Dominus*. Qui raditur, nihil loquitur, nisi cuculla indutus. Prius nemo capillos cum forcipe tondere præsumit, quam psalmodia sit finita: qua finita et dicto a priore *Benedicite*, hi qui necesse habent, frocco, quantumvis fervida sit æstas, cum cuculla reinduta prope cellarium, non alias, forcipe tondent. Similiter et qui volunt tunc tandem in frocco sine cuculla caput lavant, si ex toto sunt rasi: sin autem, non lavantur, priusquam radantur. Cæteri rasi sic sedent, ut inter eos nullus radat, nec sine libris. Et hoc sciendum quod juvenis custodem suum prius non radit, quam ipse radatur ab eo, postea et alium quemlibet, non tamen juvenem cum licentia custodis radere potest, et ipse quamvis nunquam cum linteo radendus, licenter tamen eo utitur forcipe tondendus. Cæteris autem junioribus etiam ad radendum conceditur linteum, si quod superfuerit senioribus. Rasoria, quæ quisque ad ultimum habuerit, siccata ad scrinium reportat post horam proximam a fratre rasoriorum custode in loco consueto recolligenda, nisi quæ forte fratribus perradendis in calefactorio, ubi et lintea ab eodem ad siccandum sunt suspensa, cum forcipibus relinquantur.

Nec hoc silendum est, si quis radere, cum possit, non vult discere, potus portio ei non datur in ipsa die rasuræ. Si ad aliquam horam pulsatur, qui necdum radere inchoaverunt, in chorum veniunt, sed ad pacem non procedunt. Porro semirasus quivis froccum induit et ad ecclesiam pergit, non tamen ingreditur chorum, sed stat in secreto aliquo seorsum: et hora finita, si accepturus est benedictionem, capite quidem non cooperto, sed infra capellum tamen quo minus semirasura pateat, quantum potest competentia obtecto chorum intrat. Sin autem, statim ad finem horæ egreditur, in calefactorio infra missam perradendus; quod tamen nullus alius sine licentia facit. Verum si est tempus et fratres post sextam de ecclesia redeuntes in claustro sedent, vel quo sacerdos cæterique ministri altaris ad missam sunt vestiendi ante horam, facta oratione, tam illi, qui forcipe tonderi volunt, quam semirasus in claustro, loco, quo et prius, licenter hoc faciunt. Ad intervalla autem id est post missam et post percussum cymbalum ea die in calefactorio absque licentia cum forcipe quilibet tondere potest. Si qui vero, qui fuit in claustro, eum cæteri raderentur, irrasus permansit, vel de via venit post illam rasuræ horam, non sine licentia, nec tunc alias quam in calefactorio raditur; ubi tamen quovis tempore radentibus sive forcipe tondentibus silendum est. Post rasuræ quemque diem superveniens, etiam si in duodecim lectionibus, quod non feriatur, sit, post capitulum cum licentia item radit: nunquam autem in Dominico die vel in alio festo processionum, quamvis eidem non debeat interesse; sed in sequenti die post matutinalem missam, spatiis competentibus. Et si quis nostræ congregationis monachus extra manens, in cellam venire die rasuræ vel in sequentibus diebus tribus disposuit, etiam si die alia veniat, quam eadem die qua raditur, rasu venire non præsumit. Similiter et exiturus die illa, quantumvis longe proficisci debeat, neque radi ante tempus rasuræ, neque irrasus debet exire, nisi pro magna necessitate jussus, sic ut ante cœnam speret redire. Nec quemquam eorum vel aliorum, sed neque ipsum priorem, nisi novitios ex obedientiæ suæ jure radit custos rasoriorum; sed quæ in sua sunt custodia radendis ministrat necessaria. Scutellæ vero per eleemosynarium ministratæ jugiter erunt in calefactorio, quæ his necessariæ, si qui irrasi superveniunt.

CAPUT XL.

Quæ sint vices radendi per annum.

(UD) Vices autem radendi hæ sunt per annum. Primo ante vigiliam Domini, inter quam et septuagesimam quia non semper pari modo septimanæ contingunt neque plures neque pauciores, ibi nullus terminus omnino est præfixus; sed prior tantum considerat quomodo competentius secundum tempus rasura fieri valeat. * Veniente vero Septuagesima de vice ad vicem tres septimanæ semper intermittuntur, usque ad pascha. Ante pascha in sabbato sancto, sed absque cursu canonicorum.

Ad initium radendi semel a priore tabula percutitur, et postea silentium servatur, usque dum juxta finem rasuræ, (UD.) a priore *Benedicite*, dicatur. Postea pascha ad illam Dominicam: *Misericordia Domini*. Ante rogationes in illa feria quinta; si tamen nulla festivitate interveniente præpeditur. Ante pentecostem feria quinta. De qua die, quia rursus diversæ sunt septimanæ usque ad festum SS.

apostolorum Petri et Pauli, rursus quoque rasura permittitur in deliberatione prioris. Postea non erratur de ulla vice, quia est consuetudinaliter ordinatum, ut semper radamus ad translationem S. Benedicti, ad vincula S. Petri, ad assumptionem S. Mariæ, S. Othomari, ad adventum Domini. Et hoc sciendum est, quod in vigiliis principalium festivitatum, aut in feria sexta nunquam raditur, nisi aliqua earumdem festivitatum vigilia in sabbato eveniat, et in feria quinta (quia raderentur fratres, cum duodecim lectiones aguntur) tunc, inquam, hac necessitate cogente, in sexta feria raduntur.

CAPUT XLI.

De balneis fratrum.

(UD. *var.*) Hominibus est familiare, postquam raserint, continuo etiam balneare. Sed de nostris balneis non est multum, quod loquamur. Duabus enim vicibus tantum in anno et tunc sine licentia, qui vult balneat; id est, ante Nativitatem Domini et ante Pascha. * Alio quovis tempore pro infirmitate cum licentia quisque balneare poterit. Stamineum vero aliud, quam quo illuc venit, indutus, non licet ibi induere, vel loqui, vel in conventum humido capite redire. Ad sonum prioris signi, si jam balneum intravit, vel etiam discalciare cœpit, et propter hoc aliquando unam regularem horam omittit, (UD. *var.*) non ei imputatur; nisi iterum ab eo repetatur.

CAPUT XLII.

Quando et quomodo fratres pannos suos noviter lotos recipiant.

* Omni sabbato post nonam et in Quadragesima post cœnam, panni fratrum noviter abluti ponuntur in claustro super scamnum, quod est prope cellarium. Ibi non deest magister novitiorum, ut videat, ne quis per incuriam aut ignorantiam accipiat alios pannos, quam quibus nomen suum est inscriptum. Hoc est edictum nostrorum Patrum, ut nullus omittat, stamineo suo in anteriori ore intrinsecus nomen suum inscribi cum incausto [*id est* atramento], coopertorio vero pulvinaris et femoralibus, cum filo item in anteriora, sed extrinsecus. Hanc autem inscriptionem quilibet ante primam vel alio tempore ante tertiam, ad intevalla quoque horarum, et ante utramque refectionem in conventu potest licenter facere, quamvis pannos non aperte conventu coram posito illuc debeat portare. Acceptos itaque pannos sine mora ad lectos suos ponunt, et si volunt, dissolutis femoralibus cingula inserunt, ac suspendunt. Sed quicunque vult, exceptis juvenibus, pro charitate alterius pannos potest accipere, et ad ejus lectum ponere, si dormit in ejus vicinitate.

Si qui de eisdem pannis infra pulsationem omnium signorum, in Quadragesima vero ad percussionem tabulæ ad mandatum, in claustro remanent, hos magister prædictus colligit, et super cancellos capituli ponit, ut qui ante ibi non erant, vel pro aliqua gravi occupatione suos accipere non poterant, vel etiam quærentes non inveniebant, finitis vesperis usque ad sonum tabulæ ibi transeuntes eos accipiant. Illi quoque, qui absque necessitate ante neglexerunt, suos tunc accipiunt, sed ab eodem vestimentorum custode notantur, et in capitulo, si tamen frequenter hoc faciunt, reclamantur. Post completorium vero, si aliquis ibidem viderit relictos, in eundo ad dormitorium, tollit portatque ad lectum suum, et in sequenti die ponit in capitulum, unde nullus suos tollere præsumit, nisi prius veniam petierit; si tamen prævidendo suos esse probaverit. Si autem non, sunt in pœnitentia, quorum nomina eisdem vestimentis sunt inscripta; tunc camerarius jussu prioris sublata reservat, ut postmodum ea quærentibus reddat.

CAPUT XLIII.

De cellerario.

(UD.) Cellerarius eadem benedictione, qua prior, et ordinatur et absolvitur. Ordinatus scire debet quanta diversitate fratribus in refectorio sit serviendum. (*var.*) In septimana tres dies, id est, scire debet, feria quarta et sexta quod pietantiam habemus, alios quatuor generale, et hoc, quod in die Dominica et in feria quinta est, de piscibus; si tamen haberi possunt: et si non sunt olera, continuabitur generale. Item quotiescunque duodecim lectiones sunt, generale habemus. Quod quandocunque datur aliud, aliquem cibum cum illo cellerarius debet habere præparatum, ut fratribus de generali comedere non valentibus, mutet ipsum generale. * Hoc etiam providere debet, ut cum pietantia datur, sint aliquot scutellæ ita paratæ, ut si cui soli est danda, moram ille non patiatur, dum sibi pietantia, quæ non in cæteris rebus, nisi pomis et oleribus dividenda est, offeratur.

(UD.) In talibus festis, ut est translatio S. Benedicti, utrumque et generale et pietantiam habemus, si fieri potest, et solito meliorem panem. (*var.*) Sunt et plerique anniversarii dies, qui si tali die evenerint, quo ex more datur pietantia, propter eos quoque mutatur cum generali. Tales dies habet cellerarius apud se (143) imbreviatos; sed illos in quibus abstinemus ab adipe ignorare non debet, id est in Adventu Domini, nisi quotiescunque duodecim lectiones fiunt, et a Septuagesima usque ad Pascha: tunc cum *Alleluia* sepelitur. * Itaque omni sabbato collationem facit cum priore et camerario, et cum aliis ad hoc necessariis de singulis diebus venientis septimanæ, ut quidquid in illo et in illo die dari debet, tempestive provideatur. (UD.) Item in brevi notabit summam porcorum et arietum, qui debentur de obedientiis suis, ut confestim de hoc quæstionem moveat, si quid per incuriam de summa eorum cujusquam obedientiarii decedat. Ab ipsa quoque cellerarii obedientia pendent aliquæ villulæ in vicino aquæ positæ. (*var.*) De his pascit caballos suos; ibi moratur pisces comparaturus, vel ingenia structurus, quibus pisces capiuntur.

Si quis fratrum adeo est infirmus, ut de lecto

(143) Id est, descriptos in catalogo.

surgere non possit, ad hunc quotidie summo diluculo venit simul cum infirmario, ibique ante lectum ejus, cum dixerint versum *Pretiosa*, de omnibus, quæ habet, vel acquirere potest, suscitatur, si quid sit, quod sibi videatur, ut præparet ad ejus præparationem. * Alio etiam tempore illuc venire non omittit, ut alii infirmi, si quid necesse habent, ab eo quærere possint. (UD.) Quoties generale piscium datur post sextam statim, vel si tandiu jejunatur post nonam, totum esse debet dispositum et ordinatum in scutellis super tabulam, quæ est in vestibulo cellarii, ut prior vel etiam domnus abba veniens, antequam considcat ad scillam, videre possit, quid sit in singulis scutellis, si sit æquale, et ita divisum, ut prioribus non veniant meliores partes, multumque in hoc genere personarum acceptio cavetur.

* Debet etiam idem cellerarius cavere, ne in communi fratrum prandio vel cœna ipse cum fratribus ad reficiendum sedeat unquam, nisi aut phlebotomatus, aut alia infirmitate gravatus. Cum servitoribus reficiens ad mensam majorem si aliquid sparserit, vel fregerit, in capitulo veniam petit; si sonitum fecerit, tantum inclinat. (UD.) Eo die, quo sententia Regulæ (c. 31) de illo legitur, in capitulo habent de ipso fratres charitatem. * Quod tamen si secunda, quarta vel sexta feria in Quadragesima evenerit, usque in crastinum differtur, eo quod in his prænominatis diebus, non nisi duo pulmenta consuetudinaliter dentur. Ubi dum legitur, semper debet ipe præsto esse. (UD.) Qui etiam in sequenti die rursus in capitulo veniam petit, seque reum de multis negligentiis per occasionem obedientiæ confitetur. * Quod si ille propter infirmitatem vel aliquam inevitabilem necessitatem præsens non fuerit, adjutor ejus idem facit pro se et pro illo, quibus etiam prior indulgentiam pariter exoptat. Sed sive is, sive ille hanc veniam fecerit, cum eadem nominatim dicit excessus, si quos noviter commisit. Inde a priore absolutus ad pedes ejus venit : (UD.) et prior imperat ut psalmus primus simul cum collecta, *Omnipotens sempiterne Deus* pro eis communiter ab omnibus post psalmos *Verba mea* cantetur (*var.*); et tunc fratres stant versis ad invicem vultibus : et si talis est dies, ad ordinem procumbunt; sin autem, super sedilia submittunt. Si ea die pro defuncto aliquo *Verba mea*, præmissa omnium signorum pulsatione recitari debet, hoc primum, deinde prædictus psalmus canitur, ad ultimum tres psalmi pro tribulatione sunt canendi, et cum *Benedicamus Domino* clauduntur.

(UD.) Est autem consuetudo, ut si cellerarius præscire potest panem vel alium cibum tunc necessarium tempestive præparari non posse, signis aut verbis sacristam admoneat, (*var.*) quatenus horam, quæ missam subsequitur, cum pulsatione differat quousque tempus esse pulsationis ab eo agnoscat. Quod si forte neglexerit, ipse debet malleum auferre, ne cymbalum suo in tempore percutiatur a priore, quod tamen ipsemet statim percutit, cum prædictum cibum jam paratum esse viderit, fratribus interim in choro lectioni vacantibus. Hi sunt autem, quos cellerarius suffraganeos habet. Primus qui per omnia vicem ejus absentis agit, et de omnibus respondet, de quibus ipse solet respondere.

CAPUT XLIV.

De granatario.

(UD.) Secundus est, qui annonam recipit, quem et *granatarium* vocamus. Huic quando messis est tota collecta, prior innotescit, quanti modii de illa et de illa obedientia sint venturi, et quod semel audit, usque dum sit redditum, in composito [*al.*, computo] suo tenebit. Pistores sunt sub ejus manu. Qui, cum frumentum acceperint, duas species panis sunt reddituri, ut quidquid sit ab alio conductu panis, tamen qui dandus est fratribus, possit esse optimus. Ergo de maltro panis albi octoginta libræ, nigri etiam panis de maltro octoginta, quas ipse diligenter dispensat omnibus, prout constitutionis, (*var.*) vel cujusque causæ ratio dictat, vel providentia cellerarii judicat. * Annonam quoque jumentorum nihilominus ipse tribuit ostiario etiam ad usus hospitum, quotiescunque necessitas poscit. Ad ejus etiam curam hoc specialiter respicit, ne unquam panis aliquantulum melior fratribus in lecto jacentibus desit. (UD.) Si quam negligentiam ipsi pistores commiserunt, vel consuetum numerum panis non reddendo, vel ipsum panem non tam bonum, quam oportet faciendo, (*var.*) hoc ipse refert ad priorem et cellerarium, ut per eos secundum modum culpæ corripiantur. Unde in dormitorio semper, sed aliquando alicubi propter laborem dormit, quia frequenter ei contingit, ut necessario tardius se collocet quam alii.

CAPUT XLV.

De custode vini.

(UD. *var.*) Tertius est suffraganeus cellerarii, qui vinum et cerevisiam recipit, et custodit. Vindemia consummata, sicut granatario de annona, ei quoque indicatur a priore quantas vini carradas (144) de illo et de illo debeat exspectare. Ipse acetum et sinape dat refectorario, * quoties scit ea infundenda esse cibo. In cellario dormit cum cellerario, sed nunquam sine lumine. (UD.)

CAPUT XLVI.

De decano villæ.

* Quartus est cellæ provisor in exterioribus, quem decanum villæ appellamus ; hic procurat cellam, hortos, vineas et prata quæ cellæ adjacent, sepibus circumdare, ligna ad focum faciendum, et si quæ sunt hujusmodi infra vel extra claustrum necessaria; fœnum quoque in lectis fratrum singulis annis sternendum, et sarcophagos in sepulturam ipsorum et tabulas ligneas cum malleolis administrare. Hic etiam præest lignariis, quorum operam, cum multipliciter in monasterio soleat impendere, ma-

(144) Carrada, vehiculum, plaustrum : Gall. *charrette, chariot.*

xima tamen sollicitudine studet per eos lapsa claustri tecta reficere, et quæque vel per ipsum, vel per alium admonitus novit, ex sua obedientia fratrum usibus in claustro profutura ferventer et indilate, postpositis exterioribus, exhibere. Ad perpetrandum autem hæc omnia a cellerario habet quæque sibi sunt necessaria. Huic, sicut et cæteris obedientiariis, quando necesse habet, mane de claustro exire licet, tempore hyemali mox finita litania diurnalibus se calciare, lavare et pectere, sicque ad obedientiam suam exire; sed postea tam tempestive debet redire, ut cum conventu aqua benedicta aspersus possit tribus orationibus interesse.

CAPUT XLVII.

De hortulano.

(UD.) Sed et hortulanus cellerario debet esse subjectus, ut si quid fuerit in horto, quod ipse voluerit ad servitium fratrum, obedienter habeat ab illo. Si quis fratrum ab eo aliquid tale de nascentibus horti postulat pro infirmitate aliqua, hoc non nisi cum cellerarii licentia debet ei impendere. * Cui nullo modo est concessum. (UD.) ut unquam meridianam horam regularem audeat supersedere, nisi aliquando in uno die sit ei magna necessitas remanendi: tunc licentiam a priore quærit. * Idem cum viderit poma matura esse, et inutiles herbas in horto excrevisse, debet priori innotescere; sicut et cellerarius, si necesse, fabas novas de folliculis suis egerere, ut sive ad evellendas herbas, sive ad colligenda poma ipsius jussu prima in sequenti die tempestivius pulsetur, et psalmodia in idipsum differatur; sed nunquam tamen quid hujusmodi operis a toto conventu agitur, nisi regulariter ordinetur. Si quando autem tale quid est agendum, ad hoc quidem de conversis, rogante cellerario jubentur ire de matutinali missa, vel capitulo in auditorium hospitum, sive in alium locum hujusmodi claustro contiguum; et tamen dum tali operi insistunt, nisi quando tabula ad loquendum percutitur, omnino eis loqui non permittitur.

CAPUT XLVIII.

De opere manuum, qualiter regulariter fiat.

* Qualiter autem opus manuum regulariter fiat, ut hoc etiam digeram in die, quo agendum est, illico ut fratres surrexerint, factis orationibus, nutu prioris pulsatur ad primam, quam psalmis intermissis sola sequitur litania missaque matutinalis. Capitulum quoque plus breviatur, quam in aliis diebus, et mox percussa tabula, et præmisso *Benedicite* Dominus abba pronuntiat, *Eamus ad opus manuum.* Imponitur psalmodia, quæ post primam est intermissa. Incedunt cum processione, ita ut juniores sint primi, priores ultimi. Cum ventum fuerit ad locum operandi, versi omnes ad orientem per ordinem consistunt. Ad finem unius psalmi faciunt ante et retro, et domno abbate pronuntiante tunc dicto versu: *Deus in adjutorium meum:* Sequitur: *Kyrie eleison. Pater noster. Adjutorium nostrum.* Facta rursus inclinatione, incipiunt operari.

A Hæc est autem psalmodia, quæ cantatur inter operandum. Primum quæ remansit post primam et post capitulum. Postea omnes regulares horæ more canonicorum. Inter cujus etiam preces subjungitur psalmus, *Verba mea*, et septem psalmi per alias horas, divisio; tres qui remanent simul inter preces Completorii dicuntur. Et ipsum Completorium præcedit. Vesperi pro fidelibus defunctis. Annectuntur psalmi, qui solent dici pro familiaribus post tertiam et post duas horas sequentes. Si visum fuerit domno abbati, ut amplius operentur, ampliatur quoque psalmodia de psalmo, *Ad Dominum cum tribularer* usque ad finem Psalterii, et tunc etiam a principio psalterii, *Gloria Patri* post tres psalmos semper interposito. Verum finitis istis psalmis pro familiaribus, postea domnus abba, cum primum voluerit,
B innuit fratribus ab opere cessare, et ad se magis appropiare. Jubet ut aliquid ibi legatur, citius tamen finiendum; quia ipse vel alius eo jubente facturus est inde sermonem; et hoc est maxime de vita vel de collationibus Patrum, quod ædificet audientes. Quo finito, iterum imposita psalmodia, revertuntur non facientes ante et retro. Quam et pueri, si in loco sunt, sive juvenes, cum primum claustri limen attigerint, altiore voce levant nec priusquam conventus ante capitulum consistat, conticescunt, domno abbate pronuntiante versum *Adjutorium nostrum*, faciunt omnes ante et retro, et iterum præmisso *Benedicite*, accipiunt licentiam loquendi, sed prius lotis manibus libros accipiunt, quam aliquid
C loquantur.

Ergo nona quoque magis quam in aliis diebus acceleratur. Postquam ventum fuerit ad horam loquendi, rursus ad opus manuum ire compellantur. Hæc est psalmodia, quam tunc adoriuntur. Post *Deus auribus* psalmi familiares, qui infra vesperos ex more dicuntur, id est *Domine exaudi orationem. Benedixisti* cum reliquis sine appenditio, vesperi pro fidelibus defunctis. Cum autem officium pro defunctis absque Matutino fit, semper ad noctem reservantur cum *Verba mea*, si habent tricenarium: postea inchoatur psalmodia, ubi priori vice dimissa est. Postquam reversi consederint, ea vice præmisso *Benedicite*, sermo agitur in claustro, scilla ante capitulum percussa. A qua exurgentes et tunc de-
D mum *ante et retro* facientes, domno abbate ex toto pronuntiante, tunc dicto hoc versu, *Benedictus es Domine*, sequitur *Kyrie eleison* cum familiaribus appendiciis *Adjutorium nostrum.* Et facto ante et retro dicunt *Benedicite*, et sic datur licentia loquendi.

Et quia est consuetudo, ut opere facto bibant, postquam pulsato signo ad vesperam fecerint ordinem ab aliquo fratre, cui hoc prior injunxit, cymbalo percusso vadunt in refectorium bibere. Et sciendum, quia quando hoc contigerit, postea nequaquam, ut alioquin, solent bibere infra collationem. Quod si non nisi semel operantur, tunc sermonis locus est in claustro et usque ad *Benedictus es* non differtur: sed strictim dicitur, præmissa ac sub-

juncta solita inclinatione. Et si quando fient in sequenti nocte duodecim lectiones, minime his operantur.

CAPUT XLIX.

De refectorario (145).

Ad refectorium sunt duæ claves, quarum unam semper habet cellerarius, ut si forte aliquis frater pro aliqua causa nondum Completorio cantato et si prior se collocavit, (*var.*) cum ejusdem cellerarii licentia bibere, si opus sit, possit. Sed ut quid comedat post Completorium, vel etiam post cœnam ministrorum, nunquam aliqua ratione cuiquam fratri incolumi permittitur; exceptis de via venientibus. * Si quis autem infra refectionem ministrorum necesse habet bibere, a tunc ordinem regente licentiam petit, nisi abbatem vel priorem ad scillam sedere cognoverit, a quo solummodo eam ad gradum accipit. Qua accepta factoque ante et retro ad locum suum vadit, præmissoque silentio *Benedicite*, benedictionem cum signo crucis super potum facit ac bibit. Surgens facit ante et retro et exit. Sed et si cui eadem bibendi necessitas, finita ministrorum cœna, incumbit, si est in conventu, occulte licentiam signo quærit. Quod si non poterit, priorem seorsum ad hoc ipsum abducit, veniensque ad justitiam suam consuete inclinat, et bibiturus, cætera, sicut præscriptum est, peragit.

Post collationem vero bibere qui necesse habuerit, exeunte conventu, ipse paululum ante capitulum seu ejus ostium, cum cæteris divertit, ibique licentiam accipiens, cellerarium, vel quemlibet de his, qui divertunt, secum venire deposcit, et in ipso introitu ad finem tabulæ sedens, *Benedicite*, ad benedictionem cum signo crucis aperte pronuntians bibit. Quod et quisque post collationem bibiturus similiter facit. Rediens ergo de refectorio vel undecunque, nisi de itinere veniat, si tam tarde occurrerit, ut confessionem extra chorum cum aliquo ante *Gloriam* primi psalmi dicere non possit, intrans ex consuetudine, in loco suo cum fratre juxta se superius stante, stando confessionem dicit.

(UD.) Sed ut redeam ad superiora: Refectorarius, sub se aliquot fratres habet, qui cum eo omni die post capitulum mensalia in fine uniuscujusque mensæ iterum reclusa ponant. Quo facto revertuntur in capitulum; quia nunquam ibi desunt, quando tabula percutitur ad loquendum. (*var.*) Percussa tabula ad cœptum opus redeunt, cochlearia prius cum linteo mundo diligenter tersa ponunt, tandiu non auferenda, quandiu ante priorem apparet scutella, ponunt et panes; qui si sint aliquantulum combusti, habent ad hoc cultellos, quibus eos radant: ad hoc etiam mappulas, quas prius ad collum suspendunt, ut radendo ipsos panes possint honeste ad pectus reclinare. Ipsi etiam sanguine minutis et cæteris, hac hora reficientibus, debent panem et

A potum et cætera, quæ ad ipsos pertinent, ministra-
re. Lecto majoris missæ Evangelio, potum per jus-
titias partiuntur.

Verum quidquid tale faciant semper id cavent
ut nullus laicus pro illorum invitatione in refecto-
rio appareat. Quod si duabus vicibus comeditur
post *Benedicamus Domino*, ad vesperos exeuntes
per omnes mensas provident, si quis pane aut pot
indiget. Et si quis libram suam totam comedit, e
justitiam ebibit; et tunc dimidia libra apponitur, e
de justitia nihil minuitur; quæ et ea vice sempe
danda est, sed etiam si opus est, augetur. Quia, s
aliquando denuo non reficiunt, tamen denuo bi-
bere nunquam omittunt. * Si cui de libra sua pa
B rum aliquid superfuit id ipsum cœnaturo reserva
tur, et ad quantitatem dimidiæ augetur, nec al
quidquam minuitur, quantumlibet de ea sumpsiss
videatur. Si autem ad hæc peragenda, quæ scripti
sunt, ipsi minus sufficiunt, alii fratres a refecto
rario rogati in adjutorium eorum venire non re
nuunt. Candelabra et candelas a sacrista data
semper debet habere, ut quotiescunque opus est
sive cœnantibus, sive bibentibus accensas possit ap
ponere.

Quotiescunque ad charitatem propinatur, ipse e
aliquis adjutor ejus mediolis (146) infundunt. Quo
rum etiam duo sinapi vel aceto pulmentum cui ho
convenit, condiunt. Ad ipsum autem solum pertine
ut scillam pulset, quæ ad hoc solum in extremitat
C refectorii pendet (UD. *Var.*) Quam statim post be
nedictionem generalis semel percutit, ut per ho
fratres admoniti surgant ad propinandum. Hæc scill
pulsatur ad benedictionem potus in quolibet fest
capparum vel albarum et tribus diebus Rogationun
* in quolibet quoque anniversario maximo, quo
tamen non agitur, (*Var.*) si hujusmodi potus pro
pinatur pro domno abbate, vel priore de via vel d
infirmaria redeunte, vel pro sententia cellerarii, v
si quis alius familiaris charitatem nobis impendi
nisi sit aliquod festum duodecim lectionum. Se
refectorarius stans elevat brachium extensa man
in modum tenentis poculum sic dans signum prop
nandi. Ad quod fratres omnibus sine exspectation
pulsationis potum in propriis pateris afferunt.

D Quando autem fratres post nonam operantu
tunc aliter agitur. Nam postquam signo ad vespero
sonante conventus chorum intraverit, et facta ora
tione cymbalum percussum fuerit, refectorariu
præcedens solita vascula cum potu infuso præparat
et fratres ea ipsius rogatu, vel etiam sua sponte
in introitu, secedentes acceperint, cætera solito o
dine peragunt. Scire autem debet, quia quoties i
præcedenti fratrum prandio ad potum pulsatur
nihilominus in sequenti ministrorum similis pulsati
agitur. Ipse etiam vel adjutor ejus, quando fratre
post prandium meridiantur, non omittit ad refecto
rium redire, ibique his, quæ ad se pertinent, citiu

(145) Qui curam habet refectorii, hoc est loci ubi comedunt monachi.

(146) Vict. dicta supra 156 n.

peractus non moratur dormitum ire. Quando autem conventus non meridiatur, sive semel, sive bis reficiatur, tam ipse quam adjutores sui, si opus est, idem, quæ ad se pertinent, provisuri, illuc redeunt, cochlearia auferunt et ad fontem, sicut et illa, quæ ad refectionem abstulerunt, abluunt. Tunc etiam si semel comeditur, sicut post cœnam, aufert mensalia, quæ cernit esse vacua. Pro tamen auferendi opportunitate nullus de mensa ad mensam transeundo alii se debet adjungere. Post cœnam tamen prius cum cæteris induit nocturnales; sed tempore hyemis post *Benedicite* ad vesperos in refectorium veniens prius providet de potu fratrum et finitis vesperis, ipso quoque cum cæteris nocturnales induit. Post cœnam procurat, ut mensæ ex toto scopentur.

Sui juris est cultellum domni abbatis servare, et in scutella sicut et cochlear ei apportare. Ipse, non alius, cum manutergio affert ei panem, quem paterna reverentia ex usu poscit communi esse meliorem. Siligeneum panem semper debet in promptu habere, ut cum aliquis pro hoc signum facit, vel sua sponte fratribus, quos libenter vesci novit, statim dare possit. Nam nullius generis panis in refectorio comeditur, qui non ab ipso ex consuetudine deferatur; non tamen cum manutergio alicui, nisi soli domno abbati.

Reliquias panis tam post refectionem ministrorum, quam fratrum cum cophinis ipse per consuetudinem aufert; nisi quando ad eleemosynam pertinent. Potest etiam, si adeo sero est, cœna ministrorum cum micis accipi, ne propter hoc diutius debeant immorari. Si contigerit aliquem ante collationem reficere, illi refectorarius panem et potum debet ministrare. Quicunque vero postea reficit, huic cellerarius necessaria ministrabit. Ad mandatum eum, qui cymbalum percussurus egreditur, ipse continuo subsequitur. Cymbalum et scillas in parasceve lavat, et in eodem loco malleolos ligneos, quos a decano villæ accipit, esse procurat. Hospitibus supervenientibus, prout videt eis dari, curat stationem in choro, ipse quoque dat sedendi locum in refectorio. Quibus et justitias noviter lotas, si opus est, ut laventur, reponit. Nam propter hoc ut aliquis vel exiturus, vel de itinere rediens, benedictionem accipit, ipse vel adjutor ejus diligenter prospicit, qui vel quot fratres benedictionem tunc accipiant; ut sciat justitias apponere, observans, ut nullum fratrem ad mensam alterius vel inferius collocet, quin sciat ejus ordinem esse.

Item ad illum pertinet, ut omni die Dominica et feria quinta post capitulum illa manutergia, quæ in claustro pendent ad tergendas manus, mutet. Item ut sciat quibus diebus mensæ ex toto cum mensalibus sint cooperiendæ. Et hoc est quoties cuncti fratres ad alterutram missam albis induuntur in festis sanctorum, quæ in Quadragesima occurrunt, in vigiliis quinque principalium festivitatum et quinque Dominicis, id est in prima Adventus Domini, Septuagesimæ, Quadragesimæ, Mediæ, et in Palmis. In aliis vero diebus non nisi dimidiæ, præter mensam principalem, cooperiuntur, et ita, ut nec scutellæ nec justitiæ super mensalia ponantur.

CAPUT L.

De suscipiendis personis.

* Si quælibet persona cum processione suscipitur, fratres omnes induuntur albis, et nisi a domno abbate præcipiatur, nemo unquam, excepto rege, papa, et ipso patre monasterii, in cappis suscipitur. Debet autem providere ostiarius, ne in hora susceptionis nimium sit remotus, quicunque est suscipiendus. Ergo omnibus vestitis et in choro congregatis, qui processioni inserviunt ordinate stant ante gradum versis vultibus ad conventum. Sacerdos vel diaconus, qui fert textum Evangelii in medio, et utrinque a latere ejus conversi, qui tenent candelabra; qui vero aquam et thuribulum extremi hinc et inde, et hi omnes debent esse in cappis, sicut et domnus abba, vel, eo absente, prior. Appropinquante autem eo qui suscipiendus est, incipiunt pulsari omnia signa, et mox in exeundo præcedunt, qui aquam et thuribulum ferunt: quos sequuntur, qui portant candelabra et textum Evangelii inter ipsa candelabra, domno abbate eosdem comitante. Post eos incedunt priores eodem ordine, quo solent ad crucem procedere. Tunc, cæteris infra ecclesiam remanentibus, domnus abba cum præfatis processoribus procedit obviam usque ad valvas ecclesiæ.

Si est papa vel rex, vel Pater monasterii, qui suscipitur, totus conventus usque ad portam Paradisi (147) progreditur, et si est papa vel episcopus flabellum ei datur, quo seipsum aspergat: sin autem, ipse, qui suscipientes aspergit, et incensum per se impositum eidem, cujuscunque sit ordinis, offert. Deinde textu evangelii deosculato cantuque imposito revertitur processio, domno abbate eum, qui susceptus est per manum ducente usque ad tapete quod stratum est ante altare sanctæ Crucis super juncum. Ibi dimissus ab eo, prosternit se ad orationem. Abba autem illic exspectat, donec orationem finiat. Qui vero processioni inserviunt, sicut supra ad gradum, ita hic ante altare ordinati consistunt. Finito cantu cessatur a pulsatione, subjungitur unus de his versiculis, qui congruat susceptæ personæ, *protector noster, aspice Deus. Fiat manus tua super nos. Dominus custodiat introitum tuum et exitum. Sacerdotes tui induant justitiam.*

Redeunt omnes cum silentio in chorum, unusquisque in locum suum; ita ut priores sint proximi

(147) *Porta Paradisi:* Paradisus quadriporticus erat ante basilicam Vaticanam a Constantino M. ædificata, a Simplicio et Symacho Romanis pontificibus. Panuinus et Severanus de VII. Urbis ecclesiis, et Paulus de Angelis in notis ad Rom. Canon. Porro ut in Veteri orationali basilicæ sancti Petri num. 8 habetur, erat oratorium quadriporticum basilicæ, *Paradisum* dictum, unde ab eo oratorio per Paradisum procedebant in processione clerici. Eodem nomine hodieque apud nos appellant atrium ecclesiæ majoris quadriporticum, vulgo *Paradeis Hæflin.*

altari principali. Ultimis autem domno abbate et eo, qui susceptus est cum his, qui processioni inserviunt, chorum intrantibus: si Pater monasterii rex, vel apostolicus, suscipitur, item cantus imponitur: si vero episcopus vel abbas, psalmus primus decantatur. Interim domnus abbas se disvestit, et sine mora rediens post psalmum primum et orationem Dominicam subinfert, pro episcopo unum de prædictis quinque, quem tamen prius non dixerit. Pro abbate subjungitur versus *Salvum fac servum. Mitte ei Domine,* cum ordine ei congruente. Quod si episcopi vel abbas simul suscipiuntur, dicuntur hi versus. *Sacerdotes tui. Mitte eis.* Tunc si est abbas vel episcopus nostri ordinis, ducunt, in quem sibi placet, locum. Si vero papa, vel rex, vel episcopus clericalis ordinis, ducunt eum in aliquem locum prius ad hoc honeste tapetibus et cortinis præparatum, ibique data benedictione facit aliquid de lege divina coram eo recitari, et lectis tribus aut quatuor verbis, signat domnus abba lectori, ut lectionem finiat, dictoque *Benedicite* osculatur susceptum, et alii fratres, qui cum eo sunt ad pedes ejus semel iidem ante osculum veniam petentes, si est episcopus vel abbas; si autem rex, vel apostolicus et ante et postea. Deinde cum eo loquitur quod sibi congruum videtur. Tandem facit eum ad hospitium duci, ipsumque cum omnibus suis charitative et honeste tractari. Sciendum autem, quod nullus, qui sit professionis in Quadragesima cum cantu suscipitur, neque in albis; excepto quod hi tantum, qui processioni inserviunt albis et cappis sunt induti. Neminem etiam unquam cum processione suscipimus, postquam nocturnales induimus.

CAPUT LI.

De ostiario, id est custode hospitii.

(UD. *var.*) Hospites, qui equitantes adveniunt, monachos quoque et honestiores clericos pedites, uxores etiam villicorum et omnes brevi portitores custos hospitii, qui ex consuetudine est sacerdos, cum omni recipit benignitate. Quidquid opus fuerit, a cellerario quærit, et si forte cellerarius non est, quærit a camerario, ut si talis est locus, absque omni excusatione comparetur. Quod si forte cellerarius abest, et tale quid est inclusum, quod ad hospitium protinus necessarium est usum, ille vas, in quo sperat illud contineri, pie violentus non dubitat frangere in tali necessitate, ut integritas charitatis per omnia salvetur in exhibenda hospitibus humanitate.

Est etiam consuetudo, si cellerario non est, quod eis apponat, ut in refectorium ante abbatem vel priorem veniat, et inde signum faciat. Tunc continuo a præsidente illi innuitur, ut coram se posita accipiat. Verumtamen studiose cavet, ut nunquam extraneum monachum permittat claustrum intrare, quousque solerter inquisitum habeat ab eo, ad quid veniat, an etiam legatus, sive moraturus adveniat, sed aliquod iter faciens hospitari tantum velit. (UD.) Quod si hoc tantum quærit, sine mora et absque

A licentia ducit eum in claustrum. Et si non novi nostrum ordinem, prius ei humiliter ostendit de consuetudine nostra, scilicet ut si ei placet, intraturus ecclesiam ad limen veniam petat et prosterna se ad orationem, si est dies festus. Adhæret ei jugiter et monstrat in quibus locis debeat orare, prim ad S. Crucem, in choro ad altare principale, si conventus non est in eo, aut si ecclesia non est clausa et intus sunt aliqui populares, tantum ad altare quod est in dextra parte chori, et ad S. Mariam in medio ipsius capellæ. Si tempore, quo fratres meridiantur eadem causa supervenerit, post nonam introducitur; si vero post completorium ex eadem causa adventus ipsius esse dignoscitur, ea nocte exi
B claustrum remanens, in sequenti die ante primam vel alio tempore ante tertiam simili modo oraturus et versum post singulas horas accepturus introducitur.

Porro si ejusmodi hospes per aliquot tempus in monasterio ex quacunque causa morari voluerit talis esse potest, ut etiam si abbas sit, non tamen facilis ei concedatur ingressus. Sed quamdiu domno abbati visum fuerit, foris moratur, postea introducitur; præscriptum tamen ordinem orationum propter tam longum adventus et introductionis intervallum non observaturus. Capellanum etsi proprium habeat, prior abbati providet alium, qui lucernam a camerario acceptam ante eum noctu portet, ex cujus etiam diligentia in cæteris, quæ ad ordinem
C pertinent, adjuvetur illius ignorantia.

Cum ventum fuerit ad horam refectionis, prior et abbas simul intrant refectorium, et pari incessu simul progreditur cum illo ad mensam, et priore sedente ad scillam, ipsam sedet ad ejus sinistram, et dat lectori benedictionem. Capellani ejus, qui cum ipso venerunt, si duo sunt, simul sedent sicut et alii hospites, quamvis in choro et ad collationem, prout priori videtur, ab invicem separentur. Sed si plures sunt, quam dictum est, non omnes simul collocantur. At si ea supervenerit hora, qua servitores jam ad reficiendum consederunt, detinetur interim a priore per spiritale colloquium, et postquam servitores refecerint, reficit et ipse sedens ad caput alterutrius supremæ tabulæ, comitibus ejus sedentibus juxta se. Quod si tam sero advenerit, ut ante collationem
D refici non possit, usque post completorium exspectat, acceptaque benedictione, in prædicto loco sedens reficit, ubi tamen alius frater eo tempore non sedet reficiens; sed ad finem tabulæ extremæ. Qui etiam, si infra refectionem ministrorum ita advenit, ut cum eis pleniter reficere nequiverit, illis surgentibus ipse nutu præsidentis remanet, et usque dum pertranseant, stat inclinis refectusque versum cum psalmo ante eamdem tabulam finit.

Prædictus abbas, si societatem nostram quæsierit, postquam disputatum fuerit in capitulo de ordine, quantum priori videtur, mittit pro eo. Veniens autem in capitulum, tam ipse quam comites ejus (inferiores tamen illo procidentes) petunt veniam

pro ipsa societate. Qua petita et exoptata societate surgunt; prior quoque sicut domnus abba, si adesset, et totus conventus assurgere et tamdiu stare debet, usquequo ipse et socii illius *fraternitatem* accipiant. Quam postquam acceperint, ut est moris, cum libro, rogatur ut sedeat, nec permittitur ut amplius veniam petat. Socii vero ejus usque ad analogium retrocedentes, ternas petunt venias super manus et genua contra priorem ad dextram et ad sinistram, fratribus econtra parumper assurgendo inclinantibus. Et licet capitulum citius sit finiendum, tamen et eis designatur locus ad sedendum. In ecclesia defertur eidem abbati, ut stet juxta sedile domini abbatis ad dextram sive præsens sit ille, sive absens, ut imponat antiphonam, det benedictionem lectoribus, * et ponat incensum in thuribulo. Armario autem cavendum est ne, ad lectionem, responsorium, evangelium, majorem vel priorem missam sine consensu prioris eum admittat; quod tamen nostræ congregationis abbati per seipsum potest injungere. In processione qualibet cum virga pastorali eodemque apparatu, quo et domnus abbas, sive sit præsens sive absens, incedit.

Hospes autem monachus aliquandiu nobiscum commorans lectionem legit, responsoria, privatasque missas canit armario injungente, et si voluerit ad tenendum chorum sibi eum adjungit. Hic idem, si quid contra regulam vel ordinem facere deprehenditur, ut emendet, verbis aliquotiens admonetur, et si non emendaverit, secundum regulam erga eum agitur.

(UD. *var.*) Hospes qui comessurus est in refectorio, si est clericus, habitum quoque clericalem, superpellicium scilicet et desuper cappam induit. Adductus ad ostium claustri exspectat usque dum invitetur, ut domnus abbas, vel eo absente prior ei aquam ad manus præbeat. Qui et præcedit, ut scillam pulset. Qua audita custos hospitii inducit hospitem, et si non est episcopus vel abbas, stant usque dum versus finiatur juxta introitum refectorii, hospes erectus, custos inclinatus, sicut et conventus. Finito versu ducit eum sedere ad mensam principalem. * Quo facto ad locum suum pergit, et postquam sedet ante et retro faciat. Si est episcopus, dat benedictionem lectori. Qualiscunque fratrum sit cibus, hospiti simul cum priore liberaliter est serviendum. Cum autem de mensa fratres surrexerint, custos hospitii novissimus exit cum ipso incedens pedetentim, (UD.) et psalmum *Laudate* cantans, quem in auditorio hospitum finit, eo modo, quo conventus cum versu absque inclinatione. Similiter erga peregrinos monachos et clericos agitur, excepto quod cum peris suis et sine superpelliceis introducuntur. Nulli autem sæculari laico conceditur in nostro comedere refectorio.

Quandocunque hospes aliquis commessurus est in eo, prior vel ostiarius debet hoc innotescere refectorario. Si laicis clericis societas datur in capitulo, hi veniam non petunt. (UD.) Si videre gestiunt officinas claustri, quæsita licentia, custos hospitii ad alterutram missam inducit eos primum in domum eleemosynariam, in cellarium, in coquinam, in refectorium, in cellam novitiorum, in dormitorium, in domum infirmorum. Ubi fratres non loquuntur, nec ipse verbum facit. Cavet autem omnino ne quem introducat in claustrum cum calcaribus aut in solis femoralibus. Quando episcopi, duces, comites, et aliæ magnæ æstimationis personæ superveniunt, duo cerei coram eis, donec se in lecto collocent, jugiter ardent. Alius etiam cereus ibi arsurus per totam noctem non deerit. Quos cereos a sacrista quæsitos, custos hospitii administrat. Si vero ad manum illum non invenerit, ipse eos ubicunque repertos absque delicti nota accipit. Dat etiam eisdem sacrista lumen arsurum per totam noctem, quando aliqui fratres in hospitio dormiunt, sicut sæpe contingit, quod veniunt cellis nostris vel novitii, vel alii fratres, ut faciant professionem.

Priusquam hospites discedant, quotquot jumenta non ferrata habent, ad omnes dat nova ferramenta. Ostium claustri unaquaque nocte post completorium ab ipso est claudendum, et porta vestibuli ecclesiæ, sicut etiam a famulo ejus exterior porta murorum. Et claustrum quidem ante sonitum vel alio tempore ante finitam litaniam nequaquam aperitur. Illud vero ostium auditorii, quod est exterius, firmat ante capitulum, et dum fratres sunt in capitulo, si quis pulsat, ad illud ejus est surgere, signoque petita licentia abeundi, ei aperire. Similiter in meridie ostium claustri per eum firmatur, sed non priusquam ministrorum refectio finiatur.

CAPUT LII.

De eleemosynario.

(UD.) Quemadmodum a custode hospitii recipiuntur omnes, qui faciunt iter equitando, eodem modo quotquot pedites vadunt, ab eleemosynario, qui est sacerdos, sunt recipiendi; exceptis uxoribus villicorum et legatis, qui breves apportant, omnibus quoque monachis et honestioribus clericis, quos omnes, ut supradictum est, etiam si pedites veniunt, custos hospitii colligit. At si aliquos forte in comitatu suo caballos aut asinos habuerint, * custos hospitii caballos cum totidem hominibus suscipit et procurat; et eleemosynarius asinos (nisi forte cum eis aliquid pro charitate conferatur monasterio; tunc enim eos suscipit custos hospitii cum totidem hominibus procurandos). Ut autem habeat eleemosynarius unde his et cæteris, qui ad se pertinent, necessaria provideat, constitutum est, ut exceptis decimis, quæ ex instituto canonum dantur ad singulas ecclesias, in quarum terminis sitæ sunt possessiones nostræ, omnium earum rerum, quæ ad monasterium atque in usus nostros undecunque deferuntur, decimæ dentur eleemosynario, videlicet frugum, vini, olei, leguminum, pomorum, olerum, piscium, animalium, vasorum, vestium, denariorum, auri et argenti, et ferri vel cujuslibet metalli, feni,

quod in obedientia cellerarii nascitur, vel tantumdem pratorum. Qui etiam cellerarius annis singulis in nativitate S. Mariæ, plaustrum unum pro feni decima, vel unum solidum...

Postremo totum decimatur quidquid infra cellam nascitur, nutritur, vel opere manuum conficitur, quidquid de foris vel possessionibus nostris defertur, quidquid novitii ad conversionem venientes attulerint. Ex quibus tamen rebus ad ipsos vestiendos, si monachus futurus est pretium triginta solidorum, si de exterioribus fratribus futurus est, pretium unius talenti, a camerario sine decima excipietur. Ea tamen tantum non decimantur, quæ pecunia vel aliis rebus prius decimatis, coemuntur et quidquid cibi vel potus, lacte, caseis, ovis, lana, melle et cera, vel cæteris similibus percipitur ex animalibus prius decimatis, et quidquid cibi vel potus ex annona prius decimata conficitur.

Excipiuntur etiam vasa, pallia, vestes, cera, thus, pecunia quoque quæ ex censu ad ecclesiam specialiter persolvitur, et quæcunque alia in ministerium ecclesiæ deputantur. Si quid tamen ex his vel ex aliis rebus ecclesiasticis in usus fratrum venumdatur, ipsa pecunia decimatur. Ea vero, quæ ad altaria offeruntur, si ad cibum vel potum pertinent, cellerario consignantur, exceptis panibus non integris, qui, ut supra dictum est, eleemosynario dantur. (UD. *var.*) Super hæc omnia de reliquiis ciborum, quæ supersunt fratribus ad prandium vel ad cœnam in refectorio vel in infirmaria comedentibus (excepta carne, quæ infirmis pro reparatione ministratur) datur quotidie eleemosynario dimidia pars pulmentorum, (*var.*) quæ tamen prægustata tolluntur, et quidquid panis minus quadrante unicuique comedenti superfuerit.

In omnibus quoque feriis sextis adventus Domini, et quadragesimæ, et in vigiliis quinque festivitatum id est Ascensionis Domini, Pentescostes, apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis S. Mariæ, et Omnium Sanctorum. Reliquias panis ex toto in parasceve, et eo die, quo aliquis nostrorum fratrum (qui tamen monachus fuerit) apud nos sepelitur, quidquid panis et pulmentorum, et ad seram potus residuum fuerit. Quæ sepultura, si forte in aliquo prædictorum dierum evenerit, quod pro jejunio dandum fuerat, alia die instaurabitur. Præbenda (148) quoque integra datur per triginta dies, sive monachus fuerit, sive de exterioribus fratribus. In anniversario quoque, sed monachi tantum.

Tot quoque in anno triginta præbendæ dantur eleemosynario pro familiaribus defunctis, scilicet in Quadragesima post Nativitatem apostolorum Petri et Pauli, et post festivitatem Omnium Sanctorum. Mandatum trium pauperum, et si per totum annum non geratur a fratribus, tamen eleemosyna remanet nunquam. Famulus enim eleemosynarii, licet pedes eorum a vigilia omnium sanctorum usque ad caput

A jejunii non lavet, dat tamen libram et justitiam cum aliquo edulio, sicut per totum annum, et libram de tali pane, qualem habent fratres in refectorio. Quando reliquiæ panis in refectorio dantur ad eleemosynam, tunc ipse eleemosynarius in sequenti die in infirmariam infra priorem missam cum famulo suo venit, et quod pridie infirmis de pane et potu superfuit, ad opus pauperum accipit.

Quotidie, si est litteratus, lectorem vel armarium interrogat, quot nomina defunctorum fratrum ea die pronuntiata sint in capitulo, ut ipse quoque pro devitanda erroris et oblivionis negligentia totidem præbendas scribat in tabula jugiter ad hoc pendente ante cellarium ; * et si forte cellerarius eas die ipsa ex integro dare non potest, deletis his, quæ jam B accepit, cætera quæ alia vice recepturus est. stare permittit.

Hæc autem eleemosynarius ex obedientia sua administrat. Omnes subterraneos aquæ ductus et mundiciale, cum opus fuerit, facit purgari, subtus lavatorii sordes auferri, subtus mortariolum illud, super quod humidi cibi in refectorio refunduntur, arenam propter fetorem mitti, lapides et ejusmodi inutilia de claustro projici. Ipse quoque debet procurare, ne aqua per necessarias fratrum ductilis aliquando desit, et ideo in æstate, cum pro siccitate aqua minuitur, facit clausas fieri frequenter, ut aliquantisper retenta majori impetu veniat. Fenum quoque molle secundo abscissum de prato, ad easC dem necessarias accommodare debet, et ad hoc non modicum : habet et herbas, quæ in claustro crescunt. Quod si fenum habere non potest, ligneæ astulæ a fratribus portantur. Vascula ad recipiendum sanguinem minuendorum providet, et cum aliquis minuerit altera die infra matutinalem missam in foveam ad hoc solum factam eundem sanguinem infundi facit. Juncus et in ecclesiam et in claustro per eum est providendus. Septem enim vicibus per annum scopari facit ecclesiam, et capellam S. Mariæ cum reliquis capellis, claustrum, cellam novitiorum, infirmariam, refectorium, totumque junco recens acquisito contegi pavimentum : id est in Nativitate Domini, ad Pascha, ad Pentecostem, ad Nativitatem S. Joannis, ad Assumptionem S. Mariæ, et Omnium D Sanctorum. Sed et in cunctis festivitatibus, in quibus duo et duo cantamus responsoria, totam ecclesiam, capellam S. Mariæ, et totum claustrum conspergit junco. In festis vero, quæ in cappis vel albis aguntur, seu omnes Dominicas Sexagesimæ, per ecclesias, et ab ostio majoris ecclesiæ usque ad introitum capituli, et in medio ejus et ubicunque necesse est, non negligit juncum spargere, et hoc sive bis, sive semel comedatur, infra prandium debet facere ; sed nihil omnino in claustro loquitur, quin juncus vel aliud quid de obedientia sua aliis silentibus administratur.

Non negligit etiam mattas in ecclesia, in claustro,

(148) *Præbenda* cibi ac potus portio diurna, quæ monacho præbetur.

in capitulo quoque, ac refectorio, super sedilia in vigilia Omnium Sanctorum expandendas, et scopas, quibus mundentur canales, ædes necessariarum, regularis coquina, et lavatorium providere. Providet quoque in refectorium cophinos ad recipiendas panis reliquias. Ramusculos frondium ad abigendas in æstate muscas, scutellas et flabella ad abstergendas micas, et quotiescunque opus est in claustro, in dormitorio, in cella novitiorum facit auferri aranearum telas.

In die sancto Pentecostes infra hymnum *Veni, Creator*, ad tertiam tot pauperes pane et carne et vino si habetur, debet reficere, quot fratres in monasterio tunc novit esse. Providet quoque ut luminaria in dormitorio, in infirmaria, in cellario, in cella novitiorum præparentur, quorum lucernas de singulis locis quotienscunque opus est, famulus ejus, ipso præcedente, infra priorem missam debet asportare, et adipe a camerario accepto impletas et ad accendendum præparatas reportare.

Ipsius providentia fodiuntur omnium, in loco sepeliendorum, tam fratrum quam exteriorum sepulchra; sed ad solam pauperum et peregrinorum et aliorum, qui in eleemosynaria moriuntur, sepulturam, ipse ligna providet cæteris omnibus villæ decanus. Hoc est etiam, quod nequaquam omittit, quin semel in septimana totam villam perlustret, quærens sicubi pauper aliquis jaceat ægrotus, * et si masculus est, visitaturus intrat: si femina, stat ad ostium, et famulum suum mittit ad eam cum pane et vino, et cum aliis hujusmodi speciebus, quas meliores potuerit invenire.

CAPUT LIII.

De his, qui cursum regularem ad S. Mariam audiunt.

* Quibus conceditur regularem cursum audire ad S. Mariam sicut diversam illuc eundi habent causam, ita quoque dissimiliter ordinis ibidem observant regulam. Nam exceptis infirmis, qui quandiu infirmantur, tandiu etiam a conventu sequestrantur, cæteri, quibus hoc conceditur, in tres partes sunt divisi, qui tamen per omnia de cætero intersunt conventui, cellerarius scilicet, camerarius, granatarius, decanus villæ, ostiarius, infirmarius, et qui præest operi cœmentariorum; et hi interdum, qui præ nimio divinæ servitutis labore exhausti, nullum choro auxilium possunt conferre in cantando; insuper et hi, qui præ aliqua debilitate intra vel extra chorum consuetudinaliter nequeunt manere sedendo aut stando. Ergo hi omnes quando ad nocturnos scilla pulsatur in ecclesiam S. Mariæ convenientes in eam partem regionis secedunt, cui et in choro deputati sunt, et singuli pro modo ordinum eligunt sibi etiam, sive sedeant, sive procumbant, loca orationum: et hoc isto modo.

Si est festum duodecim lectionum, qui sunt firmiores super misericordias sedilium (149); qui vero A imbecilliores, depositis sedialibus super ea inter orandum jacent. Quod si adhuc aliqui supersunt, in medio super pavimentum in genua et cubitos cadunt. Tandiu igitur omnes in eodem loco orationis tenent modum, sive successionum ad levam, et ad dextram vicissitudine, quousque secundæ pulsationis audierint sonum. Tunc pariter surgentes signant se, et ad neutram lateris se moventes ante et retro faciunt. Quisquis eorum his orationibus non interfuerit, veniam in capitulo propter hoc non petit. Percantatis itaque sedendo psalmis, qui nocturnos præcedunt ad pulsationem duorum signorum consurgunt et primordia nocturnorum usque ad finem hymni, qui psalmum *Venite* subsequitur ita stando venerantur; nisi qui membrorum debi- B litate adeo, ut stare nequeant, prægravantur. Hanc etiam standi venerationem ad capitulum eorumdem nocturnorum; ad initium quoque et capitulum atque ad hymnum matutinorum singularumque horarum, sed præcipue, ad *Te Deum laudamus*, ad *Quicunque vult*, ad *Benedictus* quoque ac *Magnificat*, quisque observat, nisi quem talis (ut dictum est) infirmitas gravet.

In decantatione vero usque in finem nocturnorum et matutinorum et post expletionem cæterarum horarum, qui aliquod patitur gravamen, non reprehenditur quocunque modo sedens faciat sibi relevamen: v. g. Si sedens super pavimentum ad formas, ad scamnum, vel ad aliud se acclinat sustentaculum, si crura protendit, vel contrahit. C Nocturnis igitur et matutinis, cæterisque, quæ canenda sunt, finitis, sive sit tempus æstatis sive hyemis, infirmis se collocantibus, fratres præ nimio Dei servitutis labore exhausti, obedientiarii quoque prædicti se cum licentia recollocant; camerario providente, ut ad hoc in infirmaria aut in cella novitiorum lectos habeant: quibus tamen non conceditur pro aliqua infirmitate super culcitram dormire, neque alicui, qui conventum potest tenere. Cæteri autem, qui hujus quidem indulgentiæ non sunt indigi, sed tamen tali (ut prædictum est) ratione vel sua ipsorum petitione vel spontanea abbatis sive prioris compassione illuc deputati, licet a conventu sint interim segregati, ipsum D tamen taliter debent imitari, ut si ille ex consuetudine debet se recollocare, isti nullo modo absque licentia hoc præsumant anticipare, nec prorsus quidquam in lectis post matutinos dormire, si conventus ordo prohibet dormitum redire. Nam interim in ecclesia S. Mariæ considentes conventum cum processione veniente, illi dantes locum, vel in dormitorium vel in claustrum secedunt infirmorum. Quo exeunte, si tale est tempus, iterum redeuntes ibidem intervallum et residuum noctis transigunt spatium. Diurnas quoque omnes horas ibi, exceptis obedientiariis, et qui tales sunt, qui in choro interesse possunt, audiunt, nisi qui infirmi refectionem

(149) Vide notam cap. 29, libri I.

præveniunt. Ad quarum tamen singularum, nisi primæ pulsationem, ipsi cum conventu, cui tunc semper intersunt, eam, quæ easdem præcedit, orationem, ante chorum faciunt.

Interdum autem evenit ut interim, dum eisdem infirmis missa canitur, ad primam, vel alio tempore ad tertiam pulsetur. Tunc, dimisso signo, omnes, absque infirmis cæterisque eandem missam audientibus, ante et retro faciunt, et signo crucis se muniunt, sed tamen quousque finita sit missa, horam instantem canere differunt. Qua finita, tam infirmi quam cæteri, qui missam eamdem audierunt ante et retro facientes seque signantes, omnes pariter eandem horam cantant. Ergo percantatis horis nullus nisi pro magna necessitate præsumit prius exire de ecclesia, quam instans hora in choro fuerit finita nisi accepturus benedictionem. Quod si quis eorum ad aliquam illuc post *Gloriam* primi psalmi occurrit, procurat, si est litteratus ut in minorem chorum, vel si est illitteratus, ante chorum ante idem *Gloria* venire possit. Quod si et hoc non poterit, ad gradum venit. Inde consuetudinaliter recedens, cæteris, quæ sequuntur, ita (ut alibi plenius est dictum) peractis, extra secedit. Verum si quis obedientiarius aliquid operis tam longe a cella operatus fuerit, ut ad horam regularem occurrere non possit, is eam ubi operatur, cantabit: cæteri omnes audito signo mox ad ecclesiam, cui deputati sunt, occurrunt. Quicunque vero de itinerantibus finita hora adveniunt, ad ecclesiam S. Mariæ ex usu eandem horam canere vel audire possunt. Missam autem priorem et majorem, sicut et illam horam, quam infirmi ante prandium cantant, ante chorum, vel in minori choro debent audire; Vesperos quoque in diebus Quadragesimæ, excepto solo cellerario.

At si aliquando contigerit aliquem obedientiariorum collegio domni abbatis vel prioris jussu interesse, hic supradictam horam cum eodem potest audire, illo tamen præcipiente. Verum si qui inter supradictos tantæ valetudinis sentiuntur, ut cæteris in audiendo cantu aliquod adjutorium possint conferre, non solum ad utramque missam in alterutrum chorum intrare permittuntur, sed etiam si non intraverint, proinde corripiuntur.

Obedientiariorum aliquis, si voluerit, missam, quæ infirmis mane cantatur, audit: aliqui eorundem alibi audiunt ubi privatim canitur. In festis autem duodecim lectionum iidem obedientiarii, et cæteri prædicti, qui possunt et volunt, ad majorem ecclesiam veniunt, et si litterati sunt, alterutrum chorum intrare: sin autem, ante chorum, ad utrosque vesperos, ad matutinos quoque et cæteras horas remanere possunt. Porro si eadem festa cum albis et processione celebrantur, omnes, quos infirmitas non impedit, albis induuntur. Quod tunc quando processio non agitur, ab eis, qui inter eos illiterati sunt, non exigitur. Cæterum in illa processione, cui albati intersunt cum cæteris (si tamen loca intra chorum se habere sperant) introeunt, i illa vero, quæ sine albis agitur, ante chorum di vertunt.

Quicunque præter obedientiarios illitteratos regu larem cursum ad S. Mariam audiunt, quotiescun que fratres communiter albis induuntur, nullo mod idipsum aliquando omittere præsumunt, sed albat ante tertiam, instanti officio cum cæteris intersunt nisi talis eis infirmitas tunc immineat, quæ eo eidem omnino interesse præpediat; sed nec tun sine licentia omittere audent. Nulli sacerdotum qui ad prædictam capellam jugiter horis intersunt licet majorem missam cantare, neque priorem nisi interdum in duodecim lectionibus, quin eader prior missa post capitulum statim nulla hora ea præcedente canitur. Si quis pro concessa grati horas ibidem audiens pro infirmitate aliquandiu i infirmaria quiescere jussus fuerit, eandem missa cum pristina licentia habebit, cum redierit, s domnus abba ei concessit, et si nondum convaluit Hanc autem licentiam nullus, nisi domnus abb potest in perpetuum dare.

CAPUT LIV.

De capellano S. Mariæ.

* Capellanus Sanctæ Mariæ ad sinistrum choru ecclesiæ in parte occidentali semper stat ad parie tem, non tamen summo loco; nisi cæteros illi stantes in ordine præcellat. Infirmi autem sicut e alii in eo stant choro, quo in majori ecclesia es statio. Juvenes vero in custodia positi, ante forma stant, ut ab omnibus videri possint. Quod si opu esse viderit, idem capellanus tam infirmos qua alios, qui ibi sunt, ad utrumque chorum vider competenter poterit.

Matutinum aliasque horas regulares sonaliter can tat, quas tamen non ante incipit, quam in choro in ceptas esse cognoverit; excepto a Septuagesim usque ad Pascha: tunc enim dimissa scilla ant nocturnos statim orationem finit, et psalmodia incipit, postea sine mora nocturnos subjungit. Qui bus finitis cum psalmis familiaribus matutinum d omnibus sanctis, de Sancta Maria, pro defunctis in serit, sicut et per totam hyemem facit. Deinde ora tione facta regulares matutinos imponit. Cæter ita ordinat, ut psalmi familiares ad primam perti nentes cum septem psalmis et litania ante prima cantentur. Librum in quo ad matutinum legendu est, alicui porrigit, quem ad hoc idoneum novit Responsoria a quovis fratre in hoc magis sciolo sun canenda. Quem hoc oportet scire, quod horam canendi tempestive surgendo anticipare debet. Se finito responsorio, vel etiam invitatorio ante et retr non facit. Versus autem et brevia responsoria, lectiones quoque de S. Maria, et ad officium defunctorum cum responsoriis stando legit et cantat juvenis, si quis adest.

Ergo capellanus idem tempore hyemali finitis infirmorum matutinis, cæteris quoque, quæ sequuntu appendiciis, primam adjungit, licet sæpissime no

modica pars noctis adhuc supersit : et quia nunquam post matutinum ad lectum causa quiescendi absque licentia redit, nisi conventus idipsum fecerit, in eadem ecclesia moratur quousque processio illuc agatur. Tunc quidem exiens ante capellam versus claustrum infirmorum, vel in ipsam infirmariam, tandiu ibi exspectat, usque dum conventus dormitorium ascendat. Quod si tempus non est, quo conventus dormire post matutinos debeat, ipse in eadem capella, quandiu et cæteri, exspectat.

Ad eumdem quoque pertinet, ut infirmis quotidie missam summo mane cantet; in duodecim lectionibus et in vigilia, et in quatuor temporum jejuniis, et in Quadragesima, semper de die; aliis vero diebus pro defunctis, vel quam voluerit. Et si in aliquo jejunii die duodecim lectiones aguntur, tunc de ipso jejunio missam ibi cantat. Ad quamlibet missam non legit cantum, sicut ad alias privatas missas, sed cantat. Quæque ad missam sibi necessaria omnia illic habet jugiter reposita; vinum et aqua etiam in nocte ibi nunquam deerit, ut si quis fuerit ad communicandum infirmum... in promptu habeatur.

Si aliquando contigerit, ut prima solito citius pulsanda sit, imo quoties voluerit, ante sonitum se levat, ubicunque dormiat, et mox lotis manibus ad lavatorium fratrum factaque oratione, priusquam prima pulsetur, alba stolaque induitur. Nam si stolam ante pulsationem primæ non induerit, tunc absque licentia non cantabit, sed misso adjutore suo licentiam petit. Ad cæteras etiam horas suo in tempore decantandas non deerit, excepto, cum propter festum aliquod alba vel cappa indutus conventui interfuerit; tunc ipsi per se tertiam et sextam quoque cantabunt; sicut etiam tunc faciunt, si quando ille, casu aliquo impeditus, in tempore illuc non venerit.

* Debet quoque ipse quotidie ad utramque missam esse in alterutro choro, excepto si infirmis eisdem infra majorem missam sextam, vel in Quadragesima vesperos cantare debet. Ad quam tamen postea in choro vel ante chorum non deerit, si necessitas aliqua non supervenerit. Illum etiam scire oportet, quod in die Nativitatis Domini, et in ejus octava, et in festivitate Omnium Sanctorum, cursus quotidianus de S. Maria recitandus est, quodque semper uno eodemque modo sit canendus; nisi in Adventu Domini, et infra Natalitium ipsius; a tunc enim cantus eidem tempori congruus de ea canitur, et quod in duodecim lectionibus ad matutinum ejusdem cursus, hymnus *Te Deum laudamus* non est prætermittendus; et quod post *Verba mea* anniversalis oratio quotidie sicut et in conventu, ab illo est dicenda. Item si quando pro tribulatione tres psalmi, id est, *Domine, quid multiplicati. Deus noster refugium. Ad te levavi :* post capitulum sunt canendi, hi et ab infirmis non sunt negligendi; quin eos post regularem horam, quæ capitulum antecedit, prostrati, si talis est dies, et ipsi cantent. Attamen si quando *Verba mea* post capitulum pro aliquo defuncto, cujus brevis in ipso capitulo præsentatur,

A sunt canendi, horas non cantant infirmi, neque psalterium in parasceve. Præterea quotiescunque regulare jejunium agitur, et ab Idibus Septembris usque ad Kalendas Novembris, a Septuagesima quoque usque in Quadragesimam, finitis vesperis infirmorum, antequam ad cœnandum egrediantur, officium defunctorum agere non moratur. Debet etiam cantare, *Placebo Domino*, in secunda vespera duodecim lectionum, quando in crastino commemoratio alicujus defuncti maxima ritu agenda est. Si versus vel psalmus aliquis in regularibus horis ad S. Mariam prætermittentur, propter hoc ipse capellanus et alii, qui ad capitulum veniunt, si se in hoc deliquisse cognoscunt, veniam petunt.

CAPUT LV.

B *De infirmariis, sive infirmis.*

(UD. *var.*) Infirmarius, qui sacerdos debet esse, ad obsequium infirmorum separatim habet coquum et coquinam. Et ipse quoque quotidie a camerario quærit, quod opus habuerit, ut quod infirmis ad refectionem est præparandum, tempestive præparetur. * Infirmi autem, quamvis quotidie missam quam prædictus capellanus eis cantat, audiunt, ad matutinum tamen semper commorantur usque dum oratio prima post communionem finiatur. Ad quam missam, cum intraverint ecclesiam, ab eo, qui inter eos prior est (si tamen est litteratus) aqua benedicta asperguntur, licet etiam diluculo ad capellam sint aspersi. Postquam omnes consederint, in eorum arbitrio est utrum illic cooperto an nudato capite sedeant, similiter et ad S. Mariam. Ibi quoque si quis adeo debilis est, super juncum, qui talibus in

C modum lectisternii jugiter illic ab armario vel ejus adjutore præparatus jacet, pellicio capiti superposito pausare potest.

Sciendum tamen, quia, qua die radendum, seu radendi sunt, ad matutinalem missam non veniunt, sed interim raduntur : raduntur autem pridie, ut supra dictum est, quam conventus; si forte hoc festum aliquod vel defunctus non impedit; et ad hoc singulatim rasoria et lintea ab infirmario servantur, quæ etiam a famulo acuuntur, et in tempore rasuræ ab eodem rasoribus distribuuntur. In die, qua fratres communiter in claustro raduntur,

D post percussionem tabulæ usque dum psalmodia incipiatur, infirmi etiam loquuntur. At quotiescunque conventus duabus vicibus comederit, vel universale jejunium persolverit, tunc qui in lecto non jacuerint, non omittunt ad majorem missam interesse, (UD.) usque dum Evangelium sit lectum, et tunc recedunt ad S. Mariam, ut cantent sextam, nec ulterius prandere morantur, nisi in die sancto parasceve, * tunc enim usque ad finem officii ibi persistunt, et discalciati. (UD.) Si autem conventus usque ad nonam jejunaverit, ipsi post capitulum, vel si capitulum est, ante tertiam, et ab Idibus Septembris usque ad Kalendas Octobris post tertiam stantes, cantant sextam præmissa oratione, et ad eamdem orationem, sicut etiam ad quamlibet, si tempus est

procumbendi, qui tantæ non sunt infirmitatis, super formas procumbunt, et ante et retro faciunt. Qui vero adeo infirmi sunt, sedendo tantum signaculo crucis se muniunt, finitaque hora se reficiunt.

In duodecim lectionibus quotidie, mox ut sonitum audiunt, se levantes et aqua benedicta aspergentes ad S. Mariam veniunt, orationem tantum unam stando, vel qui adeo sunt invalidi, sedendo aut in privatis diebus, in quibus sonitus agitur, procidendo peragunt. (UD.) Nunquam meridiantur diutius, quam et conventus. Ad prandium vero habent tria fercula, ad cœnam unum. Et ad cœnam quidem in monasterio post vesperas dicto *Benedicamus Domino* accedere omni tempore sic accelerant, * ut non sit necesse ulla vice collationem supersedere. Nam mox ut vesperos percantant, infirmarius assumptis famulis, et si opus est, adjutore suo ad coquinam festinat, ut quæ illis in cibum sunt necessaria, tempestive afferat.

Quod si mandatum est agendum, finitis vesperis et cæteris, quæ sequuntur appenditiis, ut abluant pedes eorum, ire non differunt; quod tamen in Quadragesima post prandium faciunt; quotidie vero prædicto tempore, qui nolunt, cocturas suas prævident, vel ad necessarias vadunt, ut cum ille revertitur reficere non morentur.

(UD.) Qui absque comestione carnis morantur in domo infirmorum, nec sunt hujus valetudinis, ut cum aliis in refectorio comedere possint, eisdem reficiuntur momentis. In Quadragesima vero omnes infirmi post Evangelium statim vesperos cantant et sine mora ad mensam accedunt. Nam post nonam psalmum *Deus auribus nostris*, cantabunt. Extra Quadragesimam, si evenerit generale jejunium, ut in quatuor temporibus, (*var.*) item post Evangelium majoris missæ cantant nonam et reficiunt.

Tales sunt aliquando infirmi, qui amplius non exeunt de infirmaria, et his, si tamen convaluerint, conceditur, ut mane sedeant in conventu, ad matutinalem missam in suo ordine offerant, ad capitulum veniant, et tamen cum aliis infirmis comedant et radant, et ut diurnales calceos non induant, neque cultellos secum portent. * Hi nimirum semper ad Sanctam Mariam corpus Domini accipiunt, nisi in parasceve: tunc enim in majori ecclesia, sicut alii consuetudinaliter communicant. Illi vero, qui illic vel gratia repausationis ad tempus morantur, vel carnis comestione recreantur, nisi de maximis quinque festivitatibus aliqua superveniat, communione simul et confessione privantur. Tunc namque infirmario sive capellano S. Mariæ infirmaria quisque ante lectum suum confitetur. Nam propter hoc tam in dominicis quam in prædictis festis duæ vel quotquot res exigit, ibidem consecrantur oblatæ.

(UD.) Si vero manifeste tanta est alicujus infirmitas, quæ non multum impedit virtutem jejunii, ut est amissio aut orbitas oculorum, conventu semel comedente, ipse quoque semel comedere non prohibetur, * qui et interim, dum alii infirmi reficiuntur, in ecclesia S. Mariæ moratur, finitoque majoris missæ Evangelio reficitur. Quod si bis comedere habuerit, postquam ad hoc per infirmarium a priore licentiam acceperit, deinceps quoties vult cum aliis reficit.

(UD.) Sed ut redeam ad infirmarium: ad nocturnos factis orationibus accipit absconsam, et circuit lecta omnium infirmorum, ut videat, si quis eorum nondum surrexerit et propter quid remanserit. Inde reversus ad capellam tam infirmos quam bene habentes ibi perlustrat, et si quem dormientem invenerit, illum excitat in muro vel in forma absconsam trahendo. Eadem circatio nihilominus fiet secundo nocturno pene finito et infra matutinales laudes ad ultimum psalmum. Ad eum quoque pertinet, ut, si quis de lecto surgere non potest, summo diluculo cum cellerario veniat (sicut et in alio loco jam prædixi) ut cum eo concordet, quid ad ejus præparetur recreationem.

CAPUT LVI.

Quo ordine infirmo in lecto jacenti cursus cantetur.

* Pro hujusmodi infirmo designabit prior unum vel duos ex eis, quibus concessum est regularem cursum ad S. Mariam audire, qui illi cantent horas, quandiu illis videtur; quorum alter sit sacerdos aut diaconus, propterea quæ in duodecim lectionibus ibi legenda sunt. Quod si tales ibi non inveniuntur, duos fratres aliquantulum provectiores, qui illi per totam hebdomadam regulares horas cantent, unoquoque sabbato deputandi sunt a priore, admonente super hoc ipsum infirmario. Qui videlicet fratres tempora ad hoc statuta diligenter debent observare, scilicet ut in privatis noctibus tam in hyeme quam æstate secundo nocturno cum sua collecta finito, in duodecim vero lectionibus dicto hymno. *Te decet laus*, cum collecta sequente, ante et retro facientes illuc venire non tardent, qui cursu regulari indirectum percantato ad S. Mariam conventui se jungere debent, si fieri potest. Ad reliquas vero horas de choro non exeunt, nisi post *Benedicamus Domino*: Completorium ab eis tamen excipitur; quia infirmarius procurat, ut ab aliquo infirmorum ibi cantetur. Quod qui cantaverit, cujuscunque sit ordinis, etiam benedictionem adjungit.

Prædicti autem fratres in duodecim lectionibus in æstate quoque tota et in octavis tertiam una cum prima eidem infirmo, propter anticipandum prandium, cantant. Tempore etiam hyemali quotiescunque intervallum agitur, primam matutinis, singulis autem diebus, cum semel reficitur, nisi quando fratres meridiantur, nonam sextæ adjungunt. Si aliquis infirmus est, qui in lecto non jacet, et tamen jejunare non valet, tertiam, si est litteratus, per seipsum cantat; sin autem, ab infirmo aliquo (quod et cuilibet eorum tardius ad capellam venienti, licitum est) auscultat, et prandere diutius non tardat, si tamen ab infirmario licentiam acceperat. At si pro alicujus morbi remedio tale quid sumere necesse

habuerit, tunc pro hac re tertiam, si visum fuerit, non expectabit.

CAPUT LVII.

Item de infirmario, seu infirmis.

(UD.) Ad horam competentem infirmarius pergit ad coquinam officii sui, ut focum faciat, et quæ paranda sunt, præparet. Ad horam refectionis infirmi statim ad lavatorium, quod est in claustro eorum divertentes, et qui volunt in cote, quæ in catena ibidem jugiter pendet, cultros suos acuunt, * sicque singuli ad mensas singulas recedunt. Si qui sunt, qui carnibus vescuntur, ab aliis separatim consedere præcipiuntur. Nam ne propter diversas infirmitates suas ab invicem graventur, in diversis domibus sub uno ædificio cohærentibus sequestrati commorantur. Una autem domus ad hoc singulariter est deputata, ut famuli, qui infirmis obsequuntur, in ea dormiant, comedant, scutellas abluant, aquam, qua defuncti lavantur, calefaciant et fratrum coctiones faciant. Est enim ibi quidam locus in medio patens, sed undique circumtectus, in quo solent fratres sanguinem minuere, cocturas suas videre, item quibus opus est, tibias infirmantes aqua frigida lavare et ungere.

(UD.) (*var.*) Fercula, quæ infirmis apponenda sunt, tam his, qui carnis refectionem habent, quam qui ea carent, ipse infirmarius cum adjutoribus suis apportat et apponit; famuli quoque similiter apportant, sed non apponunt. * Cum hujusmodi appositio incipitur, vel ipsis infirmis vel infirmario *Benedicite* pronuntiante, benedictio super cibum agitur. Qui lectionem ante cibum incœperit, ipse eam post cibum finit. In quolibet duodecim lectionum festo de ipso festo aliquid ibi legitur. Quod si aliquis forte inter benedicendum defuerit, et postea supervenerit, quæ cum aliis diceret aliquo adjuvante, ipse etiam, sed suppressius implebit.

Nullus eorum in sola culla et pellicio ad manducandum sedere, nec in lecto quidquam loqui præsumit, excepto eo, qui tanta infirmitate gravatur, ut propter hanc etiam in lecto sedendo comedere cogatur. Nulli eorum de cibo vel potu famulo alicui quidquam impendere licet. Inter comedendum, si generale vel pulmentum datur, benedictione non privatur. Si quando carne reficientes a carne abstinent, eumdem modum benedicendi observant. Quandocunque fratres in refectorio generaliter pietantiam habent, infirmi quoque eadem non carent. Si interim dum ad mensam sederent brevis alicujus defuncti affertur et tabula ad convocandos fratres percutitur, inde non surgunt; sed postea idem officium cum tribus lectionibus peragunt. Nullus eorum debet surgere de mensa, nisi pro summa necessitate, nec mappulam suam plicare, quamdiu ibi quilibet, etiam minimus, comederit. Finita refectione, si quis adeo infirmi non sunt, surgentes versum incipiunt, (UD.) quem tamen finito psalmo ad *Gloriam* residendo finiunt; sed ante et retro non faciunt. Quod comedentibus supererit, si hujus est

A quantitatis, infirmarius servandum reponit. Habet armariolum, in quo talia recondit, et candelas et poma raroque aut nunquam defuerit in eo piper, cinamomum, gingibrum, aliæque radices, quæ sunt salubres, ut sit semper in promptu, quod valeat infirmo fortassis, ut aliquando contigerit, subitanea passione percusso dare vel si expedit, ut pigmentum ei conficiatur, * camerarius non invitus præbet infirmario hujusmodi facultatem. Habet etiam cellarium, in quo potus, qui supererit, mensalia quoque et reliqua hujusmodi sunt reservanda. Famulis autem, qui infirmis obsequuntur, de reliquiis ciborum pietantiam impendit. De reliquo reddit panem et carnem cellerario; sed in his diebus panem eleB emosynario, quando ei datur et in refectorio; et si quid est de carne ut tale quid honeste possit redhiberi, eis reservatur.

UD. (*var.*). Quod si domnus abba vel prior sunt in infirmaria et si communem refectionem propter eos omiserit, hoc non notatur. Post completorium attendit, ut aqua benedicta aut per se, aut per fratrem aliquem illic dormientem per omnes lectos infirmorum aspergatur, exceptis dominicis diebus. Et cum hora fuerit, ut omnes jam se debeant collocasse, ipse vel adjutor ejus cum absconsa diligenter necessaria perlustrat. * Quod autem unusquisque illorum in die, quotiens opus fuerit, et post collationem licenter bibere possit, dicere non expedit, cum infirmis hujusmodi lex posita non sit. Unde etiam infirmarius post completorium aliquot C justitias cum potu in promptu poni procurat, ut quisque eorum sitim patiens etiam in nocte extinguere valeat. Quem tamen oportet scire, quod apud semetipsum tantum tunc temporis debet potum benedicere.

Eidem quoque infirmario est observandum, ne quid loquatur in tempore silentii cum aliquo infirmo, nisi quod ab utroque vicissim insinuari non valet per signum, excepto, quem talis infirmitas gravat, quod præ ipsa ægritudine observare non valeat. Nulli valde etiam infirmitanti absque licentia culcitram supponit, et tamen cuilibet jejunare non valenti, ut alios præveniat prandendo, concedit. Infirmis quoque nequaquam conceditur, ut in tempore silentii, et maxime inter comedendum ad se D invicem aliquid loquantur; sed cum infirmario tunc temporis, eo, quo præfatum est, ordine absque licentia, quæ sunt necessaria loqui non prohibentur. Ipsi etiam in capite jejunii non nudis pedibus cineres accipiunt. In Purificatione S. Mariæ cereos, et in Palmis ramos palmarum offerendo sunt ultimi. Si quis eorum jejunandi vires non habet, is nec cineres accipiet. Si quis eorum etiam in Quadragesima alio cibo refici valet, lacte vel alio huic simili cibo utitur. Qualibet die regularis jejunii audito signo secundo ad nonam orationem faciant, priusquam incipiant. Vestimenta sua, quæ suspendenda sunt, in suo claustro suspendunt quod tamen alii pro indulta gratia ibi dormientes, non faciunt.

A quibus summopere et hoc cavetur, ut nunquam occasione indultæ misericordiæ aliquid illic absque licentia loquantur. Quorum etiam nullus ad lavatorium infirmorum manus lavat; nisi ex necessitate aliqua, ut est sanguinis fluor, similiter etiam hi, qui cocturam suam procurant, ibi lavantur. Staminea sua omni tempore post matutinos suos infirmi licenter induunt.

CAPUT LVIII.

De famulis qui infirmis obsequuntur.

Famulorum, qui ad domum infirmorum pertinent, tot ex more sunt, quot ad infirmantium obsequia sufficiunt. (UD.) Hi si volunt, quotidie ad S. Mariam missam audiunt, pacemque accipiunt, et quoties visum fuerit, corpus Domini sumere possunt. * Quotidie, nisi sit generale jejunium infra matutinalem missam de cibo et potu aliquantulum prægustant, ut prandium generale tanto facilius exspectare valeant. Quid autem obsequii exhibeant infirmis sub silentio prætereundum non est.

Igitur ad nocturnos audito signo, aliquis eorum procurat, ut lumen ad necessarias, et cum opus est, in claustro quoque eorum accendatur; quod finitis nocturnis per infirmarium agitur. Tunc etiam, si non sit hiemale tempus, prædictus famulus non negligit eis focum præparare. Nullus eorum infra capitulum in infirmaria remanere præsumit, nisi infirmus aliquis in proximo obiturus sit. Tunc unus ex illis remanet, et de adjutoribus infirmarii unus cum illo, ne ad capitulum, surripere queat, et aliquid auscultare, quod non expediat. Ad quem tamen infirmarius acto ex parte capitulo redit, ut et ipse eidem capitulo inesse possit. Finito capitulo mensalia super tabulas expandunt, panem et cochlearia apponunt, justitias vero implere potu ac super mensis ponere usque in ipsam prandii horam differunt; quia tunc primum de cellario eumdem potum afferunt. Qui etiam hujus sunt disciplinæ, ut quandiu comedunt infirmi, nunquam coram eis sedeant aut consistant, sed cum quis eorum perfecerit, propter quod vocatus est, rursus celeriter exit. Nihil edulii, excepto sale, aceto, et sinapi, si opus est, per eos inter comedendum apponitur, et tamen scutellæ, vel si quæ hujusmodi sunt, per ipsos auferuntur. Justitiæ tamen super mensas, usque post cœnam stare dimittuntur, ut qui voluerint bibere, possint. Tunc demum ablatæ et evacuatæ simul ponuntur. Si mandatum generale tunc est agendum, antequam cœnare infirmi incipiant, sive sit in æstate, sive in hyeme, singulis aqua iidem famuli pedes lavant, et linteo tergunt.

Postquam conventus finito mandato refectorium ingressus fuerit, vinum quod pro charitate iidem famuli bibituri sunt. in cellario, exigente infirmario, accipiunt. Quod allatum pateris infundunt et infirmis porrigunt. Infirmi autem non prius eumdem potum benedicunt, quam omnes in manus accipiunt et hoc publice faciunt, sicut etiam quotiescunque simul vel singulariter bibunt. Quod bibentibus superest, de A hoc iidem pincernæ in domo, qua comedere solent considentes, charitatem bibunt. Nullus tamen eorum quidquam ibi de cibo vel potu gustat, nisi et illic dormiat. (UD.) Unus ex illis ad hoc est maxime deputatus, ut lavet pannos ad cocturas fratrum necessarios, focum faciat, et aquam calefaciat, qua scutellæ sunt lavandæ. * Cui omnino interdictum est, ut de cibo vel potu infirmorum quidquam tangere præsumat.

CAPUT LIX.

De fratre, quem noctu infirmitas, vel in die occupaverit.

* Frater qui noctu in dormitorio tali infirmitate præoccupatur, ut absque fratrum inquietudine usque ad nocturnos perdurare non possit, a fratribus in B vicinitate sibi dormientibus, licentia a priore acquisita sine mora ad domum infirmorum ducitur; si vero tam mediocri infirmitate laborat, ut nocturnos exspectare valeat, mox ut tres orationes finitas esse noverit, infirmitatem suam priori innotescit, statimque illius jussu per fratrem aliquem ad infirmariam ducitur. Idemque de juvene custodiæ tradito, si taliter infirmatur, per custodem acquisita licentia, agitur. Qui autem ita cœperit infirmari, ut conventum tenere non possit, priori infirmitatem patefacit, vel si placet, in capitulo veniam petit, et monstrat, quod infirmus sit, et si talis ejus infirmitas patet, prior vel sua sponte, vel ab alio admonitus, statim ad infirmariam eum ire jubet; sin autem, foris chorum esse potest, ut pro voto suo possit sedere.

C (UD. *var.*) Cellerarius curat, ut in refectorio non absque pietantia eum dimittat. Cum autem biduum vel triduum transierit, si melius non habuerit, iterum pro eadem causa veniam petit, et ad infirmariam ire jubetur. Quod si etiam eodem die infirmitas ejus in tantum excreverit, domum infirmorum in qua refectione carnis carentes cohabitant, jussu prioris. aliquo secum eunte ac demonstrante, intrabit.* Nam quacumque hora cuilibet ordinem tunc pleniter regenti videtur hoc expedire, quemlibet ægrotantem ad infirmariam facit ire.

Similis quoque ordo servatur in eo, qui infra Matutinum pro infirmitate de choro exivit, vel eadem necessitate etiam coactus chorum non intravit. Pro qua re in crastina capitulo veniam petit, requisitus-D que a priore utrum melius habeat? si respondet *etiam domne:* jubetur sessum ire; si autem dixerit, *non*, jubetur extra chorum aliquandiu esse.

Sed est sciendum, si infra capitulum ad infirmariam quis ire jubetur, quod ad sedem suam is non revertetur, quousque idem capitulum finiatur, nisi a priore audiat, quod ad præsens illuc ire debeat; tunc facto ad sessionem suam ante et retro, nemine ducente, nisi sit juvenis in custodia positus quem sequitur infirmarius, discedet; et si necesse habuerit, in lecto, si quem ibi jacentem non invenit, se interim collocabit (nam nullus in lecto alterius, nisi illo permittente, vel ad momentum se debet collocare) vel si vult, in capellam vadit. Si autem de

capitulo non exivit, conventu in capellam intrante, ipse per auditorium in infirmariam tendit. Tunc infirmarius lectisternium ejus de dormitorio, justitiam cum cochleari de refectorio facit apportari quam etiam postea cum ipso cochleari reportabit, cum primum ille infirmus sanus in conventum redierit.

Carnem non comedit, nisi, ut ait sanctus Benedictus, omnino debilis et ægrotus sit; quod si fuerit, prior ad horam prandii infirmario admonente, eum invisit, et ad locum tali infirmo congruum ducit; facit etiam carnem apportari, quam et per manus ipsius porrectam præcipit, ut comedat. (UD.) Si vero prior alias occupatus illuc non potest venire, infirmario potest in hujusmodi vicem suam committere. Ab ea vice absque baculo, quem famulus inter comedendum prope eum posuit, (UD.) nusquam incedit, etiamsi res exigat, ut triduo vel amplius a carne abstineat, et non nisi capello caput cooperit. Et baculum quidem in nocte et meridie lecto infigit, reliquis horis juxta se ponit. * Absque frocco non debet quoquam ire, nisi ad necessarias: excepto, si tam debilis est, ut indigeat, ab alio sustentari.

Ad infirmarii autem curam pertinet, ut in singulis hujusmodi refectionis indigentiam diligenter exploret priorique quantum in ipso est, rei veritatem denuntiet. (UD.) Ad utramque missam id est majorem et matutinalem venit ad ecclesiam, quanquam ad majorem non ipsi usque post evangelium, sicut dictum est, intersit. Etsi capitulum non intret, tamen, quæ in capitulo leguntur, auscultat, scilicet, sententiam regulæ vel de evangelio, et rursus, quod legitur ad collationem; sed cum ad hoc ventum fuerit, ut agatur de negligentiis fratrum, ad hoc audiendum non debet esse curiosus: mox enim de ostio recedit, ubi accubans auscultavit, et si fuerit in lecto, se collocabit, sin autem, aut in capella, aut in claustro juxta eam sito quiescere poterit. Silet ex more, usque dum post capitulum tabula percutiatur ad loquendum. Si alicujus talis medicinæ indiget, absque licentia prioris per infirmarium hanc habere poterit. Si vero opus habet cocturam faciendi, aut phlebotomandi, per infirmarium a priore licentiam acquirit.

Hoc autem ordine hæc sanguinis minutio a quovis infirmo est agenda. Quando regulare jejunium agitur, finita tantum regulari hora, quæ ab infirmis ante prandium ipsorum cantatur, in quadragesima vero post vesperos eorum dicto, *Benedicamus Domino*, inchoanda est. Cum autem bis comeditur, ad initium majoris missæ incipitur. Inter comedendum infirmo alteri juxta se sedenti de cibo suo et potu licenter potest partiri. (UD.) Post prandium quoque non licet ei vacare loquacitati; sed continuo se ponit in lectulum suum, vel exspectat ad S. Mariam, usque dum fratres de refectorio redeant; si tamen tantæ gravitatis esse dignoscitur. * Item in nocte decantatis matutinis infirmorum potest ibi remanere quousque conventus illuc tendat cum processione. Quorum neutrum tamen fratribus adolescentioribus conceditur. Aut si est tempus, quo fratres non meridiantur (150), tunc similiter, si mavult, vadit in capellam; (UD.) quod etiam nulli infirmorum prohibetur. * Nullus autem eorum aliquem librum ibi vel ad momentum inspicit, nisi ad matutinum legere lectionem, vel responsorium cantare possit. Sed si vult legere, statim dicitur ei, ut redeat in conventum. Rursus post cœnam ibi sedet, aut jacet quando in claustro sederint ad lectionem.

(150) Id est *dormiunt tempore meridiano*.

CAPUT LX.

Qua lege obedientiarii ægrotantes in domo infirmorum morentur.

* Quando prior, camerarius, cellerarius, sacrista, vel reliqui intus, vel foris obedientiis occupati domum infirmorum infirmati ingrediuntur, mox de omni obedientiarum suarum executione et provisione egrediuntur; excepto quod fratres sub ipsis positi eorum consilio in agendis interdum, si necesse est, uti permittuntur. De obedientiis suis præcepto ipsorum nihil eis defertur; sed prior, si sibi videtur, adjutoribus eorum præcipit, quod, et quantum sibi placuerit, ut non ipsis tantum, sed etiam cæteris infirmis in commune apportetur. Si quod vero eisdem obedientiariis a nobis eorum directum fuerit, non illis præsentatur, sed a cellerario accipitur, et in commune dispensatur, et postea, si videtur, eisdem hoc breviter intimatur.

(UD.) Circatores autem frequenter visitant domum infirmorum, et diligenter explorant quomodo ipsi se habeant infirmi, et item infirmarius, si quam viderit eorum negligentiam, sicut, si in dominica die ad aspersionem aquæ benedictæ in lecto non sederint, si frequenter tarde ad mensam venerint (sed maxime in loquendo), et si primum bis vel ter admoniti, noluerint eum audire, hoc debet ipse in capitulo reclamare. Prior autem mox, ut inclamati fuerint, mittit ad eos claustralem priorem, et circatores, convocatisque omnibus capitulum cum eis agitur, et si quis inter eos admonitionis transgressor inventus fuerit, virgam aliquando experietur. Adhuc etiam, si eamdem rem iterare præsumpserit, in capitulum vocatus, judicium absque dubio subibit, et si talis est, qui carnis refectionem habet, illuc eundo baculum in auditorio relinquet, * qui autem talem habet infirmitatem, ut baculo carere non valeat, eum secum in capitulum portat, seniores jugiter inibi commorantes et in aliquo tali delinquentes non illic, sed in capitulo sunt corripiendi, quippe male agendo alios scandalizaverunt, quibus bene agendi exemplum esse debuerint.

CAPUT LXI.

Quando infirmi sua sponte, vel vocati veniant ad capitulum.

* Sciendum autem de infirmis, quia et si nunquam processioni alicui intersunt, tamen propter quosdam magnæ æstimationis hospites ad capitulum vocan-

tur, nec non in vigilia Nativitatis Domini, et in Annuntiatione ejus. Tunc enim nullus eorum propter veniam communiter ab omnibus petendam ibi deerit, nisi præ infirmitate illuc venire non possit. Post finitum autem sermonem diutius illuc non morantur, sed infirmario admonente statim redire jubentur.

Interim dum frater carne reficitur, fratres supervenientes osculari, sicut et alii, non prohibetur. (UD.) Quando ita convaluerit, ut redire possit ad conventum, redeundi licentiam quærit a priore per infirmarium. * Nam in ejus arbitrio est, ut nullus inde egrediatur, priusquam ipsi tempus videatur. (UD.) Tunc unguntur calcei ejus diurnales, et in sequenti die induit eos rediturus. Cum primo signum pulsatur ad primam, vel si de tempore, quo tertia cantatur, ante capitulum, stat prope ostium ad S. Mariam, et cum viderit omnes fratres transisse, sequitur eos in ecclesiam. * Si aliquis est de obedientiariis, is neque loqui neque ullo modo de obedientia sua in capitulum se intromittere præsumit, neque illa die equum ascendere ; nisi quid acciderit, quod si non iret, grave damnum monasterio inferret, sicut de planto vel hujusmodi negotio. Pro tanta namque necessitate etiam de ipsa infirmaria exibit in hortum, sed nullatenus in illum locum, quo eum equitare necesse foret. Verumtamen tunc non egreditur per claustrum, sed paucis scientibus educetur per aliquem secretum locum, per quem expleto negotio iterum revertetur in infirmariam.

(UD.) Cum venerit ad capitulum et post lectionem prior jusserit, ut de ordine loquantur, statim surgit ; si tamen carnis refectionem habuit ; et veniam petens ita prosequitur : *Eram in domo infirmorum ordinem nostrum non custodivi ita, ut debui*. Sed si duo vel plures sunt, unus qui prior est eisdem verbis pro omnibus respondet dicens : *Eramus in domo*, et sic cætera : et prior respondens : *Deus*, inquit, *indulgeat vobis, quidquid ibi deliquistis*. Tunc illi altius inclinant contra priorem, contra dexteram, et contra sinistram, et eis similiter a singulis inclinatur. Tunc in loco pœnitentiæ injungit illis prior, ut cantent septem psalmos, vel qui nesciunt psalmos, septies orationem Dominicam. * Et sciendum est quo quisque etiam refectionem habens eo die, quod de infirmaria redit, si in nocte tale quid dormienti non evenerat, potest communicare ; prius tamen facta confessione ; aut si presbyter est missam privatam cantare.

Si quis est adeo infirmus, ut in lecto jaceat, et alio cibo refici non possit, in ipso adventu Domini, seu in Septuagesima ei permittitur esus carnium. * Et quandocunque convaluerit, etiam si sit media Quadragesima, vel in ramis palmarum, petit veniam in capitulo, sicut fieri solet pro comestione carnis. Reliqui omnes diutius ibi non morantur, sed conventui coadunantur. Utrum autem hoc fiat in dominica vel in feria secunda, in ipsorum est arbitrio. Verum post petitam veniam, si quis eorum conven-

A tum tenere non posse videtur infirmario commonente, statim redire jubetur. Sciendum autem quia ea die qua de infirmaria redit, si carnem comedit, neque ille alium neque alius illum inclamat ; sin autem, tam alius quam ipse ab alio inclamatur. Talem vero excessum potuit incurrere pro quo in crastino sponte, vel inclamatus veniam petit. Et notandum quod si quis infirmus causa repausationis ad aliquam cellam est mittendus, prius debet veniam in capitulo petere, et postea benedictionem abeundi accipere.

CAPUT LXII.

De unctione fratris ægrotantis.

(UD.) Frater qui se infirmitate ingravescente senserit in proximo ab hoc sæculo migraturum, de omni
B conscientia sua domno abbati vel priori confitetur, et rogat ut oleo infirmorum ungatur. Adducunt eum prius in capitulum duo fratres inter manus, si est adeo infirmus, et petens veniam, reum se de multis negligentiis contra Dominum, et contra illos se confitetur. Impertitur ei prior absolutionem, cunctis respondentibus, *Amen ;* et ipse similiter eis. Reducitur et collocatur in lecto tali, tam submisso, ubi fratres undique possint circumstare. *(var.)* Post capitulum recitatis psalmis *Verba mea*, et tabula percussa sacerdos hebdomadarius induitur alba, stola et fanone, vel alius sacerdos, cui ab armario hoc injungitur. Quos aqua, præcedente cruce, cum duobus e latere cereis sequente comitatur, atque illum armarius, portans librum et oleum infirmorum. *
C Post hunc conventus, si tamen minor copia fratrum est in loco : si autem multitudo hoc fieri non patitur, tot fratres, quot ad istud officium sufficiunt, tam juniores, quam seniores ab armario assumendi sunt. Illuc per ecclesiam S. Mariæ itur, et per auditorium reditur. Psalmus quinquagesimus canitur. Quo finito, psalmus *Deus in nomine tuo*, etc. *Miserere mei, Deus, miserere, qui per beatum Jacobum apostolum tuum dixisti : Infirmatur quis in vobis*, et reliqua. (UD. *var.*) Imponuntur septem psalmi cum istis antiphonis : *Sana me, Deus*. Psalmus, *Domine, me, in furore*. 1. Antiph. *Erat quidam regulus*. Psal. *Beati quorum*. Antiph. *Domine, puer meus*. Psal. *Domine, ne in furore*. 2. Antiph. *Cor*
D *contritum*. Psal. *Miserere mei, Deus*. Antiph. *Domine descende*. Psal. *Domine, exaudi*. 1. Antiph. *Domine non sum dignus*. Pro defunctis antiph. *Cum so autem occidisset*. Psal. *Domine exaudi*.

Interim sacerdos hoc modo facit unctionem. Pol lici oleum illinit, et cum eodem pollice signum crucis imprimit super utrumque oculum ita dicendo *Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti pe visum*. Item super utramque aurem propter auditum super utraque labia, propter gustum ; super nasum in longitudine propter odoratum ; super manus propter tactum, et sacerdoti extrinsecus : super pedes propter incessum, super lumbos utrinque propte

arborem libidinis. Lavat manus, prius tamen fricatis cum cinere digitis et aqua, quæ in ignem solet effundi.

(*var.*) Quod si infirmus eodem die communicavit, idem sacerdos his versiculis præmissis: *Salvum fac servum. Mitte ei, Domine, auxilium. Nihil proficiat inimicus. Esto ei, Domine, turris fortitudinis:* Subjungit has collectas; *Deus, qui famulo tuo Ezechiæ. Respice. Alme Deus, qui facturæ tuæ. Alme Deus, qui humano generi. Virtutum cœlestium Deus. Domine sancte Pater, Omnipotens æterne Deus. Exaudi Deus preces nostras. Præveniat huic famulo. Domine Deus noster qui offensione. Adesto, Domine, supplicationibus et me, qui. Præsta quæsumus Deus huic famulo tuo. Deus humani generis benignus.*

Si autem res exigit ut corpus Domini accepturus sit, tunc armario designante, alius sacerdos easdem collectas prosequitur, et sacerdos hebdomadarius interim cruce et aqua benedicta remanentibus, redit cum geminis candelabris ad ecclesiam, ut corpus Domini apportet. * Ibi denuo lotis manibus vinum et aquam calici infundit, et priusquam illud accipiat, tantum inclinat, et pixide, in qua corpus Domini, quod reconditum est, super altare posita, crucem cum incenso, quod sacrista interim ad hoc paravit, desuper facit, et corpus Domini, quod super calicem frangit, et partem, quam delaturus est, super calicem tenet, et tam manus sacerdotis, (UD.) quam ipse calix linteo candidissimo per armarium cooperitur; item ut prius imposito psalmo *Laudate* revertitur. * Cui etiam, si opus est, psalmus *Deus in nomine tuo*, et *Miserere mei Deus* adduntur. Quoscunque pertransierit, vel qui illi obviaverint, veniam petunt. Nec minus interim curatur, ut os infirmi lavetur.

* Recepturus Domini corpus confessionem dicit, sacerdote cæterisque respondentibus, *Misereatur vestri.* Quo dicto subjungit sacerdos, *Indulgentiam*, etc. (UD.) Recipiet autem intinctum (151) de vino. Sed deinde hausto eodem vino, ebibit quoque ablutionem calicis, et secundo ablutionem digitorum sacerdotis, et adhuc tertio calicis. Adhibetur illi crux, ut eam osculetur. Osculatur etiam quasi ultimum valedicturus primo sacerdotem, omnes fratres et ipsos pueros, si in illo loco sunt. Redit conventus eodem ordine et apparatu quo venerat. * Idem frater, si mortem evaserit, post tres annos item perungi poterit.

CAPUT LXIII.

De unctione domni abbatis.

* Quod si domnus abba inciderit in infirmitatem, quemadmodum frater prædictus in capitulum adducitur, et in sede sua sedendo, multoties se et in Deum et in fratres peccasse profitetur, et ut veniam a Domino consequatur humiliter orat. Sed prior mox assurgens ex communi fratrum affectu, cum omni reverentia ac subjectione, ut dignum est, indulgentiam ei quam precatur, exoptat, et ipse eis similiter. Quo facto, reducitur finitoque capitulo ipse prior alba et stola indutus, sicut etiam aquæ benedictæ, crucis et candelabrorum portitores albis induuntur, et ad ungendum cum oleo infirmorum sequente conventu progrediuntur.

CAPUT LXIV.

De fratre ad extrema veniente, et de vigiliis circa eum agendis.

(UD.) Postquam autem frater aliquis ad hujusmodi venerit infirmitatem, providetur ei unus famulus, qui non aliud habet facere, nisi ut obsequatur infirmo. In nocte vero famuli omnes diligenter, sed tamen vicissim excubant, ne obitus ejus improvisus possit evenire. * Crux lignea ad hoc facta solum, et ad S. Mariam jugiter posita, ab infirmario apportatur, et contra faciem ejus affigitur; si tamen obitus illius tam prope esse videtur; et lumen cerei usque ad clarum diem ei non deerit, quamdiu ipse melius non habuerit. Si quis frater est, cui hoc pro singulari affectu libuerit, (UD.) ut ipse quoque maneat excubans cum infirmo, libenter ei acquiescit prior. Famuli autem, qui sunt in talibus multum exercitati, multumque periti, cum viderint jam exitum imminere, de cinere, qui in capite jejunii superfuit, et quem usque huc infirmarius ad hoc reservavit, in modum crucis aspergunt. (*var.*) cilicium desuper expandunt * et infirmum de lecto levatum in cilicium submittunt. Quod infirmarius priori mox notificat; prior vero, si æger intelligentiam habuerit, facit aliquem coram eo passiones legere; sin autem, præcipit duobus vel quatuor, ut indesinenter ibi cantent psalmos, usque dum manifestum sit animam cito de corpore migraturam esse. Quod cum viderint famuli, accenso per totum claustrum infirmorum, et in auditorio, si nox est, lumine, ab uno eorum tabula contra ostium dormitorii vel ecclesiæ, (UD.) aut ubicunque conventum esse cognoverit, crebra et continua percussione, tantaque sonoritate percutitur, * ut intus vel extra claustrum a quolibet infra murum commorante audiatur. Quod cum signum sit obituri, illico, ut auditum fuerit, omnes accurrunt, cantantes et recantantes majus symbolum fidei. (UD.) Nam quamvis homini nostri ordinis omnino sit prohibitum, ut ullius rei gratia intemperato incessu aliquando incedat, tamen ad morientem et ad incendium est etiam præceptum, ut currat.

Si hæc tabulæ percussio evenerit, vel quando alterutra missa, vel quando regularis hora cantatur, quotquot stant extra chorum majorem, accurrunt; qui autem in choro minime; nisi quibus prior innuerit, et armarius cæterique obedientiarii, qui ad exsequias aliquid sunt acturi. * Quod si in cœna Domini infra mandatum pauperum, vel infra quodlibet mandatum fratrum, vel in sabbato sancto infra illud officium, quod ante missæ pulsationem, vel

(151) Ipsum Domini corpus vino intinguebatur, ut eo facilius ægrotus illud sumeret.

A quod postea agitur, vel infra quamlibet processionem cruce jam in vestibulum perlata, tabula percutitur, nemo currit, nisi item quibus prior innuerit cum prædictis obedientiariis. (UD.) Si autem in refectorio vel ad collationem adhuc sedent, inde quoque prosiliunt. Verumtamen lavato corpore et in ecclesiam deportato, * si nondum lectio cum versu *Agimus tibi gratias* finita erat, revertentur omnes in refectorium; et si adhuc comesturi et bibituri erant, quando ictum tabulæ audierint, postea comedent et bibent, etiamsi sit in Quadragesima. (UD.) Quod si ad sonitum tabulæ omnes jam dimiserint comedere, et lectio cum versu finita fuerat, loto corpore, et in ecclesiam S. Mariæ delato in majori ecclesia cum psalmo *Miserere mei, Deus*, finiunt, * Eodem modo ad collationem redeunt, si jam B lectionem non finierint.

In nocte quoque, si percutitur tabula, cum tanta festinantia omnibus currendum, ut nec etiam lectos suos ea vice, si sunt in dormitorio, cooperiant; sed tamen in sola cuculla et pellicio currere non licebit, nec juvenibus, nisi laternis accensis. In festo etiam Albarum fratribus ex parte albis indutis, qui nondum chorum intrabant, est currendum. De rasura quoque et capitulo, licet postea finiendis, et de litania, quæ post primam vel ante missam canitur, sine mora curritur. Recedentes autem Litaniam a loco, ubi dimissa est, repetunt. In nocte etiam finitis nocturnis, vel si sunt duodecim lectiones, perlecto super C analogium evangelio et oratione, si nondum obiit, omnes currunt, et allato corpore in ecclesiam mox matutini lectionem incipiunt; prius tamen dictis psalmis familiaribus, si dicendi sunt. Et si inter familiares psalmos, vel etiam infra aliquam hujusmodi psalmodiam hæc interruptio agitur, psalmus aliquis ex parte cantatus, ut v. g. psalmus qui de refectorio canitur: post reditum a capite est inchoandus. Idem et infirmi faciunt, excepto quod horam regularem postea ab initio recitandam audita tabula dimittunt, nocturnos autem vel matutinos nondum finitos a loco, ubi dimissum est, percantant Et ut brevi utar conclusione, quicunque ordo, absque his, quæ excepta sunt, pro hujusmodi causa interrumpitur, loto corpore et (sicut dictum est) in ecclesiam allato, reditur, ut idem ordo servetur. D Infirmario autem procurandum est, si tamen fieri potest, ne aliquando tabula prius percutiatur, quam tunc instans ordo impleatur; nisi obitus fratris tam prope sit, ut ultra differri non possit. Quæ si infra missam vel horam regularem percutitur, finita eadem missa, et si est Dominica, data mensæ lectori benedictione, vel finita hora, itemque accepta benedictione (si aliquis de via reversus eam est accepturus), vel si est ad vesperos aut matutinos, facta commemoratione alicujus sancti (si forte est agenda) et si est Dominica, data coquinæ servitoribus benedictione; tunc si nondum obiit, currunt omnes, ac si tabula percuteretur, cantando, ut prædictum est, symbolum. Si vero finivit, moderate incendunt, cantantes, *placebo Domino*, et illuc venientes adjungunt se psalmodiæ eorum, quos ibi invenerint. Sive autem totus conventus, sive ex parte currat, circumstantes fratrem bis vel ter *Credo in unum* cantant, si nondum finivit. (UD.) Tunc agenda est, domno abbate vel priore pronuntiante, litania, et unicuique nomini sanctorum subjungendum est, *ora pro eo.* Est autem prolonganda vel brevianda, prout permiserit temporis ratio; et secundum quod in causa migraturi perspici potuerit, vel æstimari prolonganda vel sanctorum nomina repetendo, vel alia adjungendo; brevianda vero quædam supprimendo. Finitis vero sanctorum nominibus confestim subinfertur: *Propitius esto, parce ei, Domine,* cum reliquis.

Finita litania, si necdum finivit, bis vel ter vel quoties ipsa res docuerit, ab omnibus, ut prius *Credo in unum* cantatur, et si necdum spiritum emisit, priore innuente recedit conventus, retentis quibusdam, qui cantant ibi psalmos seu legant passiones, si memoria redierit ægro. (*var.*) Si vero mortis articulum instare denuo perspexerint, nihilominus tabula percutitur, eodemque ordine, quo prius ab omnibus, curritur illuc, et symbolum fidei adjuncta litania canitur, et hujusmodi fratrum revocatio litaniæque repetitio totiens agitur, quotiens opus esse videtur. Cum autem jam non dubitaverint eum obiisse dicuntur a domno abbate vel priore hæ collectæ: *Piæ recordationis affectu. Deus, cui omnia vivunt. Suscipe Domine animam servi.* * Præmissis his versibus: *Ne intres. A porta inferi, Dominus vobiscum.* Conventus exiens ut consideat, ante capellam S. Mariæ cantat vesperos pro defunctis non alia collecta, quam ea sola semper sequente, *Omnipotens sempiterne Deus, cui.*

Est autem consuetudo, ut quandiu æger super cilicium jacuerit, secretarius, qui horologium temperat, post completorium cum absconsa illuc pergit, et priusquam ibi decesserit, et antequam pulset scillam ad matutinum, et etiam in die, et secundum quod ibi deprehendere potuit; sic temperet, et provideat, ne de servitio Dei propter obitum Fratris negligentia eveniat.

CAPUT LXV.

De eodem, cum obierit

* Ut autem obierit, mox caput capello cooperitur, et ultimo properant conversi, (UD.) ut pulsent omnia signa, et prolixe, ut apportent adhuc aliam crucem et aquam benedictam, (*var.*) candelabra et thuribulum, et mox ut hæc crux apportata fuerit, lignea reportatur. Quibus allatis defunctus aqua benedicta aspergitur, et incensatur. * Post modicum simul cum ipsius, quæ apportata sunt, in cilicio effertur in ædiculam inter capellam S. Mariæ, et infirmariam ad hoc solum factam, ut ibi lavetur. In qua etiam fenestra aliquantulum majuscula est, in qua stamineum cæteraque, quibus defunctus ad præsens est induendus, interim reponantur, (UD.) Sed eum nec portant, nec lavant, nec in sepulchrum ponunt alii fratres,

quam qui ejus similes sunt in sacro ordine vel sine ordine.

* Cavendum est tamen, præsentis hebdomadæ Sacerdoti, ut non se intromittat ad hujusmodi negotium. Ad infirmarium autem pertinet aquam calidam providere : ad camerarium ea, quibus induendus est, qui etiam in promptu debet habere laneum pannum quadratum, cui infixi sunt plures acus cum filis. (UD.) Ponitur super tabulam ad hoc solum destinatam, exuitur caligis, femoralibus, et stamineo, lavatur a vertice usque ad plantam pedis. Sola veronda eodem stamineo sunt cooperta. Incensum abundanter ibi administratur. * Vestitur stamineo noviter loto, cuculla et caligis nocturnalibus, et sudario, cui assuta est crux de lineo panno, * et sudarium est de eodem panno, de quo et stamineum, sicut et caligæ, nec in extremitate patulæ, sed consutæ. Capellum cucullæ super faciem ex utroque consuitur contra pectus, super quod etiam manus extra cucullam complicantur, ipsaque cuculla per loca consuenda tota ita constringitur, ut in nulla parte sit laxa. Item nocturnales consuuntur ad invicem.

Inter lavandum lavatores officium Defunctorum cantant. (*var.*) Ibi etiam prior et armarius non desunt, et prior dicit hanc collectam : *Omnipotens sempiterne Deus.* Infirmi quoque idem officium cum novem Lectionibus semoti a conventu sedentes cantant. (UD.) Postquam fuerit vestitus, incensum, quod interim jugiter ibi non deerat, mittit prior super feretrum, simulque aspergit aqua benedicta. Deinde defuncto in illud posito asperso et incensato cooperculum superponitur. Lavatores priusquam froccos induant, de aqua, qua lavando defunctum usi sunt, vel ad lavatorium infirmorum manus lavant, sed non tergunt. Levatur, portatur usque ad ostium contra conventum. Qui cum officium ad finem usque percantaverit, prior observat et tabulam percutit semel tantum. Tunc ab omnibus inclinatis dicitur oratio Dominica. Et prior, *Et ne nos. A porta inferi. Dominus vobiscum.* Orationes, *Deus vitæ dator. Deus qui humanarum.* Imponitur responsorium : *Subvenite.* (UD.) Item *Heu mihi Domine.* Itemque si opus est, *Ne recorderis.* In processione crucem sequuntur pueri, si in loco sunt, deinde priores, postea conversi, et defuncti portatores novissimi, et pulsatione jam incepta omnium signorum, portatur in ecclesiam S. Mariæ, ibique ante altare ejus sustentatur, usque dum pro eo dicatur collecta : *Deus veniæ largitor.* Præmisso versu, *A porta inferi. Dominus vobiscum,* versis ad altare fratribus. * Deinde in inferiori parte ejusdem ecclesiæ contra aquilonem juxta formam, ne transeuntibus impedimento sit ponitur, et crux cum candelabris ad hoc solum deputatis, ibique jugiter reservatis, ad caput ejus affigitur, et tunc demum a pulsatione cessatur, conventuque ad finiendum ordinem redeunte, si quem forte infinitum dimisit, infirmi *Exsultabunt,* quod dimissum est, percantant.

Infirmaria non benedicitur, neque aqua benedicta A aspergitur, sed illa tantum domus, in qua idem frater obiit, scopatur et junco sternitur. (UD.) Ab hora illa, quousque feratur ad sepulchrum non omittitur absque psalmodia, nisi interim, dum hora regularis in eadem ecclesia cantatur. * Ad quam, cum primum signum pulsatur, a psalmodia cessatur, præter ad solos Nocturnos; tunc continuatur, usque dum scilla dimittatur. Et si obitus fratris contingeret, priusquam sonitus in dormitorio fieret, aut sicut est tempore hyemali ante finitam litaniam, vel etiam ea finita ; nisi tam clara sit dies, ut in claustro legi possit, vel si in die rasuræ tali hora finitur, quod matutinam missam habere potuit, ea die sepelitur. Quod et tunc fit, si intolerabilis fœtor vel aliquid hujusmodi intercesserit. Pro intolerabili fœtore B etiam sine missa, si tali hora obiit, sepelitur. Pro psalmodia vero et vigiliis in nocte pro eo agendis, unicuique missa vel psalmodia injungitur, præter hoc quod ei communiter vel singulariter ab omnibus debetur. (UD.) Et nox illa, si est hyemalis, ut ad calendas novembris inde usque ad cœnam Domini, in duodecim lectionibus et octavis tantum, in tres vigilias est dividenda. Quarum primam chorus dexter agit cum armario, secundam sinister chorus, novissimam conventu post matutinum dormitum eunte, * secretarii et juvenes cum custodibus, additis totidem de novitiis et aliis fratribus, ut psalmodia impleri possit, et ad unamquamque vigiliam psalterium ex toto dicendum; deinde vesperi, officium et matutinales laudes pro defunctis adjuncto semper C *Verba mea,* sine psalmo *Voce mea* sequente collecta : *Absolve Domine.*

Armarius mox ut prima pene impletur vigilia, ad excitandum fratres dormitorium ascendit. Infra matutinum vero infirmi et alii, qui regulares horas ad S. Mariam audiunt, usque dum conventus cum processione illuc veniat, inde non recedunt. Et sciendum, quia cum funus fratris celebramus tempore noctis, perlustrat nostrum lampas perlucida claustrum. In privatis vero noctibus ejusdem temporis, id est, a Calendis Novembris usque ad cœnam Domini, in duas dividitur nox vigilias, quæ vicissim ab utroque choro (sicut dictum est) agendæ sunt : D sed ad intervallum totus ibi conventus aderit; (*var.*) postea autem hi, qui in infirmaria, et in cella novitiorum pro concessa misericordia dormiunt, usque ad diem ibi perseverant. At si est nox æstiva, in tres vigilias est dividenda, et ad unamquamque illarum duarum, quæ fiunt ante nocturnos, centum dicuntur psalmi cum cæteris, quæ sequuntur.

Ad tertiam vero post matutinum a secretariis et a cæteris prædictis fratribus psalmodia usque ad sonitum debet protelari. In duodecim vero lectionibus hoc tantum variatur, quod ad singulas vigilias ante nocturnos psalmi quinquaginta cum suis appenditiis dicuntur ; si tamen prima vigilia prope noctem, vel in ipsa nocte incipitur. Si vero tempestivius incipitur, psalterium ad prædictas duas vigilias æque divisum percantatur. Cum autem con-

ventus est in refectorio, vel si est tempus quo fratres ad meridiem dormire solent, de novitiis aliisque fratribus aliquanti validiores remanent. Tunc etiam tempore statuto usitatæ non negliguntur tres oratiunculæ, vestesque, si quis mutare velit, vel antea vel postea mutabit. Sciendum autem quod mox, ut matutinalis missa finitur, totus conventus, exceptis novitiis, aliisque capitulo carentibus ad chorum regreditur, ibi vacat lectioni quousque ad capitulum pulsetur. Sed iidem novitii ad capitulum una cum infirmis illic remanere præcipiuntur. Similiter infra mandatum aliquot remanere jubentur.

Mox autem ut in refectorium potus charitatis a quibusdam bibitur, ab armario illuc diriguntur, ut et hi, qui missi sunt, veniant, et eumdem potum charitatis accepta ad gradum licentia bibant. Quacunque autem hora fratris obitus evenerit, sive sit temporis hyemis, sive æstatis, psalterium non est incipiendum, nisi prius ex toto compleatur... postea quam obiit, et vesperi pro defunctis et officium et matutinum et *Verba mea*, missa etiam matutinalis cantantur pro eo, etiamsi ea die non sepeliatur; tunc in crastino omnes, ut offerant, debent interesse. Post offerendam vero sacerdotes, qui volunt, possunt pro eo sine licentia missas cantare, si tamen est in duodecim lectionibus. Diaconus, postquam incensaverit altaria, incensat et defunctum cruce desuper facta. Sepulchrum, cum factum fuerit, dicendæ sunt hæ collectæ super illud : *Deus, qui simplicibus. Deus, qui hominem. Domine Jesu Christe.* Qua finita, aspergitur aqua benedicta, et sequitur ista collecta : *Ineffabilis*, et hoc agitur infra canonem matutinalis missæ.

CAPUT LXVI.

Quomodo et quando sepeliatur.

* Finito capitulo, et si talis est dies, percussa tabula, prior unum de majoribus signis aliquantulum per tres vices tangit : conveniunt fratres, et cerei per custodes ecclesiæ singulis distribuuntur, infirmis quoque ante vel extra capellam stantibus. Sacerdos, qui priorem missam cantavit sepulturus defunctum, indutus est alba, ad hoc tantum deputata, et stola. Armarius accito alio fratre incipit *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.* Ad quod cum omnes similiter responderint, submittunt se inclines ad orationem Dominicam, et sacerdos absque salutatione dicit has collectas : *Ne intres. Fac quæsumus Domine. Inclina Deus.* Præmittens ad singulas : *Oremus.* Quibus imponitur responsorium 1. *Induta est.* 2. *Scio Domine.* 3. *Libera me Domine.* Versum cantat armarius cum alio fratre, ut supra *Kyrie eleison.*

Quotiens incensat altare principale, totiens corpus defuncti crucem desuper faciens. Imponitur antiphona cum psalmo octuagesimo. In hac processione primum aqua benedicta, incensum et crux cum duobus candelabris aliis, noviter de ecclesia allatis portantur, sacerdote et armario sequentibus, quos sequuntur novitii et conversi, et postea priores, et domnus abba, novissime defunctus. Infirmi vero, qui interim stabant extra ecclesiam S. Mariæ, ingrediuntur eamdem, mox ut conventus exierit, et ibidem officium, quod et conventus cantant. Conventus autem perveniens in cœmeterium expandit se in modum coronæ, et inter sepeliendum sub notata psalmodia cum antiphonis istis cantatur anti. *Aperite.* Psal. *Confitemini Domino.* s. Anti. *Ingrediar.* Psal. *Quemadmodum.* Anti. *Hæc requies.* Psal. *Memento Domine.* Anti. *Dextra.* Psal. *Domine probasti.* Anti. *Ne intres.* Psal. *Domine exaudi.* 2. Anti. *Omnis spiritus.* Psal. *Laudate Dominum de terra.* Anti. *Absolve Domine.* Psal. *Benedictus Dominus Deus.* Sacerdos cum primum venerit ad sepulchrum dicit has collectas : *Obsecramus. Deus Omnipotens, qui.* Sepulchrum et prius et postea quam in se receperit, aqua benedicta aspergitur et incensatur, non ter, sed semel tantum cum versu : *Redemptor.* Collocatur operculum ligneum super ipsum defunctum, et sacerdos primus, si domnus abba non aderit, cum pala, mittens tribus vicibus de terra super illum, subjungit has collectas : *Oremus. Fratres charissimi, qui justis. Debitum humani. Temeritatis.*

Quibus finitis recedunt a sepulchro simul cum cruce, et procedunt ante capellam in medio cœmeterii, ibi sub silentio præmissa oratione Dominica subinfertur : *Et ne nos.* Versus. *Ne intres. Dominus vobiscum. Tibi Domine commendamus.* Cereis extinctis sequitur psal. *Laudate* rursus cum oratione Dominica. Versus : *A porta.* Collecta : *Deus cujus misericordia.* Facta inclinatione consueta, et septem psalmis impositis, reditur, et ita, priores ea vice etiam sint anteriores, eodemque ordine cum perve nerint in chorum, prosternunt se, cum ipsis psalmis quos sacerdos jam alba et stola exutus claudit ha collecta : *Absolve Domine animam*, ubicunque tun prostratus jacuerit. Quos etiam infirmi incipient conventu inchoant ac prostrati cantant. Signa, qua defunctum efferendo statim pulsari sunt inchoata non prius omittuntur, quam feretrum super sepulchrum ponitur. Feretrum mox post sepulturam famulis infirmarii in prædictam ædiculam reportatur, ut illic jugiter, cum opus fuerit, inveniatur.

(*var.*) Ipso die quo defunctus sepelitur, si bis com editur, quidquid ad cœnam panis vel potus reman serit, ad eleemosynam pro eo datur; si semel, a prandium. Singuli sacerdotes tres missas, cum primum potuerint, unusquisque qui scit psalmos sexa ginta, qui illiterati totiens orationem Dominicam pr eo cantant. In sequenti die inchoatur et septenariu ejus et tricenarius. Septenarius ita, ut per septer dies officium et missa cantetur pro eo generaliter conventu : tricenarius vero ita, ut per triginta die detur ad eleemosynam ejus præbenda pleniter, e psalmus *Voce mea* (qui tamen solet ad omnes hora dici pro eo :) tunc dicatur et *Verba mea*, et trigint pro eo missas cantandas sex sacerdotibus, admo nente armario, prior injungit. In quo tricenario plu res fratres defuncti non comprehenduntur, nisi eoder

die obierint. Sacerdos autem, cum quintam unusquisque finierit, eadem die in capitulo pronuntiat, ut in crastino alius incipiat. (UD.) Quod et pro nulla unquam festivitate intermittitur, exceptis per annum sex diebus, * Nativitatis Domini, Dominicæ resurrectionis, et illis tribus diebus, qui resurrectionis Dominicam antecedunt, et in die sancto Pentecostes. Quod si forte quis eorum aliquam ex his neglexerit, venia petita, eamdem implere jubetur : insuper pœnitentia, quæ priori visa fuerit, illi injungitur. Postquam autem eædem missæ finiuntur, prior ei absolutionem imprecatur, quod etiam fecit similiter ad capitulum priusquam sepeliretur. In prædictis autem et in aliis festis principalibus officium Defunctorum non agitur, nisi corpus in præsenti habeatur. (*var.*) Vestimenta ejus a camerario reservantur, ut cuicunque fratri opus fuerit, tribuantur. Quotiens venerit anniversarius ejus, vel etiam uniuscujusque professi nostri, iterum præbenda sua dabitur ad eleemosynam. Missa vero, quæ item cantanda est pro illo, aliquando aliqua necessitate impeditur, sed cum proxime opportunum fuerit restauratur.

CAPUT LXVII.

De eo, qui in aliqua cellarum nostrarum obierit.

(UD.) Frater, qui ad aliquam cellam nostram, quacunque ex causa missus, ibi obierit, ibi quoque habebit triginta missas, dummodo sacerdotes in loco sint, ut hoc fieri possit, et cætera, quæ supra memini ; (*var.*) sin autem apud non agitur. Et cum advenerit brevis ejus depositionis, agitur pro eo officium et missa signis omnibus pulsatis, et de reliquo utrinque et ibi, ubi sepultus est, et apud nos agendus est eodem modo septenarius ejus, addita præbenda, et psalmo *Verba mea* per triginta dies. * Et anniversarius ejus insuper in regula inter alios fratres nostros scribitur.

CAPUT LXVIII.

Quid fiat pro eo, qui apud nos, nostris in cellis, vel alibi obierit.

(UD.) Quid fiat in cellis nostris pro quolibet fratre, qui apud nos vel alibi obierit, non facile dixerim, nisi quando brevis illuc venerit, agitur officium, et quicunque sacerdos est, cantat tres missas pro eo, et qui non est sacerdos, centum et quinquaginta psalmos, aut totiens Dominicam orationem. (UD.) Tamen rara sunt loca illa, in quibus præbenda non detur pro eo. * Nam et in quibusdam datur septem diebus, in quibusdam etiam triginta, et semper in anniversario ejus et cætera supra dicta pro eo agenda sunt, et in martyrologio notandum est. * Hoc totum dispositum est, et ordinatum per domnum abbatem, (UD.) secundum quod ipse cognovit possibilitatem et facultatem loci cujusque.

CAPUT LXIX.

De eo, qui subita morte, quod absit, obierit extra claustrum.

* Quod si frater aliquis subitanea morte percussus, quod absit ! vel aliquo modo neglectus, extra claustrum obierit, ad infirmariam defertur, statimque tabula tali modo quo ad obeuntem percuti solet, percutitur (si tamen fratres in aliquo prædicto ordine ad præsens non sunt occupati) : et conventus cum tanta illuc festinatione currit, quanta festinat ad morientem canendo videlicet symbolum fidei. Verum si obitus ejus prius in capitulo pronuntiatur, post capitulum non percutitur, sed conventus pedetentim incedens, vesperos defunctorum cantat. De cætero eidem per omnia sicut præfato defuncto est agendum.

CAPUT LXX.

De duobus, vel tribus forte sepeliendis.

* Si aliquando evenerit, ut duo vel tres fratres simul sint sepeliendi, tot thuribula, tot cruces cum candelabris, totidemque sacerdotes adhibentur, quot sunt defuncti. Ex quibus tamen sacerdos hebdomadarius collectas, quæ in capella S. Mariæ sunt dicendæ, dicit, et altare, ipsosque defunctos incensare debet. Qui etiam ad sepulturam sunt deferendi, secundum tempus obitus sui ; eo videlicet ordine, ut qui prius obiit, ultimus in processione sit, sequente hebdomadario sacerdote, eidemque, quæ sunt sui officii exhibente ; reliquis autem duobus simili ordine præcedentibus, ac per omnia eadem facientibus. Finita autem collecta *Temeritatis*, et sacerdote hebdomadario de sepulchro cum cruce divertente, et ante capellam, quæ est in medio cœmeterii subsistente, et isti, atque unus a dextris, alter a sinistris collateralis associantur illi, et ita consistentes, donec idem sacerdos collectam, *Tibi Domine*, etc., pro eisdem defunctis communiter dicit, qui et illam : *Deus, cujus miserationis*, pro omnibus hic sepultis finit.

CAPUT LXXI.

De abbate ab hac vita migrante.

(UD.) Super hæc omnia domno abbati ex hac vita decedenti ista sunt agenda, tandiu inhumatus erit, usque dum fratres nostræ congregationis undique de monasteriis et cellis convenire possint. Tumulus ejus in loco, quem merita ejus exigunt (ornatius tamen quam aliorum) est parandus. (*var.*) In quem deponendus vestitur omnibus sacerdotalibus vestimentis. Quatuor fratres, qui cantant versus illorum trium responsoriorum, induti sunt cappis, et quatuor, qui portant eum ad tumulum, albis. * Virga pastoralis tantum ad ejus dextrum latus applicatur ; sed calix in manum non datur. Per annum integrum datur ad eleemosynam ejus præbenda, (UD.) non solum apud nos, sed etiam in omnibus monasteriis et cellis nostris, quæ et semper super mensam principalem ponitur ; et triginta missæ cantantur ibi pro eo ; si tamen sunt sacerdotes, qui hoc potuerint explere. (*var.*) Ejus quoque anniversarius, etiam si in tempore hyemali post duodecim lectiones occurrerit, hoc modo agitur. Primo ut omnia signa pulsentur prolixius ad vesperam pro defunctis, qui et ea vice cantantur in choro, priusquam processio fiat ad S. Mariam. * Quod tamen in æstate non est agendum : nam tunc hujusmodi anniversarius post festum duo-

decim lectionum occurens, in sequentem diem est A differendus. (UD.) Item ad officium et missam, quæ et festive, nec absque tractu cantando celebratur, et nihilominus omnia signa pulsantur.

* Unusquisque sacerdos cantat missam pro eo, alii septem psalmos, vel qui psalmos nesciunt, totiens Dominicam orationem. (UD. *var.*) Ipso die habebunt fratres in refectorio charitatem; excepto si in Quadragesima in feria secunda, quarta vel sexta occurrit; tunc hujusmodi pietantia usque in sequentem diem differtur. * Pauperes etiam duodecim in hospitali reficiuntur, non solum pane et vino, sed etiam carne: alias providetur eis, quod tantumdem valet. (UD). Hæc autem pauperum recreatio agitur tantum in nostrorum abbatum anniversario, nisi forte communi decreto impensatur alicui magno B benefactori nostro. (UD.) Si quando alicujus anniversarius cum maximo ritu agendus occurrit, qui monasterio aliquod donarium contulit, illud cum *Placebo* pro eodem incipitur, et sive sit pallium, sive aliud hujusmodi ornamentum, pro ipsius memoria cernendum super altare ponitur, neque inde aufertur, donec in crastino missam defunctorum item pro eo canenda finiatur.

CAPUT LXXII.

De fratre, qui in Quadragesima obierit, et in duodecim lectionibus est sepeliendus.

(UD.) Si quis fratrum in Quadragesima obierit, et in tali die est sepeliendus, qui cum duodecim lectionibus fuerit solennis, pro illo post primam cantatur missa defunctorum, et cum tribus tantum C collectis; id est *Omnipotens sempiterne Deus. Deus veniæ largitor. Fidelium Deus.* Propterea tamen nec illa missa de festivitate post tertiam, nec illa de jejunio post nonam remanebit. Sed sin die Dominica sepultura evenerit, additur et quarta collecta; * id est, *Sanctorum tuorum,* quæ nec alias tamen eo die omitteretur.

CAPUT LXXIII.

De eo, qui sepeliendus est in diebus ante Pascha.

(UD.) Item si quis sepeliendus est ante nonam, in qualibet die de illis tribus, qui proxime Pascha antecedunt, * sine lumine et incenso, et si est in Parasceve, a fratribus nudis pedibus incedentibus sepelitur, et absque missa pro defunctis, quæ tamen postea cantabitur in feria quinta Paschæ, nec aliter D quam si corpus defuncti esset in præsenti. Ab ea autem hora qua novus ignis benedicitur, usque in crastinum mane, neque in ecclesia, neque ad sepulturam lumine privatur.

CAPUT LXXIV.

De eo, qui sepeliendus est in diebus Rogationum.

* (*Var.*) Item si quis sepeliendus est in Rogationibus, pro eo cantatur post primam missa defunctorum, et illa de Rogationibus post tertiam, ad quam etiam non offertur, nec pax recipitur, nisi ab uno, et finito capitulo sepelitur.

CAPUT LXXV.

De eo, qui sepeliendus est, quando radere debemus.

(UD.) Item qui sepeliendus est eo die, quo non bene possumus mutare rasuram, post capitulum statim percussa tabula sepelitur; quia quamdiu est insepultus, non licet in claustro vel loqui, vel aliud quid facere, nisi tantum psalmis vacare ad exequias. Solus armarius tantum defuncti nomen scribit in memoriali fratrum et breves, quæ absque mora mittendæ sunt pro eo per cellas. * Quas quidem perscriptas idem armarius cellerario, qui eas missurus est, ante cellarium præsentat, et si ille in promptu non fuerit, inibi in locum ad hoc deputatum eas reponit. Quæ quia ex antiqua Patrum institutione, sine omni dilatione mittuntur, per famulos ad hoc solum deputatos circumferuntur. Quibus u sint semper parati a camerario vestiuntur, a celle rario vero victus cottidianus debet provideri.

CAPUT LXXVI.

Quando breves mittendæ sint.

* Quali autem ordine hujusmodi breves sint mittendæ, silendum non est. Igitur per omnes cella nostras longe vel prope positas, dummodo a se in vicem multum non distent, brevis una ad intimandum fratris obitum sufficit. Nam postquam ad proximam earumdem cellarum allata fuerit, de loco a locum per priores inibi commorantes, est mittenda Quod si per diversas terrarum partes eædem cella ab invicem longius distare noscuntur, necesse es ut a monasterio principali per singulas provinciarum cellas breves singulæ transmittantur.

Hæc autem brevium transmissio simili modo ag tur, si cujus fratris obitus in cella aliqua evenerit et brevis illius ad nos usque pervenerit; except quod ad aliquam in eadem terra sitam de loco, i quo obiit, mittenda est.

CAPUT LXXVII.

Quod sine dilatione agendum est officium Defunctoru superveniente brevi pro fratre nostro.

* Si quando istiusmodi brevis ante capitulu affertur a custode hospitum, a quo omnes breve recipiuntur, ad proximum capitulum domno abba vel priori repræsentatur. Qui mox, ut eam intra se metipsum perlegerit, et locum unde eadem brevi advenit, et fratres ejusdem obitum et nomen pro nuntians, sine interruptione absolutionem solitar exoptat, et capitulum plus solito corripitur, ut cu psalmodia *Verba mea* finiatur, et officium pro eju animæ requie peragatur. Si finito capitulo officiu statim non agitur, postea non fiet, nisi tabula priu percutiatur.

Et sciendum, quia, si plures breves de divers locis, id est de nostris professis et de alienis fratr bus pariter in capitulo præsentantur, omnes in miss septenarii, et in cæteris, quæ aguntur, præter tric narium conjunguntur. Quacunque autem hor postea usque ad collationem, et quando semel come ditur, fratres antequam bibant, affertur, sine dila tione ad convocandos fratres, tabula tractim a

sonore percutitur; si tamen conventus in præsentiarum aliquo ordine non occupatur. Nam tanta cura, tantaque festinantia ex antiqua Patrum institutione hæc tabulæ percussio ad peragendum officium debet fieri, ut jam cymbalo percusso, fabisque ex parte administratis, fratres omnibus postpositis, ad ejusdem officii actionem conveniant. Illuc ergo, ut quisquis convenerit, nullo stationis ordine servato, sed prout cujusque loci competentia se præbuerit, extra capitulum ante et retro faciens, subsistit. Priore autem a percussione tabulæ cessante, factoque ante et retro, *Benedicite* pronuntians; conventus solito more respondet. Ille vero et in capitulo intra se eamdem breviculam legendo, fratrem obiisse denuntiat adjungens: *Eamus et officium agamus, ut illi Deus omnipotens requiem sempiternam tribuere dignetur;* ac postea in capitulo absolutionem illi non precatur; conventu autem *Amen*, respondente, discedunt, non facientes ante et retro. Finitis tribus lectionibus, obedientiarii et alii quidam, tale quid negotii habentes exire possunt, sicut et mensæ lector et coquinæ hebdomodarii faciunt. Si forte aliquando evenerit, ut cum primum consederint tabulæ percussionem audiant, nihil alimenti prælibant. Ad hujusmodi officium non plures quam tres dicuntur orationes, videlicet ? *Omnipotens sempiterne Deus. Deus veniæ largitor. Fidelium.* Si autem post nonam agitur, usuales orationes adjunguntur, quia postmodum ea die aliud non sequitur. Potest tamen prior officium idem in talibus festis, in quibus fratres, Dei servitute noviter adeo gravati sunt, usque in sequentem diem differre.

CAPUT LXXVIII.

De familiaribus nostris vivis et defunctis; quid agatur pro eis.

(UD.)Nonnullæ sunt congregationes non solum monachorum, sed etiam clericorum, quæ habent societatem nostram, et fraternitatem, ut cum brevis venerit de defuncto illorum, vel ad illos nostra, officium et missa geratur, et postea septenarius cum officiis et missis. * Pro nullo autem abbate defuncto plus agimus, quam pro uno ex suis fratribus. Sunt etiam quædam congregationes. quibus amplius non facimus, nisi quando brevis de defuncto illorum venerit, quam quod post capitulum pulsatis omnibus signis sex psalmos, id est, *Verba mea*, addita hac oratione *Absolve Domine*, recitamus. (UD.) Item plerique fideles Christi tam pauperes quam divites, qui adducti in capitulum nostrum venerint, petunt, ut ipsi quoque mereantur fraternitatem nostram habere. Annuitur et cum libro eis datur, ut partem et communionem habeant de bonis omnibus, quæ ullo modo fiunt, vel in orationibus, vel in eleemosynis, non solum apud nos, sed etiam in cunctis locis, quæ nostri juris esse videntur. Pro his omnibus, quamdiu sunt in hac vita specialiter cantatur per singulas horas psalmus: *Deus in adjutorium*, et collecta: *Prætende Domine*: et quoties ad majorem vel ad matutinalem missam apponitur, pro eis apponitur. Postquam autem obierint, post singulas horas psalmus *Voce mea*; quando pro tricenario fratris alicujus non cantatur et quotidie post capitulum ad psalmum *Verba mea*, oratio illa: *Absolve Domine.* (*Var.*) Præterea tres vices sunt in anno, id est, post primam dominicam Quadragesimæ, post nativitatem apostolorum Petri et Pauli, post festivitatem Omnium Sanctorum, in quibus specialiter eorum commemorationem facimus, cum officio et missa, cum septenario et præbenda: scilicet eodem modo, quo solet agi pro quolibet absente, qui obierit in aliqua cellarum nostrarum: excepto quod sacerdotes missam non cantent, neque alii psalmum *Laudate*. Quod cum satis manifeste relatum sit in superioribus, non opus est secundo referre.

CAPUT LXXIX.

Quid agatur pro his, qui in loco sunt sepulti.

* Quando post octavam Pentecostes feria secunda memoria eorum, qui apud nos sepulti sunt, maximo ritu agitur, unusquisque, qui scit septem psalmos, cantat; qui sunt illitterati totiens orationem Dominicam; singuli sacerdotes unam missam, et quod ad cœnam de pane et potu supererit, ad eleemosynam datur. In festivitate Omnium Sanctorum, post vesperos, pulsatis omnibus signis, cantantur etiam vesperi defunctorum, et in nocte officium simul matutinale et matutinalis missa solemnissime pro omnibus fidelibus defunctis, cum una tantum collecta; id est: *Fidelium Deus*; pro quibus singuli sacerdotes privatas missas, cæteri septem psalmos, vel totiens Dominicam orationem, qui nesciunt psalmos, sunt cantaturi, et duodecim pauperes uberiori pane et carne, et vino sunt reficiendi: et quotquot alii pauperes supervenerint, omnibus est misericordia solito largius impendenda. Insuper et in ipsa festivitate Omnium Sanctorum, quidquid panis et potus in refectorio ad cœnam supererit, ad eleemosynam datur.

MUSICA SANCTI WILHELMI

HIRSAUGIENSIS ABBATIS.

(*Dom. M.* Gerbert, *Scriptores ecclesiastici de musica, sacra potissimum* tom. II, p. 151.)

MONITUM.

Musica S. Wilhelmi, Hirsaugiensis abbatis, de quo auctor coævus Bertholdus Constantiensis, seu qui unus idemque est, Bernoldus presbyter et theologus Gebhardi III, episc. Constant., ac monachus S. Blasianus in Chronico apud Urstisium Germ. script. t. I, p, 364: « Hic in musica peritissimus fuit, multaque illius artis subtilia antiquis doctoribus incognita elucidavit. Multos etiam errores in cantibus deprehensos satis rationabiliter ad artem correxit. In quadruvio sane pene omnibus antiquis præeminere. » Hæc ad verbum leguntur in Vita S. Wilhelmi ab Heymone coæquali et discipulo scripta, apud Mabillonium Act. SS. Sæc, V., p. II, *p. 726. Apud anonymum Mellicensem cap. 108, post hæc eadem ipsissima additur : « Tractatum tamen unum de musica scripsit, quem Dei vocatione ad regendum Hirsaugiense cœnobium tractus minime perfecit. »*

Opusculum hoc S. Wilhelmi in solo primum codice San-Blasiano reperi, qui an. 1768, igne cum monasterio consumptus fuit. Accidit vero feliciter quod Bononiæ apographum in P. Jo. Bapt. Martini instructissima bibliotheca scriptorum de re musica reponerem ; quod dein mecum eadem communicavit iterum benevolentia, qua a me acceperat. Invenimus postea idem opusculum in cod. Vindob. ms. lectionesque variantes nostro exemplari charactere cursivo suis locis inseruimus. Singularis est in hoc opusculo duodecim troporum explicatio, quæ Glareano facem prætulisse videtur ad Dodecachordon a se editum. Usus quippe erat Glareanus hic ipso codice San-Blasiano, tunc monasterii S. Georgii, ex quo descriptum est hoc opusculum, pro adornanda editione Operum Boetii, ut in fronte testatur, illumque vocat aureum.

MUSICA WILHELMI.

I.

Incipit proœmium in artem musicam Wilhelmi abbatis sub ipsius nomine et cujusdam Othlohi per dialogum compositum.

Othl. Postquam donante Deo petitionibus meis et quæstionibus in astronomica satisfecisti disciplina, consequens est ut ad musicam transferatur collatio, quatenus post præcepta rerum, quæ ad astronomiam pertinent, non sine harmonia, ut aiunt philosophi, currentium, ipsius etiam harmonicæ artis originem et naturam, quantum auctor naturæ concesserit, adhuc latentem proferas.

Wilh. Rem satis arduam, utpote a peritissimis hucusque intactam jubes. Sed quia freno me caritatis potenti manu tenes, in quæcumque montana duxeris, facilius æstimo relabi aut retro cadere, quam recalcitrare. Verumtamen ne post diurnæ viæ terminum castrametandi tempore novam et nondum certam inconsulte aggrediamur, respirationi atque meditationi reliquum diei concedatur spatium et cras in nomine Jesu congregemur ; sicque ipso nos mediante ac ducente propositum iter incipiamus.

Wilh. Hesterni promissi debitum, quod a me carissime frater! exigis, aliter persolvere nequeo, nisi eorum *recordatione vel* recognitione, quæ tam ex musica Boetii, quam *ex* probabilibus modernorum scriptis tibi cognita sunt, isagogen quamdam præparem ad incognita.

Othl. Nihil jocundius illo tractatu, quo proferuntur nova et vetera : quin imo ad hoc etiam nolentem precibus obnixis traherem, quatenus veterum et modernorum sententias tuis vel præponas, vel intermisceas, eo tenore, ut si quid minus dixerint adjicias ; si quid obscure, exponas ; si quid non caute, corrigas.

Wilh. Forsitan, quia ex caritatis imperio camelina tibi adgeniculor mansuetudine, dum parvulis his, quibus unum sufficeret, plura vis deferre munuscula, nec alpinam itineris difficultatem, nec modica jumenti animi vires in onerando consideras. Cæterum, ne non fiducialiter agam in Domino, ita onustus viam carpere tentabo, et primam a præcedentibus musicis tritam ingrediar, donec divertendi locus occurrat.

II.

Incipit musica Wilhelmi abbatis de regularis monochordi structura.

Wilh. Tota regularis monochordi structura constat quindecim chordis in duo diapason distinctis, quorum inferius est a proslambanomenos usque mese, at superius a mese usque ad nete hyperboleon et utrumque continet, ut notum est, septem discrimina vocum. In ipsis quindecim chordis inveniuntur *tetrachorda nominibus, genere, specie valde diversa id est,* Hypaton, Meson, Diezeugmenon, Hyperboleon. Item tetrachordum gravium, finalium, superiorum, excellentium. Et hæc eis (*ejus*) diversitas nominum. Differunt autem genere (*generatione*), quia illa, quæ prius sunt dicta, mensuræ subjecta probantur. Ex his, quæ sequuntur, melodia enuclear

videtur. Quando enim totam ex ordine mensuram in tetrachorda dividendo a nete hyperboleon descendimus dicentes, tonus tonus semitonium, itemque tonus tonus semitonium; quid aliud quam illa priora statuimus? Specie quoque discrepant, quoniam illa semitonium habent in ultimo, ista in medio: illa bina et bina, in utroque diapason conjuncta, quia Guidonem in litterarum positione sequimur, e. et E synaphen, tonum vero supra mese proximum diezeuxin habebunt. Ista simili modo si copulentur, D. et d. synaphen, tonum autem infra (*mese*) proximum diezeuxin designabunt. In illorum enim duali conjunctione, sive singulari dispositione de utroque diapason tonus remanet, *in illorum inferius*, in istorum superius, ex illis enim primum descendit ab a in e. secundum ab e. in b. et ibi remanente seu disjungente tono, tertium dimittitur ab A. in E. quartum ab E. in B. itemque tonus supererit. Econtra ex istis primum ascendit ab A. in D. secundum a D. in G. ubi tono testante tertium scandit ab a. in d. quartum a d. in g. tono item superfluo. Illa sunt notabilia. Ista nomino, sicut et sunt, principalia. Hæ sunt specificæ tetrachordorum differentiæ. Musica enim species est quædam habitudo diversæ positionis tonorum et semitoniorum.

OTHL. Video quod frustra de impositis tibi quæstionibus conquestus es. Potenti enim apertissime novaque ac vetera proferentis institutionis gressu arripuisti viam; unde perveniendi vires tibi etiam onustiori sufficere non dubitem. Jam in diversis musicorum scriptis eadem, quæ dixisti, colliguntur quidem tetrachordorum vocabula; differentias autem eorum, et proprietatum qualitates ab omnibus pene intactas, et hucusque inauditas esse fateor. Et quoniam a præcedentium semita jam divertisti, perge quæso! ac prætermissis prioribus ad mensuram tantummodo spectantibus tetrachordis, de his, quæ ad melodiam pertinent, quomodo plus aliis ad eam pertineant, et unde ipsa principalia dicas, expone. Denique vulgaria eorum vocabula, id est, gravium, finalium, superiorum, excellentium, quod dicta sint, norunt etiam simpliciores.

III.

De principalitate quatuor tetrachordorum.

WILH. Quatuor hæc tetrachorda omnia quidem et sunt, et vocanda sunt principalia, eo quod omnium specierum, modorum, troporum in se continent vim, ordinem atque naturam: sed in his *omnibus* unum deprehenditur, a quo cætera nomen et vim, dignitatemque, et ipsum esse suum sortiuntur: non illud, quod Mercurius invenisse dicitur, id est, meson; neque illud, quod ab antiquis musicis hypaton est appellatum; sed neque hoc, quod moderni sapientes primam esse affirmant, id est, finalium.

OTHL. Quod illud sit, velociter quæso pronunties, ne cupidissimum vel ad momentum suspendas.

WILH. Illud est, quod natura, immo naturæ auctor, primo per quadrupla proferri voluit, dico autem tetrachordum gravium. Ex hoc nimirum, quia A cætera veluti fonte quodam derivantur, nomen principalitatis effectumque naturæ mirabilem ab ipso mutuantur. Namque tetrachorda finalium, superiorum, excellentium, nihil aliud sunt, nisi hujus quaterna positio, sive terna repetitio. Quod multiplicibus ex causis principale vocari videtur: in primis, quia primum est omnium; secundo, quod primis principalium tetrachordorum nervis clauditur; tertio, quod troporum differentiæ ex eo producuntur, si harmonia infra septem principalia duum tetrachordorum, gravis scilicet et finalis, discrimina coarctatur; quarto quod (*in*) generali constitutione troporum ex hoc constituitur protus, sicut a finali tetrardus; quinto, quod omnis specierum naturalis ordo et calculatio, ipsa etiam cætera tria tetra- B chorda, totaque, ut prædiximus, harmonia, sed et quatuor troporum elementa sive mutatoria, ex ipso quasi quodam naturæ fonte producuntur et derivantur. Quorum quædam ad præsens exponuntur, quædam vero *post* suis in locis plenius exponenda reservantur.

IV.

Ex quibus causis vocentur principalia.

Primum autem et omnium, quia mira et naturali quadam investigatione, non solum ante alia tetrachorda, sed ante omnia minorum sonorum intervalla statim in ipso mensurandi monochordi effulget initio. Tanta enim vis et virtus inest proportioni quadruplæ, ut quidquid per eam fiat, totum nomine, voce et dignitate sit primum. Itaque monochordo C in quatuor spatia primitus diviso, primum spatium est quasi vacuum, secundum diapason, tertium diapente, quartum idem sibi vindicat diatessaron. Cæterum si ex altera parte versa vice mensura incipiatur ipsum tetrachordum, harmoniæ totius manifestum erit primordium. Sed hæc tria, id est diatessaron, diapente, diapason inter omnia intervalla nomine et dignitate prima esse et earumdem consonantiarum primas species in eisdem spatiis consistere, ipsa etiam puncta singulorum principalium tetrachordorum, solo primo excellentium puncto prætermisso, primas voces efficere, scire volentibus liquet. Primis *etiam* chordis clauditur, quia *cum* in quatuor tetrachordis quatuor sint primæ, quatuor D secundæ, quatuor tertiæ, quatuor quartæ, ipsum diatessaron non solum inter primas, sed etiam inter primarum primas locatur. His ergo aliisque adhuc exponendis causis merito et ipsi, et ab ipso aliis ex ipso ita, ut dictum est, manantibus tetrachordis nomen conceditur principalitatis. Sed competens narrationis ordo jam cum supernæ illustrationis auxilio intueri nos admonet, quantum vim potentiamque naturæ vel ipsum in se contineat, vel cæteris ex se profluentibus tetrachordis mirum in modum transfundat.

V.

Quod a tetrachordo gravium cætera nascantur.

Igitur a principio repetens, non in ea quæ stultitia est apud Deum, sed in ea quæ superborum et

sublimium colla philosophorum calcat, sapientia videtur, quia omnis musicæ artis disciplina, totaque monochordi structura, ex illo quod gravium vocant, ego autem principale nomino, producitur tetrachordo. Hoc siquidem in inferiori diapason duplicatum generat ex se tetrachordum finalium, et ex his duobus procedunt septem principalia vocum discrimina. Nam septies septena diversa discrimina vocum in monochordo reperiuntur. Et ipsa denuo in superiori diapason repetita, phthongo nete hyperboleon assumpto, universam monochordi fabricam conficiunt. Nam tetrachordum superiorum ipsum est principale et tetrachordum excellentium finale, nullaque inter hæc naturæ nisi solius nominis et positionis erit alteritas, ita tamen ut principale unum atque idem sit in omnibus. Sed sicut ab ipso cuncta oriuntur, sic a finali reguntur omnia, disponuntur et dijudicantur; et ideo in his duobus viget universa naturalis vis harmoniæ, adeo ut cætera omnino necessaria non essent, si generalem istorum potentiam quique simpliciores pervidere potuissent, sunt namque in eis, ut dictum est, septem vocum discrimina omnigenæ musicæ artis varietati sufficientia, sicut quisque hujus disciplinæ peritus facile, si quæsierit, inveniet. Ubi et hoc manifestissimum de originali principalis tetrachordi dignitate ac de omnimoda ipsius cum tetrachordo superiorum unitate datur indicium, quod omnis cantilena, quæ modo secundum spatiosam duorum diapason vagandi licentiam in superioribus incipit, si infra eadem discrimina septem naturali refragatione cohibeatur, in gravibus, id est, eodem principali tetrachordo sumit initium. Verbi gratia: omnes differentiæ ad primum, quartum, sextum tonum pertinentis melodiæ, quæ in acuta a. inchoantur, eædem in gravi A. ut in diaphoniæ præcepto patet, naturale habent principium. Et nunc quia de sæpe dicto sæpiusque dicendo principali tetrachordo totum quidem, cur principale ac fontem et originem cæterorum, sive totius monochordi summam dixerim, ex parte autem, quam vim et potentiam naturæ in se habere prædicaverim, audisti; adhuc plenius *licet* ut audias de ipsa originaliter in eo scatente potentia, ejusdemque in cætera tetrachorda diffusione. Quam facilius videbis, si prius, ex quarum rerum comprehensione ipsius musicæ artis natura maxime percipiatur, et qualiter eædem res in his tetrachordis reperiantur, videris.

VI.

Unde natura musicæ artis maxime cognoscitur.

Natura musicæ artis post novem intervalla sonorum potissimum ex prædictarum quatuor rerum scientia inspicitur, id est 1. rata et rationabiliter ordinata constitutione specierum trium symphoniarum diatessaron, diapente, diapason: 2. cautissima et naturaliter facta dispositione troporum: 3. vigilanter perspecta modorum differentia, quam verius dixerim agnitionem sive proprietatem troporum; 4. valde necessaria principalium chordarum operatione. Hæc autem quatuor, id est, constitutio specierum, dispositio troporum, differentia modorum sive agnitio vel proprietas troporum, operatio principalium chordarum, naturali quadam et inseparabili proprietate ita principalibus insunt tetrachordis, ut si ea in illis quæ ad mensuram pertinent, quæras, nullo competenti ordine, sicut in sequentibus clare fit, invenias. Sed etiam opportunum dicere videtur, quod memini me in superioribus usque ad hunc locum distulisse, scilicet, quod tetrachorda eadem in quatuor primas, in quatuor secundas, in quatuor tertias, in quatuor quartas dividuntur. Prima ergo gravium est A. secunda, tertia, quarta B. C. D. Est item prima finalium eadem D. secunda, tertia, quarta E. F. G. Item prima superiorum est a. secunda, tertia et quarta b. c. d. Est item prima excellentium eadem d. secunda, tertia et quarta e. f. g. Tetrachordum igitur principalium primæ chordæ sunt A. D. a. d. secundæ B. E. b. e. tertiæ C. F. c. f. quartæ D. G. d. g. quas ideo et singillatim et congregatim designare non piguit, quia sequentis operis textura crebro ipsarum indiget subtemine. Et ne mireris quod nete hyperboleon prætermissa cæterarum quatuordecim chordarum in sexdecim fiat partitio, quater enim IIII. erunt XVI. duas ex ipsis XIIII. id est, D. et d. biformes, *bisque numerandas esse noveris. Qualiter autem biformes* sint in dispositione troporum, plenius clarebit; sunt namque inter prædicta *tetrachorda* quædam, quæ comparata proferunt ex se species diatessaron: quædam item sunt, quæ collata diapente species ex se producunt.

VII.

In quibus chordis species diatessaron, diapente et diapason naturaliter consistant.

Videamus ergo, quæ sunt illa, et qualiter ex ipsis probabili ratione absque ordinis confusione, plano itinere ac sine offendiculo procedant. Ex naturali coadunatione tetrachordorum principalis ac finalis omnes diatessaron species prodeunt. Prima ergo gravium et prima finalium depromunt primam; secunda item gravium et secunda finalium reddunt secundam; iterum tertia gravium et tertia finalium proferunt tertiam; quarta item gravium et quarta finalium vice quartæ iterum repræsentant primam, sive, ut verius dicamus, in forma primæ retinent quartam. Quæ licet specie prima esse videatur, harmoniæ tamen natura diligentius perspecta, triplo quarta esse declaratur, primo quod inter quartas continetur, secundo quod in generali troporum dispositione, ut prædiximus, pertinet ad tetrardum, tertio quod contraria est primæ, quoniam sicut melodia a prima intenditur, ita a quarta semper remittitur, ut in hoc eodem finalium tetrachordo hæc testantur exempla. Protus ant. *fac mecum.* ant. *a bimatu.* Tetrardus ant *dabo in Sion. Judæa.*

Media item tetrachorda, finalium dico, et superiorum, si conferantur, omnes diapente species eodem naturæ et ordinis decore nascuntur. Nam prima finalium et prima superiorum continent primam, et

utriusque tetrachordi secundæ secundam, tertiæ tertiam, et quartæ concludunt quartam. Ultima bina, quæ restant tetrachorda, superiorum scilicet et excellentium, si comparentur, diatessaron item reddunt species, quemadmodum et prima, quia, sicut dictum est, eadem sunt in natura. Prima superiorum et prima excellentium demonstrant primam, secundæ secundam, tertiæ tertiam, quartæque iterum in specie primæ continent quartam. Ergo si diatessaron species inter illa, quæ ad diapente, vel diapente species inter illa, quæ ad diatessaron pertinent, quæsieris, offendiculum incurris, quia ratum ordinem earum invenire non poteris. Sed ut manifestius, quod dicimus animadvertas, si quo in loco præter illa, quæ exposita sunt, species easdem repereris, minus regulares esse noveris, eo quod uno eodemque minus includuntur numero.

Videsne, frater charissime! quomodo in hac nostra specierum constitutione ipsarum specierum et chordarum tam nominis quam dignitatis, ut dictum est, naturalis ordo servatur, et qualiter idem ordo plano itinere ac sine offendiculo progreditur, ubi prima species in primis chordis, secunda in secundis, tertia in tertiis, quarta in quartis et incipitur et finitur. Nunquid non plane intelligis, ipsas quoque species naturaliter a constitutivis earum chordis vel primas, sed secundas, vel tertias, vel quartas vocari? Nonne et habitudines earum manifestius intueris, quomodo prima diatessaron species semitonium habet in medio; secunda in primo, secundum intensionem dico; tertia in ultimo; quodque prima diapente species habet semitonium post tonum, postea ditonum, secunda in primo, tertia in ultimo, quarta post ditonum, postea tonum? Nonne clare intueris, qualiter iste specierum ordo vel ex hoc maxime naturalis probari potest, quia primæ speciei sedem tribuit in spatio principalis tetrachordi, quod inter primarum chordarum primas, id est, A. et D. ut superius tibi nondum intelligenti dictum est, locatur! Perpende, quæso, diligenter, et illud perpende, quomodo in ipsa primarum specierum naturali processione ipsum etiam tetrachordum finale quodam occulto ordine et lege naturæ productum est. Quid est ergo earumdem specierum principium, nisi principale tetrachordum? vel quid ipsarum consummatio, nisi tetrachordi finalis ex principali genitura quædam et productio? Simili modo in constitutione specierum diapente tetrachordum superiorum ex finali, et ex subsequentibus speciebus excellens ex superiori procedit. Sic singulorum tetrachordorum ad troporum institutionem spectantium, primæ ex principalis tetrachordi prima, sic omnes secundæ ex ipsius secunda, sic tertiæ ex tertia, et quartæ ex quarta quasi ex quatuor diversæ naturæ elementis producuntur, sive nata totis derivantur.

Othl. Placent *cuncta* admodum quæ dicis, et non solum hæc perpendo, sed et alia quædam prius A obscura jam ex eorum illustratione satis perspicaciter video, quæ dudum interrogassem, nisi quod novarum rerum et dulcedine captus, et admiratione attonitus jocundissimam verborum tuorum seriem interrumpere nolui. Video, inquam, non leviter peccasse quemdam ex modernis, quia species diatessaron et diapente constituens, primæ speciei diatessaron a lychanos meson, hoc est, a G. sumit exordium, et finit eam in lychanos hypaton, id est, in D. Sed D. quia, ut jam dixisti, biformis est, tam inter primas, quam inter quartas numeratur; G, vero simpliciter quartis ascribitur, ideoque speciei hujus faciem et solam in medio positi semitonii qualitatem intuitus, interiorem naturæ vim et proprietatem non perspexit. Similiter secundam incipit in A. quæ est
B prima, terminatque in E. quæ est secunda; et ut singula hujus erroris pariter breviterque concludam in disponendis more suo diapente speciebus nullam diatessaron speciem, primam, secundam, tertiam, naturali loco inserit, præter illam, quam quarto loco ponit *quæ est* inter A. et D. utrasque videlicet primas collocat. Nos autem pravis errantium viis compendiose transcursis ad directa naturæ itinera festine redeamus. Sed restat adhuc quæstio minus prætereunda, quid sit, quod species a nonnullis musicis disponuntur descendendo, cum totum ordinem specierum earumdem statueris ascendendo.

VIII.

Quare a quibusdam species descendendo disponantur.

C Wilh. A quibuscumque id factum inveneris, secundum remissionem, quæ se species magis declarat cantando, ordinatum esse noveris, non secundum intensionem, licet intensio ubique prior sit quam remissio, ut in arcu, ut in sagitta sursum directa, ut in pluvia; hæc enim et hujusmodi omnia prius intenduntur, quam illo, unde procedebant, remittantur. Denique et species singulæ ordine prædicto de tetrachordo in tetrachordum intensæ si remittantur, initio sumpto ab ultimis, ubi terminum earum statuimus, omnes eadem via, qua venerunt, ad principale tetrachordum velut ad originis suæ fontem recurrunt; quamquam omnis melodia a principali digressa, a finali, ut prædiximus, moderetur, regatur jam et dijudicetur.

Othl. Nunc igitur, dilectissime! quia et in hac
D quæstione satisfecisti, post pulcherrimam e naturali thalamo suo specierum diatessaron et diapente productionem, post tetrachordorum processionem, post subtilem primarum, secundarum, tertiarum et quartarum chordarum ex tetrachordo principali, ac per hoc harmoniæ totius, ut promiseras, derivationem, diapason quoque species eodem quæso decore, quo et minores, facias procedere.

IX.

De speciebus Diapason.

Wilh. De speciebus diapason quid amplius nosse laboras, nisi quod omnes musici asseverant, scilicet septem esse secundum septem discrimina vocum, et quia eadem discrimina in monochordo geminata

sunt, primam a primo discrimine ad primum, id est, ab A. ad a. secundam a secundo ad secundum, id est, a B. in ♮. ascendere, sicque semitonio vel tono per ordines litterarum scandere, donec septima in g. superacuta finiatur.

Othl. Si tu, quem naturæ Niliaco fonte occultioris investigatoribus non paucis facile pertulerim [l. prætulerim] hanc specierum diapason constitutionem ea, qua promisisti, ratione probaveris, id est, quod a principalibus tetrachordis inoffenso naturalis ordinis pede progressa sit, nihil est, quod ultra de his quærere laborem.

Wilh. Antiqui et moderni musicæ artis auctores multa scripsere probabilia, multa utilia et valde necessaria, quin immo primas ejusdem artis invenere venas, ipsum quoque limpidissimum fontem, id est, principale tetrachordum quodam Peripateticæ rationis ex parte detexere fossorio, licet quidam illarum quatuor rerum, in quibus artis hujusmodi summa consistit, aliquantisper turbante ignorantia non perspicuos inde haustus propinaverint. Unde nos per omnia venerabiliter illis assurgere, et si quid turbidum hauserint, cautius perspicere, perspectumque humillime purgare oportet : quod tum in promptu erit, si Patre luminum donante, lucidam, ut incepi, non solum specierum diapason, quam postulas, sed et omnium pari modo memorabilium quatuor rerum seriem indissociabiliter sibi cohærentem ex tam purissimo quum verissimo fonte naturæ produxero. Ipse enim sicut mox audita naturali specierum diatessaron et diapente constitutione, quin in ipsa quidam ex modernis erraverit, judicasti; ita statim perspecta cæterarum puritate, quid in eis priorum ignorantia turbaverit musicorum, aut per te potenter decernes, aut me decernentem velociter intelliges. Species diapason secundum numerum troporum in authenticos et subjugales distinctorum, octo esse, natura monstrante manifestum est. Quæ tamen naturalis numeri ordine ita computandæ non sunt, ut dicas prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, et sic ad octavam pervenias : sed post quatuor iterum aliæ quatuor, non a quinta, sed a prima denuo incipientes numerandæ sunt et constituendæ. Igitur si tetrachordo principale ac superius e regione compares et jungas, finali medietatum et vinculorum vice interposito, quatuor species diapason exinde, quas desideras, naturalis ortus et ordinis decore procedent. Denique prima species diapason a prima gravium A. et a prima superiorum a. continetur, et a prima finalium D. medietate distinguitur. Secunda item ab utriusque tretrachordi secundis, id est B. et ♮. comprehenditur, et a secunda finalium E. connectitur. Item tertia a tertiis, id est C. et c. implicatur, et a finalium tertia F. conjungitur. Quarta item a quartis, id est D. et d. includitur, et a quarta finalium G. propria et quasi hereditaria nativaque sede vinculatur. Has autem duas D. et d. biformes esse ac duplices, pernecessarium est, ut sæpius recogitando rumines,

A donec tenaci memoriæ committas, qui maximus error tam scientia devitatur, quam ignorantia incurritur. Item tetrachorda principale et excellens, superiori ea mediante, si e diverso conferas, aliæ quatuor species diapason consimili naturæ ornatu apparebunt. Prima item diapason species a prima finalium D. et a prima excellentium d. quoniam numero duplices sunt, sicut et quarta continetur, sed alio medietatis vinculo, scilicet prima superiorum a. medietate compaginatur. Secunda ab utriusque tetrachordis secundis, id est E. et e. cohibetur, et a secunda superiorum ♮ coadunatur. Tertia a tertiis, id est F. et f. constringitur, sed a superiorum tertia c. distinguitur. Quarta item a quartis, id est G. et g. comprehenditur, et a quarta superiorum d.
B connectitur. Nonne primæ diapason species et dicendæ sunt, et veræ sunt, quæ a primis chordis et extremitate continentur, et medietate distinguuntur, et a primis minorum consonantiarum speciebus instituuntur? An quæ a secundis, quæve a tertiis, sive a quartis eodem modo informantur, non sunt merito secundæ vel tertiæ, vel quartæ?

Othl. Potenti et insuperabili ratione probasti ea quæ promisisti : sed perge, quæso, velociter, ut Domino juvante ad effectum operis pervenire valeas.

Wilh. Itaque octo speciebus naturaliter constitutis illorum, quos abusive tonos dicunt, octo troporum naturalis oritur dispositio, ita ut quatuor priores in quatuor subjugales, et quatuor sequentes in
C quatuor authenticos transeant. Si enim tropi, qui quatuor sunt in natura pro discernenda cantus varietate in octo distribuantur, illa, quæ priorum quatuor specierum diapason prima est, in subjugalem proti convertitur, secunda in subjugalem deuteri nec non reliquæ duæ in alios duos, ut dictum est similiter illa, quæ in sequentibus quatuor speciebus prima est, quæ inter D. et d. continetur, in authenticum protum transfertur; secunda in authenticum deuterum, et item cæteræ duæ in remanentes duos. Si vero ita disponuntur, ut quisque authenticus juncto sibi subjugali suo unus indifferenter tropus habeatur, et ex octo naturaliter quatuor fiant species quoque diapason, quas authenticus et subjugalis ejus sibi vindicant, et unde constant, jungi et coadunari
D necesse est. Verbi gratia : in protum indifferenter statuendum quatuor priorum et quatuor sequentium specierum duæ primæ concurrunt, una, quæ est ab A. in a. altera, quæ est a D. in d. in deuterum indiscrete componendum utrarumque quatuor specierum secundæ conveniunt, una quæ est a B. in ♮ altera quæ est ab E. in e. In tritum conjunctim informandum utriusque ordinis tertiæ coeunt, una quæ est ab C. in c. altera quæ est a F. in f. In tetrardum simili modo continuandum quartæ utrobique se conserunt, una quæ est a D. in d. altera quæ est a G. in g.

X.

Quod in principalium chordarum operatione sit omnis vis et agnitio troporum.

Sed hæc tropica dispositio sive in octo diffundatur, sive in quatuor coerceatur, totus naturalis ejus vigor, necnon ejusdem vigoris intima et acutissima, cautissimaque speculatio vel agnitio, in principalium chordarum sita est operatione: et non solum hæc, sed et omnis jam dicta specierum constitutio, et adhuc dicenda modorum differentia, insuper omnes melodiæ principales distinctiones, aliæque proprietates, seu quæcumque materia ex principalis tetrachordi vena conflatur, et, ut ita dixerim, commassatur, tota eisdem principalibus singulorum troporum chordis, quasi malleis quibusdam, formatur: licet enim secundum id, quod dividitur in genus in species, huic, id est, operationi principalium chordarum cæteras tres coæquevas posuerim, ipsas tamen mirabili quodam effectu naturæ præcellit. Nam quemadmodum caritas virtuti una cum reliquis partibus ejus ex divisionis præcepto subjicitur, omnia tamen, de quibus virtus prædicatur, per ipsum complentur: ita principalium chordarum operatio sub genere quidem, quod est musica disciplina, patitur (*partitur*) coæquevas, eamdem tamen quodammodo peragit, disponit et moderatur.

Othl. Ego jam factam specierum omnium constitutionem dispositionemque troporum ita perfectissimam crediderim, ut si quid amplius addatur, superfluum sit, non necessarium, quippe quæ specierum primas chordarum collocavit, secundas inter secundas, tertias inter tertias, quartas inter quartas; et quæ tropos ita naturaliter disposuit, ut protus cum subjugali suo ex utrisque primis speciebus diapason consistat, deuterus ex secundis, tritus ex tertiis, tetrardus ex quartis.

Wilh. Nulla in his, neque in aliis adhuc proferendis absque plane principalium chordarum operatione poterit esse profectio; quam operationem facilius tandem in his, quæ jam constituta vel disposita sunt, plenam sive non plenam intelliges, postquam de ipsis principalibus chordis, quæ sint, et qualiter pro diversis effectibus diversa sortiantur nomina, et quomodo plus in majoribus, in minoribus minus operentur, quod dominus dederit, exposuero,

XI.

Quæ sint principales chordæ; et quæ operationes ipsarum.

Eædem ergo chordæ, quæ in constitutione specierum primæ dicuntur, quia primam speciem includunt; et quæ secundæ, quia secundam; et quæ tertiæ, quia tertiam; et quæ nominantur quartæ, quia quartam determinant, in dispositione troporum principales appellantur: eo quod, licet in cæteris omnibus generaliter maximam, ut præfatus sum, habeant potentiam, in hac tamen specialiter mira et ineffabili dignitate principantur, et in ipsa, utpote spatiis majore, multo plura, quam in constitutione specierum diatessaron vel diapente operantur. Dia-

A tessaron enim vel diapente, quæ singulæ per se tetrachordæ vel pentachordæ sunt, in primis aut secundis, vel tertiis sive quartis chordis incipi tantum et finiri sufficit: diapason vero, unde tropi disponuntur, et quæ singulæ ex utrisque, id est, diatessaron et diapente consistunt, octochordæ sunt; et ideo quasi majores spatio eisdem principalibus chordis non solum initiantur et terminantur, verum etiam in medio sui variis distinguuntur modis. Quatuor namque species diapason, quæ subjugales totidem statuunt medias hujusmodi quærunt distinctiones, ut ipsæ medietate diapente habeant supra, et diatessaron infra. Illæ autem, quæ in authenticos transeunt, ita mediandæ sunt, ut diatessaron superius, et diapente sistant inferius. Et ut

B jam non de speciebus diapason, sed de tropis, qui ex his constant, loquamur, et quemadmodum ipsæ in tropos transferuntur: sic nostra quoque ab ipsis ad eos vertatur collatio.

XII.

Naturalis dispositio troporum separatim in VIII, conjunctim in IV.

Octo troporum singuli unam tantummodo mediam distinctionem habent, juncti vero et naturaliter positi duas. Quod ut enucleatius proferatur, omnes hic pariter ordinentur, et separatim in octo, et conjunctim in quatuor, ut per initia et fines, mediasque distinctiones eorum, plena in eis principalium chordarum, specialisque regiminis dignitas exprimatur. Authenticus protus, qui est a D. in d. mediam distin-

C ctionem habet in a: subjugalis ejus, qui est ab A. in a. mediam distinctionem ponit in D. qui si jungantur, ut indifferenter sit protus, ascendit ab A. in d. duas continens distinctiones medias, id est, D. et a.

Authenticus deuterus, qui est ab E. in e. mediam distinctionem sortitur in ♮. subjugalis ejus, qui est B. in b. mediam distinctionem locat in E. qui si adunentur, ut continuatim sit deuterus, scandit a B. in e. duas recipiens distinctiones medias, id est, E. et b.

Authenticus tritus, qui est ab F. in f. mediam distinctionem elicit in c. subjugalis ejus, qui est a C. in c. mediam distinctionem signat in F. qui si copulentur, ut uniformiter sit tritus, surgit a C. in f.

D duas capiens distinctiones medias, id est F. et c.

Authenticus tetrardus, qui est a G. in g. mediam distinctionem delibat in d. subjugalis ejus, qui est a D. in d. mediam distinctionem notat in G. qui si connectantur, ut naturaliter unus sit tetrardus, attingit a D. in g. duas determinans distinctiones medias, id est G. et d. Hæc autem troporum dispositio, licet distincte pleniterque, ut arbitror, jam peracta sit; ne forte ipsa sui plenitudine aciem intellectus, dum singula penetrare laborat, quovis nubilo perplexionis obtundat; manifestius adhuc tam corporis tam cordis visu figuræ hujus perspicacia subjiciatur. *Vid. fig.* A *infra, in Aribone et Cottone.*

XIII.

A

In qua nimirum figura totam susceptæ a nobis materiæ abyssum, quæ jam in satis latum constitutionis omnium specierum ac dispositionis troporum æquor collationis nostræ ductu diffusa est, velut infra parvissimi laci marginem naturali quodam æstu receptum collectumque mirabere. Habet enim quaternos tramites in vice quatuor naturalium troporum, id est, cum subjugalibus unitorum positos, quorum singuli ejusdem tropi, cujus obtinent vicem, quatuor etiam principalibus chordis post certa diatessaron et diapente, sive diapason spatia inscripti totius jam decursæ narrationis brevissimam et tamen plenissimam apertissimamque recapitulationem continere probantur. Tanta quippe vis, effectusque potentia inest principalibus chordis; B quod et supra memoravi, ut hæc brevis illarum connexio pene omnium, quæ jam tacta vel adhuc tangenda sunt, plenitudinem contineant. In ultimo enim tramite, qui proto prætitulatur, primus omnibus collectis, et ab invicem, ita ut in monochordo, proportionaliter sejunctis, liquido inspicitur, ut A. et D. sicut in constitutione specierum dictum est, primam speciem diatessaron D. et a. primam speciem diapente a. et d. primam iterum speciem diatessaron, et rursum A. et a. primam speciem diapason, itemque D. et d. primam speciem diapason concludant; et ut authenticus protus ex ipsa *prima* specie diapason, quæ est a D. in d. constet, mediam distinctionem faciens in a. et ab eadem a. diatessaron superius, diapente autem habens inferius; et C quomodo subjugalis ejus ex illa prima specie diapason, quæ est ab A. in a. consistat, mediam distinctionem statuens in D. et supra eamdem D. diapente, infra vero diatessaron assumens; et quemadmodum hæ duæ species diapason protum indifferenter conficiant duabus mediis distinctionibus dilatatum, et quam omnino mirando moderamine naturæ omnis primarum chordarum operatio solum protum constituat.

Similiter in secundo tramite, qui deutero præsignatur, secundis omnibus; atque in tertio, qui trito prænotatur, omnibus tertiis; nec non in quarto, qui tetrardo præscribitur, omnibus quartis eadem, qua dixi, spatiorum proportione ordinatis, non tardo hebetantis animi ænigmate, sed momentanea sen- D sibilis obtutus perlustratione, quasi facie ad faciem cognoscitur: quia unaquæque ipsarum principalium chordarum series in illo tropo, cui adscripta est, eamdem quam primæ in proto regendi specialiter operandique habeat potestatem. Quidquid enim A. et D. in proto, hoc B. et E. in deutero, id etiam C. et F. in trito, ipsum quoque D. et G. constituunt in tetrardo. Idem est in cæteris. Et ut hoc similiter corporeo videas intuitu, singulos figuræ nostræ tramites, quos in quatuor naturalium troporum vice positos brevi principalium chordarum descriptione constrinximus, in regularis licentiæ diffusionem relaxemus hoc modo. *Vid. fig.* B, *infra.*

XIV.

Figura Monochordi et explanatio ejus.

Universaliter autem hic notandum est quod omnes authentici a finalibus incipientes ad excellentes ascendunt, et in superioribus distinguuntur: omnes vero subjugales a gravibus inchoantes in superioribus finiuntur, et in finalibus mediantur; sicque finales et superiores utrisque sunt communes, graves autem subjugalibus, excellentes authenticis propriæ sunt; et quod naturales, id est, indifferentes quatuor tropi a gravibus initiantes ad excellentes usque pertingunt, et tam in finalibus quam in superioribus medias distinctiones accipiunt; sic tamen initiis et terminis mediisque distinctionibus omnium ab invicem inæqualiter distantibus, ut hæc in omnibus regnet æqualitas, et quisque suis principalibus chordis, quod et supra memoravimus, et incipiatur, et finiatur et distinguatur, totusque inde constet et regatur, utpote protus *ex omnibus primis: deuterus ex omnibus* secundis, tritus *ex omnibus tertiis, tetrardus* ex omnibus quartis.

Sed et hoc satis notabile videtur, quod ipsius naturæ auctoritas hic manifeste concedit Ptolomæo, consonantiam diapason cum diatessaron ab antiquis philosophis, eo quod et ex superpartiente constat proportione, repudiatam verissima ratione probanti; singuli enim naturalium quatuor troporum licet ex his diapason secundum prædictam specierum coadunationem componantur, secundum planam tamen descriptionis hujus formam simplicemque numerum chordarum ex eadem diapason cum diatessaron tantum existunt consonantia. Igitur in octo discreti singuli habent tres principales chordas, in quatuor autem recontinuati, quatuor; sicque fit, ut duo ab invicem disjuncti, et singulariter inspecti sex principales chordas contineant, conjuncti vero et in unum tropum redacti nonnisi quatuor habeant.

Hoc etiam pene præ omnibus et super omnia hic memorabile est, quia hæc principalium chordarum distributio, quæ fit per initia et fines mediasque distinctiones singulorum octo troporum, illud, cujus in superioribus mentionem habuimus, et quod sæpius retractandum atque ruminandum esse diximus, manifeste declarat: id est, quomodo D. et d. biformes fiant ac duplices. Sane tres modi biformitatis atque duplicitatis eorum patenter hic ostenduntur.

XV.

Unde biformes et duplices sint D. et d.

Primus, quod in ordine sive numero chordarum principalium tetrachordorum et ultimæ sunt gravium ac superiorum, et primæ finalium ac excellentium. Secundus, quod in dispositione troporum eædem uno ac eodem spatio et authenticum protum et subjugalem tetrardum includunt. Tertius, quod in differentia modorum, id est, agnitionem troporum eædem et primum modum instituunt et quartum: qui tertius duplicitatis modus interim tibi

erit cæteris duobus obscurior, donec de modis vocum tractare cœperimus. Pro his ergo tribus modis supremo Largitori eo majores a nobis referendæ sunt grates, quo hucusque incogniti omnibus antiquis et modernis latuerunt, latentesque maxima eis errandi causa fuerunt. Nam etsi generaliter ex ignorantia illa quatuor rerum, in quibus artis musicæ summa consistit, diversis locis, ut prædictum est, deviaverint; in hoc tamen loco, id est, in ipsarum D. et d. biformitate agnoscenda speciali quadam cæcitate percussi, et quasi unanimi offensione repulsi, omnes adducti sunt in errorem. Interius igitur mirabilem ipsarum D. et d. naturam speculantes, secundum id, quod in quolibet biformitatis et duplicitatis suæ modo faciunt utraque unum, non inconvenienter eas lapides angulares diximus: secundum id vero, quod omnes musici graviter in eis offenderunt, non immerito lapides offensionis et scandali petras nominamus; quod ut indubitanter probemus, quam fortiter in his maximus antiquorum Boetius, ac modernorum potissimi Otto et Guido offenderint, in memoriam reducamus.

XVI.

Qualiter Boetius et cæteri musici in D. et d. erraverint, et quod duplex A. necessario assumatur.

Boetius in dispositione octo figuraliter descripta, ubi tropos primis eorum nominibus, protum authenticum dorium, deuterum phrygium, tertium lydium, tetrardum mixolydium, subjugales hypodorium, hypophrygium, hypolidium, hypomixolydium vocans in tantum deviavit, ut cum subjugales inde dicantur, quod subjugati et subditi sive suppositi sint authenticis, ipsi subjugalem tetrardi, quem nos octavum dicimus, authentico suo mixolydio superposuerit, unde et hypermixolydium eum nominavit: ubi, ne dicam, quam incongruum, sed quam prorsus nullum, id est, subjugalis habeat locum, ipsius naturæ docet auctoritas, quæ unicuique tropo, ut sufficienter jam diximus, talem locum tribuit, ut in suis principalibus chordis et initium et finem et mediam distinctionem accipiat, et quæ tropicam lispositionem quatuor principalium tetrachordorum erminum, qui est in excellenti g. vetat transcenlere: unde D. et d. tam in numero quam effectu hordarum duplices biformesque statuens, tropicam lispositionem totam infra quatuordecim chordas, d est, septem discrimina his posita peragit; sicque cutam a. quasi superfluam remanere patitur, in uam subjugalis ille secundum Boetium finitur. uare secundum Boetium, et non secundum Ptoloıæum, vel secundum omnes antiquissimos Musirum dicamus? Quod enim eadem tropicæ dispotionis figura suis temporibus ab antiquis derivata t Musicis, et quod Ptolomæus eorum nobilissimus ımdem in supremo addiderit subjugalem, ipse in usica sua meminit, post peractam troporum dispoionem ita dicens: Quorum non ut intelligentiæ lum ratio comprehendatur, verum oculis quoque

A forma possit agnosci, ab antiquis tradita musicis descriptio supponenda est. »Et post hæc quibusdam interpositis: « atque hic est, inquit, octavus modus, quam Ptolomeus superannexuit. » Causam quoque hujus annexionis aperuit, scilicet quod antiquis non nisi septem modos quemadmodum et septem species diapason secundum septem discrimina vocum recipientibus, eorumdem modorum dispositione ab eis in proslambanomenos, quod est A. incepta, et usuali tonorum aut semitoniorum intensione in paranete hyperboleon, quod est g. gradatim perducta ibique finita, quoniam hæc tropica dispositio ex simplicibus quatuordecim chordis consistit, et adhuc de bis diapason suprema chorda nete hyperboleon, quæ est $\overset{a}{a}$ defuit, ut bis diapason totum in hoc ordine

B insumeretur, octavus modus in Ptolomæo adjectus et inter a, et $\overset{a}{a}$ locatus est. In qua sententia id sentire videntur antiqui, tropos propter hoc augendos esse, ne in eorum dispositione de summa chordarum quid supersit; cum nos vere sentiamus, magis chordos propterea etiam superabundantes ponendas esse, ne solum de naturali dispositione, sed et de regulari diffusione licentiaque troporum, in quibus tota vis harmoniæ sita est, quid desit. Dicimus enim, quod et certissimis Gregoriani cantus exemplis probamus, quoniam omnes tropi supra et infra naturales diapason sui terminos aliquando in sonum vicinum, aliquando in tertium licenter se diffundunt, quæ licentia, ut omnibus æqualiter attribuatur, a. acuta omnino est necessaria. Ex hoc

C etiam eadem a. nullatenus de summa chordarum perire poterit, quia quadrupla, quæ mensurandi monochordi est initium, primum in eum spatium terminat. Quam penitus etiam inde sit inevitabilis, quod in generali structura monochordi nihil proportionale sine ipsa potest regulari ordine inveniri, vel simplicium nullus ignorat. Hac igitur triplici ratione nete hyperboleon adstruitur, nec idcirco aboletur, si superflua videatur in naturali troporum dispositione, utpote quam absque hac pleniter ex bis diapason, id est, sexdecim chordis infra spatium quatuordecim chordarum existere, jam, ut arbitror, manifestum est.

XVII.

D *Qualiter moderni erraverint in eisdem chordis.*

Hactenus de offensionis loco secundum veteres. Jam videamus de ipso secundum illos, quos proposuimus modernos, et hoc eo districtius, qua latius de antiquorum scandalo planæ intelligentiæ causa tractavimus. Otto in enchiriade sua satis declarat, quia solus eumdem communis offendiculi locum naturalis ingenii sublimitate deprehenderat; sed dum nimis cautus et quasi cæteris circumspectior circa illum extitit, cæteris gravius in ipsum offendit. Solus enim biformes duplicesque D. et d. intellexit, et dum hoc distincte aperteque omnibus intelligendum proferre studuit, modum in distinguendo excessit. Cum enim D una eademque ultima sit gravium et prima finalium, et cum eademque prima sit

et quarta, ipse in descriptione sua, ubi de tropis et principalibus chordis cujusque tropi subtilissima et veritati satis propinqua ratione loquitur, vitandæ, ut credo, perplexionis causa, noluit eamdem in uno et eodem loco primam et quartam dicere : sed ut eo manifestius duplicem esse designaret, proprio quidem loco ac ordine, id est, quartam nominat, et tono interjecto quinto in loco primam pronuntiat, et sic ex una D. naturaliter utraque unum faciente, contra naturam quodammodo duas facit. Idem de d. dictum puta.

Et ut ipsius offensionem cum antiquorum scandalo comparemus, quod natura duplicat, ut secundum proprietatem rei verbum fingamus, illi simplicant; et e contra quod natura jungendo et coadunando simplicat, iste separando et dividendo duplicat. Illi enim tantummodo septem vocum discrimina intendentes, omnesque chordas monochordi simplices esse credentes, ex his non nisi septem statuere modos, octavum secundum prædictam D. et d. duplicitatem inter ipsos latitantem non videntes. utpote ipsam earum duplicitatem, qualiter eædem primæ sint et quartæ, minus intelligentes Nam cum principalia tetrachorda naturaliter ita distincta sint, ut singula ex singulis quaternis principalium chordarum ordinibus, quæ troporum constitutivæ sunt, unam contineant, id est primam ex primis, primam ex secundis, primam ex tertiis, primam ex quartis, et cum tetrachorda gravium et finalium in D. concurrant, ita ut eadem et quarta sit gravium et prima finalium, eodemque modo tetrachorda superiorum et excellentium in d. conterminent, ita ut eadem et quarta sit superiorum et prima excellentium : illi hanc earum biformitatem, ut sæpe jam diximus, ignorantes, utramque primam prædicant, et quartam esse reticent; et sic tetrachordis gravium ac superiorum quartam suam subtrahentes naturalem eorum in principalibus chordis perfectionem quodammodo evacuant et mutilant. Iste autem e contra et biformitatem sive duplicitatem D. et d. et naturalem tetrachordorum perfectionem, id est, quaternariam eorum in principalium chordarum habitudine soliditatem acutissima intellectus acie præ omnibus penetrans, ipsamque omnibus, ut præfati sumus, declarare desiderans, unicuique tetrachordo primam, secundam. tertiam et quartam suam, initium quoque ac finem suum in singulis nervis pleniter distincteque tribuere voluit, et hac intentione naturalem coadunationem conjunctionemque primæ ac quartæ in D. et d. non satis cauta nec bene provisa interpositione toni disjecit, sicque totius monochordi structuram regulari ejus ordine disturbato destruxit; et tam eam quæ est secundum antiquos atque modernos, quam eam quæ est secundum naturæ ipsius auctoritatem, harmoniæ speculationem omnem confundit. Ut enim ibi quærentibus manifestum est, nulla vel usualis vel naturalis in ejus descriptione invenitur constitutio specierum, nulla dispositio troporum, nulla principalium plena chordarum operatio, nullus in agnitione modorum consequens ordo : quippe ubi nulla ipsius descriptionis chorda in octava eadem esse reperitur, quod tamen quia oporteat et unanimi omnium assertione et insuperabili naturæ veritate comprobatur. Hæc de venerabilis viri Ottonis offensione dicta sufficiant, cui si diutius promisso immorati sumus, propter vix solubilem et eluctabilem nodositatis ejus difficultatem veniabile putamus.

Othl. Nihil hic præter utile ac necessarium dixisse argueris : nam quod repetisti quædam superius dicta, sed ad hæc ita prorsus pertinentia, ut sine ipsorum illustratione nullo modo pelleretur obscuritatis nebula, (nec) superfluum neque absurdum est. Non enim absque re sæpius repetitur, quod adeo semper sciendum est, ut si semel nesciatur, perpetilis multarum ex hoc procedentium rerum scientia evacuetur : unde securior de venia, quam si aliquid eorum, quæ modo dicta sunt, non dixisses, perge quæso, et qualiter Guido etiam in hunc offensionis locum incideret, expone.

XVIII.

Quod domnus Guido antiquorum errorem cognoscens non correxit.

Wilh. Guido ibidem graviter impingens antiquorum devia primo quidem secutus est ; sed in processu quasi sub lucido quodam ingenii splendore tactus, quia seducti essent quos insequebatur, ex parte recognovit, sicque substitit, ut nec post illos pererraret, nec errata reflexo itinere dirigeret. Asserens enim in Musica sua, quod octo modi verius in natura sint quatuor, et quod ab unoque ipsorum quatuor duo contineantur, id est, a proto primus et secundus, a deutero tertius et quartus, a trito quintus et sextus, a tetrardo septimus et octavus, et hoc figuraliter volens exprimere, omnes principales chordas uno ponit in ordine, et singulis proprium tropum cum subjugali suo attitulat, scilicet singulis primis primum cum secundo, singulis secundis tertium cum quarto, singulis tertiis quintum cum sexto, singulis quartis septimum cum octavo, hoc modo describens.

I.	III.	V.	I.	III.	V.	VII.	I.	III.	V.	I.	III.	V.	VII.	I.
A.	B. (152)	C.	D.	E.	F.	G.	a.	♮	c.	d.	e.	f.	g.	$\frac{a}{a}$.
II.	IIII.	VI.	II.	IIII.	VI.	VIII.	II.	IIII.	VI.	II.	IIII.	VI.	VIII.	II.

(152) Hic et alias apud veteres B. durum accipitur seu quadratum, quod recentiores per H. exprimunt, ut in scala superiori ♮.

In hac igitur descriptione quantum ad id, quod tetrachordis gravium et superiorum quartam suam ademit, et quod duplicitatem D. et d. non intellexit. Si enim intellexisset, utrimque primum cum secundo, et septimum cum octavo pariter annotasset hoc modo :

VII.	I.	VII.	I.
D.		d.	
VIII.	II.	VIII.	II.

Et quod cæteris omnibus troppis indifferentibus quatuor principales chordas tribuens, soli tetrardo nonnisi duas concedit, antiquorum devia secutus est. Quantum ad id vero, quod in eadem descriptione septem vocum discrimina secundum antiquissimos adeo non intendit, quin octavum modum recipiat, et quod eum recipiens inter A. et a. secundum Ptolomæum autentico suo superiorem non ponit, ipsos, post quos abierat, seductos esse sentiens quodammodo substitit, nec omnia seductionis eorum vestigia pererrando collegit. Rursus quantum ad id, quod eidem octavo modo inter G. et g. id est, in spatio authentici sui, et non potius inter D. et d. sedem largitur, errata non direxisse cognoscitur. Idem etiam alias bis in ipso communi offendit scandalo, quod quia de modis vocum sive agnitione troporum loquens fecisse deprehenditur. Post illa quæ nobis Dominus inde loqui concesserit, consequentius et ad intelligendum facilius dicetur.

Othl. Quæcunque a te dicta sunt, cum ex lucidissimo narrationis ordine, tum ex manifestissimo figuræ tuæ judicio mihi pervidere videar, præter hoc solum, utrum omnes totius monochordalis descriptionis chordæ sint principales, an quædam, et si omnes, quod verius videtur, utrum simul, an vicissim principales fiant.

XIX.

Quod omnes chordæ, cum sint principales, quomodo sibi invicem principentur, et iterum sibi invicem subjiciantur.

Wilh. Si universalis monochordi structura in tetrachorda secundum mensuræ modum, ut in capite hujus collationis tractavimus, distincta fuerit, pene nulla chordarum principalis esse poterit. Si vero in principalia tetrachorda naturaliter dividatur, omnes erunt principales, exceptis Γ et $^{a}_{a}$ quæ principalium tetrachordum terminos excedunt ; aliæ, inquam, omnes sunt principales, nec tamen simul, sed mutua sorte. Si cujus enim tropi melos assumitur, quamdiu ipsum cantatur, principales ejus chordæ in toto monochordo jus et regimen atque ducatum sibi vendicantes cæteris omnibus quasi caritative servituti subjectis unanimiter principantur : quod idem de modis vocum tractantes planius explanemus.

Othl. Quanto plura in hunc tractatum dilata sunt, tanto minus ipsi aliquid volo interponas ; sed potius non incompetenti, ut mihi videtur, ordine incipias.

Wilh. Consequentem, fateor, observasti ordinem, dicet ut postquam ex illis quatuor rebus, in qua- A rum notitia summa musicæ artis consistit, tres explanavimus, quartam, id est modos vocum subjungere debeamus. In qua, sicut in omnibus, quia charitati tuæ obsecundari libet, primum quid sint modi vocum, et quare verius agnitiones troporum dicantur, exponamus, ut eo facilius intellecta capiantur, quæcunque de ipsis dixerimus.

XX.

De quatuor modis vocum.

Modi vocum sunt proprietates specierum cantilenæ, id est, troporum. Ipsi enim quatuor tropi, quos naturales et indifferentes dicimus, quatuor sunt species cantilenæ, tanta neumarum disparitate ab invicem diversæ, ut sicut venerabilis Guido testatur, nulla earum alteri in sua sede locum tribuat, B neumamque alterius aut nunquam recipiat aut receptam transformet. Quatuor ergo troporum singuli, quos abusive tonos vocamus, proprias habent neumarum qualitates, ex quibus mox in initio vel etiam in medio cujusque cantus a musicis agnoscitur, cujus tropi sit, quod cantatur. Quæ neumarum diversæ qualitates a memorando Guidone, qui solus de his loquitur, modi vocum nominantur, quos nos propter jam dictam rationem verius agnitiones troporum vocandas esse arbitramur : sed pro debita præcedentium Patrum veneratione usuale nomen retinentes, de modis ipsis vocum, quæ ubi vult spirans spiritus inspiraverit, tali si possumus tractatu exsequamur, qualem tu in hujus dialogi principio postulasti ; C scilicet ut, si quid de his venerandus Guido minus dixerit, adjiciatur ; si quid obscurum, exponatur ; si quid non caute, non in ostentationis temeritate sed in caritatis obedientia humiliter corrigatur.

Igitur secundum numerum quatuor naturalium troporum quatuor modi vocum sunt, ex quibus singulis eorumdem troporum singuli, ut dictum est, agnoscuntur, quos dominus Guido sic exponit. Primus modus vocum est, cum vox tono deponitur, et tono semitonio et duobus tonis intenditur, ut A. et D. Secundus modus est, cum vox duobus tonis remissa, semitonio et duobus tonis intenditur, ut B. et E. Tertius modus est, qui semitonio et duobus tonis descendit, duobus vero tonis ascendit, ut C et F. Quartus vero deponitur tono, surgit autem D per duos tonos et semitonium, ut (D. et) G. Post hæc subjungens ait : et nota, quod se per ordinem sequuntur ; primus in A. secundus in B. tertius in C. itemque primus in D. secundus in E. tertius in F. quartus in G.

Qui primitus musicam artem invenerunt, vel post compositas chordas diverso modo inventas ea usi sunt, principium monochordi in hypate hypaton, quæ inde quoque principalis principalium interpretatur, statuentes, quatuordecim tantum chordas in conficiendis cantilenis habuerunt : postea Ptolomæus rex Ægypti vocem proslambanomenos A. id est adquisitam aut potius prosmelodon, id est aptum melo in principio apposuit. Hæ sunt quindecim regulares chordæ monochordi, quorum nomina et in-

terpretationes nunc singillatim dicere præterivi, A quia multos hæc scripsisse inveni. Moderni vero adhuc in principio sonum unum et grave synemmenon B. propter quasdam, quas postmodum dicemus, utilitates adjecerunt.

In hoc differunt quatuor principalia tetrachorda, quæ fiunt secundum melodiæ modum, vel secundum institutionem troporum, ab illis quatuor, quæ secundum mensuræ modum conficiuntur; quia illa habent semitonium in medio, ista in ultimo; illa junguntur in D. gravi et d. acuta, ista in e. et E; in illis superest tonus in utraque diapason superius, in istis inferius.

Initia autem troporum ibi esse noscuntur, ubi differentiæ eorum, id est *sæculorum amen*, inchoantur; quivis enim authenticorum supra finalem suum in B quinto loco, id est, in propria specie diapente incipit præter solum deuterum, qui propter imperfectionem semitonii, imo propter metam et sedem troporum se transfert ab secunda sui principali chorda in c. protus namque in messe incipit, deuterus in C. ut dictum est, per transmutationem, in qua tritus per naturam orditur, tetrardus vero d. inchoatur. Plaga autem non supra finalem in diapente, ut magistri, sed aliquantulum inferius, ubilibet illis convenit; initium habent; sicut plaga proti in F. plage deuteri vel triti simul in messe, plaga tetrardi in c. initiantur. Primus ergo tonus vel quartus vel sextus in mese, solus secundus in F. tertius quintus et octavus in C. solus septimus in d. initium habent. Unusquisque autem tropus in propria finali chorda una- C cum plaga sua finitur, utpote protus in D. deuterus in E. tritus in F. tetrardus in G. unde et istud tetrachordum finalium dicitur. Differentiæ in tropis bifariam fiunt, primo quia in naturali diversitate ab invicem differunt in structura, in consonantiis, in speciebus, in principalibus chordis, in distinctionibus, in modis vocum, in initiis et finibus suis, et quia alter alteri locum in sua sede non tribuit, et alter alterius neumam aut transformat aut nunquam recipit, aliaque perplura hujusmodi. Secundo quia cantus singulorum troporum non unum semper idemque habet initium; sed qui in finali cujuslibet illorum chorda incipit, primæ differentiæ locum obtinet; qui vero infra finalem in vicino vel tertio sono orditur, secundæ vel tertiæ differentiæ nomen habet. D Supra finalem autem in tertia quarta vel quinta voce, quartæ quintæ et sextæ differentiæ patebit.

XXI.

Quod sint intervalla vocum.

Intervalla vocum, quibus omnis cantus digeritur, domnus Guido sex tantum esse testatur: id est, semitonium, tonum, ditonum, diatessaron, diapente, a principio quidem unisonantiam, a fine autem diapente cum semitonio et diapente cum tono abscidens, dicensque, non debere eas cum cæteris annotari, quasi quæ numquam in regulari cantu valeant approbari. Nos vero non solum hæc novem intervalla, sed et diapente cum semitonio, id est bis diatessaron, interdum etiam ipsum diapason in Gregoriano cantu reperimus: ideoque, si quod de his intervallum abjicere debeamus, nescimus.

Quia ergo domnus Berno novem consonantias exemplis elucidavit, nos ab eo prætermissas exequemur. Unisonantia est, ubi vox non variatur, sed multæ neumæ crebris iterationibus in uno sono continuatur, ut in exordio hujus antiphonæ probatur: Ant. *Ecce veniet desideratus*, itemque in hac ant. idipsum lucidissime patet: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Diapente cum semitonio est, cum vox quatuor tonis et duobus semitoniis intenditur vel remittitur, ut in illo ℣ *da mihi intellectum.* quivis probare poterit, qui illum post finem prioris per istud intervallum recte inceperit: in versu autem *Domine Deus tu cognovisti*, in depositione ultimæ neumæ *justitiam meam*, et in elevatione primæ *non abscondi*, diapason intervallum esse dignoscitur. Oportet ergo has consonantias rite animo atque auribus esse notas; frustra enim hæc arte atque scientia colliguntur nisi fuerint usu atque exercitatione notissima.

XXII.

De consonantiis.

Sex sunt consonantiæ, tres simplices et tres compositæ. Simplices sunt diatessaron, diapente, diapason; compositæ diapason cum diatessaron, diapason cum diapente, bis diapason.

XXIII.

Unde constent intervalla.

Diatessaron constat ex duobus tonis et semitonio, diapente ex tribus tonis et semitonio; diapason ex quinque tonis et duobus semitoniis.

XXIV.

Quot sint species earumdem consonatiarum.

Diatessaron tres species habet, diapente quatuor, diapason septem. Prima species diatessaron habet semitonium in medio, ut ab A. in D. Secunda in primo, ut a B. in E. Tertia in ultimo loco, ut a C. in F. Prima species diapente habet semitonium post tonum, postea ditonum, ut a D. in a. Secunda in primo semitonium, postea tritonum, ut ab E. in ♮ Tertia in ultimo post tritonum, ut ab F. in c. Quarta post ditonum semitonium, dehinc totum, ut ab G in d.

Ordo specierum diapason secundum positionem litterarum in monochordo habitus est, id est, prima species ab A in a. secunda a B in b. tertia a C. in c et sic cæteræ.

Exempla intervallorum vel consonantiarum in versibus illustrissimi viri Hermanni patebunt:

Ter tria junctorum sunt intervalla sonorum.

Id est, qualem neumam sonat semitonium, tonus, semiditonus, ditonus, diatessaron, diapente, diapente cum semitonio, diapente cum tono.

XXV.

Quibus proportionibus constent intervalla.

Diatessaron constat ex sesquitertia proportione, diapente ex sesquialtera, diapason ex dupla. tonus

sesquioctava, semitonii partes apotomæ dicuntur.

XXVI.

In quot chordas ascendat vel descendat quisque troporum.

Quilibet autenticus tropus a finali suo in decimam chordam licenter, et non ulterius, præter tetrardum, qui nonnisi in nonum phthongum, ascendit; infra finalem vero autentus quisque in vicinum vel tertium, numquam in quartum, descendit, nisi sit communis cantus, qui est tropus indifferens. Plagæ vero a finali ultra diapente in sextam, raro vero in septimam vocem scandunt; infra finalem autem ad diatessaron sæpe tonum assumunt.

XXVII.

Cujus tropi sint quælibet chordæ.

Singulorum tetrachordorum primæ principales chordæ sunt proti et ejus plagæ, scilicet A. D. a. d. deuteri secundæ B. E. ♮ e. triti tertiæ C. F. c. f. tetrardi quartæ, D. G. d. g. quilibet igitur illorum unam habet in gravibus, unam in finalibus; unam in superioribus, unam in excellentibus.

Primo quia troporum unusquisque secundum naturæ suæ proprietatem in principalibus chordis suis æqualiter intenditur et remittitur, ut in proto, omnes primæ, id est A. D. a. d. tono remittuntur, et prima specie diapente intenduntur. Similiter deuterus in omnibus principalibus suis nervis, id est in secundis scilicet B. E. ♮ e. ditono deponitur, et secunda diatessaron specie intenditur. Tritus in omnibus tertiis, id est in C. F. c. f. ditono intenditur, et tertia specie diatessaron deponitur. Tetrardus in omnibus quartis, id est in D. G. d. g. tono intenditur, et quarta diapente specie deponitur. Secundo quod in singulorum troporum prima principali gravissimus descensus, in secunda melodiæ exitus, in tertia principium differentiarum, in quarta summus ascensus. Tertio quod in eisdem chordis troporum neumæ distinguuntur et producuntur. Quarto quod secundæ et quartæ principales chordæ concludunt autenticos, primæ vero et tertiæ subjugales.

XXVIII.

De sedibus troporum.

Sedes vel metæ troporum octo, legitimæ autem nonnisi in quatuor locis esse noscuntur, id est in C. in G. in a. in c. Videamus igitur, quot metæ vel intervalla metarum in monochordo fieri possint, et cur in præfatis locis magis legitimæ esse dicantur, quam in aliis, sicut superius dictum est. Secundum melodiæ modum vel institutionem troporum quatuor tetrachorda in monochordo firmantur, id est gravium A. B. C. D. finalium D. E. F. G. superiorum a. b. c. d. excellentium d. e. f. g. cujuscunque horum tetrachordorum tonum ex utraque parte addideris, oritur tibi aliqua meta troporum, utpote a gravibus prima meta est a Γ. in E; a finalibus secunda a C. in a: a superioribus tertia a G. in e: ab excellentibus quarta a c. in $\overset{a}{a}$. quinta per synemmenon nasci poterit ab F. in d. Prima igitur meta A ab Γ. in E. quia regulari tono orditur, et minus perfecte in semitonio terminatur, nullam tropi sedem ex illa percipiunt, ideoque legitima non est. Secunda et a gegulari tono incipit et in regulari tono, id est mese finitur, ideoque nobilissima et perfecta est, et in initio ejus et fine tropi quasi in quibusdam sedibus requiescunt. Tertia a regulari tono quidem, id est in G. incipit, sed minus perfectæ in semitonio, id est in e. desinit, ideoque legitima est in initio suo, finis vero non recipitur. Quarta a regulari tono, id est in c. incipiens ideo non perfecta est, quia terminatur in $\overset{a}{a}$, sed quia synemmenon in monochordo sedes troporum esse non poterit, quinta in medio posita propter minus regulare synemmenon penitus non recipitur. Vides igitur, legitimas B troporum sedes in illis locis esse, in quibus dictum est.

XXIX.

In quibus tetrachordis uniuscujusque tropi principales chordæ constent.

Prima principalis chorda est in quolibet tropo finalium, secunda superiorum, tertia excellentium, quarta gravium, utputa proti D. d. et propterea gravissima est ultima, quia autenticus prius per has chordas debet construi, quam plaga ejus; quæ sicut autenticus sursum, sic ipsa debet construi deorsum. Separemus autenticum protum a plaga sua: hic incipit in D. et finitur in d. et habet has principales tres chordas D. a. d. sursum: subjugalis vero incipiens in A. et finiens in a. habet et ipsa C has tres a. B. A. deorsum, quæ simul junctæ sex fiunt. Similiter de cæteris facias.

XXX.

Quot chordæ communes sint autenticis et plagis, et quæ propriæ.

Autentici duas communes cum subjugalibus in finalibus, et in superioribus principales chordas habent, et propriam unam in excellentibus: plagæ vero unam habent propriam in gravibus, et duas itidem communes cum autenticis suis, in finalibus videlicet et in superioribus, sicut protus a D. in d. conscendens primam et mediam habet communes cum plaga, tertiam habet propriam. Plaga vero ab A. in a. tendens primam A. habet propriam, secun-D dam D. et tertiam a. cum autentico communes. Hinc est, quod superius dictum est, quia quæ simplices sunt, simplicem tropum et modum vocum percipiunt, quæ duplæ duplicem; quia duæ mediæ autenticum et plagam communiter concludunt, prima vero A. simplicem plagam, quarta a. simplicem autenticum determinat.

XXXI.

Quæ chordæ autenticos, quæ plagam includant.

Secunda igitur et quarta principalium chordarum concludunt autenticum, tertiaque media est; prima, et tertia plagam, et secunda media est; utpote protum D. et d. concludunt, cujus media distinctio est a. plagam ejus A. et a. concludunt, media est D.

XXXII.

De octo tropis.

Octo modi troporum sunt, cum separatim ostenditur, qualem symphoniam singuli octo troporum proprias neumas conficiant.

XXXIII.

De circulis troporum.

Circuli troporum sunt, cum cantus singulorum in regulari suo cursu ductus, et reductus ad finalem suum sæpius recurrit.

XXXIV.

Quomodo Tropi sunt similes.

In hoc pene consimiles habentur, quod autenticus tetrardus et subjugalis ejus per eamdem speciem diatessaron melodiam suam componunt; in hoc vero valde dissimiles, quod in naturalibus vocum B suarum modis longe diversas distinctiones faciunt. Sicut enim primæ speciei diatessaron si addideris tonum superius, oritur prima species diapente, quæ est proti, vel si conversim eidem primæ speciei diatessaron addideris tonum inferius, oritur quarta *(tertia)* species diapente, quæ est tetrardi. Sic mirum in modum contrario ordine naturalium vocum suarum primæ speciei diatessaron si addideris tonum ex utroque latere, inferior tonus remissus primum modum vocum proti per propriam speciem diapente intendi, tonoque facit remitti superior autem tonus intensus quartum modum vocum, quæ est tetrardi tono surgere et propria specie, id est quarta diapente deponi cogit. Cuicumque enim speciei diatessaron totum addideris supra vel infra, C oritur tibi species proti vel tetrardi. Quamcumque speciem diapente proti vel tetrardi, siquidem ibi aliqua species fieri potest, quod deuterus ac tritus in modis vocum habent in diatessaron, hoc protus et tetrardus habent in diatessaron, hoc protus et tetrardus habent in diapente, hi in intendendo, illi in remittendo.

XXXV.

De refragatione troporum.

Refragatio deuteri vel triti primo fit in modis vocum, quia quod protus et tetrardus habent in diapente, isti habent in diatessaron. Secundo, quod bifariam per diapente et diatessaron constitui non possunt in diapason, quemadmodum cæteri, deuterus in plago, tritus in autentico. Tertio, quod deuterus principalem sui chordam propter sedes troporum infra ac supra rarissime contingit. D

XXXVI.

Qualiter tres subjugales species diapente infra finalem habeant.

Quod subjugales tres magis vi quam potentia naturæ propriam speciem diapente intra finalem expetunt, inde fit, quod inferius synemmenon a modernis inventum, minus regulare, ideoque minus est naturale. Primus subjugalis per D. C. B. A. Γ. *per* propriam speciem diapente descendit. Secundus per E. D. C. B. A. *per* suum diapente remittitur. Tertius vero per F. E. D. C. B. *per* propriam speciem (diapente) deponitur. Quartus autem subjugalis synemmenon non contingens naturale a G. in C infra finalem habet diapente, videtur aliquibus musicis in superiore cantu regulariter composito non opus esse: minime considerantes, quam per necessariæ sint utilitates etiam in inferiore, non dico ad dulcis cantilenæ ornatum, verum etiam ad omnium plagarum naturales, inevitabilesque dispositiones, quæ magis vi quam potentia naturæ infra finalem suum non solum diapente, sed et propriam speciem diapente expetunt, excepto subjugali quarto.

XXXVII.

Quod per elevationem et depositionem varie construantur tropi.

Diapason proti a D. in a. diapente, ab a. in d. diatessaron; e converso a d. in G. diapente. a G. in D. diatessaron bifarium construunt: idem quoque facere poteris de diapason, plagæ ejus, et de diapason authentici deuteri. Diapason vero subjugalis deuteri a B. in b. per diapente (et) diatessaron secunda vice construi non potest propter duo semitonia duntaxat B. F. infra quæ tritonus non habetur, quia diapente semitonio uno et tribus tonis conficitur. Similiter authenticius tritus in suo diapason bifariam per diapente et diatessaron non construitur, quia infra duo semitonia tritonus deest. Si autem semel dixeris a F. in c. diapente, et a c. in f. diatessaron, quomodo hoc conversim secunda vice facias non habes. Plaga vero ejus et authenticus tetrardus cum plaga sua semel per intentionem, secundo per remissionem, sicut protus et plaga sua bifariam construuntur.

Quatuor principales chordæ proti A. D. a. d. quia æqualiter omnes tono remittuntur, et prima specie diapente intenduntur, primi modi qualitatem reddunt. Principales chordæ deuteri B. E ♮. e. ditono remissæ, et secunda specie diatessaron intensæ secundi modi differentiam pandunt. Principales chordæ triti C. F. c. f. tertia specie diatessaron remissæ et ditono æqualiter intensæ tertii modi qualitatem aperiunt. Principales chordæ tetrardi D. G. d. g. tono omnes intensæ et quarta specie diapente remissæ quarti modi differentiam pandunt.

Ecce diversas quatuor modorum qualitates quatuor principales chordæ troporum apertissime manifestant. Ideo autem hæ diversitates in septem discriminibus fieri dicuntur, quia in monochordo septenæ voces in acutis, id est, a mese usque ad finem non aliæ sunt, sed eædem, quæ in gravibus; unde singuli troporum quascumque principales chordas habent in gravibus easdem habent in acutis; sicut protus in gravibus A. et D. et similiter in acutis a. et d. principales chordas habet. Sic et de cæteris.

XXXVIII.

De modis vocum.

Primus modus vocum fit, ubicumque vox tono poterit remitti, et prima specie diapente intendi, ut in A. D. a. d. principalibus chordis proti potest

agnosci, ideoque idem modus proto indifferenter aptatur, quemadmodum hæc autentica antiphona probat : *Prophetæ prædicaverunt*. Secundum modum vox ditono remissa, et secundo specie diatessaron intensa pandit, qui fit in B. E. ♮ e. principalibus chordis deuteri, cui et idem modus attitulatur, hunc plagalis hæc antiphona pandit : *Gloria hæc est*. Tertius modus tertia specie diatessaron remittitur, et ditono intenditur, sicut triti principales chordæ C. F. c. f. declarant, cujus et idem modus est; hujusmodi indicium est in hac plagali antiphona : *Modicum, et non videbitis*. Quartum modum vocum tono intensum et quarta specie diapente remissum tetrachordo aptamus, quia ipsius principales chordæ D. G. d. g. illum conficiunt, qui modus hoc speciale inter cæteros obtinet, quod non solum hac authentica antiph. *Si vere fratres*, sed et hac plagali antiphona : *Multi veniunt*, potest dignosci; primo, quia cum omnes chordæ infra statutum terminum quindecim chordarum suorum octavam repetant, b. quoque molle suum repetit B. secundo, quia unusquisque tropus sine inferiori synemmenon propriam speciem diapente infra finalem suum non potest habere, præter tetrardum.

XXXIX.

Quomodo proportionibus quatuor consonantiæ constent.

Diatessaron constat ex sesquitertia proportione, sicut est quatuor ad tria, ubi major numerus habet in se minorem numerum totum et insuper ejus tertiam partem, id est unitatem, qui simul juncti fiunt septem : per septem igitur monochordum metiens habebis in medio ex utraque parte certissimam diatessaron consonantiam. Diapente constat ex sesquialtera proportione, sicut est tria ad duo, ubi major numerus minorem habet in se, et ejus alteram partem, quod simul conjungens habebis quinque : per quinque enim monochordum metiens diapente consonantiam reperies. Diapason constat ex dupla proportione, sicut quatuor ad duo; quos si junxeris, fiunt sex ; per sex igitur diapason consonantiam debes metiri. Diapason cum diatessaron constat ex dupla superbipartiente, sicut est octo ad tria, habent enim octo in se ternarium bis, et hinc vocatur duplus, et binas tertias, qui juncti faciunt XI : per XI igitur consonantiam illam debes metiri. Diapason cum diapente constat ex tripla, sicut est tria ad unum, qui simul juncti fiunt quatuor ; per quatuor igitur debes eamdem consonantiam mensurare. Bisdiapason constat ex quadrupla proportione, sicut est quatuor ad unum : hi ergo juncti faciunt quinque ; per quinque ergo debes eam consonantiam mentiri.

XL.

De mensura monochordi.

Figuram nostram, cui theorema troporum vel librum monochordi non inconveniens, ut arbitramur, nomen damus, quisquis celeriter et continuam construere velis, spatio secundum altitudinem monochordi litteris congruis in primis concesso, reli- A quum in quatuor æque divide intervalla. Horum singula singulis deputentur tropis, ipsorumque propriis inscribantur nominibus; infimum namque intervallum tibimet contiguum nominetur protus, huic vicinum deuterus, penultimum tritus, supremum tetrardus, et non solum tetrardi, sed etiam dispositionem regularis continet monochordi. Nomina vero singulis intervallis inscribenda primæ sint syllabæ singulorum quatuor troporum PR. DE. TR. TE. Hæc autem monogrammata ita tenaci memoriæ debes commendare, ut cum aliquid nominaveris, statim cujus tropi sit istud intervallum intelligas.

Positis itaque, ut diximus, quinque intervallis linearum ductu distinctis, in ultima utrimque linea B secundum mensuram Guidonis puncta e diverso ponantur; ad quæ citius invenienda ipsius domini Guidonis placet ut celeriori mensura utaris, quam et hic subscribere non piguit, ut eam habeat in promotu, qui prius non habuit in usu. Cum primum a Γ. usque ad finem novem passus id est particulas facias, primus passus terminabit in A. secundus vacat, tertius in D. quartus vacat, quintus in a. sextus in d. septimus in $^{a}_{a}$. reliqui vacant. Item dum ab A. ad finem novenis partiris, primus passus terminabit in B. secundus vacat, tertius in E. quartus vacat, quintus in ♮ sextus in e. septimus in $^{♮}_{♮}$. reliqui vacant. Item cum a Γ. ad finem quaternis dividis, primus passus terminabit in C. secundus in G. tertius in d. quartus finit. A C. vero ad finem simi- C liter quatuor passus dum facis, primus terminabit in F. secundus in c. tertius in $^{c}_{c}$. quartus finit. Ab F. autem quaternorum passuum primus terminabit in b. rotundum id est synemmenon, secundus in f. reliqui vacant. Ab. item rotunda ad finem duorum passuum prior terminabit in $^{b}_{b}$. secundus finit. A d. vero ad finem duorum passuum prior terminabit in $^{d}_{d}$. secundus finit.

Secundum hanc ergo dimensionem in lineis terminalibus punctis impressis, et ad singula puncta litteris affixis, totam structuram facillime ordinabis. Sed quia aliquantula perplexionis inde generatur difficultas, quod cujusque tropi mensura suis certis in locis habet synemmenon, ipsa synemmena et eis proxima semitonia per duas syllabas SY et SE. hoc D modo distinguimus. Monogrammatibus, quibus apposita est SY. synemmena, quibus vero SE. vicina semitoniorum loca notamus. Igitur in $^{d}_{d}$. et in punctum sibi oppositum directa regula notatur summitas proti, in $^{c}_{c}$. terminus deuteri cum proto, in $^{♮}_{♮}$. extremitas triti, in $^{b}_{b}$. rotunda DE. PR. in $^{a}_{a}$. finis TE. TR. PR. In g. conveniunt omnes pariter excellentes. TE. TR. DE. PR. in f. TE. DE. PR. in e. TE. TR. SE. PR. in d. consonant omnes superiores, TE. TR. SE. DE. PR. in c. TE. SY. TR. DE. PR. in ♮. SE. TE. TR. in b. rotunda. SY. TE. DE PR. in a. TE. TR. PR. item in G. concinunt omnes finales, in F. TE. DE PR. in E. TE. TR. PR. item

in D. omnes coadunantur graves, in C. TE. DE. cum principio proti, in B. SE. TE. TR. inter B. et A. inferius synemmenon, cum initio deuteri : in A. TE. cum inceptione triti : in Γ. TE. cum tota initiabitur structura.

Adhuc desunt semitonia triti et deuteri cum symmeno proti et deuteri. Semitonia triti quæsiturus a penultimo puncto illius lineæ, quæ deuterum et tritum media dirimit, id est ab A, triti, ad terminum dexteræ magadæ novenis divide partibus, et prima terminabit in semitonio, secunda vacat, tertia in semitonio, quarta vacat, quinta in semitonio, sexta in semitonio, reliquæ vacant. Semitonia vero deuteri inventurus, ab eodem puncto similiter usque ad magadam decenis partire passibus, et primus vacat, secundo finit in semitonio, tertius vacat, quartus in semitonio, quintus vacat, sextus in semitonio et in synemmeno proti, septimus in semitonio, reliqui vacant. Synemmenon deuteri, quod solum restat, sesquialtera proportione facilius repe-

A rire poteris. Et ut eo magis tota dilucidetur structura, illis quatuor principalibus locis, id est in D. in G. in d, in g. quibus omnes pariter concurrunt tropi, quia in ipsis omnes etiam principales conveniunt chordæ, scilicet graves, finales, superiores, excellentes, minii coloris inducantur lineæ, hisque singulis singula eadem ascribantur nomina, graves in D. finales in G. et sic reliqui per ordinem. Ergo peracta structura litteræ duplices nete excellentes deleantur, ut figura per se integritate sui consistat.

Sed quoniam ad excitandum valde utilis est etiam ipsa differentiarum loca intimanda videntur. In ordine proti et triti authenticorum differentiæ in quinto, subjugalium ipsorum in tertio a finali loco

B ponuntur, in ordine deuteri et tetrardi ; authentici deuteri differentiæ in sexto, tetrardi in quinto, subjugales eorum in quarto a finali loco locantur. En habes mensuram metrice et prosaice; sed metricam propter acutiores, prosaicam propter nostri similes imperitiores compositam esse noveris (155).

XLI

Mensura thorematis troporum arte metrica.

Mensura novum qui vis thorema troporum,
Primo magadas in latum divide fines ;
Scilicet A. B. C. Vacuum concede superne,
Et reliquum spatiis paribus partire quaternis.
Quatuor ergo tropi totidem spatiis dominati
Quisque suum captet proprioque charactere signet,
A. B. contiguo sedem largire tetrardo ;
Hinc tritus, hinc deutrus, teneatque novissima protus.
Tunc inter magadas mensus Guidonice ponas
Puncta, quot ipse velit. Nec hypernete tibi desit.
Hujus hypernete synemenon et A. gravis adde.
Sicque bis undena statuentur in ordine puncta.
Ultimus his æque limes punctetur utrinque.
Basis et hic proti, coraustus et inde tetrardi.
Ac mensura statim peragatur continuatim,
Cujus erit facilis perpetratio, si memor eris,
Prima voce tropos PR. DE. TR. TE. titulatos,
Et monogrammaticas teneas hanc mente figuram :
Quæ totidem spatiis constans, quot puncta Guidonis
Diximus, a $^{d}_{d}$ se tendit ad infima gammæ,
In spatiis horum retinens monogramma troporum,
Linea quos tangat, cum regula puncta peragrat.
Sed monogrammatibus liquido synemena notamus,
Est quibus appositum SY ; lymmata vero quibus SE.
Quæque vicina tenes.

Γ.	A.	S.	B.	C.	D. Graves.
TE.	TE. TR.	Syn. TE. DE.	Se. TE. TR.	TE. DE. PR.	TE. TR. DE. PR.

E.	F.	G. Finales.	a.	S.
TE. TR. PR.	TE. DE. PR.	TE. TR. DE. PR.	TE. TR. PR.	Sy. TE. DE. PR.

♮	c.	d. Superiores.	e.
Se. TE. TR.	Te. Sy. TR. DE. PR.	TE. TR. Se. DE. PR.	TE. TR. Se. PR.

f.	g. Excellentes.	a a.	b b.	♮ ♮	c c.	d. d.
TE. DE. PR.	TE. TR. DE. PR.	TE. TR. PR.	DE. PR.	TR.	DE. PR.	PR.

(155) Hic finit codex *Blasianus*, sequentia addit *Vindobonensis* mensuram nimirum metricam, de qua hic fit mentio.

Sic autem lymmata quæres :
Deutri, sive triti, quæ lineæ subjacet uni,
Imminet atque alii, qua sunt mediante dirempti.
Primitus hanc ab eo, quod habet penultima puncto.
Passus in denos si dividis, inde novenos :
Ex denis isti saliunt in lymmata deutri,
Septimus et sextus, quartus simul atque secundus.
Contra quem sextum proti synemenon habendum.
At sua cuncta trito de nonis hic notat ordo :
Tertius et primus, quintus, post hunc quoque sextus.
His ita dispositis necdum synemenon habebis
Deutri symphonice, quod et addes absque labore.

Explicit Musica beati Patris Wilhelmi Hirsaugiensium abbatis.

ANNO DOMINI MXC.

HERIMANNUS

METENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN HERIMANNUM.

(*Gal. Christ.*, nov. t. XIII, p. 732.)

Claris natalibus in Saxonia natus Herimannus, A discipulus Hannonis archiepiscopus Coloniensis, Leodiensis præpositus, unanimi cleri ac populi consensu præfectus et in episcopum consecratus fuit anno 1073. Gravi dolore perculsus investituras ab imperatore accepisse, mox a summo pontifice veniam petiit. Non multo post Gerslengensi conventui de sedandis Germaniæ turbis habito, una cum pluribus prælatis et optimatibus interfuit. Walonem abbatem S. Arnulfi, quem Manasses Remensis archiepiscopus ibidem monasterio S. Remigii præfecerat, Metas redeuntem ad Gregorii VII papæ commendationem benigne excepit, et in ejus gratiam restituit nundinas in solemnitate dedicationis in perpetuum habendas. Dein vero locus ei non defuit expostulandi et quidem B amore de Walone, ut infra dicemus. Romam cum Theodorico Sancti Huberti abbate profectus anno 1074. Paschalia festa Pisis egit; unde iter pergens, Romam accessit, ac precibus effusis ad sanctorum apostolorum tumulos, papam Gregorium VII invisit; a quo non sibi tantum charitatis testimonia, verum et episcopis Leodiensi ac Babenbergensi Theodvino et Herimanno, sacros canones violasse insimulatis, benignitatis insignia obtinuit. Sub annum 1076 funestum ac diuturnum schisma exortum est, auctore in primis Henrico VI Germaniæ rege, qui nefariis actibus regnum infestabat. Huic sæpius benigne nequidquam admonito Gregorius VII denuo per le- C gatos sub finem anni præcedentis edixit, ut secunda Quadragesimæ hebdomade ad concilium Romæ indictum de criminibus, quorum argueretur, causam dicturus adesset. Quod si faceret neglexisset, se a communione Ecclesiæ sejunctum iri pro certo haberet. Hoc nuntio rex supra modum offensus legatos a conspectu suo repulit, et Wormatiæ conventum in Septuagesimam induxit, in quo Gregorius pontificatu depulsus est, contra plurium episcoporum sententiam, et nominatim Hermanni, palam profitentis vetitum esse legibus canonicis episcopum absentem condemnare : sed tamen majori numero concedere oportuit. Persuasus papa multos episcopos non nisi vi et metu assensisse, Udoni Trevirensi, Theodorico Virdunensi atque Herimanno litteras emisit, illos adhortans ut sanctæ sedi finem servarent, culpamque congrua satisfactione diluerent. Equidem in errato Herimannus non diu perseveravit, absolutionem a Jarantone abbate sancti Benigni Divionensis in vigilia Natalis Domini ejusdem anni 1076 consecutus. Eodem anno, mense Augusto ab eodem pontifice litteras accipit, quibus papa ait omnes, qui cum rege communicarent, censuras subiisse, ipsumque excommunicandi jus habuisse. Insequenti anno ejusdem pontificis jussu sedavit litem motam inter episcopum Leodiensem et Vulpadum abbatem S. Laurentii, qui suo monasterio causa indicta pulsus fuerat. Attamen Herimannus ob singulare erga sanctam sedem studium, offensionem imperatoris subiit, et in Moguntino conventu renuntiatus est hostis imperii. Persecutionis ergo vitandæ Virdunensem episcopum Theodericum adiit, a quo, commendatus a papa, quam humanissime acceptus est. Dehinc oppigneratis quibusdam eccle-

siæ suæ prædiis, Leodium refugit, ubi monasterii A S. Trudonis sumptibus victitavit. Eidem monasterio, utpote directam habens jurisdictionem, Henrico episcopo Leodiensi comitatus, Lanzonem abbatem S. Vincentii Metensis præfecit, an 1083. Quamobrem in Chronico S. Trudonis monasterii proventus ad usum suum convertisse et abbatiæ privilegia violasse arguitur. Præter Cæsaris vexationes, pene continuis exagitatus est bellis a Theodorico duce Lotharingiæ, qui castra Spinalii et Danubrii, pluresque ecclesias ac monasteria diripuit. Inter hæc habitum Romæ concilium generale an. 1080 Nonis Martii, in quo imperatori Germaniam bello armisque miscere pergenti, et in pertinacia persistenti, anathema dixit papa Gregorius, et Rodulfum in regia dignitate substitutum confirmavit, professus se invitum nec nisi post tentata incassum alia remedia, ad hæc extrema descendisse. Ea re amplius efferatus Henricus, coacto apud Brixinam Noricorum urbem triginta factiosorum episcoporum conventu, legitimum papam abjuravit, eique Guibertum, Ravennæ archiepiscopum, antipapam sub nomine Clementis opposuit. Porro Herimannus a partibus papæ constabat. Qua re exacerbatus imperator eum sede sua dejecit, ac Walonem jam prælibatum, S. Arnulfi abbatem, in ejus locum intrusit. Sedem occupabat Walo adhuc anno 1085 ac sequenti. At videns se nihil proficere, tumque usurpatæ sedis pœnitentia ductus, ad Herimannum accessit, perpetrati facinoris veniam petiit, et piaculi causa in Gorziense monasterium secessit, factus ibidem custos puerorum. Demum tantæ modestiæ et pœnitentiæ exemplo compulsus ad commiserationem Herimannus, eum in priorem restituit honorem. Non multo post idem præsul iterum sede sua pulsus est, et Bruno quidam, filius Alberti comitis Calvensis, monachus Sancti Trudonis, in eam intrusus. Cujus insolentiam Metenses non ferentes, intra puellare S. Petri monasterium, gladiis lanceisque confossum interemerunt. Herimannus vero in Italiam per hosce dies profectus, a schismaticis pro vindice Romanæ sedis acerrimo agnoscitur, in Tusciam captivus abductus, diuturno carcere maceratur : unde nec reversus est citius anno 1088, pallii honore ac munere legati seu vicarii apostolici a papa decoratus. Metas redux inter quælibet pericula honorificentissime et amantissime a D grege suo accipitur. Ubi primum in urbem rediit, cuidam vitæ innocentis adolescenti, Hugoni nomine, revelatum est Herimannum ut adiret, eumque de transferendo sancti Clementis corpore admoneret et de instanti ejus obitu, qui tertio post translationem subsequendus esset. Visum ad sancti Felicis abbatem, ubi S. Clemens quiescebat, retulit adolescens, cœlitus commonitus et ipse, ut vitæ genus mutaret, et monachus fieret. Unum episcopo aperuit abbas, alterum, quod ejus obitum spectabat, reticuit. Non statim visis fidem habuit Herimannus, sed tandem morbo correptus, rem exsecutus est anno 1090, VI Nonas Maii, quantumvis infirmus. Hujus translationis historiam fusius retulit Hugo Flaviniacensis abbas in suo Chronico, atque ex eo tempore Sancti Felicis monasterium nomine S. Clementis insignitum est. Exstat hac de re diploma ipsius Herimanni, omnia distincte referentis, scilicet multis multorum visionibus et revelationibus sibi innotuisse, ut a loco, quo a bonæ memoriæ Deoderico episcopo, quondam B ad sedem propriam illum transferre conanti, sed Dei virtute prohibente non valenti, repositus fuerat, sanctis antistitis corpus levaretur : at se visis incredulum rem distulisse; sed tandem cœlitus castigatum excæcatum fuisse. Itaque VI Non. Maii cum multa clericorum, monachorum, ac fidelium frequentia, corpus sanctissimum, scrinio aureo et argenteo decenter composuisse, et ad cathedralem Sancti Stephani ecclesiam transtulisse, ubi nocte insequente quieverit; indeque ad locum basilicas dictum, unde pridie assumptum fuerat, id est ad S. Felicis monasterium, retulisse, cui multa contulit ad stipendium monachorum, qui ad S. Clementis Deo ministraturi essent. Hic vero dies, quo translatio facta est, ut solemnius observaretur, nundinas ibidem per octo C dies instituit Herimannus : ubi si sæculares, ut tum mos erat, cursu equorum sese exercitare voluissent, victori dimidium præmii, residuum Sancti Clementis ecclesiæ assignari jubet. Constat ex ejus litteris, in monasterio S. Clementis servatis, abbati Huganoni traditam fuisse ab ipso ecclesiam S. Petri ad Arenas pene desertam, in qua pastoralia munia fratres exercerent. Tertio post translationem S. Clementis die, jam gravi morbo correptus, vocatis ad se clericis et familiaribus benedictionem impertitus, crucisque signo munitus, invocatis SS. Trinitate, B. Dei Genitrice et omnibus sanctis, piissime decessit (4 Mai 1090) prout adolescenti Hugoni revelatum fuerat. Funus ejus curavit Hugano abbas, eumque in ecclesia S. Petri ad Arenas sepulturæ mandavit. Reperta est in ejus sepulcro anno 1712, die 13 Octobris, lamina plumbea hanc inscriptionem referens : *Obiit in Domino Herimannus Metensis episcopus, legatus apostolicæ sedis, a Gregorio VII honore mitræ et pallii decoratus, anno Domini MXC.*

DE TRANSLATIONE S. CLEMENTIS

SIVE

Charta pro abbatia S. Clementis, data die translationis corporis ejusdem, anno 1090, tertia die Maii.

(MEURISSE, *Histoire des évêques de Metz*, p. 377.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego HERIMANNUS Ecclesiæ Metensis humilis minister tam præsentibus quam futuris perpetuam in Christo salutem.

Quoniam primi nævo terrigenæ, omnis humani generis vitiata posteritas, interveniente dispendio, diu nequit subsistere, quam etiam... interioris intuitu *(intuitus)* hominis, oblivionis contenebratur caligine, operæ pretium duximus, quæ nostris contingere temporibus, posterorum commendare memoriæ, ne scilicet si tanta et tam præcipua gesta silentii multarentur taciturnitate, nostræ postmodum deputaretur stoliditati et socordiæ. Anno incarnati Verbi millesimo nonagesimo, indictione decima tertia, regnante Domino nostro Jesu Christo, imperante Henrico tertio Cæsare Romanorum nobilissimo, monarchiam autem regni tenente duce Theoderico comite Folmaro, judice Burchardo, cum regnum et sacerdotium a se invicem dissiderent, et idcirco tam mundana quam ecclesiastica miserabiliter fluctuarent, B. Clementis primi nostri pastoris pia consolatione, nos peccatores et afflictos cœlestis benignitas recreavit. Nam cum propitia divinitas provida dispensatione civitati et plebi Metensium misereri disponeret, ut luce clarius constat, magni consilii angeli præduce jam dictus antistes egregius multis multorum visionibus et revelationibus se nobis innotuit, et ut a loco quo a bonæ memoriæ Deoderico antecessore nostro quondam ad sedem propriam illam transferre conanti, sed Dei virtute prohibente non valenti, repositus fuerat, levaretur, pius pater pia sollicitatione commonuit, quatenus ejus dignissimis intercessionibus populo in tenebris et umbra mortis ambulanti, orientis visitatio prodire dignaretur ex alto. Illud itaque Salomonis, multos errare fecerunt somnia, animadvertendo, quod nuntiabatur, frivolum esse nobis dubitantibus, ac super hoc mente incredula stolide remorantibus; ob cordis nostri duritiam, repente divino ferimur mucrone quo jam e medio tollimur. Ultima sorte igitur tarditatis nostræ moras arguendo, illico terminare compellente, die ipsa, scilicet VI Nonas Maii, stipantibus clericorum, monachorum, principum laicorumque innumerabilibus catervis, hymnos Deo et laudes acclamantibus corpus sanctissimum super aurum et topazion pretiosum de sarcophago levatum, scrinio auro et argento decenter ornato, imposuimus, et ad ecclesiam Sancti Stephani quæ ipsius beati cathedram episcopalem retinet, honorabiliter transtulimus. Nocte ergo sequenti ibidem coram sancti corporis pignoribus, vigiliis et laudibus festive celebratis, in crastino ego Herimannus ante altare sancti Stephani super quod ipsum corpus beati Clementis jacebat, consilio et assensu totius Metensis Ecclesiæ tam cleri quam populi, sperans pro tali beneficio in resurrectione cum ipso partem habiturum, dedi ei sibique servientibus in perpetuum Cuminam, quæ est in Chamberes, ultra Mosellam, cum domo quæ ibidem est, et vineam quæ dicitur Bertoldi, quæ est apud Mont, cum campo qui juxta est, cum banno et centena, et pratum apud Prunvet, quod operantur rustici de Nomincy cum banno et centena.

Dedi etiam totum bannum et centenam quinque parochiarum in villa quæ dicitur ad basilicas, sitarum, scilicet Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Genesii, Sanctæ Mariæ ad martyres, Sancti Laurentii Sanctique Amantii, ab omni advocato et omni justitia civitatis liberum, sed sub solius abbatis providentia et potestate, sicut ego in manu mea tenebam. Dedi et feminam quamdam de Pierreius, nomine Thyebot cum filiis et filiabus suis, et Hamezonem, et Richardum ea lege qua erant. Cunctorum igitur astantium unanimitas cleri et populi, ad renovandum annuatim erga suum patronum piæ devotionis affectum, in universum, suum, hunc diem festivum deinceps habere decrevit. Quocirca quoniam tum pro ipsius corporis veneranda præsentia, tum pro ad eum pie confugientium celeri, ut creditur, delictorum venia, sacer illius sepulturæ locus digne est honorificandus, alacri favore omnium, nundinas per octo continuos dies inibi solemniter teneri constituimus, pacem firmam omnibus illuc properantibus sub anathematis interminatione habendam denuntiantes. Reatum tamen homicidii hinc excludimus, nisi forte quis armis propulsatus inimici limina attigerit sancti. Præterea huic paginæ ne a memoria laberetur, vel aliquid aliud sibi usurparet quam hic inditum est, inserere dignum duximus quod Hagano abbas ipsius loci, pratum de Prunoet, me præsente, et favente Burchardo advocato, suisque successoribus, tam pro defensione hujus beneficii a me collati,

quam pro totius Ecclesiæ tuitione in fœdum dedit, A eo tamen tenore ut nullus hæredum ipsius, nisi advocatitiam civitatis tenuerit, hoc feodum sibi vindicet. Et ut in nundinis memoria translationis istius jucundius atque celebrius a convenientibus habeatur, equus quindecim solidorum ab ipso advocato ibidem repræsentatur. Quod si sæcularibus, ut mos est, in equorum cursibus se delectantibus, quibusdam specialius in equis exercitari placuerit, victori, taxato pretio dimidium relinquatur, residuum Ecclesiæ assignetur. Si vero eadem die hoc festum non fuerit, ad vesperum equus ecclesiæ sine controversia dimittatur: quem si, ut dictum est, non posuerit, abbas loci ab eo requiret: ipse vero nullatenus contradicere habet. Et quoniam has nundinas bannales esse censemus, sollicite isdem advocatus per se seu per B civitatis castaldos provideat ne quid tempori prænominato detrahatur, ne qui mercatorum maxime Bucchariorum se subtrahant, quorum omnium super hoc foro facti justitias, feodi sui noverit esse supplementum, attamen quidquid injuriarum infra bannum prædictarum Ecclesiarum Ecclesiæ illi a me donatum, et tunc et semper acciderit, ad solius abbatis loci et suorum officialium justitiam pertinebit. Hac celebri traditione data et suscepta et communi omnium consultu sacramento firmata, die eadem, id est quinta Nonas Maii, ad locum Basilicas dictum, unde pridie fuerat assumptum, quem isdem sanctus in vita sua suæ requiei delegerat, maxima populorum comitante caterva corpus sanctissimum est relatum, ubi honorifice collatus pius et clemens, se pie invo- C cantium exauditor innumerabilibus pollet virtutibus, ad laudem et gloriam nominis Christi. Igitur hanc nostram traditionem et dona, omni tempore rata permanere et inconvulsa, auctoritate omnipotentis Dei, beati quoque Clemetis et nostra confirmamus; sigilli etiam nostri consignatione, necnon et personarum authenticarum subscriptione roboramus, cunctos successores nostros hæc perpetuo fideliter conservare sub districti judicii examine contestantes. Si qua autem ecclesiastica sæcularisve persona horum quidpiam infringere præsumpserit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini alienata, in diem Christi et Dei sit anathema nisi resipuerit. Horum omnium fautores idoneos testes, visores, et auditores subter adnotandos dignum duximus, quorum hæc sunt nomina:

Hagano abbas loci.

Henricus abbas Gorziensis.

Lanzo abbas Sancti Vincentii

Durandus abbas Sancti Symphoriani.

Adalbero archidiaconus.

Ruocelinus archidiaconus.

Gervoldus archidiaconus.

Matfridus archidiaconus.

Canonici: Ermerannus; Arnulfus, Lietardus, Bertulfus cantor, Folmarus cantor, item Folmarus, Joannes, Anselmus, etc.

Monachi ejusdem loci: Richerius prior, Odilo, etc.

Nomina laicorum: Theodericus dux, Folmarus comes, Burchardus judex, Wypaldus Scabinio, Gerardus, etc.

CHARTA HERIMANNI

Qua Waloni abbati S. Arnulfi Metensis jus annualis mercatus, « quorumdam factione male sublatum, » confirmat.

(Meurisse, *Histoire des évêques de Metz*, p. 369.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Herimannus, gratia Dei sanctæ Metensis præsul Ecclesiæ, cunctis tam præsentibus quam futuris fidelibus, misericordias Domini in æternum cantare.

Quia beatitudo sanctorum constat, et de munere gratiæ, et de retributione justitiæ, innitendum est unicuique fidelium omnimoda sollicitudine qualiter in spe atque actione utriusque pertingere possit ad gaudia perennis vitæ. Et quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum idcirco modis omnibus est bene agendum secundum quod scriptum est: *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare.* Nos ergo hæc atque his similia in sanctorum Patrum sententiis prudenter salubriterque dicta approbantes, totiusque veritatis firmitate subnixa ratione D apertissima perpendentes, postquam auctore Deo promoti sumus in hujus sanctæ Metensis sedis pontificio, cum nostræ mentis interiori discussione, tum religiosorum pia collocutione, cœpimus sollicitius reminisci salutis nostræ animæ. Cumque ad hoc bene profutura occurrisset Domini sententia qua dicitur: *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis,* supervenit nobis cunctis charissimus et omnibus charissimus præferendus venerabilis nomine Walo abbas cœnobii Sancti Arnulfi quondam memorandi atque semper venerandi Mediomatricorum urbis episcopi, cui et aliquid humana nobilitate loquamur, Carolus magnus imperator ac patricius Romanorum in generationis linea quadrinepos exstitit. Ut vero fit, cum inter nos atque prædictum abbatem de multis sermo esset ortus, conquestus est quod ab improbis hominibus multa pateretur dispendia prædictus locus, addens annale mercatum quorumdam factione, qui suum lucrum deputant, si aliis dis-

pendium inferant, impræsentiarum male sublatum, temporibus nostri prædecessoris sanctæ memoriæ Adelberonis jam quadriennio habitum in dedicatione ipsius Ecclesiæ. Unde nos cupientes protendere opus misericordiæ in salutem nostræ animæ, atque in commodum Ecclesiæ, precibus ipsius abbatis necnon religiosissimæ atque virginis Deo consecratæ inibi reclusæ dominæ nomine Hodiernæ, omniumque fratrum pia supplicatione, atque unanimi consensu nostrorum fidelium, restituimus et reddidimus ipsum forum, in [solemnitate ipsius dedicationis perpetualiter habendum. Ut igitur nos pii operis executores mereamur cœlestis regni fieri participes, quidquid nostri juris in ipso foro haberi comperimus, nil nobis relinquentes, totum servientibus Deo inibi fratri contulimus, deputatis decem solidis inter primicerium, thesaurarium atque canonicos sancti Stephani et advocatum civitatis, quorum quidem quinque dantur pro restitutione nummorum qui sibi conferuntur de privatis mercatis octo dierum. Alii nilhominus dantur quinque, ut nos exacuant in se dentem invidiæ in bonis proventibus fratrum, sed gaudeant cum gaudentibus, ut fiat quod scriptum est : *Quod vultis ut faciant vobis homines et vos eadem facite illis.* Præterea jam dictus advocatus seorsum item accepit decem solidos et tres decani atque scabinio ternos solidos, singuli in mercedem sui officii, quatenus neque inferri a quolibet, neque sinant injustitiam vel injuriam pati quemlibet. Extra hos denique triginta et duos solidos, nullis sit omnino, vel exigendi, vel retinendi iniqua præsumptio. Si qua vero injustitia, ut in talibus assolet, vel injuria contigerit, summam pretii quam lex pro vindicta culpæ exegerit, nullo retinente abbas accipere debebit. Obsecramus tandem cunctos post nos venturos pontifices, per omnes Domini miserationes, et per auctoritatem duodecim apostolorum, præsertim sancti Joannis dilectissimi Domini, cujus in præfato monasterio dens habetur et veneratur, ut confirmatum est inibi auctoritate beati noni Leonis papæ, et per amorem omnium sanctorum, necnon et obtestamur per nostram quam a Deo accepimus potestatem, ut neque a se neque a quolibet irritum fieri permittant istud opus misericordiæ, quod scripto præsenti et auctoritate nostræ manus, nominibusque nostrorum fidelium confirmamus.

Ego Herimannus Metensis Ecclesiæ præsul signavi.

Signum primicerii Adalberonis.
S. Richerii archidiaconi.
S. Gernoldi archidiaconi.
S. Udelrici archidiaconi.
S. Joannis Ærarii.
S. Comitis Folmari.
S. Cuonradi comitis.
S. Herimanni comitis.
S. Udonis comitis.
S. Rothfridi de Prisneio.
S. Cuononis de Tincher.
S. Burchardi advocati.
S. Joannis primi scabionis.
S. Alterici.
S. abbatis Walonis.

DE TRANSITU HERIMANNI.

(Hugo Flaviniac., *Chronic.* ad an. 1090.)

Appropinquante vero die determinato ad transferendas venerabiles reliquias (*S. Clementis*), vires tenues Domino annuente recepit (*Herimann.*), et in transferendo beato Clemente Kal. Maii cum summa cleri plebisque devotione divina gratia desiderium ejus implevit, et tota urbe, imo tota regione ad verbum prædicationis ejus astante, et de ore ejus rore supernæ dulcedinis distillante, omnibus absolutis, et ab omnibus quasi ab ipso Deo absolutione petita, tandem in auribus omnium desideravit, dicens : *Sufficit mihi, o utinam respiciat Deus, et finiat labores meos, et suscipiat in pace spiritum meum per intercessionem sancti Clementis, cujus sacratissimum corpus hodie videre, palpare et transferre magnifico munere nobis de cœlo donatum est!* Sub hac voce populus ingemuit, et fracto finemque laborum imploranti condoluit. Duobus diebus intercedentibus quasi præsagis vicini transitus, fidelibus Ecclesiæ fieri epistolas jussit, orans et adjurans per viventem in sæcula sæculorum, ut sine dolo, sine simulatione, tractarent negotium Ecclesiæ in simplici et nuda veritate, et omnibus ultimum vale dixit, cum mirabili verborum et vultus affectione. Die tertio circa horam nonam intelligens suum transitum imminere, convocari fratres jussit, et filios astantes ne dolerent voce et manu compescuit. A quibus cum interrogaretur cui eos desolatos relinqueret, quid eis præciperet : *Commendo vos,* ait, *Deo; state in fide et doctrina beati Petri, sicut a successoribus ejus et vidistis et audistis.* Et post hæc omnes benedicens, signo crucis se munivit, et invocata sancta Trinitate, sanctæ Mariæ se commendans, commune patrocinium sanctorum implorans, oculis et manibus in cœlum elevatis, sine ullo strepitu vocis et motu corporis, quasi obdormiens, spiritum emisit. Sequenti nocte apparuit cuidam dilecto suo, quem in filium adoptaverat, qui cum psalmi cantarentur præ tristitia obdormierat, ait illi : *Noli mæstus esse salvus*

sum. Iterum apparuit cuidam venerabili viro, et ait : *Mortuum me dicunt, sed vivo*. Hoc abbatibus referentibus et aliis personis non levibus, cognitum est.

ANNO DOMINI MXC.

THEODORICUS

S. AUDOENI MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(*Hist. litt. de la France*, VIII, 364.)

Thierri, dont nous entreprenons de parler, a couru risque de perdre, dans la postérité, la principale gloire de ses travaux littéraires. En effet, un écrivain de grand nom a tenté de transporter à un étranger celui de ses ouvrages à la faveur duquel on reconnaît qu'il en a composé encore d'autres. C'est le célèbre Henschenius, qui a attribué à Fridegode, auteur anglais, la Vie en vers de saint Ouen, évêque de Rouen, de laquelle se tire ce qu'il y a de plus assuré touchant l'histoire et les écrits de Thierri. Mais les doctes successeurs de cet hagiographe se sont fait un devoir de la rendre à son véritable auteur, ce qu'avaient déjà fait plusieurs savants.

Il ne faut pas s'attendre que la vie d'un homme de lettres, caché dans l'obscurité d'un cloître, où il paraît avoir vécu sans emploi et sans dignité, tel qu'a été Thierri, fournisse d'événements fort mémorables. Tout ce que l'on sait de sa personne est qu'il avait embrassé la profession monastique à l'abbaye de Saint-Ouen de Rouen, et qu'il florissait sous Nicolas de Normandie, qui en fut abbé pendant cinquante ans, depuis 1042 jusqu'en février 1092. Les bonnes études alors étaient en honneur dans cette maison, et Thierri se vit associé avec plusieurs confrères qui travaillaient à l'envi à cultiver les lettres, nommément la poésie sacrée et l'histoire.

Outre un Fulbert, qui a laissé plusieurs productions de sa plume, comme il sera dit dans son éloge particulier, il y avait encore un Maurice, fort différent d'un autre moine de ce nom, disciple de saint Anselme. Il ne reste de celui-ci que l'épitaphe de l'abbé Nicolas en vers léonins, qu'on trouve dans divers recueils (Mab. *Annal*. l. LXVIII, n. 35). Mais il a montré par là qu'il était capable de faire autre chose ; et peut-être l'a-t-il fait, quoique nous n'en soyons pas instruits.

On ne nous apprend point non plus si c'était Thierri, ou l'un des deux autres savants ses confrères, qu'on vient de nommer, qui dirigeait alors les écoles de Saint-Ouen. On sait cependant qu'il s'y forma alors des élèves de mérite, qui ont acquis par leurs ouvrages le titre d'écrivains de quelque réputation (Pommeraje, *Hist. de Saint-Ouen*, p. 339). Tel est un Ambroise, qui a employé sa plume à célébrer en prose et en vers l'illustre sainte Agnès, vierge et martyre. Tel est un Jean, qui dès l'âge de vingt ans commença à faire des ouvrages dont une partie est venue jusqu'à nous. Cet élève de Saint-Ouen est devenu principalement célèbre par le choix qu'on fit de lui au concile de Reims, en 1119, sous le pape Calixte II, pour y tenir la plume et y faire les fonctions de secrétaire (*Conc*. t. X. pag. 872). Nous manquons de lumière pour dire si Thierri, qui contribua sans doute, au moins par son exemple, au progrès des études dans son monastère, survécut à l'abbé Nicolas. Mais n'ayant point d'époque plus connue pour son histoire que la mort de cet abbé, à qui il a dédié son principal ouvrage, nous avons cru devoir la choisir pour y rapporter son article.

Entre les productions de la plume de Thierri, il y en a en vers et d'autres en prose. Mais tous les savants ne conviennent pas de celles qui lui appartiennent en l'un et l'autre genre ; et c'est ce que nous allons entreprendre de discuter.

1° Personne ne disconvient aujourd'hui que la Vie en vers de saint Ouen, évêque de Rouen après le milieu du VIIe siècle, ne soit un fruit du travail de notre écrivain, et que ceux qui en ont voulu faire honneur à Fridegode, auteur anglais du Xe siècle, ont confondu ce saint Prélat avec saint Owin, moine de Lichfeld en Angleterre, dont on ne sait pas même que la Vie ait jamais été écrite. Thierri a tiré tout le fond de son ouvrage d'une autre Vie de Saint Ouen, que Surius a publiée sous le faux nom de Fridegode, après en avoir défiguré le style original sous prétexte de le polir, mais que les continuateurs de Bollandus nous ont donnée depuis dans sa pureté. Notre poète n'a fait que mettre en vers, en s'assujettissant servilement à la lettre, cette Vie qui est en prose. Et comme il a choisi les vers léonins pour exécuter cette entreprise, ce genre d'écrire, qui emporte avec soi une nouvelle contrainte à cause de la rime, a jeté dans sa versification une nouvelle platitude et une nouvelle obscurité.

Ce poème de Thierri est conservé à Saint-Ouen dans un manuscrit, que l'abbé Nicolas regardait comme si précieux et si intéressant pour son monastère, qu'il a écrit lui-même au bas, ou fait écrire en son nom, les imprécations les plus terribles contre quiconque l'enlèverait, en quelque façon que ce pût être, ou en déchirerait la moindre feuille. Il y a toute apparence que c'est là l'original du poème, et que la copie qu'en ont les Bollandistes en est venue. Ces hagiographes n'ont pas jugé à propos de publier cet ouvrage de notre poète, par la raison qu'il ne contient rien qui ne soit encore mieux dans la prose qui en fait le fonds. Ils se sont sagement bornés à n'en imprimer que les huit premiers vers de la préface, ou épître dédicatoire à l'abbé Nicolas, afin qu'on puisse juger de la pièce par cet échantillon.

Le P. du Moustier a fait plus d'honneur à cette épître, l'ayant donnée en entier dans son *Neustria pia*, où il a aussi inséré d'assez longs fragments du corps de l'ouvrage. Il avait même copié de sa main sur le manuscrit de Saint-Ouen, le poème entier avec la Vie en prose, dans le dessein de publier l'un et l'autre dans un autre recueil qui devait porter le titre de *Neustria Sancta*. Mais il paraît que ce dessein projeté est demeuré en idée. Ici cet écrivain

témoigne avoir cru que la prose, qu'il cite néanmoins quelquefois sous le faux nom de Fridegode, était l'ouvrage de Thierri, comme l'est la versification. C'est, au reste, ce qui ne se peut soutenir, puisque la Vie en prose a été faite avant les ravages des Normands, et, par conséquent, plus de deux cents ans avant Thierri.

FRAGMENTA VITÆ METRICÆ S. AUDOENI

A THEODORICO SCRIPTÆ

(Apud P. du Moustier, *Neustria pia*, p. 23, 24, 72, 73, 346 et 347.)

I.

Prologus ad Nicolaum abbatem S. Audoeni.

Patri sincero, tranquilla pace sereno,
Patri præclaro, virtutum flore beato
Abbati sancto Theodericus Nicolao,
Commissi curam gregis, ut dat virga figuram,
Qua trahis imbelles, procul expellendo rebelles.
En quæ mandasti : vel quæ scribenda rogasti ;
De sancta sancti vita, meritisque beati
Præsulis Audoeni ; proprio pro posse peregi.
Nam prius insulsam volui referre repulsam,
Atque licet dignam nostro de carmine rugam,
Quam trahit invidia de nare notata recurva :
Quam tua, vel fratrum non irem jussa peractum.
Unde tuum in commune bonum summissius oro,
Ut quæ transcripsi, vel sub brevitate notavi,
Cum majora, mea non ausit adire camœna :
Te defendente, teneantur : teque jubente,
Auctorizentur, serventur, et attitulentur (1).
Sit mea laus, merces, quam scripsi vita superstes,
Sit profecisse, tua jussa, Pater, subiisse :
Ut te siderei capiat sedes paradisi.
Insuper oro tuam præ cunctis nobilitatem :
Ut quæ damnari possunt, vel jure notari,
Emendanda prius decernas, quam legat ullus,
Nam vix tantillum valui componere scriptum,
Pluribus intentus, quæ mundi concitat actus :
Quare per proprie non servans singula quæque,
Sublatis propriis sum verbis usus ineptis.
Sed tamen hic patriam merentur adire supernam,
Atque videre Deum, sibi consociatus in ævum :
Qui leget et vitam scriptori poscet avitam :
In qua cum superis laudas, Pater inclyte, sanctis,
Audoene, Deum, mare, terras, astra regentem.

II.

B. Audoenus reliquias S. Marculfi transfert.

Contigit hinc autem quod et idem tempore quodam
Ad Constantini transiret munia pagi
Æternæ cunctis præbens documenta salutis,
Cui Bernuinus abbas multum reverendus,
Obvius accessit hilaris, secumque recepit,
Ipsi congaudens, et præsule digna rependens,
Dicens : « Præsul, ave, meritorum munere clare,
Unum te petimus, quod sis conferre paratus
Nec decet ut renuas, vel sola voce recuses ;
Sed dignare piis cunctorum cedere votis :
Ut pariter nostri Patris, nostrique patroni
Marculphi membra jubeas hinc esse movenda. »
Post hæc vir sanctus cunctorum vota secutus,
Reliquias sanctas, alias facit esse ferendas,
Primus majorem præsumens ferre laborem :
Nam levat a terra, simul et cervice remissa,
Transvehit ad thecam gemmis auroque politam,
In quam dum posuit, abbati protinus inquit :
« Reliquias nobis de corpore ferre licebit,
Ejus, quo memorem nobis celebremus honorem ; »
Abbas e contra solerter reddidit ista.
« Non nego digne Pater, verum, concedo libenter,
Et tua quod quærit devotio, ferre licebit. »
Cumque volutaret animo, caput ut sibi ferret,
Cœlitus immissam meruit sibi sumere chartam,
In qua scriptura, scripti quoque rara litura,
Hæc mandata dabat, quæ sacra voce notabat :
« Ne caput attrectes, nec de cervice sequestres, »
Unde tibi cumque capiens, quod queris, habere.

III.

De fundatione monasterii Crucis S. Leufredi.

Dum vero senio multo confectus, et ævo,
Dignus perpetuo sacer Audoenus honore,
Villas et vicos, lustraret, et oppida, pagos :
Nec veheretur equo, verum resideret in alto
Curru, non per se jam præsumens equitare :
Fixerunt gressum divino numine fixum,
Nec poterant fixi currum divellere muli :
Aurigæ stimulis instante, et verbere mulis,
Percutiunt, lacerant, stimulant, nimiumque coarctant,
Impingunt omnes, nil prorsus proficientes.
Sed Domini servus rerum novitate coactus,
Visus ad superi retulit spectacula cœli :

(1) Piis annuens votis Nicolaus abbas, hæc imprecationis verba reliquit, in præsentem ms. codicem furantes, vel dilacerantes : *Ego Nicolaus abbas, omnisque congregatio mihi credita, æternaliter excommunicamus et anathematizamus quemcumque hunc librum ab hoc monasterio Sancti Petri apostoli, sanctique Audoeni, archiepiscopi, quolibet modo abstraxerit, sive dolo, sive furto vel latrocinio. Et qui has litteras deleverit, vel folium inciderit, æternæ subjaceat maledictioni. Amen. Fiat.*

Quo crucis almifluum meruit cognoscere signum,
In quo percepit, cur sic animalia fixa,
Sistant, quidve ferat, vel talis fixio poscat.
Tunc circumspiciens, et plurima mente revolvens,
Advocat agricolam sibi, quem prope cernit arantem
De cujus stimulo, signo crucis effigiato,
Reliquiis positis infixit humo, atque recessit.
At sacer ille locus, *Audoeni Crux* vocitatur,
In quo mirantur virtutes, atque patrantur,
Præcipue primum quo contigit esse sacratum.
Non postquam geminis mundum nox vestit alis,
Multi flammivoniam subito videre columnam;
Quæ fulgore sui superabat lumina Phœbi.
O Domini pietas, Domini miranda potestas!
Quam bene sublimat, vel quæ disponit, opimat!
Namque locus pridem non cultus, visitur idem,
Atque frequentatur, colitur, Dominoque sacratur,
In quo leprosis curatio, lumen et orbis,
Surdis ac mutis reparantur dona salutis.
Tunc ibi salvificæ crucis, atque Dei sub honore,
Et patris Audoeni, vitæ meritis reverendi,
Fundatur templum Leutfredi rebus adauctum:
In quo sanctorum disponitur ordo virorum,
Et Regi regum famulantur nunc et in ævum.

ANNO DOMINI MXC.

GUIDO ABBAS FARFENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Fabric. *Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis*, III, 130.)

Circa annum 1093 vixit Guido monachus atque inde post Hugonem abbas Farfensis cœnobii beatæ Virginis in agro Acutiano in Sabinis, in ducatu Spoletino ordinis Benedicti, cui libri duo *De usu et ordine ad ornandam Ecclesiam catholicam, nec non ad conservandam regularis tramitis normam in cœnobio Farfensi* ex duobus mss. Vaticano et monasterii S. Pauli Romæ, editi sunt in Benedictorum e congregatione S. Blasii in Sylva-Nigra, præclara Sylloge veterum monumentorum cui titulus : *Vetus disciplina monastica.* Paris 1726, 4°, pag. 37-132.

GUIDONIS DISCIPLINA FARFENSIS

ET

MONASTERII S. PAULI ROMÆ.

MONITUM.

Farfense monasterium in Sabinis in ducatu Spoletano, a monte Acutianum dictum, agente Hugone abbate sub finem x sæculi Cluniacensium consuetudines recepit. Cujus rei seriem descriptam habes Analium Bened. tom. IV, pag. 120 et 206. Hæ vero consuetudines, etsi cum editis Udalrici libris apud Dacherium Spicil. tom. I novæ editionis in nonnullis consentiant, multa tamen continent quæ apud eumdem auctorem desiderantur, et singulari observatione digna sunt. In priori libro divina ordinantur officia : in posteriori regularis disciplina explicatur. In iis Concordiæ regularum et traditionis Hildemari mentio fit. Propterea quod Cluniacensium usus ex Capitulis sancti Benedicti Anianensis, qui Concordiam illam edidit, desumpti sunt. Describitur Farfensis monasterii structura, agitur de mensura vestimentorum, professione monastica, abbatis benedictione, oblatione puerorum, atque de aliis rebus scitu dignissimis. Eædem porro consuetudines ab Odone Cluniacensi in monasterium Sancti Pauli Romæ illatæ, et post eum jussu Agapiti PP. a monachis Gorziensibus ibidem firmatæ fuerunt. Asservantur hodieque dictæ consuetudines in veteri codice monasterii Sancti Pauli in Urbe, et in alio ms. codice olim Farfensi, nunc Vaticano, sub hoc titulo : *Incipit perfectus usus sive ordo ad ornandam Ecclesiam catholicam, nec non ad conservandam regularis tramitis normam in cœnobio beatæ Mariæ semper virginis in agro Acutiano comptus.* Ex quibus duobus mss. Joan. Mabillon, exemplum describi curavit, quod vir humanissimus D. Vincentius Thuillierius ex ejusdem musæo mihi concessit. Cæterum etsi consuetudines istæ a Cluniacensibus

sumptæ sint, prius tamen quam illæ conscriptæ fuerint, cum posteriores istæ non nisi sæculo XI a Bernardo et Ucalrico exaratæ sint, de quibus paulo inferius dicemus. Qua vero ratione ritus e Cluniacensi monasterio, et per quos accepti sint, docet prologus, qui a Guidone monacho, eodem forte qui Hugoni abbati Farfæ successit, scriptus fuit.

DISCIPLINA FARFENSIS

ET

MONASTERII S. PAULI ROMÆ

Ex ms. Vaticano, num. 6808, *et veteri codice Sancti Pauli in Urbe.*

PROLOGUS.

Cum per universam Italiam Christi præcepta annularentur, et velut in vastidio versarentur, diabolicæ suggestiones cœperunt augmentari, et opere compleri, ita ut etiam in sacris constituti ordinibus, sicut mos laicorum est, uxores acciperent, et sine aliqua difficultate hæresim exercerent Simoniacam. Cœlestis tunc clementia favente Regis, qui pretioso olim mundum suo redemit cruore, suscitatus est quidam decore splendidus monachico, Romualdus nomine, qui normam priscæ justitiæ in sexu renovavit utroque et ordine. Cujus exempla imitatus venerabilis Hugo abbas, renovavit prisca sanctorum Patrum eximiique Benedicti clarissimi et luculenti Patris in cœnobio beatæ Mariæ semper Virginis in loco, qui dicitur Acutianus, ubi destructus erat nimis omnis ordo et compositio monachorum : illorum ulnis imponens usum Cluniaci cœnobii in Gallia ædificati, ac per totum orbem, cuncta ultra monasteria, regulari tramite pollentis ipso tempore. Insonante et enim longe lateque fama prælibati cœnobii, nec non et prædictorum Patrum, Romualdi scilicet et domni Hugonis abbatis benignissimi hi denique Patres, nimio zelo ferventes et inter se concordantes, domnus Romualdus in theoretica A præclarus effulsit, nec non et in ædificatione multorum monasteriorum : Pater vero Hugo, sequipeda ejus effectus in regali cœnobio, in tantum, ut ad Galliarum studia venerabilium cœnobium Cluniacensium, ubi venerabilis Pater Odilo, velut lucerna radians, adhuc fulget, multa de illorum consuetudine, ad utilitatem fratrum, illis commissis, et in ovile Christi aggregatis imposuerit ad salutem animarum. Ex quibus unus valde inspiratus, et accensus in fervore monastico, ex discipulis domni Romualdi, nomine Joannes (1), cum uno suo socio ad videndum et scribendum properavit apud idem Cluniacense cœnobium, et ita exaravit in paginulis, ut oculis vidit, et in codicibus affixit, posterisque legenda contradidit. Domnus vero Hugo Pater, per B omnia imitator illorum effectus, hæc et multa alia in suo regali et antiquo cœnobio advexit, ut ab illorum usu in nullo discreparet, cupiens adimplere quod in Actibus apostolorum legitur : « Multitudinis credentium erat cor et anima una (*Act.* IV). » Quam consuetudinem, si quis adimpleverit, in præsenti exaltabitur vita, et post intra perennem lætabitur pascuam, etc.

TITULI CAPITUM LIBRI I.

(1) Hic sub religiosissimo abbate Joseph monasterio incerto vixisse dicitur. Refert etiam Mabillonius Annal. tom. IV, pag. 207, eumdem Joannem alterum prologum scripsisse, qui tamen ad manus meas non devenit.

Hos in litoribus Chobar concinite planctus.
Quadraginta dies istos persolvite mores.
Qualiter agendum est sabbato in duodecim lectiones.
Taliter innecti moneat vos Passio Christi.
Sic decet in psalmis fratres celebrare quot annis.
Mores Paschales sic observetis ovantes.
De Pascha annotina.
Ascendens Christus cælos hos exigit usus.
Hæc oportet agi adventu Spiritus almi.
Exigit hos mores sanctus Baptista Joannes.
Talis apostolicum colet observantia festum.
Virginis Assumptum cuncti sic ducite mecum.
Theolocos ortum celebret sic turba clientum.
Idus Septembris sic incipiantur a vobis.
Agminis ætherei peragant sic gaudia cuncti.
Istos Novembris mores servate Kalendis.
Qualiter agendum est in anniversaria consecrationis basilicæ.
Annales ritus festis hos serva diebus.
Odilo nostrorum monachorum ductor et abbas
Fratribus instituit Novembris ita Kalendis.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM (2).

De Dominica Palmarum.

. . . . . ex hinc sequuntur, illi infantuli bini ac bini, cum magistris. Cæteri majores sicut sunt priores duo et duo per ordinem procedentes cum antiphonis, his, quæ cantare possunt et sciunt, omnibus adunatis. Ad ultimum domnus abbas subsequentibus eum universorum ordinibus laicorum. Exeuntibus omnia signa pulsentur : duo majora tandiu prolongentur sonnizando (sonando) quousque revertatur processio in Galilæa (3). Si plurimorum universitas excesserit, famuli loci eant juxta seniores, ac infantes protegendo, ne impediatur opus Dei. Hic non est necesse aliquid nobis inserere, quod unusquisque Dei professor memoriter scire debet, quantum ei expedit sui ordinis [*supp.* regulam *vel* disciplinam] optime tenere atque custodire.

Venientes autem ad ecclesiam citra monasterium intrantes dicant hanc antiphonam : *Salvator mundi, salva nos*, et pulsentur omnia signa. Oremus, *Concede, quæsumus*, etc. Expleta, faciant orationem atque altare aromatizent. Et sicut venerunt, ita revertantur cum laudibus. At ubi antiphonæ minus veniunt, ex vespera [*al.* responsoriis] ipsius diei dicantur.

Appropinquantibns monasterium, eant ex ipsis sex, quibus armarius annuerit, et vestiantur cappis, ad *Gloria laus* canendum : processio ornamentorum quemadmodum venit, ita stet per ordinem. Fanones (4) hinc et inde facie ad faciem. Seniores, sicut
A moris est consistere in choro, ita stent. Infantes cum magistris prius ornamenta [*supp. f.* habeant], ceu in processione Dominicali. Illis cappis vestitis, peracto versiculo, *Gloria laus*. Paraphonista incipiat : *Ingrediente Domino.* Sonentur omnia signa. Et cunctis ad sua loca pervenientibus incipiatur missa. Officium tres teneant in cappis Alii fratres qui cantare debent responsorium, vel tractum in albis maneant : diaconus et subdiaconus casulam habeant. Ad passionem dicat, *Dominus vobiscum* : *Gloria tibi, Domine.* Respondeant. *Credo in unum Deum*, dicant. Ad offertorium reddant cuncti palmas sacerdoti, osculando manus ejus. Ad finem sacræ tonate (5) dicat diaconus, *Benedicamus Domino.*

In refectorio tabulæ cooperiantur. Ipsa die meridiana requies quam sanctus Benedictus præcipit,
B incipiatur. Et cum tempus fuerit nonæ, custos sonet squilla (6) modice vel unum ex signis mediocri [mediocribus], quousque ipse *Miserere mei, Deus* possit perfinire, ut surgentes lavent manus et facies. Qui prius occurrerint ad ecclesiam, in choro sedeant legentes, donec veniant et infantes : nam et ipsi in chorum veniant ad orationem. Quibus advenientibus majus signum sonetur ad nonam tandiu, quousque surgant ad orationem. Qua dicta, pulsato cymbalo veniant in refectorium, et qui priori coquinam hebdomada fecerant, fratres, aquam omnibus adportent. Expleto ministerio venientes ad gradum inclinentur ante et retro (7). Qui autem tenet ordinem, sive prior, sive (si præsens fuerit) abbas, unico

(2) Distinctiones capitum in commodum lectoris a nobis additæ sunt. Initio aliqua desiderantur.
(3) *Galilæa*, Gallaria, *Galerie*, porticus; item ναῦς navis ecclesiæ.
(4) *Fanones*, vela, vexilla, a Germ. *Fanen*.
(5) *Tonate* in tono, cum modulatione.
(6) *Squilla, skella, scilla*, tintinnabulum, campanula.
(7) *Ante et retro* est inclinatio, de qua inferius sermo recurret.

squillam ictu percutiat : et hoc signo de vino quod A habuerit ante se bibendi licentia datur unicuique. Denique tribus vicibus squillam percutiat : surgentes revertantur in claustrum. Talis ordo tota servandus æstate : jejunii diebus exceptis usque ad Kalendas Octobris. Per totam igitur hebdomadam semper in laudibus antiphonæ imponantur propriæ. Tertia feria Passionem secundum Marcum legant diaconi ad missam cum salutatione absque *Gloria tibi, Domine*.

Feria quarta post Palmas non est agenda processio. Ad sacrum officium : *In nomine Domini*. Oratio *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nostris*. Lectio. *Dicite filiæ Sion*. Responsorium. *Ne avertas faciem*. Lectio. *Dixit Isaias, Domine qui credidit*. Tractus duo decantent in albis. Legatur Passio cum B salutatione et sine *Gloria tibi, Domine*. Ad vesperam, Responsorium. *Circumdederunt me*. Hymnus : *Vexilla regis*. Preces : *Ego dixi : Domine, miserere mei*. Officium mortuorum non cantatur, sed post completorium cortina tollenda.

Si aliqua festivitas sanctorum evenerit, ex hinc usque ad feriam quintam in albis Paschæ postmittatur, et postmodum celebretur.

CAPUT II.

Qualiter agatur in Cœna Domini.

Cœna Domini quinta feria, ante nocturnos quindecim in instrumento lignorum ante majus altare totidem sint accensæ candelæ, quot psalmi sunt imponendi. Et remanentibus triginta psalmis, ante C nocturnas dicant quindecim sub silentio post ternas orationes factas. Signa sonet secretarius sicut solitus est. Quibus dictis sonantibus signis, priusquam dimissa fuerint hebdomadarius incipiat antiphonam, *Zelus domus tuæ*. Et statim exstinguatur una candela hinc, alia inde, sicque fiat omnibus psalmis incipientibus [*al.*, incœptis].

Ad obsequium namque ipsum matutinale sive per horas diei, antiphonæ quas dicunt ad finem, tonum non faciant quemadmodum soliti sunt. Infantes pronuntient psalmos : sine benedictione lectiones incipiantur et metro, vel melodia finiantur. Primæ tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ legantur : *Et factum est postquam in captivitate ductus est in Israel*. Apud nos legantur sine cantu sicuti aliæ lectiones. Deinde tres aliæ de sermone sancti D Augustini super psalmum, *Exaudi, Deus, orationem*. Postea de epistola ad Cor. : *Primum quidem convenientibus*. Quando psalmus imponitur. *Laudate Dominum de cælis*, omnes exstinguantur candelæ præter unam : et magistri propter custodiam inter infantes veniant. Unus ex magistris accendat candelas, et lanternam. Et cum cantor inchoaverit antiphonam : *Traditor autem* : exstinguatur illa quæ sola remansit candela. Finitis cantico et antiphona, prosternantur, et oratione : preces et psalmum, et collectam dicant sub silentio. Cum vero prior fecerit signum, surgentes fratres revertantur in dormitorium. Cum cœperit illucescere sonetur squilla modice. Cantent primam, hymnos et psalmos cum antiphona communiter : preces autem separatim sub silentio. Sed et septem psalmos cum litania generaliter, sicut nocturnæ laudes et matutinæ sine versu *Deus, in adjutorium meum intende* recitantur : sic et aliæ regulares omnes horæ post hymnum sine *Gloria* pronuntiantur. Forsan non intellexisti bene? dicamus denuo, ut intelligas melius. Ad horas hymnum sicuti dixerunt præterito tempore Quadragesimæ, ita persolvant et psalmos regulares imponant. *Gloria tibi, Trinitas, Gloria Patri, etc.* et *Deus, in adjutorium meum intende* : istis tribus diebus dimittantur.

Hora finita si aliquis frater venerit ex itinere accipiat benedictionem sicut solitus est. Quando signum pulsatur ad tertiam, more solito præparentur. Et interim dum dicitur tertia, calciamenta, quæ danda sunt fratribus in capitulo per ordinem suspendantur in medio, in quatuor perticas, et totidem columnis, affixis sustentantes eas, statimque post tertiam veniant in capitulum. Et similiter sicut in ecclesia sine benedictione petita, lectione recitata sed et versu, et oratione consuetudinaria sub silentio dicta, lectaque de regula lectione, denuntiet puer brevem et hebdomadarios coquinæ nominatim, et sint plusquam aliis temporibus (8). Post sermonem factum surgant camerariorum unus hinc, alius inde, et calciamenta fratribus tribuantur sicut conscripta sunt. Aliis rebus necessariis ordinatis, abbas debet, et jubere potest illis, qui in ipsa septimana sunt ad sex fratres nominatim qui cum ipso abluant pedes, ac senioribus post. Hebdomadariis exeuntibus a capitulo, quinque psalmos secundum consuetudinem, si anniversarius fuerit, dicant in altum : orationem Dominicam et preces sub silentio.

Si qui indigent nocturnales (9), a camerariis accipiant reddentes veteranos; quia diurnales jam simul supra in præfato loco susceperunt. Post capitulum, aliquantulum intervallum factum, sonent signum ad matutinalem missam pro adunatione pauperum, et sacerdos qui alia hebdomada majorem missam cantaverat, missam peregrinorum dicat, et oblata tribuat. Ostiarii ecclesiæ serviant ipsis sacerdotibus, dum signum pulsatum fuerit sicut superius taxavimus. Alii vero sacerdotes qui missam agere volunt absque igne faciant tandiu, quousque major secreta inchoata fuerit. Postea illi qui dictam non habuerint, accepta licentia ignem habeant. Hora competenti agatur nona : et tunc vestiant se qui missæ servitia complere debebunt et qui cantilenæ, et tres servitores, et infantes omnes. Venientibus illis in choro, incipiat abbas psalmum. *Miserere mei, Deus*, et tunc veniant ordinatim ad ignem benedicendum: in primis aqua sancta, atque incensum, denique crux.

(8) Supple *in capitulo*.

(9) *Nocturnales*, vestes, quibus noctu monachi utebantur : sicut econtra *diurnales* vocabant, quas de die induebant.

Sacerdos et secretarius, qui perticam portare debet illo die, dein infantes, et postmodum domnus abbas, et alii sicut sunt. Priores, et conversi eos immittentes in novissimis locis, duo et duo. Ubi pervenientes; dicat sacerdos, *Dominus vobiscum*, et benedicat focum novum, et tunc aspergat aqua benedicta in eo, atque accendat candelam perticæ, ex alia quam infans portare in lanterna debet. Tunc veniant canendo tres psalmos. *Deus, in nomine tuo. Miserere mei, Deus, miserere mei. Deus misereatur nobis. Deus, in adjutorium meum intende*: intrantibus ex janua majoris templi. Psalmodia vero protendatur quousque veniant in chorum. His tribus æqualiter processio celebratur diebus. Tunc vertantur formulæ(10), similiter et omnia signa pulsentur. Postea vero vel in ecclesia vel in claustro nullum sonet æramentum: sed et quidquid facere debent fratres, tabulæ sonitu nuntient usque ad missam in sabbato sancto. Deinde missa festive celebretur. Cantor in choro cappa, diaconus dalmatica, subdiaconus tunica sit vestitus. Ad introitum missæ dicant, *Gloria Patri*. Epistola, *Convenientibus*, duo fratres responsorium canant, *Christus factus est*. Evangelium, *Ante diem festum Paschæ*. Offertorium, *Dextera Domini*. Et tantum mittantur hostiarum ad consecrandum, ut et ipsa die, nec non et in crastinum omnibus sufficiat ad communicandum. Ad pacem etiam omnes venire, communionemque cuncti debent etiam infantes accipere. Post missam pulsata tabula, fiat brevis oratio, sicut aliis diebus ante vesperam solitum est.

Posteaquam exuti fuerint illi qui sancta administrarant, simul omnes in refectorio veniant mixtum accipere. Decanus autem claustrensis, et decanus dignior forensis, cum camerario (etiam de aliis fratribus, quibus velint, assumptis), interim dum in refectorio sunt fratres, in locum quo constitutum est, videlicet in claustro juxta ecclesiam deducant pauperes ad sedendum.

Exeuntibus de refectorio fratribus sonet prior tabulam; conveniant omnes in claustrum, juxta promptuarium stent, ibi sicut sunt priores ordinatim, ut moris est, ad processionem stare. Pueri eant in schola, magistro inter eos stante juxta ordines suos, in ante pauperes. Incipientes cantores antiphonam, *Dominus Jesus*, flectant omnes genua sua in terra ad orientem, ut in eis Christus adoretur. Eademque ante peregrinos faciant magistri cum infantibus, et incipiant lavare, post psalmum, *Deus misereatur*. Postquam unumquemque versum expletum cum antiphona *Dominus Jesus*, habuerint, psalmus incipiatur, *Beati immaculati*: et ad unumquodque capitulum iterum incipiatur, *Dominus Jesus*, usque, *lucerna pedibus meis*. Postea dicantur aliæ antiphonæ, donec singuli fratres singulis pauperibus pedes lavent, tergant et osculentur. Ille namque qui lavat, tergat atque osculetur eorum pedes; alius accipiens linteum in primis concham: ipse eat ad locum ubi

A frater stat cum aqua et mantile, abluat manus suas, et regrediatur in suum locum. Cæteri similiter faciant: dum omnes abluti fuerint, incipiant donare aquam illorum manibus, tenente fratre mutuo mantile ad illos, et sic semper unusquisque [*supp.* faciat]: hoc ut factum habuerit, in locum suum iterum veniat.

Illico ut cuncta facta fuerint, sonet prior tabulam uno ictu tantum. Tunc habeant cellarii vinum præparatum, et camerarii unus hinc, alius inde, fratribus propinant vinum. Et denarios præparatos habeant, ut dum fratres accipiunt scyphum donent pauperibus. Quibus dantibus vasculum, manus illorum osculentur, atque iterum nummos duos vel tres tribuant cum osculatione. Quod cum fuerit factum,
B dicat abbas si præsens fuerit, *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster*, et *Et ne nos*. Post hanc orationem dicant aperte, *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam. Tu mandasti mandata tua, Domine. Tu lavasti pedes discipulorum tuorum*. Et oratio. *Adesto, Domine, nostræ servitutis*. Psalmus. *Miserere mei, Deus*, dicatur sub silentio, sicque sonantibus tabulis eant in chorum ad vesperas; cumque fuerint singuli in locis suis, puer incipiat antiphonam, *Calicem salutarem*. Psalmus, *Credidi*. Antiphona, *cum his qui*. Psalmus, *Ad Dominum dum tribularer*. Antiphona, *Custodi me*. Psalmus, *Domine, clamavi*. Antiphona, *Considerabam*. Psalmus, *Voce mea*. Euntibus senioribus ad
C refectorium, secretarii discooperiant altaria. In refectorio sint tabulæ coopertæ, et charitatem faciant. Ipsa die non debet eleemosynarius panem et vinum accipere, neque Sabbato sancto quod remanserit in refectorio. Cum exierint fratres versiculos et omnia dicant sub silentio; deinde lavent pedes suos, et præparentur ad mandatum fratrum.

Primum autem cum ad mandatum convenerint hebdomadarii, qui exituri sunt de coquina sequenti Dominica, pedes omnibus lavent. Postea domnu[s] abbas, si præsens fuerit, ex una parte, prior e[x] altera lavent pedes, tergant et osculentur. Quo[d] cum fuerit expletum, veniat domnus abbas in locu[m] suum, et duo fratres lavent ipsi pedes. Servitore[s] autem foras capitulum lavent. Cum vero manu[s]
D ablutæ fuerint, veniat diaconus et tres servitores [et] vestiantur in ecclesia: diaconus stolas habeat, [et] accipientes duo candelabra cum candelis, et thur[i]bulum cum incenso, sonetque secretarius cum l[i]centia tabulam. Alter analogium portet, et diac[o]nus textum. Quibus ita capitulum intrantibus an[te] evangelium surgant omnes, et annuntiante abbat[e] incipiat legere. Cum venerit ad illum locum ubi d[i]citur, *Surgite, eamus hinc*, sonetur tabula, talite[r]que procedant ad refectorium: in primis analogiu[m] et thuribulum cum incenso, dein illi duo cum ca[n]delabris, diaconus in medio illorum. Deinde a[lii] duo et duo: infantes quippe in novissimo loco v[...]

(10) Formulæ, formæ, scamna, sedilia.

niant ante abbatem. Pervenientibus itaque in refectorium, domnus abbas et prior, ministrantibus eis quibus injunctum fuerit fratribus,dantes osculentur manus eorum, et infantibus similiter; lectione autem terminata, diaconus ablata stola cum aliis, qui sunt in albis, ad tabulam domni abbatis sedentes, potum similiter accipiant, et bibant. Cum inde revertuntur ad ecclesiam, unusquisque stet in suo loco versus contra orientem; juvenes ad formas stent, cantent completorium sub silentio unusquisque per se.

CAPUT III.

In Parasceven qualiter agatur.

In Parasceve totidem sint accensæ candelæ ad nocturnas, quot psalmi sunt imponendi : facta trina oratione perstrepentur tabulæ loco signorum in claustro. Lectio ad ingressum, *Et recordata est Hierusalem*, ex Hieremia. In secundo, *Considerantes autem*, ex tractatu beati Augustini. Tertium nocturnum legatur de Epistola ad Hebræos, *Festinemus ingredi* ; reliqua alia sicut supra. Die ista sed Sabbato horas sub silentio dicant, regulariter versis vultibus ad altare. Juvenes ad formas stent : *Dominus vobiscum* nusquam dicatur pro hac die; ad primam veniant discalciati, quam dicant sub silentio. Antiphona ex Evangelio ipsius diei, sicut die illa ad horas præmiserunt de suis; ita et Sabbato sancto de proprietaneis antiphonis prosequantur. Post primam dicant septem psalmos communiter, et litaniam. Exeuntes communiter fratres dicant in claustro Psalterium ex integro, *Laudate Dominum de cœlis* usque. Sed et infantes cum magistris similiter faciant. Coronæ et omnes cruces discooperiantur ante tertiam; istis namque duobus diebus, majus fiat intervallum, quam soliti sunt agere.

Post nonam vero vestiantur albis illi, qui obsequium agere debent ecclesiæ, et infantes toti. Revertentibus ex igne benedicto, prior debet portare lumen. Illico ut perventi (*ita mss.*) fuerint in choro, subdiaconus dicat lectionem Hieremiæ, *Hæc dicit Dominus Deus : In tribulatione sua mane consurgent ad me*. Revertentibus ex igne benedicto, veniant sacerdotes de sacrario cum sacris ordinibus cum silentio nihil canentes ad altare, postulantes pro se orari. Dum facta fuerit confessio cum levita dicat, *Oremus*, diaconus pronuntiet, *Flectamus genua*, et post paululum dicat, *Levate* (11); et sacerdos promat hanc orationem, *Deus a quo et Judas*. Prophetia, *Hæc dicit Dominus*. Tractus, *Domine, audivi*. Tunc præcedat sacerdos et dicat ad altare, *Oremus*. Levita pronuntiet, *Flectamus genua*. Oremus, *Deus qui peccati veteris*. Lectio de Exodo, *Dixit Dominus ad Moysen*. Tractus, *Eripe me, Domine*. Similiter recapitulent per unumquemque versum. Passio sine salutatione legatur. Cum autem dixerit ille, qui legit versum, *Diviserunt sibi vestimenta mea*, venientes juxta altare unus hinc, alius inde, dividant sibi sindones : qua perfecta veniat sacerdos ad altare, et solemnes orationes, quæ sunt in Sacramentorum libro dicat : et pro Judæis non dicatur *Flectamus genua*.

Quibus exactis ordinentur tapetia ante altare, et sacerdos exuat se casula atque stola, et diaconus stola; quia in hac hora sine casula esse debet. Deinde exeant duo sacerdotes vel diaconi, albis induti sustentantes crucem quæ velata esse debet, retro altare canentes versum, *Popule meus*. Hæc communia sint ante altare; duo albis vel tres similiter induti Græce respondentes, ἅγιος ὁ Θεός : deinde clerus Latine prosequens decantet, *Sanctus Deus, Sanctus fortis* : inde duo, qui crucem sustentant moventes se deferant crucem aliquantulum in antea canentes iterum versiculum, *Qui eduxit te*. Respondeant duo, ἅγιος ὁ Θεός : ac deinde clerus, subsequatur : *Sanctus Deus* : iterum vero qui crucem sustentant accedentes prope altare canant, *Quid ultra*. Respondeant duo, ἅγιος ὁ Θεός : ac deinde clerus : *Sanctus Deus*. Tunc ipsi duo qui crucem tenent venientes ante altare, crucemque nudantes incipiant antiphonam, *Ecce lignum crucis*. Finita antiphona, chorus dicat, *Venite, exultemus*, vel *Beati immaculati*. Tunc projiciant se omnes in terra adorantes sanctam crucem ; dumque adoratur, duo illi sustentent crucem, quousque alii veniant et ipsi ad adorandum. Chorus antiphonam decantet, *Crucem tuam*. Post antiphonas canentur hi versus, *Crux fidelis*, et alii sicuti scripti sunt.

Cum vero a loco ubi adorata est tollitur, et in loco erigitur disposito, hæc antiphona imponatur, *Super omnia ligna cedrorum*. Qua peracta abluant manus suas duo presbyteri, et diaconus qui debet corpus Domini tractare, casulis induti vel cappis : ad aram constitutam veniant cum candelabris atque incenso, et ordinent ibi calicem cum vino et aqua in ipso infusa, et conficiatur Domini corpus. Mox ut perfectum habuerint, et cœperint pergere ad altare majus in quo ordinatam habeant sindonem atque corporale, illico prosternant se omnes : item et sacerdos accipiat thuribulum et calicem incenset atque alte dicat *Oremus : Præceptis salutaribus. Pater noster*. Deinde, *Libera nos, quæsumus, Domine*, sub silentio. Subsequatur alte, *Per omnia sæcula sæculorum* et mittat corpus Domini in vino. *Pax Domini* prætermittat. Deinde per ordinem veniant omnes ad communicandum, etiam infantes, et cum communicati fuerint, sonetur tabula, factaque oratione lavent pedes suos, et calcient et revertentes ad ecclesiam pulsantesque omnes tabulas dicant vesperas sub silentio unusquisque sibi. Antiphona, *Cum his qui*. Psal. *Ad Dominum*. Antiphona. *Ab hominibus iniquis*. Psalmus, *Eripe me, Domine*. Antiphona, *Custodi me a laqueo*. Psalmus, *Domine, clamavi*. Antiphona, *Considerabam*. Psalmus *Voce mea*,

(11) Nota idem diaconus utrumque dicebat, *Flectamus genua* et *levate*, subdiacono tacente.

Antiphona, *De manu filiorum*. Psalmus, *Benedictus*. Aliud non est imponendum nisi antiphona, et *Magnificat* secrete sibi dicentes. Deinde *Kyrie eleison*, etc. *Pater noster;* preces ; *ego dixi Domine*, adjungentes psalmum *Miserere mei, Deus, Oremus*, et finitur.

Secretarii vero præparent se et lavent altaria, in primis aqua, et postmodum de vino. Biduo ante habeant famuli ecclesiam scopatam, atque aliquid ex scirpo missum, et in claustro similiterque capitulo. Senioribus in refectorio pergentibus tantummodo panem et aquam accipiant et de herbis si voluerint : quidquid paratum est eleemosynarius accipiat. Iterumque secundum consuetudinem pulsata tabula veniant ad bibendum, sed et eleemosynarius illis, si ita volunt, aquam bibentibus totum vinum accipiat : ad collationem autem dum conveniunt pulsata tabula ad charitatem, ad bibendum portetur omnibus vinum.

CAPUT IV.

Qualiter agatur in Sabbato sancto.

Vigiliæ matutinæ et omnia celebrantur, quemadmodum jam intulimus. In primo nocturno lectiones de Hieremiæ lamentatione. In secundo nocturno, expositio, *Deus, laudem meam*. In tertio nocturno. *Christus assistens pontifex*. Valde namque mane adornetur tota ecclesia cortinis lineis atque laneis et palleis per parietes undique. Formulas tapetia, chorum circumdent bancalia. Arcum principalem magnis ornamentis aptis pro ea re expositis ponant, et alia ornamenta adornent, sicut in die Natali Domini. In cerei namque columna scribat Armarius annos Domini, et epacta qualiter ipso anno currere cernitur, priusquam incipiat benedicere. Post nonam vestiantur omnes qui ad sacrum aliquid habuerint legendi vel canendi, aut servitium faciendi, et tunc infantes vel omnes fratres veniant in ecclesiam, et pergant ad ignem benedicere in claustro. Abbas portet lumen. Revertentibus induat se diaconus stola et dalmatica, et illico incipiat sanctificare cereum. Dum fuerit benedictus, ipseque semper ardere debet, sicut in ejus benedictione dicit beatus Gregorius, usque in crastino dum missa expleta fuerit. Sint octo circumdati cappis, qui ad missam *Alleluia*, vel tractum cantent.

Missam matutinalem in hac die non convenit [*supp.* dici], nisi postquam fuerint lectiones expletæ aut inchoatæ. Et si est aliquis qui ante missam vult agere (quod raro est concedendum), sed tamen cum licentiam domni abbatis habuerit, debet habere tres vel quatuor ministros, qui eum adjuvent : sine igne tamen faciat in hac hora, nisi forte domnus abbas talem locum remotum ipsi præstiterit, ut ignem benedicere possit. Sive iste sive illi qui post lectionem dicunt missam, litaniam faciant, priusquam missam incipiant. Nam illi qui priusquam cereus est benedictus dicunt sacram, lumen habeant. Lectiones legant imprimis priores et tunc juniores. *Lectio libri Genesis*, nec ad istam, nec ad ullam alia-
A rum pronuntiabitur : sed tantum initium lectionis incipitur quale erit.

Similiter faciat Sabbato Pentecostes. Lectio prima, *in principio*. Finiente veniat sacerdos ad altare, et hanc orationem dicat : *Deus, qui mirabiliter creasti hominem*. Secunda lectio, *Factum est in vigilia matutina*. Tractus, *Cantemus Domino*, a duobus dicantetur in albis. Oremus, *Deus, qui antiqua miracula*. Lectio. *Apprehendet septem mulieres*. Tractus, *Vinea facta est*. Oremus, *Deus, qui nos ad celebrandum*. Lectio, *Hæc est hæreditas*. Canticum. *Attende cœlum*, Oremus, *Deus, qui Ecclesiam tuam*. Sine lectione canticum de psalmo *Sicut servus*. Oremus. *Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa*. Alia oratio, in eodem psalmo quadragesimo primo : *Omnipotens*
B *sempiterne Deus, respice propitius*. Deinde veniant duo fratres in choro cum cappis, et inchoent litaniam per omnia ut mos est dicere pueris feriatis diebus ante missam. Imprimis duo ipsi, deinde chorus abbatis, postmodum ex alia parte, *Propitius esto*. Ut *Agnus Dei* dixerint procedat sacerdos in sacrario cum aliis ministris, et tunc subdiaconus induatur tunica. Statim ut peracta fuerint initient. *Accendite, Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison*, quod dicant sicut mos est dicere missæ. Tunc pulsentur omnia signa et candelæ accendantur ante altare, et per unumquodque altare ardeat una candela usque ad finem.

De sacrario non portetur lumen ante evangelium in hac die, sed tantummodo incensum solum. Sed
C tamen ab inchoatione evangelii usque ad finem missæ, sicut mos est candelabra teneantur, veniantque ad aram, faciant orationem sacerdos et levita. Dimissis signis dicat sacerdos, *Gloria in excelsis Deo*. Oremus, *Deus, qui hanc noctem*. Epistola, *Sicut surrexisti*, Alleluia, *Confitemini Domino*. Tractus, *Laudate Dominum*. Offertorium, communio, nec *Agnus Dei* dicatur; quia vere ipse Agnus immolatus est pro peccato mundi. Mox ut communicatum fuerit, dicatur oratio post communionem, et *Ite missa est*. Sonentur simul duo squillæ. Ad vesperam preces faciendæ, ad ultimum conclassentur (12) omnia signa, *Alleluia, vespere autem*. Psalmus, *Confiteantur* cum aliis. Lectio, *Sicut surrexisti*. Responsorium, *Maria Magdalena*. Hymnus, *Ad cœnam Agni*. Versi-
D culus, *Surrexit*. Abbas et sacerdos induantur cappis ad altaria aromatizanda. Antiphona, *Vespere autem Sabbati*. Oremus, *Deus, qui hanc sacram*. Expleta sanctorum suffragia, eant ad sanctam Crucem hoc responsorium canendo, *Dum transiisset*. Versiculus, *Dicite in nationibus*. Oremus, *Deus qui ad æternam vitam in Christi resurrectione*. Dicta ipsa vespera pergant ad reficiendum. Ipso die in refectorio tabulæ coopertæ sint et charitatem faciant : et præstantius habeant, quam cæteris diebus ipsi [*f.* usi] fuerant. Mandatum eo die non faciant, quia quinta feria factum est Deo opitulante.

(12) *Classicum, conclassare*, pulsatio omnium campanarum.

CAPUT V.

Mores paschales sic observetis ovantes.

Sanctissimi Dominici Paschæ die ante nocturnale obsequium accendantur omnes (13) coronæ, et phari (14), et tria candelabra ante altare, et una post tergum ejus. Ad cantica augeantur decem anterius et novem posterius, et quindecim superius. Invitatorium a quatuor decantabitur in cappis. In primo nocturno, antiphona, *Ego sum qui sum*. Psalmus, *Domine, in virtute tua*. In secundo nocturno, *Postulavi Patri meo*. Psalmus, *Dominus illuminatio*. Ad canticum, *Ego dormivi*. Canticum, *Quis est iste*. Octo lectiones ex evangelio, *Vespere autem Sabbati*. Expositio beati Hieronymi. Post trinas lectiones sit sacerdos indutus cappis, incenset tantum principale altare, et deinde fratres in choro. Responsoria a binis dicantur. In tertio nocturno homilia beati Gregorii papæ, *Maria Magdalena*. In matutinis laudibus, antiphona, *Angelus autem Domini*. Dum finitur antiphona, repetant *Alleluia* ex ipsa, eademque faciant in choris.

Ad stationem responsorium, *Maria Magdalena*. Versiculus, *Dicite in*. Oremus, *Deus qui per resurrectionem*. Priusquam primam inchoent, tres calices aurei, et reliqui minores, et totidem libri parati, et altaria, et duo candelabra, quæ jugiter ardeant perenni die, in altari supra ponant. In horis singulis accedantur tria candelabra. Ad hymnorum finem dicant: *Quæsumus, auctor omnium. Gloria* ad matutinalem missam. Unam orationem dicant, et præfationem dimittant. Abbas namque jubeat, ut aliquis ex fratribus aliam missam canat communicaturus laicos. Dum *Sanctus, Sanctus Dominus* istius missæ dicitur, a maximo usque ad minimum induantur albis. Mox ut aqua fuerit benedicta, imponant antiphonam hanc, *Vidi aquam*. Tunc veniunt duo de juvenibus vel de infantibus, quibus annuerit armarius, et induantur tunicis, ad deferendos textus evangelii et reliqua alia. Tunc imponat domnus abbas antiphonam, *Cum rex gloriæ*. Exeuntibus vero in atrio ante januam monasterii, stent ordinati ut venerunt in medio seniores, sicut mos est in choro stare. Tunc armarius annuat cantoribus, quibus ei visum fuerit, ut conveniant in medio post infantes, imponantque hanc antiphonam, *Crucifixum in carne*. Et cum repetitione, *Nolite metuere*. Intrantes ecclesiam paraphonista incipiat antiphonam, *Christus resurgens*, vel responsorium, *Surrexit Christus*. Pulsantibus omnibus signis, dicta oratione agant tertiam.

Secretarii cooperiant altare ex duobus palleis (15), et album, et tunc donent cappas, quæ in choro debent esse ad armarium. Et tunc incipiat ipse secre-
A tarius distribuere per singulos alios [*f.* albas] etiam ad conversos, ad infantes tunicas. Pulsantibus signis omnibus, officium duodecim teneant. Responsoria quatuor, alleluia sex, candelæ ante altare duodecim, posterius decem: ad sequentiam, pulsentur duo signa: expleta missa, cætera [signa]. In refectorio hæc generalia habeant: prima ministratio ex pisciculis, cellerarius debet præparare, et septimanarius deportare. Secundo, quod præparatum habuerit coquinarius deferatur, et cellarius imponat. Nam ut factum habuerit, sonet signum annuente abbate, et illico surgat refectorarius, percutiat uno ictu squillas. Tunc surgant omnes conversi ad propinandam potionem. Interim vero cellararius cum suis officialibus deportet pitantiam ad mensam prius domni
B abbatis, et inde per alios. Illico surgat procurator refectorarius, faciat ut prius, conveniantque omnes diaconi charitatem ferentes. Deinde hebdomadarii coquinæ dent suum pulmentum. Statim ut sonuerit squilla iterum eat provisor refectorii, faciat, ut mos est. Tunc conveniant sacerdotes et propinent vinum; quot vices propinant, tot sonitus squillæ fieri debent.

Hoc quod intulimus non tantum pro gula vel ebrietate explenda, quam ad charitatem tenendam et ob amorem Christi complendum. Trina hæc propinatio, significatio Trinitatis est: quia quidquid agimus in nomine individuæ Trinitatis inchoare ac perficere debemus. Et in hoc absque dubio si quis
C requisierit invenire poterit in concordia regulæ (16). Et in expositione regulæ (17) Hildemari. Surgentes a refectione requiescant in lectulis suis. Approximante hora nona, sonetur signum modice; surgant, lavent manus ac facies suas. Denuo signo pulsante pergant pueri in locum suum in choro; qui tandiu teneant signum quousque ab oratione surgant. Ad vesperam sint omnes candelæ accensæ ante altare. Antiphona, *Dum transisset Sabbatum*. Psalmus, *Dixit Dominus Domino*. Responsorium, *Surrexit Christus*. Ad commemorationem sanctorum, quotidie dicant antiphonam de cruce ex ipsa festivitate: ad stationem antiphona, de sancta Maria pro gentibus.

Tres dies celebrent in cappis cum summa devotione, quod ita agi oportet: ab inchoatione obsequii nocturnalis duo signa pulsabuntur, tria candelabra
D ante, et retro unum; invitatorium duo pueri dicant. *Surrexit Dominus vere. Alleluia* in primo et secundo nocturno, sive vesperis pueri dicant. Per horas diei hebdomadarii antiphonam dicant. Evangelium pronuntiabitur tota septimana. Responsorium, *Angelus Domini*. In laudibus accendantur ante altare xv. candelæ, retro septem. Tunc sonentur omnia signa,

(13) *Corona*, candelabrum in modum coronæ ac circuli.

(14) *Pharus, pharum, farus*, lucerna sive lychnuchus orbicularis cum certo lucernarum, aut candelarum numero.

(15) *Palleis*, palleum, pallium, palla, altaris tegumentum lineum album. Vide Du Cange, gloss. lat. in voce *palla*.

(16) Hujus *concordiæ regularum* auctor fuit *sanctus Benedictus Anianensis*. Eam Hugo Menardus edidit.

(17) *Hildemari* auctoris sæculi IX expositionem in Regulam S. P. B. in nostra *catena comment. anecdot.* dabimus.

et incipiant antiphonam, *Angelus autem Domini*, et A aliæ quæ sequuntur, tantum unam canendo per singulos dies hebdomadario incipiente. Sacerdos sit in cappa, a quo altaria incensentur. Ad horas tres candelæ : ad matutinalem missam una collecta ; offertorium et alia omnia sicuti die Dominico dicta fuerint, ita dicant tota septimana, præter præfationem quæ non est canenda nisi istis tribus. Ad majorem sint omnes sacerdotes atque levitæ in cappis : tribus corporalibus altare circumdetur : candelæ ante et retro illuminentur. Offertorium sex sustentent ; in expletione missæ omnia signa pulsentur. In refectorio quotidie faciant charitatem, similiter collationem. Tota septimana dicantur ad vesperas psalmi sicut die Dominico, cum *Alleluia* qualiter voluerit. Accensio luminis sicut ad missam. B

Aliis tribus diebus mediocriter. Ad nocturnale officium sint tria candelabra ante aram et retro unum. In matutinalibus pulsabuntur omnia signa. Candela una augeatur et tabula discooperiatur ; a pueris autem responsorium vel *Benedicamus Domino* in ante non peragitur, sed in loco suo agitur. Sacerdos alba indutus ad incensandum. Philacteriæ superstolantur (18), et tapetia ex formis auferantur. Ad matutinalem missam omnes collectæ ut solitum est, dicantur. Ad majorem faciant veluti usus est agere in XII lectionibus, et de candelabris similiter. Præfatio prætermittitur.

SABBATO IN ALBIS, Invitatorium, *Alleluia, Alleluia*. In laudibus, sive vesperis responsoria brevia qualia voluerint Paschalium : *Alleluia* tam in nocturnis C quam horis per singulos dies decantent, similiter versus qui sunt annotati ipsius diei. In Vesperis sint quinque candelabra ante aram, posterius trina. Psalmos imponant *Confiteantur*. Antiphona. *Cum esset sero* ; oremus, *Præsta, quæsumus, omnipotens*.

CAPUT VI.

Octavis resurrectionis Domini.

Summo studio celebretur : accendantur mox ut expletum fuerit canticum graduum, tres candelæ ante aram, et retro una ; ad canticum augeantur duæ antea, posterius una, superius quindecim. Invitatorium duo in cappis. *Alleluia*. Lectio sanctorum Patrum, seu Actus apostolorum : *Primum quidem*. Responsorium, *Angelus Domini*, quartum, octavum, D et duodecimum a duobus decantabitur. Duodenum namque a capite recapituletur post *Gloria Patri*. In evangelio antiphona. *Post dies octo*. Ad matutinalem missam una collecta, et præfatio paschalis. Ad processionem, venientibus ante januam monasterii, dum ordinati fuerint, ut mos est, tunc præcedant quatuor antea in medio et dicant. *Crucifixus in carne* : tunc omnes esse debent sacerdotes et levitæ in cappis. Ad majorem missam sint septem candelabra ante aram, posterius tria ; præfatio canitur. Ad explanationem sacræ omnia signa pulsentur. Ad horas tria candelabra sint. Ad vesperas *Alleluia* quemadmodum diatim (19) ordinate sunt soliti imponere ita persolvant, et psalmos ipsius diei Dominici recitent.

CAPUT VII.

Pascha annotina (20).

Sanctum Pascha quod præterito anno celebravimus, si in quadragesima occurrerit, nullatenus agitur : si vero post Pascha inventum fuerit, omne, quemadmodum in Domini resurrectione decantandum est, ita adimpleatur ; præter evangelium quod legitur : *Erat homo ex Pharisæis*. Quando in duodecim lectiones evenerit, matutinalis sacra inde agatur, et si in quotidianis diebus adventaverit, majorem missam celebrent ex eo.

Cum octavæ Paschæ celebratæ fuerint, hoc modo agant privatis diebus : mox ut expleverint nocturnale obsequium, sonent signum, et matutinæ laudes inchoentur. In hoc namque loco priusquam alia inseramus, aliqua locutiuncula perdignum ducimus ut dicamus. Erunt forsan nonnulli qui hæc inquirent, qua ratione intervallum non fit. sicut regula præcipit ? Respondeo, sunt quippe nonnulli fratres qui diverso morbo laborant, quod antecessores nostri utiliter præviderunt, hanc discretionem habere [habendam], ut ad nocturnale obsequium mox ut dictum fuerit, *Venite, exultemus Domino* : in laudibus, *Deus, misereatur nostri*, exeant illi qui indigent, et revertantur, prout ipsi potuerint ; pro alia aliqua [*suppre aut* causa] nullo modo assensum damus : etiam illos, qui frequenter hoc agunt, corripimus. Insuper et psalmos quos studiose decantare Domino suffragante debemus, propter brevitatem noctium absque mora oportet initiare. In evangelio antiphonæ quæ fuerunt ex die resurrectionis possunt dici cum cæteris, quæ in die Dominico habentur, usque in diem ascensionis Domini. Expleta sanctorum suffragia eant canendo antiphonam de sancta Maria et agant matutina omnium sanctorum, et matutina pro defunctis fratribus nostris, et quinque psalmos pro fratribus nuper defunctis. Ante primam subtollantur pallia ecclesiæ, et alia ornamenta, quæ usum [moris] est auferri. Ad primam, *Miserere mei, Deus*, septem psalmos, et litanias et missam pro defunctis. In capitulum convenientibus tribus vicibus, *Deus in adjutorium meum intende*, absque genuflectendo dicant ; surgentibus ex ipsis infans (qui primus de aliis est) præparare tabulam semper debet ad priorem, vel ad illum qui ordinem tenet, si præsens prior non erit, quæ sexies percuti debet.

Psalmos de horis familiaribus, quos solebant dicere, dimittant. Nam si evenerit, ut aliquem psalmum imponi necesse fuerit, aut jam inchoatum habuerint, vel defunctum tenuerint, pro hoc decantare congruum videtur. Pulsante hora tertia conveniant omnes in ecclesiam, et oratione expleta eat sacer-

(18) Id est capsæ, in quibus SS. Reliquiæ reconduntur, stola seu pallio ornantur.

(19) Id est, per singulos dies.

(10) Dies annuus, quo celebratum fuit Pascha, sive anniversarium diei Paschatis.

dos cum ministris et inalbent (21) se. Venientes in choro denuo, signum pulsent et horam reddant. Et puer inchoet litaniam ; ad offerendam vadant quemadmodum mos est. Sexta feria namque agere debent missam sanctæ Crucis. Post nonam exeuntes ex refectorio, coadunentur in capitulo, et domnus abbas dicat tribus vicibus, *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Tres vices genua nullo tempore in hac prece curvabuntur. In primis agatur reverentia, atque tabula sonetur. Oremus, *Pater noster. Et ne nos. Adjutorium notrum in nomine Domini. Benedicite.* Si quis horæ nonæ non præsens fuerit somni negligentia, in capitulo satisfactionem faciat omnibus stantibus. Alia namque, facta sacra, finientur. Exeuntes inde inclinentur ante et retro, et pergat unusquisque quod ei injunctum fuerit. Ad vesperas namque, exeuntibus servitoribus de refectorio, sonetur signum, et conveniant cuncti in unum, et agatur officium mortuorum.

CAPUT VIII.

Dominica prima post octavam Paschæ.

Sabbato ad vesperam responsorium, *Ego sicut vitis.* Invitatorium, *Alleluia.* In primo nocturno, *Alleluia, ego sum.* Lectio de Apocalypsi Joannis apostoli. Responsorium, *Dignus es, Domine*, duabus hebdomadis.

Dominica II, sicut in prima. Responsorium breve dicat schola cum *Gloria Patri.* In primo, *Surrexit Dominus de sepulcro.* In secundo, *Surrexit Dominus vere.* In tertio, *Gavisi sunt discipuli :* adhuc usque Kalendas Septembris dicantur propria ad diem pertinentia, præter quando historia ponitur, quæ ex ipsa majores fratres promant. In resurrectione Domini servitores exeuntes ex refectorio eant per scholam in oratorio sanctæ Mariæ suaviter decantando, *Miserere mei, Deus.* Totum æstivum tempus hic faciant, si bis comessuri sunt : in sera vero inde non retrocedant, sed per altum claustrum juxta promptuarium.

Dominica III post octavas Paschæ. Sabbato ad vesperam. Responsorium, *Viderunt te aquæ, Deus.* In crastino legantur de septem epistolis canonicis. Responsorium, *Si oblitus fuero tui.* Usque in ascensa Domini.

In festivitate apostolorum Philippi et Jacobi. Ad vesperam quina candelabra ante altare. Lectio, *Stabunt justi.* Responsorium........ a duobus in cappis dicatur, *Alleluia, ego sum vitis.* Lectiones de passione ipsorum. Responsorium. *Virtute magna.* Quartum, octavum, duodecimum ibi decantentur. In tertio Nocturno lectio expositionis Evangelii ipsius diei. In matutinalibus, antiphona *Ego sum via*, cum aliis responsoriis quatuor atque *Benedicamus Domino* cantent ante aram pueri : et matutinalem sacram ex eo agant. Debent esse omnes sacerdotes atque levitæ ad majorem missam in cappis ; septem cerei ante altare : quatuor fratres teneant officium,

A Epistola, *Stabunt justi. Alleluia, stabunt justi.* Item *Alleluia. Confitebuntur.* Ad vesperas, *Alleluia*, ex antiphonis ipsius diei unam tantum, et psalmos apostolorum.

Inventio sanctæ crucis. Ad vesperam responsorium, *Super omnia.* Antiphona, *Crucifixus in carne, alleluia, alleluia.* Psalmi ex feria ipsius diei. Capitulum, *Mihi autem absit.* Responsorium, *Super omnia.* Hymnus, *Vexilla.* Versiculus, *Hoc signum crucis.* Antiphona, *O crux. Oremus,* ipsius diei : et repetant antiphonam de sanctis. Statio fiat ad sanctam crucem ; responsorium et oremus de ipsa cruce. *Venite* a duobus dicatur in cappis. *Alleluia,* sicuti diebus dominicis solitum est ; hymnus, *Æterna Christi.* Lectiones octo de sanctis. Respon-
B sorium, *Pretiosa :* quartum, octavum et duodecimum duo fratres decantent. Ad canticum antiphona, *Alleluia, dulce lignum,* vel *Propter lignum.* Canticum, *Domine, audivi,* quod dividatur in binas ; Gloria videlicet, *Nunquid in fluminibus :* Gloria, *Existi in salutem.* Homilia de Evangelio, *Erat homo,* cum expositione ejusdem. In laudibus antiphonæ quæ promantur, breviata responsoria sine *Benedicamus Domino*, tam hac hora, quam ad vesperas pueri ante gradus proclament. Matutinalem missam ex SS. Eventii et Theodoli Natalitia faciant : majorem vero antequam incipiant, sacerdotes atque levitæ omnes sunt amicti cappis. Septem candelabra ordinent ante altare cum illis, quæ conversi deferunt. Officium teneant quatuor, ipsum, *Nos autem.* Epistola,
C *Confido de vobis in Domino. Alleluia, dulce lignum.* Item, *Alleluia, alleluia, Christus resurgens.* Evangelium, *Erat homo :* per horas dicantur antiphonæ de hebdomada. Ad vesperam antiphona, *Alleluia, crucifixus.* Psalmi, *Dixit Dominus, confitebor, beatus, laudate;* hymnus, *Vexilla, oremus.* Cantores repetant antiphonam de sanctis cum *Gloria.*

Dominica prima ante Rogationes, non dicatur psalmus, *Ad Dominum cum tribularer,* nec *De profundis*, pro defunctis; quia illis tribus diebus festive celebrabuntur.

In Rogationum diebus ad matutinale obsequium legant epistolas canonicas exacte ; veniant in alium chorum, canentque ibi matutinas omnium Sanctorum, atque mortuorum sine antiphonis. Eademque
D faciant vespere. Post expletionem ipsorum matutinorum, venientes in dormitorium requiescant. Post primam autem psalmus, *Miserere mei, Deus,* et si aliquis psalmus impositus fuerit, ante ipsum dicatur. Deinde sequuntur hanc psalmodiam, *Deus, auribus nostris,* cum quindecim psalmis pro omnium tribulationibus, cum precationibus sive remunerationibus benefactorum, nec non et pro defunctorum requie ; quinque namque psalmi pro defunctis, deinde septem psalmi, et litania. Missam matutinalem dicant ipsius diei, et collectam, per omnia ut aliis diebus, et si aliquis sanctus fuerit aliquando ipso die, dicatur oratio ad hanc sacram, adjungentes

(21) Albis se induant.

Sanctorum tuorum, et missam pro matutino ad majus altare. Offerendam cuncti faciant; pacem unus accipiat. Ad capitulum non est dicendus, sicut aliis privatis diebus versus, *Deus, in adjutorium meum intende*, nec loquendum est istis tribus diebus in claustro. Per horas, lectiones et orationes ex Domini resurrectione. Post sextam eant in dormitorium, aut paululum requiescant, vel in lectulis, qui voluerint, legant, donec signum audiant: quo audito discalciati veniant, et lavent manus ac facies. Venientes in ecclesiam facta oratione dicant pueri antiphonam, *Exsurge, Domine*. Tunc secretarius vel armarius tribuat philacterias cum reliquiis per singulos, præter pueros vel illos, qui aliquid contagionis admiserunt noctis sopore. Post antiphonam iterum fiat oratio, et dicatur psalmus, *Deus misereatur*. *Pater noster*, et capitulum: *Et veniat super nos*, collecta, *Memento familiæ tuæ*. Debent ita procedere ordinate illi, ut quasi processionem facerent: famuli in primis debent portare fanones. Unus conversus crucem, alius aquam sanctam. Subdiaconus textum Evangelii. Ex uno latere candelabra, et ex alio thuribulum eant. Cum exire cœperint, sonent omnia signa, et dicant antiphonam, *De Hierusalem exeunt reliquiæ*. Post textum Evangelii exeant qui cantare nesciunt: deinde schola cum magistris, subsequantur eos cantores, duo et duo per ordinem gradientes: adunentur omnes, ut usque ad oratorium, quo celebraturi sunt missam, cantent antiphonam. Exeuntibus, famuli habeant ante januam atrii, unius hinc, alius inde præparatas virgas, quas tribuant omnibus etiam infantibus in eundo et redeundo: in ecclesiam intrantibus, ipsi procurent, qui dederunt, recipere atque custodire. Venientibus denique per ordinem, sicut insertum est supra, ante fores ecclesiæ, ubi sacra agere debent, protinus ut ibidem venerint imponant cantores responsorium de sanctorum reliquiis: ibi consecrat signis pulsantibus.

Peracto itaque responsorio dicat sacerdos versum atque *Oremus* [orationem] eorumdem sanctorum, et *Dominus vobiscum*. Post versum seniores ponant philacterias (22) super altare hinc et inde, sicuti in choro consistunt, flectendo genua: mox ut positas habuerint faciant orationem simul, et agant nonam; sacerdos cum ministris induatur vestimentis sacris. Secretarii autem priusquam illuc conveniant fratres, habeant omnia præparata, et pallio misso super altare, et scirpo in pavimento capellæ, illico ut hora dicta fuerit, paraphonista incipiat officium, sacerdos dicat collectam in primis ad ipsum diem pertinentem, et aliam de sanctis, quorum reliquiæ sunt ibidem dedicatæ. Post lectionem Evangelicam accipiat licentiam ille a quo *Agnus Dei* est decantandus, et hebdomarii coquinæ cum procuratoribus refectorii. Offerendam atque pacem unus faciat. Recipientibus singulis philacterias cum reliquiis

A genua flectant ut prius. Dehinc duo incipiant lectionem quibus annuerit armarius de majoribus: *Kyrie eleison* vero dicentibus quo usque veniant ad monasterium; et tunc dicant nomen sancti ipsius ecclesiæ proprii duabus vicibus. Deinde faciant reverentiam. Illi ut supra inchoent. Sanctam Mariam, et alios sanctos qui sequuntur, ut unumquemque bis dicant. Debent namque revertere per ordinem, sicut venerunt. Venientibusque ante valvas ecclesiæ litania conclusa erit. Tunc illi duo circumdati cappis unus hinc, alius inde imponant *Agnus Dei*: dicentibus, *Gloria Patri*, intrent omnes ecclesiam.

Interim famuli personent signa. Fratres autem imponant philacterias super mensam altaris, cur-
B vando genua. Postquam positas habuerint, signis dimissis duo illi amicti cappis inchoent, *Exaudi, Deus*. Clerus respondeat. Tunc illi ut supra secundo, *Exaudi, Christe*. Subsequatur clerus, *Miserere nobis*. Denuo illi bini, *Exaudi*, et clerus, orationem, *Propitius*. Interim illi duo dicant tertia vice, *Sancte sanctorum Deus*. Alii denique sancti semel promantur ab aliis duobus. Clerus simul respondeat, et ita concludatur. Nam inclinare non se debent nisi ad nomina sanctorum, quorum reliquiæ loco ipso consecratæ [constitutæ] sint. Mox ut dicta habuerint tria nomina de sanctarum feminarum collegio, imponant: *Omnes sancti, intercedite pro nobis*, duabus vicibus, et tunc dicant, *Exaudi, Deus*, sicut initio prompserunt, tribus vicibus adjungentes, *Kyrie*
C *eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison*.

Notate quod cum hoc dictum fuerit, inclinentur ante et retro, sicque eant procedentes in dormitoria, accipiantque caligas, et lavent pedes suos. Cymbalo percusso eant in refectorio edere panem. Tunc habere debent generale veluti mos est quinta feria, adjicientes herbas loco pitanciæ. Istis namque tribus diebus sagimen (23) comedere non debent. Charitatem faciant, et eleemosynarii panem et vinum accipiant, quidquid his tribus diebus remanserit. Officium mortuorum quod post cœnam privatis diebus solent dicere, prætermittant.

CAPUT IX.

Vigilia Ascensionis Domini.

Vigilia ascensionis Domini ad primam post lita-
D niam dicant matutinalem missam ad majus altare, de jejunio triduano, et si aliquis sanctus ipso die fuerit, adjungantur ipsius collectæ. Majorem sacram agant ad ecclesiam, ubi processuri sunt cum processione, de Domini ascensione, adjungentes tantum collectam sanctorum, in quorum honore basilica consecrata fuerit, et alia pro populo degente ibi, *Ineffabilem misericordiam tuam*. Postquam reversi fuerint, et litaniæ in choro expletæ, exeuntes lavent pedes suos, atque calcient. Sonante cymbalo coadunentur in refectorio ad edendum. Secretarii adornent ecclesiam: et sicut mos est, sic faciant. Ad

(22) *Philacteria*, sanctorum reliquiæ, ut supra notavimus, col. 1207.

(23) *Sagimen*, adeps, sagina, arvina.

vesperam duodena luminaria ante aram, retro bis trina. Antiphona, *Alleluia, sic veniet.* Psalmus ex feria, *Laudate nomen Domini.* Lectio, *Primum quidem.* Responsorium, *Omnis pulchritudo.* Hymnus, *Hymnum canamus.* Duo sacerdotes induantur cappis circumdando altari incensum. Antiphon, *a Pater, manifestavi,* oremus, *Præsta, quæsumus, omnipotens Pater.* Statio fiat ad sanctam crucem. Antiphona. *O Rex gloriæ, Domine virtutum,* vel responsorium, *Tempus est.* Oremus, *Deus, cujus filius.* Ad Completorium imponant duos versus : *Quæsumus, auctor omnium. Gloria tibi, Domine, qui scandis.* Quos quotidie promant per omnes horas : alii vero hymni cum quali *Gloria* terminati fuerint, cum tali finiantur, sicut doctores ordinaverunt.

CAPUT X.

Ascendens Christus cœlos, hos exigit usus.

Festivitate namque gloriosæ Dominicæ exaltationis, mox ut canticum graduum peractum fuerit, accendantur tria candelabra ante aram et unum retro. Invitatorium quatuor in cappis, *Alleluia, Christum Dominum ascendentem.* Hymnus *Jesu nostra redemptio.* In lectionibus non aromatizabuntur altaria. Denique ipsis ex homiliis beati Augustini : *Glorificatus a Patre,* prima et secunda Nocturna ; in tertia homilia beati Gregorii papæ. Responsoria duo et duo decantabunt. Ad canticum augeantur novem candelabra ante aram, posterius quina, in pertica quindena. Ad stationem, responsorium, *Ponis nubem,* et oratio ejusdem. Ante primam assumant secretarii instrumenta sedium, et ornent capitulum. Ad matutinalem missam una tantummodo collecta, et præfatio ipsius diei præcinatur. Omnes namque debent esse induti albis ante tertiam. Ordinetur processio ad motum per ordinem. Venientes vero in atrio ante januam monasterii incipiant responsorium, *Viri Galilæi,* et ingrediantur sonantibus omnibus signis ; accipiat custos ecclesiæ et tribuat per singulos [*f.* cappas] etiam ad conversos : ad infantes vero tunicas. Dimissis signis agatur officium ab octo cantoribus. Duodecim candelæ ante altare. *Alleluia* quatuor. *Alleluia* sex dicantur. *Credo in unum Deum* canatur ; offerenda duo excipiant, post sacram pulsentur omnia signa. Ad vesperam quotquot fuerint candelæ ad sacram. Antiphona *Alleluia, sic veniet.* Psalmus, *Dixit Dominus,* cum cæteris aliis : et antiphona in Evangelio, *O Rex gloriæ* triplicatur.

Per hebdomadam invitatorium, *Ascendens Christus in altum.* Lectio ad Nocturnum de Actibus apostolorum : *Primum quidem.* Versiculus, et [*supp.* lectiones] quædam de sermonibus sanctorum Patrum ipsi diei convenientes. Responsorium de ipsa festivitate. Ad primam, psalmodia sicut soliti sunt aliis diebus ; et litania atque sacra pro defunctis. Post tertiam agant missam ex Domini Ascensa, litaniam brevem ante dicentes.

Dominica I post Ascensionem. Invitatorium, *Alleluia. Christum præascendentem.* Matutinalem sacram A ex Domini exaltatione : majorem de Dominica quotidie. Si aliquis sanctus adventaverit infra octavam, inde tres lectiones fiant. Invitatorium a duobus *Alleluia.* Lectionem legant de Actibus apostolorum. Responsoria ex sancto ipsius diei ; ad missam adjungentes alia consuetudinarias. Feria quarta sequente dicatur officium Dominicale : collectam adjungentes de ascensionis die, et alias consuetudinarias. Epistola et Evangelium de feria.

Octavis ascensionis Domini, invitatorium duo. Fratres cantent in albis. Antiphonæ per ordinem ad Nocturnas ; sed in laudibus sicut in ipsa festivitate decantaverunt cum sequacibus responsoriis, ita prosequantur. Lectiones octo ex sermone sancti Augustini, *Salvator noster, dilectissimi fratres.* B Responsorium quartum, octavum et duodecimum a pueris dicatur. Resp. breve : *Ascendens Christus in altum. Ascendit Deus in jubilatione. Ascendo ad Patrem.* Homilia ex Evangelio, *Ego mittam promissum Patris mei in vos.* Expositio Bedæ presbyteri. Missam sicut in ejus festo. Vesperæ sub *Alleluia* cantantur cum his psalmis : *Dixit Dominus. Confitebor. Beatus. Laudate.* Duobus diebus qui restant post octavam invitatorium, *Ascendens Christus,* et cætera alia omnia ex ipsa festivitate promantur ; et si aliquis sanctus advenerit, inde tres lectiones efficiant : et agant omnia sicut supra taxavimus infra octavas.

CAPUT XI.

Hæc oportet agi adventu Spiritus almi.

C Vigilia Pentecostes ante primam adornent monasterium, et per omnia sicut Sabbato sancto : videlicet ad primam agant litaniam atque missam pro defunctis. Post capitulum conveniant omnes in unum ad radendum. Post sextam procedant omnes dormitum. Cum signum pulsaverit, surgant, abluant manus atque faciem, pergantque in ecclesiam absque ullo signorum sonitu, faciantque insimul orationem. Pueri quoque eant ante altare. Tunc vestientur illi qui legere vel cantare debent, quorum nomina in breve prænotata sunt, et infantes cuncti. Lectiones legant in primis sicuti priores sunt. Cum sacerdos pervenerit in presbyterum, pergant sedere in loco decreto. Lector procedat ad analogium : incipiat legere lectionem, *Tentavit Deus Abraham.* D Oremus, *Deus qui in Abrahæ.* Lectio, *Scripsit Moyses.* Canticum, *Attende cœlum.* Oremus, *Qui nobis prophetam.* Lectio, *Apprehendent septem mulieres.* Canticum, *Cantemus Domino.* Oremus, *Deus, qui nos ad celebrandum.* Lectio, *Audi, Israel.* Canticum, *Vinea facta est.* Oremus. *Deus, qui incommutabilis virtus.* Canticum, *Sicut servus.* Oremus, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui solemnitate.* His rite peractis vestiantur duo in cappis, ad dicendam Litaniam in choro, quam per omnia dicant sicut in Sabbato sancto. Tunc ipsi duo maneant in choro usque dum missa sit finita, choro hinc et inde repetente.

Mox ut dixerint, exeant sacerdos et ministri in

sacrario; diaconus induat stolas argentatas, atque A dalmaticam aureatam: subdiaconus tunica circumdata auro: octo vel quinque cantores vestiantur in cappis, quorum sex vel tres ex his cantent. *Alleluia*, *Confitemini Domino*, et alii duo, tractum, *Laudate Dominum, omnes gentes*. Bini conversi candelabra [*supp.* portent], tertius thuribulum: quippe duo qui canunt litanias, ad finem dicant, *Accendite. Kyrie eleison.* Pulsent signum, accendant septem candelabra ante altare. Tunc sacerdos veniat et faciat confessionem. Dimissis signis, canat, *Gloria in excelsis Deo.* Oremus, *Præsta, quæsumus.* Epistola, *Cum Apollo esset.* Evangelium, *Si diligitis me.* Offertorium, *Emitte spiritum. Agnus Dei* dicatur, et postmodum communio: *Ultimo festivitatis die*; textus deferantur per omnes. Hostiæ quinque mittan- B tur. Pacem omnes accipiant. Quibus expletis, pulsetur signum, agant orationem: eant servitores, accipiant mixtum; postmodum cantent nonam, pergant ad reficiendum. In hac die saginem non comedant, charitatem faciant, et eleemosynarius panem et vinum accipiat, sicut in omnibus vigiliis festivitatum, præter Paschæ. Ad vesperam duo signa pariter pulsabuntur; duodecim candelæ ante altare, retro vero decem. *Alleluia* imponant ex antiphona, *Repleti sunt omnes.* Psalmi ipsius diei. Lectio, *Dum complerentur.* Responsorium, *Apparuerunt apostolis.* Hymnus, *Veni, Creator spiritus.* Bini namque sacerdotes induantur cappis, deferantque incensum super altaria, atque antiphonam paraphonista tunc repetat C cum cæteris. Oremus, *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus ut claritatis.* Ad completorium imponant versus, et ad omnes horas. *Hinc, Christe, nunc paraclitus. Gloria tibi, Domine.*

CAPUT XII.

Hæc oportet agi adventu Spiritus almi.

Sanctissimo die Pentecostes cum summa veneratione atque devotione, Spiritus sancti celebretur adventus. Debent quippe in nocturnalibus obsequiis omnes coronarum lampades accendere, et cætera summo studio componere * signorum pulsationes modulate subtrahere, atque ad ultimum perstrepere, cum sonantur in unum, tandiu, quousque infantes veniant in ecclesiam. Ad invitatorium quatuor vestiantur in cappis. Primo et secundo nocturno ante altare tria candelabra ponantur. Pro unoquo- D que nocturno, singulæ antiphonæ. Dicantur lectiones octo de Evangelio quod legitur in vigilia. Sermo sancti Augustini. Aliæ quatuor de homilia sancti Gregorii papæ ex evangelio ipsius diei. Ad tertiam semper lectionem uniuscujusque nocturni incenset sacerdos majus altare, simulque fratres. Responsoria duo pariter decantent. Ad canticum augeantur quindecim candelæ in pertica. In albis quinque antiphonæ decantentur. Responsorium breve pueri persolvant: *Spiritus sanctus procedens.* Ante primam adornetur altare. Ad matutinalem missam una dicatur collecta, ut mos est. Tum omnes induantur albis. Post expletionem missæ, benedicat sacerdos aquam: mox ut fuerit benedicta, imponat hanc antiphonam: *Vidi aquam*, qua dicta, et oratione, veniente sic per ordinem cantando. Antiphona, *Hodie, fratres dilectissimi.* Dein magistri cum infantibus, abbas post eos: alii seniores venientes duo et duo sicut priores fecerunt. Cum vero cœperint exire, initiet domnus abbas antiphonam: *Transeuntibus.* Mox ut fuerint ad valvas monasterii, procedant sex vel octo ex cantoribus, quos armarius annuerit in medio, et cantent antiphonam. *Crucifixus in carne.* Ingredientes vero initient responsorium, *Spiritus sanctus replevit*, pulsantibus signis. Post tertiam celebrent missam cum omni diligentia, veluti [*supp.* in die] resurrectionis Domini. Offertoria duo teneant, quorum unus panem et vinum, alius aquam [offerat]. In refectorio propinent charitatem, sicut in præfata festivitate. Ad vesperam antiphona, *Alleluia, loquebantur.* Psalmus. *Dixit Dominus.* Responsorium, *Repleti sunt omnes.*

Per octavas duo invitatorium [*supp.* cantant], *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia*: in eo tono sicut *Surrexit Dominus vere.* Deinde accensio luminum atque pronuntiatio evangeliorum, atque sonitus signorum, seu matutinalis sacra, vel revestitio in cappis, nec non et sonitus signorum post celebrationem missæ, vel vespertinales psalmi ex toto fiant, quemadmodum in hebdomada Paschæ. In laudibus vel horis canatur alleluiatice (24) de resurrectione, atque ascensione, nec non et de ipsa celebratione jam facta. Namque in missa hoc modo distinguitur. Secunda feria officium, *Cibabit.* Oremus, *Deus, qui apostolis.* Epistola, *Aperiens Petrus.* Alleluia, *Emitte.* Alleluia, *Loquebantur.* Evangelium, *Sic enim Deus dilexit mundum.* Offertorium, *Intonuit.* Communio, *Spiritus sanctus.* Tertia feria officium, *Accipite jucunditatem*, et alia omnia sicut invenientur. Quatuor namque diebus, qui restant, agant officium ad missam sicut in die Pentecostes. Epistola atque evangelium veluti per annum, quando feria; sicut consertum fuerit in sacramentorum codice, sic promatur. Sabbato ad vesperas quina candelabra illuminentur ante aram. Alleluia, *Repleti sunt.* Sacerdos sit in cappis. Antiphona ad *Magnificat*: *Non vos relinquam.* Oremus, *Deus, qui hodierna die.*

Si jejunia mensis quarti venerint infra ipsam hebdomadam, efficiant ita. Ante tertiam, agant missam de festo, omnia per ordinem, sicut effati jam sumus. Jejunium proteletur usque nonam. Processio non fiat, nec litania cantabitur. Post sextam, cum audierint signum, surgant e dormitorio, lavent manus ac facies suas, veniantque in oratorio absque sonitu ullius signi, et faciant orationem. Sacerdos vestiat se cum ministris. Cum fuerint induti incipiat paraphonista officium: *Deus dum egredereris.* Oremus, *Præsta, omnipotens Deus, mentes nostras.* Lectio, *Dixit Salomon.* Responsorium, *Propitius.* Oremus, *Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors.* Lectio,

(24) *Alleluiatice cantare*: f. **cum vocis modulatione.**

Audi, Jacob. Responsorium, *Terra mota est.* Evangelium, *Accedentes discipuli ad Jesum.* Offerendam atque pacem unus accipiat. Offertorium, *Meditabor.* Communio, *Pacem meam.* Sexta feria antiphona. *Repletur os meum.* Collecta, *Da, quæsumus, ecclesiæ.* Lectio, *Exsultate, filii Sion.* Responsorium, *Esto mihi.* Evangelium, *Venit ad Jesum vir.* Officium, laudes, ac communio, *Spiritus ubi vult spirat.*

Sabbato conservetur ordo jam decretus. Facta oratione veniat sacerdos cum ministris in sacrario, et induat se vestimentis sacris. Pueri omnes se inalbent. Cantor sit in choro cum cappa. Charitas Dei. Unus tantummodo conversus sit, qui deferat candelabrum : lectionem infantes legant in primis juniores, deinde alii sicut sunt priores. Responsoria ipsi cantent vicissim singuli. Sacerdos veniens ad altare faciat confessionem cum levita, dicat, oremus *Mentibus nostris,* vel *Effundam de spiritu meo.* Responsorium, *Protector.* Oremus, *Illo nos igne,* vel *Locutus est Dominus.* Responsorium, *Propitius esto.* Oremus, *Deus qui ad animarum.* Lectio, *Audi, Israel.* Responsorium, *Convertere, Domine.* Oremus, *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus.* Lectio, *Dixit Dominus ad Moysen.* Responsorium, *Dirigatur.* Oremus, *Præsta, quæsumus, omnipotens.* Lectio, *Angelus Domini descendit.* Benedictionem minorem duo fratres in albis dicant : *Benedictus es, Domine :* usque dum; *Benedicant te, cælum, terra, mare et omnia quæ in eis sunt.* Deinde repetant. *Et laudabilis. Gloria Patri.* Cum repetitione, *Et laudabilis,* et tunc subsequantur. *Sicut erat. Et laudabilis.* Illis supra respondentibus. *Benedictus es.* Mox ut dictum fuerit veniat sacerdos ad altare et dicat, *Dominus vobiscum.* Collecta, *Deus qui tribus.* Epistola, *Justificati igitur.* Tractus, *Laudate,* similiter duo in albis. Evangelium, *Egrediente Jesu.* Offertorium, *Deus, Deus salutis meæ.* Communio, *Non vos relinquam orphanos.*

CAPUT XIII.

Octavis Pentecostes.

Invitatorium, *Alleluia, Spiritus Domini,* quod duo cantent in cappis. Tria candelabra ante altare, retro una. In nocturnis antiphonæ singulæ cum Alleluia de ipso festo dicantur, lectiones octo de sermone sancti Leonis papæ. Quartum octavum et duodecimum responsorium a duobus cantabitur. Homilia de Evangelio, *Erat homo ex Pharisæis* expositionis Gregorii Nazianzeni. In laudibus antiphona : *Alleluia, dum complerentur.* In Evangelio antiphona : *Venit homo ad Jesum, nomine.* In die namque hoc si aliqua festa occurrerint, repetant antiphonam et agant matutinalem missam, adjungentes collectam *Deus, qui hodierna die.* Si sanctus Spritus perventus non fuerit, ad sacram ipsam unam collectam persolvant cum præfatione diei Paschalis. Processio fit sicut præteritis diebus Dominicis, attamen cum venerint in redeundo in atrio ante fores ecclesiæ, initient hanc antiphonam, *Crucifixus in carne.* Cum repetitionibus *Nolite.* Introeuntes canant antiphonam, *Hodie completi sunt.* Ad missam omnes circumdentur cappis. Septem candelabra ante aram, et tria retro. Officium, *Spiritus Domini.* Oremus, *Deus qui hodierna.* Epistola, *Vide ostium apertum.* Alleluia. *Non vos relinquam,* Item Alleluia. *Veni, sancte Spiritus.* Evangelium, *Erat homo ex Pharisæis.* Offertorium, *Confirma hoc, Deus.* Communio, *Factus est.* Ad expletionem sacræ omnia signa pulsentur. Ad vesperam antiphona *Alleluia, repleti sunt,* Antiphona in Evangelio. *Hodie completi sunt, alleluia, alleluia, alleluia. Hodie omnes apostoli.*

CAPUT XIV.

Dominica II post Pentecosten.

In ipsa hebdomada feriatis diebus cantent officium, *Domine, in tua misericordia.* Oremus, *Deus in te sperantium.* Evangelium, *Homo quidam erat dives.* Exhinc namque usque ad Idus Septembris quarta sive sexta feria jejunare debent; sicut Pater noster Benedictus instituit suæ Regulæ cap. 47. Et ab abbate illa discretio fieri debet, quam ipse beatissimus præceptor jussit propter pusillanimes, vel aeris intemperiem, aut si labor major factus fuerit loci illius. Si autem abbati vel priori visum fuerit, ut, si reficiantur, hoc modo agant. Mox ut surrexerint de capitulo, et in claustro venerint, jubente abbate sonetur signum minus, ut hebdomadarii coquinæ, et alii fratres præparent omnia, quæ præparanda sunt, et agant missam ad tertiam, et reficiantur ad sextam. Si vero jejunaverint, post sextam protinus ut surrexerint meridiani [*forte* a meridiana, *id est, a somno post meridiem*], veniant pueri ante altare orationem facere; qua facta, imponant hanc antiphonam, *Exsurge, Domine.* Tunc faciant processionem per ordinem sicut jam crebrius prompsimus. Evangelia legantur in feriis sicut in libro sacramentorum conscripta invenerint. Debent quippe sexta feria cantare missam in honorem sanctæ Crucis, et si aliquis sanctus evenerit, unde tres lectiones agantur, cantent missam de ipso sancto. Et quando sanctus non adventaverit, quinta feria legatur Evangelium ipsius diei, *Homo quidam erat dives.* Tota namque ipsa hebdomada ad *Magnificat* debent cantare antiphonas ex Evangelio, *Homo quidem erat dives.* Sabbato ad vesperam responsorium, *Præparate corda vestra.* Ad *Magnificat* antiphona, *Montes Gelboe.*

CAPUT XV.

Dominica III post Pentecosten.

Dicant invitatorium, *Præoccupemus.* Hymnus, *Nocte surgentes.* Lectiones octo legant de regibus. Responsorium, *Deus omnium.* In tertio [*Supp.* nocturno] homilia ex Evangelio : *Homo quidam erat dives.* Responsoria de ejusdem historia cantent) usque Kalendas Augusti. At matutinalem horam hymnus, *Ecce jam noctis.* Usque Kalendas Octobris

Malachim (25) atque Verba dierum legant in refectorio. In diebus itaque feriatis in Evangelio ad *Magnificat*, antiphonas tam historicas quam evangelicas quæ subsequantur, vicissim quotidie canimus. Aliis namque diebus Dominicis, quæ subsequuntur, similiter lectiones octo ad nocturnalia obsequia legantur ex libris Regum, usque Kalendas Augusti.

CAPUT XVI.

Incipit hinc rhythmus sacrato dogmate complus.

Quando jejunium quatuor temporum post octavam Pentecostes evenerit, quarta et sexta feria sicut regularia jejunia celebrentur. Loquentur post capitulum in claustro usque ad tertiam. Post sextam, cum audierint signum, surgant e lectulis, et discalciati procedant ad lavandas manus, atque facies, pergantque in ecclesiam tam ipsi quam pueri absque aliquo sonitu. Cum autem orationem habuerint factam, pueri incipiant antiphonam, *Exsurge, Domine*, et reliquum quod faciendum est, faciant quod ibi convenit, et Litaniam decantent. Sabbato autem non faciant ante missam majorem Litaniam. Ad sacram offertorium, atque orationes, et omnia sicut prænotata sunt infra hebdomadam Pentecostes in hoc libro, et nos invenimus in sacramentorum codice atque authenticis conscriptis ut ita persolvant. Ad refectionem quidquid remanserit fratribus eleemosynarius accipiat. Adipem ne comedant. Exeuntibus inde unusquisque legat cum silentio. His duobus diebus post cantatam vesperam, illico, ut dormitorio exierint, sonet custos signum tandiu, quousque conveniant pueri et agant officium mortuorum. Aliis diebus quando bis ederint faciant protinus ut servitores de refectorio exierint.

CAPUT XVII.

Exigit hos mores sanctus Baptista Joannes.

In vigilia nativitatis sancti Joannis Baptistæ post sextam protinus ut signum insonuerit, surgant e lecticis, provideantque suis sibi indigentiis, ac lavent manus atque facies, pergantque in oratorium absque sonitu metalli; peragant orationem, et statim incipiat puer Litaniam; sicque missam celebrent sicut in sacramentario continetur: ad cujus expletionem sonetur signum, et interim orent. Servitores vero eant mixtum accipere, ac denuo pulsetur signum, et reddant horam. Quidquid autem in ipso die remanserit in refectorio, eleemosynarius accipiat. Sagimen in hac die ne comedant, dumque ad mensam sederint custos ecclesiam adornet, presbyterium, atque chorum; altaria sericis gliphaticis (26). Cerei ante altare duodecim, retro octo. Ad vesperam signum unum sonabitur in primis, capitulum, *Priusquam te formarem*. Responsorium, *Præcursor Domini*. Hymnus, *Ut queant laxis*. Versiculus *Erit enim magnus coram Domino*. Sacerdotes duo induantur cappis. Circumfument altaria incenso. Antiphona, *Ingresso Zacharia* bina vice repetatur. Oremus, *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus*, ut supra. Ad stationem responsorium, *Inter natos*. Oremus, *Ipsius*. Ad invitatorium, quatuor in cappis. Hymnus, *Ut queant laxis*. Lectiones octo ex sermone sancti Augustini, *Diei hodiernæ solemnitas solemne desiderat*. In tertia vigilia Evangelium, *Elisabeth impletum est*. Homilia sancti Ambrosii episcopi; responsorium duo et duo simul fratres pronuntiabunt; duodecimum a capite repetatur post *Gloria*. Ad canticum, *Beatus vir qui in sapientia*. In laudibus, responsorium breve: *Ecce dedi verba mea*. Hymnus, *Cæteri tantum*. Ad missam matutinalem, *Justus ut palma*, solummodo ista oratio dicatur, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus*. Lectio Isaiæ, *Ad Sion: Ecce adsum*. Responsorium, *Justus ut palma*. Alleluia, *Tu puer*. Evangelium, *Dixit Zacharias ad angelos*: usque *Auferre opprobrium meum*. Offertorium, *Gloriam et honorem*, Communio, *Magnus es*. Ad majorem missam cuncti sint vestiti cappis, etiam idiotæ (*indocti, qui litteras non didicerunt*), pueri toti (*id est* omnes *ex Ital.* tutti) tunicas habeant indutas. Officium novem teneant, Graduale unus, alleluia sex. Ad sequentia pulsent duo signa majora simul. Jubente abbate, offerendam duo faciant. In refectorio generale atque pitantia dentur. Semel propinetur potio. Ad vesperam antiphonas illas, quas supra in nocturnis decantaverunt, et psalmos de unius martyris officio assumant. Responsorium, *Reges videbunt*, vel *Elisabeth Zachariæ*. Hymnus, *Almis prophetæ*.

Infra octavas genua non flectant. Invitatorium, *Regem præcursoris*. In primo et secundo nocturno antiphonas imponant. Lectiones legant de sermonibus Patrum. Responsoria de ejusdem beati [*supp.* Joan. Bapt. festo]. Psalmi familiares nec promantur in hoc obsequio, sed nec ullus alius pro defunctis: sed illico sonent signum, et agant matutinas laudes sub una antiphona, postmodum veniant in alium chorum, cantent omnium sanctorum matutinas et mortuorum. Ad primam, psalmus, *Miserere mei, Deus*. Deinde missa pro defunctis. In claustro loquantur tam ante tertiam, quam post nonam. In horis dimittant psalmos familiares. Ad tertiam sonent signum, orent communiter, postmodum induantur albis illi, qui missam agere debent. Denuo pulsato signo agant tertiam. Ex hinc Litania. Ad missam collecta, *Concede, quæsumus*, et consuetudinariæ. Epistola, *Audite, insulæ*. Evangelium, *Elisabeth impletum est*, et alia sicut in sacramentorum libro continentur. In horis imponant antiphonas quæ in laudibus fuerunt. Ad vesperas illas, quæ dictæ sunt in nocturno, et psalmi de feria sicuti veniunt diatim. Nam si infra ipsam celebrationem aliquis sanctus evenerit, faciant ex illo. In lectionibus invitatorium decantent. Hymnus, *Ut queant*

(25) *Malachim* plur. a *Melech* Hebræo significat *librum Regum*. *Verba dierum* est subdivisio librorum Regum.

(26) Gliphaticus, glisaticus, glizaticus a voce *glizum*, *glisdum*, linteum seu tela majoris pretii. Vide Du Cange, Gloss. Lat.

laxis. Et post unumquodque nocturnum, antiphonam unam imponant ex beato Joanne, et lectiones legant ex eodem. Responsoria de sancto canant, similiter in laudibus. Quinque antiphonæ in laudibus, et postmodum repetant antiphonam de sancto Joanne. Ad primam dicant missam pro defunctis. Ad tertiam agant de sanctis, adjungentes collectam ex Baptista, et alia. Post expletionem missæ efficiant omnia ex magnifico Joanne.

Octava ejusdem magnifici Joannis inalbent se. Ad invitatorium duo fratres, *Ipsum regem præcursorem.* Hymnus *Ut queant laxis.* Antiphonæ et responsoria sicuti in ejus nativitate celebrarunt, ita persolvantur ab omnibus : præterquam responsoria breviata : At *Gloria Patri* a pueris decantabitur. In primis sic, *Ecce dedi verba mea.* In secundo, *Reges videbunt.* In tertio, *Elisabeth Zachariæ.* Lectiones octo, *Et factum est die octavo.* In tertio homilia ex Evangelio. *Elizabeth impletum est.* Post lectionem Evangelicam, hanc orationem dicant. *Concede, quæsumus, omnipotens Deus.* In laudibus quinque antiphonas imponant. Antiphonam postmodum cum *Gloria* ex apostolis repetant. Missam matutinalem de sanctis apostolis celebrent. Ad majus officium, *De ventre matris meæ*, sicut in ejus festivitate fuit. Collecta, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus*, et sequentiam decantent. Ad vesperam, antiphonæ sicut in primo nocturno præcinerunt. Psalm. de festo unius martyris. Responsorium, *Elisabeth.* Hymnus, *Almis prophetæ.* Antiphona, *Lumen quod animo cernis.* Oratio de ipso, et postmodum repetant antiphonam de apostolis.

CAPUT XVIII.

VIGILIA SANCTI PAULI.

Taliter apostolicum colit observantia festum.

Ante primam adornent totam ecclesiam per ordinem, sicut fuit in die natalis Domini. Missam matutinalem agant de sancto Leone papa. Officium, *Statuit ei*, oratio de sancto Leone, et collecta beati Joannis, et aliæ consuetudinariæ pro vivis, adjungentes *Sanctorum tuorum* novissime. Epistola, *Ecce sacerdos magnus.* Evangelium, *Videte, vigilate*, et *orate.* Offerendam faciant omnes : post sextam, ut audierint signum, surgant e lectulis, lavent manus atque facies, et eant pueri in ecclesiam absque ullius sonitu signi. Faciant orationem, et induatur sacerdos casula, diaconus dalmatica, subdiaconus tunica : cantores in choro cum cappa : tres conversi in albis, quorum duo deferant candelas et thuribulum ; infantes omnes sint in albis ; duo fratres in cappis ad responsorium, et tunc pulsentur omnia signa.

Officium, *Dixit Dominus Petro* : Oratio, *Præsta quæsumus, omnipotens Deus* ; Responsorium, *In omnem terram* : Offertorium, *Mihi autem nimis.* textus Evangelii deferant ad omnes : ad pacem omnes accedant ; in refectorio tabula coopertæ, generalem cuncti habeant, atque pitantiam, qualicunque evenerit die. Adeps nec comedatur ipsa die. Charitas propinetur ad omnes, et quod remanserit ex pane et vino eleemosynarius accipiat. Ad vesperas duo signa pariter pulsentur. Cerei XII collocentur ante altare. Antiphona ad vesperam, *Beati eritis*, psalmi de ipsa die. Lectio, *Petrus quidem :* Responsorium, *Si diligis me.* Tres vel quatuor fratres ante altare resonent hymnum ; *Felix per omnes*, et tantummodo in hac synaxi cantent. Duo sacerdotes induantur cappis ad deferendum incensum. Antiphona, *Tu es Petrus*, et postmodum hæc triumphaliter explicabitur. Oremus, *Deus qui ecclesiam tuam*, et repetant antiphonam de sancto Joanne. Ad completorium hunc versum incipiant, *Vos sæculi justi judices :* ita dicatur per omnes horas, usque ad octavam. Ante nocturnale obsequium illuminetur tota ecclesia. Signa omnia pulsentur insimul, quoadusque pueri veniant. Invitatorium quatuor in cappis dicant, *Christum Regem regum adoremus*, vel *Tu es pastor ovium :* Hymnus, *Exsultet cœlum.* Lectiones octo ex sermone beati Leonis papæ, *Omnium quidem sanctorum solemnitatem.* In tertia vigilia, homilia beati Hieronymi, *Philippus iste est frater Herodis.* Tres lectiones. Duodecima dicta, sancti Hilarii episcopi, *In processu sermonis.* Ad tertiam autem lectionem sit sacerdos in cappis qui incenset altare majus tantum et chorum. Responsoria duo et duo decantent pariter : ad *Gloria Patri*, adjiciantur plures, et post *Gloria* recapitulent a capite. Post expletionem lectionum, Evangelium *Venit Jesus.* Collecta ad matutinas laudes. Responsorium, *Quodcunque :* Hymnus, *Aurea luce.* Antiphona, *Quodcunque* : Oremus et antiphona de præcursore.

Missa matutinalis alia non agitur, nisi illa quam sacerdotes populo decantant per altaria. Sed mox ut exierint de capitulo sonet squillam custos ecclesiæ. Pueri exeant, lavent manus, atque in ecclesiam pergant. Tum secretarius denuo pulset signum, quousque veniant facere orationem : qua facta, induantur omnes tam minores quam majores albis. Deinde sonetur signum et agant tertiam. Tunc accipiant ornamenta processionaria, quemadmodum die natalis Domini nostri Jesu Christi. Armarius imponat antiphonam, *Dum duceretur Petrus*, et ita incipiat processio, et exeant sicut venerunt ordinate per claustra. Cum fuerint in atrio ante præparent se, ut mos est, in choro ; cantor inchoet antiphonam hanc, *Ducti sunt Petrus :* exhinc incipiat responsorium, *Tu es pastor ovium*, et intrent in basilicam. Tunc personantibus cunctis signis, det secretarius omnibus fratribus cappas, pueris tunicas. Officium a duodecim sit custoditum. Responsoria quatuor, alleluia sex in(27) ambone persolvant. Officium duo faciant : ad inchoationem sacræ duodecim cerei accendantur ante altare. Ad explanationem missæ omnia signa pulsentur.

In refectorio omnia habeant præparata sicut in pascha, eademque propinatio fiat. Ad vesperam antiphona, *Juravit Dominus*, et aliæ sicut mos est

(27) Ambo, pulpitum, tribunal ecclesiæ, ad quod gradibus ascenditur.

agere in natilitio apostolorum. Responsorium, *Petrus apostolus et Paulus* : Hymnus, *Felix per omnes:* Oremus, *Deus qui apostolo tuo Petro collatis.* Deinde repetant de sancto Paulo. Antiphona cum *Gloria.* Oratio ipsius ; et postmodum de sancto Joanne. Si ista festivitas evenerit die Dominico, processionem faciant sicut in resurrectione fecerunt.

CAPUT XIX.

In sancti Pauli festo.

In sancti Pauli, ad invitatorium duo sint in cappis. Hymnus, *Exsultet cœlum.* Primo et secundo nocturno lectiones sanctorum Patrum, *Filioli mei, audite nos, et liberate vos.* Responsoria, *Qui operatus est Petro.* Quartum, octavum, et duodecimum a capite post *Gloria* incipiatur. In laudibus, Hymnus, *Doctor egregie.* Antiphona et oratio ipsius : et postmodum de sancto Petro, cum *Gloria.* Dein de Baptista Joanne. Ad missam matutinalem de sancto Petro *Nunc scio vere.* Collecta, *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis*, atque Joannis Baptistæ, et aliæ. Ad majorem omnes sint circumdati cappis, pueri tunicis. Officium teneant sex. Epistola, *Notum facio vobis Evangelium meum.* Graduale quatuor cantent. Alleluia sex, ad finem missæ omnia signa sonitizent. In horis antiphonæ quæ sint de laudibus sine versibus sequacibus promantur. Ad vesperas antiphonæ de nocturno dicantur sine versibus. In primis *Qui operatus est Petro*, et aliæ. Responsorium *Tu es vas electionis.* Hymnus, *Doctor egregie.* Postmodum repetant antiphonam de sancto Joanne, dein de apostolo Petro. In crastino vero celebrent octavas sancti Joannis sicut superius insertum habemus.

Pridie missæ [*f.* mensis] Julii officium plenum fiat septem diebus pro cunctis familiaribus nostris sicuti fieri mos est pro fratribus nostris novembris [*suppl.* mense.]

Infra octavas horum apostolorum ita agant. Genua non flectant. Invitatorium, *Regem apostolorum :* Hymnus, *Exsultet cœlum.* Supra psalmos assumant de apostolis quæ conveniant : aut ex historia Principis apostolorum, quæ inter se concordent. Lectiones de sanctorum Patrum sermonibus. Responsorium apostoli principis primum, secundum sancti Pauli, tertium Petri beati. Psalmum nullum post nocturnas assumant, sed statim sonent signum et agant matutinas ex luce, et hanc antiphonam imponant, *Hoc est præceptum meum.* Hymnus, *Aurea luce.* Postmodum in alio choro cantent matutinas omnium Sanctorum atque defunctorum, *Deus auribus nostris*, ei quinque psalmos pro anniversariis fratrum. Ad primam missa mortuorum. In claustro loquantur sicut aliis diebus : in horis autem antiphona plurimorum apostolorum. At ubi minus eveniunt promant de propriis : similiter capitula atque orationes. Psalmi familiares non imponantur. Post tertiam agant missam. Officium, *Mihi autem.* Oremus, *Deus cujus dextera :* Epistola : *Jam non estis hospites :* Responsorium, *Nimis honorati :* Alleluia, *Ego vos elegi :* Evangelium, *Hoc est præceptum meum :* Officium, *In omnem terram :* Communio, *Vos, qui secuti estis me.* Ad vesperam, antiphona quæ super Evangelium sit, quæ communis sit amborum, et psalmi de feria. Post tertiam agant officium mortuorum sicut mos est. Si sanctus aliquis evenerit unde tres lectiones efficiant, faciunt ut protulimus infra octavas S. Joannis.

CAPITULUM XX.

Octavis apostolorum.

Octavis apostolorum antiphona ad vesperam, *Beati eritis cum vos.* Psalmi ex feria : Hymnus, *Aurea luce* : Antiphona, *Isti sunt sancti :* Oremus, *Deus cujus dextera :* Invitatorium, *Gaudete et exsultate*, duo fratres decantent in cappis. Luminaria tria ante altare, hymnus, *Exsultet cœlum.* Antiphonæ plurimorum apostolorum assumantur. Lectiones de sanctorum Patrum sermonibus legantur. Responsoria mystice cantent, unum assumant ex historia beati Petri, et aliud de apostolo Paulo : quæ omnia, sicut ubi opus fuerit decantando adimpleant. Quartum, octavum et duodecimum a duobus decantentur. Ad canticum, Antiphona, *Gloriosi principes terræ.* Evangelium, *Jussit Jesus discipulos suos.* Homilia ejusdem beati Hieronymi. In laudibus antiphona, *Hoc est præceptum meum*, et aliæ quæ sequuntur, Hymnus, *aurea luce :* Antiphona, *Sanctum et verum lumen.* Matutinalem missam, si fuerit dies Dominicus, de ipsa dicant, adjungentes collectam apostolorum ; si vero non, ex apostolis agant. Ad majorem sint omnes levitæ atque sacerdotes in cappis. Luminaria sex ante altare cum illis, quæ conversi deferunt. Officium, *Sapientia sanctorum :* Oremus, *Deus cujus dexteram :* Epistola, *Hi sunt viri misericordiæ :* responsorium, *Justorum animæ :* Alleluia, *Justi epulentur :* Evangelium, *Jussit Jesus :* Officium, *Exsultabant :* communio, *Justorum animæ.* Antiphona ad vesperam, *Virgam virtutis tuæ :* Psalmi, *Dixit Dominus : collocet eum : venientes venient : confortatus est : Domine probasti me :* Responsorium, *Petrus apostolus et Paulus :* Hymnus *Aurea luce :* Antiphona, *Isti sunt duæ olivæ et duo candelabra :* Oremus, *Deus cujus dextera.*

CAPUT XXI.

In festivitate sancti Petri ad Vincula.

Festivitate sancti Petri ad Vincula Capitulum *Petrus quidem servabatur in carcere.* Responsorium *Si diligis me.* Hymnus, *Petrus beatus catenæ laqueo Quodcunque vinclis. Gloria Deo per immensa.* Sacerdos sit in cappis, incenset altare. Antiphona, *Angelus Domini adstitit.* Et tertia vice decantetur. Oremus, *Deus qui beatum Petrum apostolorum.* Invitatorium, *Tu es pastor ovium*, ipsumque duo fratres decantent in cappis. Hymnus, *Exsultet cœlum.* In primo nocturno, antiphona, *In omnem terram.* Lectiones quatuor de Actibus apostolorum : *Misit Herodes rex manus.* In secundo aliæ quatuor ex sermone sancti Augustini *Audistis, fratres charissimi, beatissimum Petrum.* Responsoria omnia cantent ex historia ipsius

incipis. *Simon Petre*, quartum, octavum, et duodecimum a duobus decantentur, et a capite ipsum duodenum post *Gloria* recapitulent. Ad canticum antiphona, *Misit Herodes*, vel *misit Dominus angelum*. Canticum, *Vos sancti Domini*. Homilia ex evangelio, *venit Jesus in partes*. In albam (28); *Petrus autem servabatur*. Antiphona, *erat Petrus dormiens*. Antiphona, *Angelus Domini*. Hymnus, *Petrus beatus*. Antiphona. *Quodcunque*.

Ad missam matutinalem dicantur collectæ sicut in duodecim lectionibus; ad majorem induantur omnes cappis, etiam conversi, qui sciunt cantare. Ad hanc sacram adsint candelæ ante altare. Officium teneant sex fratres. *Nunc scio vere*. Oremus, *Deus, qui beatum Petrum*. Epistola, *Misit Herodes*. Responsorium, *Constitues eos*, a duobus decantetur vel a tribus. Alleluia, *Solve jubente Deo*, a quatuor. Evangelium, *Venit Jesus*. Officium, *Constitues eos*. Offertoria duo accipiant. Communio, *Simon Joannis*. Ad vesperas antiphona, *Juravit Dominus*, vel propriæ ipsius nocturnaliæ. Hymnus, *Petrus beatus*. Antiphona, *Dixit Simon Petrus ad Jesum*, et collecta in ipso die posita.

DOMINICA I MENSIS AUGUSTI. Sabbato ad vesperam, responsorium, *Emitte Domine*. Ad *Magnificat*. *Dominus possedit me*. De Salomone legant tam in ecclesia, quam ad refectionem, usque [*Supp.* ad initium] mensis Septembris.

CAPUT XXII.

Vigilia sancti Laurentii.

Vigilia sancti Laurentii post sextam mox ut sonuerit custos ecclesiæ signum, surgant omnes e lecticis, et provideant indigeriis suis, et conveniant, lavent manus ac facies: infantes absque ullo sonitu signi veniant in ecclesiam ante altare, efficiant orationem, exeant et se induant vestimentis sacris missæ coaptatis, sacerdos cum ministris, et deinde dicant missam ex vigilia ipsius diei. Alleluia non canant. In ipso die nec adipem comedant, et in refectorio, quidquid remanserit de pane et vino eleemosynarius accipiat. Ante vesperam custos ecclesiæ ornet altaria sericis, et in formulis tapetia supra extendat. Ad vesperæ synaxim quinque cereos ante altare ponant. Capitulum, *Confitebor tibi, Domine rex*. Responsorium, *Quo progrederis*. Hymnus, *Martyris Christi*. Versiculus, *Dispersit, dedit pauperibus*. Antiphona, *Levita Laurentius*. Oremus, *Adesto, Deus, supplicationibus*. Ad stationem responsorium, *Levita Laurentius*. Oremus, *Excita, Domine, in ecclesia*. Ad invitatorium quatuor in cappis, *Beatus Laurentius*. Hymnus, *Devota mente*. Lectiones octo de ejus passione. Responsorium quartum, octavum, et duodecimum sicut mos est in quatuor cappis post *Gloria* recapitulentur. Primo et secundo nocturno tres candelæ ante altare sint, retro una. In tertio homi-

A lia sancti Augustini, *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti*, et cerei duo augeantur.

Post Evangelium recitatum, oremus, *Excita, Domine*. In laude, ad stationem responsorium, *Beatus Laurentius*. Missam matutinalem agant ex die Dominica si adfuerit, adjungentes orationem sancti Laurentii. *Excita, Domine*, et alias consuetudinarias. In horis imponant antiphonam ex matutinis laudibus sine versibus. Ad missam majorem omnes sacerdotes atque levitæ sint amicti cappis. Septem cereos accendant ante aram. Oremus, *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus*. Ad vesperam antiphona quæ super nocturno fuerit, imponant, sine versiculis sequentibus. Psalmos ex uno martyre assumant. Tam in hac hora quam in matutino unus sacerdos sit in cappa
B ad incensandum altare. Octava ejusdem efficiant duodecim lectiones. Ad invitatorium duo fratres in albis, *Justus florebit*. Antiphona et responsoria sicut supra in ejus sacro. Nam scimus quia hæc repetitio hujus festivitatis infra octavam beatissimæ Mariæ evenit. Lectiones legant de sanctorum Patrum [sermonibus], responsoria octo cantent de præfati sancti historia. In matutinalibus quinque antiphonas promant, et missam majorem ad tertiam ex eo agant. Officium, *Domine, probasti cor meum*. Collecta, *Excita, Domine*. Epistola, *Qui pacem seminat*. Responsorium, *Prævenisti eum*. Alleluia, *Hic est vere martyr*. Evangelium, *Si quis vult post me venire*. Officium, *In virtute*. Communio, *Posuisti, Domine*: et si hæc octava die Dominico advenerit, lectiones
C octo legant de ipso beato; aliæ quatuor de Dominica. Homilia ejusdem diei. Sequuntur matutinales laudes ipsius Dominicæ. Ad collectam, repetant antiphonam cum *Gloria* de præfato sancto: dein promant antiphonam de sancta Maria, et si congruum videtur, tertium nocturnum fiat de sancta Maria: ipsius vero Dominici diei agatur missa in quotidianis diebus.

CAPUT XXIII.

Virginis Assumptum cuncti sic ducite mecum.

Vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ. Ante primam ornent ecclesiam, hinc et inde parietes cortinis nec non palleis (29), choro post dorsa fratrum in circum aptent bancalia (30), in formulis tapetia: altaria ornent suis ornamentis: in majori omnes libros pa-
D ratos ponant, et duodecim candelæ ante ipsum. Basilica sanctæ Mariæ optime decoretur tam palliis quam phanonibus (31) auro textis. Missam matutinalem agant de sancto Eusebio, adjungentes alias pro defunctis. Offerendam omnes faciant. Post capitulum veniant omnes ad radendum. Post sextam cum audierint signum surgant e lectulis, lavent manus atque facies, et eant pueri in ecclesiam absque sonitu signi: faciant orationes, et induantur, sacerdos casula diaconus dalmatica, subdiaconus tunica.

(28) Legendum forte *in alba*, hoc est aurora, seu ad laudes.

(29) Palliis, velis, sericis.

(30) Bancalia, sunt panni qui super sedes vel bancas in choro ponuntur. Ita Durand, ub. I, Ration., c. 3, n. 23.

(31) Phanones, fanones, fanen, vela, vexilla.

Cantor in choro sit cum cappa; tres conversi albi [albis induti], quorum duo deferant candelabra, tertius thuribulum. Infantes omnes sint in albis; duo fratres in cappis ad decantandum responsorium: et tunc pulsentur omnia signa. Tres cerei coaptentur ad hanc missam ante altare. Officium, *Salve, sancta parens*. Oremus, *Deus, qui virginalem aulam*, et aliæ consuetudinariæ. Lectiones de sapientia, *Ego quasi vitis fructificavi*. Responsorium, *Benedicta et venerabilis*. Alleluia in hac hora non canitur. Evangelium, *Extollens quædam mulier*. Offertorium, *Felix namque*, et dimidii [*Id est*, media pars fratrum] offerant, sicut usi sunt quotidianis diebus. Communio, *Beata viscera*. Ipso die adipem non comedant, et quidquid remanserit in refectorio, eleemosynarius accipiat.

Ad vesperam in primis pulsentur duæ squillæ, postmodum duo et duo signa pulsabuntur: duodecim cerei ante altare, retro decem. Antiphonæ super psalmos, *Gaude et lætare*. Psalmi de ipsa die. Capitulum, *In omnibus requiem*. Responsorium, *Ornatam monilibus*. Hymnus, *Quis possit amplo*. Duo sacerdotes induantur cappis ad circumdanda altaria incenso. Antiphona, *Sancta Maria exora semper*, et triumphaliter canatur. Oremus, *Deus qui virginalem aulam*. Ad stationem antiphona, *Mater domini nostri Jesu Christi*; versus, atque orationem de ipsa beata, quam velint. Ante nocturnale obsequium priusquam sonentur signa, accendantur omnes coronæ (32), et tres candelæ ante altare majus, et retro duæ, deinde pulsentur omnia signa quousque infantes veniant. Ad invitatorium quatuor vestiantur cappis. Hymnus, *Quis possit amplo*, aut *Christi pervia*. Lectiones legantur omnes ex sermone sancti Hieronymi. *Cogitis me, o Paula*. Tractus duo et duo cantent. Primo, secundo et tertio nocturno sacerdos induatur cappa cum alba, et dum tertiam lectionem inchoaverit lector, ipse sit præparatus in secretario, mittat incensum in thuribulum, et tunc veniat, aromatizet altare majus solummodo, deinde in choro fratres per ordinem. Ad cantica accendantur quindecim cerei in pertica, et novem ante altare, et retro septem, Evangelium nec [*l.* cum.] pronuntiabitur. Responsorium duodecimum post *Gloria* recipientes recapitulent. Evangelium, *Repleta est*. Oratio, *Veneranda nobis, Domine*. In laudibus responsorium, *Exaltata est sancta Dei genitrix*. Hymnus, *Lux mundi beatissima*. Ad stationem responsorium: *Quæ est ista*. Tunc sacerdos dicat versum atque orationem ex ipsa Virgine [Virginis missa] sacra. In horis tres candelæ ante altare illuminentur. Priusquam sonetur prima, ponantur in altare majus omnia ornamenta, calices aurei, et duo candelabra in eodem loco accendantur, totaque die ardeant. Missa matutinalis in basilica sanctæ Mariæ dicatur, et una tantummodo col-

A lecta promatur. Ad *Sanctus, sanctus* omnes inalbentur a minimo usque ad maximum. Cum exacta fuerit, tunc pulsent signum et efficiant orationem simul. Et tunc demum sonent signum, et agant tertiam.

Armarius atque secretarius præparent se processionariis ornamentis, deinde procedant duo ex juvenibus aut infantibus, et induant se tunicis ad textus Evangelii deportandos. Et tunc accedant conversi, qui accipiant candelabra, duo thuribula, unus thymiamatis materiem, et tres cruces. Exhinc adsint quatuor seniores qui sacrum ordinem habeant, quique portent reliquias minores, et alius extra istos procedat, et accipiat tabulam cum imagine Domini nostri Jesu Christi, atque ipsius genitricis. Tunc pa-
B raphonista imponat hanc antiphonam, *Tota pulchra es*. Atque aliam, *Quam pulchra*. Deinde veniant ordinate sicut in his elementis præfixum apparet:

Aquam sanctam, crucem, thuribulum.
Candelæ, candelabrum, candelæ.
Sacerdos, sceptrum, brachium, crucifixum.
Cassa, textum, textum, sceptrum gloriosæ.
Crucem, thuribulum, candelabrum.
Candelæ, tabula, pomum (33).

Deinde infantes cum magistris, et tum domnus abbas, exhinc sacerdos et postmodum levitæ, novissime conversi. Quamdiu veniunt canendo per claustrum, sic ordinati procedant, ut absque mora in atrio ecclesiæ sic pergatur: et cum ibi fuerint, stant ordinata processione in medio, ut venerunt. Senio-
C res assistant veluti in choro usus est standi, dicant ibi hoc responsorium, *Super salutem*. Quo peracto intrent ecclesiam hoc responsorium decantando, *Assumpta est Maria in cœlum*, sonantibus cunctis signis. Custos ecclesiæ tribuat cappas ad omnes; ad infantes tunicas. Signis dimissis habeat armarius præparatas duodecim cappas in choro, et quibus annuerit abbas, illis se vestiant, secumque officium inchoent, *Gaudeamus*.

Secretarius ante altare duodecim candelas accendat. Graduale quatuor decantent, *Propter veritatem*. Alleluia sex, *Assumpta est Maria*. Evangelium, *Repleta est Spiritu sancto Elisabeth*, vel Evangelium, *Intravit Dominus Jesus in quoddam castellum*. *Credo in unum Deum*. Offertoria a duobus. Missa expleta,
D omnia signa pulsentur. In refectorio trina propinatio fiat, sicut in Domini Resurrectione protulimus; et omnia in omnibus, ut repererint ibi, adimpleantur. Ad vesperam antiphona, *Dum esset rex*. Psalmi, *Dixit Dominus*. Antiphona, *Læva ejus*. *Laudate pueri*. *Lætatus sum*. Antiphona, *Nigra sum*. Psalmus, *Nisi*. Antiphona, *Jam hyems*. Psalmus, *Lauda, Hierusalem, Dominum*. Responsorium, *Exaltata est sancta*. Hymnus, *Quis possit amplo*. In Evangelio antiphona, *Hodie Maria*.

(32) Candelabra in modum coronæ fabrefacta, ut superius dixi.

(33) Pomum aureum inter ministeria et ornamenta sacra etiam Hariulfus l. II, c. 10, refert. Bernardus vero in Cons. Clun. mentionem facit pomi de cera, qui per totam noctem ardeat, quod nullo modo ad hunc locum explicandum referri potest, sed de lumine nocturnali interpretandum est.

INFRA OCTAVAM genua non flectant. Signa sonentur ut mos est quotidianis diebus. Invitatorium, *Sancta Dei genitrix*. Lectio de sermone sancti Hieronymi. Responsorium de ipsa beata. In unoquoque nocturno singulæ antiphonæ. In laudibus unum signum pulsabitur, et psalmos sub una antiphona promant : veruntamen unam ex istis per singulos dies : *Assumpta est Maria Virgo. Maria Virgo semper benedicta. Pulchra es*. Responsorium, *Exaltata est*. In expletione commemorationis sanctorum veniant in alium chorum, et dicant ibi matutinas ; et tunc revertantur pausando in dormitorium, si adhuc dies non est. Ad primam dicatur missa pro defunctis ; in claustro loquantur sicut in aliis diebus : in horis assumantur antiphonæ nocturnales, quæ conveniant, sive de laudibus, seu ex Evangelio, aut B de Canticis canticorum. Cum custos ecclesiæ insonuerit signum, eant omnes, et faciant orationem, et tunc induantur albis illi, quibus ad sacrum servire concessum est. Pulsante signo agant tertiam. Psalmos familiares in horarum finibus non imponant. Expleta tertia, agant officium *Gaudeamus*, aut *Vultum tuum*. Item aliud *Salve sancta parens*. Responsorium, *Benedicta et venerabilis*. Alleluia, *Propter veritatem*. Alleluia, *O quam pulchra es*. Alleluia. *Assumpta est*. Alleluia, *Hodie Maria*. Officium, *Assumpta est*. Alleluia, *Felix namque es*, vel *Ave Maria*. Communio, *Exaltata est Virgo Maria*, vel *Beata viscera*. Alleluia, *Dilexisti*. Vesperæ sub una antiphona dicantur, psalmi feriales. Servitoribus exeuntibus de refectorio, agant officium mortuorum. Si venerit aliquis sanctus, unde agi debent tres lectiones, tunc legant sermonem de sancta Maria, et tractum de sancto promant, et in laudibus quinque antiphonæ dicantur, et ad tertiam missa ex eo celebretur. Sabbato fiat ad sanctam crucem. Si dies Dominica occurrerit omnia agant de beata Virgine, et in tertio nocturno pronuntient Evangelium, *Repleta est Spiritu sancto*. Et si aliquis sanctus non adest, missam matutinalem agant ex ea ; et infra ipsam hebdomadam dicant dominicalem sacram (34). Similiter quarta, et sexta feria adjungentes Evangelia ipsius diei affixa in libro.

CAPUT XXIV.

Octava sanctæ Mariæ.

Octava sanctæ Mariæ ad invitatorium sint quatuor in cappis, et hanc antiphonam dicant, *Venite, adoremus Regem regum*, vel *Odor tuus sancta Dei genitrix*. Psalmus, *Venite*. Hymnus, *Fit porta Christi*. In primo nocturno antiphonæ, sicut in ejus festivitate, ita dicantur. Lectiones octo de sermone sancti Hieronymi, *Legimus ergo quam sæpe ad funera, et ad sepulturas*. Responsoria ipsius beatæ. Homiliam legant, *Intravit Dominus in quoddam castellum*. Hæc lectio superiori pulcherrima ratione connectitur. Ad missam offertorium, *Gaudeamus omnes*. Oremus, *Famulorum tuorum*. Lectio, *In omnibus requiem*. *Oremus*. Graduale, *Propter veritatem*. Alleluia, *Hodie Maria Virgo*, vel *O quam pulchra es*, vel *Alleluia, Assumpta est*. Item alium versum, *Post partum Virgo*. Quem qui cantat, unum post alium dicat. Clerus qui chorum tenet, sive illi, qui in longum consistentes, cum repetitionibus quæ inibi conveniunt cantent. Sequentia similiter. Evangelium, *Intravit Dominus Jesus*. Offertorium, *Assumpta est*. Communio, *Exaltata est Virgo*. Ad vesperam antiphonæ cum psalmis, sicut in festivitate ipsius.

(34) Id est, missam dominicæ præcedentis.

CAPUT XXV.

In festivitate sancti Bartholomæi.

Festivitate sancti Bartholomæi ad vesperam tapetia coaptentur in formulas, et quinque cerei ante altare. Lectio unius [*supp. ex al. ms.* apostoli]. Responsorium breve a pueris concinatur. Ad gradus sacerdos sit in cappis. Oremus, *Omnipotens sempiterne Deus*. Ad stationem responsorium. *Cives Dei Apostolorum*. Oremus de ipso. Ad invitatorium duo in cappis, *Gaudete*. Candelæ tres ante altare. Lectiones et responsoria de ipso beato : quartum octavum, et duodecimum a duobus dicatur. In tertio homilia beati Gregorii papæ ex evangelio, *Hoc est præceptum meum*. Cerei duo augeantur ad aram. Ad orationem responsorium. *Fuerunt sine querela*. Missam matutinalem ex eo. Ad majorem omnes sacerdotes, et levitæ circumdentur cappis. Offertorium, *Mihi autem nimis*. Graduale, et omnia sicut in apostolorum festo continetur, ita fiant. Vesperas, sicut mos est in nativitate unius apostoli agere, sic faciant. Si hæc solemnitas die Dominico advenerit, C omnia tamen de apostolo fiant.

CAPUT XXVI.

In festivitate sancti Augustini.

Ad vesperam, *Ecce sacerdos magnus*. Antiphona, *In medio ecclesiæ*. Oremus, *Ecclesiam tuam, Domine*. Ad stationem responsorium, *In medio ecclesiæ*. Reliqua in sancti Joannis Evangelistæ festo, et oremus de confessore. Invitatorium *Regem Confessorum Dominum*. Lectiones octo de ejus vita. *Ex provincia ergo Africana*. Responsoria de confessoribus : quartum, octavum, et duodecimum a pueris decantetur cum *Gloria*. Introitio ex homilia sancti Gregorii et evangelio. *Homo quidam peregre*, vel *Vigilate itaque*. Ad stationem, *Ecce vere Israelita*. Missa matutinalis dicatur de ipso, vel si aliquis sanctus adest D dicatur de ipso. Ad majus officium, *In medio ecclesiæ*. *Ecclesiam tuam, Domine*. Lectiones de Sapientia, *Optavi, et datus est*. Responsoria, et omnia de confessoribus.

IN NATIVITATE SANCTI JULIANI MARTYRIS invitatorium duo in cappis. Psalmus, *Justus florebit*. Psalmus *Venite* et omnia de unius martyris. Festivitas sicut in duobus cappis, sic fiat.

CAPUT XXVII.

In decollatione sancti Joannis.

Vesperæ priusquam sonentur, adornetur altare nomine ipsius dedicatum optime, et unus cereus anteponatur : ad majus quinque. Capitulum, *Sancti*

ludibria. Responsorium, *Præcursor Domini venit.* A Hymnus, *Assertor æquitatis.* Versus, *Magna est gloria ejus.* Antiphona, *Interrogatus Joannes.* Oremus, *Sancti Joannis Baptistæ, et martyris tui.* Et tunc repetant antiphonam de sancta Maria Savina (35). Invitatorium duo in cappis dicant, *Æternum, trinumque Dominum.* Hymnus, *Deus tuorum.* Antiphona, *Ad omnia quæ.* Item alleluia, *Audivit Herodes*, et cætera sicuti capitulata sunt in authentico. Versiculi unius martyris dicantur. Lectiones octo de sermone sancti Joannis episcopi, *Hodie nobis Joannis virtus, Herodis feritas.* Responsorium, *Misit Herodes.* Quartum, octavum et duodecimum duo decantent. In tertio nocturno pronuntietur evangelium secundum Matthæum, *In illo tempore, audivit Herodes.* Homilia Bedæ presbyteri. *Natalem, fratres charissimi, beati Joannis diem celebrantes.* Candelæ augescant duæ ante aram. In laudibus responsorium, *Gloria et honore.* Hymnus, *Non fuit vatis.* Antiphona, *Misso Herodes.* Missa matutinalis agatur de sancta Savina [Sabina) addentes collectam sancti Joannis atque consuetudinarias. Ad majorem, omnes gradus sacerdotum atque levitarum cappis circumdentur. Septem lampades accendantur. Offertorium, *De ventre matris meæ*, quod sex teneant. Oremus, *Sancti Joannis Baptistæ.* Epistola, *Sancti ludibria.* Responsorium, *Priusquam*, duo decantent. Alleluia, *Inter natos mulierum*, tres persolvant. Evangelium, *Misit Herodes ac tenuit Joannem.* Offertorium, *Magna est*, vel *Posuisti.* Communio. *Posuisti, Domine.* In refectorio tabulæ cooperiantur. In horis capitulum unius martyris. Orationes de ipsius Nativitate, quæ conveniant, vel de martyre assumantur. Ad vesperam antiphonæ de nocturnis dicantur. Psalmi unius martyris. Responsorium, *Posuisti, Domine.* Hymnus, *Assertor.* Antiphona, *Medio carceris stabat beatus Joannes.* Oratio, *Sancti Joannis Baptistæ.*

CAPUT XXVIII.

Dominica prima mensis Septembris.

Hic dimittatur tractus brevis usque in Pascha. Sabbato ad vesperam responsorium, *Antequam comedam suspiro* : antiphona ad *Magnificat, cum audisset Job.* Legantur tam Dominicis diebus et vigiliis, quam quotidianis refectionis horis libri Job, D Tobias, Judith et Hester et Esdra, et ea cum commentationibus, quousque Octobris mensis præsto sit tractatus, de eisdem libris cantentur.

In III Dominica, de historia Tobiæ. Sabbato ad vesperam responsorium, *O mitis Pater benedic* : Ad *Magnificat*, antiphona, *Ne reminiscaris.* Lectio ad vigiliam de libro ipsius Tobiæ, *Tobias ex tribu et civitate Nephtali* : tractus, *Peto Domine.*

Dominica IV. Mensis Septembris de Judith. Ad nocturnalia obsequia lectio prima, *Arphaxat itaque Rex Medorum*, et aliæ quæ sequuntur ex eodem libro : tractus, *Tribulationes civitatis.*

CAPUT XXIX.

Theotocos ortum celebrent sic verba clientum.

In nativitate sanctæ Mariæ priusquam sonentur vesperæ ornentur altaria et omnis ecclesia. Super formas sternant tapetias ante vesperam : ornetur presbyterium atque chorus. Capitulum, *Egredietur Virga* : responsorium, *Gloriosæ Virginis Mariæ.* Pallio (36), et circumcoaptent bancalia : ante arcum extendant pallium, testes [textus] Evangeliorum in altare omnes ponant : quinque cerei accendantur ante ipsum, in instrumento tres, in alia altaria unus tantummodo, et sint sericis decorata : tam ista, quam illa quæ inscripta sunt. Super formulas sternant tapetia. Capitulum, *Egredietur Virga* : responsorium, *Gloriosæ Virginis Mariæ*, vel *Corde et animo* : B Hymnus, *Ave maris stella.* Sacerdos incenset altaria circumdatus cappa. Antiphona, *Felix namque* : versus, *Ave Maria* : oratio, *Supplicationes servorum tuorum* : et repetant antiphonam de sancto Adriano ad stationem, *Felix namque*, versus, *Ave Maria*, et oratio ipsius beatæ. Invitatorium, *Nativitatem Virginis Mariæ*, quod decantent in capitulo quatuor. Hymnus, *Quem terra pontus*, vel *Fit porta Christi.* Tria luminaria accendant ante altare, retro unum. Lectiones octo de canticis canticorum legantur, *Osculetur me*, vel approbatæ consuetudinis. Responsorium quartum duo promant, octavum tres duodecimum quatuor : post *Gloria* a capite repetant. Ad canticum augescant quindecim candelas in pertica. C Evangelium pronuntietur. *Liber generationis*, et expositionis sancti Hieronymi : ex eadem lectione in laudibus. Ad stationem responsorium, *Nativitatem.* Missa matutinalis de sancto Adriano. In basilica sanctæ Mariæ audiant et collectam de ipsa; dicant, et alleluia. Oratio consuetudinaria. Ad majorem omnes sacerdotes atque levitæ circumdentur cappis, et infantes tunicis. Offertorium, *Gaudeamus* : aut *Salve sancta parens* : oratio, *Supplicationem* : lectio, *Dominus possedit me* : responsorium, *Benedicta*, quod tres dicant, alleluia quatuor, *Nativitatis gloriosæ* : Evangelium, *Liber generationis* : offertorium, *Felix namque es*, et duo accipiant offertoria : communio, *Beata viscera.* Mox ut missa expleta fuerit, omnia signa pulsentur. Ad vesperas quinque cerei ante aram sint, tres retro. Antiphona, *Benedicta* : psalmus, *Dixit Dominus* : antiphona, *Sicut myrrha* : psalmus, *Lætatus* : antiphona, *Hæc est quæ nescivit* : psalmus, *Nisi Dominus* ; antiphona, *De fructu* : psalmus, *Memento, Domine, David* : lectio, *Una est columba mea* : responsorium, *Nativitas est hodie.* Hymnus, *Nunc tibi virgo.* Antiphona, *Nativitas tua* : oratio, *Famulis tuis.* Si venerit die Dominica ipsa festivitas, ad processionem post benedictam aquam, et *Asperges me*, tunc inchoent responsorium, *Beata progenies unde Christus natus est* ; aut antiphonam, *Quam pulchri sunt* ; pergant ad sanctam Mariam, dicta oratione super infirmos fratres; per

(35) *Savina*, Sabina, *b* littera cum *v* alternante.

(36) Hic desideratur aliquid.

acto responsorio *Oremus* : dicant sacrum hunc versum, *Post partum Virgo*. Oratio, *Supplicationibus*. Per claustrum dicant antiphonas, et responsoria.

CAPUT XXX.

Idibus Septembris.

In omnibus semper sic incipiatur a vobis. Agant primam sicuti prius, denique ipso die incipiant jejunium quod regula [Cap. 41] præcipit. Post capitulum sonetur tabula sicut solet privatis diebus, et loquantur usque dum sonetur tertia. Post tertiam fratribus cum silentio residentibus in claustro, infantes et infirmi veniant in refectorium. Post sextam eant in dormitorium ad pausandum, et dum pulsatum fuerit signum surgant et provideant necessitatibus suis, et dum manus et facies habuerint ablutas, infantes absque ullo sonitu procedant in ecclesiam ante altare, et orent communiter, deinde surgant et dicat unus ex ipsis litaniam : sacerdos cum ministris pergat in secretarium, et induat se vestimentis sacris, et persolvat munia.

Post missam pulsato signo pariter orent et exinde qui servituri sunt fratribus victum accipiant, et post intervallum illud, dicta nona, veniant ad reficiendum. Post vesperas dicant officium mortuorum et deinde pulsato cymbalo conveniant ad bibendum. Feria quarta et sexta faciant processionem. In duodecim lectionibus faciant, sicut soliti sunt. Reliquum usum agant ut supra.

CAPUT XXXI.

In exaltatione sanctæ crucis.

Ornentur altaria sericis. In majoris medietate ponantur libri parati et quinque cerei accendantur : in formulis tapetia ordinentur. Ad vesperam lectio, *Hoc enim sentite in vobis*. Responsorium, *Super omnia ligna*. Hymnus, *Vexilla regis*. Versus, *Hoc signum crucis*. Antiphona, *O Crux admirabilis*. Oratio, *Deus qui unigeniti*. Postea e sanctis martyribus dicatur antiphona, cum *Gloria*. Invitatorium, *Regem Martyrum*. Duo sint in cappis. Hymnus, *Æterna Christi munera*. Primo et secundo nocturno de sanctis dicant. Responsorium quartum, octavum, et duodecimum duo fratres decantent. Ad canticum antiphona, *Super omnia ligna cedri*. Alleluia, *Propter lignum facti sumus servi*, vel *Audivi*. Dividatur in tria *Gloria*. Evangelium *Nunc judicium est mundi* pronuntietur, et quæ sequuntur omnia de sancta cruce festive celebrentur. In laudibus responsorium, *Hoc signum crucis*. Hymnus, *Crux benedicta*. Ad stationem antiphona, *Super omnia*. Missa matutinalis dicatur de sanctis. Ad tertiam omnes fratres albis vestiti conveniant, et dicta tertia expandant tapetia ante altare, et præcedant duo levitæ ubi posita fuerat sancta crux, et ducant eam ante altare majus, discooperientes et conclamantes hanc antiphonam, *Ecce lignum crucis*. Illico flectant genua omnes, et veniat una pars fratrum, prosternat se, oret in primis, et tunc osculetur crucem, et philacteria. Cantor inchoet antiphonam, et repetant interim *Crucem tuam adoramus, Domine*. Psalmus, *Misereatur nostri*. Quod per omnes versus antiphonam repetant, et interim aliæ dicantur antiphonæ, *O crux splendidior o crux viride lignum*. Postquam adorata fuerit crux levataque ante aram, paraphonista statimque cum clero intonat hanc antiphonam, *Super omnia ligna cedrorum*, et ponant [ponunt] crucem in apto loco : tum dentur ad unumquemque fratrum cappæ, ad infantes tunicæ. In altare majus pallium coaptent et albam ; septem candelæ cum eis, quas deserunt conversi, qui adsunt ad missam. Dein pulsent signa et incipiant officium, *In nomine Domini omne genu flectatur*, et sex fratres teneant chorum. Oratio, *Deus qui unigeniti*. Epistola. *Christus factus est pro nobis*. Et responsorium, *Christus factus est*. Alleluia, *Dulce lignum*. Et decantent Evangelium. *Nunc judicium est mundi*, usque, *Ut filii lucis sitis*. Offertorium, *Protege, Domine*. Communio, *Per signum crucis*. In horis capitula atque versiculi, nec non et orationes tales dicantur, quæ conveniant ad ipsum diem. Ad vesperas quinque luminaria sint et hanc antiphonam persolvant cum Psalmis, *Nos autem gloriari*. Psalmus, *Dixit Dominus*. *Salvator mundi*. Psalmus, *Cum fueris*. Antiphona, *Adoramus te, Christe*. Psalmus, *Beatus*. Antiphona, *Salva nos, Christe*. Psalmus, *Laudate pueri*. Lectio, *Christus factus est*. Responsorium : *Hoc signum crucis*. Hymnus, *Vexilla regis*. Antiphona, *O crux benedicta*, aut *Crux fidelis inter omnes*. Postmodum dicant antiphonam de sanctis præcedentibus, et subsequentibus, et si in hac festivitate evenerit dies Dominicus, omnia efficiant sicuti præsignatum habetur : etiam similiter prostrati adorent crucem.

CAPUT XXXII.

In jejunio Quatuor Temporum.

Feria quarta faciant processionem sicuti soliti sunt. Lectiones ambæ legantur in tono sicuti epistola. Responsorium ad unamquamque dicant. Adipem istis tribus diebus nec comedant. Feria sexta similiter agant processionem. Sabbato post sextam, mox ut audierint signum, surgant, et provideant necessitatibus suis, lavent manus ac facies, eant in ecclesiam pueri absque sonitu, et orent simul ; surgentes præcedat sacerdos in sacrarium et induat se casula, diaconus alba et stola, quatuor fratres albis, quorum duo cantent benedictionem, alleluia, versum, tractum, et conversi, qui deferant candelas, et infantes omnes circumdant se albis. Lectio non dicatur in hac missa, et illico ut præparata sunt omnia, veniat cantor in choro, et incipiat officium. Sacerdos procedat ad altare, oret et agat confessionem cum levita et tunc dicat *Oremus* et collectam, sicut in sacramentorum continetur libro. Lectiones legant juniores et postmodum priores : similiter responsoria decantentur ab uno incipiente et postmodum cantores in choro.... de capite : tamen ab ipso solo finiatur versus a quo cœptus est. Duæ candelæ ante altare, ut diebus privatis, accendantur. Lectiones, *Locutus est Dominus* Responsorium,

Protector noster. Lectio, *Locutus est Dominus.* Responsorium, *Convertere, Domine,* vel *Factum est verbum Domini.* Responsorium, *Dirigatur.* Lectio, *Angelus Domini,* legatur usque, *Cherubim et super exaltatum in sæcula* : tunc prosequatur benedictio quæ minor est : qua peracta veniat sacerdos ad altare, dicat *Dominus vobiscum,* et orationem, *Deus qui tribus puerorum.* Aliæ vero minime subsequantur. Lecta epistola promat tractum, *Laudate Dominum, omnes gentes.* Textum osculare, et offerendam agere solummodo abbas faciat, vel cui jusserit. Illi quatuor fratres, qui cantaverunt benedictionem atque tractum absque ulla licentia exuant se. Pacem unus accipiat, si duodecim lectiones fuerint ipso die de aliquo sancto. Ad istam missam non mittatur nisi una hostia, et pueri non procedant ad tenendum corpus Domini ad communicandum ; quia ad missam de sancto hoc patraverunt. In refectorio quidquid remanserit eleemosynarius accipiat.

Sunt quoque et quatuor Sabbata, in quibus sunt jejunia constituta et officia lectionum et orationum majora : id est Sabbato Martio mense primo, juxta observationem Quadragesimæ verno tempore, quando mensis novorum apud Judæos habebatur : mensis quarti Idibus Junii secundo Sabbato in jejunio : Idibus de frugibus primi panis Domino offerebatur et otium ipsius diei custodiebatur. Septimi mensis, id est Septembris. Tertio Sabbato autumni tempore : hic mensis totus erat solemnis, in quo dies expiationum, et afflictio animæ et non faciendo opus servile die Scenopegiæ, id est fixio tabernaculorum, quinta decima die septem diebus decimi mensis, hoc est Decembris. Quarto Sabbato ante diem natalis Domini, ante videlicet quatuor Sabbata in eadem hebdomada semper quarta et sexta feria jejunia, et orationum et lectionum solemnia sunt celebranda. His etenim diebus fiunt juxta decreta Gelasii papæ ordinationes. Hæc solemnia quatuor Sabbatorum *Duodecim lectiones* vulgo appellantur, quia cum ipsis lectionibus et canticis vel psalmis qui canuntur, hic numerus adimpletur.

CAPUT XXXIII.

Vigilia sancti Matthæi.

Vigilia sancti Matthæi apostoli mox ut fratres audierint signum post sextam surgant, lavent manus et facies, et nunc pergant pueri sine aliquo sonitu in ecclesiam ; faciant preces ante aram, et incipiant lectiones : nam statim ut se levaverint... Officium, *Ego autem sicut oliva.* Oratio, *Da nobis, omnipotens Deus,* vel de Sapientia, *Beatus homo.* Responsorium, *Justus.* Evangelium, *Vidit Jesus publicanum nomine Levi.* Offertorium, *Gloria et honore.* Communio, *Posuisti, Domine.* Ad missam sicut soliti sunt in vigiliis apostolorum : et eleemosynam sic faciant. Ad vesperam lectio, *Quam speciosi pedes.* Responsorium, *Cum spiret animalia.* Hymnus, *Exsultet cœlum.* Antiphona, *Similitudo.* Oratio ipsius. Versus in cappis, *Gaudete et exsultate.* Lectiones octo de passione ejus. Responsorium quartum duo promant, octavum tres, duodecimum quatuor in medio ecclesiæ. Homilia de ipso die pronuntietur. Duæ candelæ augeantur. Ad stationem eant ad sanctam crucem. Matutinalis missa ibi cantetur, et hoc officium, *Os justi,* vel de Sapientia, *Beatus vir qui invenit.* Responsorium, *Beatus vir qui timet.* Alleluia *Ego vos.* Evangelium de ipso. Offertorium, *Posuisti, Domine.* Communio, *Magnus es.* Ad majorem omnes sint sacerdotes ac levitæ in cappis, infantes in tunicis. Offertorium in medio ecclesiæ quoque sex teneant : quinque cerei illuminentur præter illos quos conversi deferunt. Collecta, *Beati Matthæi.* Epistola, *Similitudo vultus.* Responsorium duo fratres, *Constitues eos.* Alleluia ter dicant. Versus, *Ad Sion.* Evangelium, *Cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem.* Offertorium, *In omnem terram.* Communio, *Magnus es.* Ad vesperam quinque luminaria. Antiphonas atque psalmos assumant de apostolorum [*supp.* officio]; quibus expletis dicant antiphonam de sancto Mauricio sociorumque ejus.

Si hæc namque festivitas evenerit infra jejunia quatuor temporum, omnia tamen celebrentur, sicut prædictum est. Post capitulum denique sedeant in claustro usque dum signum insonuerit hora tertia, et tunc eant in ecclesiam, faciantque orationem et induantur omnes sacerdotes et levitæ albis. Dicta tertia circumdent se cappis, et celebrent missam, ut supra taxavimus. Ad nonam agant sacram de jejunio, sicut mos est, et si sola vigilia evenerit adjungentes tantummodo collectam mortuorum : et si Sabbato adventaverit ipsa vigilia, missa matutinalis similiter de capitulo, et adjungantur ex... vigilia de jejunio. Missa matutinalis agatur de apostolo, et adjungantur orationes consuetudinariæ pro vivis, seu pro defunctis, *Sanctorum tuorum.*

CAPUT XXXIV.

Agminis ætherei pergant sic gaudia cuncti.

In festivitate sancti Michaelis ad vesperam Capitulum, *Factum est silentium.* Responsorium, *In conspectu angelorum.* Antiphona, *Factum est silentium in cœlo.* Quinque ad finem hujus cantici tribus vicibus repetant a capite ipsam antiphonam. Tantummodo in ipsa die faciant orationem, *Deus qui miro ordine.* Ad aromatizandum altaria unus sacerdos officiat. Ad stationem responsorium, *Fidelis sermo.* Invitatorium in cappis duo, *Regem archangelorum.* Hymnus, *Christe sanctorum decus angelorum.* Tres candelæ sint ante altare, retro una. Primo et secundo nocturno lectiones octo de homilia sancti Gregori legendæ sunt super evangelium, *Accesserunt ad Jesum publicani* : incipiant in loco *Angelorum quippe et hominum naturam.* Canticum, *Deus misereatur nostri.* Introitio homilia sancti Hieronymi de evangelio, *Accesserunt ad Jesum discipuli ejus dicentes, Quis putas.* Responsorium quartum duo fratres promant, octavum quatuor, duodecimum quinque, quindenæ candelæ accendantur in pertica, duæ augeantur ante altare majus, similiter extrorsum et per unamquamque aram illuminetur.

In matutinalibus responsorium, *Sancte Michael archangele, defende nos in prælio. Patris.* Versus, *Ut non pereamus in tremendo judicio.* Hymnus, *Tibi Christe splendor.* Versus, *In conspectu angelorum.* Antiphona, *Dum sacrum mysterium.* Tripliciter [*f.* triplicatur] ad *Gloria.* Oratio, *Deus, qui miro.* Ad stationem responsorium, *Archangeli Michaelis.* Missa mane prima de sancto Michaele et omnes collectæ quæ solitæ sunt dicantur. Epistola, *Et factum est prælium.* Lectio, *Factum est prælium.* Ad missam majorem omnes sacerdotes atque levitæ coornent se cappis. In altare majore duo pallia et album supponant : septem cerei ardeant cum illis quos conversi deferunt, et tres retro. Officium sex teneant, *Benedicite Dominum*, vel, *Significavit Deus.* Responsorium non dicant. Alleluia quatuor : offertoria duo accipiant.

Ad offerendam duo thuribula aurea habeant præparata duo fratres ; mox ut dixerint : *Data sunt ei incensa multa,* tunc detur ad sacerdotem unum ex thuribulis, ut incenset calicem ; quo recepto præcedant duo sacerdotes in cappis et stent a latere altaris hinc et inde tenentes duo thuribula thymiathizantes eam desuper, quousque dum repetitio de versu. *Et ascendit fumus,* cantores finierint : et tunc eant ad altaria quæ sita sunt post majus, illa, aramque in medio incensent ambo simul, et tunc procedat ad alias aras unusquisque hinc et inde circumdando incensum. Expleta missa sonent omnia signa. Ad vesperas quinque candelæ accendantur ante aram; antiphona, *Stetit Angelus.* Psalmus, *Dixit.* Antiphona, *Data sunt ei.* Psalmus. *Beatus vir.* Antiphona, *Ascendit fumus.* Psalmus, *Laudate pueri.* Antiphona, *In conspectu Angelorum.* Psalmus, *Confitebor.* Responsorium, *Stetit Angelus.* Hymnus, *Tibi Christe.* Antiphona ad *Magnificat, Princeps gloriosissime.*

CAPUT XXXV.

In sancti Hyeronymi.

Ad vesperam antiphona, *In medio ecclesiæ.* Oratio, *Ecclesiam tuam, Deus.* Lectiones octo de ejus vita. In tertio [nocturno] expositio sancti Gregorii papæ de evangelio, *Homo quidam peregre.* Ad missam officium, *In medio ecclesiæ.* Oratio, *Ecclesiam tuam,* vel de Sapientia, *Optavi et datus est mihi sensus.* Responsorium, *Justus ut palma.* Alleluia, *Os justi.* Evangelium, *Homo quidam peregre.* Offertorium *Justus ut palma.* Communio, *Beatus ille.* Vesperæ agantur de confessore.

CAPUT XXXVI.

Dominica prima Octobris.

Sabbato ad vesperas responsorium, *Tua est potentia.* Antiphona ad *Magnificat : Da pacem, Domine, in diebus nostris.* Ad nocturnum dicatur hymnus, *Primo dierum.* Legatur historia Machabæorum. Responsorium, *Adaperiat Dominus.* Ad laudes hymnus, *Æterne rerum conditor.* Ipso denique die dimittatur meridiana, qua fratres solent in æstate dormire. Exeuntes a refectione confestim veniant in claustrum, et meditentur lectiones quousque servitores de refectorio veniant : illico ut ipsi in ecclesiam perventi fuerint, custos sonet signum quod majus est tamdiu, quousque infantes veniant, et ante altare procedant orationem facere : qua facta, sonet iterum signum et agatur hora. Expleta, pulsato cymbalo veniant in refectorium : exhinc aqua non ministrabitur usque ad Dominicam in Palmis. Similiter continuo ut ibi fuerit sive prior, sive in præsens fuerit, abbas, percutiat squillam et unusquisque de vino quod habuerit ante se bibat ; justitiæque (37) suæ os apponentes, deinde tribus vicibus squilla percutiatur. Surgentes revertantur in claustrum : in festis diebus similiterque peragant usque ad festivitatem sancti Martini.

Privatis autem diebus mensis ipsius Octobris post matutinas revertantur ad lectula fratres. Cum diem viderit apparere, custos ecclesiæ sonet minus signum modice, et sine mora venientes ad ecclesiam fratres cantent primam, et post septem psalmos litaniam : inde venientes sedeant ad lectiones suas cum silentio. Pueri primitus alta voce legant, postea suavius, vel cantent ; fratres autem honeste debent vel legere vel cantare. Hebdomadarii coquinæ, cellerarii, et decani, vel quibus de foris aliquid injunctum est obedientiæ, debent se solummodo calceare. Cum tempus fuerit regularis horæ, sonet custos minus signum modice et per gentes in dormitorium calcient se, deinde lavent manus ac facies suas. Venientibus autem ad ecclesiam infantibus, majus signum sonetur, et in choro simul omnes faciant trinam orationem ; quibus finitis inclinent se ante et retro. Iterum minus signum pulsetur : cantent tertiam, postea missam. Missa peracta sonet prior, jubente si præsens fuerit abbate, signum ad capitulum, et per ordinem sicut ibi censuri [*al.* sessuri] sunt, illuc fratres veniant. Quo peracto dicant quinque psalmos pro his quorum sunt ibi nomina pronuntiata. Deinde sonet prior tabulam annuente abbate, et jubeat ipse singulos ad officia sua pergere. Pueri veniant ad capitulum, postea et refectorium.

Si qui sunt alio die vel tertio fratres sanguinis diminutione debiles, debent in refectorium ire statim ut exierint e capitulo, et det eis cellerarius tria pulmentaria. Nec debet custos illa hora manducandi quemquam, præter abbatem exspectare vel priorem, cum præviderit synaxim sextam advenisse die ipso. Post sextam nullus loquatur in claustro, donec infantes exeant de ecclesia.

Si quis ex fratribus voluerit sanguinem minuere, tunc tempus est licentiam petere, et cellerario dicere, ut omnia quæ necessaria sunt inveniat parata mox ut evangelium lectum fuerit, in loco decreto. Item frater qui voluerit sanguinem minuere post refectionem, tunc debet facere ; et post vesperas in

(37) *Justitia*, mensura vini.

refectorium ire, sed et aliquid charitatis habere. In A crastinum in nocturnalibus ambulent, et his duobus diebus tria pulmenta, sicut supra dictum est, habeant : quarta die quarta pars casei post missam detur unicuique. Quarta et sexta feria post sextam facto parvo intervallo sonet signum secretarius modice, et discalcient se omnes. Deinde lavent manus, et pergant in ecclesiam orationes [*f.* orantes, *vel supple* dicam] generaliter : surgentes incipiant antiphonas, atque processionem agant sicut mos est.

In aliis diebus post sextam, facta aliqua mora magister faciat abluere illorum infantium manus, qui debent servire ad missam. Deinde custos ecclesiæ cum viderit tempus esse, sonet signum ad missam, et tunc procedant omnes in basilicam, efficiant preces ; quibus surgentibus, dicat unus de pueris B litaniam, et tunc vestiant se, qui ministraturi sunt ad missam. Finita, pulsetur signum ad nonam, et oratione facta vadant hebdomadarii coquinæ, cellerarius et lector in refectorium ut accipiant mistum. Fratres alii sedeant in choro, donec alio minore signo pulsato, cunctis convenientibus, dicant nonam. Post nonam veniant ad mensam. Refectione celebrata, sedeant in claustro.

CAPUT XXXVII.

In sanctorum apostolorum Simonis et Judæ vigilia.

In sanctorum apostolorum Simonis et Judæ vigilia, ad missam officium, *Intret in conspectu.* Oratio, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut apostolorum* : et alia consueta, *Justorum animæ.* Responsorium, *Vindica, Domine.* Evangelium, *Ego* C *sum vitis.* Offertorium, *Exsultabunt sancti.* Communio, *Justorum animæ.* In ipso die non comedant adipem, et quod remanserit in refectorio, accipiant pauperes. Custos ecclesiæ priusquam sonetur vespera, coornet altaria sericis, et super formas mittat tapetia. Ad synaxim vesperæ accendantur quinque lucernæ ante altare. Capitulum, *Jam non estis hospites.* Oratio, *Concede.* Invitatorium duo in cappis. Lectiones octo de homilia sancti Augustini. *Mementote sermonis mei.* Tres candelæ ante aram, retro una. Introitio homilia sancti Gregorii papæ, *Designavit Dominus*, et augeantur duo lumina ante altare. Antiphonam atque tractum de apostolis cantent, et augeantur duo candelabra ante aram ; et D quartum, et octavum, atque duodecim duo dicant et ipsum duodenum post *Gloria* a capite recapitulent. Ad missam sint omnes sacerdotes et levitæ induti cappis : et octo luminaria accendantur. Officium, *Exclamaverunt.* Oremus, *Deus qui apostolis tuis.* Epistola, *Stabunt justi.* Responsorium, *Nimis honorati.* Alleluia, *Venite ad me omnes.* Evangelium, *Designavit Dominus.* Offertorium, *In omnem terram.* Collecta, *Vos qui secuti estis me.* In refectorio tabulæ cooperiantur, et optimam refectionem habeant, et ad vesperam quinque lampades accendantur. Antiphonæ et psalmi, sicuti in apostolorum solitum est, dicantur : videlicet, *Virgam virtutis, Collocet. Euntes ibant. Confortatus est* ; et alia his similia.

CAPUT XXXVIII.

Vigilia Omnium Sanctorum.

Antequam secunda agatur, decoretur totum monasterium palliis. Per chorum in circum extendantur bancalia, et super formulas tapetia, atque altaria decorentur ; et in majorem textos [textus evangeliorum] ponant. Altare sanctæ Mariæ palliis atque sericis adornetur : in capitulo bancalia coaptitent. Similiter refectorii procuratores, mantiles atque bancalia accipiant ad decorandam ædem. Si aliquis sanctus evenerit in ipso die, unde agant tres lectiones, tunc dicant missam matutinalem ex eo, adjungentes collectam pro defunctis, et offerant cuncti. Si vigilia advenerit quarta vel sexta feria, tunc fiat processio : et si in alia feria fuerit, sonent signum.

Post sextam, eant et faciant orationem, deinde dicant litaniam : signa non pulsentur, nec cappa sit in choro, sed tantummodo diaconus indutus alba, et stola, et subdiaconus similiter alba. Offertorium, *Timete Dominum.* Collecta, *Domine Deus noster.* Deinde aliæ. Epistola, *Ecce ego Joannes vidi in medio throni.* Responsorium, *Exsultabunt Sancti.* Alleluia non est canendum. Evangelium, *Descendens Jesus de monte.* Offerendam faciat dimidia pars, similiter pacem. Offertorium, *Lætamini.* Communio, *Amen, amen dico vobis.* Adeps non comedatur ipso die. Panem et vinum, quæ remanent in refectorio, eleemosynarius accipiat. Ad vesperam in primis non pulsetur, nisi squilla sola : et viginti quatuor luminaria sint accensa ante altare majus, et post unumquodque de aliis unum. Antiphona, *In consilio justorum.* Et aliæ quæ sequuntur. Capitulum, *Ecce ego Joannes.* Responsorium, *Laudem dicite.* Hymnus, *Christe, sanctorum redemptor omnium.* Et duo fratres induti sint cappis ad incensum deferendum. Versus, *Lætamini in Domino.* Antiphona ad *Magnificat : Salvator mundi, salva nos.* Alleluia, *O quam gloriosum est regnum.* Et trina vice repetant. Capitulum, *Post partum virgo,* et aliæ quæ solent dicere de omnibus sanctis. Oremus, *Omnipotens sempiterne Deus,* et tunc repetant antiphonam de sanctis cum *Gloria.* Oratio de ipso beato, et postmodum de sancta cruce sine *Gloria*, et oratio ejusdem. Post hæc si aliquis psalmus impositus est pro vivis vel defunctis, tunc dicant et finiant. Ad nocturnos priusquam sonetur squilla accendantur omnes lampades, et post unumquodque altare sit una : et mox ut canticum graduum fuerit peractum, tres candelas ante aram majorem imponant. Ad invitatorium quatuor fratres in cappis. Hymnus, *Jesus auctor.* Lectiones octo de sermone sancti Bonifacii papæ, *Legimus in ecclesiasticis historiis.* Responsoria duo et duo pronuntient. Per unumquodque nocturnum sit sacerdos in cappis, qui incenset altare majus tantummodo, et fratres in choro. Ad canticum antiphona, *Gaudent in cœlis.* Psalmus, *Vos sancti Domini.* Versus, *Exsultabunt sancti.* Novem candelæ augeantur ante aram. Evangelium pronuntient. *Videns turbas Jesus.* Homilia sancti Leonis papæ, *Prædicante dilectissimi.* Respon-

sorium duodecimum post *Gloria* a capite incipiant. In matutinalibus, antiphona, *Vidi turbam magnam*. Ad *Alleluia* quatuor. Lectio... Responsorium, *Justi autem in perpetuum vivent*. Versus, *et apud Dominum*. Hymnus, *Christe redemptor omnium*. Versus, *Lætamini*. Antiphona in evangelium, *Te gloriosus Apostolorum*, et ter repetant. Oremus, *Omnipotens sempiterne Deus*. Antiphona de cruce, *Adoramus te, Christe, Salva nos, Christe, Servi facti sumus*. Oratio ejusdem : Post hæc dicant quinque psalmos pro defunctis. Ante primam ponant calices aureos super defunctis. Ante primam ponant calices aureos super altare et alia ornamenta quæ de consuetudine sunt.

In horis candelæ illuminentur. Antiphonam dicant quæ de illo supra [*supp.* dicto] |Evangelio sunt. Missam matutinalem agant de sancto Cæsareo. Ante tertiam sint omnes in albis : et mox ut dicta fuerit hora induant se cappis omnes, etiam conversi, infantes tunicis. Super altare mittant duo pallia et album desuper. Duodecim cerei ante aram, retro decem. Officium, *Gaudeamus*, octo fratres procurent. Epistola, *Ecce ego Joannes vidi alterum angelum*. Responsorium, *Timete Dominum* a quatuor fratribus decantetur : *Alleluia* sex, *Vox exsultationis*. Evangelium, *Videns turbas Jesus*. Offertorium, *Mirabilis Deus in sanctis suis*. Offertoria duo accipiant. Communio, *Gaudete, justi in Domino*, aut *Isti sunt viri sancti*. Expleta missa sonent omnia signa. In refectorio sicut in præcipuis festis ita agant, præterquam quod semel miscetur. Ad vesperam accendantur duodecim candelæ ante aram, retro decem. Antiphona, *In consilio justorum*. Alleluia. Responsorium, *Lætamini in Domino*. Hymnus, *Christe redemptor*. Antiphonam terna vice repetant. Oremus, *Omnipotens sempiterne Deus*. Antiphonam de sancto cum *Gloria*, aut antiphona de cruce sine *Gloria*; *propter lignum servi facti sumus*. Oratio ejusdem : postea psalmi pro defunctis ; et tunc pulsent omnia signa. Dicantur vesperæ mortuorum cum antiphonis : nam et in hoc die festivitatis post capitulum decanus et cellerarius refectionem tribuant omnibus supervenientibus pauperibus, sicut mos est agere in cœna Domini ; et quidquid ipsa die post synaxim vesperæ de refectione in cœna fratrum remanserit eleemosynarius accipiat.

Constitutum est una cum consensu et rogatu omnium monachorum Cluniensium (38), ut sicut in Ecclesiis Dei quæ per orbem terræ longe lateque constructæ sunt in die Kalendarum Novembrium agitur festivitas omnium sanctorum, ita apud nos agatur festivo more commemoratio fidelium defunctorum tali modo : in crastino etiamsi dies Dominica fuerit, vel de aliquo sancto unde duodecim lectiones fecerint ; sic tamen mox ut suffragia sanctorum expleta fuerint, pulsent omnia signa, et agant officium mortuorum et matutinas ipsorum ; et accendantur duodecim candelæ ante aram ; quibus exactis eant in alium chorum et dicant matutinas omnium sanctorum, et sex psalmos pro defunctis.

Ad missam matutinalem accendantur duodecim candelæ ante aram : unus puer sit in choro cum cappa, et alius in casula qui epistolam proferat, et duo alii in albis, a quibus responsorium cantetur : et duo fratres tractum *De profundis*. Similiter albis induti sint et tres conversi, quorum duo deferant candelabra, tertius thuribulum, et tunc omnium signa pulsentur. Offerendas omnes faciant, et has orationes dicat sacerdos, *Fidelium Deus omnium*, adjungens pro anniversario, *Præsta quæsumus, Domine*. Omnes denique sacerdotes ipso die privatim missas celebrent pro requie omnium animarum fidelium tantummodo cum supra dictis collectis pro defunctis. Similiter dicantur ad vesperum sine matutino ipsæ collectæ, et duodecim pauperibus refectiones præparentur abunde ipsa die. Si in die feriato evenerit hæc constitutio, vigiliam mortuorum faciant post nocturnale obsequium. Et ut hoc decretum perpetuum vigorem obtineat, volumus et petimus, et præcipimus tam in hoc loco quam in cunctis locis, ad istum locum pertinentibus, ut servetur : et si aliquis ista nostra fideli inventione sumpserit exemplum, particeps omnium bonorum efficiatur votorum (39).

CAPUT XXXIX.

KALENDÆ NOVEMBRIS.

Istos Novembris mores servate Kalendis.

Kalendæ Novembris si die Dominica venerint, festivitas Omnium Sanctorum celebratur. Reliquis autem hebdomadis privatis diebus triginta psalmi ante nocturnos dicantur : lectiones longæ ex Ezechielis prophetia legantur : in primis responsoria, *Vidi Dominum sedentem*, deinde Daniel. (40) Ad finem lectionis, *Tu autem Domine* dicant. Duodecim prophetiæ cum leguntur, *Hæc dicit Dominus* dicant, et si ipsa prophetia in lectione finierit, in qualicunque ipsorum libro, lector in, *Tu autem Domine*, expleat. Officium mortuorum simul cum matutinis agant. Deinde cum antiphona veniant in alium chorum, ibi matutinas de omnibus sanctis dicant et psalmos, *Deus auribus nostris*; et si defunctum habuerint, *Verba mea*. Postea in dormitorium infantes ambulent cum custodia. Inde revertentes, sicuti regula præcipit, cantum, quemadmodum est necessarium, in capitulo sedentes discant. Fratres in choro sedeant psalmodiis et orationibus intenti. Si cui secretius orare libuerit, foris chorum orationem faciat, et statim reveniens in choro sedeat. Si vero dies Kalendarius secunda et tertia vel quarta feria venerit, incipiant responsorium de prophetis anteriore die Dominica, similiter et lectiones de propheta. Sed longas tres lectiones et intervalla non nisi post Kalendas incipiant. Si vero quinta vel

(38) *Sub S. Odilone Cluniacensium abbate.*

(39) Ex hoc amplius constat propagatio facta commemorationis fidelium defunctorum, ab Odilone institutæ, de quo paulo inferius dicemus.

(40) *Hæc ex Hildemari traditione desumpta sunt.*

sexta feria Kalendæ superveniunt, aliqua privata die post Kalendas existente, psalmodiam, lectiones, et intervalla vel omnia compleant, sicut tota hyeme consuetudinis est retinere; et Dominica subsequente lectiones et responsoria, secundum ordinem imponant. Custos autem ecclesiæ sollicite providendus est, ut tali tempore matutinas laudes faciat incipere ; quatenus matutinæ, prima, litania simul cum luce perficiantur; si autem aliqua dubietate deluditur, et aliquid tenebrarum post litaniam remanserit, sicut in intervallo supra dictum est, ita faciant fratres : videlicet, ut ita noctis tempora peragentes, nullus præter debiles et ægrotos revertatur ad stratum. In prima diei luce conveniant omnes in claustrum ad lectiones, cum tali (velut ante dictum est) disciplina sedere. Exhinc namque dimittantur processiones, quæ solent fieri feria quarta et sexta, et mandatum quod solet fieri ad pauperes usque in capite jejunii; dimittant etiam et duos psalmos pro defunctis usque in Septuagesimam. Ad completorium, hymnus, *Christe qui lux es*. absque duodecim lectionibus et octavis, usque in Pascha dicatur.

Quarto nonas Novembris, officium fiat diebus septem pro cunctis familiaribus nostris, sicut fieri mos est pro fratribus noviter defunctis : et una justitia detur triginta diebus. Debet fieri septem diebus plenum officium, et in prima die tantum pulsantur omnia signa, tam ad vigilias quam ad missam. Collectæ sicut solitæ sunt dicendæ, ita dicantur, et ipso solummodo die duodecim pauperes reficiantur, et in refectorio quidquid remanserit eleemosynarius accipiat, et usque in triginta dies in horis dicantur, *Voce mea*, et *Deus auribus nostris* : quinque psalmos psallant pro ipsis.

CAPUT XL.

Vigilia sancti Martini.

Adornent totum monasterium sicut in vigilia omnium sanctorum. Jejunium aliud non agitur nisi quod solitum est in quotidianis diebus. Ad vesperam duodecim cerei ante aram sint, retro decem ; laudes, *Ecce sacerdos magnus*. Responsorium, *Domine, si adhuc populo tuo*. Hymnus, *Rex Christe Martini*. Duo sacerdotes induti sint cappis ad incensandum altaria, et duo conversi in albis qui deferant ad fratres. Antiphona ad Magnificat *Martinus Abrahæ*, tertio ab omnibus repetatur, cum *Gloria*. Vespera peracta, unusquisque fratrum duos pedules ad lectum invenire debet præparatos a camerario. Ante nocturnos priusquam sonent, accendant coronas. Ad invitatorium vestiantur quatuor in cappis. Hymnus, *Rex Christe*. Lectiones legantur totæ de ejus vita. Responsoria duo et duo decantent. Ad canticum accedantur quindecim candelæ ante aram, novem retro : evangelium non pronuntietur. Responsorium duodecimum post *Gloria* a capite reincipiant. In matutinis laudibus. Hymnus, *Bellator armis*. Ad missam matutinalem una collecta tantummodo dicatur. Ad majorem omnes fratres sint in cappis, et duodecim candelæ ante altare. Officium octo, responsoria quatuor, alleluia sex procurent : post missam sonent omnia signa : in horis tres candelæ accendantur, et post unamquamque dicant hunc versum : *Martine, par apostolis*, ad finem hymni. Post prandium cum exierint de refectorio infantes veniant in locum suum in chorum et illico ut sacerdos dixerit, *Et ne nos*, infantes qui lecturi sunt in refectorio exeant, et statim sonet custos signum, et incipiant nonam, servitoribus remanentibus, et ipsi post sumptum cibum nonam dicant : postea non revertantur ad bibendum in refectorium, usque ad festivitatem sanctæ Mariæ. Ad vesperam illuminentur duodecim candelæ ante aram : antiphonas dicant de illis, qui in obsequio matutinali fuerunt.

Infra Octavam ejusdem magnifici, invitatorium, *Regem confessorum*. Hymnus, *Rex Christe Martini*. Antiphonam de eadem festivitate dicant ; ita videlicet, ut ad nocturnas una sex psalmis modulentur antiphonæ. Lectiones autem mediocres legantur de prophetis. Responsoria cantent de ipso beato : genua non flectant super formas. Psalmi familiares nec canantur, sed mox ut nocturnale obsequium expletum habuerint, officium mortuorum est agendum, deinde matutinæ ipsorum ; et tunc sonent signum, et inchoent matutinam laudem, et per unamquamque diem dicant unam antiphonam per ordinem, sicut insertæ sunt in authentico; et quinque psalmos de festivitate cantent, post suffragia sanctorum. Expleta veniant in alterum chorum, et dicant matutinas sanctorum, et *Deus auribus nostris*. Atque quinque psalmos pro defunctis ; qua finita licitum est fratribus ad lectulos revenire, si dies non est. Ad primam septem psalmos et Litaniam. Deinde missam pro defunctis. Post capitulum usque ad tertiam loquantur in claustro. Ante missam litaniam dicant. In horis antiphonas, quæ fuerint de laude promant. Vespera sub una antiphona quæ super nocturnas habetur : et quatuor psalmi qui diatim veniunt, ex feria dicant.

Si dominica dies infra octavas evenerit, invitatorium, antiphonæ, vel responsoria, sive lectiones de sancto Martino dicant tali ratione et una... antiphona similiter et cantica... si festivitas in octabus [*id est*, infra octavam] evenerit infra, unde tres lectiones agant ; quantum aliis temporibus de feria, tantum additur de octava.

Octava sancti Martini. Ad invitatorium induantur albis duo fratres, antiphona, *Adoramus Christum regem*. Lectiones octo de ejus vita, consequenti itidem tempore responsoria promant de suis propriis. *Hic est Martinus*. In tertio, legant homiliam ex evangelio, *Sint lumbi vestri*. Missam dicant honorifice sicut superius intulimus, et sequentiam melodient in eadem die. Ad vesperas, antiphona, *Martinus adhuc* : et alleluia tres. Capitulum et responsorium de confessore : hymnus, et oratio de ipso beato.

CAPUT XLI.

Vigilia sancti Andreæ.

Missam matutinalem de sancto Saturnino agant : officium namque, et omnia alia sicut mos est ex uno martyre agant, adjungentes collectam mortuorum. Nona hora veniente celebrent sacram de apostolo, quemadmodum in ejus vigilia continetur in sacramentorum libris, adjungentes orationes vivorum veluti aliis diebus. Adeps nec comedatur ipso die. Post nonam procedant ad edendum et ad bene bibendum. Eleemosynarius accipiat quidquid remanserit ex fratribus. Custos ecclesiæ dum seniores fuerint ad reficiendum decorent presbyterium atque chorum. Ad vesperas accendantur quinque candelabra ante altare. Lectio, *Benedictio Domini super.* Responsorium, *Mox ut vocem Domini.* Sacerdos induatur cappa ad deferendum thuribulum per altaria. Antiphona, non triumphaliter. Ad invitatorium duo fratres circumdati cappis : debent lectiones legere octo, omnes presbyteri. Quartum, octavum, duodecimum responsorium duo decantent ante altare. Missam matutinalem de ipso, et omnes collectæ quæ solitæ sunt promantur. Ad missam matutinalem omnes sacerdotes atque levitæ coornent se cappis, etiam conversi qui cantare valent. In altare majori duo pallia et album superponant. Septem cerei ardeant ante altare, cum illis quos conversi deferunt, et retro tres. Officium sex teneant. Epistola ipsius diei congruens. Responsorium tres decantent, alleluia quatuor; offertoria duo accipiant. Expleta missa sonentur signa omnia. In horis dicantur versiculi quæ super nocturnale obsequium fuerint, et per unamquamque horam tres candelæ accendantur. Ad vesperas antiphonæ quæ super nocturnale obsequium fuerint, assumantur, *Vidit Dominus Petrum*, et aliæ : psalmi de apostolis decantantur; et quinque candelæ illuminentur ante altare, retro tres. Ipso namque die refectorii tabulæ cooperiantur hora decreta.

Si sancti Andreæ festivitas ante Adventum evenerit Sabbato, tota vespera de sancto Andrea dicatur, et postea de Adventu Domini promatur cum *Gloria Patri. Ecce nomen Domini.*

Per octavam ejusdem apostoli nihil ex eo agitur, sed omnia feriato. In octava sancti Andreæ ad invitatorium duo sint in albis, lectiones octo legantur ex ipso : *Tanta ac talis est Scripturæ divinæ sublimitas* Responsoria decantent eo ordine, sicuti in festivitate ejus ex authentico decantatæ sunt, et missa similiter in libro Sacramentorum. Ad vesperas antiphonæ atque psalmi sicuti supra habentur.

Si hæc namque festivitas octavæ venerit in Sabbato Dominique Adventu, vesperas faciant de apostolo. Capitulum vel responsorium atque hymnus de Adventu, necnon et orationem dicant ; dein recapitulent antiphonam in honorem apostoli cum *Gloria,*

CAPUT XLII.

Qualiter agendum est in anniversaria consecrationis basilicæ.

Dedicatione namque basilicæ ante vesperas coadornata sint omnia altaria, et per unumquodque singulæ candelæ coaptentur. Ad majorem vero aram quinque in anteriora, et tria posteriora, et textus Evangelii super ipsam aram. Capitulum, *Vidi civitatem sanctam*. Responsoria, duo ex fratribus, *Fundata est.* Hymnus, *Verba beata.* Duo sacerdotes cappis adornent se, ut altaria aromatizent, tam in hac hora quam in matutinalibus vel vespertinalibus advenientibus. Collecta, *Deus qui nos per singulos.* Ad stationem responsorium, *Domus mea. Dominus vobiscum.* Orationes ad ipsum diem pertinentes. Ante nocturnale obsequium sit per unumquodque altare singula candela Canticum graduum expletum, tres [candelæ] adjungantur ante majorem ; et singula posterior [luminaria accendantur] ipsius. Ad Invitatorium quatuor fratres sint cappis circumdati, ipsum *domum Dei decet sanctitudo.* Hymnus, *Urbs beata.* Lectiones atque responsoria ad ipsum diem convenientia ; quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quatuor decantetur. Ad canticum antiphona, *Hodie huic domui.* Cantici e psalmis, *Lætatus sum. Nisi Dominus. Lauda, Jerusalem, Dominum.* Tunc adjungentur majori altari duo luminaria anterius, similiter et posterius, et in pertica quindecim. In laudibus responsorium breve pueri decantent ad gradus. Hymnus, *Angularis fundamentum.* Ad stationem responsorium, *Domum tuam decet.* Et oratio ipsius diei : tres candelæ accendantur ad horas. Missam matutinalem agant in oratorio sanctæ Mariæ. Ad majorem universi sacerdotes atque diaconi debent esse vestiti in cappis. Candelabra quinque ante altare, et posterius tria. Infantes quippe omnes sint tunicis adornati. Officium, *Terribilis est.* Oratio, *Deus qui nos per singulos annos.* Epistola, *Vidi civitatem sanctam.* Responsorium, *Locus iste a Deo est.* Alleluia, *Adorabo.* Evangelium, *Erat vir nomine :* in refectorio tabulæ cooperiantur. Ad vesperam antiphona, *Erit mihi Dominus.* Psalmus, *Dixit Dominus.* Antiphona, *Cum evigilasset.* Psalmus, *Lætatus sum.* Antiphona, *Vidit Jacob.* Psalmus, *Lauda, Jerusalem.* Hymnus. *Urbs beata.* Oratio, *Deus qui nobis per singulos annos.*

Item quando ipsa festivitas advenerit in Septuagesima seu Sexagesima omnia faciant quemadmodum prænotatum est : et hoc quidem adjungant ad missam : diaconus atque subdiaconus induant se casulis: *Gloria in excelsis Deo,* non personetur, responsorium : *Locus iste a Deo.* Tractatus, *Qui confidunt. Ite, missa est,* nec imponatur. Si vero infra Quadragesimam aut in novissimo adventaverit. sicut mos est facere illis festis quæ in albis celebrant, ita et in ista agatur.

CAPUT XLIII.

Annales ritus festis hos serva diebus.

Annalium festivitatum morem, D. Odilo abbas

cum fratribus decrevit taliter observandum, videlicet A ut dies Natalis Domini nostri, summorum apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis sanctæ Mariæ, uno more celebrentur : totum monasterium ornabitur ; fratres duo et duo omnia responsoria pronuntiabunt; duo thuribula ad vespertinale ac matutinale officium deferantur, et ad nocturnale unum : ante nocturnale obsequium omnia signa bis pulsentur : invitatorium a quatuor fratribus decantetur : terna quoque pocula fratribus propinentur singulis, excepta quotidiana portione vini.

Item diem apparitionis Domini ὑπαπάντι. Ascensionis, nativitas sancti Joannis Baptistæ, uno modo agentur. Omnia responsoria a duobus cantoribus pronuntiabuntur, invitatorium a quatuor : ad ve- B spertinale et matutinale officium, ad canticum de Evangelio bina thuribula deportabuntur, medietas etiam ecclesiæ ornamentis decoretur.

Porro festivitates Omnium Sanctorum, sancti Martini, sicut festivitas apostolorum Petri et Pauli per omnia agantur, præter signa quæ solent bis pulsari ante officium nocturnale, quæ hic semel percutienda sunt, et quod semel miscetur fratribus in refectorio.

CAPUT XLIV.

Odilo nostrorum monachorum doctor et abbas.

Decretum est etiam a supradicto Patre domno Odilone una cum consensu omnium fratrum Cluniacensium, ut sicut in Ecclesiis Dei, quæ per orbem terræ longe lateque constructæ sunt, in die Kalen- C darum Novembrium agitur festivitas Omnium Sanctorum . ita apud nos agatur festivo more Commemoratio fidelium defunctorum (41) : tali modo, ut ipsa die post capitulum decanus et cellerarius refectionem tribuant omnibus supervenientibus pauperibus, sicut mos est agi in cœna Domini. et quidquid ipsa die de refectorio remanserit eleemosynarius accipiat. Ipsa etiam die post vespertinalem synaxim pulsatis omnibus signis canant vesperam pro defunctis : similiter et in crastino pulsatis denuo signis agatur officium pro defunctis. Missa etiam matutinalis agatur solemniter pro defunctis. Tractum cantent duo fratres ; cuncti offerant privatim, et publice missas celebrent pro requie omnium anima- D rum fidelium : et duodecim pauperes reficiantur. Et ut hoc decretum perpetuum vigorem obtineat, volumus et petimus, et præcipimus tam in hoc loco quam in cunctis locis ad istum locum pertinentibus servetur. Et si aliquis ex ista nostra fideli intentione [*al.*, inventione] sumpserit exemplum, particeps omnium bonorum efficiatur votorum.

CAPUT XLV.

Cum labor est manuum ad talem currite ritum.

Cum ad opus manuum exituri sunt fratres, statim post primam dimissis familiaribus et septem psalmis sacerdos incipiat lectionem, qua dicta, sicut et matutinalibus, missa finita, peracto capitulo simul exeant, et dum illuc ubi fieri debet opus, venerint, prior incipiat versum, *Deus, in adjutorium meum intende :* quo respondentibus aliis, dicto tertio, dicatur *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, et deinceps qui acturi sunt opus incipiant. Cumque psalmos familiares cum cantico cursu dixerint (sicut et cum se radent agere soliti sunt) legatur ibi lectio de libro qui legitur in refectorio, si talis est qui ad ædificandum vel ad ædificationem pertineat ; et frater qui ad servitores illa legit hebdomada portare debet illuc librum sicut in refectorium ; et prior, vel cui injunxerit ipse sermonem faciat de lectione, fratribus interim quiescentibus. Iterum opus incipiant et psalmodiam quam cum armario prior innuerit (quibus solummodo loqui licitum est ibi) donec revertendi tempus occurrerit, cantent. Cum autem reversi fuerint in claustrum, dicto versu, statim loquantur. Tali modo cum post nonam opus manuum aggressuri sunt, faciant.

Exeuntes autem post nonam familiares psalmos de vespera primitus decantent ; similiter et de Omnibus Sanctis, et Mortuorum vesperas cum officio, et *Deus auribus*, et faciant ante et retro : postea *Adjutorium nostrum*. Tunc solummodo inclinentur. Reversique de collatione legant lectionem; sermone etiam facto, dicto versu loquantur

Sed cum in die semel exituri sunt ad opus manuum, cum reversi fuerint in claustrum, legant de collationibus, vel vita Patrum lectionem, sermone etiam facto, dicto versu colloquantur.

Si ad pistrinum vadunt, psalmodiam de prima propterea non dimittunt. Neque revertentibus lectio legitur, sed solummodo dicto versu lotis manibus ad ecclesiasticum (42) opus aptentur.

(41) Sigebertus auctor est Odilonem anno Christi 998 Commemorationem omnium defunctorum secunda die Novembris instituisse in suo monasterio. cujus exemplo ad cæteras ecclesias hæc institutio promanavit. Odilonis hac de re constitutio in Bibliotheca Cluniacensi edita est et in tomo I sæculi VI Benedictini.

(42) Hoc de hostiis, seu panibus ad missam offerendis intelligitur : siquidem monachi ipsi in pristino singulari studio farinam, etc , ad hoc opus præparabant, ut vidimus in Constit. Hirsaug. lib. II.

Finis libri primis.

LIBER SECUNDUS.

IN QUOTIDIANIS DIEBUS PROCURANDUM SECUNDUM REGULAM S. BENEDICTI.

In primis metrice dictus.

Quisquis ad æternum mavult conscendere regnum
Debet ad astrigerum mente subire paulum,
Relligione pia vitæ perquirere callem,
Scandere quo valeat aurea regna celer.
Est monachis usus Benedicti vita Patrisque
Perfectis plano et suavi tramite vita ;
Aspera sed pueris necnon tironibus arta
Quos aluit gremio lactea vita diu.
Patribus a nostris in sacro carmine legis
Hæc est vita bonis, necnon et norma salutis :
Hæc bene materno natos castigat amore,
Arguit erudiens, et sine felle manens :
Librat et æquiparat et moderando minat :
Arguit, obsecrat, increpat atque libenter emendat.
Debet et ulterius nulla lavanda pati,
Et via per medium regia ducat eum.
Hortantur sacræ munia legis eum :
Scandere tunc poterit regna beata poli
Quisquis amat rutilos sanctorum carpere fructus,
Noctibus in cunctis consocietur eis ,
Moribus o natus et casto corpore comptus
Vivat, et a Domino semper amatus erit
Sit tacitus, humilis, mitissimus atque benignus :
Sit patiens, sobrius, providus atque pius.
Indolis et docilis, sapiens et mente pusillus,
Compunctus, placidus et benecautus eat.
Excitat interea cordis compunctio fontem,
Qui sordes animæ illuviesque lavet
Chrismate perfuso : lacrymarum fusio fontis.
Æquiparat maculas, tergit ut ille nigras
Tergit, et ablutos paradisi rite colonos
Efficit, ut habeat jam sine fine cives
Qui jugiter laudis possint persolvere grates,
Vivere cum Domino semper, et esse suo.

CAPUT PRIMUM.

De positione seu mensuratione officinarum (43).

Ecclesia longitudinis CXL pedes. Altitudinis XL et tres, fenestræ vitreæ CLX Capitulum XL et quinque pedes longitudinis, latitudinis XXX et quatuor : ad orientem fenestræ quatuor ; contra septemtrionem tres ; contra occidentem duodecim balcones, et per unumquemque duæ columnæ affixæ in eis. Auditorium XXX pedes longitudinis ; camera vero nonaginta pedes longitudinis. Dormitorium longitudinis CLX pedes, latitudinis XXX et quatuor : omnes vero fenestræ vitreæ quæ in eo sunt XC et septem, et omnes A habent in altitudine staturam hominis quantum se potest extendere usque ad summitatem digiti ; latitudinis vero pedes duos et semissem unum. Altitudinis murorum viginti et tres pedes. Latrina septuaginta pedes longitudinis, latitudinis viginti et tres; sellæ XL et quinque in ipsa domo ordinatæ sunt, et per unamquamque sellam aptata est fenestrula in muro altitudinis pedes duos, latitudinis semissem unum ; et super ipsas sellulas compositas struem lignorum, et super ipsam constructionem lignorum factæ sunt fenestræ decem et septem, altitudinis tres pedes, latitudinis pedem et semissem. Calefactorium XXV pedes latitudinis, eademque mensura longitudinis. A janua ecclesiæ usque ad ostium B calefactorii pedes LXXV. Refectorium longitudinis pedes XC, latitudinis XXV, altitudinem murorum XXIII. Fenestræ vitreæ, quæ in eo sunt ex utraque parte octo, et omnes habent altitudinis pedes V, latitudinis tres. Coquina regularis XXX pedes longitudine, et latitudine XXV. Coquina laicorum eademque mensura. Cellarii vero longitudo LXX, latitudo LX pedes.

Eleemosynarum quippe cella pedes latitudinis X, longitudinis LX, ad similitudinem latitudinis cellarii. Galilea (44) longitudinis LXV pedes et duæ turres ipsius Galileæ in fronte constitutæ ; et subter ipsas atrium est ubi laici stant, ut non impediant processionem. A porta meridiana usque ad portam aquilonariam pedes CCLXXX. Sacristia pedes longitudinis C LVII cum turre quæ in capite ejus constituta est. Oratorium sanctæ Mariæ longitudinis XLV pedes, latitudinis XX, murorum altitudinis XXIII pedes. Prima cellula infirmorum latitudinem XXVII pedes, longitudinem XXV cum lectis octo et cellulis totidem in porticum juxta murum ipsius cellulæ de foris, et claustra prædictæ cellulæ habet latitudinis pedes duodecim. Secunda cellula similiter per omnia est coaptata, Tertia eodemque modo. Similiter etiam et quarta. Quinta sit minor ubi conveniant infirmi ad lavandum pedes die sabbatorum : vel illi fratres, qui exuti (45) sunt ad mutandum. Sexta cellula præparata sit ubi famuli servientes illis lavent scutellas, et omnia utensilia. Juxta Galileam constructum debet esse palatium longitudinis CLV pedes, D latitudinis XXX ad recipiendum omnes supervenientes homines qui cum equitibus adventaverint monasterio. Ex una parte ipsius domus sunt præparata LX lecta et totidem pulvilli ex pallio, ubi requiescant viri tantum, cum latrinis XL. Ex alia namque parte

(43) Capitulum hoc in duobus mss. desideratur. De monasterio Farfensi, intelligi debet ut habetur annalium Benedict. tom. IV, ad an. 1009.

(44) Id est, *porticas*. Ital. *Galeria Mabill. de navi ecclesiæ interpretatur.*

(45) Ita legendum, non *exusti*, ut alius codex habet. Vide annalium Benedict. tom II, pag. 570, ubi habes delineationem antiquæ fabricæ monasterii Sancti Galli.

ordinati sunt lectuli xxx ubi comitissæ vel aliæ honestæ mulieres pausent cum latrinis xxx ubi solæ ipsæ suas indigerias procurent. In medio autem ipsius palatii affixæ sint mensæ sicuti refectorii tabulæ ubi edant tam viri quam mulieres.

In festivitatibus magnis sit ipsa domus adornata cum cortinis et palliis et banicalibus[bancalibus]in sedilibus ipsorum. In fronte ipsius sit alia domus longitudinis pedes xlv, latitudinis xxx. Nam ipsius longitudo pertingat usque ad sacristiam, et ibi sedeant omnes sartores atque sutores ad suendum quod camerarius eis præcipit. Et ut præparatam habeant ibi tabulam longitudinis xxx pedes, et alia tabula affixa sit cum ea, quarum latitudo ambarum tabularum habeat septem pedes. Nam inter istam mansionem et sacristiam atque ecclesiam, nec non et Galilæam sit cimiterium ubi laici sepeliantur. A porta meridiana usque ad portam septentrionalem contra occidentem sit constructa domus longitudinis ccLxxx pedes, latitudinis xxv, et ibi construantur stabulæ equorum per mansiunculas partitas, et desuper sit solarium ubi famuli edant atque dormiant, et mensas habeant ibi ordinatas longitudinis Lxxx pedes, latitudinis vero iv. Et quotquot ex adventantibus non possunt reficere ad illam mansionem, quam superius diximus, reficiant ad istam. Et in capite ipsius mansionis sit locus aptitatus ubi conveniant omnes illi homines qui absque equitibus deveniunt, et charitatem ex cibo et potu in quantum convenientia fuerit ibi recipiant ab eleemosynario fratre. Extra refectorium namque fratrum Lx pedum in capite latrinæ sint crytæ [*f.* criptæ] duodecim, et totidem dolii præparati, ubi temporibus constitutis balnea fratribus præparentur; et post istam positionem construantur cella novitiorum, et sit angulata in quadrimodis, videlicet prima ut meditentur, in secunda reficiant, in tertia dormiant, in quarta latrina ex latere. Juxta istam sit disposita alia cella, ubi aurifices vel inclusores seu vitrei magistri conveniant ad faciendam ipsam artem. Inter cryptas et cellas novitiorum atque aurificum habeant domum longitudinis cxxv pedes, latitudinis vero xxv et ejus longitudo perveniat usque ad pistrinum. Ipsum namque in longitudine cum turre quæ in capite ejus constructa est Lxx pedes, latitudinis xx.

CAPUT II.

Quomodo agendum sit de novitiis.

Mox ut ipsi exierint de cella novitiorum, vel antea in claustro fuerint, ad capitulum non sunt introducendi, nisi quando abbas jusserit. Mox ut ipse in capitulo finierit sermonem, veniant, et inquirant uniuscujusque voluntatem. Sed tamen ante habeant ipsi omnia sua facinora patefacta. Tunc capellis de tunicis ablatis, in ecclesia tamdiu sedeant quoad usque ad consecrationem venerint. Verbi gratia: si fratres reficiunt sexta hora, illico ut dicta fuerit tertia, faciat. Si vero nona, mox ut dictæ fuerint litaniæ veniant novitii ante altare et stent per ordinem quemadmodum venerunt, et legat unusquisque suam professionem. Si non scit, alius subrogetur qui pro se faciat. Ipse tamen novitius signum faciat, et super altare imponat. Deinde non habeat licentiam auferendi; ex tunc dicant hunc versum, *Suscipe me, Domine,* per vices, et semper genua flectant; adjungentes *Gloria Patri,* volventes tertia vice se supra sua genua in gyrum, et tunc prosternant se omnes per ordinem. Tunc abbas habeat stolam et stet ex latere dextro altaris, et dicat, *Kyrie eleison,* etc. *Pater noster. Et ne nos.* Et psalmum, *Miserere mei, Deus.* Qui dicendus est ab omnibus usque ad finem. Dein capitula et orationes sicut in codice habentur. Et statim ut fuerint finitæ, tunc surgant ipsi novitii, et abbas benedicet cucullas et aspergat aquam benedictam super ipsas. Ex hinc veniat ad ipsos et incipiat dicere hunc versum, *Exuat te veterem hominem Dominus.* Tunc induentur cuculla et dicat, *Induat te Dominus.* Et osculetur eos abbas, et omnes per ordinem fratres, et maneant velati usque ad tertium diem. Ad offerendam omnes velati procedant, pacem accipiant, et eant ad communicandum. In ultimo loco stent in choro atque refectorio. Ad capitulum mox ut dictum fuerit aliquid ex nostro usu *Rememoramini,* tunc apprehendat illos frater qui sollicitudinem gerat super eos, et extra capitulum ducat, atque in ecclesia collocet. Hoc faciat usque in tertium diem, in quo abbas agat missam, et post pacem velamentum cum adjutoribus auferat et communionem tribuat. Deinde in capitulo velut locis omnibus socientur fratribus. Nam et ipsi novitii primo anno non loquantur cum ullo homine sine sua custodia, nec cum ipsis fratribus, qui claustrenses sunt, nisi cui jussum fuerit: nam et ipse custos sedeat inter ipsum et eum qui cum illo loqui cupit. In capitulo non præsumat loqui nisi de aliqua causa interrogatus fuerit usque annum transactum seu quinquennium.

CAPUT III.

Ad ordinandum abbatem.

Primum eligitur ab omni congregatione in præsentia episcopi ejusdem diœcesis et senioris, ad quem abbatia pertinet, absque ullo munere vel persona [personæ acceptione]: quia *maledictus qui dat, maledictus qui accipit.* Tunc percepta ab eo donatione et roborata ab omnibus electione, incipit episcopus antiphonam *Confirma hoc Deus, quod, etc.* Quem subsequitur omnis chorus psallentium canendo excelse psalmum, *Exsurgat Deus.* Sicque cum tanto triumpho tenens episcopus eum qui ordinandus est, manu, deducat eum in secretarium; remanentibus aliis in choro atque psallentibus. Cum vero *Exsurgat Deus* fuerit cantatum, dicatur oratio. Oremus, *Actiones nostras.* Tum vestiant se episcopus et electus, veniant uterque ante altare, et legitur iterum electio in ambone, ut audiatur, et roboretur a monachis, et a clero, et ab universis utriusque sexus. Tunc stratis ante altare tapetibus

prosternant se simul pontifex et qui ab eo benedicendus est abbas, incipiuntque qui in choro stant septem pœnitentiales psalmos, subjungentes litaniam non prolixam, sed sub brevitate. Quibus decursis dum novissimum *Kyrie eleison* dixerint, et orationem Dominicam impleverint, erigat se solus pontifex, prostrato eo qui benedicendus est, ita dicat, *Et ne nos inducas in tentationem*. Cap. *Salvum fac servum tuum. Mitte ei. Hic accipiet benedictionem. Domine, exaudi. Dominus vobiscum.* Inde subsequatur benedictio. *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut famulum. Cunctorum institutor Deus. Omnipotens sempiterne Deus affluentem spiritum. Suscipiat te largiente hodie, Domine. Deus cui omnis potestas et dignitas. Omnium Deus fons bonorum justorumque.* Qua solemnitate expleta incipiat episcopus aut unus ex abbatibus qui adfuerint excelsa voce, *Te Deum Laudamus.* Statuentes eum in statione vel loco, qui abbati in choro deputatus est. Cum vero ad secundum versum ventum fuerit, ubi dicitur: *Te æternum Patrem omnis terra veneratur*, incipiant eum osculari cuncti fratres congregationis per ordinem, reverenter petentes ei veniam. Isto quippe ordine revestire se debent episcopus et abbas in hac ordinatione albis, stolis et cappis, teneatque episcopus, baculum suum in manu, et idem baculus quem abbati debet dare sit juxta abbatem in tapete, dum prostratus jacet ad consecrandum. Consecratus autem accipiat eum de manu episcopi hæc verba dicentis : *Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis sæviens; et cum iratus fueris, misericordiæ memor eris.*

CAPUT IV.

De vestimentorum mensura.

Vestimenta fratrum mittit sanctus Benedictus in prudentia abbatis, ut sint mensurata Qualis autem sit illa mensura secundum Patrum diffinitionem quantum possumus indagamus. Cuculla quæ nostro singulariter convenit ordini, quod vestimentum antiquitus vocabatur colobium, id est tunica sine manicis : tantum debet habere latitudinis, ut ambobus convenienter aptetur cubitis ; longitudinis vero tantum antea, quod ad callum pedis usque pertingat ; et sit apta corpori, ut sit ex omni parte rotunda. Capellum ipsius præter limbum integrum virilis pedis ex omni parte quadratam debet continere mensuram : apertura superior habeat cubitum usque ad pollicis summum, inferior cubitum integrum, et trium digitorum ; in ante appareat latitudo cucullæ cum capitio. Similiter autem subtus circa pedes tunica debet esse rotunda qualitate mensurata (46), sagittas vero vel gerones (47) tantum habeat, ut iter gradientes vel superfluitate, vel parcitate non impediat; cujus manicæ debent ex utraque parte ad secundos digitorum nodos usque pertingere. Staminia (48) talem debet mensuram habere ut possit callum pedis cincta pertingere. Similiter autem sicut cucullæ subtus apertura cubito terminetur.

Capitium habeat pedem integrum, similiter et manica parte latiori ; contra manum vero, quo manare solet, angustior, e radice pollicis usque terminum indicis extendatur. Corrigia qua cingitur staminia postquam fuerit bene extenta, latitudinem in se pollicis habeat. Cultellum inter ferrum et manubrium trium adjecta latitudine digitorum habeat pedem dimidium. Femoralia quæ sanctus Benedictus concessit iter agentibus (quia nunc temporis incertum est qui, vel quali tempore foris mittantur, omnibus conceduntur) taliter mensurentur, ut in longitudine corporis possint convenienter aptari, latitudine vero pars utraque sicut esse solet dupla, cubitum, usque ad pollicem habeat jam consuta, at vero caligæ pedem integrum superius habeant jam consutæ, quæ fiant etiam longæ, ut secundum staturam hominis (quod in omnibus procurandum est vestimentis) cruribus convenienter aptentur, quæ de summo usque ad pedem taliter constringantur, ut cum superius ad pedem habent integrum, inferius dimidium. Cesta (49) caligæ cum fuerit assuta debet esse tam longa quo possit intra pugnum fieri constricta. Calces altitudine, præter limbum qui assuitur, habeat pedem dimidium : anteriori vero parte latitudine digitorum nodos. Pedules similiter mensurati sint, ut possint pedibus sufficienter aptari.

CAPUT V.

De priore monasterii.

Cum prior fuerit electus ab omnibus fratribus post capitulum surgant omnes eantque in ecclesiam. Dein ille qui exiturus est ab ipso opere [officio prioris] dicat tertio omnibus repetentibus hunc versum ante altare *Benedictus est Dominus Deus*, et accepta benedictione illa, quæ dicitur, quando ab aliquo opere absolvuntur fratres, et sic recedat. Accedat tunc ille, qui intraturus est in antea, et dicat tertio omnibus audientibus hunc versum, *Deus, in adjutorium meum intende*, et accepta illa benedictione quæ dicitur, cum in aliquo opere ordinantur fratres, et sic ipsum officium administret. Denique per usum debet stare in ecclesia ex lævo choro : in capitulo austri parte, in refectorio septentrionali parte.

CAPUT VI.

De fratribus in via directis qualiter agatur.

Si peregre [profecturus est] frater in itinere, non reversurus diebus duobus aut tribus, accipiat benedictionem. Si necessitas fuerit, ut in crastino revertatur, et iterum necesse sit pergere, non accipiat benedictionem eundi et revertendi. Item si

(46) Sagitta in vestibus dicitur pars ea, quæ contrahitur in sinus, quod sagittæ speciem effingant. Udalricus lib. II. Consuet. Clunia., cap. 11.

(47) *Girones* idem quod sagitta apud eumdem Udalricum, videtur autem hæc vox a Theodisco *Geron*, seu *Giron*, Germanice *Geren*, sinus, derivata.

(48) *Staminia*, stamineum, lanea interula, seu camisia, vulgo *étamine*.

(49) *Cesta*, cestus, cingulum.

frater revertatur de itinere accipiat benedictionem. Si statim debet pergere accipiat benedictionem ambulandi : si postea steterit ad unam horam vel duas, accipiat benedictionem revertendi. Itemque si frater venit de itinere accipiat benedictionem redeundi : si statim perrexerit alicubi, et una nocte dormierit, in crastina non accipiat benedictionem redeundi. In itinere si pergunt duo conversi, et unus sacerdos qui junior illorum sit, ubicumque sederint, debet sacerdos sedere in medio illorum. Quando vero perrexerit unus ex eis cum sacerdote, semper debet sacerdos sedere super illum, etiam loqui non condecet illum, nisi per ejus licentiam. In revertendo si fuerint ad tres horas, ad completorium dicatur super eos, *Misereatur vestri;* ad domnum abbatem nusquam dicatur.

CAPUT VII.

Item de ipsis fratribus constitutis in itineribus qualiter horas reddant.

Fratres in itinere directi cum viderint horæ tempus, si aptus locus est ibi, ubi directi stant vel perambulant, flectant genua descendentes de equis. Si faciant de [in] cœnobiis genua super formas, et ipsi faciant ubi degunt. Peracta, signum sanctæ crucis imprimant in frontibus suis, et non gyrent, sed tantum petant veniam, et incipiant horam ascendentes in equos, pergentes et horam decantantes. Vantos (50) tollant de manibus suis usque dum finiant divinum officium. Si aliqua necessitas evenerit, ut aliquid loquatur in psalmorum ordine de ipsa hora, iterum a capite reinchoent. Redeuntes wantos ad suos lectulos singuli possunt habere. In basilica in cryptis quando reversi sunt ordinem faciant prostrati, etiam si duodecim lectiones sint.

CAPUT VIII.

De opera manuum.

Quando fratres ituri sunt ad opera manuum, mox ut prima finita fuerit inchoent litaniam. Post capitulum autem illico ut surrexerint, et tabula insonuerit, statim incipiant; in primis psalmi familiaris e prima, et eant cantantes pariter omnes, ut nullus sit excusatus, etiam cellerarius, usque ad locum operis. Cum ibi fuerint, stent pueri ordinati in antea, et inclinent ante et retro. Tunc incipiat prior, *Deus, in adjutorium meum intende.* Tertio dicendo et *Gloria Patri.* Deinde *Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Adjutorium nostrum.* Et tunc incipiant opera, et psalmos ubi eos dimiserant, reincipiant cum septem psalmis specialibus, et quinque pro defunctis. Postea cursum canonicum cum psalmis familiaribus de horis. Frater hebdomadarius de missa dicat collectas. Si duabus vicibus pergunt, ibi legatur lectio de libro qui ad prandium legitur, si talis est, ut ædificet audientes. Frater qui legit ad servitorem debet librum portare, et exponat prior, vel cui ipse jusserit omnibus sub silentio sedentibus. Denuo si visum fuerit priori ut amplius aliquid operentur, faciant. Dimisso opere in redeundo eant cantando psalmos usque in claustrum *Beatus vir*, vel qualiter abbas inceperit. Cum fuerint ante capitulum dicat prior, *Adjutorium nostrum, Benedicite;* et eat unusquisque ad officia sua. Ex hac hora sonet squillam secretarius.

CAPUT IX.

Item si post nonam reversuri.

Post nonam autem si iterum sunt reversuri, mox ut exierint e refectorio venientibus in capitulum efficiant absolutionem sicut cæteris diebus. Dicto, *Benedicite*, faciant ante et retro, et illico incipiat prior psalmos familiares vespertinales, *Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe,* in primis, etc. Dein vesperæ omnium sanctorum, et vesperæ mortuorum, et officium eorum, et *Deus auribus.* Atque quinque psalmos pro defunctis, et sic redeant cantando psalmos, *Ad Dominum cum tribularer.* In claustro tandiu cantent pueri, qui ante procedunt ad introitum capituli quousque adunentur cuncti. Ex tunc residentibus ibi puer petat benedictionem, et legat lectionem de libro qui ad collationem legitur : et jubente priore expleat; tum faciat sermonem. Deinde surgant omnes et faciant reverentiam. Ipse prior dicat hunc versum, *Benedictus es, Domine Deus meus.* Hæc faciant quando bis pergunt.

CAPUT X.

Item quando semel pergitur ad opera.

Quando semel eunt ad opera per dies omnia agant sicut in mane, nisi tantum quod de lectione legitur in claustro, et versus dicatur, *Benedictus es.* Psalmi familiares dicantur in matutinis laudibus. Matutinæ Omnium Sanctorum, vel mortuorum, non dicantur nisi in ecclesia.

CAPUT XI.

Item quando itur ad pristinum.

Quando vadunt ad pristinum psalmos de prima non dimittant, sed post capitulum abluant manus suas et inchoent quinque psalmos pro defunctis, et illos de horis canonicis, videlicet, *Deus in nomine tuo.* Revertentes non legant lectionem, nisi tantum versus dicatur, *Benedictus es, Domine Deus*, et ante capitulum stent infantes cum magistris, majores in claustro, quod est juxta ecclesiam.

CAPUT XII.

De priore monasterii vel decanis, seu his qui ordinem tenuerint illis absentibus, vel conversis qualiter absconsam deferant temporibus suis.

Prior vel decanus claustrensis post completorium accipiens absconsam circumeat claustrum sic per ordinem. Primum calefactorium; postmodum refectorium; dein coquinam : videat si bene circa ipsa omnia facta sunt. Inde vero in cellario, si omnia congrua sunt : ac deinceps a parte eleemosynariæ videat omnes januas si firmatæ fuerint bene. Postmodum veniens in domum infirmorum videat si omnia recte aguntur. Si aliquid in claustro negligenter invenerit, in crastinum servet et ad capitulum defe-

(50) *Wantos, quantos*, Ital. *quanti*, chirothecæ.

rat. De nocte post trinas orationes eat frater qui provisor est de infirmis, et videat ne aliquis ex ipsis gravatus somno remaneat in lecto suo. Decanus præfatus vel alius frater cui injuncta est cura, quam supra nominavimus, eat in dormitorium, ne aliquis ex fratribus remanserit in lectulis per negligentiam, vel sopore detentus, et exstinguet duas lucernas; tertiam quæ est in dormitorium et necessarium, dimittat et jugiter usque mane ardeat. Revertatur in ecclesiam et circumeat cryptas et membra singula, et videat si aliquis jacet vel sedet præter infirmos aut flerthomaticos [phlebotomos]. Si aliquem talem invenerit dormientem, excitet eum : si cum gratiarum actione non recipit, in capitulo querelabitur. Eademque faciat in secundo nocturno et laudibus. Illis temporibus quibus intervallum fit, dormitorium et claustrum, et omnia (sicut supra taxavimus) circumeat. In duodecim lectionibus conversus deferat laternam per tertiam lectionem inspiciendo omnes. In quotidianis diebus per unamquamque lectionem debet circumspicere universos. Ille qui non se voluerit inclinare contra eum, ante ipsum illam ponat, eademque faciat si aliquis inventus fuerit dormitans; mox ille ut suscitatus fuerit accipiat et eat, et inclinet se in medium chori contra altare veniensque ad chorum D. abbatis et denuo se humiliet ad ipsum, et circumeat omnes, et revertatur ex alia parte eadem intuendo. Postmodum circumeat illos qui deforis sunt; exquæsitus [perscrutatus singula] ponet eam in loco constituto. Si ad juvenem fratrem posita fuerit, ille tantummodo chorum circumeat, et ad gradus illam restituat. Ad infantes nequaquam.

CAPUT XIII.

De iis qui tarde occurrunt in oratorium.

Si frater post *Gloriam* primi psalmi venerit, eat ante altare ad gradus et ibi genua sua flectat, et statim surgat, et perstet usque dum absolverit eum prior. Absolutus gyret ante et retro, veniatque in chorum in locum suum, iterumque veniam petat, et eo surgente omnes fratres inclinent. Si foris pro aliqua infirmitatula steterit, et non occurrerit ad *Gloria* primi psalmi, intret in chorum, ut supra dictum est : absolutus autem exeat foras et petat veniam super genua, et faciat secundum quod infirmitas ei permittit. Item frater si venerit ad horam post *Gloria* primi psalmi vel qualicunque [*supp.* tempore] supervenerit postea, usque ad *Kyrie eleison,* sic debet intrare intus ne totum perdat, et eat in loco constituto donec absolvatur. Quod si perstiterit ad totam horam, si fratres flectunt genua super formas, ipse faciat super gradus. Expleta hora discedat absque jussu.

CAPUT XIV.

Culpa levis tali stringatur in ordine facti.

Fratres qui pro levi culpa secundum regulam separantur a mensa, sic in oratorio satisfaciant. Cum post psalmodiam ad preces alii se inclinant, vel A genua flectunt, ante altare venientes ad gradus se prosternant, donec preces et oratio finiantur. Tunc surgentes, inclinantes ante et retro, sic omnibus horis faciant. Si vero festivitas antequam absolvantur evenerit, a vespera usque ad aliam vesperam omni communione fratribus socientur : missas etiam qui sacerdotes fuerint, et omne quod ad servitium divinum pertinet, celebrare possunt. Nullus prior fratri tale debet judicium imponere quandiu domnus abbas fuerit in monasterio, sed et si supervenerit, interim poterit eos per se priusquam ad domnum abbatem cognitio causæ superveniat, prior absolvere. Quod si non fecerit et unam coram ipso veniam petierit, postea non poterit eos prior absolvere. Infantem etiam qui steterit ante ipsum [abbatem], non B debet magister vel aliquis, quandiu intus ipse fuerit, mittere in judicium jejunii.

Quotiescunque pueros magister in judicium miserit, prior potest eos absolvere sine licentia magistri: nullus debet alius quidquam nec signum, nec ullam rem præcipere; sed tamen ille qui tenet ordinem, si ei visum fuerit ut absolvantur, signum magistro faciat, ut absolvantur. Si domnus abbas mittit fratrem in judicium, si pergit alicubi obliviscens eum absolvere, prior non valet absolvere eum. (51) Et quem prior miserit in judicium decanus non potest absolvere eum, nisi per suam licentiam. Frater juvenis si missus fuerit in levi culpa qui cum custodia pergit ubique, quando fratres comedunt, ipse sit C in coquina. Majores autem fratres stent in ecclesia, vel in oratorio Sanctæ Mariæ. Frater missus in leviori culpa aliquot diebus, si in ipsis infra evenerint duodecim lectiones, in vigilia, ut sonuerit scilla ad vesperas, erit absolutus. Post vesperas, si tempus fuerit cœnæ et fratres ierint, eat et ipse cum eis, edat et bibat quidquid eis apponitur, etiamsi ei vetitus est potus vel aliquis cibus. In die festivitatis celebret missam et agat omnia sicut alii. Si est coquinarius ipsam faciat. Missam adjuvet cantare, sed pacem non recipiet. Si est missus ad candelabrum ferendum, ipsum portet. Si fuerit missus ad responsorium, non imponat ipse, sed alium subroget qui ipsum officium impleat. Transacta festivitate revertatur in suam pœnitentiam.

CAPUT XV.

D *Ast gravis hunc morem monachorum exigit omnem.*

Quando gravem frater aliquis committit culpam, ad præsentiam domni abbatis non debet venire, donec vocatus ad eum fuerit. Si autem ipse fratre nesciente supervenerit, ante ipsum petat veniam donec eum a se ejecerit. Et sic exspectet quandiu ad pœnitentiam eum domnus abbas mittat. Tunc discalciatus et nudus in conventum veniat, acceptoque judicio illuc, ubi consuetudo fuerit, veniat, videlicet in auditorium, et calciet se atque vestiat, et revertatur in capitulum, ante domnum abbatem veniam petat : ipso jubente ingrediatur in pœnitentiam, et statim ut ex capitulo exierit operiet

(51) Quæ sequuntur inter uncos posita ex ms. codice Farfensi desumpta sunt.

caput suum, et sicut Regula (cap. 25 et seqq.) præcipit sine jussione domni abbatis nullus ad eum frater jungatur. Quandiu in pœnitentia est, non veniat in capitulum, nisi duas vices: ingrediens et egrediens. Quandocunque pulsatur signum ad horam, postquam omnes in ecclesiam venerint fratres, cooperto capite veniat ad ostium ecclesiæ, et tamdiu stet erectus, et capite coopertus, donec dicto ad preces in choro *Kyrie eleison* inclinent fratres. Tunc caput discooperiat, et contra ostium, vel omnium vestigia fratrum prostratus jaceat, donec omnis conventus fratrum exeat. Tunc iterum cooperto capite ad solitarium locum veniat, sicque tamdiu faciat, donec ad reconciliationem in conventum vocatus fuerit Egressurus de ipsa pœnitentia, iterum nudus et discalciatus veniat in capitulum, ut prius venit : et accepto judicio surgens vestiat cucullam et tunicam suam et prosternat se abbatis pedibus. Nam ipso præcipiente exeat foras in auditorium, calciet se et vestiat, et revertatur in capitulum, veniam petat ante abbatem, et jubente ipso eat sedere novissimus. Ex tunc per omnia sicut in Regula scriptum est (*ibid.*) faciat.]

CAPUT XVI.

De diversis definitionibus vel qualitatibus, quæ agi oportet in cœnobiis degentibus.

Fratres si in æstate post nonam, vel post scillam Vespertinalem voluerint bibere absynthium cum melle mixtum, dicto *Pater noster*, sonet cymbalum prior, et eant, et omnia agantur sicuti mos est ad charitatem (52) de collatione, præter lectionem. Quandocunque hæc talis fit charitas ipsa nocte amplius non est facienda alia : nunquam in uno die duabus vicibus pulsabitur cymbalum ad charitatem.

Si aliquid apponitur ad mensam de novis frugibus ad benedicendum, primum recitetur de lectione unus versus, deinde dicatur benedictio.

Si frater generalem scripturam facit per licentiam domni abbatis, ipso jubente potest dimittere psalmos familiares, etiam missam matutinalem et principalem. Hæc tria non sunt illi dimittenda, litania, offerenda et vigilia mortuorum.

Fasciolatus (53) non intrabit ullo modo frater in claustrum. Pueri qui non valent portare charitatem, id est fialas [phialas], ad mensam, non tergant manus suas ad zallam (54) in die sabbatorum in capitulo.

Potest puer radere suum magistrum si valet. Puerum qui ante abbatem comedit non mittat magister in judicium, si ipse adest.

Pueri habeant in schola libros, rasoria cum scutellis et ollas ad capita illorum lavanda. Quid plura? Insuper etiam omnia quæ illis sunt necessaria ipsi per se habeant ibi : quando tempus fuerit loquendi, possunt ibi loqui ; extra scholam nusquam loquantur.

Diebus quibus fratres loquuntur in claustro exacta sexta nusquam loquantur usque dum pueri exeant, et dicat unus ex eis qui junior est *Benedicite* alta voce. Qui sederint in capitulo tempore locutionis non loquantur quidquam intus.

Nullus frater alius lavet capita invicem, sed unusquisque suum lavet. Pueri similiter faciant in schola sua. Feria quarta et sabbato possunt se tondere in schola. Ad mixtum in suo loco ad tabulam ante et retro inclinent ; eadem faciant post mixtum.

Si fratres quarta vel sexta feria se radent, propter hoc processionem solitam non dimittunt ; nec si ad corpus recipiendum vel sepeliendum exeunt.

Si sepelitur aliquis mortuus de foris, ubi procedunt fratres, pro illa processione non remaneat illa de jejunio.

In XII lectionibus, sacerdos qui fert thuribulum per altaria, ferat illud domno abbati ; si deest abbas portet priori, et si prior abest reddat illud converso. Et ille det primum sacerdoti, dein dextro choro et lævo. Dein juvenes fratres, qui ad formulas stant dextro, et ad ipsos infantes, et ad alios qui in sinistra, juvenes et pueros.

Privatis diebus ad missam majorem si domnus abbas adest, ipsi deferatur in primis offertorium ad offerendam. Si non est, priori. Si prior deest, det decano claustrensi.

In diebus festis puer ferat textum omnibus fratribus per chorum, cumque deportatum sit, præparatus unus conversus indutus alba suscipiat, et ferat omnibus stantibus de foris fratribus.

Frater exiens de domo infirmorum post satisfactionem factam in capitulo, potest ipso die canere missam, si velit ; quia quandiu fuerat in cellula infirmorum, ibi non permittimus canere missam.

Novitii, dum fratres fuerint in capitulo, ipsi sint in coquina. A Pentecoste usque ad adventum, si duodecim lectiones evenerint in sabbato, et in crastino sit mutanda historia, in sabbato dicatur tota vespera de sancto.

Frater cantans suum responsorium, finito versu inclinet se cæteris. Fratres qui longe sunt ordinati ante et retro faciant. Pueri vero in sedilibus suis debent inclinare se per unumquemque. Quando vero ipsi dicturi sunt reponsorium semper gyrent versu dicto : a lectione autem eundo et redeundo semper inclinent se infantes, etiam omnes fratres, maxime illi, qui super formas sederint. Ad domnum abbatem

(52) *Charitatem* appellarunt haustum vini præter solitum monachis concessum, de quo plura in Constit. Hirsaug. et Discipl. Luxoviensi.

(53) *Fasciolatus* : id de fascioliis cruralibus intelligendum, ne scilicet frater dum monasterium ingreditur pedes fasciis cinctos habeat. Idem cautum est in Consuet. Cluniac., cap. 62. Ut *ablatis calcaribus et fasciolis ad monasterii introitum petat veniam*, quod fasciolæ genus Hœftenus cum pedulibus confundit, ut advertit V. C. du Cange, Gloss. med. et inf. Lat.

(54) *Zalla* forte a veteri Theodico *zwalla*, Germanice *zwelen*, manutergium.

omnes surgant de subselliis suis pergendo et revertendo.

Quando abbas legit Evangelium ad matutinas laudes, armarius pro consuetudine debet ire, et præparare ei Evangelium, et orationem, et signa mittere. Dum *Te Deum* inchoaverit; si hebdomadarius ipsum legerit, pro consuetudine non ibit. Sed die præterito [antecedenti] auscultet ipse frater cum armario quidquid ei opus fuerit.

Si duo fratres induuntur ad thuribula ferenda per altaria, is qui est hebdomadarius eat in antea.

Fratres exeuntes de coquina alia hebdomada lavent fontem, ubi fratres nitidant manus suas atque facies. Et quando fratres se tondunt atque radunt, ipsi calefaciant aquam et deferant.

Pueri quando armarius auscultat lectiones vel responsoria sua, stent semper erecti ante eum omnes, usque dum finiant, a minimo usque ad maximum.

[(55) Euntibus fratribus ad stationes per altaria dicant orationem plane et non in alto, nisi forte occurrerit festivitas alicujus sancti unde sit ibi altare; procedentes illuc dicant versus de sancto et *Dominus vobiscum. Oremus*, alte in tono.]

Frater qui lecturus est ad mensam dicentibus fratribus versum ante cibum et orantibus, ipse stet in loco suo, vel superiori erectus.

Fratres qui in domo infirmorum sunt, quotiescunque se radunt fratres, ipsi faciant uno die antea, nisi exiturus cum aliis faciat. Nullus bibat in refectorio sedens in sedilium suppedaneis (56), aut puerorum truncis, sed ad mensam sedeant ubi prandent: nam nullus absque mensa comedat vel bibat, præter illos, qui in domo infirmorum sunt, nec ante tertiam ullus debet comedere nisi signum primum insonuerit. Mantilia mutentur in refectorio per omnes quindecim dies; linteamina autem manuum omni die Dominico apparente luce, antequam pueri surgant. Frater, qui alicubi fuerit, veniens in capitulum usque dum puer legerit martyrologium cum sanctis non intret, dum infans dixerit: *Et aliorum plurimorum sanctorum*: tunc eat. Ad lectionem Evangelii vel quando brevis legitur, poterit introire. Si quis calidum potum vult usitare ad charitatem collationis, poterit facere in loco suo, etiam et pueri, etiam si in feria sexta se radunt similiterque. Scutellæ cum ullo cibo non mittantur super mantiles, nisi quando coopertæ fuerint tabulæ. Cum aliquis nuntiat fideles orationes ex parte domni abbatis, alii descendant de suis suppedaneis, et petant veniam; ipse non descendat qui nuntiat nec petat veniam, sed supplex dicat illas: per usum vero nullus descendit de pedaneis pro ullo nuntio, nisi quando pronuntiabitur Nativitas Domini nostri Jesu Christi, et in Annuntiatione Domini super genua

A petant veniam. In duodecim lectionibus si quis vult cantare post capitulum missam, non quærat licentiam. Diebus Dominicis sanctus Benedictus jubet (*Reg.* cap. 48) ut omnes legant, quod non esset prætereundum: sed cum desiderio faciendum: attamen propter opus Dei si quis habet responsorium vel alleluia ad missam, ante primam canat sic leniter, ut cæteri non impediantur; alii vero horis legant. In maximis festis eadem faciant; si tamen jusserit ei armarius, si tam insciolus est.

In die Dominico videant fratres ut omnes sint ad processionem. Feria IV vel VI similiter faciendum, ut et abbas et omnes sint discalciati, præter illos qui propter ægritudinem non poterunt implere: at tamen per licentiam. Pueri qui non fuerint ad ver-

B sum, qui ante cibum dicitur, dum venerint, eant ad loca sua, et ibi faciant ante et retro: magister veniat in ante et signum faciat, ut jubeat ei prior comedere: licentia accepta dicat versum et eat. Si puer gravatur sopore ad opus Dei, non quidem per hoc unum hora [*al. ms.* pro hoc omni hora] est vapulandus, sed cum viderit eum magister sæpe somno gravari, det unum quemlibet libellum in sua brachia sustentandum, quousque de ipsa pigritia eum excitet. Si quis vult suam justitiam, scyphum, cutellum abluere seu acuere, hora qua loquitur in claustro, hoc faciat, nam si fecerit inter sextam et prandium, vel inter nonam et cœnam, poterit querelam agere in crastinum qui viderit. (57) [Sed dicet: Quid ad me?]

C Sine lumine et incenso nullo modo feratur corpus Domini in aliquam partem. Puer qui in æstate lectionem brevem memoriter legit ad nocturnos, dicto *Tu autem Domine*, ante et retro faciat. Alius qui juxta eum est dicat resp. Juvenes fratres qui exeunt de schola post depositas albas non præsumant legere vel cantare, nisi ex præcepto abbatis. Frater in sua cuculla, vel in alia veste, quæ super cucullam induitur, potest mature sua vestimenta, similiterque in cuculla et pellicula (58), in sola cuculla non debet facere.

Quando frater juvenis legit ad mensam, dum finierit lectionem in cellarium eat, et fit cum silentio: si de majoribus, sit in coquina, vel in promptuario

D si velit. Puer vero peracta lectione deinde reverentia facta ante mensam ibi permaneat ante gradum usque dum alii surgant, et pergat cum ipsis in ecclesiam: oratione finita eat cum aliis infantibus et magistro ad edendum. Hebdomadarius coquinæ potest ministrare cum pelliculo sine manicis, vel cum manicis si desuper induerit bracile (59). Exeuntes pueri de capitulo si fratres loquuntur in claustro, alte dicat unus ex eis, qui junior est: *Benedicite*. Similiter post nonam in æstate, eademque faciat illis

(55) Hæc suppleta sunt ex ms. Farfensi.

(56) Suppedaneum, *scabellum suppedaneum*. Vide Du Cange.

(57) Quæ parenthesi inclusa sunt, altera manu longe recentiori conscripta fuerunt: eaque in aliis mss. non habentur.

(58) *Pellicula* idem quod *pellitia*, seu *pellicea*, indumentum quod de pellibus fit.

(59) *Bracile* idem hic quod *brachiale*, ornamentum brachiorum.

temporibus, quibus mixtum accipitur post tertiam si loquuntur in claustro. Novissime exeant ad capitulum primi et post nonam vel collationem. In duodecim lectionibus quod populus non celebrat, possunt fratres vestimenta atque calciamenta deferre in claustrum ad meliorandum in sabbato; sed ipsa die ante vesperum sustollant. Quotidianis vero diebus eademque faciant. In ipsis festivitatibus supradictis scriptores possunt scribere, etiamsi in cappis fuerit celebrata. In maximis quippe festivitatibus et Dominicis diebus, nec ipsis est scribendum, nec fratres ponant vestimenta. Post completorium nullus legat in strato suo, nec egredi de dormitorio in claustrum præsumat; similiter temporibus meridianis antequam scilla sonet : nam inter ipsam meridianam de senioribus qui voluerit legere, legat. Juniores fratres et infantes nequaquam hoc præsumant. In ipsis temporibus qui vult se cooperire de pellicia sua vel de cuculla, faciat; sed videat ne se cum calceis collocet. Juvenes atque infantes sicuti de nocte, ita ex toto se coaptitent. Juvenes fratres non exeant de dormitorio antequam pueri surgant. Post hinc dum infantes exierint, eant et ipsi cum sua custodia; sine custodia vero non præsumant quoquam transire, etiam in ecclesia, quando volunt accipere Eucharistiam. In claustro juxta suam custodiam sedeat unusquisque. In dormitorio vero juxta magistrum, vel antea habeant lecta. Quando septimanarius fuerit ipse juvenis frater, cum suo magistro potest exire de dormitorio ante infantes, et post trinas orationes inchoare suam obedientiam. Si vero cum aliis ex fratribus fuerit, non exeat ullo modo, donec ejus custodia excitetur, et pariter cum eo surgat et abluat manus atque faciem; et ternas orationes agant. Exinde redeant in coquina, et dimittat [eum magister] ibi sub custodia ex his uni, qualiter ei visum fuerit.

In præcipuis festivitatibus, si abbas deest, missa non pertinet, ut eam ullus cantet nisi hebdomadarius. Sed tamen prævideat armarius, ut non per ordinem in brevem mittat, sed talem qui utiliter scit hoc divinum agere. Quando duo thuribula sunt in ipsis festis, abbas induitur ad unum, frater hebdomadarius ad aliud. Si abbas fuerit hebdomadarius, revestiatur et unus ex fratribus, cui secretarius annuerit. Quando abbas indutus fuerit ad canticum de evangelio, et hebdomadarius ex alia parte (armarius quippe debet invenire collectam et signum ponere) hebdomadarius frater qui revestitus est teneat collectaneum (60) ante abbatem, si ei permiserit; si vero non, unus ex juvenibus qui stant ad formam, teneat ei. Si abbas indutus fuerit solus, unus ex juvenibus fatribus faciat. Si duodecim lectiones faciunt fratres, feria quarta pueri non lavent capita nec calceamenta. In festivitatibus quibus monasterium totum est ornatum, vel dimidium, ad horas regulares tres candelæ ardeant ante altare. Pro missa majore omnia signa pulsentur.

A In maximis festivitatibus duodecim candelabra sint ante altare majus, ad matutinas laudes, ad missam et vesperam, aliis horis ut supra. Quando unum quodque resp. a duobus fratribus cantatur ad matutinos, una sola collecta ad missam matutinalem dicitur, et in ipsis diebus non cantatur. *Ad Dominum, cum tribularer*, pro defunctis ad horas. Si magister pueros mittit in judicium, non debet ad alium pertinere, nisi ad illum qui ordinem tenet : si bonum videtur ut absolvatur, signum magistro faciat, ut absolvatur. Sacerdos non petat veniam ad confessionem levitæ. Abbas sive sacerdotes semper satisfactionem inter se faciant quando hoc agunt. Omni namque tempore quando fit intervallum, ad lectiones vacandum. Tamdiu debet teneri signum B ad primam, quousque conveniant omnes, ut septem psalmos decantare possint inclinati, et facto signo ab abbate dimittantur, et hora inchoetur. Ad tertiam, sive sextam vel nonam tamdiu teneat secretarius secundum signum, quousque abbas veniat in choro. Et si abbas deest, non est necesse exspectare. Sexta hora teneatur secundum signum usque dum dicatur, *Deus misereatur*. Ad nonam temporibus meridianæ teneat scillam tantum quousque, *Miserere mei, Deus* finiatur. Ad vesperum ad unumquodque signum cum pulsatur tandiu protendatur, ut *Deus in adjutorium meum* promatur. Ad secretarium non pertinet de missa hospitum, sed frater ostiarius debet curam habere, et illi, qui tenet ordinem dicere, ut tali injungat, qui diligenter possit implere. Pueri C namque ad missam matutinalem, quæ cantatur ad sanctam crucem non pergant ibi ad serviendum sacerdoti, sed secretarii administrent illi quidquid congruum est cum levita. Non disciplinabit magister pueros in choro si domnus abbas affuerit aut prior : nec de illo choro, in quo stat, qui ordinem tenet. Si domnus abbas non est aut prior, magister ex suo choro faciat disciplinam. Si tamen non præstat in illo choro, unde est ille, qui ordinem tenet; nisi forte ipse jusserit. Nam si negligentia converso aliquando fuerit de candelabro, potest infans portare atque tenere usque dum *Kyrie eleison* dixerit, et in crastino ejus magister quereletur. Si domnus abbas aliquem librum de alio monasterio acquisierit, et præfinito debet tempore reddere, vel alia necessitas D fuerit, et domnus abbas præceperit, vel ad monasterium mandaverit, psalmos familiares, et missam, vel meridianam frater ille propter hanc scripturam dimittat.

CAPUT XVII.

Pueri qualiter offerendi sunt.

Cum parentes suos filios Deo in monasterio dare voluerint, faciant imprimis de rebus, si quas habent, per omnia sicut Regula dicit (cap. 58 et seq.). Deinde cum Evangelium lectum fuerit ad missam, et offerendam, in primis abbas fecerit; tunc veniat puer ante altare vel ad gradus, et detur in manus illius offertorium cum hostia et ampulla vini, et unus

(60) *Collectaneus*, liber eccles. in quo collectæ, seu preces continentur.

de fratribus, cui abbas jusserit legat hanc schedulam: « Ego frater Ille offero hunc puerum nomine « Illius cum oblatione in manu, atque petitione, al« taris palla ejus manum involutam ad nomen san« ctorum, quorum hic reliquiæ continentur, et « domni abbatis præsentis: trado coram testibus « regulariter permansurum; ita ut ab hac die non « liceat illi collum de sub jugo regulæ excutere. Sed « magis ejusdem regulæ fideliter se cognoscat insti« tuta servare, et Domino cum cæteris gratanti « animo militare. » Qua perlecta detur in pueri manus ipsa, et offerat cum oblatione, et tunc abbas accipiat custodiendam eam. Si laici adsunt præsentes, advocentur, ut videant et audiant, ut sint testes. Tunc abbas debet benedicere cucullam et vestire puerum, et illico incipiant offerendam missæ, et infans collocetur cum aliis. Cum ætatis tempus consecrationis venerit; cucullam non exuat ei abbas, sed professionem legat cum cæteris atque benedictione data, sicut mos est mittat ei capellum in caput atque osculetur. De reliquo faciat sicut alii fratres.

CAPUT XVIII.

De cellerario hebdomadario, quomodo administret fratribus in refectorio.

In omnibus duodecim lectionibus et feria tertia et quinta et sabbato in primis ponatur a senioribus: secundam administrationem det cellerarius cum hebdomadariis, incipiatur a novissimis. Tertiam fratres coquinarii, similiterque a junioribus incipiant. Et si cellerarius aliquam pietantiam (61) fecerit postea inchoetur a tabula domni abbatis. Secunda feria, IV feria, VI feria in primis hebdomadarii ad scillam veniant, et cellerarius cum sua, quam nuncupamus pietantiam, a prioribus incipiat, sine sonitu scillæ, et fratres septimanarii suum dent a novissimis inchoantes, et postmodum signum pulsent cum licentia ad vesperum. Quando poma vel herbæ imponuntur, postquam mensa fuerit benedicta, et omnes fratres sederint, deportetur a cellerario cum suo socio in primis senioribus, et semper in scutellulis deportetur. Quando sunt parva poma, in canistro deferat, et unusquisque secundum quod viderit, sic accipiat. Ad infantes autem postea in scutella deferat, et det ipse unicuique prout viderit, Denique ipse cellerarius debet deportare pietantiam ex pisciculis cum socio. Si poma, cum refectoriario: quando olera, faciat hortulanus cum eo. Et si neuma (62) efficiat, cum fratre qui super horreum est constitutus. Et quando cellerario visum fuerit, potest quem ipse velit de fratribus evocare et facere cum eo. Item quando capitulum suum fuerit prænuntiatum, ipso die debet habere generaliter ex sua parte, et aliud præparare, prout melius potuerit, et charitatem faciant sine sonitu squillæ de pigmentis; et si lectum fuerit II, IV vel VI feria, inter duos fratres condonet scutellam de piscibus præstantius quam soliti fuerant aliis diebus, et portio ponetur per cunctos fratres sine sonitu scillæ. Alio die satisfactionem faciat in capitulo et absolvat eum domnus abbas: et si abbas non est, faciat ille, qui ordinem tenet. Post capitulum cantent quinque psalmos pro defunctis: deinde pro ipso fratre qui absolutus est psalmum *Miserere, Kyrie eleison, Pater noster. Et ne nos*. Capitulum. *Salvum fac servum. Mitte ei, Domine. Dominus vobiscum. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo.* Ipso die præstantius debent habere fratres in refectorio.

CAPUT XIX.

Quid agere debeat refectorarius vel pueri dum servitores fuerint.

Si servitores sunt pueri, ipsi debent lavare cochleares et scopare: refectorarius vero panem recipere. Si pueri desunt, unus de servitoribus debet cochleas lavare, atque fragmenta e mensis resumere. Et tamen de omnibus debet providentiam habere refectorarius, ne sit negligentia aliqua; quia si fuerit, super ipsum venient. In XII lectionibus servitores mox ut secundum morem squilla insonuerit, secundum pulmentum [portent]: ille [refectorarius] veniat, et ictu percutiat scillam. Infans si præsens fuerit qui cum alio venit ad legendum, accipiat phialam et potum propinet. In primis refectorario sonante squillam, si puer defuerit, faciat ipse vel cui annuerit de servitoribus. Meridianis temporibus ipse misceat aquam: ad nonam cum septimanariis, qui ex alia hebdomada fuerunt. Justitiam domni abbatis quotidie abluat, et postquam cymbalum sonuerit, vel ipse assederit mensæ, omnia deportet. Fratrum, qui ex itinere redeunt, debet lavare ipse justitiam; Zallam (63) atque baciles (64) domni abbatis, vel illam, quæ deputata est propter pauperes vel peregrinos fratres, ipse habeat sub sua custodia. Panum librarum [*al.* libram] ipse purget ab omni fuscedine. Linteum tamen ad ipsum opus deputatum ad collum semper habeat usque dum inspiciat cunctos.

CAPUT XX.

Qualiter debet fieri quando conventuri sunt ad radendum.

Debet unus frater vel duo habere injunctum officium rasoriorum acuendorum, atque colligendorum ad scrinium ubi reponuntur; et ipse debet procurare tonsoria ad illud opus deputata, et intra dormitorium reponenda; similiter novaculorum. Ea die qua radendi sunt, mox ut in capitulum conveniunt, et de salute animarum sermocinatum habuerint, jubente abbate, vel ille qui ordinem tenuerit, si abbas non adest surgant illi fratres, qui ex alia septimana coquinam fecerunt et eant præparare aquam ad locum constitutum. Surgentibus e capitulo sonetur, et veniant accipere unusquisque rasoria de manu procuratoris. Tunc eleemosynarius habeat præordinata vascula in loco ubi conventuri sunt seniores: canere.

(61) *Pietantia*, pitantia, ferculum, cibus præter ordinem concessus.

(62) *Neuma efficere cum fratre*, id est, cum altero

(63) *Zulla*, manutergium, ut supra notavimus.

(64) *Bacile*, Itala vox *bacino*, pelvis.

cum acceperint, unusquisque deferat sibi aquam. Pueri deportent scamna sua. Abbas vel prior incipiat psalmos quinque: in primis pro defunctis qui prænuntiati fuerunt in capitulo et cursum canonicum horarum, sicut mos est in coquina decantare. Et postmodum familiares psalmos super horas regulares. Interim dum psalmodia duraverit, nihil aliud aliquis debet agere nisi radere, nec caput lavare vel tondere, nisi psalmos dicere, nec ungulas secare. Nec refectorarii ibunt in refectorium usque dum finiantur psalmi. Loqui nullus debet, sed nec ullus frater radat alium in pellicia cum latis manicis, nisi eam quæ cum strictis manicis est, habeat vestitam, vel tunicam. Cum psalmodia expleta fuerit, abbas dicat *Benedicite*, et unusquisque redeat ad officia deputata. In hac hora secretarius debet scillam pulsare, si ibi comesturi sunt. Si aliquis ex infantibus non fuerit rasus, procedant in scholam, et ibi faciant. Nam si ex fratribus alicui contigerit, ut inchoatus fuerit ad radendum, et signum insonuerit, dimittat hoc opus, surgat, et induat cucullam et eat in ecclesiam, et sit extra chorum. Cum hora expleta fuerit, revertatur, atque radat se. Postquam dies ille transierit, nusquam ullus faciat sine licentia aliquatenus orationem. Pueri vero IV feria et sabbato possunt se tondere in schola sine sua cuculla, absque tunica. Nullus frater se tondat et unicuique detur ad medietatem aurium capillum incidere in gyrum. Caput qui lavare voluerit, ipsa die sine licentia faciat, alia die non licet, et quandocunque hoc facit, tunicam cum latis manicis indutam habeat.

CAPUT XXI.

Convenit hæc monachis semper servare culinis.

In coquina frater qui primus venerit diluculo, quandiu solus fuerit, nihil aliud gerere poterit nisi locum illuminare. Postquam alter vel ambo venerint, psalmodiam sicut in radendo totam dicant ex integro; præter familiares de horis regularibus, quos in ecclesia cum aliis, vel ipso tempore per se poterit unusquisque dicere. Ipsa vero psalmodia, quam in coquina vel in radendo vel alio manuum opere dicunt primitus ad quinque psalmos, id est, *Verba mea*, dicatur *Dominus vobiscum*. Post orationem, *Requiescant in pace*. Postea non nisi ad vesperas dicatur, *Dominus vobiscum*, et *Benedicamus Domino*. Deinde similiter ad vesperas dicatur, *Dominus vobiscum. Requiescant in pace.* Ad completorium vero dicatur, *Dominus vobiscum*, et benedictio. Ad psalmos familiares ultimos, *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino. Benedicite.*

CAPUT XXII.

Qualiter agat sacerdos qui vult suam missam agere private.

Mox ut exierint ex matutinalibus officiis, si dies fuerit, annuat uni ex conversis, quali velit, et eant, lavent manus atque facies suas et pergant in ecclesiam: faciant trinas orationes, si illis temporibus convenit; vel si XII lectiones factæ fuerint, ex tunc eat et accipiat librum et albam, et ponat ad unum ex altaribus: nam nulli est licentia aliunde auferre, postquam acceptum habet. Denuo revertatur in sacrarium, et accipiat hostiam et calicem: tunc perfundat eum cum aqua in infusorio, atque tergat linteolo priusquam habuerit mistum vinum et aquam. Conversus, qui adjuturus est eum accipiat candelam atque accendat, et pergat ad locum, ubi sacra agere debet. Tunc sacerdos exuat se tunica et flectat genua, et induat se cultum sacerdotalem. Dum stolam habuerit impositam, faciat confessionem cum fratre, et tunc agat ordinem ad aram, et signum sanctæ crucis exprimat in fronte sua, et Deo incipiat immolare. Nam conversus ad ipsum ad collectas et secreta sit inclinis; ad canonem genuflectat, vel stans oret. Ipse sacerdos, si ad horam sonaverit, et stolam non habuerit impositam, et etiamsi albam indutam jam habeat, sic se exuat, et ad horam pergat. Quando vero sonatur scilla ante tertiam, si habuerit tantum calicem paratum, sic potest agere missam sine reprehensione. Nam si ad horam intraverint fratres, ille post missam suam flectat genua dum exutus fuerit, et horas reddat; usque dum seniores steterint ad horam, ille non præsumat intrare ad reportandum; tamen expleta hora, ad psalmos familiares potest transire. Conversus deferat albam et librum, sacerdos calicem et ampullam ad locum constitutum.

CAPUT XXIII.

Ad missam generalem qualiter agant sacerdos et ministri.

Dicente sacerdote, *Orate, fratres*, inclinent se pueri spatio orationis Dominicæ, et illico se erigant vertentes vultus suos ad partes orientis: majores autem sint acclines usque dum dicat sacerdos, *Per omnia sæcula sæculorum:* et ad extremum cum dixerit, *Per omnia sæcula*, etc. *Oremus: Præceptis: Pater noster:* sint omnes inclinati tam pueri quam majores, dicentes *Sed libera nos a malo*. Infantes se erigant: fratres sint inclinati usque dum denuo dixerit, *Per omnia sæcula sæculorum*. In duodecim lectionibus sacerdos in introitu missæ in sacrario ponat incensum in thuribulo. *Gloria Patri*, inchoante illo, qui officium procurat, procedens ante altare primum faciat orationem; deinde faciat confessionem ipse et levita. Expleta accipiat sacerdos thuribulum et incenset aram, et levita denuo accepto, deferat per altaria et ad domnum abbatem, et conversus per omnes in choro: in primis ad illum qui officio deservit. Ad Evangelium domnus abbas debet mittere incensum in thuribulum, levita deferente ei thymiamateria. Si non adest abbas, sacerdos mittat. Peracto, Evangelium primum osculetur ipse, levita textum, dein altare. Subdiaconus accipiat textum et deferat sacerdoti, domno abbati, et ad omnes fratres; in primis ad illum qui instat propter officium. Post offerendam conversus ferat thymiamateria cantori, et cantor portet domno abbati, si non adest, ipse faciat. Dicente sacerdote. *Per omnia sæ-*

cula sæculorum, veniat levita, post illum subdiaconus subtus : levita et acolyti us deferant patenam opertam offertorio: stent subtus diacono. Procedens diaconus ad discooperiendum calicem, primum osculetur altare, deinde brachium sacerdotis vel manus, et humiliter recedat et inclinet. Finita oratione Dominica a sacerdote, tradat acolythus patenam cum offertorio levitæ osculans illi manum, et reddat offertorium puero.

In diebus festis vel omnibus missarum [solemniis], quibus induitur puer tunica vel casula, ipse ferat textum, alius puer calicem : privatis autem diebus conversus qui portat candelabrum ad missam in illo choro unde ipsa [missa] perstat, ex illa parte deferat, et incensum semper debet esse ad ipsam missam. Puer qui legit epistolam, ipse portet et calicem si valet, et bene scit facere. Tres hostiæ quotidie mittantur : qui vult communicare, faciat ; si est de ipso choro unde fratres offerunt ; si de alio choro fuerit, non faciat, nisi prior jubeat. Dominicis diebus quinque mittantur hostiæ, diebus autem aliis festis tres, præter majora solemnia.

CAPUT XXIV.

De Dominicis diebus vel festis seu quotidianis, quot luminaria a secretariis accendi in ecclesiis debeant.

Dominicis vel omnibus festis, quibus duodecim lectiones faciunt, omnibus temporibus, præter quando in cappis celebrant, hoc modo faciant. In prima vigilia accendantur, antequam signum sonet, quinque luminaria per loca constituta, videlicet unum ante altare majus, quod die noctuque ardeat; alterum in choro prope abbatem ante analogium : tertium ante altare seu extra chorum : quartum in brachio partis aquilonaris in secretario ante altare sancti Benedicti; quintum australi parte extra chorum in introitu ecclesiæ. Expleto itaque cantico graduum adaugeantur duo ante altare majus. In tertio nocturno diacono, Evangelio pronuntiato, *Et reliqua* dicente, statim duo secretarii discooperiant tabulam, tertiumque accendant candelabrum, et analogium deferatur. Ad matutinas laudes dicto *Benedicamus Domino*, exstinguantur. Ad missam tribus duo adjungantur, quæ conversi deferant, et fiant quinque. Ad vesperum tria sint ante altare. Feriatis diebus similiter faciant per loca destinata præter illa quæ junguntur in tertio nocturno. Duæ candelæ sint accensæ ante principale altare. Expleto cantico graduum tertia est, quæ ibi semper erit arsura. Expletis duobus nocturnis exstinguantur binæ candelæ usque dum dicitur vigilia mortuorum, et matutinum eorum. In laudibus iterum accendantur, priusquam sonetur. Ad missam tres sint ante altare ; ad vesperum duæ. Nam omnibus diebus sabbatorum ad vesperas semper sint tres lampades ante altare accensæ. Similiter cunctis diebus vigiliarum sanctorum sive sanctarum quibus XII lectiones efficiuntur in crastino.

CAPUT XXV.

De versibus offerendarum.

Officionarius frater, mox ut dicta fuerit offerenda, procedere ante abbatem atque annuere debet de versuum inchoatione. Abbate incipiente debent omnes inclinare. Si ipse non imponit, debet annuere aliis, quibus visum ei fuerit, et illico ut initiatum habet, facere inclinationem cum reverentia, pueri hinc et inde omnes inclinantes. Si abbas præsens non fuerit, faciat prior ; et si prior minime adest, annuat decano ; quando ipse defuerit, imponat armarius, et si prænominati cuncti deerunt adimpleat ipse [officionarius]. Cum jam prope ipsi versiculi finiendi sunt, veniat conversus cum thuribulo ad cantorem, et tunc ipse deferat abbati ; si non est, faciat ipse. Tota Quadragesima debent quotidie omnes decantare, Paschalibus deinceps diebus, et illis festis, quæ semel celebrantur in anno similiter. Dominicis diebus ut venerint per totam septimanam unum tantum decantare. De festivitatibus sanctorum, quas celebrant, unum vel duo promere debet.

CAPUT XXVI.

De pueris coquinariis, qualiter agant cum magistris.

Pueri qui coquinarii sunt, omnia faciant in coquina, quæ fieri debent a septimanariis. Etiam in sabbato lavent, et tergant pedes fratrum cum talibus senioribus, qui eos custodiant, non cum juvenibus. Tantum autem non ministrabunt ad prandium, nec ad mensam servient; sed de aliis fratribus quos magister rogaverit. Cum viderint fratres coquinatores opus esse, ut bulliantur scutellæ propter adipem, dent eas cellerario fratres IV feria, vel in alio die, et faciat eas abluere, et iterum reddant eas coquinariis. Sabbato mundetur, atque scopetur coquina. Aquam mollissimam novam dimittant intrantibus. Aquam ad abluendos pedes fratrum calefaciant ; unus de exeuntibus et alius de intrantibus, eam ante capitulum portent : intrantes deferant linteamina ex promptuario ; a secretario pelves et manutergia deferantur. Abbas solummodo ad unam ex ipsis tergat. Duo pueri non lavent simul, magister et puer lavent sedente alio puero in sedili suo. Cum convenerint ad lavandum linteamina, surgat puer hebdomadarius de sedili suo, et eat cum alio puero foras capitulum, et abluant linteamina. His expletis, manus suas lavent, deferant aquam ad abluendas manus omnium fratrum. Unus ex his pueris, qui junior est, eat in sedile suum, donec omnes abluant manus suas, etiam pueri. Tunc surgat iterum puer de sedili suo, et veniat cum alio infante foras. Cum deposuerint utensilia, cum quibus servierant fratribus in loco disposito, veniant in antea in medio capitulo ordinate, et faciant reverentiam, et eant in sedibus suis Secretarius vero dum pueri habuerint manus suas ablutas signum faciat pulsandi squillæ, et accepta licentia pergat, et lector veniat in medio ad analogium : illo signum dimittente (abbate annuente ei) accipiat benedictionem, atque

lectionem inchoet : legente duos versus vel præstantius, tunc jubente abbate surgat ille cui annuit, et sonet cymbalum. Ex hinc surgant omnes, faciant ante et retro, et eant dum potum fuerit benedictum: pergant hebdomadarii coquinæ et ignem cooperiant et simul veniant; ibi faciant ante et retro imponentes hunc versum, *Benedictus es, Domine Deus meus,* tribus vicibus, *Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Adjutorium nost.*, etc., et sic recedant. Si abbas non est, eadem faciant in loco ejus, qui ordinem tenent; quotidianis diebus cymbalo sonante faciant. Illis diebus, quibus non pulsatur cymbalum, dum habuerint omnia expleta, quæ ibi opus est faciendi, ita dicant, et recedant. Die Dominico reddant vasa munda et sana cellerario per numerum post capitulum, et intrantibus dentur.

CAPUT XXVII.

De confessione puerorum.

Cum ad confessionem ducuntur infantes, si domnus abbas præsens est, magister eos ad illum usque perducat; ipso surgente magister ante capituli sedere debet introitum. In loco vero, qui infantum solet esse, capitulum illic et confessionem debent agere. Prior infans prius accedat; stans confessionem faciat, alter in parte meridiana sedeat super unum sedium eorum. Post confessionem iterum eos magister accipiat. Cum vero priori vel decano claustri voluerint esse confessi cum magister ad ipsum eos perduxerit, statim ipse recedat; prior in capitulum illos ducat, et post confessionem ad scholam reducat. Cum infantes aliquot de schola sunt exituri ad capitulum infantum, domnus abbas debet venire, et alios infantes exire faciat; ipse autem et magister cum iis, qui exituri sunt, remaneant, et confessionem eorum audiat. Post confessionem magister illos et alios reducat, usque dum ad consecrationem veniunt procurare debet ipse : postmodum faciant alii, quibus jubetur.

CAPUT XXVIII.

Qualiter agant armarius vel cantor die Sabbatorum vel festis, aut quod exerceri oporteat ipsi.

Die sabbatorum debent esse quatuor, qui brevem faciant, quorum infans qui scribat capita responsoriorum, cantor, qui indicet nomina fratrum canentium : armarius quippe nomina legentium nota facit. Item cantor hebdomadarius de officio et talis cum tali canat responsorium, talis et talis alleluia personent : et lectorem, ad servitores. Item armarius indicet talis habeat missam, et ille infans epistolam et ille evangelium, atque talis ad mensam lectionem legat. Cellerarius nempe ille, atque ille coquinam faciant. In XII lectionibus sint tres : armarius, cantor, infans; nam ipse armarius debet providere illis festivitatibus, quibus in cappis celebrant, si ille qui hebdomadarius de officio aptus non est, ut jubeat aliis ex fratribus, ut cantent invitatorium, et postmodum cum ipso qui officium procurent ad missam.

Ad mensam atque collationem qualem librum ipse posuerit, talis legatur a lectore ; nullus ex fratribus præsumat alium librum imponere. Nam et omnium fratrum obscultet lectiones, responsoria, et quidquid intus et foris cantaverint, vel legerint. Omnes vero libros ligare atque investire, seu emendare debet per se, vel per alios fratres eruditos, et quos libros generales debent scribere fratres, omnia studeat ipse radere, atque perducere, et cuicunque ex fratribus jusserit, ut eum adjuvent, obediant ei : et si aliquis ex eis renuerit, in crastino querelabitur. Antiphonas quæ sunt ex evangelio imponat, si abbas non adest. De missa, officio, nec non de evangelio, et cætera alia, quæ ad ecclesiam pertinent, studeat ipse emendare, si neglectum fuerit. Libros foras producere vel recolligere ipse debet cum cantore quotidie : et multa alia debet habere sub sua cura, quæ sparsim habemus jam conscripta, quod hic non est opus inserere.

CAPUT XXIX.

De processionibus.

Quandocunque fratres processionem IV et VI feria faciunt, mox ut dicta fuerit una ex antiphonis processionariis, illico duo pueri dicent litaniam, tam in ipso itinere, quam in ecclesia cum revertentur in chorum. Nullus antequam litania fuerit expleta debet exire, quamvis licentiam habeat : nisi talis necessitas evenerit quam nullatenus præterire potuerit. Nam expleta, si alicui est valde opus aliqua causa agere, petat licentiam D. abbatis, vel illius, qui ordinem tenet, si abbas non est, et pergat; sed tamen ante faciat reverentiam, et abluat pedes suos, et procuret quod procurandum est. Nam sine licentia ullus nusquam faciat, usque dum missa fuerit finita: similiter in rogationibus vel aliis processionibus.

Item : Nam in illis temporibus, quando pergunt ad extra monasterium, eant dicendo responsoria et antiphonas pro peccatis, et ex beatæ Virginis Mariæ [*supp.*] officio quæ velint. Jam prope ibi proximantes incipiant responsorium ex illis reliquiis sanctorum, quorum vocabula ibi consecrata [conscripta] sunt. Protinus ut finitum fuerit, dicat sacerdos, *oremus.* Orationem sanctorum illorum; tunc prosternant se omnes et faciant preces. *Pater noster*, in hoc loco non est dicendum a sacerdote clamosa voce, nec *Et ne nos.* Sed statim promat psalmum, pro defunctis, qui ibi requiescunt, *Lauda, anima mea, Dominum.* Capit. *A porta inferi. Dominus vobiscum.* Oratio, *Deus cujus miseratione.* Tunc duo pueri incipiant litaniam *Kyrie* ante altare et perveniant ad ipsos sanctos, dicendo ibi usque ad nomen beati Joannis: et tunc dicant tribus vicibus, deinde alios qui sequuntur; et faciant ante et retro et sic procedant, quemadmodum venerunt.

CAPUT XXX.

De sanctorum reliquiis, qualiter deferantur ad locum ubi necesse sunt deportandæ processionaliter, aut qualiter recipiantur cum laude.

Quando reliquiæ deportandæ sunt alicubi, hoc modo faciunt : annuente armario, vel loquente, si

tempus fuerit loquendi, vel illo qui ordinem tenuerit, revestiantur cuncti in cappis, pueri in albis. Reliquiæ sint congrue collocatæ; secretarii ecclesiæ pulsent signa, candelabra duo deportentur a conversis, aqua sancta, crux, incensum : phonones (65) a famulis deportentur, et unum signum cum eis mittant. Cantor incipiat responsorium, *Sancte Marcelle*, vel secundum quales reliquiæ fuerint; incensetur, exeantque omnes pariter extra portas murorum, quibus circumdatum est monasterium. Tunc sint præsentes alii fratres, qui suscipiant sanctorum reliquias, et famulis dicant ut deportentur ubi necesse fuerit, et fratres inchoent psalmos, *Ad Dominum cum tribularer*. Et revertantur in chorum, et exuant se et pergant, unusquisque ad officia sua. Illo tempore quando reversuri sunt procurent antea nuntiare in cœnobium, ut sint omnes fratres in cappis, infantes in albis. Prior incipiat psalmos, *Miserere mei, Deus. Deus, in nomine tuo. Deus, in adjutorium. Deus misereatur*, et eant in obviam sanctis reliquiis. Secretarii pulsent signa vel famuli, usque dum sint omnia peracta. Tunc inchoent, resp. *Iste sanctus*. Dicat sacerdos versus, *Magna est gloria ejus*. Vel secundum quales reliquiæ fuerint et pertinentes collectas, et preces, deinde incensetur. Rursum inchoent aliud resp. congruum sanctis reliquiis, et ita peractis eant in monasterium, et ponantur reliquiæ ubi ponendæ sunt; denuo incensentur : et pergat unusquisque ad opus suum.

CAPUT XXXI.

Item de eodem.

Quando corpus sanctum foris portandum est, in albis debent esse vestiti et de ipso sancto cujus portantur reliquiæ vel resp. vel antiph. cantent, donec revertendi signum prior faciat. In revertendo psalmos dicant. Cum vero reliquiæ reportantur in cappis vestiti debent fratres occurrere, et cum exituri sunt e choro debet prior incipere, *Miserere mei, Deus. Deus, in nomine tuo. Miserere mei, Deus, miserere mei. Deus misereatur*, etc., donec ad reliquias pervenerint : post missum incensum de ipso sancto dicatur oratio : deinde de ipso sancto cantum armarius incipiat, et sic in monasterium pergant.

CAPUT XXXII.

Ad regem deducendum.

Cum auditus fuerit adventus regis in monasterium, tunc abbate vel priore (annuente fratribus si tempus non fuerit loquendi in claustro), conveniant omnes in ecclesiam, et vestiant se in cappis, etiam conversi, et infantes induant se tunicis. Secretarii præparent processionem, et tunc sonent duo majora signa, incipientibus, ita ordinate pergere, sicut in his characteribus demonstratur.

Crux,	Thurib.	Candelab.	Candel.	Candel.
Aqua,	Crux,	Textus,	Textus,	Textus.
Crux,	Thurib.	Candelab.	Candel.	Candel.

Conversi bini et bini sint : tunc infantes cum magistris : deinde D. abbas, et tunc alii fratres duo ac duo, sicut superiores sunt; tamen cum silentio eant. Pervenientibus ad eum, tradet ei aquam sanctam et osculetur textum, et incensetur. Deinde inchoetur resp. *Ecce mitto angelum meum*, et pulsent famuli omnia signa. In ecclesia tapetia sint duo ordinata, quorum unum sit ante altare sanctæ crucis, et alterum ante majus. Tunc abbas inchoet antiph. vel resp. quod velit, quod conveniat. Quo expleto dicit capitulum et has orationes, *Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul et terrena moderaris*. Alleluia. *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo :* et redeant in claustrum. Ad reginam eadem faciant; sed tamen ingredientibus in ecclesiam hanc antiph. decantent, *Cum sederit filius hominis*.

CAPUT XXXIII.

Ad episcopum deducendum.

Illico ut nuntiatus fuerit in cœnobio episcopi adventus, annuat prior vel ille, qui ordinem tenuerit fratribus, si in claustra non loquuntur, ut adunentur cuncti in ecclesia et revestiantur in cappis omnes et infantes in albis. Deinde accipiant conversi aquam sanctam, crucem, duo candelabra, et textus Evangelii, et eant cum silentio. Dent ei aquam sanctam et osculetur textum et incensetur. Deinde inchoet responsorium, *Ecce vere Israelita*, vel *Audi, Israel*. Et pulsentur universa signa eantque in ecclesiam. Duo tapetia sint ordinata, quorum unum ante altare principale, alterum vero ad altare sanctæ crucis et redeant in claustrum.

CAPUT XXXIV.

Item ad abbatem deducendum.

Ad abbatem namque non sonantur signa, nec vestiuntur omnes ; sed tantum illi, qui processionem portant; nusquam canentes nec eundo, nec revertendo. Si tamen talis dignitatis fuerit, possunt omnes fratres esse in cappis, pueri in albis.

XXXV.

Ad serenitatem postulandam.

Quando multum pluit, convenientes in capitulum concorditer simul constituant hunc psalmum dicendum ad litaniam, *Benedixisti, Domine, terram tuam*. Feria IV et VI ad processionem antiph. *Inundaverunt aquæ*, et missam matutinalem ex ea. Officium, *omnia quæ fecisti nobis*. Collectam, *Ad te nos, Domine, clamantes ;* et alias juxta morem dicendas pro defunctis, et lectionem Jeremiæ proph. *Hæc dicit Dominus : Nunquid projiciens abjecisti Judam*. Resp. *Protector noster aspice, Deus*. Alleluia. *Ostende nobis, Domine*. Evangelium secundum Lucam, *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Misereor turbæ ; quia triduo jam sustinent me*. Offert. *Sicut in holocaustum*. Comm. *Inclina aurem tuam*, vel *cum vocarem te*. Ad majorem missam post offerendam, cum sacerdos inchoaverit ordinare calicem cum diacono super altare, tunc cantor [inchoet] in choro responsorium, *Deus qui sedes : Tibi derelictus est pauper*.

(65) *Phonones*, Phanones, fanones, vela, vexilla.

Prosternent se omnes in terra, surgentes autem stent versi contra altare usque dum sacerdos dicit, *orate pro nobis.*

CAPUT XXXVI.

Ad pluviam postulandam officium.

Salus populi. Collect. *Deus, in quo vivimus.* Lect. Hier. Proph. *Locutus est Jeremias dicens : Exsurge, lauda in nocte.* Resp. *Propitius esto.* Alleluia. *Ostende nobis.* Evangel. secundum Lucam, *Factum est in una dierum et Jesus ascendit in naviculam.* Offert. *Sicut in holocaustum.* Comm. *Inclina aurem tuam.*

CAPUT XXXVII.

Ad diversas preces faciendas.

Hac ratione faciendus ecclesiastici ordinis clamor ad Dominum. Ad missam principalem jam dicta oratione Dominica ministri ecclesiæ cooperiant pavimentum ante altare cilicio, et desuper ponant crucifixum et textum Evangeliorum, et corpora sanctorum, et omnis clerus in pavimento jaceat prostratus canendo psalmum, *Ut quid, Deus, repulisti in finem* sub silentio. Interim duo signa percutiantur ab ecclesiæ custodibus, solusque sacerdos ante Dominicum corpus et sanguinem noviter consecratum, et ante prædictas reliquias sanctorum, alta voce incipiat hunc clamorem dicere : *Ostende nobis. Esto nobis, Dom. Memento nostri, Dom. Memor esto cong. Exsurge, Dom. Domine, exaudi orat. In spiritu humilitatis et animo contrito ante sanctum altare tuum et sacratissimum corpus et sanguinem tuum, Domine Jesu, Redemptor mundi, accedimus, et de peccatis nostris, pro quibus juste affligimur culpabiles contra te nos reddimus. Ad te, Domine Jesu, venimus, ad te prostrati clamamus, quia viri iniqui et superbi suisque viribus confisi undique super nos insurgunt, terras hujus sanctuarii tui cæterarumque sibi subjectarum ecclesiarum invadunt, deprædantur et vastant, pauperes tuos cultores earum in dolore et fame atque nuditate vivere faciunt, tormentis etiam et gladiis occidunt, nostras etiam res unde vivere debemus in tuo sancto servitio, et quas beatæ animæ huic loco pro salute sua reliquerunt, diripiunt : nobis etiam violenter auferunt. Ecclesia tua hæc, Domine, quam priscis temporibus fundasti et sublimasti in honorem beatæ semper Virginis Mariæ, sedet in tristitia, non est qui consoletur et liberet eam, nisi tu, Deus noster. Exsurge igitur, Domine Jesu, in adjutorium nostrum; conforta nos, et auxiliare nobis; expugna impugnantes nos, frange etiam superbiam illorum, qui tuum locum et nos affligunt. Tu scis, Domine, qui sunt illi et nomina illorum, corpora quoque et corda eorum antequam nascerentur tibi sunt cognita. Quapropter eos, Deus, sicut scis justificata in virtute tua, fac eos cognoscere sua malefacta, et libera nos in misericordia tua; ne despicias nos, Deus, clamantes ad te in afflictione, sed propter gloriam nominis tui et misericordiam, qua locum istum fundasti, et in honorem genitricis tuæ sublimasti, visitasti nos in pace, et erue nos a præsenti angust. Amen.* Quo clamore facto reportentur reliquiæ suis locis, et dicat sacerdos sub silentio collectam, *Libera nos, quæsumus, Domine.*

CAPUT XXXVIII.

Item de eadem in alia diffinitione.

Cum surrexerint e capitulo die Dominico sonent signum, agant orationem; dein exeat sacerdos cum infantibus et præparent se ad missam. Tunc sonet signum denuo quod majus est, duas vices, pro annunciatione principali. Ad expletionem Evangelii dicatur *Credo in unum Deum.* Quo expleto ascendat armarius in pulpitum et nuntiet plebi malitiam persecutorum. Dein procedat alius frater et legat anathemata, vel maledicta tam Novi, quam Veteris Testamenti secundum utilitatem ac jussionem a sede apostolica acceptam, et a vicinis episcopis probationem, datam maledictionem non emendantibus, benedictionem eis qui se præparant ad emendationes. Qua lecta exstinguatur candela, pulsentur omnia signa. Dimissis prosternant se omnes in terram, et hos psalmos decantent. *Domine, quid multiplicati sunt. Deus in adjutorium.* Vel istos duos adjungentes *Benedixisti. Fundamenta.* Vel quales habuerint constitutos ex aliis. Capit. *Ostende nobis. Esto nobis. Exsurge, Domine.* Orationes : *Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine. Omnipotens sempiterne Deus, mæstorum.* Vel sicut diximus, ut decreta habuerint. Surgentes cantent offerendam, et perficiant missam. Aliis diebus quotidianis agant ita. Mox ut surrexerint e capitulo, veniant et dicant in primis quinque psalmos pro defunctis, et tunc sonentur signa, et dejiciant se in humo et dicant sicut supra.

CAPUT XXXIX.

Qualiter agant si processuri sunt ad Sanctam Mariam.

Quando vadunt ad basilicam S. Mariæ, statim ut surrexerint, incipiant psalmos pro defunctis, et postmodum prostrati pro tribulationibus absque sonitu tonnitorum (66), et psalmi dicantur sicut prædiximus. Et aliquando si velint adjungere psalmum *Inclina, Domine* et *Benedixisti*, hæc capitula dicant. *Post partum. Ostende. Esto nobis.* Collectas. *Concede. Ineffabilem Deus. Qui contritum*, vel *Hostiam nostrorum.* Quibus finitis exeant et sonet prior tabulam, si tempus fuerit loqui in claustro, et pergat unusquisque ad officia sua.

CAPUT XL.

De fratribus exeuntibus de monasterio.

Frater fugiens de monasterio dum reverti voluerit, nudus et discalciatus veniat in capitulum, in brachio tenens cucullam, et manu virgam ferens. Accepto judicio eat foras in aliquo loco, et vestiat se et calciet : revertensque in capitulum, petat veniam ante abbatem et ipso jubente eat sedere sicut Regula præcipit (cap. 29). Si D. abbas deest,

(66) *Tonnitorum sonitus*, reor esse signa vel notas tonorum musices : ac si diceret : psalmos pro tribulationibus absque tono prostrati dicant.

ipsi reservetur judicium. Cum autem reversus fuerit, ipse frater subducat se a conspectu ejus, donec tali in loco veniat, ubi petat veniam suam satisfaciendo, et quod ei præceperit, id faciat. Una nocte jaceat in hospitali antequam recipiatur. Si fugerit de aliqua cella et ibi reversus fuerit, recipiatur, ut est supra dictum : et quando venerit ad caput monasterii, similiter id faciat. Si fugerit de aliqua cella, et ibi non reversus fuerit, et venerit ad caput monasterii, recipiatur, ut est superius prænotatum, donec vocetur prior de ipsa cella, et audiantur querelæ amborum, et ubicunque fuerit culpa inventa emendetur. Post hæc si priori videtur revertatur ipse frater ad ipsam cellam.

CAPUT XLI.

De phlebotomatis.

Si quis frater voluerit sanguinem minuere procuret indicare abbati, vel priori, si abbas non adest, licentia denique accepta, eat indicare cellerario, ut habere faciat arcedonem (67), vel si tempus fuerit hyemis, ignem accendere faciat in calefactorio. Tunc pergat ad januam Eleemosynæ et accipiat vas. Mox ut Evangelium recitatum fuerit eat cum silentio atque de more faciat, et tunc dicat tribus vicibus *Deus in adjutorium*, adjungens *Gloria Patri. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Adjutorium nostrum. Benedicite.* Perpetrata vero peragret refectorium. Si post prandium visitare voluerit, sicut prætulimus omnia habeat præparata. Cum phlebotomatus fuerit, statim pergens in refectorium offas faciat. Si servitores sederint ad mensam, ipse petat licentiam ab illo qui sederit ad squillam. Si domnus abbas est minutus sanguine, in crastino accipiant mixtum : et ad versum si aliquis defuerit ex sanguine minutis, quando venerit, petat licentiam, et dicat versum, et accedat ad mensam : similiter faciat si prior est minutus sanguine. Infirmus autem qui pro sua infirmitate accipit mixtum, non petat licentiam, nec dicat versum. Domnus abbas debet accipere mixtum ad scillam. Prior autem, si domnus abbas fuerit in monasterio, in suo stallo accipiat ; et si non adest abbas, ad squillam sedeat : similiter decanus, si prior deest. Quando insimul conveniunt phlebotomati cum pueris, tunc dicant versum pariter : infans legat lectionem ex corde, deinde edant : habeant tria pulmentaria apparata a cellerario ; pueri vero unum. Levantes versum dicant communiter. Si ibi comeditur, qui vult mixtum sumere, de sua justitia atque libra post missam edat absque versu. Ad vesperas det ei cellerarius aliquid ad comedendum.

CAPUT XLII.

Qualiter commendatitiæ litteræ dandæ sint monachis

Ego (68) Ille humilis abbas, salutem. Noverit dilectio tua, quia suggessit iste frater Ille nobis, ut illi licentiam daremus vobiscum habitandi. Nos autem quia te cognovimus regularem ordinem tenere, præbuimus consensum ei vobiscum habitandi. Nunc autem illum tibi commendo, ut illum ita tractes sicuti ego, et pro illo rationem Domino sicut ego reddas.

CAPUT XLIII.

De portariis monasterii.

Portarius frater nusquam debet equitare, nisi forte supervenerint prædones infra terminos monasterii ; pro hoc poterit pergere. Equorum vero ascensores in suam cellam advenientes ab ipso honorifice excipiantur, et a famulis servisve, et jubente priore secundum illorum personarum qualitatem. Ipse præfatus frater suis subjectaneis (69) panem et vinum quotidie deferat ibi. Dum domi non fuerint hospites, in coquinam eant ad edendum ; quia ipsi debent facere, quando vacant, cappas fratrum. Calcares equorum, vel fascias ipse procuret. Famuli procuratores equitatorum ibi comedunt ; famuli discipuli portarii eis serviant, postea ipsi cum coquis edant. Ipse frater cum suis omnibus supervenientibus lecta sternat ; ipsi ibi jaceant. In crastino maturius qui vult in ecclesiam venire, cum sua lanterna illuminet et introducat, si talis fuerit persona ; sin vero ipse non vult occupari, familiam moneat, ut faciat. Ostium vero quod est inter galileam (70) et claustra a præfato fratre quotidie mane aperiatur, et sero ante collationem claudatur.

CAPUT XLIV.

Qualiter agat constabulus (71) *frater.*

Constabulus quippe frater habeat sub sua custodia equos, omniaque equitatuum stramenta et frena ipsorum; annonam, vel paleas in locis constitutis. Extraneos venientes atque pergentes ipse procuret cum suis familiaribus famulis. Ipsi ergo ne quidquam faciant, nisi quod eis jusserit præfatus frater ; et sine reprehensione poterit ad eos aliquid ad edendum dare ; tamen a cellerario quæritari. De refectorio vero nequaquam debet asportare nec ipse nec [quisquam] de aliis fratribus, nisi cui jussum fuerit.

CAPUT XLV.

De hospitibus, qualiter suscipiantur.

Hoc summopere unus frater vel duo cum suis famulis procurent, ut cum hospites adventaverint in ipsa mansione, quæ talibus deputata est, omnes inducant, et cum omni humanitate suscipiant, et post cœnam abluantur eis a famulis pedes, et parentur lectisternia, et si eis placuerit, tres dies absque contradictione morentur; et cum pergere voluerint, denarium singulis donetur. Si aliquis ex ipsis infirmus advenerit, quoadusque melioretur, si voluerit, extra cellam non exeat : hoc tamen pauperibus et

(67) *Arcedo* f. ligamen. qua arcetur sanguis, ab arcendo dictum, quanquam et hoc ligamen alio nomine *benda* veteres nominaverint. BERN. Ord. Clun. part. I.

(68) Hæc formula litterarum ex traditione Hildemari desumpta est.

(69) *Subjectanei*, subditi, subjecti, curæ commissi.

(78) *Galilea*, Gallilæa, Galleria. Vide superius notata.

(71) *Constabulus* : comes stabuli, qui stabuli et equorum curam gerebat.

peregrinis tantummodo est exhibendum. Nam debet frater procurator ejusdem loci quotidie accipere ex promptuario panes decem et septem, et libras tres ex illo pane, quem seniores habuerint in refectorio; et quotquot per singulos dies defuncti pronuntiati fuerint, tot stipendia accipiat, tam de panibus, quam de aliis cibariis, sicut eis, si viverent, daretur. Similiter pro illis, in quorum anniversario plenum officium fit, tot dispensas, vel justitias recipiet, quæ constitutæ fuerint in loco. Pulmentaria vero ex coquina tradentur a septimanariis fratribus, vel a cellerariis, quasi ad mensam debuissent dari ex omnibus, quæ ibi præparantur ad usus fratrum et in situlam (72) mittant, quam ibi præparatam habeat procurator frater. Similiter præparent duas situlas in refectorio. Præpositi ipsis locis, undecunque remeaverint, istud officium adimplere studeant: si illi non fuerint, cellerarius faciat, propter adunanda stipendia famulis. Jejuniis Quatuor Temporum universis quæ circulo anni sunt, quæcunque remanserint ex refectorio, in hoc opus censeantur; et de infirmorum domo eadem fiant. Similiter de omnibus vigiliis quas celebrant, fieri debet. Ex Domini namque Adventu usque Natalem ejus hoc decretum est: a capite jejunii usque ad paschalem solemnitatem quotidie, exceptis Dominicis diebus, omnia similiter dentur in eleemosynam. Nam ipse frater cum suis adjutoribus et hoc debet adimplere, videlicet prati secandi, quod ex ipso meliorem viderit, et ad latrinam fratrum deportari curam suscipiat. Luminaria in dormitorio, atque infirmorum domo ipse procuret ordine cum suis. Vascula ad minuendum cruorem ipse sibi assignata habeat, ne aliqua negligentia patiatur. Ecclesiæ oratoria, claustrum, domus infirmorum, refectorium atque capitulum ipse studeat emundare, et per omnia juncum imponere. Catinos, qui fratribus radendis deputati sunt, ipse sub sua cura habeat, et temporibus opportunis tribuat, atque postmodum nitidos et mundos reponat. In ipsa cella cui non permittitur, nec ingrediatur. Mandatum pauperum ibi geratur. Pomerium (73) sub sua custodia habeat cum cellerario simul plantandi atque custodiendi.

CAPUT XLVI.

Qualiter est agendum mandatum ad pauperes, quod quotidie efficitur.

Nam frater ille, qui hoc officium super se susceptum habet, cum suo ministro habeat ibi omnia quæ illic sunt necessaria præparata, videlicet lebetem ubi aquam calefaciat et concham ad lavandum pedes eorum, et tria linteamina, quorum unum sit deputatum propter seniores, qui ituri sunt ad ipsum officium implendum. Illico ut pedes ablutos habuerint, manus suas ad ipsum tergant: secundum sit pro pauperum pedibus; tertium eorumdem abluendis manibus. Bacili atque squilla ibi habeantur pro eadem causa adimplenda. Igitur antequam surgant seniores ex prandio, quando simul sunt concessuri, vel quando sexta hora et sero cænaturi sunt, tunc habeat famulus omnia præparata. quæ ibi conveniunt, ut absque mora convenientes fratres trium pauperum obsequiis insudent, lavandorum scilicet pedum. Die Dominico domnus abbas cum duobus infantibus et eorum magistro eat ad eorum custodiam: si abbas non fuerit, prior faciat in ejus vice. Deinde alii sicuti annotati sunt infra ferias in breve. Sabbato tantum magistri cum infantibus faciant. Nam continuo ut surrexerint a cœna atque in ecclesia oratio consummata fuerit, tunc famulus ante fores ecclesiæ tabulam pulset, et illi tres, qui ituri sunt, exeant, et primus illorum in medio veniat, et illi duo hinc et inde eant incipientes psalmum *Miserere mei, Deus.* Cum ante ipsos fuerint, stent per ordinem, quemadmodum priores sunt, atque genua flectant ante eos, deinde incipiant antiphonam: *Mandatum novum* et alia quæ conveniunt, et illorum pedes incipiant lavare.

Continuo ut ablutum primum habuerit, illico det ad alium linteamen, ut lavet, tergat, osculetur, atque capillis capitis permundet. Ipse vero eat ubi famulus cum aqua et linteo præsens adstat, et manus suas abluat: similiter cæteri faciant. Dein ille qui ex ipsis primus, accipiat aquam, et alius linteamen, et ter effundat lympham in manus pauperis. Similiter unusquisque faciat osculando interim manus. Tunc sonet squillam et benedicat cibum et potum, qui eis dari debet. Primum accipiat unusquisque in manibus suis justitiam vini, et libram panis, et cum gratiarum actione eis tribuat, eorum manus osculando. Tunc exinde accipiat unus de ipsis libellum, qui ibidem semper adesse debet; et hæc capitula atque orationes dicentur, quæ in eo sunt conscriptæ: et tunc inclinent se ante eos, et ex his unus dicat versum, *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Suscepimus, Deus. Tu mandasti. Dominus vobiscum.* Oratio *Adesto, Domine, obsequium servitutis nostræ.* Et tunc cum reverentia exeant hunc psalmum decantando, *Miserere mei, Deus.* Ecclesiam peragrantibus ad gradus genua flectant, *Kyrie eleison* personantibus, et has preces Deo offerant, *Pater noster. Ostende nobis*, vel *et veniat super nos. Dominus vobiscum.* Collecta, *Actiones nostras*, vel *Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros,* tunc exeant et sicut alii fecerunt, ita et faciant.

CAPUT XLVII.

De fratribus qui suscepti sunt in nostris societatibus.

Hos versus conscriptos habeat camerarius in fuste lectorum (74), sive in plumatis (75) ipsorum in dormitorio fratrum:

(72) *Situla,* sacculus, vel cistella, qua panis cibusque defertur.

(73) *Pomerium*, locus ubi poma nascuntur, aut asservantur pro *pomarium* hortus.

(74) *Fustis lectorum*, lecti compages lignea.

(75) *Plumatæ*, pulvinar, cervical: pars lecti superior.

Lectulus en fratrum venientium cernitur isthic : A
Sternia lectorum cernantur florida fratrum.

Nam et ipse camerarius debet cum alio fratre omnium vestimenta fratrum emere atque invenire et distribuere ad unumquemque, prout concedet et in loco est constitutum : videlicet ut omnibus fratribus det per singulos duas staminias, similiter femoralia : duas cucullas et duas tunicas cum latis manicis; duas pelliculas cum strictis manicis, et tertiam cum largis ; caligas distribuat, nocturnales et diurnales; pedules ad arcendum frigus, duo paria dentur ex nocte et duo ex die ; et ad unumquemque singula vagina cum cultello, præter scriptores qui duos habeant, et corrigia ad cingendum. Tabulæ, acus pectene (76) cum dumento (77), capellum in capite quod alio nomine capitium vocatur. In lectulo ad unumquemque deputetur lena cum pellicula investita, sagum laneum, capitale. Vestimenta sive calciamenta dum rumpuntur seu suuntur unusquisque frater lavet imprimis, deinde ante ostium auditorii deferat, et camerarius accipiat, et deportet ad sartores, ut emendent. De fratribus nullus debet pergere ad ipsos, nec aliquam emendationem facere de vestimentis secundum suum libitum, nisi quod consuetum fuerit monasterii, et camerarius ordinaverit. Qui aliud fecerit districte dijudicetur ab omnibus fratribus, ut cæteri metuant. Nam et ipse frater semper sollicitus sit, ubicunque viderit vestimentum, et ex fratribus quod aliquam reprehensionem habeat, ut emendetur, vel auferatur : quia ad ipsum respicit, si neglexerit. Lecta cum priore frequenter pervideat, ne alicui aliquid veniat. Palea vel fenum ipse cum sartoribus habere faciat octo dies ante festum principis apostolorum in singulos lectos. De vestimentis vero dum tribuit nova, recipiat vetusta. Lintamina opportuna manibus sive pedibus ipse provideat, similiter mantiles refectorii. Videat ut semper præcepta abbatis custodiat; similiter faciat prioris, vel decani, seu illius qui ordinem tenuerit, quando abbas absens fuerit, et nulla habeat sub sua cura absconsa (tam iste, quam secretarii vel cellerarii), quæ non sint præcognita priori, vel decano : similiter de omnibus obedientiis. Quia si ad judicium venerit, et aliquid inventum fuerit ab aliquibus ex ipsis fratribus, in proprium deputabitur, et in pœnam mergitur, sicut ex monasterio beati Gregorii papæ contigit de Justo monacho (78), et ex multis aliis cœnobiis jam experti sumus. In coquina regulari sive familiari omnia ustensilia sive cacabi præparentur ab ipso, præter bancos et scutellulas, quæ dentur a cellerario et præposito.

CAPUT XLVIII.

De fratre super horrea constituto.

Frater qui super horrea constitutus est ad solamen cellerarii, hoc quotidie exercere debet : quod ipse nempe frumenta dandi atque recolligendi sub manu sua habeat, et de ipso horreo clavem teneat, et quidquid ad artem pistoriam pertinet, omnia procurari studeat. In promptuario namque habeat locum constitutum ubi panes coadunet sub seracula, in refectorium portandum per se vel submissam personam decretis horis juxta mensuram, quot fratres sunt. Ex illo quod remanserit ex refectione, præter illa tantum tempora quando eleemosynarius recipere debet, omnia alia sub sua providentia fiant. Pulmenta quæ a servitoribus remanserint,
B recipiat; præter fabas in feriis, quæ ad se pertinent constitutis temporibus. Ipse vero cunctorum adventantium, sive in ipsis locis morantium familiaribus dispensare debet per semetipsum tantum ex panibus. De stramentis ipsorum animalium, cum quibus alimenta coadunantur, ipse curam faciat, ne negligantur a famulis. De vestimentis mutatoriis fratrum, adveniente feria tertia, habeat duo marsupia (senioribus stantibus ad matutinalem missam), veniat ipse cum ablutatorio (79) famulorum ad deportanda illa, quibus omnes fratres priusquam signum horæ primæ vel tertiæ illis temporibus, quæ conveniunt usque dum lectionibus vacant, exuuntur, ut cum signum pulsaverit posita habeant in locum constitutum. Infantes autem similiter
C faciant de vestimentis suis ut quando ante primam exuunt nocturnales, tunc deferant illa, et in arcam mittant. Illis vero temporibus quando ad tertiam insonuerit squilla, euntes pariter induant se caligis, et sic demum vestimenta deportent ad gradus ; tuncque pergant secessum, et in redeundo illa sumant atque in arcas effundant operi huic institutas. Nam si quis unus fratrum, oblivioni aut negligentiæ deditus, sua distulerit inibi ponere vestimenta statuto tempore, nullatenus aliter lavabuntur : et nisi prius suggerat granatario, non potest perficere. Si quis sua abluere voluerit vestimenta, absque reprehensione faciat hoc modo ; quando velit feriarum die, mox ut offerendam ad missam matutinalem
D factam habuerit, eat et deferat in loco constituto in claustro et ibi coaptet, et hinc pergat in coquinam et hauriat... capitelli et calefaciat, qui statim ut surrexerit de capitulo pergat, atque quod ei opus est, operetur. Sic ergo est agendum ; ut quibus horis fratres vacant lectionibus vel in claustro tempus loquendi non fuerit, id agere non præsumat. Pedules autem unusquisque sibimet lavet : cuculla, atque tunica rarius est lavanda; tamen per se occu-

(76) Lege *pectines* pro *pectene.*

(77) Lege *indumento* pro *dumento*, aut certe *tumento*, id est, *matelas.*

(78) Hic proprietarius erat, et ideo a Gregorio Magno, qui tunc in Romano sancti Andreæ monasterio abbas erat, anno scilicet 589 gravissime punitus fuit ; siquidem defuncti corpus, non in communi fratrum conditorio humatum, sed in sterquilinum projectum fuit.

(79) *Ablutatorium* ab *abluendo* dictum, vas est, in quo vestes sordidæ collectæ sunt.

pentur. Qui vero tam debilis est, qui hoc officium A agere non valet, fratri prænotato suggerat. ut sibi efficere valeat, propter quod singulis congruum est de hac re sibi eximplere. Nam ipsa lympha de qua lavare omnes debent, ullum tempus non prætereat quo satis non sit, quam ille frater sub una cura habeat, cui injunctum est horreum; et linteamina coquinæ ipse semper accipiat, atque per se restituat. Refectorii quippe mensales et zallas, atque linteamina, quibus seniores manus tergunt, ex refectorio accipiat et lavare faciat, et ad ipsum fratrem reconsignet. Ex infirmorum domo sumat ille frater, cui ipsum obsequium injunctum est, mantilia atque zallas, et reddat ei supradicto officiario ad abluendum, ut cum lota fuerint sibi restituantur. Sabbato die adveniente, si semel comederint, mox ut de B refectorio exierint, veniat præfatus frater et cum numero recipiat de manu famuli. Deinde præcedant seniores, et unusquisque sua accipiat. Si bis ederint, vesperi faciant quemadmodum ut supra. Nam vestimenta infantum magister illorum acquirere debet et restituere ad eos in schola, vel ad lectulos deportare cum aliquantis de ipsis. Si opus fuerit, potest cellerarius sustollere malleolum de cymbalo, tamen si aliquid melius quam soliti sunt præparaverint. Nam ille frater, qui super horrea est constitutus, signa, quæ danda sunt per officinas, ipse procurari faciat, quod tam abunde, ut non indigeant moneri; et ipse dividat per unumquemque, præter infirmorum domum, in quam famuli, qui in C ipso servitio deputati sunt, procurent acquirere quæ eis sufficiant

CAPUT XLIX.

De secretariis.

Seu versiculi qualiter sunt conscribendi in calice atque patena.

Secretarii namque lavent omni quarta feria calices, et die sabbatorum valde, omnique tempore et quotidie perfundant ante missam una hora: et hi versiculi conscripti sint in ipsis, per unumquemque duo et ✠.

℣. Mystica hinc Domini sumuntur hinc sacra-[menta.

℣. O Filii! quod sumitis amplectimini me. ✠

℣. Sumitur hinc sanguis Domini de corpore fu-[sus.

℣. Qui bibis hunc potum cum magno sume tre-[more. ✠

℣. Vodilo nomen habens hæc vasa patraverat [abbas.

℣. Henrici regis, et munere contulit aris. ✠

De tabulis quæ debent fieri per unumquodque altare suis nominibus dedicatis in parietibus.

℣. Eximiæ vocis præcinctis dogmata verbi

℣. Mirifica serie residentis Bartholomæi,

℣. Pontificisque simul Martini jure verendi

℣. Ara micat, claro nimium decoramine compta.

℣. Et vobis proceres rutili hoc altare sacratum

℣. Summi mystes Domini Joannes, Jacobe, Tho-[ma,

℣. Gregoriique, Augustini sub onomate sacri.

℣. Taurini nec non confessoris venerandi.

℣. Hoc altare nitet Domini pietate dicatum.

℣. O benedicite Pater columen dux et monachorum.

℣. Columbane micans sidus, dulcis Filiberte [*al.* Iberiæ.]

℣. Nomine mellifluo nostro domus ista refulget.

In posteriora crucis ista scribantur.

Crux parvulorum custos. Crux virorum caput. Crux senum finis. Crux lumen in tenebris sedentium. Crux regum magnificentia. Crux scutum perpetuum Crux insensatorum sapientia. Crux libertas servulorum. Crux imperatorum philosophia. Crux templorum destructio. Crux lex impiorum. Crux idolorum repulsio. Crux prophetarum præconatio. Crux scandalum Judæorum. Crux adunatio apostolorum. Crux perditio impiorum. Crux martyrum gloriatio. Crux claudorum virtus. Crux monachorum abstinentia. Crux ægrotantium medicus. Crux virginum castitas. Crux mundatio leprosorum. Crux gaudium sacerdotum. Crux paraliticorum requies. Crux Ecclesiæ fundamentum. Crux orbis terræ cautela.

CAPUT L.

De reliquiis sanctorum.

In imagine sancti Petri continentur hæ reliquiæ: portio de cruce Domini, et de veste sanctæ Mariæ matris Domini, et de proprio corpore sancti Petri apostoli, et de carne sancti Jacobi apostoli: reliquiæ quoque sancti Stephani protomartyris, et de ossibus sancti Sebastiani et sanctæ Ceciliæ, et sanctorum aliorum martyrum, et sancti Gregorii, et sancti Innocentii et de corporibus Dionysii et sociorum ejus, et de vestibus eorum, de petra sepulcri Domini, et de lapide ubi Dominus stetit, quando ascendit in cœlum, et de præsepio Domini et de sepulcro sancti Lazarii, quem Dominus suscitavit, et de virga Moysi. Os Saturnini episcopi. Reliquiæ sancti Marcelli martyris Cabilonensis, et ossa san-D ctorum confessorum Siluri et Agricolæ episcoporum Cabilonensis civitatis, aliorumque plurimorum sanctorum. In cappa argentea continentur corpus sancti Marcelli papæ, et reliquiæ de proprio corpore sancti Gregorii papæ, et portio capillorum sancti Majoli in vase vitreo.

CAPUT LI.

De brevi librorum (80) *quod fit in capite quadragesimæ.*

Warnerius collationes psalmorum. Udalricus col-

(80) Breve hoc loco est schela, in qua nomina fratrum et librorum, qui ante annum cuique eorum concessi erant, notabantur. Hæc scheda, ut Hildemarus in sua traditione in regulam docet, initio quadragesimæ in capitulo perlecta ab Armario fuit. et tunc juxta præceptum S. Regulæ cap. 48, singulis *singuli codices* de novo dati sunt.

lationes Cassiani. Christophorus pastoralem. Adalgisus psalt. Andreas Remigium super psalmos, Comment. Origenis in Jesu Nave. Bauzmarus. Isidori testimoniorum de Deo. Fredericus, Cyprianum. Gerardus, Exameron Ambrosii. Gaulo, Aug. de Trinitate. Gerardus XII Homiliarum. Petrus, moralia in Job. Theobald. Johan. Chrysostomum in Math. Stephan. Psalt. Steph. Ambrosium, aut Petrum in Apocalypsim. Raymund. Aug. super psalmos. Tedricos, Hieronymum de philosophia Joh. et super prophetas. Joh. dicta sancti Basilii. Aldulphus, Hieronymum in Isaiam. Arnulfus, Augustinum de nat. et grat. Humbertus vitam S. Siluri. Leodegarius, expositionem in Pentateuchum. Ledricus, Aimonem super Genesim. Martinus, Aimonem super Isaiam. Ambaldus Remigium super ecclesiasticum. Robertus vitam sancti Theutii. Girbertus Rabanum super ecclesiast. Valterius Passionalem. Aito epistolas Pauli. Benedictus Ephrem de compunctione. Johannes vitam Mariæ Ægyptiacæ. Saturnius Enchiridion. August. F. Wirardus historiam Josephi. F. Steph. Isidor. etymoligiar. F. Heinricus lib. regum F. Gerbertus Aurelianus Aug. F. Rainerus Cassiodorum super psalmos. F. Ubertus Historiam ecclesiasticam Eusebii Cæsariensis. Almannus Aug. de doct. Christian. Lando Ysilium in Leviticum. Hugo Hypognosticon. Petrus Aug. de symbolo. Lætus Amb. de conflictu vitiorum. Auribnus Rabanum in Thren. Jeremiæ. Ebrardus vitam Johannis Heleemonis. Edrard Aug. super Epist. Canonicas. Jocelinus Gregorium in ultimam partem Ezechielis. Girbinus Libellum de disciplina Christiana. Gerardus Bedam de templo Salomonis. Popo Eugepium de opusculis Aug. Silvinus Raban. sup. reg. Signaldus Raban. super XII Proph. Petrus historiam Titi Livii. Stephanus exposition. Rabani in Machab. lib. Petrus Aug. super psalmos. Benedictus Alcuinum de Trinitate. Girbertus historiam angelorum. F. Bernard Orosium. F. Ubertus Aug. de Civit. Dei. F. Martinus Aymonem super epist. Pauli. F. Steph. Aymonem supra Apocalyp. F. Arpertus Bedam super parab. Salomonis F. Otmarus concordiam regularum.

CAPUT LII.

De infirmis fratribus, qualiter ab ipsis vel a ministrantibus eis agatur.

Infirmi fratres, ut missi fuerint in domum infirmorum pro sua ægritudine, ad nocturnale obsequium, mox ut signum sonuerit, surgant et ipsi, veniantque in oratorium Sanctæ Mariæ, faciant orationem, prout Dominus melius dederit, residentibus demum in loco suo. Dumque iterum pulsatur signum, muniant se signo sanctæ crucis, et incipiant canticum graduum. Illi fratres, qui non valent surgere, eant famuli servientes eis et educant illos sustentantes ulnis suis in ecclesia, atque collocent, ut melius potuerint. Ingratum nulli apparere debet hoc factum; quia sæpe vidimus in eodem die fratrem finire ex hac luce, et ad Christum transire, A etiam in ipsa ecclesia exhalare spiritum. Quis de talibus dubitet, quod non statim ad regna polorum penetrent? Divina opera dulcia sunt volentibus, amara videntur nolentibus. Ita debent opus Dei per omnia agere, sicut illi [sani] in monasterio: præter quod leniter atque cursim dicant: intervallum non agant: *Deus auribus* dimittant: expleto opere Dei revertantur in dormitorium. Illi vero, qui ita nimietate infirmitatis detinentur quod nullo modo consurgere valeant, mox ut in monasterio fuerint celebrata nocturnalia obsequia, annuat ille, qui ordinem tenet, duobus fratribus qui illis divinum opus decantent. Surgentibus vero illis ut supra ex lectulis suis, luce diei appparente, vel orto jam sole lavent manus atque facies suas, et conveniant in oratorium Sanctæ Mariæ, B et audiant missam ab illis sacerdotibus, qui illic primum mane ibi conveniunt: at ubi non adsunt, veniat frater, qui sollicitus est super eos in claustro, et annuat fratri quem ipse velit, exeant, et dicat [ille missam], et qui communicare vult, faciat. Nullo quippe tempore præterire debent quod ipsi infirmi sacrum per singulos dies non audiant. Legere autem aut missas canere nulli ex ipsis liceat facere, quandiu illic fuerint, præter psalmos memoriter aut psalterium si voluerint.

Ante tertiam habeat omnia præparata custos ipsorum, cum suis famulis, unicuique mensulam longitudine trium pedum, latitudine unius, et semi: ponere quippe debet per unumquemque desuper C linteolum, justitiam vini, et panis libram. In monasterio dum signum pulsantur hora tertia, conveniant in basilica gloriosæ Virginis Mariæ, et debitum impensum solvant. Exeuntes inde qui vult comedere aliquid quasi loco mixti, faciat, et si velint possuntque agere sextam insimul et edere priusquam sonetur. Et quando exspectant ad sextam, mox ut pulsaverit signum, accedant et ipsi ad horam. Exeuntes veniant atque manus suas lavent, et eant epulari. Versum ad mensam dicere debent sicut in refectorio per unamquamque ministrationem, ut data eis fuerit, semper benedicant. Ipsorum procurator quot vicibus cum scutellulis intraverit januam; tot vicibus *Benedicite* semper dicat, aliis respondentibus *Dominus*; cum omni gratulatione atque dilectione. D Versum post cibum ibi dicant. Omnes namque horas in ecclesia canere debent. Quidquid remanserit, ad cellerarium reddatur, præter illa, quæ famulis sibi servientibus ex carnibus vel pulmentis danda sunt ab illo fratre qui huic officio præest. Infirmis fratribus non pertinet eis quidquam dare. Eleemosynarius vero illis diebus, quibus ex refectorio recipit panem et vinum, ita et ex hac mansione accipiat.

Quidquid infirmi petierint, eis dandum est: etiamsi emere opus sit. Regula namque præcipit (cap. 36) ante omnia et super omnia adhibendam infirmis esse curam ac sollicitudinem. In ipsis quippe cellulis habeat procurator frater omnia, quæcunque illis

necessaria fuerint: videlicet, utensilia, bacciles manuales, situlæ vinariæ atque aquariæ, caldariæ. cremium (81) ad minora agenda. Scutellulæ, justitiæ illorum suis scyphulis. Quando fratres se radunt, ipsi uno die ante se radant Si aliquis ex ipsis exiturus est in crastino cum senioribus, faciat. Sabbatorum vero diebus vesperam habeant famuli aquam calidam, ut ipsis infirmis pedes lavent. Quotquot e fratribus exituri (82) fuerint, ibi faciant suam necessitatem. Famuli ipsius loci folia præparent, tamen in uno angulo cum magna cautela, et quando calefactoria (83) facturi sunt, famuli cellerarii præparata folia habeant.

Undecumque revertitur domnus abbas debet ibidem venire, et inquirere unumquemque, quot habeat sive morum animæ sive corporis valetudines; vel si aliquid necessitatis aut negligentiæ a servitoribus vel a cellerariis patiantur. Et ut inspiciat si aliquis ex iis bene convaluerit cui licentiam det redeundi in claustrum; quia sine jussione nullus nec egreditur, nec ingreditur. Similiter faciat prior, vel ille qui ordinem tenet. Ille enim frater, qui in claustrum revertitur agat ita : mox ut signum primæ vel secundæ horæ pulsaverit, infantibus in primis transeuntibus tunc veniat ille post eos in choro in loco suo, et faciat omnia ut alii. In capitulo mox ut dixerit ex nostro ordine *Reminiscimini*, surgat ille, faciat satisfactionem et accuset se de suis negligentiis. Tunc absolvat eum domnus abbas et jubeat ei decantare septem psalmos, vel solummodo *Miserere mei, Deus,* loco pœnitentiæ, procidat quippe ille ad ejus vestigia, dein veniat in loco, ubi prius steterit, et inclinet se iterum abbati : ex tunc inclinet hinc et inde contra seniores, imprimis choro abbatis, eademque et ipsi faciant. Jubente abbate eat sedere in loco suo. Cum pueri in ipsa domo conducti fuerint, tunc suscipiat unus ex ipsis senioribus qui ibi sunt illorum custodiam, qui sua providere sciat et aliena non negligere. Horis namque competentibus quibus aliis cum laterna procedere mos est, similiter et ipsi faciant : prope luminaria jaceant, non juxta se. Exinde exeuntes pro hoc satisfactionem non faciunt ad majus capitulum nec ad suum. Majores fratres qui carnem ibi non edunt, baculum gestare manibus minime debent : satisfactio in capitulo illis non conceditur.

Procurator frater cum aliis in dormitorio quiescere debet famulis. Qui in hoc obsequio deputati sunt illis horis, quibus seniores in claustro sedent sine conductore ex monachis transire nequaquam permittitur. Discalceati nullis horis incedere debent. Ante luminaria jaceant in humo, qui ipsum lumen semper procurent reviviscere. Exeuntes completorio aquam benedictam ipsi ægri quotidie accipiant, quam ibi ante januam præparatam inveniant. Et illorum custodes singulorum lectis aquam benedictam aspergant laternam secum ferentes; postquam omnes jam requiescunt perspicere debent qualiter unusquisque agat. Candela igitur per unamquamque ex ipsis cellulis ardeat usque mane; vel sic coaptentur in illis cellulis quæ viciniores sunt, ut posita luminaria in fenestrulis parietis ambæ illuminentur ; si minus unde lumen accendatur, habuerint, aut inveniri minime possit, ut per singula ardeat.

CAPUT LIII.

Infirmos fratres sic debent visere sodes [*sodales*].

Multas superius causas prætermisimus, quas nunc inserere dignum ducimus. Si aliquis frater de claustro voluerit infirmum aliquem visitare, requirat a priore licentiam, sine qua nullatenus debet intrare : cumque licentiam habuerit incipiat psalmum, *Domine, ne in furore tuo* primum, ipsumque dicat in itinere ; post psalmum dicat, *Pater noster. Salvum fac servum tuum. Mitte ei, Domine.* Oratio : *Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna.* Cum pervenit ad infirmum dicat, *Benedicite.* Deinde interroget eum de infirmitate sua qualiter laboret, et qualem patientiam habeat, et bonam exercitationem adhibeat. De corporalibus vero nihil interroget. Si autem frater infirmus de aliqua necessitate complanxerit, ad priorem veniens dicat : Per vestram licentiam ad infirmum illum veni, sed de talibus rebus querimoniam audivi. Ad priorem autem pertinet de talibus si visum fuerit providentiam habere.

Item. Frater vero qui pro sua infirmitate mittitur in infirmorum domo et ibi dormierit atque comederit, carnem tamen non ederit, si voluerit pergere in ecclesiam, potest transire per conventum fratrum, si tempus loquendi fuerit in claustro ; ipse tamen dum veniens *Benedicite* dicat, et exeat. Sedendi aut colloquendi non est ei licitum ; nec non ad capitulum vel collationem introeundi. Interim ille frater qui usque ad diem sui exitus manserit ibi, et quidquid regulariter potest, explet illud : si ei aptum visum fuerit sedere in claustro, liceat ei, etiam et ad capitulum atque collationem venire ; per usum tamen non exquiritur ab illo, si defuerit. Verum ipse si perspiciat undique ; quia de omnibus bonis, quæ possumus adimplere, et non facimus, Deo rationem reddituri sumus, etiam ex cogitationibus, quanto magis factis. Claudi vel senes, qui inhonestant conventum aut debiles sunt, in ipsis cellulis maneant, dormiant, edant, atque opus Dei audiant, et quidquid eis opus fuerit, ibi agant. Frater illarum cellularum provisor cum suis famulis curam super eos de omnibus exerceat quod illis opus est, ut non indigeant.

CAPUT LIV.

Qualiter agendum est quando ingreditur congregatio ad visitandum infirmum.

Prior namque ante capitulum inspiciat ipsum infirmum et interroget si velit accipere corpus Domini

(81) *Cremium* a *cremare*, siccamentum lignorum.
(82) Legendum *exituri*, ut nos restituimus, non *exusti*, ut perperam in mss. legitur.
(83) *Calefactoria facere*, certum balnei genus, quo herbæ in aqua coquebantur.

aut ex oleo sancto ungi: tunc infirmus patefaciat suam voluntatem, et confessionem agat cum abbate vel priore. Veniente capitulo post sermonem factum studeat indicare congregationi infirmi desiderium, dicatque: Nobis rectum videtur, ut eamus insimul gratia invisendi. Congregatio itaque ex vero affectu et dilectione respondeat: Postquam vestra voluntas est a nobis cum gratiarum actione hæc jussa ex fratris amore et vestra præceptione libenter excipimus.

Surgentes e capitulo eant in oratorium Sanctæ Mariæ canendo quinque psalmos pro defunctis. Exeuntes, prior sonet tabulam (si tempus fuerit loquendi in claustro absque morali [longo] colloquio, quousque ex illo redierint. Venientibus in choro eat sacerdos induere albam, et stolam supponat. Tunc sint quatuor conversi, quorum unus accipiat aquam sanctam, alius crucem, tertius thuribulum, quartus oleum sacrum. Abbas namque imponat psalmum, *Miserere mei Deus*, sicque per ordinem incedant. In primis aqua sancta et crux, et tunc subsequantur incensum atque vas cum oleo. Deinde sacerdos post illos, ex hinc infantes, et tunc domnus abbas: alii veniant bini ac bini sicut sunt priores. Cumque ibi fuerint primum dicat sacerdos *Pax huic domui*. Resp. cæteri: *Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.* Tunc faciat incensum et aquam sanctam. Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatum apostolum tuum dixisti.*

Post hanc orationem omnis congregatio psalmos hos decantent. Videlicet septem speciales cum Antiph. sequentibus per unumquemque sicuti in collectario sunt insertæ, et moderate omnia quæ dicturi sunt, dicant, ut sacerdos cuncta quæ debet agere tranquille explere queat; astantibus per ordinem quemadmodum in choro. Infantes cum magistris ita maneant veluti mos est ad processionem pro rege as are. Sacerdos autem incipiat ungere infirmum imprimis visum, sive cæteros sensus corporis, et dicat repetendo per unumquemque, *Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum.* Peruncto denique infirmo lavet presbyter manus suas, et tunc procurator infirmi accipiat ipsam ablutionem, et in ignem projiciat, et dein tollat vas et lavet os infirmi et mittat in infusorio ecclesiæ aut in focum.

Dum hæc patrantur sacerdos cum quatuor conversis pergat in ecclesiam, et tollat inde corpus Domini et calicem desuper opertum mappula et duo conversi accipiant candelabra, tertius thuribulum et quartus ampullam cum vino et tunc veniant hos psalmos decantando, *Miserere mei, Deus. Deus in nomine tuo; Deus misereatur; Deus in adjutorium.* Cum domum intrare cœperint omnes flectant genua contra Dominicum corpus, etiam ipse infirmus in quantum se valet erigere, et tunc communicet eum, ac profundat digitum suum cum vino. Psalmos denique expletos, dicant *Kyrie eleison; Pater noster.*

A Capitula: *Ostende nobis; Mitte ei.* etc. Post hæc osculetur isdem infirmus crucem atque omnes fratres, etiam infantes. His expletis incipiat abbas psalmum *Miserere mei, Deus*, et sic omnes cum silentio recedant.

CAPUT LV.

Item alius ordo ad infirmum ungendum.

Si quis frater constrictus fuerit ab infirmitate, ut necesse sit oleo sancto perungi, debet custos infirmorum hoc intimare abbati vel priori, si abbas non adest. Quod si viderit prior necesse esse dicat in conventu fratrum. Ille vero infirmus si tantam virtutem habuerit ut ambulare possit, ab uno videlicet, sive a duobus fratribus sustentatus, debet venire in capitulum et prostratus coram abbate et omnibus B fratribus petat veniam de omnibus negligentiis et peccatis quæ commisit, et data absolutione prosternat se abbas et omnes fratres coram illo fratre petentes veniam, si quid delicti contra illum commiserunt, ut ille frater similiter absolutionem ad illos faciat. Qua data frater ille absolutione revertatur ad lectum suum: fratres vero cum exierint de capitulo pergant simul omnes in majorem ecclesiam, si tempus loquendi in claustro non fuerit, cantando psalmos qui post capitulum dicendi sunt; introducant et psalmos in choro, et revestiat se sacerdos hebdomadarius in alba stolam habens ad collum; secretarius præparet urceolum cum aqua benedicta, et crucem, et duo candelabra, et ampullam cum oleo sancto, et pergant ita omnes pariter ad infirmum C visitandum sive inungendum, cantando psalmum, *Miserere mei, Deus*, quo expleto dicat, *Kyrie eleison*, etc.

CAPUT LVI.

Qualiter ad exitum animæ agatur.

Mox ut anima ad exitum propinquare visa fuerit, communicandus est homo ipse corpore et sanguine Domini, etiamsi ipsa die comederit, quia ipsa communio est ei ad adjutorium contra diabolum et insidias ejus. Si autem quiddam supervixerit legendæ sunt passiones, agatur litania ab omnibus, pro ipsa anima. Decantantur psalmi, et celebrentur orationes intente, et famuli die noctuque custodiant eum et aspiciatur sine intermissione tam ab ipsis quam a fratre qui super ipsos procurator est. Dum viderint D eum jam prope exitum esse, levent eum de stratu in quo jacet, et habeant coaptatum antea in humo lectum et positum sagum cilicinum et cinis desuper missa sit. Tunc accipiant ægrum et ibi collocent prout melius potuerint: *Quia filius Christiani non debet migrare nisi in cinere et cilicio*, sicut jam in multis exemplis sanctorum experti sumus.

Cum vero jam anima viam universæ carnis ingreditur, et in extremis sicut consuetudo est) tabula sonuerit, quocunque locorum fratres audierint, statim debent incipere, *Credo in unum Deum*, et illuc cum omni festinatione venire sive in dormitorio, sive in refectorio fuerint. Si vero regularis hora jam cantatur in ecclesia, quos domnus abbas, vel

qui ordinem tenet illuc ire jusserit, illi veniant; reliqui cum infantibus in choro, donec consummetur illud ministerium remaneant. Si vero in refectorio fuerint omnes pariter veniant. Omnibus autem illuc venientibus cum Nicænæ synodi fide,id est *Credo in unum Deum*, ibi pariter constituti fideliter decantaverint : si adhuc supervixerit psalterium incipiant donec anima de corpore fuerit separata.Tunc simul signa pulsentur et officium mortuorum agatur,post officium dicant vesperum et quinque psalmos. Cum omnia quæ ad lavandum corpus necessaria sunt præparata, tunc separentur in una parte fratres cum infantibus præter illos, qui corpus lavare debent, et in feretro mittere Cum fuerit lavatum induant eum staminia, dein sudarium, et cuculla, et super crura ejus induant calciamenta, femoralia nequaquam : brachia ejus super pectus collocentur, dein linteum sternant et pallium supponant. Debet ibi esse sacerdos cum stola sine alba, duo candelabra, crucifixum, thuribulum, aqua sancta. Tam ipsi qui hoc officium faciunt, quam illi qui lavant dicere officium mortuorum debent ibi et orationes, *Inclina, Domine.* Ad vesperas solummodo hæc oratio, *Præsta, Domine; Verba mea* videlicet et quinque psalmos, collecta, *Absolve, Domine*. Quod si amplius perstiterint, imponent hos psalmos, *Deus auribus; Deus, venerunt gentes; Deus ultionum*, et alios qui sequuntur, vel psalterium inchoetur.

Cum peracta omnia fuerint pulsetur tabula, dicatur ab abbate vel sacerdote hebdomadario. *Pater noster*, etc., sicut in collectario continentur. Cunctis fratribus cum cruce et aqua benedicta, thuribulo, vel candelabris præcedentibus, et hoc resp. imponentibus, *Subvenite*, signisque sonantibus ad ecclesiam primum S. Mariæ posito feretro, altare aromatizet. Responsorio finito dicantur preces, *A porta inferi. Dominus vobiscum*, pro illo singulariter Orat *Deus, veniæ largitor*.Deinde aliud resp. imponentes, *Heu! mihi Domine*, et deferatur corpus in monasterium, interim signis pulsantibus donec in loco ubi constitutum est collocetur. Ponatur a capite crucifixus, hinc et inde candelabra quousque ibi permanserit corpus. Tunc si de refectorio ad ista revocati fuerant et illum ordinem non perfecerant in quocunque loco dimiserant, ibi incipiant, donec finiatur lectio; dictoque versu ad ecclesiam revertantur.

Quandiu dies est juxta corpus debent sedere omnes et psalmos dicere, præter illos qui in talibus rebus occupati sunt, quas omnino dimittere non possunt.Armarius autem debet in tabula nominatim fratres mittere qui primam vigiliam faciant, et secundam, et ita sicut noctis est longitudo temperare, aut ut in singulis vigiliis dicant psalterium cum officio mortuorum et matutina ipsorum,et vesperas et quinque psalmos post officium. Post matutinas vero laudes si fratres exierint, quibus prior jusserit, ibi remaneant, et ipsam ibi, quam alii in capella dicunt psalmodiam, cantent. Postea vero

A magistri cum infantibus quidquid noctis superest, vigiliam faciant donec alii possint fratres occurrere. Quicunque possunt missas dicere, faciant, et ad corpus iterum revertantur. Missa vero matutinalis pro ipsa anima solemniter celebretur in choro : pulsentur signa, quatuor pueri sint vestiti, unus in choro cum cappa, alius ad lectionem sit in casula. Lectio sine casula proferatur, duo alii in albis ad responsorium canendum. Diaconus in casula evangelium recitet Duo conversi candelabra, tertius thuribulum deferat. Sacerdos unam collectam dicat tantum. *Omnip. semp. qui nunquam sine spe.* Ad offerendam omnes conveniant; post iterum psalmodia dicatur.Post missam vero majorem sepeliendum est corpus; nisi res talis evenerit, quod tandiu B reservari non possit.

Missa majore completa prior signum tribus vicibus sonet, ut omnes conveniant, et candelas a secretario suscipiant et obsequium mortuorum faciant et circum feretrum omnes stent Illi namque fratres qui in domo infirmorum positi sunt et surgere potuerint e lectulis (veniat procurator illorum, accipiat cereos a secretario, et tribuat eis in oratorio sanctæ Mariæ)stant ibi quousque seniores remeaverint inde. Infantes ex una parte cum magistris sicut ad processionem facies suas contra orientem [*supp.* vertant].

Duo fratres videlicet armarius, et unus ex aliis veniant et stent juxta defunctum conclamantes,*Kyrie eleison*. Sacerdos qui hebdomadarius est sit ve- C stitus alba cum stola, et dicat orat : *Non intres in judicium*. Peracta accipiat thuribulum et incenset altare majus tantum et corpus. Illi duo ut supra incipiant resp.*Heu! mihi*, dein *Kyrie eleison*.Sacerdos, oratione facta, *Quæsumus*, denuo aromatizet altare et defunctum, duo ut supra fratres aliud resp [dicant] Sacerdos orat. *Inclina* et incenset aram et feretrum. Deinde levetur corpus de ecclesia,pulsentur signa. Antiph. *In Paradisum*, procedant omnes per ordinem.

Cum ad sepulturam venerint fratribus in circuitu stantibus sicut in choro, et in medio collocatis infantibus, sicut mos est stare ad processionem ec- D clesiæ, sacerdos cum incenso et aqua benedicta, vel omni processione super fossam debet stare; psalmos fratribus canentibus ipse debet et collectas dicere. Cum vero post canticum Benedictus antiphona fuerit dicta, sacerdos pronuntiet omnibus audientibus, *Pater noster*. Qua oratione finita, dicet preces solitas pro defunctis et orat. *Tibi, Domine, commendamus*. Tunc debent dimittere signa et extinguere cereos et prior incipiat, *Miserere mei, Deus*, pro animabus quæ ibi requiescunt : iterum dicat sacerdos : *Pater noster*; postea orationem, *Deus cujus miseratione*.

Iterum priore incipiente dicant septem psalmos in choro prostrati. Si ante lucem frater obierit ipsa die mittatur in terram, servata quæ supra dicta est omni consuetudine. Omnes etiam decani, vel fratres

alii qui infra unum aut duas leucas fuerint, cum omni charitate debent occurrere, et ad vigilias vel ad sepulturam adjuvare, et nullum in monasterio vel in refectorio, vel in infirmorum domo nisi infantes, aut graviori infirmitate detenti antequam corpus sepeliatur vel cibum debet sumere, aut fores debet exire.

Si sacerdos fuerit, sacerdotes debent corpus abluere, et totum funus providere, ad ecclesiam portare et in terram mittere. Si levita fuerit, levitæ. Si laicus, laici. Si contigit ut de pueris monasterii moriantur, debet fieri per omnia sicut de majoribus fratribus. De ipsis infantibus lavent atque in feretrum collocent, et in ecclesiam deportent, et postmodum tempore constituto ad fossam deferant, sive in terram mittant. Post capitulum tabula pulsata nullus loquatur in claustro, sed omnes eant ad corpus, præter illos qui in variis officiis fuerint occupati. Quandiu est corpus fratris defuncti super terram, nullus loquatur in claustro. Ipso die non tenent pueri capitulum, et eleemosynarius accipiat quidquid remanserit de refectorio, panem et vinum. Si ante lucem vel ante capitulum migraverit, debet eum domnus abbas absolvere post sermonem factum; si postea, fiat in crastinum. Armarius in tabella scribat sex fratres nominatim, quique ad trigesimum diem sine intermissione quotidie offerant Deo sacras hostias pro illa anima. Unusquisque ut expleverit quinque, faciat semper in capitulo notum, ut alius succedat.

Voce mea, post horas cantabitur a fratribus, et *Verba mea*, post matutinum omnium sanctorum, et *Deus auribus nostris*. Usque ad tricesimum diem quotidie justitiam panis et vini, et totius stipendii eleemosynarius accipiat. Breves pro ipsa anima armarius faciat, et cellararius per priores et decanos faciat nuntiari, ut et ipsi per cæteros transmittant tam per sua subjectanea loca quam et in nostris orationibus commissis abbatibus vel cœnobiis. Vestimenta autem ejus deferantur ad famulos abluenda; de his autem qui lavator fuerit, unum denarium accipiat. Dum fuerint nitidata camerario reddantur, et ipse in capitulum deferat omne, quidquid super lectulis fuerit, quæ per singula non est opus dinumerare, sed ut usque ad minimam perveniamus, etiam acus deportetur, quanto magis alia? Libros autem si habet, in armario ponantur et unusquisque secundum quod accipit de illa re et ei præcipitur, faciat pro hoc munusculo [*Supp.* preces pro anima defuncti].

Si obierit frater post missam majorem et omnino servari non possit in crastino, ipso die tumulandus est; quia necessitas permittit. In crastino autem missam matutinalem solemniter pro ipso agant, ut mos est in officio pleno. Si cui autem per somnium ipse defunctus apparuerit in crastino, cum satisfactione ipsam causam notam faciat: quia de hoc

A S. Aug. ait: Quia non derelinquit eum suus angelus quandiu eum potuerit adjuvare. Illi, qui ei noti fuerant, vel sui consanguinei pro illius intercessione atque saluberrima missa offerant Deo sacræ immolationis hostiam vel eleemosynæ condonatione legationem; pro quibus Dominus procul dubio propitiabitur ei (nisi tam gravis commissa culpa sit, ut orandum non sit pro eo. Sic B. Joannes dicit, ut non oretur pro impiis defunctis, quod absit ut ex nostro ordine aliquibus contingat!) tum debet eum absolvere domnus abbas, vel ille qui ordinem tenuerit, illo tempore si abbas defuerit, et jubere ut omnes sacerdotes agant pro eo missam, alii fratres qui non valent, faciant adjumentum de psalmodiis sicut imperatum eis fuerit.

B

CAPUT LVII.

Extra locum fratris defuncti cernitur usus.

Cum aliquis frater nostræ congregationis in alio loco fin erit, statim quando nuntius venerit debet prior sonare tabulam, si talis hora fuerit, qua convenire possint. Si postquam prima fuerit incæpta venerit, dicta prima et matutinali missa ad capitulum venientibus omnibus ibi nuntiatur, et cum inde surrexerint statim officium pro defuncto pulsantibus signis faciant. Si ad refectorium ituri sunt et antequam squilla sonet, prior breve acceperit, antequam manducent pulsata tabula officium faciant. Si post cibum venerit et meridiana non sunt agenda fratribus, statim fiat, et servitoribus ut remaneant licentiam donet. Si vero meridianam debent agere,
C et post nonam pulsata fuerit tabula, dicto versu officium fit, et qui ipsa die post vesperas officium solent agere, remaneat, si alter nuntius non veniat, sed si ante nonam factum fuerit propter hoc quod solitum est non remanebit.

CAPUT LVIII.

Talis in requie fratrum celebrabitur usus.

Si aliquis ex monachis qui subjacent nostris locis defungitur, et tam longe positi sunt, quod ad monasterium omnino deferri non valent, tunc illi fratres, qui in ipso loco consistunt, faciant per omnia sicuti in monasterio majori noviter defunctis usus est agere, et cum legatus ad cœnobium devenerit faciant pro eo plenum officium septem diebus; signa
D non sonabantur nisi in illo qui in primis celebratur, et triginta diebus detur justitia; nec non et *Voce mea*, et quinque psalmi cantentur pro illo, et in regula atque in libro vitæ (84) scribantur. Similiter debent agere omnibus locis respicientibus ad nos. Et si in illo loco sacerdotes tanti non habentur, ubi ille frater defunctus fuerit qui missam impleant triginta dierum, monasteriales fratres faciant.

Item de illis monachis qui habent factam professionem in ipso loco ubi degunt. Nullus e fratribus debet ire ad confitendum ei sua facinora, nec ad illum laicum sive clericum. Cucullam transmutare debet, et qualicunque die evocatus fuerit de erga-

(84) Idem quod alias Necrologium fuit dictum, seu liber, in quo nomina defunctorum notabantur.

stulo carnis, unum officium efficiant pro eo, nisi A abbati visum fuerit propter misericordiam plus jubere. Similiter de monachis qui de foris veniunt ex alio monasterio pro aliqua legatione vel sua necessitudine, quamvis nostram societatem habuerint, nullus debet prodere dilecta sua eis : quia sæpe evenit ut plurima destructio fiat in ipso loco. Etiam in capitulum non sunt pergendi [admittendi], nisi abbas jusserit, vel prior, si abbas non adest. In claustro juvenes qui sub custodia sunt vel novitii fratres nullum colloquium habere debent cum illo.

Ex illis namque monachis, qui in nostris societatibus sunt suscepti, cum legatus advenerit in cœnobium, tandiu proteletur quousque in capitulo fuerit nuntiatum die crastino, et tunc absolvat eum domnus abbas ab omni vinculo delictorum, vel prior, si B abbas non est. Surgentibus in capitulo eant in ecclesiam, mox, ut fuerint dicti psalmi pro defunctis. Sonentur omnia signa, et dicantur pro eo quinque psalmi et finiant. Pro abbate vero totum plenum officium efficiant,

In anniversario si cappa fuerit in choro, et tria candelabra ante altare, et diaconus et subdiaconus casulas habeant, qualiscunque frater fuerit, sic habebunt generalem et ad potionem pulsabitur squilla.

Æger extra monasterium accipiens habitum, et si ibi finierit, nihil agendum est pro eo a fratribus, nisi tantummodo corpus ejus in cœmeterio fratrum condiendum, vel in tali loco disponendum, ubi talis defunctus mittatur, nullo modo in populari cœme- C terio ponatur. Nam si in domo infirmorum deportatus fuerit, et ibi finierit, tunc agantur pro eo omnia sicuti de alio fratre, etiam *Voce mea* pro eo canatur.

Item cum nuntius de quolibet defuncto fratre professo venerit, statim pulsetur tabula, et eant in ecclesiam, pulsentur cuncta signa et agatur officium mortuorum. Tres candelæ sint ante altare ipsa hora ad primam missam, quam pro eo cantaturi sunt, sit unus infans in choro cum cappa. Dictis psalmis familiaribus et *Benedicamus Domino*, statim pulsentur omnia signa . alii duo pueri ante altare albis vestibus induti dicant resp. Diaconus et subdiaconus in casula, et tres conversi quorum duo candelabra, tertius thuribulum.

Quando obierit aliquis de parentibus monachi D ipsius loci, pater, aut mater, vel soror, et ei nuntiatum fuerit, in crastino satisfactionem faciat. Interrogatus vero, *Quid petitis ?* Ille respondeat : *Domini misericordiam mercedem vestram precor*. Tunc surgat et absolvat prior ipsum defunctum, et frater procidat ad vestigia ejus. Debet jubere abbas vel prior, si abbas non est, ut omnes dicant quinquaginta psalmos : qui non scit psalmos cum solo *Miserere mei, Deus*, potest ea adimplere, et qui tam insciolus est, faciat cum *Pater noster*.

In anniversario eorum, ipse frater, cujus parentes sunt, quando invenerit sacerdotes tantummodo roget privatim, ut orent pro eis.

CAPUT LIX.

De pleno officio quando celebraturi sunt, hoc modo agendum est.

Ad vigilias pulsatis cunctis signis tria candelabra ponantur ante altare et ad missam. Ad matutinalem missam denuo pulsentur omnia signa. Sint quatuor infantes revestiti : unus in choro cum cappa, alius legat epistolam cum casula. Ad *Kyrie eleison* exuatur ; lecta epistola rursum induat, et stet in choro in loco suo usque dum finiatur missa. Duo vero in albis ut cantent resp. et tres conversi, duo ad candelabra et tertius ad thuribulum deferendum per chorum, in primis ad infantem qui in choro stat propter officium, deinde per omnes fratres. Diaconus in casula ad evangelium legendum . perlectum evangelium infans deferat per omnes qui in choro stant. Sacerdos imprimis dicat collectam illius, pro quo officium dicitur : deinde alias orationes quæ consuetæ sunt. In ipso die debent fratres habere in refectorio terna pulmenta ad edendum qualiscunque dies fuerit, et potio propinetur per omnes fratres cum sonitu squillæ.

CAPUT LX.

Pro abbate ipsius loci.

Ad vesperas post commemorationem sanctorum pulsentur omnia signa, et cantentur vesperæ mortuorum, quinque candelabra sint ante altare in ipsa hora, et tam ad vigilias quam ad missam. Officium quale feriatis diebus evenerit. Resp. *Si ambulem*, a duobus infantibus in albis vestitis decantetur. Tract. *De profundis*, a duobus fratribus in albis · reliqua alia omnia, ut supra positum est, sic celebrentur.

In anniversaria imperatorum officium. *Ne tradas bestiis*. Resp. *Si ambulem in medio*. Tract. *Commovisti*. Offert. *Erue, Domine*. Comm. *Ego sum resurrectio*

Si occurrerint fratres alicui corpori defuncti in eundo, hos psalmos decantent, *Miserere, Deus, in nomine tuo Miserere mei, Deus, miserere mei*, etc., usque in finem psalterii ; si tantum perstiterint. Per ordines eant, juniores antea, priores posterius. Cum pervenerent ad ipsum corpus, incensetur et aspergatur aqua benedicta et pronuntiet prior, *Pater noster* Cap. *A porta inferi*. Orat *Absolve*. Expleta imponant resp. *Subvenite, sancti Dei*, et sic deportetur in ecclesiam. Finito resp. eant in claustrum ad efferendum ad sepulturam : dum dixerit sacerdos orat. *Non intres in judicium*, sint omnes inclinati.

CAPUT LXI.

De officiis defunctorum qualiter definiendi sint (85).

A Kalendis Novembris usque Septuagesimam si anniversarium abbatis loci ipsius evenerit, ad vesperas post peracta suffragia sanctorum pulsentur

(85) Sub hoc titulo hic versus habetur :
Justitiatus erat, cum scripserat ista Joannes,
eadem manu.

cuncta signa, tum vesperæ mortuorum : dehinc ad processionem eant cum vespera omnium sanctorum. In crastino post nocturnale obsequium denuo pulsentur signa et officium mortuorum peragant. Ad missam eadem faciant. Pro nullis aliis cantatur tractus apud nos, nisi pro horum nominibus, quæ in præsenti patescimus ; pro abbate ipsius loci, pro rege atque regina, episcopo ipso die e carne evulso, et loci ipsius factore, et quatuor officia plena quæ præsignata jam habemus. Ex nuncupato jam abbate qualicunque feria evenerit generalem et pietantiam habeant in refectorio fratres, etiam et potionem cum sonitu squillæ : tabulæ non cooperiantur. A Septuagesima usque Kalendas Novembris, si hoc evenerit non pulsentur signa, nisi tantum ad officium mortuorum quod fit in vespere, et ad missam in crastino. In anniversario defuncti non prius est celebrandra missa, quam officium, si studeamus hunc modum illi impertire, quem vult adipisci, videlicet a festis omnium sanctorum usque Septuagesimam quando vigilia mortuorum noctibus agitur, potest v. g. si hodie duodecim lectiones fiunt, in crastino post nocturnale obsequium agi mortuorum vigilia. Denique et missam ex ipsorum anniversario celebrant matutinalem. Nam Septuagesimæ tempore usque sanctorum omnium festa quo fit vigilia post synaxim vespertinam v g Si hodie duodecim aguntur lectiones, in crastino ex ipso anniversario missam celebrare secundum ritum non possumus nisi adveniente die sequenti : ex hoc quæ cupimus, omnia valemus efficere. Similiterque mortuorum matutinæ sive dicantur, sive... et sic in alio die pro eis celebrari cum antiphonis potest

Solent vero nonnulli interrogare si liceat quotidie orare, aut sacrificium Deo offerre pro mortuis? Quibus respondetur : quia plerique in Dominicis diebus sacrificium pro mortuis non offerunt propter singularem reverentiam Dominicæ resurrectionis; videlicet quia ille solus inter mortuos liber fuit : ideo valde condecet, ut ejus singularis resurrectio venerabiliter ab omnibus et sine alicujus admistione defuncti celebretur.

CAPUT LXII.

De episcopis defunctis qualiter excipiantur in cœnobio.

Quando aliquis episcopus migraverit, et ad monasterium fuerit portandus, omnes fratres debent esse in cappis revestiti, infantes in albis : inchoet prior, *Miserere mei, Deus*, etc., et eant extra portam cum phanonibus, famulis portantibus, duabus crucibus, quatuor candelabris, thuribulis duobus, et aqua sancta. Cum venerint ubi constitutum fuerit stent per ordinem sicut ad processionem, et canent hos psalmos, *Ad Dominum cum tribularer*, usque ad *Laudate Dominum de cœlis*, si tantum perstiterint. Sed mox ut venerit corpus defuncti dimittant psalmos, et dicat sacerdos, *Pater noster. Et ne nos.* Cap. *Non intres in judicium*, etc., et deposito corpore incensetur ac inchoetur resp. *Subvenite.* Pulsantibus cunctis signis usque dum sit in ecclesia depositum feretrum, septem candelabra tam ad caput quam ad pedes ponantur. Tunc incensetur alia vice : deinde celebretur pro eo missa cum pleno officio, offerentibus omnibus. Expleta missa sonetur signum unum quod majus est tres vices, et dentur cerei per omnes ; incipiant duo fratres : *Kyrie eleison.* Dom. Abbas dicat, *Oremus. Non intres.* Deinde incenset altare tribus vicibus, corpus defuncti similiter. Hoc peracto sonentur omnia signa. Deinde antiphona, *In paradisum.* Debet esse omnis processio sicut supra, excepto phanone : reliqua omnia quæ faciendum sunt, faciant sicut mos est ad defunctum monachum faciendum.

CAPUT LXIII.

De laicis defunctis qualiter agatur.

Quando aliquis laicus obierit et ad monasterium defertur, omnes fratres in ecclesia obvient, et accipiant conversi candelabra, aquam sanctam, incensum, et crucem : inchoet prior in choro psalmum, *Miserere mei, Deus*, et alios, et eant contra defunctum in obviam. Dicat prior *Pater noster*, etc., ut supra. Tunc sonentur signa et ingrediantur in ecclesiam : sacerdos sit in alba revestitus cum stola. Duo fratres inchoent, *Kyrie eleison.* Sacerdos dicat orat. Tunc incenset altare sanctæ Crucis et corpus defuncti tribus vicibus : hoc peracto incipiat antiph. *In paradisum*, et eant ad cœmeterium sic per ordinem : aqua sancta antea, deinde crux, subsequatur incensum cum duobus candelabris : infantes et conversi : cæteri incedant sicut sunt priores : deinde feretrum post omnes. Psalmis expletis et antiphona, quæ est in Evangelio, *Absolve.* Tunc pronuntiet sacerdos, *Pater noster. Et ne nos.* Cap. *A porta inferi*, etc. Revertentibus cunctis cantatur septem psalmi, usque dum sint in ecclesia, et pergat unusquisque ad officia sua. Nec debent loqui in claustro, usque dum exeant infantes, et dicant *Benedicite*, si tempus fuerit loquendi. Si quis autem ex mediocribus exspiraverit eant, quanti prior jusserit. Infantes nihil peragunt in hac hora. De conversis pergant quanti necesse sunt, ut portent omnia, quæ hic congrua sunt : de reliquo faciant sicut supra.

CAPUT LXIV.

De officiis plenis quæ fieri debent propter parentes monachorum, sive pro familiaribus nostris ter in anno.

In capite Quadragesimæ sive pridie Nonas Julii, seu tertio die post festivitatem apostolorum Petri et Pauli, vel Sanctorum Omnium tertio die, hoc modo scribantur in Martyrologio in fronte paginæ. *II Nonas Julii officium plenum fiat diebus septem pro cunctis familiaribus nostris, sicuti fieri mos est pro fratribus noviter defunctis ; et una justitia detur triginta diebus.*

Pro imperatore, qui dignus fuerit, ita scribatur : *Tertio Idus Julii depositio domni Henrici imperatoris Aug. nostræ societatis et fraternitatis charissimi,*

officium fiat plenum et duodecim pauperes reficiantur, justitiaque detur per septem dies.

Pro abbate ipsius loci ita scribatur : *In depositione domni Ill. abbatis plenum officium fiat, duodecimque pauperes reficiantur.*

Item pro aliquo amico. *Plenum officium fiat, atque justitia detur.* In martyrologio taliter scribendi sunt monachi, vel amici. *Obierunt Adalgarius. Gerbertus nostræ congregationis monachus, et depositio domni Conradi regis, et Henrici ducis amicorum nostrorum. Ihdimus nostræ cong. monachus :* et sic de aliis.

Ad capitulum sic pronuntiet infans : *Depositio domni Coinrandi regis Ihdini Fulcheri nostræ cong. monachi*, etc. *et aliorum familiarium nostrorium.*

Et quando sunt abbates : *Depositio* vel *Obiit Hugo abb. nostræ congregationis atque Wido amici nostri : officium fiat plenum pro utrisque et duodecim pauperes reficiantur.* De officio pleno non debet pronuntiari in capitulo : sed in fronte libri hujus nomina scripta sint ad recordationem.

De episcopis monachis vel archiepiscopis, seu abbatibus, qui habent factam professionem sic scribatur in martyrologio : *Depositio* vel *Obitus D. Ill. episcopi* vel *archiepiscopi nostræ cong. monachi.* Ad illos vero, qui non habent factam stabilitatem, sed tantum in oratione suscepti sunt, ita scribatur : *Obiit Ill. archiepiscopus, deposito Ill episcopi* vel *abbatis.* Si femina est : *Obiit Ill. sanctimonialis* vel *abbatissa.* De famulis aliud non scribitur, nisi in ultimo quod dicitur, *Et alii familiares nostri ;* et si evenit, ut aliquid ex ipsis ponatur, nomen tantum ponitur.

Hos quibus officium solito damus annue plenum.
✠ Stigma crucis prodet nomen, ut ordo refert.

Pro defunctis fratribus breve. *Obiit Ill. nostræ congreg. monachus*, et in ultimo scribatur pronomen et provincia unde ortus fuit, ad agnoscendum eum. De pueris taliter. *Obiit Ill. puer nostræ congreg.*

Item aliud cum supplicatione pro monachis. *Obiit Ill. cantor nostræ congreg. monachus, pro quo cunctos fideles sub sancta professione viventes humiliter petimus apud Dominum intervenire.*

APPENDIX AD GUIDONEM

GREGORII MONACHI

PRÆFATIONES AD CHARTARIUM FARFENSE

(Partim primus edidit, partim edita recognovit bonæ recordationis dominus OZANAM, in libro cui titulus *Documents pour servir à l'histoire littéraire de l'Italie*, etc.)

In Christi Dei omnipotentis nomine incipit prologus domini Johannis grammatici super hujus opera libri.

In nomine sancte et individue Trinitatis, ad honorem et laudem sancte Dei genitricis semperque virginis Marie gloriosissime domine nostre.

Imperante domno Henrico IV, Romanorum patricio et imperatore ;

Ab incarnatione Domini Nostri Jesu Christi anno MXCII, indictione quinta decima, XIII Kalendas maias ;

Divina inspirante gratia, placuit domno Berardo, reverendissimo abbati hujus ecclesie Farfensis, nobilissima gente progenito Florentie urbis, quatinus (*sic*) istius sacri cœnobii universa privilegia et precepta, nec non et tomos et legales chartas, nimia vetustate jam pene consumpta in unum volumen colligere, eaque ad memoriam posteritatis studiosissime declarata, veracissime transcripta relinquere. Et hoc prudentissimo actum est consilio, ne forte, quod sepissime jam evenisse novimus, aut custodum negligentia, aut vetustate consumente nimia, prædicta oblivioni traderentur precepta, tomi, charte, et privilegia. Que veraciter elucubrando, nihil omnino eis addidimus vel minuimus, nec mutavimus. Sed corruptis partibus rhetorice emendatis, eo respectu quo scripta erant, ea legaliter transtulimus per manus confratris nostri magne sagacitatis Gregorii, Sabinensi comitatu oriundi, in castro Catinensi nobilissimis parentibus progeniti, et nostre ecclesie fere ab ipsa infantia lacte enutriti.

Gregorius sancte servus famulusque Marie,
Regni perpetui vitam cupiens adipisci,
Ejusdem semper renovavit scripta Beate,
Gliscens post obitum famosum linquere volum.
Obtulit hunc genitor Donadeum quoque dono,
Restituens libras centenas ac nonagenas,
In templi fratres Θεοτόκος [Θεοτοκοῦ] *ede benigne*
Ut caperent norme Farfensis premia sacre.
Sic primus pastor Berardus monachat ambos.
Celum paulo post migravit in ordine major,
Annos sex denos post Christi mille vel octo.
Tandem qui minimus frater Gregorius auctus,
Indeque terdenos transcendens plus minus annos,
Nam postquam vestem percepit in ordine norme,
Expletis denis annis bis necne quaternis,

Nostro migrato primo pastore benigno,
Scedas has compte cartarum Virginis alme,
Jussit Berardus tantum quod abba secundus,
Scripsit enim grațis, vile quia premia querit.
Gregorium nosces de versibus his Catinensem,
Grammata si relegis quæ sunt exordia dicti
Scriptorem Christe [*Christus*] *donet quem scandere*
[*cœlum.*
Presbyteri Petri sunt hec primordia libri :
Soldos namque decem pro cartis obtulit ipse.

In nomine Dei summi incipit prologus Gregorii scriptoris hujus libri.

Prudentium sane virorum ad hoc per maxime viguit industria, ut sanctorum precedentium patrum priscorum describerent actus per vera vicissitudinum tempora, quatenus sequentibus eos illorum victorie fierent impressa vestigia, et eorum in perpetuum dignius recoleretur, cariusque haberetur beata memoria. Apostolus vero loquitur quoniam quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Ob hoc itaque tempora presertim descripta sunt justorum, ut nostra, dum vivimus, cautiori consimilique felicitate et absque offensione transeamus. Scriptum est enim quia exempla justorum precedentium nos cautiores efficiunt, quorum tramitem [si] sequimur, in via non offendimus. Sapiens denique mores mutat in tempore sine crimine. Deus vero qui non localis, nec temporalis, sed ubique præsens est et sempiternus permanet, quædam tamen suo mancipata cultui ad suorum salutem fidelium oportuna loca eligit, que sanctorum inibi commorantium augentur meritis et crescunt, ipso perficiente, bonis plurimis. Omnis namque locus, aut habitantium beatis meritis augetur, aut culpis delinquentium exterminatur. Revera quia sepissime per hominem locus, raro autem homo per locum edificatur. Mirabilis quoque Deus in sanctis suis, prædicabilis etiam et metuendus in omnibus omnino locis, quia dum sanctorum in terris exaltat habitationes, haud dubium quin eis æternas in celis preparet ac lucidas mansiones. Quotiens enim sanctorum loca divinis in cultibus augentur, totiens eorum qui edificarunt merces et corona in patrie celestis regionibus accrescunt. Ve quoque illis per omnia erit, quorum industria divini defectio loci vel occasio fuerit desolationis. Nos autem, fratres, omnimodis caveamus, ne nostris temporibus negligentes in divinis augmentandis rebus inveniamur. Magis vero satagamus ut sanctorum augmentantes loca, illorum patrociniis adjuvemur, eorumque meritis coequemur qui omnia in bonum operare studuerunt et in vera fide jugiter permanserunt. Misericors autem et miserator Dominus recte in suis mirabilis prædicatur sanctis et fidelibus, in quibus per singula loca sive tempora operatus est mirabilia innumera. Ipso denique cooperante, admiranda et stupenda gesserunt, et recta nobis gradiendi itinera reliquerunt, in quibus semper sunt imitabiles et in omnibus decentis-

A sime predicabiles. In hoc vero presertim digni illi efferendi sunt laude qui, ad exemplum beatissimi patriarchæ Abrahæ, a propriis domiciliis discedentes, et sua quæque relinquentes, ad exteras properaverunt nationes quatenus fructum ceu transplantati expeditius operarentur vitæ, et dignam posteris relinquerent vite vere imitationem. Sic presens pater noster gessit vir sanctissimus Laurentius, qui ad Italiam de Sirie veniens partibus, Deo nimis acceptus extitit et hominibus. Namque dum maximis in hac sabinensi regione floreret virtutibus, dignisque ab omni populo magnificaretur honoribus, relictis seculi universis favoribus, et solius Dei conditoris desiderans insistere laudibus, remotioris vite quietisque elegit habitum, capiens indumentum mona-
B chicum, sanctumque hoc Farfense, non de publico, construxit monasterium.

Quo autem id egerit tempore non plenius sciri potest, præ temporum magna longinquitate et barbarorum postea imminente ejusdem loci desolatione. Hoc tamen sine ambiguitate novimus, quia sicut in privilegio domni Johannis, ni fallor, pape VI, habetur, quod venerabile monasterium sancte Dei genitricis semperque virginis Marie, quod Laurentius quondam episcopus venerande memorie, de peregrinis veniens, in fundo qui dicitur Acutianus territorii sabinensis constituit, et propter religiosam ejus conversationem et divini servitii sedulitatem ibidem secum conversantium, loca quedam tam emptu quamque ex oblatione fidelium acquisivit. Sufficit
C ergo sciri ab hoc sanctissimo viro, non autem de publico, hoc sanctum cenobium fuisse constructum. Quia vero tempus illius conditionis ignoramus, idcirco silere de hoc magis elegimus quam aliquid proferre mendosum vel frivolum. Nobis quippe audire mendacium non licet, quanto magis nullo modo convenit proferre! Legimus tamen in authentice constructionis illius proemio : quia temporibus Romanorum, priusquam Hitalia gentili gladio ferienda traderetur, de Syria III viri advenerunt, scilicet Ysaac et Julianus atque Laurentius, cum sua germana sorore Susanna, de quorum primo duorum beatus papa Gregorius qui a beato Petro extitit LXVI[us], et post annum Dominice Incarnationis 603, mensesque x atque dies xx, indictione II[a], III Nonas Octobris in pontificatum est assumptus, imperante
D Tiberio Augusto, sic in *Dialogorum* lib. III. capit. 14 mentionem faciens, ait : « Prioribus quoque Gothorum temporibus, fuit juxta Spoletanam urbem vir vitæ venerabilis, Ysaac nomine, qui usque ad extrema Gothorum tempora pervenit, quem nostrorum multi noverunt, et maxime sacra virgo Gregoria, quæ nunc in hac Romana urbe, juxta ecclesiam B. Marie semper Virginis habitat. » Et post pauca : « Multa autem de eodem viro, narrante venerabili patre Eleutherio, agnovi, qui et hunc familiariter noverat, et ejus verbis vita fidem prebebat. » Hic itaque venerabilis Ysaac ortus ex Hitalia non fuit, sed primum de Syrie partibus ad Spoletanam urbem venit.

Prudens lector, animadverte quæ fuerint Gotho-

rum priora tempora, vel quæ Romanorum, priusquam Hitalia gentili gladio ferienda traderetur Constat igitur quam ante prefati gloriosissimi pontificis non modicum tempus.conditum est monasterium istud, pro eo quod venerabilis memorie Beatum Ysaac, collegam sanctissimi hujus monasterii Laurentii non se vidisse, nec suis temporibus extitisse descripsit.sed prioribus illum Gothorum temporibus fuisse veridica relatione professus est. Nam priora Gothorum tempora,ut verius credi potest,illa fuerunt ut in scriptis chronice historie Orosii præsbyteri reperitur, quando regnante Archadio imperatore, quo tempore Ambrosius Mediolanum,Martinus vero (cujus gloriosus extitit transitus a Domini passione anno CCCCXII, ætatis autem sue LXXXI, episcopatus vero XXVI) in Galliis apud Turonos, apud Bethleem Hieronymus, qui expletis XCI vite annis, ad Christum migravit,velut sidera radiabant. Radagisius rex Gothorum, qui virtute et natura barbarus erat et Scytha habens secum CCXC M. homines, primo Hitaliam devastavit. Itemque post, regnante fratre ejus Honorio, Halaricus rex Gothorum Romam invasit, partemque ejus igne cremavit VIII° Kalend. Septemb. anno conditionis ejus 1164 ; ac die sexta postquam fuerat in eam ingressus, depredata urbe egressus est, cum Incarnationis Dominice ageretur annus 413.

Tum etiam apud Ypponiregium fulgentissimus, totiusque florebat magister Ecclesie Augustinus qui tertio ipsius civitatis obsidionis mense, VI et LXX vitæ anno. in Christo quievit. Deinde agente presulatum romane ecclesie Leone, a Genserico Roma capta est, postquam primo eam Halaricus invaserat secunda jam vice, expletis ab eo tempore annis XLIV, a conditione sua MCC atque VIII, et ab incarnatione Christi CCCCLVII. Post hec vero, temporibus Agapiti pape, anno Dominice Incarnationis 529 Gothi urbem possident, universa per circuitum direptionibus et incendiis absumunt, quibus Guittigis regnabat. Quo tempore in Oriente Justinianus imperabat. Denique, canpto Guittige, Gothi Hildebrandum constituunt regem,qui etiam eodem anno perimitur ;et regnum accepit Erarius, qui necdum anno expleto jugulatur. Tunc sibi in regem preficiunt Baduilam, qui dicebatur Totila. qui undique exercitu collecto rursum universam Italiam invadunt,urbemque obsessam post $\overset{\overline{CI}}{XIII}$ dies introierunt, temporibus Vigilii pape et Justiniani imperatoris. scilicet post Incarnationis Dominice annos 540, indict. XIII. Ab Archadio itaque rege usque ac Justinum minorem, sub quo Narses Romanorum patricius cum Totila, novissimo Gothorum rege, dimicans superansque effugavit. anni sunt fere CLXXXVIII Hec ideo prolixius narravimus, ut priora Gothorum tempora, que ob narrationem beati Laurentii, hujus monasterii abbatis, college sancti Ysaac, cujus sanctissimus papa Gregorius mentionem fecit quam interposuimus, tempus prout potuimus edisseramus, sed ne lectorem fastidiamus, a prolixa narratione sileamus. Quo autem tempore prius destructum hoc fuerit monasterium, sicut et constructum, manifestius clariusque minime scimus, nisi tantum quod legitur in ejusdem libro constructionis : quia post obitum beati viri sanctissimi Laurentii, a Longobardis circumquaque interjectis effugatisque habitatoribus, locus ipse desolatus et in solitudinem est redactus ; atque per multa annorum curricula absque habitatore permansit. scilicet donec a Gallia Maurigena provincia vir vite venerabilis veniens, Thomas presbyter ad sepulchrum Domini demoraretur, ubi admonitus a Maria semper virgine Deique genitrice, ad Italiam reversus est, et hoc sanctum jam desolatum reperiit monasterium. Cujus scilicet beatissimi Thomæ prefati abbatis felix et gloriosum tempus nos per annos pontificum et tempora regum successionesque abbatum, necnon et cartularum subscriptarum indictiones enucleatius et perspicacius colligentes, invenimus fuisse circa Incarnationis Dominice annos plus minus 680, indictione VIII, atque domini Adeodati pontificis summi anno IV, et Constantini et Justiniani ac Tyberii Augusti qui Tiberius imperatorem Leonem, qui Justinianum Augustum projecerat, cepit, et eum deinceps in custodia tenuit, ejusque regnum invasit. Sed eos postmodum Justinianus Augustus jugulari fecit et principatum recepit.

Incipit præfacio.

In lege veteri jubetur ut nemo sterilis et in Israel semen non relinquens inveniatur, ne pane maledictionis multetur In nova quoque gratia idipsum spiritualiter docetur, ne arbor infructuosa reperiatur, et ne a Domino talentum servo traditum presentibus ab eo abscondatur, sed ut in futurum in augmentis Deo placitis utili proficiat doctrina, relinquatur. Beatus ergo qui dies suos non segniter aut vane, sed sollicite pertransierit, et in sancta Ecclesia doctrinam digne utilitatis et fructum bone operationis semenque vere hereditatis posteris reliquerit. in quibus assidue creator omnium collaudetur Deus. et bonum operantis merces in celo augeatur! Hujus Dei gratia divina inspirante atque administrante clementia, ego infimus monachorum et peccator Gregorius,ut hoc perficerem opus nimis utilimum (*sic*) suggessi domno Berardo abbati posteriori et præcipuis senioribus ; et (quum optima quæque spiritualis patris debemus perficere jussione, atque uti tenemus firmissime, et intellectu quem in nos Deus omnipotens divinitus inspiravit credimus verissime, melius est obedire quam sacrificare, et qui patri non obedit spirituali, Samuhele propheta docente, didicimus quia thura immolat diis vanis, quod est etiam apostatare a Deo et peccatum ariolandi ; — ideo denique hoc impium et detestabile facinus omnimodis cavere cupiens, sancteque aliquo modo vel cooperatione desiderans et vere meritum obedientie , postmodum prefato patre et reliquis senioribus, suscepi libentissime hujus operis onus

jubentibus, Quod licet mihi impossibile videatur, tamen quia cuncta posse credimus Deum, qui mutum animal olim humana fari præcepit verba; sue ipse causa Matris integerrime, valet mihi misericorditer tribuere, ut ad ejus domus recuperationem perficiam utillime. Nihil quippe mearum sentio virium, sed ex Dei caritate ejusque adjutorio confidens, per domine nostre gloriosissime intercessionem, ut valde devotum nimisque proficuum fidelius et verius perficere studuimus opus attentius. Non quod sim sufficiens in emendandis partibus corruptis rhetorices, sed juxta mee scientiole parvitatem, que ultra modum confusa videbantur studui corrigere, non tantum plenius, ne forte videretur simplicibus, quod chartarum confunderetur prime qua edita sunt editionis respectus. Et maxime quia non a turbis remotus clanculo sedi solus, ut attentius insisterem quiete vacationi, sed in propatulo constitutus, vix aliquantulum esse valui quietus, ut gratia solitudinis decet hoc opus. Neque enim ad hoc me idoneum satis fore perspicio. quia non in scholis eruditus sum poetarum, neque profunditate doctus sum grammaticorum, sed ab ipsis pene cunabilis in hujus scola sancti cœnobii divinis solertiis nutritus. Deique lactis Genitricis sapientia sum alitus fideli. Itaque sicuti mihi a predicto abbate et reliquis jussum est religiosis senioribus, nihil ex respespectu chartarum ex his quæ vidi minui, nihilque in rerum translatione adauxi; sed uti tunc cum scriberem oculis perspexi, et respectu capere veraci potui, rescribere studui, preter verborum prolixas inutilesque reciprocationes et transactas quorumdam obligationes; videlicet ne plurimis partium corruptionibus diu fatigatus, et in scribendo longius immoratus, volumen efficerem tardius ei fastidiosum, ineptumque ad perscrutandum, et immensum. Veritate ergo rerum causarumque utilium solummodo contentus, solerti subtilique sagacitate veracissimum absque aliqua fraude, Christo propitio, ejusque Genitricis perpetuæ virginis cujus et causa suffragiis adjutus, hoc perficere studui opus Singulis etiam scedis cartularum nomina testium inserere curavimus, sicut in authenticis scripta reperivimus. Quæ vero antiquissima vetustate consumpta et a vermibus perspeximus corrosa, atque ad capiendum difficillima, equo judicio omisimus intacta, nolentes nisi que oculis clarius decernebamus, vel intellectu capere veraci poteramus, huc tam meritissimo inserere opusculo.

Quatinus, sicut verissimam rerum fidelemque translationem nactus sum transducere, sic meorum certissimam a Deo omnipotente, per domine nostre intercessionem, merear remissionem delictorum recipere, meisque parentibus perpetuam mercedem acquirere. Porro huic libro gemniagraphum nomen imposuimus, id est memoriam descriptionis terrarum, quia in eo hujus cenobii terras a quocumque, A vel ubicumque acquisitas inseruimus, et eas ad semper memorandum in uno volumine comprehendimus. Placuit etiam nobis et cleronomialem id est hereditatem pharphensis *(sic)* ecclesie appellari, quoniam proprias ipsius immobiles ab initio libere demonstrat possessiones Prescripsimus autem nomina locorum omnium, quibus singulis propria numerorum capitula addidimus, et in qualibus scriptis ea invenias sagacissime notavimus. Prius tamen omnia precepta ac privilegia seriatim ordinavimus hoc modo:

Venerabilis igitur vir dominus hujus cœnobii, sanctissimus abbas sagacissime in sui augmentatione monasterii, humanarum rerum divineque norme studebat. Nam cum eum Faroaldus, dux B spoletanus, admonente beata Dei genitrice Maria, notum haberet, ad se Spoletum venire rogavit, atque ejus orationibus se commendare studuit, aliquantamque donationem per suum preceptum huic contulit monasterio. Itaque cum plurima ab illo edita huic monasterio antiquiori consumpta sint vetustate præcepta, et per monasterii accidentem destructionem oblivioni sunt tradita, hactenus tamen invenitur unum quoddam parve exemplar epistole, domno Johanni VI videlicet pontifici directum, quo sua pontificali auctoritate istius cuncta monasterii confirmaret præcepta, olim a se huic monasterio et Thome venerabili patri edita Cujus ita exordium procul dubio fore creditur.

Incipit epistola domini Faroaldi ducis.

C Domino sancto ac ter beatissimo, toto orbi prædicabili, et nobis in Christo Patri Domno JOANNI papæ FAROALDUS filius vester.

Credimus sanctæ paternitati vestre non latere qualiter propter Dei amorem, vel reverentiam sancte Marie semper virginis Genitricis Domini nostri Jesu Christi, monasterium in territorio nostro Sabinensi consistens, per aliquas donationes nostras in cespitibus, vel servis, vel colonis locum ipsum per Thomam abbatem, et commenditum nostrum restauravimus, et ibi per præcepti nostri firmitatem locum ipsum venerabilem stabilivimus. Unde utile prævidimus, presentem nostram epistolam ad vestra per eumdem Thomam dirigere vestigia propter D quod rogantes, ac si præsentialiter, obsecramus. ut pro futuris temporibus vestra beatitudo pro perpetua firmitate, privilegium in scriptis eidem loco facere præcipiat, sub ea scilicet ratione, ut quæ nos devotissima voluntate sancte Marie monasterio contulimus, vel pro consolatione peregrinorum, vel utilitate ibidem deservientium, concessimus, inspectas ipsas perceptiones, tali privilegio vestra paternitas sancta firmare jubeat, ut nullus alio tempore presumat aliquas insolentias, aut concussiones facere, aut ipsas res de ipso sancto loco, aut de donatione ipsorum servorum Dei auferre; et qui hec presumpserit, sub anathematis vinculo vestra almitas eum

alligare jubeat. Salutantes, et commendantes nos sanctitati vestræ, petimus ut pro nobis orare dignemini. Post autem relecta epistola, petimus ut eorum monasterio reddatur (86) pro perpetua securitate.

(86) Suspicionem aliquam confictæ serius epistolæ hæc mihi movent. Et quid enim petere, ut Romanus pontifex Farfensibus epistolam hanc reddat, quam ipsi ab eodem Faroaldo duce brevius impetrare poterant? Posteriora tempora exemplum hujus rei suppeditare possunt. Nescio an et illa sæcula quid A simile ostendere possint.

ANNO DOMINI MXC

ARIBO SCHOLASTICUS

MUSICA ARIBONIS

(Dom Gerbert, *Scriptores ecclesiastici De musica*, II, 197.)

MONITUM

Aribonis scholastici musicam ad Ellenhardum episcopum Frisingensem, quem an. 1078, obiisse probat P. Carolus Meichelbeck in Historia Frisingensi, ex cod. Admontensi sæc. XII primum in lucem proferimus. Fragmenta quædam hujus operis in codice San-Emmeranensi reperimus, quæ suis locis contulimus cum Admont. Apud anonymum Mellicensem memoratur Aribo « Cirinus musicus musicam scripsisse, quam propter ejus mensuræ celeritatem capream nuncupavit: velocius enim, inquit, currebat cum venabar eam, quia voluntas Dei fuit ut cito mihi occurreret quod volebam, » ut habent Aribonis verba infra. Quæ porro anonymus iste ex eo affert de S. Wilhelmo, quod fistularum novam mensuram ab eo inventam et Ariboni transmissam attinet, in ipso Wilhelmo desiderantur. Id hinc evenisse existimandum est, quod passim scriptores Wilhelmi musicam imperfectam esse dicant.

Domno suo Ellenhardo præsulum dignissimo in B universa morum honestate præclaro, Aribo, quæ præparavit Deus diligentibus se.

Literarum mearum Pater et Dne venerabilis præsentiæ vestra quæso præsentetur dignatio, donec auribus misericordiæ percipiatis, quid meus stilus pannosus videlicet referat legatus. Qui licet veste nuptiali non intret, prius tamen, deprecor iterum atque iterum, non abhorreatur, quam suam legationem repræsentet.

Cum summæ capacitatis in musicæ monochordique sitis regulis ut cantilenarum vestrarum observata diligentia affatim vobis perhibent testimonia; præsumpsi vos eligere in judicem Palemonem, ad cujusdam theorematis, id est, speculationis perceptionem. Post seriarum rerum laboriosam intensionem, in istis aliquando quasi ludi blandientem C habeatis remissionem,

De quadripartita modernorum figura.

Est quædam quadripartita figura modernis adeo venerabilis, ut paucissima sine ea sint monochorda. Quæ ita construitur, ut una series primi insimul et secundi toni mensuram contineat, secunda tertii et quarti, tertia quinti et sexti, quarta septimi et octavi. Cujus dispositio non ultimæ famulatur commoditati. Nam sicut post abecedarii indiscretam generalemque seriem specialiter erant coadunandæ vocales, semivocales, mutæ; ita post naturalem D monochordi permixtionem specialius erant tropi cum suis subjugalibus discernendi, sicut etiam elementa lucidius apparuerunt discreta relicto sinu primitivæ confusionis. Dispositis separatim tropis evidentius intuemur, qualiter protus cum suo subjugali constet prima gravium, in A, prima finalium in D. Distinctius quoque videmus, quomodo Deuterus cum suo plaga construatur secunda gravium, secunda finalium, secunda superiorum, secunda excellentium, in B. E. ♮. e, Quomodo tritus cum plagali constituatur omnibus tertiis, in C. F. c. f. Qualiter tetradus sibique plaga subjunctus disponantur ex omnibus quartis, quarta gravium, in D. quæ est duplicis naturæ: quia sicut est quarta gravium, ita est prima finalium. Quæ omnia lucebunt in sequentibus, cum de troporum tetrachordorum principalium chordarum natura disseremus abundantius, quia præsens tractatus principaliter est de quadripartita figura prætitulandus.

De vitio quadripartitæ.

Est tamen aliquid in eadem figura, quod mihi, ut minus sapiens dico non videtur usque ad fundum penitus esse limpidum.

Adtentum facit præsulem.

Huc pater auriculas converte benignius ambas.
Has præsul nugas meditans sis totus in illis.

Homines reprehendere degenerantes.

Solent homines admodum improbare, cum vident aliquem de parentum virtute degenerare. Scimus autem et istam et omnem musicam figuram nativitatis suæ primordium sumpsisse de primitiva regularis monochordi dispositione. Cum autem hic vi-

deamus collecta, quæ ibi sunt dispersa, hic dispersa quæ ibi sunt collecta, nonne ista figura degenerat a sua genitrice, monochordi videlicet mensura?

De perversa tetrachordorum collectione.

In ista figura collectæ sunt in unum locum omnes graves, in unum locum omnes finales, similiter in unum omnes superiores, omnes etiam excellentes, quod penitus non concedit monochordi natura, quæ cuilibet tetrachordorum quatuor diversa partitur loca.

De perversa diezeuxi, id est disjunctione.

In ista figura disjunctæ sunt quarta gravium, prima finalium, quarta superiorum, prima excellentium, quæ in monochordi naturali structura unum et eundem obtinet locum, utpote in una et eadem littera.

De acumine non naturali proti, et gravitate tetrardi non competenti.

In hac eadem quadripartita figura protus est acutissimus, tetrardus gravissimus, quod quam contrarium sit naturæ monochordi potest quivis etiam mediocriter his imbutus facillime contemplari.

De dictatoris admiratione.

Hæc cum diutina mecum admiratione revolverem, et si quid naturalius occurreret indagarem, inveni capream matri simillimam, quæ habet in uno loco quartam gravium, primam finalium, quartam superiorum, primam excellentium Quæ habet in IV. locis diversis, graves, finales, superiores. Quæ habet protum gravissimum, tetrardum acutissimum, ut naturam quam in principali genitricis gremio possideant, in filiæ mansiunculis non amittant.

De miniatis tetrachordorum lineis.

Quatuor obliquæ lineæ quatuor tetrachordis in gravium, finalium, superiorum, excellentium, minio superinductæ quadripartitam nostri tropici theorematis ita penetrant latitudinem, ut non solum demonstrent unamquamque gravium, finalium, superiorum, excellentium, in sui tropi intervallo, sed etiam in vero et naturali loco, secundum protoplastæ conditionis, quæ est in monochordo, testimonium.

Quid bene quid male quadripartita explicet.

Quadripartita modernorum figura bene exprimit unamquamque principalium literarum seu chordarum suo tropo contraditam. Sed in hoc delinquit, quod eas in alio loco, quam monochordum velit, constituit divisiones troporum. Quod minus est bene condit gravitatis acuminisque legem, quod majus est non caute distribuit. Sed gratia lausque sit Patri luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, nostra imo sua ut dicamus cum psalmista. *Non nobis, Domine, non nobis, sed n. t. d. g.* et bene divisiones troporum constituit, et naturale secundum monochordum gravitatis et acuminis eorum differentiam evidenter proponit.

De naturali capreæ veritate et ejusdem mensuræ magna facilitate.

Hæc cum tantam habeat naturæ veritatem secundum antiquissimam monochordi nativitatem, potest eam et hoc commendare uberius, quod simplex monochordi mensura fiat hac parum celerius. Omnis tonus, omne semitonium, omne etiam synemmenon, omnis denique IV. troporum mensura est æquissime sibimet opposita; sed illius, quæ mihi causa fuit hujus, tanta est in metiendo difficultas, tam inextricabilis perplexio, ut admodum dura sit ejusdem textura.

Quare caprea tali nomine censeatur, et quid præsuli offeratur.

Nostri theorematis novitatem propter ejus mensuræ celeritatem nuncupavi capream: et quia velocius occurrebat cum venabar eam, voluntas enim Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam, eandem pater venerande capream vobis offero degustandam cordis palato, ut si quid vobis in ea sapiat, benedicat mihi anima vestra.

Quæ sit in caprea commoditas.

Habetis in ea planam mensurandi facilitatem, naturæ non redarguendam veritatem, quia omnia monochordi repræsentat legitima sicut decet. Nam de primitivo monochordo derivativam aliter quam monochordum velit componere figuram, hoc est juxta pedem dextrum calceum formare sinistrum. Quod quomodo theoremate in nostro sit devitatum, vestro penitus sit judicio reservatum.

Quæ causa sit contrarietatis inter monochordum et quadripartitam figuram modernorum.

Causam autem contrarietatis inter illam quam moderni diligunt figuram et monochordum, arbitror esse imo scio, quod dispositiones troporum ita varie incipiunt, ut I. II. tono, II. III. tono, III. IV. semitonio præcedat cum potius in illis procurari deberet, quatenus primæ dispositionis gravis, id est A secundæ dispositionis gravem in C. semitonio præiret: tertiæ dispositionis gravis idipsum scilicet C. IV dispositionis gravem in D. tono rursus præveniret: quod facillimum esset si ab uno principio ipsas mensurarum integritates inchoarent, aut a gravibus incipientes dictam diversitatem inceptionis observarent. Sed hæc hactenus de caprea: Qua in vestræ gratiæ scrutinio derelicta, tendimus ad alia.

De hoc quod monochordum nec in disjuncta nec in conjuncta dividitur.

Monochordum una diapason non esse contentum triplex esse causa creditur. Una quod simplicioribus curtum videretur, qui irreflexibili voce ad organalem ignorant reverti gravitatem. Sicut equus indocilis rigidæque cervicis non potest in arcto circinari clipeo. Secunda quod vox acutior mulcet aures gratiosius sicut etiam gracile corpus blanditur oculis jocundius. Tertia quod ipsa naturalis chordæ ac vocis possibilitas ulteriores spontanea

petit metas Sicut nonnumquam in amæna loca vo- A luntate procedimus non necessitate.

Cur diapason tres non sint in monochordo.

Tribus diapason protensum esse monochordum non patitur altissimæ fidis sonus gracillimus, nulli subteriorum consonus Sicut enim pueri tenellæ vocis in moderato acumine cantilenas edunt adeo inconsonas, ut easdem vir non intelligat more clangentis barræ et recinentis cicadæ. Est modus in rebus sunt certi denique fines, ultra quos citraque nequit consistere verum.

Cur in tetrachorda dividatur.

Divisum esse monochordum in tetrachorda potius quam aut in dichorda vel trichorda, seu pentachorda, hæc est ratio. quod post diapason in nullo tanta est, ut in tetrachordis similitudo. Si enim in B dichorda facta fuisset divisio, primum occurreret dissimilitudo, quia post tonum, qui est ab A. in B. sequitur semitonium, Si autem in trichorda, itidem diversitas semitam obsideret. Nam post semiditonum, qui est ab A. in C. sequeretur ditonus a C. in E. At si divisio fuisset per pentachorda eadem dissimilitudinis obviaret importunitas, quoniam quidem ab A. in E. est diapente, et ibi sequitur semitonium faciens dissimilitudinem.

Tetrachorda quædam esse primæ quædam secundæ similitudinis.

Tetrachordorum ergo quædam primæ, quædam similitudinis sunt secundæ. Primæ gravium, finalium, superiorum, excellentium, quia plena similitudine et intenduntur et remittuntur tono, semito- C nio, tono Quædam sunt similitudinis secundæ, hyperboleon, diezeugmenon, meson, hypaton : quæ quamvis invicem comparata nihil differant intensa et remissa ; quia unumquodque illorum intenditur semitonio, et ditono, remittitur autem ditono et semitonio : ipsa tamen intensio et remissio dissimilis est. Quæ in prioribus est simillima, quia sicut tono, semitonio, tono, intenduntur, ita et remittuntur.

De similitudine Neumarum,

Similitudo tetrachordorum similitudini servit neumarum : quia eadem neuma, quæ intenditur ab A. in D. intenditur a D. in G. quæ remittitur a G. in D. remittitur etiam a D. in A sic etiam in cæteris, ut facillime potest perpendere quivis. D

De hoc quod Monochordum nec in disjuncta, nec in conjuncta dividitur.

Monochordum non esse divisum vel in penitus conjuncta vel in penitus disjuncta tetrachorda. hæc est ratio : quod prædicta tunc cessaret similitudo. Si enim inciperet tetrachordum superiorum in G. ubi desinit finalium, similitudo deficeret : quia tetrachordum superiorum intenderetur ditono et semitonio, cum priora tono, semitonio, tono. Item diversitas occurret si penitus disjuncta fuissent tetrachorda : quæ omnia quia satis sunt manifesta, non est opus dicere plenius.

De diezeugmenon et synemmenon.

Priori patet ratione quod tetrachorda diezeugmenon et synemmenon sint necessaria. Si enim aut conjunctio aut disjunctio tetrachordorum esset penitus, et similitudo periret, et creber in cantu defectus occurreret,

De hoc quælibet chorda superius et inferius quartam et quintam velint habere propter diatessaron et diapente quæ multum dominantur in cantu.

Propter diatessaron et diapente, quæ in cantilenis pollent præcipue, desiderat unaquæque chorda vel littera quartam quintamque supra vel infra habere. Quapropter F. et f. admodum indigent synemmenon, ut gravis supra quartam, acuta infra habeat quintam ad se resultantem per diapente.

De communione Tetrachordorum.

Eadem intensio et remissio omnibus est illis tetrachordis, quæ ascendunt, id est gravium, finalium, superiorum, excellentium. Omnibus autem descendentibus id est hyperboleon, diezeugmenon, meson, hypaton eadem est intensio eadem quoque remissio, quamvis ascensus sit dissimilis et descensus. quia ascensus est semitonio, ditono, descensus ditono, semitonio,

De differentia Tetrachordorum ascendentium et descendentium.

Qualiter autem eadem differant tetrachorda, si vacat, et placiti rationem admittitis, edam. Differunt nomine, quod est planum differunt qualitate, quod debet explanari, quia latine nuncupata potius sunt constitutiva specierum trium symphonarium, diatessaron, diapente diapason, quam græce vocata. Differunt specie, quia hæc in medio illa semitonium habent in extremo.

De quibus litteris et chordis unumquodque tetrachordum consistat.

Tetrachordum gravium secundum Guidonem constat A. B. C. D. quod idem juxta Boetium est proslambanomenos, hypate hypaton, parypate hypaton, lichanos hypaton. Tetrachordum finalium est Guidonice D E. F. G. hoc ipsum est in Boetio lichanos hypaton, hypate meson, parypate meson. lichanos meson Tetrachordum superiorum juxta modernos est a. ♮ c. d. Idem est Boetii mese, paramese, trite diezeugmenon, paranete diezeugmenon. Tetrachordum excellentium est d. e. f g. secundum Guidonem. juxta Boetium autem paranete diezeugmenon, nete diezeugmenon, trite hyperboleon, paranete hyperboleon.

Qualiter tetrachorda species operentur.

Non disputemus qualiter ista tetrachorda operentur constitutionem specierum diatessaron et diapente Tetrachordum gravium tetrachordo finalium collatum omnes diatessaron species quæ IIII sunt, perficit hoc modo. Prima gravium, primæ juncta finalium, parturit primam diatessaron speciem. Eodem modo sunt vice parentum (1), III, gravium III.

(1) Addendum videtur : *secunda gravium, et secunda finalium secundæ speciei diatessaron.*

finalium, IIII. gravium IIII. finalium, tertiæ et quartæ speciei diatessaron. Eadem diatessaron specierum nativitas est in copulatione superiorum et excellentium, et tam naturali ordine idem, ut de primis I. II. de secundis III et IIII de tertiis. ac quartis procedat : et hoc necessario, quia superiorum et excellentium collatio nihil est aliud quam collationis gravium et finalium repetitio. Unde est necesse, ut quicquid inter graves et finales, idipsum fiat inter superiores et excellentes : quia sicut eædem superiores quæ graves, ita sunt eædem excellentes, quæ finales.

Quod diatessaron et diapente inter diversa constent tetrachorda.

Omnes ergo IIII. diapente species ita inter finales constant et superiores, sicut omnes diatessaron. aut inter graves et finales, aut inter superiores consistunt et excellentes, eodemque ordine disponentis naturæ ut I. de primis, et quælibet species de sui nominis constet chordis ac litteris.

Quod in locis diatessaron diapente non inveniatur, nec diatessaron in sedibus diapente.

Admodum naturale esse generationem specierum inter graves ac finales, et inter superiores ac excellentes; diapente autem specierum inter finales et superiores naturalem esse ortum, ex hoc potest perpendi : quod nec naturaliter inter graves et finales, aut superiores ex excellentes diapente procedunt species, ubi diatessaron naturales habent sedes. nec inter finales et superiores inveniuntur naturales diatessaron sedes, sicut diapente species sunt inibi naturaliter procedentes. Naturales dico species ut prius dixi de sui nominis litteris consistentes, ut I. de primis, et cætera.

De formalibus Speciebus.

De formalibus tempestivum est dicere speciebus. Formales sunt dicendæ quæ formam habent non naturam, sicut est a D. in G. forma est primæ speciei diatessaron habens semitonium in medio. Sed quia non inter duas constat primas, sed inter primam et quartam, dicenda est prima formalis, non prima naturalis. Naturalis autem est prima, quæ non solum in medio habet semitonium sed inter duas primas consistit, ut illa quæ est inter A. et D. quarum altera prima est gravium altera finalium. Sic species diapente inter A. et E. prima est formalis non naturalis, quia licet ut prima naturalis scandat tono, semitonio, tono, et tono, non tamen inter duas primas, sed inter primam constat ac secundam, sicut illa quæ est inter D. finalem et superiorem,

Quod principales chordæ dicantur quæ constitutivæ sunt troporum.

Principales chordæ dicuntur quæ in troporum dispositionibus principatum sortiuntur, sicut in autento proto principales sunt istæ : prima finalium, prima superiorum, prima excellentium. Finalis est merito principalis in primis : quia secundum convenientiam, quam ipsa prædocet, cantum incipimus, et usque ad finem pro edere non possumus, ostendit illum esse aut vitiosum, aut juxta alium modum

A gubernandum. Quidam cantant illam antiph. *Alliga Domine in vinculis*, secum finalis convenientiam incipientes eam in G. sed quia defectus occurrit chordarum ut cantari non possit, cogitemus eam aut secundum alium modum jubilandam, aut penitus esse mendosam. Sed falsam esse dicere prius non debemus, quam secundum omnium finalium convenientiam incipientes exploremus. si in ullo modorum inoffensam reperiamus eam : sicut istam juxta primi finalis convenientiam inchoantes in F. sine scandalo percantabimus. Est quoque principalis ob hoc dicenda, quod initium cantus principiumque non nunquam procedit ex illa, ut. *Ecce nomen Domini. Ecce in nubibus cœli. Ecce veniet Deus et homo, leva Jerusalem*, et alia innumerabilia, quæ ad reperiendum
B sunt planissima. Est principalis quia distinctionum interdum principia interdum fines conversantur in illa, aut aliqua musica proportione distant ab illa, id est aut tono vel semitonio, sive semiditono, seu ditono, aut diatessaron, diapenteve. Principalis est merito, cum omnis cantilenæ finis et requies sit in ejus hospicio.

Superiores chordæ ideo principalitatis dignantur nomine quia principales autentorum partes diapente videlicet ac diatessaron medietatis vinculo copulant : et quod ad eas nonnumquam pertingant neumæ principales, principia dico distinctionum ac fines, ac tonorum differentiæ. Excellentes jure sunt principales, quæ ita dominantur autentis, ut in ipsis
C sit ascensionis eorum finis.

Quæ chordæ sint principales in cantibus plagalibus.

In plagalibus quoque eadem ratione dicuntur principales graves, finales, superiores. Quapropter non difficile inde huc similitudinem transferre.

Quod principalitas chordarum discernenda sit.

Principalitas chordarum accipi discretive debet, non ubivis illa principalitas sed in sua specie consideretur. Sicut prima gravium. prima finalium, prima superiorum principales sunt in prima specie plagalium cantuum, id est in secundo tono, quæ principaliter ejusdem sunt constitutivæ. Principaliter dico, quia aliæ chordæ cooperantur, iste ut prædictum est principantur, sicut in aulæ constructione principales partes sunt columnæ Principales quoque sunt
D in secunda specie plagalium. id est in IIII. tono II gravium II. finalium II. superiorum, quæ principaliter illum constituunt. Sic constituvæ sunt III. et IIII. gravium, finalium, superiorum tertiæ et quartæ speciei plagalium troporum, id est sexti et octavi toni.

De autenticis protis.

Prima finalium, prima superiorum, secunda excellentium sunt principales in prima specie autentorum cantuum, id est in primo tono quem principaliter constituunt : secunda finalium. secunda superiorum, secunda excellentium, principales sunt in secunda autentica specie diapason. id est in tertio tono cujus principaliter sunt constitutivæ : sic de tertiis tertia autentica diapason constituitur, quarta de quartis.

Quod principium similitudinis est in illis.

Principales quoque dicuntur chordæ, quia principium sunt ejusdem habitudinis Habitudinem autem appello, ascensionis vel descensionis, aut utriusque similitudinem, qualis est intensio ab A. in D. talis est a D. in G. et qualis est remissio a G. in D. talis est a D, in A. quia talis est concordia non solum quartis, sed quintis infra et supra, ut media alterius elevationem, alteriusque sumat depositionem. Et si ad quartam supra confertur cum elevatione ad quintam superius respondet cum depositione ; ac econtra cum quarta inferiori per remissionem, cum quinta concordat per intensionem, excepto gravi deutero et superiori, qui infra non inveniet diatessaron, supra se vero caret diapente quamvis V. sint chordæ. Et hinc monemur ut caute diffiniamus symphonias. Si aliquo me interrogante, quid est diatessaron, vel diapente, respondebo, quatuor chordæ, quinque chordæ, non caute dixero, cum quatuor sint chordæ. A ♮. b. c. et tamen non contineant nisi semiditonum. Cum quinque chordæ sint. B C. D. E. F. et non cohibeant nisi diatessaron et semitonium. Idcirco dicamus, diatessaron est semitonium cum duobus tonis in nullo participantibus Diapente est semitonium cum tribus tonis in nullo participantibus. Hoc dico propterea, quia tonus, qui est ab a in ♮. cum illo tono qui est a b in c. participat spacium, quod est a b in ♮ quod est *majus toni* (2) spacium, quod apotome dicitur, quia aliter poterit probari (3) *et semitonium* esse diatessaron, et diatessaron esse diapente.

De similitudine divitum et pauperum ad tropos utrosque.

Concordant discordantque autenti et plagales sicut divites et pauperes . quia licet hi in alto hi in humili degant loco, quamvis isti (4) ambullentur id tragœdia, illi mussitent in comœdia, unum tamen et æqualem exspectant obitum et finem, ita quamvis ascendant descendantque diverse, eosdem tamen finales sortiuntur autenti et plagales.

De similitudine virilis femineique chori ad autentos et plagas.

Concordant discordantque autenti cum plagis quomodo si procederent de quatuor thalamis totidem nuptæ modestæ cum suis sponsis, copularentque duos chorearum circulos, ut ipsi thalami matronali choro essent centra : id est medietates virilibus choris terminales, ut in hoc etiam evangelistarum exprimerentur volumina : de quibus pronunciat propheticus Ezechielis, spiritus, quasi sit rota in medio rotæ : quia sicut evangelistarum opera concordant discordantque, ita autenti cum plagis. Nam quinque chordas habent communiter, tres autem singulariter : ut duo circuli ita sibimet sint implicati. ut utriusque extremitas centrum, id est medietatem alterius persecet, habent medium spatium A commune. altrinsecus scilicet spatium situm sine participatione.

De differentia autentorum et plagarum juxta Horatium Flaccum.

Disserunt quoque autenti et plagæ instar Horatianæ sententiæ : ut

Festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit satyris paulum pudibunda protervis.

Non est enim suum matronalis incessus saltantes satyros imitetur ut Alphesibeus, sicut cantus plagalis. Hæc principia, hæc fines distinctionum tendit ad quintam, cum etiam raro mittat ad quartam. *Vid. fig.* A.

Iterum differentia tetrachordorum.

Tetrachordorum quoque differentia est nonnulla, B quia tetrachordorum gravium et superiorum claves sunt plagalium, tetrachordum finalium et excellentium claves sunt autentorum. Et medietatis vicem obtinent finales et superiores : finales plagalium, superiores autenticorum diatessaron et diapente convincientes, ex hisque diapason componentes.

Quomodo tetrachordum gravium mystice pertineat ad Matthæum et ad humanitatem Christi.

Tetrachordum gravium typice congruit Salvatoris humanitati quam Matthæus describit, in qua Christus gravia quæque sustinuit, esuriendo sub infructuosa ficulnea, sitiendo et lassescendo super puteum, vulpibus pauperior ac volucribus foveas ac nidos habentibus, cum non haberet, ubi caput suum reclinaret.

C *Quomodo tetrachordum finalium Salvatoris passioni congruat et morti.*

Tetrachordum finalium vitalem Christi mortem significat : cum non solum ipse ad tempus vitam finivit, sed etiam ad finem tetenderunt templi velum, soliditas petrarum, solis claritas, terræ stabilitas.

Qomodo tetrachordum superiorum Christi significet resurrectionem.

Tetrachordum superiorum Christi gloriosam designat resurrectionem : in qua ad hujus vitæ superiora remeavit, nobisque vitæ supernæ hereditatem delegavit.

Quomodo tetrachordum excellentium Christi significet ascensionem.

Tetrachordum excellentium typice jubilat excel- D lentiam Ascensionis Christi, in qua ascendit Deus in jubilatione et Dominus in voce tubæ ostendens se excellentissimum esse.

Quod duo tetrachorda ad humilitatem, duo ad Christi pertineant celsitudinem.

Quorum tetrachordorum, duo id est gravium et finalium sicut sunt humilia, ita humilitatem Christi quæ fuit in humanitate et passione designant : duo excelsa id est superiorum et excellentium celsitudinem Salvatoris, quæ in resurrectione et ascensione patuit, declarant.

(2) F. *Majoris semitonii.*
(3) Melius : *tonum et semitonium.*
(4) San-Emer. *Ambulent.*

Item de discordia tetrachordorum, et quod quædam incipiant, quædam species finiant.

Discordant tetrachorda quoniam quodam est specierum diatessaron et diapente inceptivum non finitivum ut gravium; quoddam diffinitivum non inceptivum ut excellentium. Quædam et inchoativa et determinantia, ut finialium et superiorum : quia finales determinant species diatessaron, incipiunt species diapente; superiores finiunt species diapente; incipiunt species diatessaron Et hoc ita naturali ordine, ut sive incipiat seu terminat, sive faciat utrumque inter primas prima, secundas secunda, tertias tertia, et inter quartas quarta sit species vel diatessaron seu diapente.

Quomodo graves sui nominis species diatessaron incipiant.

Prima gravium incipit primam speciem diatessaron, secunda secundam, tertia tertiam, quarta gravium id est D. quæ biformis est, quartam speciem diatessaron incipit quæ et finit primam, secundum quod prima finalis est.

Quomodo finales fiant et incipiant species.

Prima finalis idem videlicet D finit primam diatessaron, sed incipit primam diapente speciem, E. secunda finalium, secundam diatessaron, et diapente speciem finit et incipit, F. tertia finalium tertiam utriusque speciem finit et incipit, G. quarta finalium quartam finit, et quartam incipit.

Quod contra legem finalium, superiores finiant species et incipiant.

E contrario prima superiorum id est. A. primam finit speciem diapente, incipit primam diatessaron, quam finit prima excellentium.

Oppositio Tetrachordi.

Opposita sunt tetrachorda finalium et excellentium tetrachordo gravium et superiorum. Nam ista omnes diatessaron incipiunt, illa finiunt, sed etiam media opponuntur, id est finalium et superiorum, quia omnes diapente species incipiunt finales, finiunt superiores. Opposita quoque sunt ultima sicut media tetrachorda : quia gravium solummodo omnes diatessaron species incipit, excellentium easdem tantum finit Finalium omnes diapente species incipit, superiorum finit. Finalium omnes diatessaron species finit, superiorum incipit.

Quod tria sint in inchoando, tria in determinando, duo in utroque.

Tria sunt in inchoando similia, gravium, finalium, superiorum, tria in determinando, finalium, superiorum et excellentium ; duo in utroque, finalium superiorum singulariter ad incipiendum tantum gravium, ad finiendum dumtaxat excellentium.

Quod opposito quoque sit in speciebus diatessaron et diapente.

Ultimæ quoque species et mediæ diatessaron et diapente sibimet sunt oppositæ. Nam intensio A primæ remissio est quartæ, secundæ ascensus est tertiæ descensus. Prima species diatessaron tono, semitonio, tono intenditur ab A. in D. Quarta eodem modo remittitur a G in D. secunda intenditur a B. in E. semitonio, ditono, tertia remittitur ab F. in C. semitonio, ditono.

De oppositis diapente speciebus.

Prima species diapente ascendit tono, semitonio, ditono a D. finali in a superius Quarta descendit tono, semitonio, ditono a D. superiori in G. finalem. Secunda suspenditur ab E finali in ♮ b. superius, semitonio tritono. Tertia deponitur semitonio, tritono a c. superiori in F. finalem.

Quod oppositio specierum ad similitudinem fiat metricorum pedum.

B Species prima diatessaron constat ut amphymacrus ex longa et brevi, et longa, id est ex tono, semitonio, tono : secunda intensa, ut bachius ex brevi et duabus longis Remissa ut antibachius ex duabus longis et brevi. Tertia species diatessaron constat secundum intensionem sicut secunda, juxta remissionem, ut antibachius, secundum remissionem ut secunda, juxta intentionem sicut bachius. Quarta rursus ut *insulæ*.

De speciebus diapente ad pedum similitudinem se habentibus.

Diapente prima species constat ex trochæo et spondeo suspensa, ut *liberant*. Deposita constat ex spondeo et iambo ut *convenerant*, secunda intensa ex epitrito primo ut *Sacerdotes!* Remissa ex spon-
C deo et trocheo, ut *Sacramenta* Tertia ascendens ut secunda descendens ex spondeo et trocheo. Descendens ut illa ascendens ex epitrito primo. Quarta ascendens ex spondeo et iambo, ut prima descendit, descendens ut prima ascendens ex trocheo et spondeo.

De speciebus diapason.

Prima species diapason constat ex prima diatessaron et diapente specie, secunda de secundis, tertia de tertiis, quarta de quartis. Et in his speciebus diatessaron, diapente, diapason naturalem merito miramur ordinem, quia omnes in eamdem desinunt,
D (5) *ex qua desinunt, et hæ sunt sui nominis.*

De quatuor speciebus diatessaron.

Diatessaron species prima incipit a prima gravium A, desinit in prima finalium D. Secunda species diatessaron incipit a secunda gravium. B. desinit in secunda finalium E. Tertia species diatessaron incipit a tertia gravium C desinit in tertia finalium F. Quarta species diatessaron incipit et desinit a quarta et in quarta D. G.

Quod similiter incipiant et finiant omnes diapente species.

Eodem modo species diapente inchoant et expliciunt. Prima a prima finalium et in primam superiorum D A secunda a secunda et in secundam E. ♮ Tertia a tertiis, quarta constat a quartis E. c. G. d.

(5) Forte legendum ; *in quam desinunt et hæ*, (nimirum species diatessaron et diapente) *quæ sunt sui nominis.*

Quod ad eumdem modum species diapason incipiant et finiant omnes.

Prima species diapason constat a prima gravium, prima finalium, prima superiorum : ita ut gravis et superior legitimi sint ascensus, descensusque claves, finalis medium ejusdem diapason vinculum, in qua est D commissura diatessaron et diapente. Sic secunda species diapason, secunda gravium, secunda superiorum clauditur B. ♮ et secunda finalium E. vinculatur. Tertia tertiis, quarta quartis et clauditur, et dimidiatur C. F. c. D. G. d.

Quod eodem modo ab aliis speciebus consistant autenticæ species sicut a prælibatis speciebus subjugales.

Sicut istæ quatuor species diapason, id est quatuor plagarum constant gravibus et superioribus, dimidiantur autem finalibus, prima primis secunda secundis, tertia tertiis, quarta quartis ; sic quatuor sequentes ad autenticos pertinentes clauduntur finalibus et excellentibus dimidiantur autem vel vinculantur superioribus, prima primis secunda secundis, tertia tertiis, quarta quartis ut optime conservatus ordo naturalis Dei voluntate quæ est rerum natura conlaudet, illuminans omnem hominem, quod in natura latuit venatrices mentes investigare concessit.

Utrum sint VII, vel octo discrimina vocum, cum synemmenon videatur octavum.

Synemmenon octavum vocis discrimen non facit, quia nunquam b molle atque quadratum in unam conveniunt neumam. Cum omne discrimen vocis fiat aut tono vel semitonio, seu ex his compositis consonantiis, et inter b. et ♮ nulla sit consonantia, patet profecto quod illæ duæ litteræ sint pro uno discrimine. Illarum litterarum neumæ nunquam in unum conveniunt, sicut libra et aries pariter non videntur. Consurgens aries libram, libra vellera mergit.

Quod divisio monochordi fiat aut per quantitatem aut per qualitatem.

Monochordi divisio fit bipartito. Cum enim dico totum monochordum in duas dividi diapason vel duobus passibus fieri diapason, tribus diapente, quatuor diatessaron, tonum novem quantitatis est et numeri ad mensuram pertinens monochordi. Cum autem tetrachorda quædam dico intendit per tonum, semitonium, tonum, quædam vero remitti per ditonum et semitonium, designo qualitatem ad melodiam pertinentem, quasi dicerem : Cum tetrachordum gravium, finalium, superiorum, excellentium, intendatur et remittatur per tonum, semitonium, tonum, potes quamlibet neumam susum iusumque resultare : sic et de illis quæ descendunt perpendas tetrachordis.

Utrum idem modus qui dicitur Dorius dicendus sit hypomixolidius propter D. d. quod est biforme.

Antiquitus erant quatuor tantum naturales tropi. A Quare autem quatuor naturales dicam tropos, quæstionis scrutinio dignum est. Cum quis autenticus adjuncto sibi suo subjugali constet prima gravium, prima finalium, prima superiorum, prima excellentium, quid obstat, quin sit unus modus, cum de unis ut ita dicam fiat chordis, videlicet omnibus primis ; sed secundum placitum facti sunt de quatuor octo, cogente tamen ratione. Cum quilibet cantus legitime vagari per XI. chordas potuisset, qui discursus cuilibet autento cum suo plaga composito deputatur, evenit sæpe propter cantus prolixitatem, ut aliquis versus, seu brevis psalmus adjunctus ab illo discordaret, cum omnem suum ascensum descensumve non potuisset implere : tandem est excogitatum, ut quivis IV. troporum B in duos divideretur, quorum uterque integra tantum diapason esset contentus, ut quilibet sibi subjunctum suum posset æquiparare discursum, sicut nonnunquam propter infirmiorem comitis caballum vicinius petimus diversorium.

De hoc quod quadripartita figura et caprea sint imitatrices antiquitatis troporum.

Quatuor troporum naturalis antiquitas in quadripartita modernorum figura et in nostra patet caprea. Divisionem autem eorum nostra circularis repræsentat figura, quam de virilibus femineisque choreis compinximus.

De hoc quod quatuor tropi dividuntur in octo.

Majores nostri perpendentes quemlibet tropum adhuc indivisum quatuor principalibus ita chordis C consistere, ut altrinsecus collatæ duas diapason species possent conficere, diviserunt eos in autentos et plagas, autentos vocantes auctorales et digniores, plagas autem laterales et subjectos. Quod nomen subjectionis etiam græca sua testantur vocabula, quia primus tonus appellatur græce Dorius, secundus vocatur hypodorius, id est, subjugalis Dorii : ita quartus et sextus hypophrygius et hypolidius dicitur.

Diviserunt protum primam finalium cum altrinsecus posita cum prima excellentium conjungentes, et autentum primum videlicet tonum statuentes. Primam vero gravium cum altrinsecus sita prima superiorum conferentes, et primum plagam, tonum scilicet secundum, componentes. In deutero secundam D finalium cum altrinsecus locata secunda excellentium junxerunt, et secundum autentum, tertium quippe tonum, composuerunt : secundum gravium cum secunda junxerant superiorum, et secundum subjugalem, quartum nempe tonum, statuerunt. In trito tertiam finalium cum altrinsecus posita tertia excellentium, et tertium autentum, quintum nempe tonum, confecerant. Similiter tertiam gravium cum altrinsecus scripta tertia superiorum conjunxerunt, et tertium plagalem, id est sextum tonum, posuerunt. Eodem modo in tetrardo quartam finalium id est G. cum altrinsecus statuta quarta excellentium contulerunt, quartum autentum, id est septimum tonum, composuerunt. Quartam gravium id est, D·

cum altrinsecus notata quarta superiorum videlicet d. junxerunt, et quartum subjugalem, octavum quippe tonum, constituere voluerunt. Sed quia eundem modum prius in proto autenticam speciem diapason, id est, tonum primum fecerunt, recusaverunt illum in tetrardo vel habere vel appellare plagalem, non pervidentes quod D. d, biformes sint litteræ potentes naturaliter tam plagalem quam autenticam constituere speciem. Unde ille biformis modus propter antiquorum (6) non acquisivit suæ subjugali naturæ debitum nomen, ut diceretur hypomixolidius, id est, mixolidii septimi videlicet toni subjectus.

Quomodo juniores ejusdem modi geminam intellexerint vim atque naturam.

Solertius autem prælibati modi naturam et efficaciam juniores intuentes plagales sibi formulas vel differentias attribuerunt. *Octo sunt beatitudines. Seculorum amen. In illa die* et cæteras. *Seculorum amen. Dum medium silentium.*

Quod sanctus Gregorius ejusdem modi duplicem perspexerit operationem.

Patet admodum, beatum Gregorium totius pene ecclesiastici cantus auctorem duplicem ejus cognovisse operationem, quia in autento non potius autenticas, quam plagales diligit odas. Cum autem aureo osius et sancti Ambrosii plagalis esse comprobetur estimonio, quid nobis est dubitandum, quin, ut est, dicamus illum non solum dorium sed hypomixolidium ?

Quod idem modus habeat materiam plagalis.

Cum idem modus habeat plagalis materiam, plagalem ex hac componamus formam, aut si possimus, naturaliter negemus D. non esse quartam gravium, non esse quartam superiorum, aut esse concedamus. Si negabimus, ab adversario subsequente constringemur argumentatione. Omnis chorda, quæ duorum synemmesis, id est conjunctio, est tetrachordorum, alterius est finis, alteriusque est principium; d D. synemmesis est tetrachordi gravium et finalium. Si finis est tetrachordi, quarta est chorda, d finis est, ergo quarta: quia omnis tetrachordi finalis quarta est. Argumentum a genere. Maxima propositio, quod in omnibus valet, valet et in uno, argumento præcedenti vel iambicum, oppositus scandat per ditonum, qui duo modi diapente componunt. Posset secundum judicium auditus prior per tonum appositus per diatessaron surgere: sed principium præcedentis finisque sequentis nulla adjungitur proportione. Posset e contrario prior ditonum appositus scandere per semiditonum proportionaliter, quippe cum in diapente ambo condantur, sed integræ non est euphoniæ.

De Interposito.

Interpositus necessario fiet intensus et remissus, diatessaron tono semitoniove; in diapente autem tono, semitonio, tono, semitonio : quia diatessaron

A in medio aut tonum habet aut semitonium. Diapente vero vel ditonum, vel semiditonum sive tonum, seu semitonium.

De convenientia motus, qui dicitur commixtus.

Commixtus motus venerabilior est omnibus. Ille autem duabus diapente diatessaronve potest convinculari susum et jusum, et ditono et semitono; sed ita ut semitonus iambicus ascenda, non descendat, nisi si duo semitoni convinculentur : quia tunc uterque semitonus et trochæicus et iambicus intendentur, remittenturque convenientius.

De distinctionibus cantuum, et cur finales dicantur ac superiores.

Quamvis principia, præsertim tamen fines distinctionum sunt considerandi, qui præcipue debent B finales repetere, ut domnus Guido dogmatizat dicens: Item ut ad principalem vocem, id est finalem pene omnes distinctiones currant, hoc tamen rarius invenitur, quam crebrius. Invenitur in hac antiph. *Nativitas tua Dei genitrix virgo. Gaudium annuntiavit universo mundo. Ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster. Et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.*

Finales voces triplici ex causa nuncupari videntur, et quod finiunt legitimum autentorum ascensum, et quod omnem determinant cantum, et quod in eosdem nonnunquam fines distinctionem perveniunt. Ideo dicimus nonnunquam, quia non semper in illas, sed in superiores et principia distinctionum pertingunt et fines, et in primam sub finalibus in autenti- C cis cantibus, in plagis etiam inferius. Superiores autem dicuntur, vel quia superiores plagalis cantilenæ sunt claves, vel quod superius sunt mediatrices autentorum diatessaron et diapente convincientes, ex hisque autenticam diapason componentes : vel quod superiores sunt a finalibus, quam finales a gravibus, aut excellentes a superioribus.

De proti autenti speciebus diapente et diatessaron utilibus melodiam comminiscentibus.

Præmissis modulationi utilitatibus cum domno Guidone nobis communibus, quia sua non solum verba exposuimus, sed etiam commodiores motuum species, quas ipse penitus reticuit, proposuimus, ad singularia dona jubilandi nobis divinitus concessa veniamus.

D Solum protum autentum sumamus nobis in exemplum, ut modulandi commoditatem in aliis modis reperire non desperemus, quam in hujus experiamur speciebus.

Protus autentus, id est, primus tonus V species diatessaron includit unam primam formalem, unam secundam formalem, unam tertiam naturalem, unam tertiam formalem, unam primam naturalem. Quarum V unaquæque tres habet mutationes, saltatricem continuam vel spissam, ternariam. Saltatrix duas ultimas tangit chordas, continua cunctas, ternaria tres. Saltatrix et spissa duplices sunt

(6) *Forte* auctoritatem *supplendum.*

intendendo et remittendo. Ternaria quadrupla, utpote duplex intendendo, duplex remittendo, quia quinque species sunt diatessaron, quarum quælibet duas habet saltatrices, duas continuas. Dicamus quinquies quatuor vel quater V viginti sunt. Quoniam autem ternaria est quadrupla, multiplicemus quatuor per V et item erunt XX quæ junctæ prioribus XL componunt. In eodem quoque proto IIII sunt species diapente, quarum cum unaquæque duas habeat saltatrices, duas spissas, tres quaternarias, tres ternarias, multiplicatæ per quatuor XL fiunt. Quæ totidem prioribus copulatæ complent octoginta mutationes absque his quæ in eodem tropo fieri possunt, ditono, semiditono, tono, semitonio. Cognito numero principalium mutationum in proto, perpendendum est in primis quia neumæ ex prædictis mutationibus natæ non sunt omnes in eadem generositate, sed quædam primæ, quædam secundæ dignitatis sunt, et tertiæ. Ex his generosiores ad olorinas musarum choreas sunt admittendæ, cæteræ non Orpheis sed exteris sunt relinquendæ. Omnes saltatrices laudabiles, sed tamen nobis generosiores videntur quam Longobardis. Illi enim spissiori, nos rariori cantu delectamur. Prima et secunda et quarta spissa diatessaron species intensa et remissa bene sonat, sed tertia surdius. Ex eodem genere spissitudinis quarta species formalis in diapente, et prima ac quarta naturalis satis sunt euphoniæ et intensæ et remissæ, secunda vero et tertia propter innominati tritoni raucedinem melibeis et ululis delegentur, excepta saltatrice quæ in omnibus est æqualis, nisi quod inest differentia gravitatis et acuminis. Ternaria diapente triplex est, et aliquantulæ sonoritatis. Ternaria diatessaron duplex est, et minus sonora. Reprobæ sunt secundæ et tertiæ species diapente, excepta saltatrice. Utiles colligamus, ut earum numerum sciamus. Reprobatis de secunda et tertia specie diapente quatuor spissis, sex quaternariis, octo ternariis : de V speciebus diatessaron X ternariis, utpote duabus de unaquaque et insimul collectis XXVIII de LXXX abjiciemus et remanebunt LII habiles cantilenas comminiscentibus et opportunæ.

De varia oppositione Neumarum.

Interdum saltatrix contra saltatricem, spissa contra spissam, quaternaria contra quaternariam, et cæteræ æquivocales sunt constituendæ, interdum variandæ, ut spissa contra saltatricem, vel quaternariam vel ternariam opponatur, vel spissa diapente contra diatessaron, ut laudabilis similitudo vel dissimilitudo discernere scientibus commendetur : qui non solum hoc sed neumarum proportionem requirant, ut triplex sit suavitas, una cantionis, quæ comprobetur ab auriculis ; secunda proportionis vocum, et neumarum ad distinctionum, quæ delectatio est rationis ; tertia pulchræ similitudinis ac dissimilitudinis sex consonantiarum.

De nobilitate et ignobilitate consonantiarum.

Sex consonantiarum tres nobiles, tres sunt ignobiles. Nobiles diapente, diatessaron, tonus, quia originem et parentelam suam profiteri possunt : quippe cum hæc sesquialteræ, hæc sesquitertiæ, hæc sesquioctavæ sit proportionis, unde etiam eas credimus esse minus dulcisonas.

De consideratione constitutivarum partium diatessaron et diapente.

Aliquotiens considerationem constitutivarum habeamus partium in diatessaron et diapente, aliquotiens specierum suarum, nonnunquam etiam interpositionis minorum consonantiarum. Constitutivæ partes sunt diatessaron tonus et semiditonus, vel ditonus et semitonium. Interdum partes præponamus, interdum postponamus, et si una vice præponamus vel postponamus istas, alia vice illas, aliquando quoque cingamus diatessaron partibus, ipsa in medio vice dominæ constituta. Constitutivæ partes præponuntur, sequitur ipsa diatessaron in hunc modum. *Ecce ego mitto vos sicut.* Præponitur tonus intensus : *Ecce ;* præponitur semiditonus intensus et remissus : *Ego ;* sequitur diatessaron spissa per remissionem, saltatrix per intensionem : *Mitto vos sicut.* Ambæ partes diatessaron præponuntur tonus semiditonus, semitonium ditonus sequente diatessaron ut in hac : *Rogo ergo te Pater ut.* Interdum totum præponitur partibus dividendum ut hæc : *Surrexerunt.* Hæc consideratio non est inter contemnendas, cum in illa dialectica luceat qualitas. Nam partium compositio totum facit, totius resolutio partes ostendit. Eadem observatio debet esse in diapente. Partes ejus sunt tonus, diatessaron, semiditonus, ditonus. Quibus præmissis ipsa sequitur vestigio, ut venientibus sagmis Domini sperantur. Hoc dicimus non ut ita semper inveniatur. Sed ut ita fieri oporteat naturaliter, cum sine partibus totum non esse, nec positis possit abesse.

De Contubernio diatessaron et diapente.

Aliquotiens diatessaron et diapente commilitent, ita ut si altera saltatrix intendatur, altera spissa remittatur, aut si hæc quaternaria remittatur, hæc ternaria intendatur. Tum diapente sibimet conferatur, ut si hæc surgat spissa, illa deponatur saltatrix, vel quaternaria, vel ternaria. Interdum per commixtum motum, quam prælibavimus, sibimet convinculetur. Eodem modo diatessaron : aliæ quoque consonantiæ aut pariter bis deponantur, vel simul intendantur, seu in commixto concatenentur. Et propter jocunditatem suam species illæ gemellæ diatessaron et diapente admodum in quibusdam cantilenis suum ostendunt contubernium.

De consideratione proportionum in his speciebus.

In his ergo omnibus considerationem proportionis observemus : ut si diapente saltatrix sit in ista neuma, in hac sit vel tonus vel alia saltatrix : sive sit in diapente, sive in diatessaron, sive in ditono, seu semiditono, ut æqua sit responsio. Aut contra saltatricem ponamus aut spissam diatessaron aut diapente quaternariam, ut dupla fiat proportio. Aut contra saltatricem constituamus ternariam dia-

tessaron vel diapente, aut ditonum semiditonumve spissum, ut sesquialtera fiat responsio, ut sine subtili collationis consideratione nihil temere fiat ignoranterque penes nos, qui histrionibus dulce jubilantibus veram jubilandi naturam comparationemque penitus ignorantibus admodum dissimiles esse debemus. Omnes saltatrices in omnibus consonantiis æqua proportione conferuntur, et cum his tonis ac semitonium. Diapente spissa contra sese æqua conferuntur collatione aut contra saltatricem simul et ternariam, aut contra saltatricem simul et ditonum sive semiditonum spissum : aut contra tonum sive semitonium cum ditono, sive semiditono : aut contra quaternariam et simplicem neumam : aut contra unam simplicem et quatuor repercussas : aut contra tonum sive semitonium, et tres repercussas. Quæ consonantiæ æqua copulentur proportione, pronum est perpendere. Proinde ad aliarum collationem redeamus. Quaternaria ad ternariam, ditonum, semiditonum, sesquitertia est; ad tonum autem semitoniumve dupla. Ternaria ditonus semiditonus, sesquialteram faciunt proportionem ad tonum semitoniumve.

De multiplicitate specierum.

Duplices sunt saltatrix et spissa, utpote unam intensionem habentes et remissionem. Quaternaria in diatessaron non est, quia non habet nisi quatuor chordas, quæ spissam faciunt. Ternaria in diatessaron octupla est, quadrupla intendendo, quadrupla remittendo. Quaternaria in diapente decupla est : quia quinque intenditur, quinque modis remittitur. ... am persolvimus, quæ cantilenarum auctoribus non nihil profore credidimus. *Vid. fig.* B.

De Caprea repetitio commendationis.

Capream, domine, quam vobis obtuli, in vestram commendo gratiam, ut ipsa natura vestræ experientiæ commendet eam. Evidentem troporum divisionem ostendit, propter quadripartita penes modernos laudem promeruit. Sed si ipsa non naturaliter hoc faciens est gratiosa, caprea, naturaliter idem conficiens non sit exosa. Si quadripartita in unam lineam omnes contra naturam monochordi conferens graves laudetur, nostra caprea in unam juxta monochordi constitutionem colligens easdem non vituperetur. Quadripartita quarta gravium, prima finalium, quod primitiva dispositio renuit, longe divisit, nostra caprea collegit. Si autem illa perversa divisio commendet, istam naturalis collectio non contemnet. Si quadripartita protum acutissimum, tetardum faciens gravissimum, celeberrima sit omnibus, capream non obscuret penitus, quod utique naturalem gravitatem dedit et acumen. Easdem litteras in nostra caprea contra se esse positas nemo reprehendat. Sed aliter secundum naturam ...ri non posse reprehendat, cum A. gravis sit proti, ...ui secundum monochordum tono differt a gravi deuteri B. si in depositione deuteri non esset A. contra A quod est in dispositione proti, fieret aut perversa conjunctio, aut perversa disjunctio. Si B. opponetur A esset perversa conjunctio, quam in quadripartita reprehendo, gravibus duorum modorum in uno convenientibus loco. Si autem gamma deuteri poneretur contra proti A. perversa fieret disjunctio, A. gravem proti, et B. gravem deuteri, ditonio dirimente, penitus id natura monochordi renuente. Quid ulterius procedimus? in quo nostram capream quadripartita præcellat ignoro, nisi in mensuræ difficultate, quæ si merito laudabilior est facilitate, scio pluribus id admirationem generare. Nunquam aliud natura, aliud mea caprea dicit.

Utilis expositio super obscuras Guidonis sententias (7).

Et aliæ voces ab aliis morulam duplo longiorem vel duplo breviorem aut tremulam habeant. Et Paulo post *summopere caveatur talis neumarum distributio, ut cum neumæ ejusdem soni repercussione, tum duorum vel plurium connexione fiant, semper tamen aut in numero vocum, aut in ratione tenorum neumæ alterutrum conferantur et respondeant.* Ut mihi videtur triplicem per hæc verba designat cantilenæ collationem : quia vult ut proportionalis fiat, aut intercapedo duarum vocum, quod notat dicendo : *Et aliæ voces ab aliis morulam duplo longiorem, vel duplo breviorem aut tremulam habeant :* aut ut numerum vocum proportionaliter consideremus, quod his intimat verbis ; *aut in numero vocum*, seu ut fiat comparatio, ut in ipsius vocis ultima protensione. Hæc tria ut apertius intelligantur, sunt exemplificanda. Morula dupliciter longior est vel brevior, si silentium inter duas voces duplum est, ad aliud silentium inter duas voces. Eodem modo morula dupliciter est brevior, si taciturnitas inter duas voces simpla est ad aliam taciturnitatem inter duas voces. Quod dicit : *aut tremulam habeant*, puto intelligendum sic esse. Tremula est neuma quam gradatum vel quilisma dicimus, quæ longitudinem de qua dicit *duplo longiorem* cum subjecta (7*) virgula denotat, sine qua brevitatem, quæ intimatur per hoc quod dicit, *vel duplo breviorem*, insinuat. Secunda pars proportionis, quæ describitur his verbis, *aut in numero vocum*, hunc ut arbitror habet intellectum. Ipse vocum numerus invicem est conferendus, ut neumæ nunc æquæ æquis, nunc duplæ vel triplæ simplicibus atque alias collatione sesquialtera vel sesquitertia respondeant. Æquæ æquis respondent, ut *semen cecidit in terram bonam*. Quinque voces sunt in duabus dictionibus prioribus *semen cecidit* totidem in tribus sequentibus, *in terram bonam*, nunc duplæ simplicibus, ut, *Et obtulit fructum. Et obtulit.* Quatuor sunt voces, duæ in *fructum*, dupla ergo collatio. Nunc triplæ simplicibus ut *aliud*, *a* habet unam vocem, *liud* tres : quia *li* duas possumus colligere voces in prædata neuma, unam in *ud*

(7) Em. *plana.*

(7*) *Microl.* GUIDONIS Aret. c. 16.

tres ad unam p triplum faciunt : atque alias collatione sesquialtera, ut *centesimum* dimidium dictio, id est *cente* duas alias, medietas, id est *simum* tres habet voces, unam in *si*, duas in *mum*, quæ conquiniscentem, id est, inclinativam resultat. Ternarius ad binarium sesquialtera vel sesquitertia collatione, sicut est *venite Benedicti*. *Venite* tres, *Benedicti* quatuor habet voces. Quaternarius ad ternarium est sesquitertius, tertia pars est proportionis, quæ describitur his verbis, *aut in ratione tenorum neumæ alterutrum conferantur et respondeant*. Tenor est ultimæ vocis protensio, quæ ad invicem confertur ita, ut numerus vocum et intervalla, earum nunc æquæ æquis, nunc duplæ vel triplæ simplicibus, atque alias collationes sesquialtera vel sesquitertia conferantur, et respondeant. De quo tenore vel protensione domnus Guido dicit : *Tenor vero, id est mora ultimæ vocis, qui in syllaba quantuluscunque est amplior in parte, diutissimus vero in distinctione. v. g. Dixit Dominus mulieri Cananeæ*. Unam ergo distinctionem habet in *dixit*, partem in *dixit Dominus*; distinctionem *dixit Dominus mulieri Cananeæ*. Habeatis syllabam. In *dixit* finalis *xit* aliquantulum protendatur. In *dixit Dominus* finalis *nus* producatur amplius. In *dixit D. m. C.* finalis protendatur diutissime.

Proponat sibi musicus quibus ex his divisionibus incedentem faciat cantum (8), vel quæ sint illæ divisiones. Sicut enim metrorum plurimæ sunt divisiones, quia quædam sunt Asclepiadea, quædam Saphica, quædam Alchaica, et ad hunc modum Hyponactica, nonnulla etiam Gliconica : sic melodiarum neumæ plurimas habent divisiones, dum una sit divisio æquarum ad æquas, altera et tertia duplarum triplarumque ad simplices, quarta quintave ut sesquialterarum sesquitertiarumque distinctiones distinctionibus sunt æquales, ut in bene procuratis cantibus apparet sicut in illo. ♮. *Ecce nunc tempus acceptabile*, una distinctio. *Ecce nunc dies salutis*, altera. *Commendemus nosmetipsos*, tertia. *In multa patientia*, quarta. *In jejuniis multis*, quinta. *Per arma justitiæ*, sexta. *Virtutis Dei*, septima. Quæ omnes penes sunt commensurabiles (9) ut in modum currentis equi voces ad locum respirationis accedant. (10) Spissim autem et raro prout oportet notæ compositæ hujus rei poterunt indicium dare. Equus dum currit, crebrius ungulas figit, dum cessare cogitat, rarius vestigia collocat, ita juxta finem distinctionum ut rariores, i. e. tardiores voces succedant est procurandum (11). Quod autem dicit, *spissim autem et raro prout oportet notæ compositæ, hujus rei poterunt indicium dare* (12) arctius est scribendi et neumandi distinctio, donec ad finem appropinquet. Juxta fidem autem dissipetur scriptura cum neumis, ut cantori sit indicium præ-

A dictæ tarditatis in hunc modum, *Miserere m. f. d.* (13) quia si in tetrachordo finis est quarta chorda, principium est in eo prima chorda, sed hoc est; ergo D. secundum hanc rationem, et quarta est gravium, et prima finalium. Hac ipsa argumentatione sit probatum, quod d. sit quarta superiorum, prima excellentium.

Quod probatio ista pertineat ad materiam autenti et subjugalis.

Jam probavimus, quod modus sæpe dictus inter D. d. constitutus tam materialis sit plagæ quarto, id est, octavo tono, quam autento primo, primo videlicet tono, quodque tam vere dicatur, hypomixolidius quam dorius : quia cum constet quarta gravium, quarta superiorum, prima finalium, prima excellen-
B tium, probandum erit, quartam gravium, quartam superiorum plagali esse materiales : aut audiamus, si naturaliter possimus tribus gravibus A. B. C. tribus superioribus a. ♮. c. quod non sint constitutive et materiales tribus plagis, tono scilicet secundo, quarto, sexto, aut quartæ gravium, quartæ superiorum : concedamus, ut materiales sint claves quarto plagali, octavo denique tono; sed impossibile est, ut tribus præpositis gravibus et superioribus trium plagarum constitutionem adimamus. Ergo possibile est et verissimum, ut quartæ gravium et superiorum quartæ plagæ, id est, toni octavi essentialem concedamus.

De proprietate Protorum, Deuterorum, Tritorum, Tetrardorum.

C Proprietas est protorum, ut concordent in elevatione per diapente, in depositione per tonum.

Proprietas est deuterorum cum integra diatessaron per intensionem, ditono per remissionem.

Proprietas est tritorum, ut concordent intensione ditono, diatessaron remissione.

Proprietas est tetrardorum, ut protis opponantur; quatenus horum elevatio istorum sit remissio.

Quod non sit firmius argumentum quam proprietas.

Quamvis satis sit probatum, quod de plagali materia, videlicet quarta gravium, quarta superiorum, quarta plagalis species, id est, tonus octavus possit conformari, nam inficiari vere non possumus, quin possit aureus de auro fieri stilus, tamen adhuc ipsi
D sufficientiæ violentiam volumus inferre, etiam non necessariorum copiam ministrantes argumentorum.

Efficacius argumentum ipsa proprietate non possumus invenire. Neque enim temere proprietates troporum cogitavimus præmittere. Videamus si D. d. tam tetrardi quam proti proprietates possit habere. Tetrardorum est proprietas, ut protorum intensio sit illorum remissio. Sed D. ita remittitur per tonum,

(8) *Ve... divisiones* desunt in Em.

(9) Emer. *Interdum vero ut in modum currentis rari rariusque voces.*

(10) Emer. *Sæpissime autem vel rarenter.*

(11) *Quod... dare* desunt in Emer.

(12) Em. *Arctius autem est scribenda et neumanda.*

(13) Hic desinit *San-Emeram*, et quæ hic sequuntur, cum præteritis non cohærent.

semitonium, tonum, sicut A. protus tono, semitonio. tono intenditur.

Quod æqualiter de se prædicentur species et propria.

Omnis homo risibilis est, et omne risibile homo est. Omnis tetrardus per tonum, semitonium, tonum remissibilis est, et omnis remissio toni, semitonii, toni tetrardus est. Sed D. d. remittitur tono, semitonio, tono; ergo tetrardus est. Si tetrardus est; aut autentus est, aut plagalis. Sed necesse est, ut sit plagalis, quia nullus autentus gravibus et superioribus constat. Irrefragabilibus transactis argumentationibus, et prolixo naturæ suæ finito scrutinio, baptizemus eundem modum, nominantes eum hypomixolidium, ut sic sit binomius, sicut eum biformem novimus.

Cur dicantur Tropi.

Tropi dicuntur a reversione; quia ubiubi cantus quocumque ascendat seu descendat, ad ultimum in finalis revertitur domicilium.

Utrum Trite Synemmenon infra vel supra transductoriam ponenda sit lineam, et utrum molle b. rotundumque sit magis necessarium, minusve quam quadratum ♮.

Causa est antiquior quam effectus, ut ignis combustionem præcedit. Cum hiatus diezeuxis, id est disjunctionis tetrachordorum, patribus nostris plurima canendi prætendisset offendicula: quia tritus finalis F. supra quarta, tritus excellens f. infra caruit quinta, interposuerunt trite synemmenon ad emendandum jubilationis defectum. Ibi causa est C
diezeuxis, interpositio synemmenon est effectus, ergo posterior, Quæ sit posterior inventione, sit etiam posterior in sessione, sicut advena in domo aliena. Suscepta quidem sicut iambus spondeos stabiles in jura paterna recepit, commodus et patiens, non ut de sede secunda cederet, aut quarta socialiter. Ergo synemmenon infra collocetur, non supra. Quæ harum sit utilior chordarum perpendere possumus, si discernemus cujus sit frequentior usus.

Quod tritus maxime indigeat synemmenon, cum ipsa suppleat vicem superiorius triti.

Cantus quinti et sexti toni potissimum indigent synemmenon, cum ipsa sit vicaria triti superioris. D
In proto quoque succinit, sed rarissime, ut in *Ecce nomen Domini v. d. l.* Quadratum autem ♮ non solum in deutero, qui suus domesticus est, sed etiam in proto, in tetrardo, in ipso quoque trito conversatur assidue: quamvis trito familiari non sit vicinitate conjunctum, quia nec a finali F. nec ab excellenti f. aliqua distat consonantia. Hinc licet perpendere b. utile, ♮. autem multum utilius esse, ideoque admodum esse commodiorem conjunctione disjunctionem. Qua etiam ratione frequentioris utilitatis et rarioris possumus colligere infra b. supra ♮ notandum esse in hunc modum.

a ♮ c
b

A *Quod non sit dicenda quinta, sexta, septima, octava species diapason, quamvis sint octo.*

Licet sint octo species diapason, quintam tamen et sextam, septimam, et octavam dici naturæ veritas non patitur. Cum enim omne totum de suis partibus nominetur veraciter, idem in tota diapason, et in suis partibus, diatessaron scilicet ac diapente, considerare debemus. Species diatessaron et diapente non plures quam quatuor scimus esse; sed cum species diapason constituantur de speciebus diapente et diatessaron, non possunt fieri plures, quam partium species: sed quoniam quatuor species diapason constituuntur, ita ut diatessaron præcedat, diapente sequatur, quæ sunt plagales; quatuor autem ita, ut diapente prævia diatessaron sit
B assecla, quæ sunt autenticæ: patet profecto octo species esse, sed nullam earum quintam vere dici posse, cum neque diatessaron nec diapente quinta species inveniatur esse. Quis dicit aulam ligneam de ligni partibus non constructam? Similiter quis dicit quintam speciem diapason de quintis partibus non consistentem; cum nulla diapente sit quinta, nulla diatessaron, quæ sunt constitutivæ partes diapason? Sed tamen octo species sunt diapason, quamvis nulla quinta: quia octonarius veraciter habetur ac computatur, ubi quaternarius duplicatur. Quatuor species sunt diapason autenticarum, quatuor plagalium, quæ complent octonarium; nullam tamen, ut prædiximus, quintam vere dicere possumus.

De similitudine gemelliparæ quatuor vicibus geminos.

Cogitemus aliquam in tantum esse fetosam, ut quatuor vicibus sit gemellipara, quosdam germanorum primigenas, vel, ut ita dicamus, secundigenas, tertigenas, quartigenas dicere possumus, nullum autem quintigenam, cum eorum nemo quinta vice sit genitus, quamvis octo tamen esse non dubitemus.

Quod quidam unam musam, quidam duas, tres, quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem esse possint dicere secundum multiplices rationes..

Unam musam possumus asserere, generalem, scilicet monochordum vocis humanæ, quæ ex una fistula colli efficacissime jubilat omnia melorum genera, cui nullæ hydrauliæ, nullæ aliæ comparantur fistulæ. Hæc cum cunctarum suppleat officium, duas musas possumus conjicere in autentorum et plagarum esse dualitate, aut in pulsationis, ac inflationis duplicitate: quarum altera cymbalis et chordis, altera fistulis servit et tybiis: vel in bifida arsis et thesis, id est, elevationis et depositionis natura, sine qua non fit aliqua vox musica. Quid est musica? Motus vocum. Omnis autem vocis motus vel arsi fit aut thesi.

Tres musas intelligimus, non absurde tria genera musicæ: Diatonicum, chromaticum, enarmonium: seu tres sunt musæ, ipsa vox humana, pulsationis, inflationisque mixtura marinis in scopulis resultans syrena. Quæ Græcum sortitur vocabulum: *Syrin*, (συρειν) enim Græce dicitur contrahere, unde syrtes

dicuntur, ubi arenæ contrahuntur. Hinc etiam comicus dicitur syrus, qui sua calliditate fugitivum argentum traxerat ad se. Pauca sunt in fabulis, quæ non aliquo fonte deriventur veritatis. Ferunt syrenas cantatrices esse maritimas, quæ nautas interficiant improvidos dulcioribus ad se modis illectos. Quædam concava saxa in mari sunt prominentia, in quibus collisio procellarum dulcisonam imitatur melodiam, quæ cum dulcedine sua prætereuntes contrahit, miserabili nonnunquam naufragio submergit. Sicut hujus mundi syrenæ blandientes, videlicet illecebræ, nostri similes periculosissimo animarum submergunt naufragio

Quatuor musas temere non arbitramur aut quatuor continuos antiquorum, quos prælibavimus tropos, vel quatuor tetrachorda, G. F. S. E. omnem melodiam possidentia. Sive pythagoricos quatuor malleos, quibus quatuor symphoniarum, toni, diatessaron, diapente, diapason, reperit proportionem, seu quadripartitam monochordi distributionem, quæ ascendendo primo constitutivo passu diatessaron, secundo diapente, tertio diapason constituit; descendendo autem econtrario primo constitutivo passu diapason, secundo diapente, tertio diatessaron.

Quinque credimus musas V. majores symphonias sesquitertiam, sesquialteram, duplam, triplam, quadruplam, aut V. vocales, sine quibus non fiunt voces litterales, seu ad V. referamus musas omnes penitus litteras V. modis divisas : quia quædam
I. II.
sunt vocales, quædam semivocales : hæ mutæ, illæ
III. IIII. V.
liquidæ, duplices aliquæ. Seu intelligamus V. musas V. sensuum noxias fenestras, per quas anima bibit temporalium delectationes et musas.

Sex musas sex minores perpendamus esse consonantias : semitonium, tonum, semiditonum, ditonum, diatessaron, diapente : quibus omnis conformatur neuma regularis. Has sex duntaxat domnus Guido diligebat.

Septem musarum ad intellectum sumamus septem discrimina vocum : quia cæteræ non additio sunt, sed earumdem repetitio ; vel septem planetas.

Octo musas octo tonos intelligamus, quorum magisterio totum corpus cantionis disponimus, et gubernamus.

Novem esse musas omnis consensit antiquitas, imitatrix mundanæ, quæ novem circulis continetur, musicæ. Cœli et terræ duo circuli septem planetis adjuncti novem perficiunt : ad quam similitudinem in terrestri nostra musica novem computaverant musas, novem videlicet consonantias. Voces unisonas, semitonium, tonum, semiditonum, ditonum, diatessaron, diapason, diapente cum semitonio, diapente cum tono. Unisonæ voces ut : *Adjuva nos Deus s. n.* semitonium ut *Missus est G. a. ad M.* sed puerile est de tam manifestis uti exemplis. De novissimis tantum duabus exempla proponamus : id

A est, de diapente cum semitonio, de diapente cum tono, quia hæ et minus proportionales et minus usuales. Diapente cum semitonio sonat in illius hymni principio. *Mare, fons, ostium*, atque diapente cum tono in : *Ad te levavi animam m. d. m. in te*, Et in : *Jam non estis h. et advenæ, sed estis cives s. et domestici.*

De simplici cymbalorum mensura sesquitertia et sesquialtera proportione intensa et remissa, et cur similis sit monochordi cymbalorumque mensura.

Arbitror idcirco eodem modo se habere mensuram monochordi, cymbalorumque, quod pulsatio sonum excitat utrimque, tinnitus chordæ et cymbali ferit aerem liberum nullis circumstantiis clausum. Sed distat ab illis mensura fistularum, fortas-
B sis propter aerem in ipsis coarctatum, qui dum se dilatandi libertatem fistulæ circumstantiis cohibitus non habeat, quærit non solum longitudinis, sed etiam grossitudinis adjectionem. Unde in reperiendo tono non solum priores fistulæ longitudinis, sed grossitudinis, id est diametri octavam partem assumimus, ut patebit in sequentibus ; sed ad cymbala redeamus.

Propter toni tarditatem sesquitertia sesquialteraque proportione mensuram statui intendere et remittere. Octo cymbala sunt ratione dimetienda reponderatione ceræ, quam ad primum cymbalum expendas, duas diligenter provideas ; quarum alteram in duas, alteram in tres partes distribuas. Et
C isti, quam in duas divisisti, propria medietate, illi tertia sui adjecta parte formes tibi duo cymbala primo per diatessaron et diapente respondentia habeas quoque illius, quam in duo distribuisti, reponderationem, quam dividens in quatuor dimoveas quartam de tribus partibus secundum cymbalum compositurus. Ejusdem secundi cymbali reponderationem ceræ sumas, et ejus medietate sibimet superposita formam sexti fingas cymbali. Cujus reponderationem quatuor partibus distribuens, quartam secernens, de tribus tertium conformes cymbalum, quod per medium dividens tantumque ut est dimidium superaddens, proponas septimum. Cujus reponderationem quadripartiens quartamque rejiciens, de tribus synemmenon conficias.

D *Monochordi mensura ejusdem proportionibus constituta.*

Totum monochordum a gamma quatuor passibus dividas, et in primi fine C. secundi G. tertii g. ponas. Post a gamma tribus passibus ascendas, ac in primi fine D. secundi d. constituas. Deinde remittas diatessaron ad D. tribus, quarta vice A. positurus, ascendas ab A tribus, diapente intensurus. In primi fine ponas E. in secundi e. jam remittas tribus diatessaron ad E. quarta vice ponens B. a C. diatessaron intendas, et in primi fine F. scribe, secundi c. Ex F. diatessaron intendas, ut primo synemmenon, secundo f. invenias, a. ♮ $\frac{a}{a}$ residuæ litteræ dupla ab æquivocis inveniantur proportione. Eandem

remittas diapente duobus ad F. tertia vice inferius synemmenon scribe.

Ejusdem mensuræ epigramma.

Passibus in primis totum partire quaternis.
r. gamma locans C. C. g. divide post tribus æque,
Inscribe D. d. post hæc remeas tribus ad D.
Scribatur gravis A. suspendas tribus E. post c,
Ponas, descendens et ad E. tribus in quarta vice fac B.]
Bis binis ex C. veniens F, scribe, dehinc e.
Sic synemmenon et f. totidem fac passibus ex F.
Quicquid adhuc restet jam dupla proportio præstet]
A ♮ rursus et $^{a}_{a}$. sunt æquivocis statuenda
B. de b. legem require decet per eandem.

Alia monochordi mensura ab acutis incipiens.

Primus passus ab $^{a}_{a}$. per diatessaron remittitur in E., secundus vacat, tertius in A. quartus vacat, quintus in E. sextus in D. septimus et octavus vacant, nonus in A. Ab a. per diapente in D. remitte; inde a D. per diatessaron in G. remitte: a G. per diapente primum passum in c. secundum in G. tertius vacat, quartus in C. quintus vacat, sextus finit in gamma. Fiat ut f, de c. bis binis scandimus æque: ab f. remitte per diapente, primus passus in synemmenon, secundus tendit in F. tertius vacat, quartus in synemmenon inferius: ab e. remitte diatessaron, primus terminat in ♮. secundus vacat, tertius in E. prius inventum, quartus vacat in B.


Antiqua fistularum mensura quæ intenditur.

Mensuram duorum ordinum, id est XVI. fistularum hic dicere sufficiat, secundum quam alios quot libeat ordines quivis adjiciat. Primam fistulam tantæ longitudinis ac latitudinis delibera, quantam mediocritas cum arbitrio doceat, longitudo aut fistulæ ac plectro sursum habetur, et latitudo est ipsius concavitatis capacitas, qua se in summitate in modum circuli aperit: qui nimirum circulus non secundum ambitum suum, sed per medium duobus hemispheriis divisus diametrum dicitur. Hujus diametri longitudinem circino deprehensam statim post primæ fistulæ informationem in summitate ejusdem primæ fistulæ duabus lineis æqualibus depinge, et unam earum in octo, alteram in duas et in tres; et in quatuor æquas partes divide, et post hæc tota men- D sura tibi erit facillima. Secundam autem a prima sumpturus octavam diametri ejusdem primæ fistulæ longitudini aufer, reliquum ejus spatium usque ad plectrum in octo partire, et nona in summitate rejecta, habebis secundam. Tertiam inventurus secundæ fistulæ longitudini octavam diametri tolle, residuum ejus spatium usque ad plectrum in novem divide, et nona parte in summitate prætermissa tertiam invenisti. Quartam quæsiturus primæ fistulæ longitudini tertiam diametri adime, reliquum ejus spatium usque ad plectrum in quatuor divide, et

A quarta, et parte ablata quartam cum integro diatessaron addidisti. Quintam reperturus primæ fistulæ diametri medietatem disjunge, reliquum ejus usque ad plectrum spatium in tria divide, et, tertia in summitate separata, quintam cum diapente aggregasti. Sextam appositurus secundæ fistulæ longitudini item medietatem diametri abscide, reliquum ejus spatium in tres partire, et tertia relicta sextam subjunxisti. Synemmenon ostensurus quartæ fistulæ tertiam diametri reseca, residuum ad plectrum spatium in quatuor divide, et quarta parte omissa synemmenon designasti. Septimam invenies si tertiæ medietatem diametri amputabis, et reliquum in tres divides, et tertia in summitate rejecta, sep-
B timam finalem constituisti. His ita dispositis octavam a prima, nonam a secunda, decimam a tertia, undecimam a quarta, duodecimam a quinta, decimam tertiam a sexta, inferius synemmenon a superiori synemmenon, decimam quartam a sexta, hoc modo facillime ordinabis, ut unicuique superiorum integrum diametrum excipias, et reliquum ejus spatium usque ad plectrum in duas partes dividas, ac superiore declinata, inferiorem, plectro dico contiguam, pro octava suscipias.

Nova fistularum mensura quæ remittitur.

Domnus Willehelmus prius Emmerammensis Ratisponæ monachus, nunc autem alibi (14) abbas venerandus fistularum novam exquisivit mensuram prioris intensionem convertens in remissionem, quam mecum communicavit. Nam meam dilexit par-
C vitatem ultra parvitatis dignitatem, qui est musicus primus; modernus videlicet Orpheus et Pythagoras. Cujus est ista dispositio. Primæ ergo longitudo, sicut placuit dommo Willehelmo, usque ad plectrum hæc est. Grossitudinem autem quæ æqualis est omnibus, iste designat circulus.



Primæ igitur fistulæ quantitas in octo dividatur, eique octava pars cum octava diametri apponatur, et erit secunda: secundæ item longitudo in octo partiatur, additaque octava cum diametri octava, erit tertia. Primæ item in tres dividatur, additaque tertia cum tertia diametri habebis diatessaron in ipsa quarta peractum. In hac ipsa incipit integer minor

(14) *Hirsaugiæ* scilicet cujus musicam supra dedimus; in qua tamen nihil de hac fistularum mensura.

A.	B.	C.	E.	H.	I.	M.	O.
VIIII. CC. XVI. OMENOS.	Hyp hypa VIII. o T.	ate ton C. XC. II. Par hyp VII. s T. C.	hypate aton DCC. LXXVI. Lych hypa VI. D o T. F.	anos ton. CCCC.XII. hy me VI.C. o T.	pate son XLIIII. par me V. d s T.	hypate son CCC. XXX. II. lycha V. C. o T. N.	nos meson. LXXX. IIII. me IIII. d o T.
VIIII. CC. XVI. LAMBAN	Hyp hypa VIII. C o T.	ate ton XC. II. Par hyp VII. s T. D. G.	hypate aton. DCC.LXXVI. Lycha hyp VII. s T.	nos aton. CC. XCVI. hyp me VI. C. o T. o T. s T.	ate son XL. IIII. par me V. d s T. K.	hypate son CCC. XXX. II. lycha V. CCCC L. s T.	nos meson. LXX. II. me IIII. d s T. s T. s T.
VIIII. CC. XVI. PROS	Hyp hyp VIII. o T.	ate aton. C.XC.VII. H. Par hy L Q. hypate paton. DCCCC. XXXIIII. Ly hy VII. Q.	chanos paton. DCC. LXXVI. o T.	s T. hyp me VI. C. X.	ate son L. IIII. p Q. arhypate meson V. dCCCC. LXXX. VIII. ly Q.	chanos meson. V. dCCC. XXX. II. o T.	me IIII. d o T.

F. G. A. B. C. D. E. F.

TETRACHORDUM HYPATON. — TETRACHORDUM MESON.

TETRACHORDUM GRAVIUM. — TETRACHORDUM FINALIUM.

(A deorsum in sursum lege.)

Mese dia ton. IIII dC. V	III. tri syn IIII. CC s T.	te nem C. LXX. IIII. o T. S. para syn III. d LXX	nete nem. CCC. X. VIII. o T. nete III. CCC	synnemenon. C. L. Vi.	Diatonicum.
Mese ch rom. IIII dC. VI	II. tri syn IIII. CC s T. P.	te nem. C. LXX. IIII. s T. R. pa syn IIII.	ranete nem. C. IIII. s T s T. s T. nete III. CC	synnem. CC. L. VI.	Chromaticum.
Mese enar m. IIII dC. VIII	tri . syn IIII. XC. Q.	te p. nem. CCCC. . I. Q.	aranete synnem. IIII. CCC. LXX. IIII. o T. X. Y. nete III. CC. C	synnem. CCC. L. VI. C.	Enarmonium.

X. Y. C C. DD. FF. IIII. II.

se C. VIII. param IIII. XC. o T	ese VI tri diez III d. s T. A.	te eug. CCC. LXXX. VIII. o T. A. BB. para diez III. CC.	nete eug. CC. L. VI. o T. nete diez III. LXX. II.	eug. tri hyp II d. s T.	te erb. CCCC. XVI. o T. GG. para hype II. d.	nete rb. XC. II. o T. nete hyp H. CCC. IIII.	erb.	Diatonicum.	Monochordum.
se C. VIII. parame IIII. XC. o T.	se VI. tri diez III d. LXX. s T. Z. A.	te eug. CCC. X. VIII. s T. A. para diez III. d.	nete eug. C. XL. VIII. s T. s T. s T, nete die III. LXX.	z. . II. tri hyp. II. dC X s T. EE.	te erb. hyp. CCC. II. VI. s T. pa	ranete erb. dCC. XXX. VI. s T. s T. s T. nete hyp. II. CCC. iIII	rb. .	Chromaticum.	et Hucbaldi.
se C. VIII. parames IIII. XC. V o T.	e. I. III. XC. Q. tri die d	te z. CCCC II. Q. pe	aranete diezeug. III. dCCC. LXXX. VIII. o T. nete die III. LXX. II. o T.	tri. hyp. II. d XC. Q.	te erb. CCCC. IIII. Q.	paranete hyperb. II. dCCCC. XVI. o T. nete hyper II. CCC. IIII. o T.	b. .	Enarmonium.	Regulare Boëtii

G. A B. C. D. E. f.

TE | TRACH — TETRA | ORDUM SUPERIORU | M — CHORDUM DIEZEUGME | NON — TE | TRACHORDUM EXCELLENTI | UM

(SEQUITUR TABULA. *A deorsum in sursum lege.*)

ordo priorque. Tertia item fistula in octo dividatur, additaque octava cum octava diametri, synemmenon reperitur. Item prima in duo dividatur, additaque medietate diametri, quinta perficitur. Secundæ item longitudo in duo partiatur, additaque medietate cum medietate diametri, sexta peragitur. Tertia similiter in geminas partes dividatur, appositaque altera cum altera diametri parte, septima producitur. Octava a prima sic inveniatur. Prima duplicetur; insuper integrum diametrum apponatur, et octava reperitur. Et sicut per primam inventa est octava, eodem modo omnes subsequentes facillime reperire poteris, tantum si singulis integrum diametrum apposueris.

Aribunculina (15) *fistularum mensura, nec in toto remissibilis, nec in toto intensibilis sesquitertia et sesquialtera proportione.*

Nos autem in utraque progredientes modo hanc intendendo et abjiciendo, modo illam remittendo et adjiciendo, sequentes in neutram declinamus, quia tonum per octo novemve particulas reperire nolumus. Non sine ratione quidem; quanto enim mensura celerior, tanto et verior est. Alicujus spatii quartam vel tertiam dimidiumve octava vel nona parte quæri certius et velocius pene patet omnibus. Unde sesquitertia sesquialteraque tendere susumque jusumque disposuimus proportione. Primæ fistulæ pars tertia cum tertia diametri sibimet addita format quartam. Item primæ medietas cum diametri medietate sibi juncta generat quintam. Quinta quarta sui parte cum tertia diametri deposita secundæ staturam proponit. Secunda sui diametrique medietate præsumpta, sexta est mensura. Sexta quarta sui tertiaque diametri rejecta tertiam constituit. Tertiæ medietas cum diametri medietate sibimet superposita, mater est septimæ. Cujus quarta cum diametri tertia detruncata, quod restat, fistulæ synemmenon retinentis longitudinem præstat. Vela sollicitudinis deponamus, quia jam securitatis partum occupamus. Prima duplex cum integro diametro reddit octavam, secunda nonam, tertia decimam, quarta undecimam, synemmenon aliud synemmenon, quinta duodecimam, sexta decimam tertiam, septima decimam quartam: totidem etenim organicis fistulis uti placuit experientiæ domni Willehelmi, qui duobus ordinibus, quatuordecim videlicet fistulis tres adjecit, ut tetrachordum præstrueret, ut competens acumen in minimis, et opportuna gravitas responderet in maximis.

Organicæ dispositionis mensura.

Ex ą. suspende primum diatessaron in D.
Ex a. rursus in E. resupinam duc diapente.
Deponas et ab E. passum diatessaron in B.
Rursus in F. de B. memor intendas diapente.
Ex F. depone speciem diatessaron in C.
Intendas a c. contingens G. diapente.
A D. suspendi debet diatessaron in Sy.

Qualiter ipsæ congruenter fiant fistulæ.

Sicut fistulæ ejusdem sunt grossitudinis, ita laminæ, de quibus fiant, ejusdem sunt latitudinis. Prius juxta domnum Wilhelmum grossitudinis depinximus circulum. Qui de qua latitudine possit provenire, caute debemus perpendere. Dicit Macrobius de somnio Scipionis: *Omne diametrum cujusque orbis triplicatum cum adjectione septimæ partis suæ mensuram facit circuli.* Hæc sunt verba Macrobii. Unde ejus auctoritatem sequentes præscripti circuli diametrum triplicemus, septimamque diametri simul adjungamus: et secundum quantitatem lineæ, quæ inde procedat, omnium laminarum fistulis materialium latitudo fiat. Hæ laminæ in lateralibus extremitatibus attenuantur: præcipue, quæ extremitates cum fabrili manu eas incurvante conveniant, non superponantur sibimet, sed osculo tantum collidantur conjunctissimo. Ad cujus osculi commissuram tegendam præparentur laminellæ festucæ tenuitatem et latitudinem habentes, quæ sibi tenacissimo conglutinentur stagno, seu alio, quod lentius diuturniusque perseveret, lotario. Postquam autem in lamina adhuc patula cujusque fistulæ longitudo determinetur punctis utrimque in lateribus fixis, linea per transversum de puncto tendat in punctum. Illa linea terminalis sit foramini et ori fistulæ; quod os super ipsam ita excidatur lineam, ut ad medietatem latitudinis fistulæ aperiatur. In ipsam quoque lineam plectrum arctissime conglutinetur. A quo plectro subterius oris labrum mediocris festucæ distet latitudine.

De naturali musico et artificiali.

Quamvis nihil ars primo, natura inveniat postremo, ut quidam asserit sapientium, expolitius tamen fiet per artem, quod incultum et hirtum naturæ genitricis procedit ab utero. Ars enim ab arctis, quibus constringi conformarique debet, dicitur regulis. Nobis admodum consanguineam et naturalem esse musicam præcipue possumus ex hoc perpendere, quod quique histriones totius musicæ artis expertes quaslibet laicas irreprehensibiliter jubilant odas, in varia tonorum semitoniorumque positione nihil offendentes, ad finalem chordam legitime recurrentes. Unde quamvis non vere, verisimiliter tamen tractat Plato de animæ genitura, dicens eam compositam musicis proportionibus. Cum enim dupla proportio, sesquitertia, sesquialtera, sesquioctava jocunditatem mentibus intonat, potest a gentilibus credi non incongrue animas ex eisdem proportionibus consistere; cum similitudo sit amica, dissimilitudo odiosa. Nam etiam boni bonos, reprobi diligunt perversos. Sed histriones et cæteri tales musici sunt naturales, non artificiales. Artificialis autem musicus est, qui naturalem omnium specierum diatessaron, diapente, diapason constitutionem intelligit subtiliter: qui dispositionem troporum naturæ pedissequam cognoscit rationabiliter: qui principalium chordarum operationem perpendit efficaciter: qui troporum proprietates, quæ in sex

(15) Ipsius videlicet Aribonis.

cordis consistunt, tenet memoriter. Ipse quoque artis facultate optime sciat legitima comprobare, vitiosa quælibet emendare, irreprehensibiles per semetipsum cantilenas excogitare.

De musicæ artis moralitate.

Ethicam, id est, moralem esse musicam quivis ex hoc potest percipere, quod, ut supra dictum, sua confert beneficia sine artis perceptione. Unde ejus usus arte possessus tanto nobis stabilior et perseverantior quanto ipsa nobis est naturalior, ut diuturnius argento inhæret aurum quam cupro. Moralis esse penitus ostenditur, cum omnis sexus, omnis ætas in illa delectatur. Nec solum humanæ, sed etiam ferinæ suam jocunditatem communicat naturæ. Percepimus quippe autentica, venatores foliis recinentes capreas aliasque feras ad se pellexisse; patetque non penitus fabulosum esse, Orpheum lyra Plutonem placasse, cum legamus Davidem dæmoniacam Saulis feritatem citharizando mitigasse. Nonne modulator Arion mortis evasit periculum, excutiens se super unum ad melodiam suam confluentium delphinorum? Musicæ moralitatem etiam Plato demonstrat dicens: *Animorum item placiditatem constituebamus in delinimentis et affabilitate musicæ.* Merito dicit Plato placiditatem animorum esse in musica, cum nulla inquietudo cum assidua musicæ conversetur delectatione. Est tamen, ut legimus, quidam expertus, et in illa hoc satis esse ratum, nihil omni parte beatum: qui quosdam modos infirmiores, quosdam etiam sensit saniores, quem Phrygius ad quemdam thalamum traduxit, hypophrygiusque pœnitentem reduxit. Nos quoque scimus quasdam species, ut diatessaron et diapente aliis esse pulchriores, ut prima et quarta, secundæ et tertiæ superant consonantiam. Prima et quarta semitonium habent in medio, ideo melius resonant. Secunda et tertia semitonium habent, hæc in principio, illa in fine, et ideo surdius sonant. Sed in diatessaron speciebus tolerabilis est diversitas, in quibus ditonus sequitur semitonium, ut in secunda; vel præcedit semitonium, ut in tertia. In diapente autem secunda et tertia specie intolerabilis conturbavit nos tritonus; quem propter inconsonantiam cantionum possumus alterum nominare Coridonem; sed tamen est obsequio cantilenæ nonnunquam necessarius, sicut rusticus Coridon dominorum sumptibus.

De opportunitate modulandi.

Duplex est jubilandi dulcedo, si ita proportionaliter conferantur neumæ distinctionesque, sicut ipsæ monochordi voces dispositæ, sicut domnus Guido docet (16), musicus quidem tempore novissimus, utilitate primus, cujus merito alios ejusdem artis præceptores ita comparamus, ut mutas vocalibus. Cujus hæc sunt verba: « Ac summopere caveatur talis neumarum distributio, ut cum neumæ ejusdem soni repercussione, tum duarum aut plurium con-

A nexione fiant, semper tamen aut in numero vocum, aut in ratione tonorum neumæ alterutrum conferantur atque respondeant: nunc æque æquis, nunc duplæ, vel triplæ simplicibus, atque alias collatione sesquialtera vel sequitertia. Item ut more versuum distinctiones æquales sint, et aliquoties eædem repetitæ, aut aliqua vel parva mutatione variatæ, et cum perpulchre fuerint duplicatæ habentes partes, non nimis diversas, et quæ aliquoties eædem transformentur per modos, aut similes intensæ et remissæ inveniantur. Item ut reciprocata neuma eadem via redeat qua venerat, ac per eadem vestigia recurrat. Item ut qualem habitum vel lineam una facit saliendo ab acutis, talem altera inclinata e regione opponat respondendo a gravibus. Item aliquando una
B syllaba unam vel plures habeat neumas, aliquando una neuma plures dividatur in syllabas. »

Quoniam quidem domnus Guido has præceptiones suas sine exemplis reliquit, quia eas, ut sunt manifestas, credidit, nos eas valde simplicibus pro nostro captu exponemus. Neumæ nempe unius soni fiunt repercussione, cum simplices sunt, id est vel una virgula, vel una jacens, vel cum duplices aut triplices in ejusdem sunt soni repercussione, tum duorum aut plurium connexione fiant. Duorum aut plurium sonorum connexione fiunt omnes neumæ, exceptis præscriptis. *Duæ tribus... tres tribus...* et aliæ de amplioribus, quas modo præterimus. Semper tamen aut in numero vocum, aut in ratione tonorum alter
C utrum conferantur, nunc æquæ æquis. Æquæ æquis conferuntur, cum simplices simplicibus, duplices duplicibus, triplices triplicibus opponuntur. Et hoc aut in numero vocum, ut in æquis duæ duabus, tres tribus conferantur. In duplis duæ uni, quator duabus, triplæ simplis, aut in ratione tonorum. Tenor dicitur mora vocis, qui in æquis est, si quatuor vocibus duæ comparantur, et quantum sit numerus duarum minor, tantum earum mora sit major. Unde in antiquioribus antiphonariis utrisque e. t. m. reperimus persæpe, quæ celeritatem, tarditatem, mediocritatem innuunt. Antiquitus fuit magna circumspectio non solum cantus inventoribus, sed etiam ipsis cantoribus, ut quilibet proportionaliter et invenirent et canerent. Quæ consideratio jamdudum obiit, imo sepulta est. Nunc tantum sufficit ut aliquid dul-
D cisonum comminiscamur, non attendentes dulciorem collationis jubilationem. Item ut more versuum distinctiones æquales sint. Sicut in bene procuratis cantibus invenimus, quos metricos dicere possumus, ut:

II.

Non vos relinquam orphanos, alla. Vado et veniam

III.

ad vos, alla, et gaudebit cor vestrum, alla.

Talis consideratio similis est rhetorico colori, qui compar dicitur, qui constat fere ex pari numero syllabarum. Hoc non de murmuratione nostra fiet, dicit Tullius, nam id puerile est, sed tantum afferet usus. « Et

(16) Vide Patrologiæ tom. CXLI.

aliquotiens eædem repetitæ, vel parva mutatione variatæ, » diversitatem neumarum ostendit, quia similitudo mater est societatis, ut Tullius dicit. Exemplum sit istud (17) : *In Jerusalem....*

« Eædem repetitæ vel parva mutatione variatæ. » *Pater resuscitat m. m. c. d. Fluxum S. c. et satiavit de panibus quinque millia.* « Et cum perpulcre fuerint duplicatæ, » quasi exegesis est et expositio priorum, tamquam si diceret : Eædem sint repetitæ, sed tunc cum perpulcræ fuerint. « Et quæ aliquotiens eædem transformentur per modos, » ut *Festum nunc c.* semitonius est utrimque, sed diversi modi qualitatisque similis intensæ et remissæ, ut *qui cogitaverunt.* « Item ut reciprocata neuma eadem via redeat qua venerat » *ut sydera maria continens arva.* « Item ut qualem habitum vel lineam una facit saliendo ab acutis, talem altera inclinata e regione opponat respondendo a gravibus, ut : *O admirabile.* « Item aliquando una syllaba unam vel plures habeat neumas, » ut *laudes Deo* ; « aliquando una neuma plures dividatur in syllabas, » ut *Christi pugna.*

Dicit item domnus Guido : (18) Motus motui tum erit præpositus, i. e. in superioribus positus : tum appositus, i. e. cum in eandem vocem unius finis erit, alteriusque principium ; tum interpositus, i. e. quando unus modus infra alium positus et minus est gravis, et minus acutus ; tum commixtus, id est, partim interpositus, partimque suppositus. « Quorum exempla sicut priorum, ne simplicitas laboret aliquorum, proponemus. Motus motui erit præpositus, ut : *Clarum decus ;* appositus, ut : *Ecce ego m. v.* interpositus, ut : *Nascetur nobis p. et vocabitur,* Commixtus, ut : *A dextris Patris qui s. s. m. n. s.*

De opportunitate motus, qui dicitur præpositus, et quod tantum sit ascensionis.


Præpositus erit opportunior, si prior surgat per tonum, et intermisso semitonio præpositus iterum surgat per tonum, quia ita ambo in diapente constant, ut : *Clarum decus ;* aut per ditonum tendens præpositus ad principium prioris per diapente resultet ; quia considerationem proportionis, i. e. collationis habere debemus in illis. Unde præpositus per diatessaron et diapente non est formandus. Si autem prior surgat per semitonium interposito tono, præpositus scandat per tonum, ut ita principium ejus et finis ad principium prioris per diatessaron et diapente, ad finem autem ejus per tonum ditonumque resultet : aliis modis minus erit commode, cum proportionis commoditasque et concinentia non consideratur. Idem quoque motus tantum fit ascensione.

De commoditate apposita, et quod tam ascendendo quam descendendo fit.

Appositus ut ascensioni, ita est obnoxius et descensioni, ut *Ecce ego m. Et dicent gloria tibi, Dne.* Item intensus : *Benedic D*, qui motus honestior erit, si in proto ita fiat intensio : ut si prior surgat per tonum, appositus ascendat, aut per semitonium trocheicum, i. e. cujus longum toni spatium breve semitonii præcedit : quia semitonus est quidam trocheius, i. e. ex longo et brevi ; quidam iambicus ex brevi, et velut D. E. F. G. Ditonus uniformis est tantum spondeicus, aut per diatessaron seu diapente, sed diatessarontice melius ascendit appositus, quia ejus principium et finis proportionaliter confe165retur principio et fini præcedentis, finis principio et fini per diatessaron et diapente, principium fini per tonum. Sed diapenticus appositus tantum per finem fini præcedentis respondet per diapente, aut si prior surgit per trocheium, semitonium habet..(19) Sed hæc apertius se præsentibus offerent colloquendo, quam absentibus scribendo. Quod nobis invidet commodum detestabilis intercapedo locorum ; in sola enim ultima parte hoc argumentum reliquimus, ut melum suo tetrardo conveniens redderemus. Recordari debetis, dne mihi dilectissime, venerabilem Guidonem dixisse. Has itaque V. vocales sumamus. Forsitan enim tantum tribuunt concordiæ verbis, quantum concinentiæ præstabunt et neumis. Supponantur itaque litteris monochordi, et quia V. tantum sunt, tamdiu repetantur, donec unicuique sono sua subscribatur vocalis, et ad istum dirigent modum.

		a b ♮ c d.
Γ A B C D E F G.	a b ♮ c d e f g.	a b ♮ c d.
a e i o u. a e i	o a. a e i o u.	a e i o
o u. a e i o u. a	e i o u. a e i	o u. a e.

Et quibusdam interpositis subjungit : sed ne gravis tibi imponatur necessitas, quod ad hunc modum vix cuilibet symphoniæ V. accidant voces, et ipsas transgredi sæpe ad votum non sufficiat, ut tibi paulo liberius liceat evagari alio, item versum subjunge vocalium. Sed ita sit diversus, ut a tertio loco prioris incipiat hoc modo : *Ecce quomodo moritur.* Omnes syllabæ contra suum vocalem sunt positæ excepta *hau*, quæ est in *hauriat,* ultima videlicet hujus versus parte, quia *hau* syllabæ sunt, h. et u. et e et musicus causam tradit, cur ita mutaverit, quia convenientius sonat *hau* in F. quam in G. quæ tetrardi finalis debet esse (20).



(17) Hæc cum notulis antiquis, sequentia sunt antiphonarum initia.

(18) Vid. ubi supra.

(19) Sequentia omnia abrupta, nec cum præcedentibus cohærent.

(20) Vide tabellam in Guidone.

Aribonis sententia.

Quamvis autem duo semper toni in una sint littera vel voce, tamen multo melius et frequentius conveniunt singulis neumis ac sonis, formulis toni, secundi, quarti, sexti, et octavi. Nam formulæ primi, tertii, quinti, septimi non conveniunt, nisi cum cantus descendit ab alto, et in gravem devenerit finem.

Alia sententia utiliter explanata.

Quamvis cantus sit autenticus, tamen plures ejus neumæ et soni versantur in V. ejus chordis, quæ communes sunt autentis et plagalibus, quam versibus, quæ autentis separatim deputantur ; ideoque sæpius et melius formulis plagalium, etiam neumæ autenticorum conveniunt, in quibus sæpius morantur A in antiphonis : *Ecce nomen D.* quamvis sit autentica, plures tamen ejus neumæ possunt plagales videri quam autenticæ, ut puta : *Ecce*, et *nomen*, et *Dni*, et *de longinquo*, ac et *claritas*, et *ejus*, et *replet*, et *orbem*, et *terrarum* sunt plagales, ut pote spatio plagalium currentes ; sola *venit* est autentica, omnes tamen ejus neumæ plagales sunt dicendæ, quia a finalis quinta non transcendit chordam : sic in pluribus eadem ratio est habenda, de quibus modo non est dicendum per singula. Quando autem a finali chorda diapente transcendunt, et sextam, septimam, octavam tangunt melodiæ, tunc autenticorum formulis, quæ alte extenduntur, conveniunt. Et hoc est, quod dicit *nisi cum cantus alto descendit* et in g. d. f.

Explicit Musica Aribonis.

AN DOMINI MXCII

HENRICUS CLERICUS POMPOSIANUS

MONITUM IN OPUSCULUM SUBSEQUENS

(Montfaucon, *Diarium Italicum*, p. 80).

.... Pomposam monasterium, olim peramplum sanctitatisque fama insignitum, vidimus, jam desertum. Id undecimo sæculo, Guidonis abbatis opera, cum primis frequentatum, post accessu principium et magnatum, qui isthic asceticæ vitæ tirocinia Guidone magistro posuere, egregie nobilitatum est. Hujus Guidonis mentio habetur in præfatione V. cl. Mabillonii ad sæculi sexti Benedictini partem priorem. Ejus obitus in annum cadit 1046. Fertur autem in primis qui spontaneam flagellationem invexerunt, ejusque Vita legitur ibid. p. 509. Sub hæc, eodem item sæculo, curante Hieronymi abbate, codicibus bene multis instructum fuit ; adeo ut aliis per Italiam bibliothecis, ne Romana quidem excepta, Pomposianam præcellere testificetur Henricus clericus in epistola ad Stephanum quemdam, subnexo bibliothecæ ejusdem catalogo : quæ jubet animus hic attexere, ut compertum lectori sit quantæ molis tunc fuerit numerosas parare bibliothecas : quando ista, quæ aliis præibat, ne mediocribus quidem nostri ævi conferri valet. Epistolam autem et catalogum ex Mutinensi serenissimi ducis bibliotheca prodeunt, mihique ab amicissimo viro Julio Fontanino card. imperiali bibliothecario, ut nondum publici juris facta, oblata isthæc Romæ sunt.

Ex iis quæ de Tito Livio notat Henricus col. 1353 jam ævo suo amissas et deploratas tanti scriptori. Decades bene multas indicat, tametsi non sic accurate rem teneat. Ignorat quippe nemo ex Decadibus 14, sive ex libris 140, aut, ut alii, 142, solos superesse 35, ac proinde amissos totos 107. De Trogo Pompeio cum agit, cavesis putes ipsum Trogum integrum hac in bibliotheca exstitisse qui jam a multis retro sæculis exstinctus erat. Verum de Justino intelligas epitomes auctore ; qua epitome Justinus Trogum nobilissimum scriptorem confodit ac de medio sustulit ; perinde atque Livius magna sui parte periit Floro et Argumentorum auctore perniciem inferentibus. Editis quippe compendiis auctores primi, valere jussi, paulatim incuria vel funditus interierunt, vel mutilati magna sui parte sunt.

EPISTOLA HENRICI CLERICI AD STEPHANUM

Stephano philosophiæ fonte decenter imbuto, Henricus clericus cœlestis sapientiæ illustrationem.

Audita fama venerabilis Hieronymi Pomposiani abbatis, se jugiter exercitantis, quidquid commode orbe illustrato in divina pagina usquam reperiri pos- B test tuo indesinenter subscribi libello, et numerum nosse eorum quos Deo inspirante ex suo tempore gessit [congessit] librorum, quidve in his adeo studuit, ut cætera pene neglegeret (*sic*), te vehementer cupere fateris. Quod prout potero, rerum dulcissime, in harum cujuscumque modi serie litterarum,

quantum ex ipsius ore cognovi meave experientia, tuæ intimabo fideliter dilectioni. Sed ut ad hoc planius descendam, perspicuisque pateat rationibus, paulo altius inchoandum est.

Pomposiana ergo basilica, sicuti ego accepi, ex tempore Guidonis miræ sanctitatis, primi ejusdem colendi loci patris, mirifice honestari ac augeri cepit. Cujus sanctitate viri gens afflata, atque exhilarata, quamplures undique ad hoc venerabile tutumque properabant certatim effugium; cupientes tam sancti magistri instrui disciplinis, vitamque sub monachica castigare trutina. Inter quos etiam quidam marchionum, comitum procerumque filii, delitiis omissis pompaque sæculari posthabita, convenerunt, Deoque operante usque hodie non desistunt. Quo in tempore iste dominus meus, de quo nobis sermo, Hieronymus abbas, a puero advectus, sufficienter didicit monachicam normam: deinde in grammaticæ studuit fundamento; sed et dialectica aliquando libavit acumina, in brevique, Deo magistrante, multum profecit tempore.

Tunc ex priore abbas a fratribus gratanter ordinatus est. Qui quoniam erat ingenio promptus, animo placidus, fratrum amator, morum longe politus honestate, mente providus, cernens tantam se gentem sine vomere, ac marra divini cultus minime fructificare posse, illico data opera curiose ubique quærere cepit diversorum volumina doctorum, quæ præsentibus posterisque documenta relinqueret: ut sicut genere studioque diversi erant, sic in his unusquisque specularetur quid imitandum, quidve aspernandum sibi foret. Difficile mihi videtur, quempiam virtutes ac vitia discernere libere posse, ignorantem ænigmata et sententias Scripturarum. Quis enim ægroto antidotum dare novit, nisi qui didicit? quisve remigii ignarus ratem committere fragilem sævo audeat ponto?

Sed quoniam bonos lividorum aculei stimulare acriter solent, nonnulli quibus mens insana fuerat, dissidere, dissentire ac objurgare ex hoc præclarum ceperunt abbatem: alii eum frustra in nugis bona monasterii dissipare; alii autem illum hoc ob id agere, ut aliquando cum totis libris fugiens aliquem acquireret episcopatum sibi, instanter asserebant; a quibus mens mea longe aliena fuit, semperque quod bonum et æquum sub hoc credidit negotio. Cui operi ex abbatis jussu Bonus nomine et exemplo monachus ex eremita præerat, omnium dogmatum peritus, qui etiam æstuans ut tantum librorum exempla colligeret, non curabat distinctas et decoras litteras: sed quoquomodo formatas. Decreverat enim prædictus abbas eosdem rescribere, et in unum bibliothecæ corpus colligere. Unde quosam ex fratribus adversos habeo ob nimiam titulationem non valentes legere libros a me scriptos.

Nulla autem ecclesia, nec urbs, neque provincia, tandem nec ipsa Roma orbis caput, certet laudibus Pomposiæ copia sanctorum fortunatæ librorum. Quis igitur tam ferreus, quis tam immitis, tamve bestius, et excors qui non optet quiescere in Pomposiano claustro a strepitu mundanæ pestis, ubi jugiter ædificationis, et salvationis meretur intelligere verba? Sicut enim probos mores colloquia corrumpunt prava: sic e converso bona colloquia malos destruunt mores, immittuntque bonos.

Sed ne tibi parum sufficere videatur quod de libris memoravi, libet etiam titulum uniuscujusque libri scribere; ut quod puris non credis verbis, saltem fidelibus subjectum credas oculis. Nec enim hoc in vanum conati sumus; quoniam accidere potest ut errore aliquis ex his subtractus latenter liber oblivioni tradatur; sed perlecta hac pagina fidelis librorum custos cum diligenter inquirat, si forte vel ex fratribus, vel advena sustulit, armario restituatur continuo. Nota autem, prudens lector, quia citius ut dignoscere valeas unumquemque librum, quoniam plures in uno volumine sunt, ubicunque figura in modum litteræ Γ et quotquot tituli intra T et Γ continentur in uno tantum adsunt connexi volumine. Hoc autem quod de vita sancti viri Hieronymi abbatis deque fratrum numero et de eremi amœnitate, et totius loci ædificiis, quævis in libello quem proprie de ea re scripsi invenias: actum vero in libro pontificum anno ab Incarnatione 1093.

Γ XII libri Augustini super Genesim ad litteram.

Γ XII libri De civitate Dei ejusdem Augustini.

Γ III libri De verbis Domini super Matthæum, super Lucam, et super Joannem.

Γ Ejusdem De catechizandis rudibus I; De magistro liber I, lib. Quæstionum I; De agone Christiano lib. I; De fide catholica lib. I; contra V hæreses, id est contra Paganos, Judæos, Manichæos, Sabellianos et Arianos, lib. I; De altercatione Ecclesiæ et Synagogæ lib. I. sermo De decem chordis; De vita Christiana lib. I.

Γ Ad Bonifacium contra Donatistas hæreticos lib. I. Sermo De Emerito episcopo. Ejusdem Augustini epistola Honorio et Theodosio consulibus, contra eumdem Emeritum Donatistarum episcopum. Responsio contra duas epistolas Gaudentii Donatistarum episcopi ad Dulcitium. Alia responsio contra secundam epistolam ejusdem Gaudentii ad eumdem Dulcitium. Ejusdem epistola ad Maximianum De non rebaptizando. Sermo gratiarum Maximiani episcopi, quod reversus sit ad catholicam ex Donatistis. Epistola Silvani, et Valentini, Aurelii Augustini, et cæterorum episcoporum concilii Zertensis ad Donatistas. Ejusdem ad Macrobium ut non rebaptizet. Ejusdem Augustini De continentia liber unus. Alius De patientia. Tractatus ejusdem De muliere forti in Salomone. Epistola ejusdem ad Marcellinum quomodo invenerint Magi Pharaonis, conversa in sanguinem tota aqua Ægypti, unde simile aliquando facerent. Epistola Marcellini ad sanctum Augustinum De aliquibus quæstionibus exsolvendis. Cur hic Deus, qui et Veteris Testamenti Deus esse affirmatur, spretis veteribus sacrificiis, delectatus sit. Epistola sancti Augustini ad Evodium De sententia

in Epistola sancti Petri. Spiritibus qui in carcere erant conclusi advenientem Christum prædicasse, qui Christo aliquando increduli fuerunt. Ejusdem De divinatione dæmonum sermo. Ejusdem Augustini De versu Apostoli ubi dicit : *Debitores sumus non carni*. Sermo ejusdem De psalmo alleluiatico *(sic)*. Ejusdem August. Sermo De alleluia. Sermo De nocte et die resurrectionis Domini contra Judæos et hæreticos. Ejusdem post, De concupiscentias suas non eundo liber. Ejusdem exhortationum beati Augustini ad Valerium comitem charissimum sibi. Gregorii papæ ad Recaredum [*codex* Regaredum] regem. Ejusdem Augustini liber I De mendacio. Alius ejusdem contra mendacium. De vita et moribus catholicis contra Manichæos lib. I. Ejusdem ad Aurelium abbatem, De opere monachorum lib. I. De prædestinatione lib. I. Sermo ejusdem De tempore barbarico. Sermones De Adam II, Γ Epistolæ August. De omnibus hæresibus liber I.

T De perfectione justitiæ ad Paulum et Eutropium lib. I. De natura et gratia ad Timasium et Jacobum lib. I. Epistola Prosperi et Hilarii ad sanctum Augustinum De querela Gallorum. Ad eosdem sancti Augustini De prædestinatione lib. I. Epistola Hilari *(sic)* ad Augustinum episcopum. Augustini ad Hilarum. Ejusdem Augustini ad Hieronymum De Epistola Pauli ad Galatas. Γ Sancti Ambrosii De consolatione Valentiniani *(sic)* lib. Confessionum 13. In salutationem Epistolæ Pauli ad Romanos lib. I. Ejusdem Augustini super Joannem.

T Itidem Cypriani sermones, et epistolæ LXXXI De Judaica incredulitate ad Vigilium episcopum. Versus domini Joannis De cœna Mai *(sic)* Cypriani.

Γ XVIII lib. Hieronymi in Expositione Isaiæ prophetæ.

Γ XIV. Ejusdem sup. Ezechielem.

T Sup. Hieremiam ejusdem lib. VI.

T Ejusdem expositio ad Galatas lib. . . . Ad Ephesios III, ad Titum I, ad Philemonem I.

Γ Ejusdem super Matthæum I, super Marcum.

Γ Libri et diversæ epistolæ ejusdem LXXX.

T XII lib. Ambrosii De Trinitate. Fulgentii De Trinitate liber I. Ejusdem De creaturis a Deo de nihilo creatis liber I. Nicetæ episcopi De ratione fidei I. Ejusdem De Spiritus sancti potentia lib. I. Ejusdem De diversis appellationibus Domino nostro Jesu Christo convenientibus.

Γ Ambrosii De officiis lib. III. Epistola ejus ad Ecclesiam Vercellensem I. Ejusdem De pœnitentia II libri. Ejusdem De fratris excessu lib. I. De rebus gestis in Ecclesia Mediolanensi lib. I.

Γ Ejusdem De paradiso.

T Catalogum *(sic)* sanctorum I. Historia illustrium virorum I.

T Super Matthæum Joannis Chrysostomi.

T LXX. Homeliæ ejusdem De diversis causis Veteris et Novi Testamenti. De reparatione lapsi I. De compunctione I.

Γ Expositio Ambrosii super Epistolas Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses II, ad Colossenses I, ad Titum I, ad Timotheum I. Item ad Timotheum, ad Philemonem I. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Hebræos sermones XXXIV. Super Job Origenis lib. III. T Ejusdem super Cantica canticorum lib. III.

Γ De Trinitate Hilarii lib. XII.

T Ejusdem Expositio fidei ad synodum. Lib. De Trinitate Gregorii Hispaniensis Eliberitanæ sedis episcopi ad Gallam Placidiam. *Est Faustini epistola ad Flaccillam.* Apologeticum Gregorii Nazianzeni episcopi. Ejusdem lib. De Nativitate Domini I. De Epiphania I. Cum de agro reverteretur ad imperatorem. De dictis Hieremiæ I. De Pentecoste, et Spiritu sancto I. De continentia et unitate monachorum I. De grandinis vastatione cum Pater episcopus re. . . .

Γ Expositio Hilarii super psalterium.

Γ Psalterium Hieronymi secundum Hebraicam veritatem.

Γ Libri Collationum Patrum Cassiani. De corpore et sanguine Domini, Lanfranci contra Berengarium. Itidem De corpore et sanguine Domini cujusdam sapientis

Γ Liber sancti Ambrosii De virginitate. Hexameron ejusdem. De paschali hebdomada. Epistolæ Hieronymi quamplurimæ.

Γ Cassiodori lib. I. Lupi Servati lib. Historia Africana. Expositio super Cantica canticorum secundum modernos.

Γ Historiæ libri XII. Historiæ Africana lib. III.

Γ Lib. Officiorum Amalarii episcopi.

T Orosii diversarum Historiarum lib. VII. Eutropii et Pauli de Historia Romana lib. * XV. Historia magni Alexandri lib. XV. Liber Plinii et Solini.

Γ Expositio ut defloratio Hrabani super V, lib.

Γ Item lib. Plinii et Solini, et Historia Alexandri.

Γ Liber gratissimus Petri Damiani.

Γ Expositio super psalterium.

Γ Expositio Origenis super Lucam.

Γ Regula Basilii, et regula Columbani abbatis. Monita Porcarii abbatis. Regula Augustini, regula Pauli et Stephani. Augustini De opere monachorum. Sermo Augustini ad monachos. Pinufius De institutione monachi decem homeliæ. Homelia Augustini De persecutione Christianorum. Hildelphonsus De Trinitate, De hæresibus, et quidam alii libri in hoc volumine.

Γ Augustini super Epistolas Pauli.

Γ Epistolæ Senecæ ad Lucilium.

Γ Ejusdem De dandis et accipiendis beneficiis VII. Liber ejusdem ad Neronem de clementia lib. II, et III. Alii utiles libri in eodem volumine.

T Ejusdem tragœdiarum.

Γ Cronica quam Regino Prumiensis abbas composuit. Liber pontificum Romanorum.

Γ Paschasii De corpore et sanguine Domini. Umberti episcopi De corpore et sanguine Domini.

Γ Duæ Epistolæ Augustini ad abbatem Valenti-

num, cum duobus sequentibus libris De gratia et libero arbitrio. Hoc opus sic incipit: *Propter eos qui hominis liberum arbitrium.* Altercatio Augustini et Feliciani Ar . . . . Liber De prædestinatione et gratia . . . . . . Liber beati Augustini De utilitate credendi ad Honoratum, hic liber sic incipit : *Si mihi honorabil.* . . . . Liber beati Augustini De gratia Novi Testamenti ad Honoratum. Hic liber sic incipit : *Mihi proposuisti pertractandas quæstiones.* Alius lib. ejusdem De natura boni. Hic liber sic incipit : *Summum bonum quo superius.* . . . . . Item ejusdem De octo quæstionibus ex Veteri Testamento. Hic liber sic incipit : *Generalem justitiam non violat* . . . . Ejusdem duo libri De consolatione mortuorum. Hoc opus sic incipit: In primo libro : *Præbete silentium, fratres.* Alter vero liber sic incipit : *Superiori quidem libello perstrinximus.*

Γ Sermo August. De corpore et anima, et misera vita; et sic incipit! *O vita, quæ tantos desp.* . . . . . . Sermo sancti Joannis Constantinopolitani De compunctione cordis; et sic incipit. . . . . Liber sancti Augustini ad Paulinum episcopum, De consolatione mortuorum. Hic liber sic incipit : *Diu sanctitati tuæ, venerande Pauline.* Sermo sancti Augustini ad Martinum, De muliere forte *(sic) Quis inveniet*; et sic incipit : *Præstabit nobis quod diem istum it.* . . . . . Item sermo sancti Augustini in dedicatione Ecclesiæ ; et sic incipit : *Celebritas hujus congregationis.* Item alius de eadem re, et sic incipit : *Admoneo vos, fratres dilectissimi.* Libellus De quatuor virtutibus, prudentia, fortitudine, temperantia, et justitia, et particularis formula honestæ vitæ edita *(sic)* a quodam Martyrio episcopo ad Mitonem *(sic)* regem. Hic liber sic incipit : *Gloriosissimo ac tranquillissimo.* Epistola Paulini et Therasiæ ad Augustinum, quæ sic incipit : *Domino fratri unanimo et venerabili Aug.* Item epist. S. Augustini ad Paulinum quæ sic incipit : *Domino vere sancto et venerabili.* Epistola August. ad Maximum, quæ sic incipit : *Domino dilectissimo et honorabili fratri Maximino Augustinus.* Gregorii papæ epistola Secundino servo Dei incluso, quæ sic incipit : *Dilectionis tuæ litteras.* Epistola sancti Isidori episcopi ad Mastonem [*al.* Massonem, Massanum, Massenum] episcopum, De sacerdote lapso per pœnitentiam posse resurgere in gratiarum statum pristinum; hæc ita incipit : *Veniente ad nos famulo vestro.* Liber Retractationis librorum Aug. in quibus qui libri et epistolæ contineantur infra scribemus. Contra Academicos et de Academicis primum scripsi libros. Hoc autem opus sic incipit : *O utinam, Romane, hominem sibi aptum !* De beata vita liber unus. Hic liber sic incipit : *Si ad philosophiæ portum.* De ordine lib. II. Hoc opus sic incipit : *De ordine rerum Zenobi.* De soliloquiis lib, II. Hoc opus sic incipit : Vol. . . . . . De immortalitate liber I. Hic liber sic incipit : *Si alicubi est disciplina.* De moribus Ecclesiæ catholicæ, et De moribus Manichæorum libri II. Hoc opus

A sic incipit : *In aliis libris satis opinor egisse nos.* De quantitate animæ lib. I. Hic liber sic incipit : *Quoniam video te abundare otio.* De libero arbitrio libri III. Hoc opus sic incipit: *Dic mihi, quæso te, utrum Deus non sit auctor mali.* De Genesi adversus Manichæos lib. II. Hoc opus sic incipit : *Si eligerent Manichæi quos decepissent.* De magistro lib. I. Hic liber sic incipit : *Quid tibi videmur efficere cum loquimur.*

De vera religione lib. I. Hic liber sic incipit : *Cum omnis vitæ bonæ ac beatæ viam.* De utilitate credendi liber I. Hic liber sic incipit : *Si mihi, Honorate, unum atque idem videtur esse.* De duabus animabus liber I. Hic liber sic incipit : *Opitulante Dei misericordia.* Acta contra Fortunatum Manichæum B liber I. Hic liber sic incipit : *Quoniam scriptum est.* De Genesi ad litteram liber I, imperfectus. Hic igitur sic incipit : *De obscuris naturalium rerum quæ omnipotenti Deo artifice facta sentimus, non affirmando sed quærendo tractandum est.* De sermone Domini in monte libri II. Hoc opus sic incipit : *Sermonem quem locutus est Dominus.*

Psalmus. . . . . partem Donati lib. I. Iste psalmus sic incipit : *Omnes qui gaudetis de pace, modum veri judicate, quod ei hypopsalma est.* Contra epistolam Donati hæretici lib. II. Hic liber sic incipit: *Abs te ipso præsente audieram.* Contra Adimantum Manichæi discipulum lib. I. Hic liber sic incipit : *De eo quod scriptum est. In principio Deus fecit cœlum et terram.* Ex Epistola quarumdam propositio- C num. Ex Epistola Pauli ad Romanos lib. I. Hic liber sic incipit : *Sensus hi sunt in Epistola ad Romanos Pauli apostoli.* Expositio Epistolæ ad Galatas lib. I. Hic liber sic incipit : *Causa propter quam scribit Apostolus ad Galatas, hæc est.* Epistolæ ad Romanos inchoata expositio liber I. Hic liber sic incipit : *In Epistola quam Paulus apostolus scripsit ad Romanos.* De diversis quæstionibus octoginta tribus lib. I. Hic liber sic incipit : *Utrum anima a se ipsa sit.* Item, De mendacio scripsit librum unum. Hic liber sic incipit : *Magna quæstio est de mendacio.* Contra epistolam Manichæi, quam vocant fundamentum liber I. Hic liber sic incipit : *Unum Verbum Deum.* De agone Christiano liber I. Hic liber sic incipit : *Corona victoriæ.* De doctrina Christiana lib. IV. Hoc D opus sic incipit : *Sunt præcepta quædam.* Contra partem Donati libri II. Hoc opus sic incipit : *Quoniam Donatistæ nobis.* Confessionum lib. XIII. Hoc opus sic incipit : *Magnus es, Domine.* Contra Faustum Manichæum libri XXXIII. Hoc opus sic incipit ; *Faustus quidam fuit.* Contra Felicem Manichæum libri II. Hoc opus sic incipit : *Opus nostrum ita scriptum est.* Annotationes in Job lib. I. Hic liber sic incipit : *Opera magna erant.* De cathechizandis rudibus lib. I, Hic liber sic incipit. . . . . . De Trinitate lib. XV. Hoc opus excepta epistola, quæ postmodum ad ejus caput adjuncta est, sic incipit : *Lecturis hæc quæ de Trinitate.* De consensu evangelistarum libri IV. Hoc opus sic incipit : *Multa*

quidem alias adversus Donatistas. De baptismo libri VII. Hoc opus sic incipit : *In eis lib. quos adversus epistolam Parmeniani.* Contra quod attulit Centurius a Donatistis libri III. Hoc opus sic incipit : *Dicis eo quod scriptum est in Salomone : Ab aqua aliena abstine te.* Ad inquisitiones Januarii libri II. Hoc opus sic incipit : *Ad ea quæ me interrogasti.* De opere monachorum lib. I. Hic liber sic incipit : *Jussioni tuæ sanctæ, frater Aureli.* De bono conjugali liber I. Hoc opus sic incipit : *Quoniam unusquisque homo humano generi par est.* De sancta Virginitate, lib. I. Hoc opus sic incipit : *De bono conjugali nuper edidimus librum.* De Genesi ad litteram libri XII. Hoc opus sic incipit : *Omnis divina Scriptura.* Contra litteras Petiliani libri III. Hoc opus in libro I sic incipit : *Nostis nos prævaluisse ;* in secundo autem sic incipit : *Primis partibus epistolæ Petiliani;* in tertio autem sic : *Lege, Petiliane, litteras tuas.* Ad Cresconium grammaticum partis Donati libri IV. Hoc opus sic incipit : *Quoniam ad te, Cresconi, mea scripta pervenire possent.* Probationum et testimoniorum contra Donatistas liber I. Hic liber sic incipit : *Quoniam timetis consentire Ecclesiæ catholicæ.* Contra nescio quem Donatistarum liber I. Hic liber sic incipit : *Probationes rerum necessariarum quodam breviario collectas permisimus.*

Admonitio Donatistarum de Maximianistis lib. II. Hic liber sic incipit : *Quicunque calumniis hominum et criminationibus movemini.* De divinatione dæmonum lib I. Hic liber sic incipit : *Quodam die in diebus sanctis octavarum.* Quæstiones expositæ contra paganos, numero sex. Hic liber post epistolam, quæ postmodum a capite addita est, sic incipit : *Movit quosdam et requiritur.* Expositio Epistolæ Jacobi ad XII tribus. Hic liber sic incipit : *Quæ sunt in dispersione salutem.* De peccatorum meritis et remissione, et de baptismo parvulorum ad Marcellinum libri II. Hoc opus sic incipit : *Quamvis in mediis et magnis curarum æstibus.* De unico baptismo contra Petilianum ad Constantinum, liber unus. Hic liber sic incipit : *Respondere adversa sentientibus.* De Maximianistis et Donatistis, liber unus. Hic liber sic incipit : *Multa jam diximus, multa jam scripsimus.* De gratia Novi Testamenti, ad Honoratum, liber unus. Hic liber sic incipit : *Quinque mihi proposuisti tractandas quæstiones.* De spiritu et littera, ad Marcellinum, liber unus. Hic liber sic incipit : *Lectis opusculis quæ ad te nuper elaboravi, fili.* De fide et operibus, liber unus. Hic liber sic incipit. *Quibusdam videtur.* Breviculus collationis cum Donatistis, libri III. Hoc opus sic incipit : *Cum catholici episcopi et partis Donati.* Post collationes contra Donatistas, liber unus. Hic liber sic incipit : *Quid adhuc, Donatistæ, seducimini.* De videndo Deum, liber unus. Hic liber sic incipit : *Memor debiti, illud autem sic rogavi, et nunc commoneo.* De natura et gratia, liber unus. Hic liber sic incipit : *Librum quem misistis.* De civitate Dei, libri XXII. Hoc opus sic incipit : *Gloriosissimam civitatem Dei.* Ad Orosium

A presbyterum contra Priscillianistas et Origenistas, liber I. Hic liber sic incipit : *Respondit quærenti, dilectissime fili.* Orosii ad Hieronymum presbyterum, libri II; unus de Origine animæ, et alius De sententia Jacobi. Hoc opus sic incipit : *Deum nostrum qui nos vocavit.* Ad Emeritum episcopum Donatistarum post collationem, liber I. Hic liber sic incipit : *Si nunc, fili Emerite.* De gestis Pelagian. liber. Hic liber sic incipit : *Postea quam in manus nostras.* De correctione Donatistarum, liber I. Hic liber sic incipit : *Laudo, et gratulor et admiror.* De præsentia Dei, ad Dardanum, liber I. Hic liber sic incipit : *Frater, frater dilectissime Dardane.*

Contra Pelagium et Cœlestium, De gratia Christi, et De peccato originali ad Albinum, Pinianum et B Melaniam, lib. II. Hoc opus sic incipit : *Quantum de vestra et corporali, et maxime spirituali salute gaudeamus.* Gesta cum Emerito Donatista, liber I. Hic liber sic incipit : *Gloriosissimo Honorio Augusto XII, et Constantio.* Contra sermonem Arianorum. Hic liber sic incipit : *Eorum præcedenti disputationi hac disputatione respondeo.* De nuptiis et concupiscentia, ad Valerium, libri II. Primus sic incipit : *Hæretici novi, dilectissime fili Valeri.* Secundus vero sic incipit : *Sunt militiæ tuæ cura* Locutionum libri VII. Hoc opus sic incipit : *Cum Scripturas sanctas quas appellant canonicas.* De anima et ejus origine libri II. Hoc opus sic incipit, id est, liber ad Renatum : *Sinceritatem tuam erga nos.* Secundus vero ad Petrum sic incipit : *Domino dilectissimo fratri et com-* C *presbytero Petro.* Duorum vero novissimorum ad Vincentium, Victorem. Primus sic incipit : *Quod mihi ad te scribendum putavi.*

Ad Pullentium (*sic*) De adulterinis conjugiis, libri II. Primus horum sic incipit : *Prima quæstio est, frater dilectissime Pullenti.* Secundus autem sic incipit : *Ad ea quæ mihi scripseras.* Contra adversarium legis et prophetarum, libri duo. Hoc opus sic incipit : *Libro quem misistis, fratres dilectissmi.* Contra GaudentiumDonatistarum episcopum libri II. Hoc opus sic incipit : *Gaudentius Donatistarum Tamugaudensis* [Sic. In editis *Thamugadensis*] *episcopus.* Contra mendacium liber I. Hic liber sic incipit : *Multa mihi legenda misisti.* Contra duas epistolas Pelagianorum, libri IV. Hoc opus sic inci- D pit : *Noveram te quidem, fama celeberrima prædicante.* Contra Julianum, libri VI. Hoc opus sic incipit : *Contumelias tuas et verba maledicta, Juliane.* Ad Laurentium De fide, spe et charitate, liber I. Hic liber sic incipit : *Dici non potest, dilectissime fili Laurenti, quantum tua eruditione delecter.* De cura pro mortuis gerenda ad Paulinum episcopum liber I. Hic liber sic incipit : *Diu sanctitati tuæ, coepiscope venerande Pauline.*

De octo Dulcitii quæstionibus, liber I. Hic liber sic incipit : *Quantum mihi videtur, dilectissime fil Dulciti.* Ad Valentinum et ad eos qui cum illo sunt monachos, De gratia et libero arbitrio, lib. I. Hic liber sic incipit : *Propter eos qui hominis liberum*

arbitrium. Ad quos super De correctione et gratia, lib. I. Hic liber sic incipit : *Lectis litteris vestris, Valentine frater dilectissime*.

T Clementis urbis Romæ episcopi recognitionum libri X, excepta epistola et prologo ad caput junctis; quorum primus sic incipit : *Ego Clemens in urbe Roma natus ex prima ætate pudicitiæ studium gessi*. Secundus autem sic incipit : *Cum autem dies quæ ad disputandum sermone statuta fuerat*. Tertius vero sic incipit : *Interea Petrus gallorum cantibus surgens*. Quartus sic incipit : *Profecti Cæsarea ut Tripolim pergeremus*. Quintus sic incipit : *Sequenti autem die paulo citius quam solebat*. Sextus sic incipit : *Ubi vero rarescentibus tenebris*. Septimus sic incipit : *Egressi tandem etiam Tripoli Phœnices urbem primam*. Octavus sic incipit : *Postera autem die Petrus*. Nonus autem sic incipit : *Sequenti die Petrus una nobiscum*. Decimus autem sic incipit : *Mane autem exorto, Clemens*.

Expositio in Apocalypsin Joannis apostoli sancti Ambrosii episcopi, quæ decem et octo libris continetur. Quorum primus sic incipit : *In lectione revelationis Joannis apostoli, fratres charissimi*. Secundus sic incipit : *Fratres charissimi, in candelabro, de quo, cum Apocalypsis legeretur, audistis*. Tertius sic incipit : *Modo, fratres charissimi, audimus beatum Joannem*. Quartus sic incipit : *Et vidi supra dexteram sedentis in throno librum*. Quintus sic incipit : *Sicut modo cum lectio divina legeretur audistis*. Sextus sic incipit : *Et vidi alium angelum ascendentem ab ortu solis*. Septimus sic incipit : *Modo, fratres charissimi, cum Apocalypsis legeretur audivimus*. Octavus sic incipit : *Vox de cœlo imperium est Dei qui cor tangit*. Nonus sic incipit : *Quod audivimus, fratres charissimi, in lectione quæ recitata est*. Decimus sic incipit : *Modo autem audivimus, fratres charissimi*. Undecimus sic incipit : *In lectione quæ modo recitata est, fratres charissimi*. Duodecimus sic incipit : *In lectione Domini quæ recitata est, fratres charissimi, dixit S. Joannes*. Tertius decimus sic incipit : *Sanctus Joannes, fratres charissimi, dum de* VII *angelorum phialis et plagis*. Decimus quartus sic incipit : *Modo cum divina lectio legeretur, fratres charissimi, audivimus beatum Joannem*. Decimus quintus sic incipit : *In lectione quæ recitata est, fratres charissimi, reges illos*. Decimus sextus sic incipit : *Quoties Babyloniam nominari, audistis, fratres charissimi, nolite civitatem de lapidibus factam intelligere*. Decimus septimus sic incipit : *In lectione quæ recitata est, fratres charissimi, beatus Joannes evangelista sic ait*. Octodecimus sic incipit : *Sicut modo audivimus, fratres charissimi, angelus Domini locutus est ad beatum Joannem dicens*.

Γ Incipit commentarium sancti Hieronymi De Apocalypsi Joannis apostoli ; hic liber sic incipit : *Joannes, qui* gratia Dei *interpretatur, figuram Christi tenuit*.

Γ Incipit Expositio Bedæ Christi famuli super Apocalypsi Joannis apostoli, libri III, excepto prologo ad caput juncto ; quorum primus sic incipit : *Apocalypsis Joannis Christi discipuli quam dedit illi Deus palam facere servis suis, fundata per apostolos Ecclesia*. Secundus sic incipit : *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei*. Tertius sic incipit : *Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile*.

Incipit tractatus De psalmo centesimo octavo decimo Ambrosii Mediolanensis episcopi, cujus prologus sic incipit : *Licet mystica quoque velut tubæ increpuerit sono*. Liber vero sic incipit : *Beati, inquit, immaculati, etc. Beati qui scrutantur, etc., quam pulcher ordo, quam plenus doctrinæ*. Incipit tractatus sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi in Cantica canticorum, libri V, excepto prologo ad caput juncto, quorum primus sic incipit : *Osculetur me osculo oris sui, quoniam optima ubera*. Secundus autem sic incipit : *Vos consobrini mei, ecce hic advenit*. Tertius sic incipit : *En lectulum Salomonis luxuria fortes ambiunt*. Quartus sic incipit : *Exsurge, aquilo, et veni, auster*. Quintus sic incipit : *Pulchra es, amica mea, suavis et decora*. Incipit tractatus sancti Ambrosii De psalmo LXI, in quo infidelitatem et impietatem Maximi tyranni graviter redarguit, qui ausus est dominum suum Gratianum imperatorem fraude et dolo perimere, quem imperatorem in Domini tabernaculo habitare, et in monte ejus requiescere dicit ; hic liber sic incipit : *Omnium nostrum indubia consuetudo est*. Episcopus Ambrosius Mediolanensis sorori suæ Marcellinæ De baculo, liber I ; hic liber sic incipit : *Sollicitam sanctitatem tuam*. Legatio Aquileiensis concilii ad imperatores, Gratianum, Valentinianum, et Theodosium ; hic liber sic incipit : *Imperatoribus clementissimis et christianissimis*. Item Ambrosii ad eosdem : *Imperatoribus clementissimis et principibus Christianis*. Item alia ejusdem concilii : *Imperatoribus clementissimis*. Item alia ad eosdem : *Et hoc gloriæ vestræ clementissimus princeps*.

Legatio Ambrosii episcopi ad Valentinianum imperatorem : *Ambrosius Valentiniano imperatori*. Item alia ad eumdem. De contemnendo simulacrorum culturam : *Cum omnes homines qui sub ditione Romana reguntur*. Item ad eumdem imperatorem, relatio Symmachi præfecti Urbis, ut aram simulacris permittat restitui. *Ubi primus senatus amplissimus*. Item Ambrosii ad Valentinianum imperatorem, et Symmachum præfectum Urbis. *Beatissimo principi et christianissimo imperatori Valentiniano Augusto, Ambrosius episcopus*. Epistola Ambrosii et aliorum episcoporum Italiæ ad Theodosium imperatorem. *Beatissimo imperatori et clementissimo principi Ambrosius*, etc. Item alia ab eisdem episcopis ad eumdem imperatorem. *Beatissimo imperatori et clementissimo principi Theodosio Ambrosius, et cæteri episcopi Italiæ*. De humanitate et religione Valentiniani Junioris. Ambrosius Theodosio imperatori : *Silentium meum rupit*. Ubi se excusat jure Maximi tyranni declinasse præsentiam : *Ambrosius Theodosio imperatori*. Item Ambrosii episcopi ad Theodo-

sium : *Ambrosius Theodosio imperatori.* Epistola Ambrosii ad Eugenium imperatorem : *Clementissimo imperatori Eugenio, Ambrosius episcopus.* Incipit liber sancti Ambrosii De obitu Theodosii imperatoris : *Hoc nobis motus gravis.* Incipit sancti Ambrosii episcopi De excessu fratris libri II, quorum primus sic incipit : *Deduximus, fratres dilectissimi; hostiam meam.* Incipit secundus de eadem re: *In die octavo superiore libello aliquid indulsimus desiderio.* Ambrosius episcopus clericis : *Plerumque humanis obrepsit mentibus.* Ambrosius episcopus Irenæo : *Quæris a me cur Dominus Deus manna pluerit.*

T Sex libri Augustini episcopi catholici in libros Juliani hæretici Pelagianæ hæresis, excepta epistola ad caput adjuncta. Hoc opus sic incipit: *Contumelias tuas et verba maledica. Juliane.*

Γ Augustini adversus libros Parmeniani Donatistæ, libri III. Hoc opus sic incipit : *Multa quidem et alias adversus Donatistas.* Item Augustinus De bono conjugali. Hic liber sic incipit : *In conjugali quippe vinculo, hoc de libro Retractationum.* De spiritu et littera, ad Marcelinum, sancti Augustini prologus, ad quem scripserat tres libros. Liber sancti Augustini ad Marcellinum De spiritu et littera : hic liber sic incipit : *Lectis opusculis quæ nuper elaboravi.* Sermo sancti Augustini De præsentia Dei, ad Dardanum ; hic liber sic incipit : *Fateor me, fili Dardane.* Item sermo sancti Augustini De virginitate ; hic liber sic incipit : *Quantam in cœlestibus beatitudinem virginitas sancta possideat.* Incipit liber Augustini De vera religione ; hic liber sic incipit : *Cum omnis vitæ bonæ ac beatæ.*

Γ Libri III sancti Augustini De verbo Domini in evangelistas tres, id est Matthæus, Lucas et Joannes ; quod opus in duobus voluminibus scriptum habemus. Non dico quod de uno libro divisio facta fuit in duo volumina; sed quia eumdem bis scriptum habemus. Scripseramus quidem eum pridem, sed non tam luculenter ut postea ; quorum primus sic incipit: *Evangelistam audivimus, et in eo Dominum eos arguentem.*

Γ De consensu Evangelistarum, libri IV ; hoc opus sic incipit : *Inter omnes divinas auctoritates quæ sacris litteris continentur.*

T Liber Etymologiarum Isidori Spalensis (*sic*) episcopi.

Γ Libri X Livii (*sic*) ab Urbe condita, sed capita XL, adhuc desunt Pomposiano abbati, quæ reperire avide anhelat.

Γ Liber proemiorum De libris Novi et Veteris Testamenti. Item liber sancti Isidori De vita, ortu et obitu Sanctorum Patrum, qui in Scripturarum laudibus referuntur ; hic liber sic incipit : *Incipiunt nomina.* . . . . Sanctorum Patrum Veteris Testamenti mystice exposita a sancto Isidoro Spalensi episcopo. Hic liber sic incipit : *Adam figuram Christi gestavit.* Item nomina sanctorum De Novo Testamento : hoc opus sic incipit : *Quatuor.*

A Chronica sancti Isidori Spalensis episcopi; describens Historiarum breviarium ab exordio mundi, usque ad Heraclii tempus, liber. Liber Differentiarum Isidori Spalensis episcopi : hic liber sic incipit. . . . . Item De distinctionibus quatuor vitiorum , hic liber sic incipit : *Contra hæc tam* IV *virtutum genera.* Item secundus, De differentiis verborum ; hic liber sic incipit : *Isidorus lectori, salutem. Plerique veterum sermonum differentias distinguere studuerunt.* Sermo Isidori contra Arianos : qui sic incipit : *Veni, Domine Jesu Christe, redemptor noster.*

Sermo sancti Joannis *Os aurei*, De psalmo L, et pœnitentia David, qui sic incipit : *Ad cœnæ vos reliquias vocamus.* Epistola ejusdem ad eos qui di-
B cunt, Quare non de medio sublatus est diabolus; hic liber sic incipit : *Rursum vobis mensam quam pridem promisi.* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, incipiunt acta sancti Methodii episcopi Paterensis, De regnis regum gentium, et De novissimis temporibus certa demonstratio Christiana.

Duo libri Aug. De Genesi contra Manichæos : hoc opus sic incipit : *Si eligerent Manichæi quos deciperent.* Idem duo libri sancti Augustini ad Simplicianum ; hoc opus sic incipit : *Gratiosissimam plane atque suavissimam interrogationum tuarum dignationem.* Item Augustinus ad Dulcitium, de octo quæstionibus : hoc opus sic incipit : *Quantum mihi videtur, fili dilectissime Dulciti.*

Incipit Expositio super Cantica canticorum Ap-
C ponii ; hic liber sic incipit : *Admirantibus vocem Spiritus sancti.*

T Decreta pontificum.... primi Clementis papæ ad Damasum.

T Item Augustini libri XV De civitate Dei, X in volumine uno, et V in alio.

T Historiarum antiquarum XLIV lib. Trogi Pompeii.

T Expositio in Evangelium Matthæi edita nescio a quo auctore, cum prologo ad caput juncto ; hic liber sic incipit : *Cum diligenti studio, ac cum sollicita diversis testimoniis prophetarum, evangelistarum numerum volumus approbare.* Hoc autem opus tendit usque ad Evangelium, quo ait : *Tunc oblati*
D *sunt ei parvuli ut manus eis imponeret et oraret* : et dividitur expositio libri in LXXVI capitula.

Memento, prudens lector, quia solerti cura (*sic*) strenuissimi abbatis Hieronymi superius dicti, omnes pene supra commemoratos libros diligenti sibi exercitio jam scribere fecit. Ideo enim dixi, pene, quia quosdam quos sanctus Augustinus in libro Retractationum commemorat, ejus avidæ manus nundum (*sic*) attingere valuerunt. Unde sagax ingenium illius nunquam quiescit sedulo rogitando percunctando ubi habiles sanctorum libri latitent, quatenus ad eorum indaginem pervenire, et suo armario addere valeat, ut inter Italicas Pomposiana mire fulgeat Ecclesia. Omnia Dei clementia circa suos, quæ sic fidem flagrare facit, ut quasi esuriens comedat

nec satietur, sitiens ebibat ampliusque sitiat. Quippe desiderium illius, modum in requirendo non reperit ullum, sed anhelanter, operoseque annititur, quo, se vivo, eximia librorum copia propriam ditet Ecclesiam. Sed quia livor et iniquæ [linguæ] (1) contagium sæpe inter felicia secure ac bene gesta rodere solent, non ignoramus futurum fore quosdam superstitiosos et malivolos, qui ut sancto loco detrahant, ut optimo abbati calumniæ... ingerant procaci cura indagare: cur idem venerabilis abbas Hieronymus voluit gentilium codices, fabulasque erroris, exactosque tyrannos divinæ inserere veritati paginæque librorum sanctorum. Quibus respondendum apostolicis verbis, quia in domo potentis non solum vasa aurea et argentea, sed et fictilia sunt... (*II Tim.* II, 20).

A ..... Hoc egit ut pro studio et merito suo habeat unusquisque in quibus oblectetur et proprie exerceat ingenium. Hinc et ipsa Veritas ait: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV, 2). Credo ut quanto quis hic erit sanctior, tanto illic beatior. Idem quoque gentilium commentum librorum, si ad puram intentionem, intelligantur [utile est] (2). Quid enim aliud sonant quam sæcularem pompam nihil esse; unde Apostolus: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28). Quiescant itaque; argumentosus vero abbas in sancto opere, ut qui bene cœperit, usque in finem perseveret, ut libri posteris profuturi scribantur et pro futuris temporibus ad memoriam retinendum itidem subnotentur.

(1) Sic legendum puto, nonnisi vox una deest.

(2) Sic suppleto.

ANNO DOMINI MXCII

ROBERTUS DE TUMBALENA
ABBAS S. VIGORIS.

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA.

(OUDIN *Script. Eccles.*, II, 769.)

Robertus de Tumbalena, monachus sancti Michaelis in periculo maris, ut scribit Ordericus Vitalis lib. VIII Historiæ ad annum 1094, abbas factus postea monasterii S. Vigoris ad muros urbis Bajocensis in Normannia. *Romam ille profectus est, ubi a Gregorio VII papa detentus honorifice usque ad mortem Romanæ fideliter servivit Ecclesiæ*, ut Ordericus idem scribit ad annum 1087, libro cit. *Inter reliqua peritiæ suæ monumenta, brevem et luculentam sensuque profundam super Cantica canticorum expositionem in Ecclesia dimisit*, teste eodem. Hic Commentarius in Cantica canticorum, cujus prologum edidit Joannes Mabillon tom. I Analectorum, pag. 125, ex ms. codice Balernensis in Burgundiæ ducatu abbatiæ ordinis Cisterciensis, idem cum eo est qui huc usque S. Gregorio Magno ascriptus est, ad quem nullo modo spectare censet Petrus de Gussanvilla, in editionem Operum divi Gregorii Magni ultima. Exstat vero ms. in bibliotheca insigni S. Victoris Parisiensis, non pro more suo anonymus, sed cum prefatione, quæ in aliis mss. deest, et cum littera prima seu initialis auctoris R. in codice inscripto RR. 12, fol. 187. Idem vel anonymus, vel sub Gregorii nomine simpliciter, in multis Galliarum bibliothecis ms. exstat, ut habet Petrus de Gussanvilla citatus, ubi in editione sua operum S. Gregorii Magni de mss. codicibus agit ad quos eadem contulit. Quibus addo alios hujus exstare mss. codices in bibliothecis Claræ Vallis et Aureæ Vallis cod. 92, ejusdem Cisterciensis instituti, atque in majoribus passim eorumdem bibliothecis. Esse autem unum et eumdem hunc commentarium cum eo qui Gregorianus dictus est, conferenti utriusque initia cum consequentibus, patebit. Nullusque est qui tam apertæ refragabitur rei, nisi qui mentem sanam abjecerit. Neque objiciendum ex Analectis tom. I, pag. 128, Robertum abbatem Sancti Vigoris dimisisse Commentarium suum in duobus libris, anonymum autem tomo III Operum S. Gregorii Magni, pag. 461 *Explanationem in eadem Cantica continuam fecisse.* Hoc enim postea factum ab SS. scriptoribus est ut dicto obtemperarent abbati qui id in votis habuit et transcribentibus injunxit, sub præfationis suæ finem tomo I, pag. 128, Analectorum. Nec alium

esse prologum dictorum Commentariorum in Operibus sancti Gregorii, alium in Analectis, instet. Qui enim in Operibus D. Gregorii est, juxta Petrum de Gussanville, pag. 458, in manuscriptis multis deest, in aliis discrepat, in aliis brevior vel prolixior legitur, pro captu scribæ cujuscunque. Ipso hujus operis et auctoris vero prologo in Analectis citatis existente, ex ms. codice Balernensi, cum auctoris nomine, atque in altero S. Victoris Parisiensis, unde eduxit Jacobus Hommey, de quo infra. Alii quoque duo mss. codices inter mss. codices ecclesiarum Angliæ cathedralium et aliarum insignium bibliothecarum, in mss. codicibus ecclesiæ cathedralis et metropoliticæ S. Petri apud Eboracum codice 9, num. 2 : *Frater Robertus in Cantica.* Principium : *Servo Dei Ansfrido.* Et codice 8666, in mss. codicibus bibliothecæ Jacobææ codice 914. *Roberti Commentarius in Cantica canticorum*, habetur excusus inter Opera Gregorii Magni. Ita in catalogo mss. codicum istarum bibliothecarum. Adjicio denique prologum qui in editione Operum S. Gregorii legitur, ab exscriptore aliquo, cui id placuit, esse confictum, atque excerptum ex prologo Richardi Victorini in eadem Cantica, pag. 489 Richardinorum Operum : quem anonymus aliquis partim immutavit, partim per compendium pro libitu constrinxit. Denique Commentarium hunc nuperrime sub nomine *S. Radulphi Fontanellensis abbatis,* edidit Jacobus Hommey, Augustinianus eremita, pag. 276. Operis quod immerito supplementum Patrum inscripsit, Parisiis in-8, anno 1684, editum. Deceptus ille ex littera sola nominis initiali R, quam invenit in ms. codice Navarricæ Parisiensis bibliothecæ, ut pag. 273 fatetur, anonymum hunc ex conjecturis Commentarium *sancto Radulpho Fontanellensi abbati*, phantastica prorsus sanctitatis atque commentationis laude, concessit. Quem prologus integer tom. I Analectorum Joannis Mabillon pag. 125 diserte *Roberto* Sancti Vigoris Bajocensis abbati attribuit : idque post Ordericum Vitalem, contemporaneum ac oculatum testem, ejusdem regionis, temporis et ordinis alumnum. Nec validum quidquam adversus tantam auctoritatem reponi a quoquam potest. Ansfridus, cui Robertus opus suum nuncupat, videtur esse Ansfridus Pratellensis abbas, *Aufridus* aliis dictus, cujus epitaphium Ordericus refert loco citato ; vel certe Ansfridus abbas tertius monasterii Sancti Salvatoris Constantiniensis. Quo de Ansfrido Pratellensi plura videri possunt in chronico Roberti de monte, apud *Neustriam piam* Arturi du Montier, et Sammarthanos fratres tom. IV Galliæ Christianæ in Catalogo Pratellensium abbatum. Quis vero sit Anastasius ille, cujus rogatu id Robertus agressus sit, nondum cum Mabillonio tomo I Analectorum, pag. 132, compertum habeo. Claruit itaque Robertus abbas S. Vigoris, a medio circiter ad undecim sæculi finem, vel circiter. De quo ipse ego in Supplemento Bellarmini de scriptoribus ecclesiasticis, pag. 348 ; Joannes Mabillon. tom. I Analectorum citatorum, pag. 125 et seqq.

ROBERTI DE TUMBALENA

S. VIGORIS ABBATIS

COMMENTARIORUM IN CANTICA CANTICORUM

LIBRI DUO.

(Oudin *Script. eccles.*, II, 773.)

EPISTOLA SEU PRÆFATIO AUCTORIS AD ANSFRIDUM ABBATEM.

Servo Dei incluso dilectissimo suo, Ansfrido, quondam filio et amico, modo, divina favente cui voluerit gratia, Patri et domino, frater Robertus (1), hominum minimus, vitam, gaudium et gloriam, quæ vere gloria est.

Multis jam nuntiis inertiam meam fervor tuus in Dominum sollicitat, ut tibi librum, quem ante hos quamplurimos dies super Cantica canticorum scripsi, mittam. Vix igitur nunc mitto, quem a nemine videri vellem, si omnibus abscondere possem. Quem enim rudis et impolitus artifex fecerit annulum, ab aliis videri formidat ; suo minime credit, et de alterius judicio non confidit : dum id, quod sibi soli ante examen perfecte non placet, in examine displicere pluribus timet. Sic ostendentis et sic paventis, accipe opusculum amici tui. Judica quid placuerit,

(1) *Robertus.* Ita nomen integrum in ms. Balernensi, cum ms. codex S. Victoris Parisiensis litteram tantum initialem R habeat : unde occasionem errandi habuit Jacobus Hommey, Augusnitanus eremita, in Supplemento Patrum, pag. 276, hoc opus Radulfo Fontanellensi abbati, scriptori imaginario, sancto novi Kalendarii, absque duce et consule, ascribens.

et rescribe quod judicaveris. Videor forsitan pluribus, quod et tibi videri timeo, hoc opus præsumptione cœpisse, præsumptione perfecisse : si tamen perfectum est dicendum, quod a doctioribus melioribusque viris est adhuc examinandum, et utique corrigendum. Mihi quippe, fateor, cum magna indignatione fieri videtur, ut ego tam rudis studio, tam stolidus ingenio, tam sordidus peccato : in tam antiquum, tam doctum, tam nitidum opus proruperim : ut Salomonis verba exponerem, qui de Salomone nihil habeo, nisi forsitan quod de illo abominabile lego : scilicet, cum senex factus fuerit, nunc sapiens esse destiterit. Mihi tamen amico tuo crede, quod hunc quem tibi mitto libellum rogatus cœpi, multoties admonitus perfeci. Rogavit me dominus Anastasius, dilectissimus frater et dominus meus, admonuerunt vero cum illo et alii multi, non tantum pensantes mihi innatam stultitiam ; quantum amantes tam secretorum verborum qualemcunque sibi clarere peritiam. Quamvis nonnulli alii, et maxime dominus Beda in hoc eodem laboraverint, secreta patefecerint, posterisque lectionem utilissimam reliquerint. Tu ergo, serve Dei, humiliter lege quæ inveneris ; et si placuerint, transcribe quæ legeris.

Rogo vero ut in duo principia hoc opus dividas, quia dictamen illud dum a seipso variatur, turpe est si sub uno principio universum concludatur. Dum enim ego in cella solitaria positus Cantica canticorum exponerem, contigit ut me quidam amici mei supervenientes exponentem invenirent : cumque ea quæ jam exposueram per partes legerent, laudaverunt quidem opus; sed quod canonicorum librorum exempla non inserueram, quibus quæ dicerem probarentur, hoc unius inesse dixerunt. Ex illo mox tempore quæ memoriæ occurrerunt, pro re quam agebam, exempla apposui, quamvis non necessaria mihi esse videbantur. Maxime enim compunctioni in expositione intendens, non probanda, sed interius inserta dixeram ; unde postea exempla colligens dum brevitati studeo, strictius exposita minus suavia legenti videntur. Dictaminis itaque varietas, quæ exemplorum insertione fit, ibi notatur, ubi dicitur : *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris* (*Cant.* IV, 6). Hoc dicto et exposito, finiatur liber primus, incipiatque secundus, sic oriens : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV, 7). Pergamenum autem, si tibi defuerit, mittam quantum sufficiet.

Lege igitur, frater amantissime, sapientissimi verba Salomonis Cantica canticorum, quæ ob reverentiam sacratissimi sensus, ob excellentiam nuptialis amoris, ob Sponsi et Sponsæ suavissimam conglutinationem, non solum Cantica, sed Cantica canticorum vocantur. In horum expositione si quid tibi displicuerit, ora pro ignorantia mea : si quid tibi placuerit, ora pro peccatis meis, qui bene loquor et male operor. Quod si librum istum tibi scribere libuerit, non ita in marginibus sicut hic habetur, scribas, sed continuum in paginis, sicut aliæ expositiones scribi solent. Hæc vero epistola, volo ut ponatur in capite.

PROLOGUS AUCTORIS.

Tribus nominibus vocatus est Salomon : Salomon, id est *pacificus* ; Edida, id est *dilectus* ; Ecclesiastes, quod est Coleet, id est *concionator*, quod Ecclesias congreget. Is juxta numerum vocabulorum suorum tria volumina edidit, Proverbia, id est Maslot, Ecclesiastem, Cantica canticorum. In Proverbiis parvulam docens, et quasi de officiis præsentibus erudiens. In Ecclesiaste, maturæ ætatis virum instituens : ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca et brevia omnia quæ cernimus. Ad extremum, jam consummatum virum, et calcato sæculo præparatum, in Cantico canticorum Sponsi jungit amplexibus : quia nisi prius relinquamus vitia, et pompis sæculi renuntiemus, non possumus dicere : *Osculetur me osculo oris sui.* Hoc ordine et philosophi sectatores erudiunt, ut primum ethicam doceant, deinde physicam : et quem in his profecisse perspexerint, per theoriam ad theologiam usque perducant. Hoc notandum est. Titulus enim in Proverbiis adnotatur : *Proverbia Salomonis, filii David, regis Israel.* In Ecclesiaste vero : *Verba Ecclesiastis, filii David, regis Hierusalem.* In Cantica canticorum, nec filius David, nec rex Israel, sive Hierusalem præscribitur, quia ad incipientes et paterna dignitas et regni proprium nomen sufficit : et æqualis magister est, et nescit se esse regem. Pacificus Dei Patris et Ecclesiastes noster Christus est, qui medio pariete destructo et inimicitias in carne evacuans, *fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14); *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). De quo Pater ad discipulos : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ; ipsum audite* (*Matth.* III, 17), quia est caput Ecclesiæ.

CAPUT PRIMUM.

(Cap. I. *Osculum oris, inspiratio Sponsi.*)

1. Vers 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Os sponsi, inspiratio Christi. Osculum oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo sponsa desiderio æstuans, et in amplexum sponsi sui inardescens : *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si diceret : Ille quem super omnia, imo solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat, quia cum ejus osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor. Fastidit quippe sancta mens omnia quæ per corpus sentit, et in illa spiritalia tota transmutari concupiscit, et dum ista obstrepunt, in illa fugit, seque abscondere ne hæc sentiat, appetit. Ideoque osculum sponsi præerit, quia si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi suæ molestissimæ gravedinis detenta, quomodo se ad illum conferat, omnino non invenit. Sed plus sponsus anxietatem ejus sentiens, amorem diligens, votum exaudiens, osculum porrigit, et ne desiderio lassescat, gustu suæ suavitatis lenit, et dum suam præsentiam exhibet, eam ad

majus dilectionis osculum accendit. Unde hæc illum sentiens, ad eum se convertit; et quem præsentem habet, mox gaudens, voce mutata, alloquitur et dicit:

(*Ubera sponsi, dilectio Dei et proximi.*)

2. *Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Ubera sponsi, dilectio Dei et proximi. Ex his uberibus sponsam suam lacte pietatis nutrit et inter tentationum turbines, his eam fovet, et, ut persistat, reficit. Quid autem per vinum, nisi cura temporalis exprimitur? A qua mens sæcularis cujuslibet inebriatur, ut ad invisibilia cognoscenda, aut ex toto, aut pene insensibilis reddatur. Sed ubera sponsi vino meliora existunt, quia illud necat, hæc nutriunt; illud oculos mentis turbat, hæc acuunt; illud apostatare facit sapientes (*Eccli.* XIX, 2), hæc ipsos idiotas utique sapientissimos faciunt, quæ quot vicibus sponsa cum dilectionis ubertate sugit, tot sententias sapientiæ sibi in ventrem memoriæ trahit. Charitas enim cor pacificat, mentem in tentationibus roborat, et ut sedes sapientiæ sit anima justi, quietem tribuit, et locum præparat. Hæc itaque ubera unguentis optimis fragrant, quia odorem suavitatis per sapientiæ verba et sanctitatis exempla secum portant. Quicunque enim sancta charitate Dei se reficit, is spiritualium donorum et odorem et suavitatem sentit. Quorum bonorum ubertate proximos quosque ad interiora gustanda secum trahit, et ut in amorem divinum convalescant, istis uberibus nutrit.

(*Oleum effusum Christi nomen est.*)

3. Vers. 2. *Oleum effusum, nomen tuum.* Nomen sponsi, Christus est. Sed nomen sponsi quasi oleum effunditur, quia quicunque nomine Christiano in veritate censentur, charitate sancta affluunt, qua molliuntur, et ut flammas exemplorum emittant, eadem charitate perpetuo suffunduntur. Hac charitate in amorem ipsius Christi vehementius accenduntur, et ab ipso accipiunt, quo ei amplius inhæreant, quo perfunduntur. Hinc est quod sequitur:

(*Adolescentulæ, sanctæ animæ.*)

4. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Quid enim per adolescentulas, nisi sanctæ animæ designantur, quæ baptismatis aqua per Spiritum sanctum regenerantur, et in novam vitam per Novum Testamentum transformantur? Quæ propter olei infusionem Christum diligunt, quia ad gratiam vocatæ, in eo suavitatem vitæ perpetuæ inveniunt, pro cujus suavitatis dilectione, omnes mundi fastus et divitias respuunt. Sunt enim nonnulli qui ita Deum diligunt ut se ipsos contemnant, in interiora se rapiunt ut Deum inveniant. Et quia Deus in superficie non jacet, meditationibus laborant, subtilissime cogitationes suas examinant, lectionibus vacant: et quo modo Deus inveniatur, omnibus modis perquirere non cessant. Hi profecto odorem unguentorum sentiunt et olei infusione se inungunt, quia dum omnem putredinem vitiorum abjiciunt, flores sibi inveniunt, quorum compositione suaveolentia unguenta faciente Deo conficiunt. Qui ejusmodi est, desiderio æstuat, et quasi nihil habeat, semper majora exoptat. Et quia sibi virtus non suppetit, in Deum inhians, trahi se postulat dicens:

(*Odor unguentorum, gratia divina, quam sequimur.*)

5. Vers. 3. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Non currit, qui non trahitur, quia quem gratia divina non adjuvat, molestia suæ corruptionis gravatur. Gratia quippe divina nos prævenit, et internorum dulcedinem nobis ostendens, de exterioribus nos compungit, moxque in illa transiens animus præ eorum dilectione temporalia vilipendit. Iste ergo qui trahitur, currit, quia vinculum amoris libenter sequens, gratiæ roboratus amore, sine gravedine obstacula omnia transit. Nec mirum, cum unguentorum odorem sequatur, quia cum spiritalium donorum suavitas sentitur, quid est in hac temporalitate, cujus desiderio omnia sancta sponsa Christi, ne in illa properet, teneatur? Ibi quippe lenitate unguentorum gaudet, et dum naribus discretionis spirat, charitas sibi suaviter olet. Hinc est quod a singulari numero ad pluralem transit, quia in dilectione Dei, etiam præceptum, quod de proximi dilectione nos admonet, invenit; quo instructa, eructat nobis foras, quod gustavit suaviter intus, dicens:

(*Cellaria, sanctæ contemplationis mysteria.*)

6. *Introduxit me rex in cellaria sua.* Qui per hujus sponsi, qui rex est, cellaria intelligimus, nisi sanctæ Scripturæ arcana, quæ rimamur, nisi sanctæ contemplationis mysteria, quorum deliciis, si reficimur, mox convalescimus? In illa procul dubio, quisquis introducitur, omnia temporalia mox contemnit quia æternis ditatur. Ideo sequitur:

(*Exsultatio, in uberibus Ecclesiæ.*)

7. *Exsultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum.* Sancta anima sponsa Christi in sponsi sui deliciis exsultat, dum corporalia respuit, et in spiritalibus se occultat. Eumdemque sponsum delicias suas facit, in cujus respectu mundana omnia non curat. Sed hæc in memoria uberum agit, quia, dum recolit quanta charitate Christus eam dilexerit, qui sanguine suo eam moriens in cruce redemit, et quotidie eam in sinu Ecclesiæ matris ejusdem, sanguinis lacte nutrit, procul dubio magis magisque ejus dilectionem intendit. Quod lac bene super vinum dulce esse dicitur, quia per sanguinem Christi misericorditer educamur, qui per legis litteram severe prius constringebamur. Per quam dilectionem adimpletur quod dicitur:

(*Recti, Christiani.*)

8. *Recti diligunt te.* Soli utique recti Christum diligunt, quia quicunque adhuc per distorta vitiorum, ex desiderio currunt, dum in rectitudinis lineam semper offendunt, ipsum justitiæ auctorem Christum omnino diligere non possunt. Tunc vero homo per viam veritatis incedit, cum et opera virtutum exsequitur, et tamen peccata sua semper agnoscit. Ideoque et dicit.

(*Nigredo et forma sponsæ, per mortificationem.*)

9. Vers. 4. *Nigra sum sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nigram quippe et formosam sancta anima se bene dicit, quia semper et turpitudinem peccatorum suorum perspicit, et tamen illius justitiæ quem in intimis videt, in exterioribus sibi solerter formam gerit. Quæ bene *sicut tabernacula Cedar nigra, sicut pelles Salomonis formosa* dicitur, quia in quantum tenebras mortalitatis portat, nigredine corruptionis sordidatur. Cedar enim *tenebræ* interpretatur; Salomon vero, qui Christum significat, *pacificus* dicitur. Formosam ergo se sicut pelles Salomonis dicit, quia dum sanctos quosque qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non negligit, eorum utique pulchritudini per similitudinem se jungit. Ne vero proximi ejus nigredinem intendentes, minus exempla bonorum ejus ad imitationem diligant, turpitudinis causam satisfaciens ostendit, dum ab admiratione sua filias Hierusalem repellit, dicens :

(*Omnis anima sancta, in comparatione Christi, fusca.*)

10. Vers. 5. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Per solem Christus significatur. Sol ergo eum decoloravit, quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi, fulgorem amittit. Sunt quippe nonnulli, qui in hac nocte mundi velut stellæ hominibus fulgent, luminaria proximis apparent : sed mox ut justitiæ Christi se comparant, quasi sine luce sunt, qui bene incomparabiliter prius hominibus lucebant. Qualiter vero ad hoc pervenerit, ut aliquantulum luceret), ostendit cum subjungit :

(*Mater sponsæ, sancta Ecclesia, cujus filii apostoli.*

11. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis.* Mater sponsæ, sancta Ecclesia ; filii matris, sancti apostoli exstiterunt. Ante apostolorum quippe prædicationem, pene totus mundus rebellis exstitit, omnis pene anima idolorum se cultibus sordidavit, et cupiditates sceleratas accumulavit. Apostolorum vero prædicatio superveniens, contra omnes verbo pugnavit, in multis regnum dæmonum expugnavit, et regnum Christi, id est sanctam Ecclesiam, ampliavit. Vinctam ergo Christo, et sanctificatam congregationem, apostoli custodem in vineis posuerunt, quia primos credentes in Ecclesias per mundum, ut eas et congregarent et custodirent, disperserunt. Cujus dispersionis causam ostendit, dicens :

(*Vinea, Judæa.*)

12. *Vineam meam non custodivi.* Quid per vineam singulariter, nisi Judæa designatur? Quæ a se fideles expulit, quia custodiri aspernabatur. Prædicatione quippe expugnata, et sponsa Christi facta anima, dilectione ardet, et inquirendo eum, quem diligit, in intimis se exercet, dicens :

(*Quæ in meridie Christum requiescere facit.*)

13. Vers. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari in-*

A *cipiam post greges sodalium tuorum.* In meridie Christum sub umbra pascit, et cubat, qui in refrigeratione Spiritus sancti, sibi quasi requiem et pastum parat. Per meridiem quippe ardor vitiorum exprimitur ; per umbram vero spiritalis gratiæ flatus designatur. Meridie ergo fervente, in umbra Christus requiescit, quia dum in reprobis æstus vitiorum flagrat, ipse sponsæ suæ refrigerium tribuit, et in ea sibi delectabilem locum quietis efficit. Sed hoc sibi sponsa indicari deposcit, quod nulli unquam declaratur, nisi ei qui idem sanctificatricis gratiæ munus percipit. Quare vero ad hæc percipienda æstuet, manifestatur cum dicitur :

(*Ne vaga sit post greges passionum.*)

14. *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuo-* B *rum.* Vere, in quo Christus non cubat, vagatur, quia mens, quam ille suavis et ponderosus Christi Spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur. Sed qui sunt sodales Christi, per quorum greges sponsa vagari pertimescit, nisi falsi quique Christiani? Qui aut ob nominis solius, aut etiam sacramentorum communionem, fratres Christi vocantur, quia electis quos ipse fratres vocavit, in Ecclesia cohabitando, sociantur. Quorum multitudines bene per exprobrationem greges appellantur, quia, dum quasi irrationabilia animalia sine ordine vivunt, seductoribus spiritibus ad devorandum traduntur. Per hujusmodi greges vagatur quisquis ab intimo desiderio expulsus, reproborum stultitiam persimiles cupiditates imitatur. Hos C quippe electi cum moleste patiantur, per eorum persecutiones probati, mundiores ad æterna bona perducuntur. Unde admonetur sponsa, cum per increpationem dicitur :

(*Pugnandum est contra tentationes.*)

15. Vers. 7. *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum.* Si ignorat se sponsa, egrediatur et abeat, quia quisquis nescit se in hoc positum, ut tentationes per sufferentiam vincat, a familiaritate Christi recedit, quia in bello positus, cum Domino suo pugnare recusat. Sciendum est enim omnibus quod cum in tentatione sumus contra aereas potestates pugnare præcipimur, quia sine victoria coronari non possumus. Etsi adversarius deest, nec est quem vincamus ; ideoque D corona deerit, quam nonnisi vincentes capiemus. Hoc qui ignorat in bello est et quasi in pace exsultat, et eo frequentius vulneratur, quo securior est : quia nescit videre quem caveat. Digne ergo a pugnatoribus secernitur, ut vestigia gregum sequatur, quia dum prudentes quosque imitari negligit, necessario reprobos sequitur, quos stultitia brutis animalibus similes fecit.

(*Hædi, immundæ cogitationes; tabernacula pastorum, conventus hæreticorum.*)

16. *Et pasce hædos tuos juxta tabernaculum pastorum.* Per hædos, immundæ cogitationes designantur; per tabernacula pastorum, conventicula hæreticorum exprimuntur. Qui ergo pugnare nescit,

juxta tabernacula pastorum hœdos pascit, quia quis- A quis obsistentibus tentationem gladiis viriliter non resistit, immundas cogitationes, quasi hœdos lascivos, in corde nutrit, et efficitur ei similis etiam qui a fide recedit. Anima vero quæ sponsa Christi effici concupiscit, qualiter se habeat, Christus eam docet, cum ei per comparationem protinus dicit :

(*Equitatus Israeliticus, multis tentationibus probatus.*)

17. Vers. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* Scimus quia equitatus Israeliticus, currus Pharaonis fugiens, in mari demersos reliquit, nec tamen statim terram repromissionis intravit, sed prius multas tentationes in eremo quadraginta annis sustinuit, multos reges multis B laboribus expugnavit, et sic tandem ad beatam terram, in qua cum sponso delectetur, pervenit. Cui bene dicitur, quod subditur :

(*Genæ sponsæ.*)

18. Vers. 9. *Pulchræ sunt genæ, sicut turturis.* Turtur postquam parem suum perdiderit semel, nunquam alteri se jungit. sed semper solitarie habitans in gemitu perseverat, quia quem diligebat non inveniens, quærit. Sic sancta quæque anima, dum a sponso suo absens est, ab ejus amore non recedit, sed in ejus desiderium semper anhelat et gemit. Et dum illum quem valde diligit, non invenit, quia ab omni alieno amore se retrahit, quasi in ge- C narum verecundia castitatem cordis, ipso habitu et actu exteriori ostendit. Sequitur :

(*Collum sponsæ, prædicatores.*)

19. *Collum tuum sicut monilia.* Per collum sponsæ, prædicatores sanctæ Ecclesiæ designantur. Monilibus prædicatores comparantur, vel quia Ecclesiæ sunt ornamentum, vel quia Ecclesiam muniunt, ut pectus monile vel a rotunditate, id est perfectione. In monilibus, gemmæ in auro ponuntur. Per aurum quippe sapientia, per lapides ornamenta exprimuntur. Collum ergo sponsæ sicut monilia existit, quia quilibet rectus Ecclesiæ prædicator, et sapientia interius se induit, et opera exterius exercet, quæ in sapientia vidit. Cui et adhuc dicitur :

(*Murenulæ aureæ, sacra Scriptura.*)

20. Vers. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Murena piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cujus exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur, qua designatur prædicatio, quæ in auribus inhæret, et eas penetrat. Murenulis, monilia collo ligantur, quia et sapientia et religio a Scripturis sanctis, prædicatoribus adjungitur. Per murenulas enim Scriptura sancta intelligitur. Quæ bene aureæ et argenteo vermiculatæ dicuntur, quia et sapientia Scriptura sancta fulget, et sonora prædicatione per universum mundum auditur. Sicut enim per aurum sapientia, sic per argentum sancta prædicatio demonstratur. His verbis sponsi sponsa respondet, et per corporeas rerum species amorem intimat, quo spiritaliter intus ardet, dicens :

(*Nardus sponsæ, bonum exemplum.*)

21. Vers. 11. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Nardus est herba humilis, quæ gustata frigus expellit, et calefacit membrum. Accubitum suum rex tunc intravit, quando Dominus noster Jesus Christus corporaliter cœli interiora penetravit. Quo ibi requiescente, nardus sponsæ odorem suum dedit, quia virtus sanctæ Ecclesiæ, suavem famam bonitatis longe lateque sparsit. Ad cœlos enim Dominus ascendit, et Spiritum sanctum suum super discipulos misit, quo impleti verba salutis mundo prædicarent, et per sancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent. Hunc quippe in baptismo unaquæque fidelis anima recipit, ut per eum sibi ex virtutum confectione unguenta componat, et proximos exempli exhibitione, quasi unguenti odore reficiat. Sequitur :

(*Fasciculus myrrhæ, mortificatio.*)

22. Vers. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Mortuorum corpora myrrha condiri solent, ne putrescant. Myrrham quippe, etc. *Reliqua usque ad finem Commentarii habes ad verbum im Expositione quæ sub nomine S. Gregorii Magni inter ejus Opera edita est. Vide Patrologiæ tom.* LXXIX, *col.* 471.

ROBERTI DE TUMBALENA

PRIORIS S. VIGORIS

EPISTOLA AD MONACHOS S. MICHAELIS DE MONTE

De quodam monacho epileptico a levitate converso.

(MABILL *Annal. Bened.*, t. V, Append., p. 659, ex ms. cod. olim bibliothecæ S. Stephani Cadomensi nunc Ottobonianæ.)

Fratribus montem Beati Michaelis habitantibus, frater ROBERTUS et fratres cæteri beati Vigori in Monte-chrismatum servientes.

Benedictus Deus Pater, et benedictus Dei Filius, sanctusque utriusque Spiritus, trinus in ejusdem majestatis substantia Deus, qui nil odit eorum quæ

fecit (*Sap.* XI, 55), quoniam vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (*Tit.* I, 1), qui nos etiam contemptores non contemnit, sed adversos convertit, conversos diligit, dilectosque ad vultus sui hilarissimam beatissimamque visionem in mirabilibus suæ potestatis singularis provehit. Hic est Deus noster, solus timendus, solus amandus, qui non respicit hominis [*l.* homines], sed perdit, ea quæ sunt ut ea quæ non sunt instruat, qui apud nos quoque ultimos servos suos timorem suum et amorem revelavit, percutiens superbos, et sanans humiles. Rem vobis loquar dignam memoria, nostris temporibus inauditam, quæ cum omnium aures magnitudine singularitatis suæ valeat exturbare, vos tamen montanos fratres maxime percutit et sollicitat, quia de vobis est et vobis mittitur. Hugo vocatus frater quidam apud nos degens, nepos Lonensis abbatis quem vos optime nostis, quia apud vos in scholis nutritus est puer, iste quem loquor rem incurrit quæ vobis necesse est ut nota fiat. In choro quadam die, tertia feria, dum fratres nostri missam matutinalem celebrarent, erat et ipse cum cæteris, ut nobis videbatur, sanus et hilaris, qui pauxillulum doloris in capite sentiens lectum adiit, ut se prosterneret et quiesceret, ubi cum, nobis omnibus ignorantibus, jaceret, subito illa molestia arripitur quam medici epilepsiam vocabulo Græco dicunt, vel sacrum morbum, eo quod sacras hominis partes, ut est caput et mentem, occupet. Nos vero vulgariter guttam caducam, ex eo quod cadere faciat, vocamus. Hac igitur arreptus est; confestim mentem perdidit, oculos clausit, quos etiam manibus stringit, genua curvavit, calcitrans et volvens se in lecto. Ego vero cum fortuito casu in claustro sedens scriberem, cucurrit frater quidam exturbatus, et dicens Hugonem mori. Ad hanc vocem cum ego tremefactus surgerem, curreremque post eum, jam finita missa, fratres omnes currebant portantes crucem aquamque benedictam. Venientes igitur, sine mente jacentem invenimus, stringentem manibus oculos, et genibus calcitrantem. Expergefacti itaque, septem psalmos pœnitentiales incœpimus; videns vero manus illius oculos ultra quam expedire videretur opprimentes, attraxi eas a loco, dedique fratribus ut tenerent, reluctante illo plurimum, quamvis nihil sentiente. Paululum vero cum ibi super illum psallentes et signantes cum cruce stetissemus, jussi ut in oratorium portaretur. Quem cum obedientes fratres undique apprehensum vix portassent, jaciebatur enim inter manus nostras morbo, et dissolvebatur omnibus membris torsione mirabili et miserabili, ante beati Nicolai prostraverunt altare, seque prosternentes et nimia contritione psallentes. Ubi cum ego adessem et mirabiliter dolerem, adeo cruciabar lacrymis et suspiriis quatientibus, ut nec loqui nec psallere valerem, hærens tantum solo et fletibus mœstis. Dictis itaque psalmis septem et litania, postea dicebantur triginta, quos usus monachis est ante nocturnam synaxim celebrare, cum ille surrexit planctus miserabiles emittens, nosque, qui eum circumdederamus, dolore nimio et intolerabili concutiens. Surrexi tunc e solo veniens ad illum, ubi in manibus fratrum jacuerat, jamque surrexerat tantum ut sederet. Aspicientem vero eum et vix me agnoscentem rogavi lacrymis infusus, ut nobis quomodo erga se esset ediceret; qui tandem nimis.... et submisse loquens ait se miserabiliter tortum et confractum. Præcepi igitur ut in quodam, qui ibi aderat, lecto poneretur ut quiesceret. Quo sic facto, rogavi fratres ut more suo in capitulum irent, quia ego a fratre, omnino dolore me agitante, recedere non valebam; sedi vero coram eo mœrens et lacrymans, locutusque cum eo, ait itaque: « Mihi facta est vox quædam terribilis modo dicens: « Cur de monasterio tuo egressus es? » Cui sic increpanti me et terrenti, alia vox, me audiente, satis placida et suavis confestim respondit: « Quid ex hoc ad te? » Dumque ego si aliquid vidisset quæsissem, tantum audisse, nihilque se vidisse dixit. Finito tandem capitulo, et vocatis quibusdam fratribus, jussi ut in domum infirmorum portaretur, qui portatus jacuit, egoque secutus eum, quippe quem nullo modo res tam nova et tam tristis dimittere me sinebat, assiduus eram. Septies autem usque ad eamdem horam crastinam, nobis præsentibus et videntibus, eadem passio eum arripuit, aliis vero diebus pene omni die semel aut bis idem passus est. Vocati igitur medici duo doctissimi, qui in civitate præsentes aderant, fecerunt ei quidquid poterunt; sed quem sua manu prostratum Deus sola sua operatione sanandum providebat, humanæ manus molitionibus erigendum non aptavit.

Dum hæc agerentur, quadam die ego, qui pene assiduus aderam, domum in qua frater separatus, ut hujuscemodi rei competebat, habebatur, intrans, eum et ridentem, sedentem, jocantemque cum famulis, qui ejus servitio, me præcipiente, seduli assistebant, inveni; tantæ namque levitatis erat quantæ vos scitis, ut dum mecum in claustro ante hanc ægritudinem viveret, nullis minis, nullis plagis, nullis blanditiis, nullis admonitionibus ad se rediret ut se cognosceret; indomabiliter enim levitati, jocis et lasciviæ juvenili instans, scurrilitates ex toto sequens, contemnebat omnino, nec alio modo frenabat. Sed quid loquor de humano adnisu, cum tunc divino judicio tortus, tam incertis, tam horribilibus tormentis quateretur; nec sic duritia ejus frangeretur, ut vel aliquantulum minus lasciveret, imo amplius et amplius moribus solvebatur. Neque enim continua passione, sed incertis spatiis accedebat passio, torquebatur, tenebatur, et dimittebatur? Qui dimissus una hora aut dimidia, repertis viribus, surgebat et pristina levitate pascebatur, morboque tortus insania juventutis eo pejus quo voluptuosius torquebatur. Intrans itaque, ut dicere cœperam, domum, cum mihi valde risus tam importunus displiceret, tacui, et sedi cum eo, parcens ei nihilque dicens, etiam non displicere quod agebat simulavi;

timebam enim ne forte verbis meis, si aliquid durius loquerer, turbatus passionem solitam incurreret, unde ego sæpe etiam dissimulans jocabar, congaudens omnino sanitati ejus et quieti. Cum igitur sederem cum eo, ait : « Nocte ista præterita dormiens, visus sum mihi judicio divino præsentari ; ubi cum assisterem, conscientia torquente, accusabar, adductis coram me multis, quæ feceram, malis quæ horrebam pœnaliter, erubescens amplius, quam nunc cogitatione comprehendam. » Hoc ego audiens et in eo nihil timoris nihilque aspiciens gravitatis, tacitus dolui, et inclinatis oculis cogitabam quantæ duritiæ esset homo, qui nec divino judicio exterritus terrebatur.

Transactis tandem in hac passionis euntis et redeuntis alternatione viginti et septem diebus, vicesimo octavo ego, qui eum absque intermissione in memoriam gerebam, post cœnam fratrum locum ingrediens sedi juxta cortinam, quæ ante lectum fratris tensa pendebat. Cumque diu sederem, et ille in lecto jaceret, mirabar quod non loqueretur ; aperiens vero cortinam aspexi, et ecce jacebat supinus, clausis oculis, tanquam dormiens. Cumque aspiciens hæsitarem, dubitans utrum somno an morbo teneretur, nullatenus enim, sicut pridem accedente passione solebat, movebatur, accessi propius, et caput ejus agitans, clamansque eum nomine proprio, cum non respondisset, nec oculos aperuisset, deprehendi passionem accessisse, et exspectavi donec recederet ; quæ cum recessisset, aperuit ille oculos, et extensis poplitibus planctum flebilem emisit, dicens se nimis laborasse, et lacessentibus membris fatigari, sicque ter eadem hora mecum eo loquente, accedente passione ivit et rediit. Cumque ego valde dolerem, tanta contritione videns fratrem et filium meum laborare, pro quo animam ponerem, si possem, nec valerem succurrere, ingemiscens interno suspirio, dixit mihi : « Pater, Pater, quam pessimam noctem ducere me oportet hanc, quæ imminet ! » Cum rogassem ut diceret quid timeret, et qualiter hoc sciret, adjecit : « Vocem audivi terrentem me nimis ac dicentem : Roga priorem tuum Robertum et fratres tuos cæteros, ut orent pro te, quia nisi divina pietas subvenerit, pessimam noctem passurus es istam. Nunc ergo, Patres, succurrite et orate pro me, quia valde timeo attendens verba quæ dicta sunt mihi. » Me itaque præcipiente, confestim vocati sunt fratres quatuor, quos ego nominibus designavi, allatoque cum cruce et candelabris Christi Domini nostri sacrosancto corpore, me exhortante, præmissaque confessione, corporis sacri communionem sumpsit, factusque securior jacebat, nobis coram sedentibus et exspectantibus pariter omnibus aut gratiam aut judicium Dei, quia omnia quæcunque vult potest. Et ecce jam facta nocte et quiescentibus fratribus, exceptis iis qui mecum erant, accedente passione, abiit a nobis, sicut consueverat, claudens oculos, et jacens immotus. Cumque nos psalleremus, et ipse sæpius iret et rediret, jussi

A excitari fratres qui dormiebant, ut venirent ; quibus illico introgressis, psallebamus omnes eadem intentione precantes, ut fratri nostro, qui erat sicut nos, pietas divina subveniret. Tum subito ille, videntibus nobis omnibus, claudens more suo oculos abscessit, sicque aliquantulum jacens rediit, apertisque oculis me intuens, qui semper faciei ejus assistebam, dixit : « Dicite dominis istis ut vadant et requiescant, quia ego Dei gratia liber sum et absolutus ab hac passione, nihil passurus usque in diem tertium. » A quo cum quæsivissem qualiter hoc sciret, respondit : « Audivi vocem quæ mihi diceret : Dic servis Dei qui circa te sunt, ut vadant et requiescant, quia usque in tertium diem nihil hujus morbi passurus es. » Certus igitur factus, jussi ut recederent B qui venerant, et abierunt.

His itaque dictis et actis, factus est sanus frater, sic permanens tota illa die, nocte et die sequenti, usque in diei tertiæ nonam vel decimam horam. Mansit vero timidus valde, et frenata admodum pristina levitate, cum mœrore gravi præstolabatur, quid super eo fieri vellet Deus. Adii autem eum et accersivi verbis, rogans ut ad cor suum rediret et agnosceret quid fuerit, confitereturque omnia peccata sua, et illa maxime, quibus tanquam tormentis conscientia eum in divino judicio, sicut in somnis visum est sibi, cruciaverat ; quod ille audiens et annuens, illico confitens exposuit mihi omnem vitam suam præteritam, quantum recordari potuit, planctu quo valuit, assumensque consilium a me, quod C melius inveni. Die tertia, quæ minarum dies erat, me consulente et monente, mane in oratorium, cum et ego secum irem, perrexit, fratribusque primam psalmosque sequens et missam matutinalem, quæ etiam ex jussu nostro pro peccatis illius celebrantibus, ille extra chorum sedens, in meditationibus et lacrymis perseverabat. Nos vero finitis quæ finienda erant, hora illa capitulum introgressi sedimus, et post alias sermocinationes, quæ necessariæ videbantur, de illo mentionem introduxi, omnibusque annuentibus vocatus est in capitulum, hoc enim a me petierat, me tamen prius consulente et monente, sequebatur : quippe jam multum domitus voluntatem meam ex toto in quibuscunque poterat. Ingressus igitur prosternitur toto corpore coram nobis, D tantis lacrymis plenus, tanto luctu fractus ut me ex imo corde concuteret, tantoque dolore ut vix loqui ad verba illius valerem, misto gaudio agitaret. Gaudebam enim vehementer, quod tam superbum, tam lascivum, tam pertinacem in omni adolescentiæ vanitate, modo prostratum, tam humilem, tam modestum, tam conversum ad omnem pœnitentiæ gravitatem videbam. Surrexit igitur, me jubente, et in eodem luctu persistens, adeo ut vix loqueretur, quæsivit a nobis ut super eo et super peccatis suis, quæ valde plurima se fecisse cognoscebat, et quibus, ultra quam putaverat, gravabatur, præciperemus quod placeret. Ergo respondi ego pro omnibus ut potui, neque enim ad perfectum cordis gemitus et

lacrymæ deffluentes exprimere permittebant quod volebam. Suscepit itaque a fratre, cui præceptum est, exutus staminio judicium virgarum cum tanta humilitate, sicut mihi postea privatim ab eo dictum est, ut parum sibi videretur, quod percutiebatur. Præcepi igitur fratribus, qui per omnia obedientes erant, ut illa die jejunantes et pulmentorum coctorum perceptione penitus abstinerent. Prandium vero vestrum, inquam, ex toto ego, ut solitum est, vobis parari faciam, quod pro vobis pauperes in eadem domo refectoria una hora ante vos discumbentes comedant, ut in omnibus quæ possumus, et jejuniis et orationibus et eleemosynis fratri in necessitate tanta posito succurramus.

Quibus omnibus concessis, petitisque orationibus a fratre, qui coram astabat flens ubertim et graviter suspirans, et præmissis a nobis qui sedebamus, vix fletus ut loqueremur interrumpentes, surreximus, euntes cum psalmorum septem decantatione in oratorium, ubi prostrati jacuimus, donec finiti sunt. Post quæ omnia præcepi uni ex fratribus ut missam pro peccatis illius statim diceret, quam audiret ipse, et sacramenta corporis et sanguinis Christi perciperet. Factis igitur omnibus quæ dicta sunt, datisque pauperibus refectis per singulos singulis denariis, feci etiam coram fratre, propter quem hæc omnia fiebant, comedente, pauperem qui inventus est sedere, ut cum eo comederet. Volebam enim omnino ut non solum pro eo, sed etiam cum eo Christus in forma pauperis reficeretur, quem in necessitate tam proxime futura deprecabamur omnes fieri adjutorem. Dati sunt etiam huic duo denarii, quos ad hoc ego fratri tradideram. Cum itaque comedissemus omnes, et hora quæ timebatur proxima fieret, ego domum intrans fratrem sedentem inveni et timidum; qui illico mihi dans manum et a me susceptus surrexit a loco in quo sedebat, vadens mecum et jaciens se in lectum, ubi cum coram eo sederem, post paululum suspirans, ait : « Heu, Pater, quantum modo in capite doleo ! modo mihi genua dolent, modo crura ; nunc brachia, et ecce per totum corpus dolor ingeminatur et crescit. » Cumque hæc dicens vehementer doleret, affuit quidam laicus, cui ut loquerer oportebat, et exivi. cum statim revocatus a puero, qui ægroto assistebat, ingrediensque domum inveni eum jacentem arreptumque molestia pristina; non tamen caltitrabat aut volvebatur sicut prius, sed clausis oculis, tanquam dormiens non movebatur. Cumque post aliquantulum temporis rediens aperiret oculos meque inspiceret assistentem, iterum eodem modo raptus est ; et cum sæpius fieret, et ille spumaret, videns ego laborem ejus tantum ingemui ex intimo, et misi pro conventu fratrum ut adessent ; quibus præsentibus et psallentibus nobis coram omnibus ægrotum molestia sua arripuit. Cumque adhuc ab eadem teneretur, clausisque oculis et pugnis, nihil eorum, quæ a nobis gerebantur, sentiret, aperuit manum dextram subito, et erigens eam ad caput, signavit seipsum ter, nobis videntibus et

A mirantibus. Psallebamus igitur quantum poteramus, exspectantes ut rediret ad sensus, et sciremus ab eo quare hoc fecisset. Et ecce rediit, planctu se concutiens, et dicens : « Deus, Deus, quantum constringor. » Cui cum ego, psallentibus cæteris, diceremut quid erga se fieret aperiret, respondit : « Malæ bestiæ me impetunt. » A quo cum quærerem utrum nunc præsentes sunt, an recesserunt, ait : « Recesserunt. » Præcepi illico fratribus omnibus ut euntes agerent orationes et laudes vespertinas. Quibus egressis, remanens ego solus cum fratre jacente sciscitabar diligenter, ut audirem ab eo de signo crucis quod ter fecerat, et bestiis quas dixerat, veritatem. De quo cum sollicitum me vidisset, ait : « Visus est mihi modo ostiolum istud intrare homo

B nigerrimus et horridus plusquam dicere valeam, oculos habens igneos et ab ore ignem jaciens et super me efflans, trahensque duos canes horridos manu, sicut erat et ipse, quos cum in me animaret et cogeret, egoque illos me impedentes valde expavescerem, unum eorum, qui anteibat, pugno percussi et effugavi, cumque accessisset alter, nec tam proximus, quam alius fuerat, fieret, percussi et eum pugno, et post primum expuli. Ab iis liberatus effugatis ivi ad hominem, qui loco hæserat, et similiter pugno percutiens, post canes ejeci, sicque, Domino miserante, tribus ictibus liber factus sum ab his tribus hostibus. Intellexi igitur, quod tres ictus isti fuerunt tria signa crucis quæ videram, nobis psallentibus, fieri. »

C Interea, revocato uno ex fratribus qui abierant, pensum orationum vespertinarum et laudum cum ægroto, qui et ipse nobiscum psallebat, persolvimus. Postea etiam aliud vocari præcepi, ut tres essemus cum fratre jacente ; alii vero omnes, finitis officiis diurnalibus, ex præcepto nostro temperius quam consuevissent dormitum ierunt. Reputabam enim tractans in corde, ut si maxima imminente necessitate aut mortis aut alicujus exitii, quid enim futurum esset incerti eramus, oportebat omnes affuturos esse ; bonum erat si aliquantum somno refecti fuerint, et magis sobrie facerent quidquid agendum esset. Fuimus itaque tres cum illo quarto qui patiebatur, loquentes cum eo et consolantes eum, quan-

D tum posse dabatur nobis. Tantæ vero debilitatis vel lassitudinis in corpore erat ut cum in lecto quo jacebat, quoquo modo, ut vel parum tam maxima molestia saltem mutandi situm levigaretur, componere se vellet nullo modo valeret. Nos vero, qui aderamus, cum ad appetitum, quem fieri in eo videbamus, vellemus eum componere, vix eum etiam cum labore movebamus. * Ad naturæ necessaria cum ire vellet, nec surgere nec a loco se movere valens, duobus fratribus, tensis brachiis, erigendum portandumque se præbuit, qui eum cum labore, sine illius aliquo motu auxiliabili, excepto quod pedes per terram magis trahebat quam regebat, portantes et reportantes in lecto coram me posuerunt quomodo potuerunt. Et cum tantæ ægritudinis pondere pre-

meretur, dicebat tamen videri sibi quod nihil in corpore pateretur, præ timore quo animus ejus cruciabatur. Cumque ego quærerem quid timeret : « Timeo, inquit, me in illorum, quos vidi, manus aut in nequiores reversurum. » Loquebamur autem sic invicem, et ecce, jam nocte imminente, raptus est iterum et spumabat, erigensque sicut prius manum, signavit se totum. Cumque nos psalleremus, et ille rediret, quæsivimus utrumne vidisset aliquid? « Vidi, inquit, intrantes domum hanc homines tres, qui lanceas tres gestabant igneas fetentes tanquam essent sulfureæ, quibus cum me vellent transfigere, signo crucis quod a me teneri videbatur (nos quippe in manu illius crucem tenebamus), me defendebam, et illos fugabam. » Jacuit itaque dolens et plangens se vehementer : jam tamen, consolatione accepta, dicebat se sperare optime evasurum. Cumque ego, ipso audiente, ob illius consolationem confirmandam aliqua fratribus qui aderant de Scripturis et de fide Trinitatis dicerem, et multa jam noctis pars transisset, subito cum ille diligenter audiret, clausit oculos, et sensu abiit a nobis. Cum in eodem excessu positus, jam enim excessum, non molestiam aut passionem nominare habeo, manus jungens ad cœlum erigeret tanquam orans, nosque psalmum fidei diceremus *Quicunque vult salvus*, repetitumque mediaremus, ille aperiens oculos, erectasque tenens manus, sicut eas junxerat, locutus est, dicens : *Gloria tibi, Deus*. Cumque nos psalmi finem accelerassemus, et ille sæpius, *Gloria tibi, Deus*, repetisset, omnino unde tam læta tamque amabilis vox illi data esset, quæ toties reiterabatur, scire appetentes, sciscitati sumus. At ille aliquantulum severe me intuens, ait : « Vocentur mihi omnes monachi de monte Sancti Michaelis, qui in monasterio isto commorantur : missus sum enim nuntius ; » cumque hoc mihi satis displiceret, timens hoc aliquod esse illusorium phantasma, verensque fratres, qui ad nocturnas surrecturi erant orationes, excitando fatigare, multis verbis ne hoc fieret renitebar. At ille mihi prorsus restitit, dicens, ex toto sic fieri expedire. Nolui tandem amplius resistere, metuens ex altero, ne si hoc præceptum divinum esset, Deo inobedientem fratrem facerem, unde ego et ipse pariter rei existeremus ; quæsivimus de se ipso quid sibi futurum videretur, et ille se adhuc nescire respondit.

Vocati itaque quos voluit, citissime affuerunt ; quibus præsentibus, me rogante ut loqueretur, ait : « A Deo et a sancto Michaele et a sancto Vigore, optimo patrono, vobis omnibus dico, ut nunquam in montem Sancti Michaelis redeatis aut intretis gratia ibi remanendi, quandiu iste, qui nunc ibi abbas est, vixerit. Quod si ieritis et manseritis, fine malo et morte pessima consumemini. » Cumque illi ad verba se inclinassent, flentes præ gaudio, adjecit ille et ait : « Signa vobis verborum istorum, quod vera sint, dicturus sum, sed nondum ea audita, audienda præstolor. » Quibus dictis, ego fratribus illis montanis (erant autem quinque) : « Eia, domini mei, audistis, quæ a Deo præcepta sunt vobis ; recedite nunc, ut iterum in stratis vestris quiescatis. » Neque enim cum omnia alia optime attendissem, de signis quæ dicenda erant aliquid perceperam ; sed hoc ipse idem, testantibus omnibus qui affuerant, se sicut dixisse mihi postea manifestavit. Præcepto igitur meo fratres velocius obedientes jam surgebant, cum ille qui jacebat coram nobis raptus est : detinui itaque hoc videns fratres qui jam surrexerant, ut simul psalleremus, eventum rei exspectantes. Diximus ergo totum psalmum *Quicunque vult*, et adjecimus *Gloria Patri*. Quo finito rediit ille et sedit in lecto, dixitque : « Benedictus Deus, Benedictus Deus ; » jungens manus et adorans, oculisque alacribus nos aspiciens : « En signa, ait, vobis ut dicam, si audire placuerit. » Quod cum omnino placere, respondissemus omnes, nos verbis et illi nutu qui completorium dixerant, sic locutus est : « Si unquam amplius in omni vita mea et vestra me hujus infirmitatis propter quam hic jaceo, signum aliquod aut molestiam patientem videritis, sciatis nequaquam verum fuisse quod a me dictum est ; et ecce nunc integre sanus factus sum et firmus, potens surgere et ire et agere quidquid sano homini agendum est. » Cumque stupefacti gaudio et evidentia rei (videbamus enim in ejus facie nescio quod divinum signum sanitatis) miraremur, ineunte mihi quodam ex fratribus diximus voce sobria et submisse *Te Deum laudamus* ; et illi quidem fratres, quibus propter completorium loquendi licentia non erat, ad strata sua, me jubente, abierunt. Ille vero statim nobis coram positis et cum eo surgentibus qui non abieramus, surrexit, mihi data manu, sanus et hilaris et robustus sicut nos. Stabat igitur gaudens, et nos mirabamur et congaudebamus ; videbamus quippe hominem modo in lecto jacentem, diuturna et molesta passione collisum contritumque, et pene omnibus membris dissolutum, ut nec etiam moveri ad sedendum valeret, essetque ei ipsa lecti mollities tormentum ingens, nunc vero ipsa eadem hora robuste surrexisse, stare nobiscum sanum et gaudentem. Benediximus itaque Deum, qui percutit et sanat, mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit (*Tob.* XIII, 2). Est ergo hodie in claustro, nobiscum benedicens Deum, qui eum vere, ut pater diligens filium, percussit et sanavit. Sanus namque corpore meliorem et de fide ampliorem suscepit in anima sanitatem. Correptus enim et correctus mores omnino mutavit, Deo omnipotenti subdidit ipsa sua vita dans testimonium, quod vere manum Omnipotentis senserit, cui est honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI MXCII

GERARDUS II

CAMERACENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN GERARDUM II

(*Gall. Christ.* III, 21.)

Gerardus in territorio Alostensi ortus, monachus et præpositus apud S. Vedastum sub Adolfo abbate, cum foret S. Litberti nepos, electus est in ejus successorem an. 1076. Ab Henrico rege investituram accipit ; quapropter de ejus ordinatione legitima dubitavit Gregorius papa VII, præcepitque Hugoni Diensi episcopo, suo legato, ut coacta synodo exploraret utrum ignorans an probe sciens prohibitionem S. sedis de investituris a laica manu non recipiendis, investituram accepisset (1). Emendatis quæ in ipsius promotione vitiosa videbantur, ab Hugone legato episcopale munus libere exercuit, et quidem an. 1079 (2), præsulatus sui quarto, Alardum I, Aquicintinensis monasterii abbatem ordinavit ; cujus abbatiæ prope Duacum sitæ fundationi favit suis litteris hoc anno datis, apud Miræum cap. 40 Belg. diplom. Eodem an. subscripsit litteris Philippi Francorum regis pro monasterio S. Quintini Bellov. quæ editæ sunt ab Ant. Loisello in Monumentis Ecclesiæ Bellov. Joannem in abbatem Sithiensem ordinat circa an. 1081. Huic episcopo Morinensis Ecclesiæ cura tum commissa erat ob intestina Morinensium cum suo episcopo dissidia, quæ a morte Brogonis episcopi semper in deterius creverant tempore trium episcoporum, Hucberti scilicet, Lamberti a Roberto Frisone intrusi, et Gerardi, ut ex Greg. VII litteris, et Iperii chronico patet. An. 1082 subsignat litteras quibus S. Dionysii in Drocareia monasterium Sylvæ-Majori subjicitur a Balduino comite Flandriæ et Richilde matre ipsius, ex Mabillon. Consensit fundationi monasterii Affligemiensis circa an. 1083 uti refertur in historia hujus monasterii lib. I, c. 4, ubi laudatur Gerardus. Approbavit litteras Anselmi de Ribodi-Monte (*Ribemont*) pro erectione monasterii hoc in loco, necnon diploma Philippi regis an. eodem 1083. An. sequenti ecclesiam S. Petri Montensis dedit monasterio S. Dionysii prope Montes in Hannonia, consilio Balduini comitis Hannoniæ. Ecclesiam B. Mariæ de Valencenis, pia liberalitate ejusdem Balduini et Richildis ipsius matris conditam, dicavit. An. 1085 interfuit concilio Compendiensi, ex Spicilegii tomo II, pag. 599. Fuit mediator inter canonicos S. Gaucherici et S. Sepulcri monachos, super piscatione in Scaldi fluvio.

Anno 1089, sui episcopatus decimo quarto, aliquot ex propriis bonis allodia Cameracensi cessit Ecclesiæ. Ad cœlum præmissis multis hujusmodi piis operibus migravit die IX Augusti an. 1092 (3) ; sepulcroque donatus est in majori B. Mariæ ecclesia. Illo sedente Cameraci contigit quod Gregorius VII, l. IV, ep. 20, ad Gofredum episcopum Parisiensem scribit : « Item relatum nobis est Cameracenses hominem quemdam flammis tradidisse, eo quod Simoniacos et presbyteros fornicatores missas non debere celebrare, et quod illorum officium minime suscipiendum foret, dicere ausus fuerit. Quod quia nobis valde terribile, et si verum est omni rigore canonicæ severitati vindicandum esse videtur, fraternitatem tuam sollicite hujus rei veritatem inquirere admonemus : et si eos ad tantam crudelitatem impias manus extendisse cognoveris, ab introitu et omni communione ecclesiæ auctores pariter et complices separare non differas, et nobis hujus rei certitudinem indicare stude. » Mense Martio anni 1077 hic episcopus quædam statuta pro monachis S. Gisleni edidit.

(1) Epistola Gregorii qua præcipit ut dato sacramento Gerardus affirmaret in episcoporum cœtu se ignorasse decretum papæ, qui laicorum investituras prohibebat, data est IV idus Maii indict. XV, id est an. 1077 : unde conjici potest tempus electionis Gerardi.

(2) In chartario S. Sepulcri legitur donasse Walterio abbati S. Sepulcri altare de Lewes, an. 1079, sui episcopatus an. II ; ubi videtur primum ejus episcopatus annum non computari ab electione, sed a tempore quo Hugo Gregorii septimi summi pontificis legatus de ipso judicium tulit.

(3) Pridie Kal. Aug. ex notis mss. Baluzii ad Gall. Chr. 3 Jul. ex Raissio.

CHARTA GERARDI II EPISCOPI

De fundatione aquiscincti.

(*Gal. Christ.*, III, 87.)

GERARDUS secundus, Cameracensium Dei gratia episcopus, omnibus Christi fidelibus, æternam beatitudinem.

Duo milites, parochiani nostri, genere et divitiis præclari, Valterus scilicet et Sicherus, mundanæ militiæ cingulum deponentes, omnem hujus mundi proprietatem contemnentes, theoricam vitam sequi spoponderunt, seque et sua omnia Deo dedentes, ipsi solum in perpetuum deservire promiserunt, locumque qui Aquicinctus dicitur elegerunt; ecclesiam inibi volentes restaurare, quam a S. Gerdanio, in eodem loco eremiticam vitam ducente, audierant quondam ædificatam fuisse. Hoc autem consilium Valterus scilicet ac Sicherus, Valterus per matrem, Sicherus per uxorem, confirmatum Ansello aperuerunt. Ipse vero Ansellus insulam illam Aquicinii, et arundinetum pertinens ad eam, et villam quæ Vedretum dicitur, eidem insulæ contiguam, quæ a nobis in beneficium tenebat, in manu mea reddidit, et ego ea in jus perpetuum donavi ecclesiæ ipsius Aquicinii. Signum Widonis archidiaconi. S. Widrici arch. S. Anselli. S. Vilardi, Johannis, Fulconis, Ingebrandi, Huberti, Wlferi, Alardi, S. Vualteri Castellani Duacensis, S. Clarebaldi. Actum est hoc anno ab Incarnat. Domini 1079, indict. XI, anno Henrici regis XXVI, præsulatus vero domini Gerardi II, Cameracensis episcopi IV.

ANNO DOMINI MXCIII.

RAYNALDUS I

REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN RAYNALDUM I.

(*Gall. Christ.*, IX, 75.)

« Post multa genera dissensionum, inquit Chronicon Nicasianum, post varias oppressiones divitum et humilium, post innumeras distractiones ornamentorum ecclesiarum, quæ a quodam Manasse de injuste nomen episcopale affectante, Deo et omnibus hominibus pro viribus resistente, infra et extra urbem facta sunt, subito nova lux exoritur, » etc. Rainaldum intelligit, thesaurarium S. Martini Turonensis, ex illustri Berleiorum familia oriundum, filium Berlaii de Monasteriolo et Græciæ seu Grisiæ, quæ postea Gaufrido Martello comite Andegavensi nupsit. Rainaldus, quem alii *Rainoldum* seu *Raginoldum* vocant, culmen episcopalis honoris adeptus anno 1083, omne studium impendit, ut ea quæ a decessore suo pessime gesta fuerant, resarciret. Etenim non urben solum, sed omnem in circuitu ejus regionem velut a Barbaris vastatam et conculcatam reperit; sed ingenio solers et pervigil dispersa collegit, et exinanita in pristinam majestatem sic restituit, ut ecclesiæ bono ac reipublicæ utilitati natus esse videretur.

Anno ipso 1083 suscripsit fundationi abbatiæ Ribodi montis. Anno sequenti concilium celebravit apud Suessiones, scripsitque Gerardo episcopo Cameracensi, *præcipiens in virtute obedientiæ ut a pauperum Christi*, id est monachorum Affligemensium, *infestatione desisteret, nec eos ultra vexare præsumeret*. Eodem anno confirmavit donationem altaris Ventiliaci factam Majori-monasterio a Theobaldo palatino comite tempore Henrici regis, et Guidonis Castellionei archiepiscopi Remensis. Anno 1085 synodum coegit Compendii, in qua contra Hilgotum Suessionensem firmata est libertas ecclesiæ S. Cornelii Compendiensis. Eodem anno monachos ex abbatia S. Theoderici transmisit in vicum Peteghensem diœcesis tunc Tornacensis, nunc Gandavensis. Anno 1086 septem altaria dedit monachis S. Basoli, et ecclesiam S. Hilarii Marogilensis Agneti abbatissæ

Avenaci : monachosque Affligemienses fortiter tutatus est adversus Gerardum Cameracensem. Eodem anno cum accingeret se ad limina apostolorum visitanda, concessit monachis Andaginensibus altaria quædam, Remigianis vero altare quod erat in vico S. Remigii ; quam ultimam donationem confirmavit anno 1089. Anno 1088 ecclesiam de *Buzai* juxta oppidum Turis super Matronam concessit ecclesiæ Turonensi pro anniversario suo celebrando. Anno 1089 privilegium accepit ab Urbano II summo pontifice, quo Remenses archiepiscopi et pallio uterentur, et primates dicerentur secundæ Belgicæ, et reges Christianissimos consecrarent.

Ex Italia per Arverniam rediens anno 1090, apud Casam-Dei diversatur, ubi cum monasticum ordinem arctioribus statutis discipulorum S. Roberti cura florere comperisset, subiit animum ejus aliquot secum ad Remos deducere, qui Nicasianum cœnobium statim a morte Gervasii archiepiscopi penitus collapsum in integrum restituerent ; cujus religiosissimis votis abbas Seguinus acquievit. Eodem anno altare Vallis monasterioli concessit monialibus S. Petri Remensibus. Anno 1091 donum ecclesiæ Turris super matronam, datæ anno 1083 Cluniacensibus ab Hugone filio Manassis, confirmavit. Anno 1092 concilium Remense celebravit, cujus auctoritate Robertus comes Flandriæ morientium clericorum bona occupare desiit. Anno sequenti dedit altare Hermundi-villæ monachis S. Theoderici. Frequens est archiepiscopi hujus mentio in historia restituti Atrebatensibus proprii episcopi : quod factum est annis 1092 et 1093, et a nobis tractatum olim in tomo tertio Gilliæ hujus Christianæ. Eodem anno 1093 concilium apud Suessiones indixit adversus Roscelinum hæreticum.

Interea cum divortium regis maximas in regno turbas cieret, Ivo Carnotensis ea de re scripsit ad Rainaldum in hunc modum (*ep.* 13) : « Nuper, inquit, cum a domino rege fuissem invitatus ad colloquium ut essem ei adjutor in celebrandis nuptiis quas facere disponebat de Bertrada conjuge comitis Andegavensis : ad quod cum respondissem non ita oportere fieri, quoniam nondum esset causa diffinita inter ipsum et uxorem ejus, testatus est pleniter diffinitam esse apostolica auctoritate et vestra, vestrorumque coepiscoporum laudatione. Quo audito, respondi me hoc ignorare, nec hujusmodi nuptiis velle interesse, nisi vos earum essetis consecrator et auctor, et coepiscopi vestri assertores et cooperatores, quoniam id competit juri ecclesiæ vestræ ex apostolica auctoritate et antiqua consuetudine. Quoniam igitur confido de religione vestra, nihil vos de re tam periculosa et famæ vestræ, et honestati totius regni tam perniciosa facturum dicturumve quod non auctoritate vel ratione nitatur : studiosissime et devotissime obsecro charitatem vestram ut mihi fluctuanti veritatem hujus rei quam scitis, aperiatis, et sanum consilium, licet arduum et asperum, super hoc præbeatis. » Sed et Urbanus papa Rai-

A naldum et suffraganeos ejus naviter carpsit, quod tanto facinori non se viriliter opposuisset. Anno 1094 coactum est super eodem negotio concilium Durocortori. « Congregavit, inquit chronicon S. Petri Vivi, Philippus rex archiepiscopos et episcopos regni sui in Remensi urbe, et obtinuit ab archiepiscopo Richerio magnis precibus ut Remis ad concilium non dedignaretur ire, ostendens Rainaldum Remensem archiepiscopum podagrico dolore contractum non posse progredi de sua sede ; » unde præsul ille a nonnullis dictus est *Rainaldus Contractus*. Eodem anno Hugonem Regitestensem comitem, qui ob illatas hominibus S. Remigii vexationes excommunicatus fuerat, facti pœnitentem Rainaldus absolvit : formam absolutionis ejus videsis in appendice inter

B instrumenta. Anno 1095 Philippum consecravit in episcopum Catalaunensem ; et data Laudunensibus S. Vincentii monachis ecclesia Alti-montis, interfuit concilio Claromontano nil sibi conscius adulterarum regis nuptiarum. Paulo antea subscripserat concilio in Monte S. Mariæ celebrato eodem anno.

Ad extremum cum res Atrebatensium quas Urbanus II papa sibi commendaverat, firmare studeret, nihil operæ et laboris prætermittens quo omnem in posterum litigandi segetem cum Cameracensibus radicitus amputaret, morbo correptus obiit XII Kal. Februar. anno 1096 Atrebati, ubi et sepulturam accepisse nonnulli credunt. Sed iis reclamitare videtur necrologium Ecclesiæ Remensis in hæc verba : *XII Kal. Febr. Raynaldus bonæ memoriæ archiepi-*

C *scopus noster requiescit intus, qui dedit S. Mariæ altaria tria, ut inde sepeliantur canonici, reliquum in ejus solemni anniversario canonicis in urbe existentibus distribuitur* ; quanquam ex hac vocula *intus* nihil peremptorii concludi posse constat ex simili formula quam infra in Rainaldo II apud Igniacenses monachos sepulta referemus. Ut ut sit, in medio ecclesiæ cathedralis choro lapis sepulchralis nigri coloris pro epitaphio hæc verba præ se fert : RAYNALDUS CONTRACTUS ARCHIEPISCOPUS. Capitulum Atrebatense ut laboribus ab eo impensis vices redderet, jugisque memoria ejus haberetur, anniversarium pro eo quotannis celebrare decrevit in majori ecclesia. Huic parentavit elegiacis versibus Baldericus Burgoliensis abbas, quibus Rainaldi virtutem commendat in hunc

D modum :

Remensi populo lumen, firmamque columnam
Rainaldum Christi gratia contulerat.
Hic quoque Martini sublatus ab æde beati
Remensi multum profuit Ecclesiæ.
Hunc mors in tanto florentem pontificatu
Attigit, et vacuam fecit item cathedram.
Pupilli cives pro tanto præsule flentes
Corpus pontificis hic posuere sui.
Huic populus glebæ dignus dispensat honores ;
Dispenset veniam Cunctipotens animæ.
Hunc duodena dies februi præeundo kalendas
Destituit mundo, substituitque polo.

RAYNALDI EPISTOLÆ.

(Province ecclésiastique de Reims.)

I.

AD CLERUM ATREBATENSEM.

De consecratione Lamberti.

(Anno 1093.)

RAYNALDUS, gratia Dei Remorum archiepiscopus, domno GUALBERTO universæque Atrebatensis Ecclesiæ congregationi salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Scripsistis nobis quatenus terminum vobis rescriberemus in quo electum vestrum consecrare vellemus. At, quia consecratio illa non solum ad nostram, verum etiam ad coepiscoporum notrorum potestatem juxta canonum sanctionem pertinere videtur, diem vobis hujus consecrationis absque eorumdem consilio haudquaquam rescribendum esse dignum duximus. Sed cum in festo sanctæ Mariæ mediante Augusto magnum et episcoporum et clericorum conventum Remis habituri simus, illud quod ab eis super hoc consilium acceperimus, et terminum in quo eumdem electum vestrum debeamus consecrare, vobis mandare non differemus. Valete.

II.

AD LAMBERTUM ELECTUM ATREBATENSEM EPISCOPUM

De ejus electione.

(Anno 1093.)

RAYNALDUS, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilectissimo confratri et consacerdoti suo LAMBERTO salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Litteras quas nobis pro consecratione tua domnus papa direxit suscepimus, sed et earum quæ tibi directæ sunt exemplar vidimus : quas cum perlegissemus, coepiscopo nostro Suessionensi eas transmisimus, et ut ipse cæteris suffraganeis transmitteret præcepimus, quatenus ab eis accepto consilio tuæ fraternitati respondeamus. Ideoque tibi usque octavas sancti Andreæ aliquem legatum tuum ad nos deleges mandamus, per quem tuæ dilectioni rescribamus quid super omnibus illis quæ de te domnus papa injunxit acturi sumus. Vale.

III.

CLERI ATREBATENSIS AD RAYNALDUM.

De electione Lamberti.

(Anno 1093.)

Dilecto et in veritate diligendo et honorando Patri et domino RAYNALDO Dei ordinatione Remorum archiepiscopo clerus et populus Atrebatensis Ecclesiæ cum Lamberto etsi inutili sanctitatis suæ servo, veram dilectionem cum orationibus et obedientiam.

Vestræ excellentiæ dignitati multiplices referimus gratias quia hactenus gratanter nobis ut pius pater juvamen exhibuistis et benignum vos erga nos in cunctis causæ nostræ fore promisistis. Sed paternitatem vestram miramur plurimum in calce nostri negotii infrigidatam existere, cum infra terminum ab apostolico vestræ magnificentiæ electi nostri consecrationis injunctam nec solemniter litteris vestris, ut arbitrabamur, ad consecrationem electum nostrum vocastis, nec diem certum infra terminum designastis. Nunc autem, cum consecratio deinceps infra tricennalem metam nequit fieri, saltem litteras vestræ auctoritatis, quæ apostolico deferantur, ut ipse jussit, pro consecratione nostri electi nobis dare velitis plurima pace precamur. Valete.

IV.

RAYNALDI AD URBANUM II PAPAM.

De electione Lamberti.

(Anno 1093.)

Domino et reverentissimo sanctæ et apostolicæ sedis papæ URBANO RAYNALDUS, licet indignus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, salutis, obsequii, debitæque subjectionis munus uberrimum in Domino.

Post directas primum nobis a paternitate vestra litteras placuit vestro, serenissime Pater, apostolatui ut iterum alias nobis dirigeretis, præcepto præcipientes quatenus infra triginta dierum spatium, postquam vestras litteras videremus Atrebatensis Ecclesiæ electum in episcopum consecrare non differremus. Addidit et hoc solertia vestra, ut si aliqua nobis occurreret causa qua munus illud aggredi formidaremus, eum vobis cum litterarum nostrarum astipulatione consecrandum dirigeremus. Susceptis igitur hujus vestræ præceptionis apicibus, ne quid inconsultis coepiscopis notris et consacerdotibus præsumeremus, cum constet utique tam ex eorumdem quam ex nostra auctoritate eamdem pendere consecrationem, mandatorum vestrorum schedulam ad universos ad quos potuimus, direximus singulorumque sciscitati sumus sententiam quatenus illud nobis super hac re consilium providerent, quod nec vestræ obeditioni observaretur, et ex qua Remensis Ecclesiæ dignitas non imminueretur. Itaque hæc omnium et episcoporum, et clericorum nostrorum una vox fuit et sententia, ut nos quidem ab electi illius consecratione manum suspenderemus, sed eum vobis, cum hoc vestræ præciperent litteræ, transmitteremus, et quidquid inde altitudinis vestræ solertia faciendum decerneret arbitrio vestro relinqueremus. Timuerunt enim et timent ne Cameracenses ex hoc facto accepta occasione, se a Remensi Ecclesia abrumperent ; cum et civitas eorum alterius regni habeatur et regni cujus rex nobis et Ecclesiæ Romanæ jam et ex longo tempore inimicatur. Addide-

runt etiam damnosam admodum fieri commutationem, A si dum Remensis Ecclesia Atrebati episcopum fieri consentiret, Cameracum, quæ sexies quam Atrebatum et continentior et locupletior est, amitteret. Obsecramus ergo excellentiam vestram, Pater sanctissime, obsecrant et episcopi et clerici nostri, quatenus vos, qui in arce et in specula omnium ecclesiarum præsidetis, negotium ita temperetis ut nec quisdam, quod absit! decretorum vestrorum inde dispositionem reprehendat, nec Remensis Ecclesia ullam suæ dignitatis jacturam vestris in temporibus sustineat. Nos tamen, qui vestris obsecundandum deliberationibus perpetuo proposuimus, quicunque sit modus consecrationis, ubi eum dignitas vestra consecrarit, consecratum benigne suscipiemus, susceptumque sicut episcopum B et suffraganeum nostrum deinceps honorabimus. Cæterum vestram nosse volumus celsitudinem nos nequaquam rem hanc ideo tandiu distulisse ut aut vestris unquam jussionibus obsistere enitamur, aut ut domino illi aliquo derogemus. Eum non hoc duntaxat honore dignum esse censemus, sed cujusvis alterius promotionis apicem ei merito conferendum adjudicamus.

Valeat beatitudo vestra incolumis in Domino.

V.

AD COMITEM FLANDRIÆ.

De confirmatione electionis Lamberti

(Anno 1094.)

RAYNALDUS, Dei gratia Remorum archiepiscopus, glorioso principi domno ROBERTO Flandrensium C comiti, salutis et benedictionis ubertatem in Domino.

Dilectionis vestræ litteras benigne suscepimus, susceptasque gratanter perlegimus. Quoniam itaque in ipsis ut nobis quid animi super ordinatione dilectissimi fratris nostri Lamberti Atrebatensis episcopi haberemus rogastis vellemus remandare, nolumus lateat charissimam nobis prudentiam vestram, nos ipsum plurimis diebus ut quod de eo agendum erat legitime ex episcoporum nostrorum consilio fieret, detinuisse, ad ultimum in concilio quod Remis cum coepiscopis nostris atque principibus multis XV Kal Octobris habuimus, juxta domni papæ Urbani præcepta, quibus inobedire nefas est, consilio et assensu coepiscoporum nostrorum more D ecclesiastico ipsius professionem suscepimus ejusque consecrationem confirmantes confirmavimus, unde vestræ mandamus sollicitudini quatenus eumdem amodo cum debito honore, cum debita reverentia suscipiatis, ejusque laboribus publice et privatim pro amore Dei communicetis, sed et in quantum ecclesiastica permittit ratio ei ut pastori vestro, ut episcopo vestro obediatis. Valete.

VI.

AD LAMBERTUM EPISCOPUM ATREBATENSEM.

De absolutione quorumdam clericorum.

(Anno 1094.)

RAYNALDUS, Dei gratia Remorum archiepiscopus, charissimo filio suo LAMBERTO consacerdoti et coepiscopo quod sibi in Domino.

Canonicum istum, videlicet Engelbertum, scias a nobis absolutum esse. Cæteros vero qui excommunicationis nostræ causa jam ad te pervenerunt vel venturi sunt volumus et mandamus quatenus et illos absolvas et sub regulari regimine, ubi corporis et animæ consolationem habere possint, collocare studeas quousque illorum Ecclesia resipiscat, sicque post per nostram absolutionem atque licentiam illos ut proprios filios recipiat. Vale.

VII.

AD EUMDEM.

Ut ad synodum ab Urbano in Italia congregatam accedat.

(Anno 1094.)

RAYNALDUS, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilectissimo confratri et consacerdoti suo LAMBERTO, Atrebatensium episcopo, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Dilectioni vestræ insinuandum dignum duximus nos nuperrime domni papæ Urbani epistolam suscepisse, et ab eo ut vestra convocata fraternitate circa medium februarii proximi ad concilium quod intra Tusciam vel Longobardiam tunc temporis celebraturus est ad præsentiam ejus accedere curemus sollicitudinem vestram monitam esse. Et nos igitur ad ipsius monitionem vestram monemus fraternitatem, quatenus circa prædictum terminum vestram ipse præsentiam cum omnibus abbatibus vestris ad ipsum concilium exhibere curetis. Valete.

VIII.

AD EUMDEM.

Ut concilio Claromontano intersit.

RAYNALDUS, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilectissimo fratri et consacerdoti suo LAMBERTO Atrebatensium episcopo, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Dilectissimam nobis fraternitatem vestram ignorare nolumus quoniam domni papæ Urbani epistolam nuperrime suscepimus, qua nos ut ad concilium quod in octavis Sancti Martini, XIV videlicet Kal. Decemb. apud Arvernensem quæ et Clarimontis dicitur, ecclesiam celebraturus est, præsentialiter accederemus præmonuit, et ut omnes nostræ metropolis suffraganeos, convocatis tam abbatibus quam cæteris ecclesiarum primoribus, sed et excellentioribus principibus, ad ipsum concilium invitaremus præcepit. Et nos sane apostolicæ mentioni obviam, quod nefas est, incedere nolentes, concilium quod in octavis Omnium Sanctorum insumpseramus, propter hoc, ut justum est dimittendum dignum putavimus. Vestram ergo sollicitudinem litteris præsentibus monemus quatenus omni occasione seposita vestram ad idem concilium præsentiam exhibere, et, ut prædictum est, et abbates et cæterarum ecclesiarum vestrarum primores et diœceseos vestræ principes, et maxime Balduinum

comitem de Montibus, monere curetis. Nulli autem inopiæ vel alicujus necessitatis occasio quin veniat præbeat audaciam, cum nos nisi personas non ingenti quidem famulorum caterva stipatas requiramus. Quicunque autem post hanc monitionem nostram se ab hoc concilio absentaverit, noverit procul dubio quoniam et ordinis sui periculum incurret, et domni papæ iram, nec impune quidem, sibi thesaurizabit. Valete.

IX.

AD BALDERICUM.

De chronico Cameracensi.

(Anno 1094.)

Raynaldus, Remorum archiepiscopus, Balderico Morinensi cantori, salutem.

Meum, dilecte, de tua Historia Ecclesiæ Cameracensis et Atrebatensis requiris judicium, de qua quæ accepi a fratre Sigoberto tibi rescribo. Illi tanquam sedula apis per piorum devota circumvolitans loca, nullum præteriisse visus est unde non aliquid decerpseris incredibili sedulitate. Sic itaque mirabilia Dei et sanctorum non erunt in terra oblivionis, et ædificasti in generatione, ideo usque nunc satis verecundiæ et modestiæ tuæ datum est; reliquum piorum votis, et pie defuncti præsulis voluntati largire, et quod industria infatigabili, et animo vel ad minutissima quæque attentissimo viventi consecrasti, mortuo non eripias. Excute de manibus, ut in ecclesiis et monasteriis versetur; mihi etiamnum præsagit animus, rem istam tibi gloriæ, posteritati usui, et nunc utrique Ecclesiæ voluptati, atque ornamento futuram.

Datum Remis Idibus Januarii anno 1094.

X.

AD LAMBERTUM ATREBATENSEM EPISCOPUM.

Ut Hugonem de Inciaco, S. treviæ Dei violatorem, gladio anathematis compescat.

(Anno 1095.)

Raynaldus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilecto fratri et consacerdoti suo Lamberto Atrebatensi episcopo salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Memoriter vobis inhærere credimus quidquid de Hugone de Inciaco nuper cum fraternitate vestra multo sermone contulimus. Ipse siquidem Hugo nuperrime in villa sancti Gaugerici quæ Felcherias dicitur in trevia Dei cum armata manu advenit; ibique circumquaque discurrens, igni penitus totam villam concremavit, prædamque non minimam atque hominum multitudinem miserabiliter secum adduxit. Pervenit etiam ad aures nostras quod se epistolam nostram habere glorietur qua eum ab omni timore Cameracensis episcopi, sed et ab omnium presbyterorum excommunicatione, in quamcunque dementiam elatus fuerit, deliberari, quod absit! debeat. Scire igitur volentes hanc omnem jactantiam ejus irritam esse, vestræ fraternitati mandamus ut et illum, quem præcipue diligimus, vos admoneatis, quatenus omni excusatione sublata, ut in sanctæ pacis violatorem, in ipsum gladium anathematis exeratis; et ne ulterius, donec ad satisfactionem veniat, in cunctis receptibus suis seu in omni loco in quo ipse vel complices ejus præsentialiter adfuerint divinum celebretur officium præcepti vestri auctoritate inhibeatis. Valete.

XI.

AD EUMDEM.

De eodem.

(An. 1095.)

Raynaldus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, fratri et coepiscopo suo Lamberto Atrebatensi salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Ad colloquium comitis Roberti et ad recipiendam de eo justitiam in octavis sanctæ Mariæ in Augusto, vel præsentiam nostram exhibere, vel nuntios nostros delegare, sicut jam vobis et coepiscopis nostris Noviomensi atque Morinensi mandavimus, parati erimus. Quod autem de Hugone de Inciaco nobis scripsistis liquere vobis credimus quoniam in concilio quod Compendii celebravimus ad querimonias et clamores Gerardi Cameracensis episcopi omnium præsidentium judicio in eum anathematis gladium exeruimus, et omnes ejus cooperatores et consentaneos. Sed neque ideo ipse nec filius ejus Cameracensem Ecclesiam persequi destiterunt. Quippe quos par exspectatio ultionis angebat, par malitiæ et immoderationis vinculum astringebat. Itaque quoniam, sicut ab Apostolo dictum est: *Insipiens factus sum, vos me coegistis* (*II Cor.* XII); et iterum in Actibus apostolorum ad Judæos: *Quoniam indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII); sic, quia idem Hugo indignum se conversionis et concordiæ judicavit, Gerardus Cameracensis episcopus cum comite Flandrensi ad convincendam Hugonis malitiam fœdus iniit. Unde episcopum Cameracensem Gerardum cum Hugone concordiam facere absque comite Flandrensi nulla æquitatis ratio permisit, nec nos sane eum nihilominus nisi excommunicatum habuimus. At vero, si voluntatis ipsius esset et Cameracensem episcopum Remis in præsentia nostra ad justitiam faciendam et recipiendam ab ipso termino congruente paratum haberemus, et nos similiter utrorumque rationes æqua judicii et misericordiæ lance penderemus, et in omnibus modum observare non dissimularemus. Per vos autem solum ad emendationem venire nec solam excommunicationis vestræ sententiam veneri debet, cum et parochianus episcopi Cameracensis esse dignoscitur, et Inciacum, per quod hanc exercet malitiam, in episcopatu Cameracensi positum sit. Valete, et quod cum comite Flandrensi egeritis, nobis rescribite.

JOANNIS COTTONIS MUSICA.

(D. GERBERT. *Script. de Musica, II,* 230, *ex ms. San-Blas. sæc.* XII, *collato cum Vindobonensi et Livsiensi.*)

MONITUM.

Inter præstantiora scriptorum medii ævi opuscula de musica merito refertur Joannis Musica. Frustra hactenus, qui sit Joannes iste, indagare studui, qui in ms. Lips.COTTONIUS *cognominatur,qua de re nihil notavit cl. bibliothecæ Cæs. Vind. custos. Martinezius, qui variantes lectiones ex cod. Vindob. collegit optimæ notæ. In cod. Paris. notatur prologus « Epistola Joannis Cottonis ad Fulgentium episcopum Anglorum. » In ms. San-Blasiano, quod. an.* 1768 *incendio periit, simpliciter inscribebatur Joannis Musica, » ut passim alias, quippe non raro occurrit auctor iste pro sua præstantia, post Guidonem Aretinum, quem uti et Bernonem Augiensem citat, nulli secundus sæc.* XI *vel* XII. *Sunt qui illum pontificem Romanum arguerent ex formula « Servus servorum Dei, » qua utitur ; at vero etiam alii viri religiosi, veluti Faustus monachus Glanofoliensis in Vita S. Mauri, hac formula sunt usi. Qui hodie historia musicæ studiose admodum operam navant viri docti Angli, prodere aliquid de Joanne ex nomine Fulgentii, Anglorum antistitis, cui inscribit librum in lucem queant, quos frustra tamen consului.*

PROLOGUS.

Domino et Patri suo venerabili Anglorum antistiti FULGENTIO, viro scilicet ex re nomen habenti, quippe qui et prudentia pollet, et sanitate fulget; JOANNES, servus servorum Dei, quidquid Patri Filius, Domino que servus.

Cum me plurima atque diversa videres indagare studia, uni tamen arti, videlicet musicæ præcipue operam dare, de ipsa me arte compellare cœpisti, suadens uti ad doctrinam et illuminationem minus eruditorum aliquam ingenioli mei curarem emittere scintillulam ; quid cum dubius trepidusque, tanquam qui ad hoc implendum haudquaquam mihi videbar idoneus, refugerem crebra aures meas admonitione pulsabas, versiculumque illum veritatis doctor, et caritatis amator semper mihi instillabas : sapientia occulta, et thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque. Ad hæc me tibi respondentem quod hebetis, et imbecillis essem ingenii, tali objectione compescebas : quid est, fili,quod dicis, quid est, inquam, quod loqueris? nonne ego te Boetii musicam, atque Guidonis, necnon et Bernonis, si recte memini,legisse comperi ? Nonne et ego quanta sit tui facultas ingenii quam plurimis edidici experimentis, adeo ut quid tui portare queant humeri, et quod minime nemo melius me atque indubitantius noverit? Profecto non bona nec recipienda te contra me ratione tueris, atque si rectius omnia perpendere velles, quominus me monitusque meos sequerere, causam non haberes ; nam ut de Martiale, Ottone, Notkero, quorum libros tu utpote in hac arte probatissimorum diligenter perspexisse diceris, sileam, de præfatorum virorum opusculis satis aptas et utiles legentibus, si velles modo, posses excerpere regulas ; proinde ut hæc una excusatio prorsus cesset admoneo, cum etiam, ut beatus Gregorius dicit, vires, quas imperitia denegat, charitas subministret. His ergo dictis retusus extemplo, atque, ut verius dicam, tam potenti compulsus jussione, opus quod mihi injunxeras confidenter aggressus sum ; prudentiorum namque et perspicaciorum derisui subjacere malui, quam in tuam indignationem, si obtemperare nollem, incidere. Pucrili quidem stylo usum me profiteor, verumtamen, qui utiliora videbantur ac magis necessaria ex aliorum codicellis compendiose collegi, de meo interdum etiam addens igniculo. Placuit autem aliquantis libellum capitulis distinguere, ut si quid lector inter cætera avidius quæsierit, citius hoc atque facilius per præmissas adnotationes recipi valeat. Tuæ igitur, quod te suadente incepi, et Domino opitulante perfeci, offero clementiæ,quatenus per te probetur, et per te corrigatur, atque a venenatis detractorum morsibus tua auctoritate defendatur.

Finitur præfatio, incipiunt capitula.

Expliciunt capitula.

INCIPIT TRACTATUS JOANNIS DE MUSICA.

Qualiter quis ad musicæ disciplinam se aptare debeat.

Primum hoc illi, qui se ad musicæ disciplinam aptare desiderat, injungimus, uti litteras monochordi cum syllabis suprascriptis firmare studeat, nec antequam eas memoriter teneat, ab hoc opere desistat : sed de litteris nunc dicere differimus, ut post hoc commodius, atque uberius de eis tractemus; nunc autem de syllabis aliquid dicamus. Sex sunt syllabæ, quas ad opus musicæ assumimus, diversæ quidem apud diversos ; verum Angli, Francigenæ, Alemanni utuntur his *ut*, *re*, *mi*, *fa*, *sol*, *la*. Itali autem alias habent, quas, qui nosse desiderant, stipulentur ab ipsis. Eas vero, quibus nos utimur syllabas, ex hymno illo sumptas aiunt, cujus principium est : *Ut queant laxis resonare fibris mira gestorum*, quomodo hoc facile consideratur, *UT queant laxis*, ecce habemus *ut*; *REsonare fibris*, ecce *re*; *Mira gestorum*, ibi *mi*; *FAmuli tuorum*, illic *fa*; *SOLve polluti*, ecce hic *sol*; *LAbii reatum*, ecce habemus *la*. Per has itaque syllabas is qui de musica scire affectat, cantiones aliquas cantare discat, quousque ascensiones, et descensiones, multimodasque earum variationes plene ac lucide pernoscat. In manus etiam articulis modulari sedulus assuescat, ut ea post quoties voluerit pro monochordo utatur, et in ea cantum probet, corrigat, et componat. Hæc ubi aliquandiu juxta quod diximus frequentaverit, et altæ memoriæ commendaverit, facilius procul dubio ad musicam iter habebit.

II. *Quæ utilitas sit scire musicam, et quid distet inter musicum et cantorem.*

Videtur autem nunc congruum, ut quid utilitatis conferat musicæ notitia brevi attingamus ratione ; quanto namque in musica quisque se reddit studiosiorem, tanto et ipsam artem novit esse utiliorem.

Musica una est ex septem artibus, quas liberales appellant, naturalis quidem quemadmodum et aliæ; unde et joculatores et histriones, qui prorsus sunt illitterati, dulcisonas aliquando videmus contexere cantilenas. Sed, sicut grammatica, dialectica et cæteræ artes, si non essent conscriptæ, ac per præcepta elucidatæ, incertæ haberentur et confusæ, ita et hæc. Sciendum autem, quia ars ista haud infima inter artes est reputanda, præsertim cum clericis maxime sit necessaria et quibuslibet eam exercentibus utilis et jocunda. Quisquis namque incessanter ei operam adhibuerit, et sine intermissione indefessus institerit, talem inde consequi poterit fructum, ut de cantus qualitate an sit urbanus, an sit vulgaris, verus an falsus, judicare sciat, et falsum corrigere, et novum componere. Non est vel igitur parva laus, non modica utilitas, non vilipendendus labor musicæ scientia, quæ sui cognitorem compositi cantus efficit judicem, falsi emendatorem, et novi inventorem. Nec prætereundum videtur, quod musicus et cantor non parum a se invicem discrepant; nam cum musicus semper per artem recte incedat, cantor rectam aliquoties viam solummodo per usum tenet. Cui ergo cantorem melius comparaverim quam ebrio, qui domum quidem repetit, sed quo calle revertatur, penitus ignorat; sed et molaris rota discretum aliquando reddit stridorem, ipsa tamen qui agat nesciens, quippe quia res est inanimata. Unde Guido pulchre in Micrologo suo sic ait :

Musicorum et cantorum magna est distantia,
Illi dicunt, isti sciunt quæ composuit musica ;
Nam qui facit quod non sapit, diffinitur bestia, et [cætera.

III. *Unde sit dicta musica, et a quo et quomodo sit inventa.*

Dicitur autem musica, ut quidam volunt, a musa, quæ est instrumentum quoddam musicæ decenter satis et jocunde clangens. Sed videamus qua ratione, qua auctoritate a musa traxerit nomen musica. Musa, ut diximus, instrumentum quoddam est, omnia, ut diximus, excellens instrumenta, quippe quæ omnium vim atque modum in se continet, humano siquidem inflatur spiritu ut tibia, manu temperatur ut phiala, folle excitatur ut organa, unde et a Græco, quod est μεσα, id est media, musa dicitur, eo quod sicut in aliquo medio diversa coeunt spatia, ita et in musa multimoda conveniunt instrumenta. Non ergo incongrue a principali parte sua musica nomen sortita est. Dicunt etiam aliqui musicam a musis nomen accepisse, pro eo quod ipsæ apud antiquos in hac arte perfectæ crederentur, et ab eis modulandi peritia quæreretur, unde et ἀπὸ τοῦ μῶσω (1), id est a quærendo musæ dictæ existimantur. Alii musicam quasi modusicam, id est a modulatione, alii moysicam ab aqua, quam moys appellatam opinantur. Alii musicam quasi mundicam a mundi et cœli cantu dictam putant. Si quis autem de musicæ appellatione melius sentit, ei nos nequaquam invidemus, quia, ut ait Paulus apostolus, singulis dividit prout vult Spiritus sanctus. Refert autem Moyses artis hujus Tubal repertorem fuisse. Alii Linum Thebæum, alii Amphionem, alii Orpheum artem hanc reperisse arbitrantur. Verum, Græci, quibus, ut ait Horatius, musa ore rotundo loqui dedit, aliter de hoc nos sentire volunt ; asserunt namque philosophum quemdam Samium, Pythagoram nomine, artis hujus inventorem exstitisse ; hic erat vir, ut aiunt, sapientia clarissimus, tamen ha invictissimus, ingenio acutissimus. Unde et musicam subtili satis investigatione fertur repperisse ; nam, cum tempore quodam iter faciens fabricam præteriret, diversos in ea, ut fieri solet, malleorum audivit sonitus. Ubi cum aliquantisper attentius auscultaret, variisque magis ac magis oblectaretur sonitibus, vim artis musicæ, ut erat calidissimus, ibi latitare cognovit. Nec mora, in fabricam intravit, malleosque cautius pensare cœpit, paulatimque septem vocum discretiones, nec non et ipsarum consonantias, de quibus in consequenti latius tractaturi sumus, solerter indagavit. Sic vir ille egregius musicam informem prius et ignotam primus in Græcia reperit, scripsit et docuit. Cujus notitia Latinis per Boetium, et alios Græcorum litteris imbutos postmodum manifestata est.

IV. *Quot sint instrumenta musici soni.*

Sciendum quoque quod duo sunt instrumenta omnium sonorum, naturale scilicet et artificiale : naturale aliud mundanum aliud humanum ; et mundanum quidem secundum philosophos est cœlestis volubilitatis consors dissonantia, quæ proprie harmonia nominatur. Naturale autem instrumentum humanum dico illas [illegible] cavitates, quas arterias vocamus ; ipsæ enim [illegible]aturaliter aptæ sunt, recipere aerem et reddere, [illegible] naturalis procreatur. Ob hoc et [illegible] nuncupare solent, ut Prudentius in psychomachia :

. . . . [illegible] malignam
Fracta intercepti [illegible]mercia gutturis artant.

Artificiale [illegible] est, quod non per naturam, [illegible] ad reddendum sonitum adaptat[illegible]. [illegible] sonus alius est discretus, alius [illegible] qui aliquas habet in se consonantias : [in]discretus est, in quo nulla discerni potest [illegible], ut in ritu vel gemitu hominum, et [illegible] rugitu leonum. Simili modo [illegible] sonum in artificiali [illegible] illa, qua decipiuntur [illegible] pergameno superducta [illegible] reddunt sonitum. At [illegible], in tubis, in cymbalis atque in organis [illegible] bene et distincte discernitur [illegible] sonum, quem indiscretum [illegible] nequaquam recipit, solus autem [illegible], qui etiam proprie [illegible] pertinet : est enim musica [illegible] motio. Hæc autem contra [illegible] diximus, quo illorum [illegible] quemlibet sonum esse [illegible] abjiciendum, quod [illegible] genera, enar[illegible] primo propter nimiam [illegible] propter nimiam mollitiem [illegible].

V. *De numero [illegible] earum.*

His itaque [illegible] de notis monochordi tractare [illegible] de numero earum dicamus. [illegible] decima quinta non plures in [illegible] posuerunt, ab A videlicet inchoantes, et in *a* [fi]nientes ; nondum enim Γ additum fuit, nec *b*, quod nos molle vel rotundum dicimus, a [illegible] synemmenon, id est adjunctum [illegible]. Moderni autem subtilius omnia [illegible], quia, ut ait Priscianus, quanto [illegible] perspicaciores, viderunt notas illas ad [illegible] quamlibet exprimendam non sufficere. [illegible] aliquoties per litterarum [illegible], et ideo Γ in primo apposuere loco, quod [illegible] antiphona facile qui

DFE FD FDCDD CEFFF

vult considerare [illegible] *gloriæ Domine*

GFDD

[illegible], et cætera [illegible] *veritatis*, quod ab A capitali [illegible] est et deponendum, si Γ non esset appositum, [illegible] descenderet non haberet. Præterea [illegible], quoniam id interdum in cantu videbatur necessarium, addidere, eique nomen hoc, ut scilicet [illegible] vocaretur propter mollitiem soni atque dulcedine[m] [illegible] : sicque his duabus litteris adjunctis XVII [illegible] numero. Dominus autem

(1) Vel potius ἀπὸ τοῦ μάσσειν.

Guido, quem p[illegible]etium nos in hac arte plurimum valuiss[illegible]ur xxi in musica sua ponit notas, ne jam ull[illegible] in cantu possit subripere defectus.

Nunc de ca[illegible]retione videamus. Et imprimis diligens lector anim[a]dvertat quod omnes monochordi notæ in figura sunt [d]ispares. Verbi gratia Γ in figura a G differt ca[illegible]e A capitale ab *a* minuto, sic B a ♮, C a *c*, [illegible] E ab *e*, F ab *f*, G a *g*; *iterum a* minimum ab $\frac{a}{a}$ du[pl]icato. Sic *b* a $\frac{b}{b}$, ♮ a $\frac{♮}{♮}$, *c* a *c*, *d* a $\frac{b}{b}$. Variantur etia[m] per spatia et lineas. Cum enim Γ ponatur in linea *g* erit in spatio, item cum A capitale sit in [illegible] *a* minutum erit in linea, et ita etiam de cæteris. [No]tandum autem de *b* molli, et de ♮ quadrato, qu[illegible] in figura et in syllabis suprascriptis disconveniat. Unum quidem sive in spatio, sive in lin[e]a p[illegible]t locum, sed hoc modo discernuntur, quod in qua neuma *b* molle sonat, super eamdem a scriptor[e] ponendum est. Habent et aliam omnes monoc[hordi] litteræ qua distinguuntur varietatem, hanc s[illegible] quod a Γ usque ad C propter soni gravitatem g[ra]ves dicuntur, a D usque ad G, eo quod omni[illegible] eis modorum cantus finiatur, finales appella[illegible]b *a* minuto usque ad *d* acutæ vocantur, propter [ac]utum quem reddunt sonum, a *d* usque ad *g* superacutæ dicuntur, quia acutas vocis acumine superant. Item ab $\frac{a}{a}$ usque $\frac{d}{d}$ excellentes nominantur, eo qu[o]d etiam super-acutas soni gracilitate excellant.

graves	final[es]	acutæ	superacutæ
Γ A B C	[illegible]	a b ♮ c d	e f g $\frac{a}{a}$
			Excellentes
			b ♮ c d
			b ♮ c d

Datur eis ad[illegible] alia a quibusdam per græca vocabula discretio, [q]uæ quia minus eruditis non multum utilitatis [co]nferre videbantur, ad præsens omissa sunt. [illegible] item omnes hæ litterarum distinctiones, ut quom[odo] diversas habet proprietates, facilius quæ sit ill[a] et illa possimus internoscere. Et de numero quide[m] litterarum ac discretione sufficienter dictum est nunc de mensura monochordi videamus.

VI. *Qualiter mensurandum sit monochordum.*

Multæ quidem adversæ sunt monochordi dimensiones, quas omnes enarrare tædium potius quam proficuum legentibus generaret. Quapropter nos compendiositatem [a]ctantes, ex multis unam, quæ facilior atque celer[io]r videbatur, regulis nostris inserere curavimus. [P]rimum ergo Γ in sinistra parte monochodi ubi volueris ponito, a quo usque in finem novem passus [æ]quales metire. Quibus æqualiter dimensis dili[ge]nter considera quod primus passus terminat in [A], secundus vacat, tertius in D,

A quartus vacat, quintus in *a*, sextus in *d*, septimus in $\frac{a}{a}$, reliqui vacant. Item ab A usque ad finem novenis passibus æqualiter partitis, primus passus terminabit in B, secundus vacat, tertius in E, quartus vacat, quintus in ♮ quadratum, sextus in *e*, septimus in $\frac{♮}{♮}$ duplicatum, reliqui vacant. Item cum a Γ ad finem quatuor passus æqualiter diviseris, primus passus terminabit in C, secundus in G, tertius in *d*, quartus finit. Similiter a C ad finem quatuor passibus æqualiter dimensis primus terminabit in F, secundus in *c*, tertius in $\frac{c}{c}$, quartus finit. Ab F autem ad finem quaternorum passuum, primus terminabit in *b* molle, secundus in *f*, reliqui vacant. (2) A *d* vero ad finem quaternis passibus factis, primus terminabit
B in *g*, quod jam positum est, secundus in $\frac{d}{d}$, reliqui vacant. Ab *f* quoque ad finem quatuor passibus partitis, primus terminabit in, rotundum duplicatum reliqui vacant. Et in hac quidem divisione, quæ videlicet fit quaternis passibus, totum monochordum rectissime mensurare poterit, qui diligentiam adhibere voluerit. A quacunque enim nota ad finem monochordi quatuor æquales passus fiunt, tres ex illis diatessaron et diapente, nec non et diapason continent, ultimus vero finit. Verba gratia a Γ usque ad finem quatuor dimensis passibus, primus terminabit in C, quod est diatessaron, secundus in G, quod est diapente, tertius in *g*, quod est diapason, quartus finit. Eodem modo et reliquas invenire potes.

VII. *Unde dicatur monochordum, et ad quid sit utile.*

C Cognita jam monochordi dimensione, unde monochordum dicatur, et quid utilitatis conferat animadvertendum est. Monochordum propter unam, quam solummodo habet, chordam nomen accepit. Monos (μόνος) siquidem unus et solus græce dicitur, unde et monachus dictus, quod solus ac singularis esse debeat. Itaque sicut decachordum a decem chordis, et octochordum ab octo, sic monochordum ab una chorda est appellatum. Ad hoc autem instrumentum istud perutile est, ut cantus, de quo dubitatur verusne sit an falsus, in eo probetur. Pueris quoque sive adolescentibus ad musicam aspirantibus adhi-
D beatur, ut ad id, quod discere volunt, ipso duce sono facilius pertingant. Adde præterea, quod contra quorumdam insulsorum rebellionem plurimum valet; sunt etenim plerique clerici vel monachi, qui artem hanc neque sciunt, neque scire volunt, et quod gravius est, scientes fugiunt, et abhorrent. Quod si aliquando, ut fit, musicus eos de cantu, quem vel non recte, vel incomposite efferunt, compellat, irati impudenter obstrepunt, veritati acquiescere nolunt, suumque errorem summo conamine defundunt. Quos ego invitus, ad corripiendam tamen stultitiam dico, cæco insipientiores haud injuria

(2) Hæc de verbo [ad v]erbo ex Wilhelmi *Hirsaug.* musica, supra, ubi [ta]men hæc interponit : *A* b *item rotunda ad fi[ne]m duorum passuum prior terminabit in* $\frac{b}{b}$, *secundus finit. A* d *vero ad finem duorum passuum prior terminabit in* $\frac{d}{d}$, *secundus finit.* Quæ vero hic sequuntur : *ab* f ibi desunt.

III. *Unde sit dicta musica, et a quo et quomodo sit inventa.*

Dicitur autem musica, ut quidam volunt, a musa, quæ est instrumentum quoddam musicæ decenter satis et jocunde clangens. Sed videamus qua ratione, qua auctoritate a musa traxerit nomen musica. Musa, ut diximus, instrumentum quoddam est, omnia, ut diximus, excellens instrumenta, quippe quæ omnium vim atque modum in se continet, humano siquidem inflatur spiritu ut tibia, manu temperatur ut phiala, folle excitatur ut organa, unde et a Græco, quod est μεσα, id est media, musa dicitur, eo quod sicut in aliquo medio diversa coeunt spatia, ita et in musa multimoda conveniunt instrumenta. Non ergo incongrue a principali parte sua musica nomen sortita est. Dicunt etiam aliqui musicam a musis nomen accepisse, pro eo quod ipsæ apud antiquos in hac arte perfectæ crederentur, et ab eis modulandi peritia quæreretur, unde et ἀπὸ τοῦ μύσω (1), id est a quærendo musæ dictæ existimantur. Alii musicam quasi modusicam, id est a modulatione, alii moysicam ab aqua, quam moys appellatam opinantur. Alii musicam quasi mundicam a mundi et cœli cantu dictam putant. Si quis autem de musicæ appellatione melius sentit, ei nos nequaquam invidemus, quia, ut ait Paulus apostolus, singulis dividit prout vult Spiritus sanctus. Refert autem Moyses artis hujus Tubal repertorem fuisse. Alii Linum Thebæum, alii Amphionem, alii Orpheum artem hanc reperisse arbitrantur. Verum, Græci, quibus, ut ait Horatius, musa ore rotundo loqui dedit, aliter de hoc nos sentire volunt; asserunt namque philosophum quemdam Samium, Pythagoram nomine, artis hujus inventorem exstitisse; hic erat vir, ut aiunt, sapientia clarissimus, facundia invictissimus, ingenio acutissimus. Unde et musicam subtili satis investigatione fertur reperisse; nam, cum tempore quodam iter faciens fabricam præteriret, diversos in ea, ut fieri solet, malleorum audivit sonitus. Ubi cum aliquantisper attentius auscultaret, variisque magis ac magis oblectaretur sonitibus, vim artis musicæ, ut erat calidissimus, ibi latitare cognovit. Nec mora, in fabricam introivit, malleosque cautius pensare cœpit, paulatimque septem vocum discretiones, nec non et ipsarum consonantias, de quibus in consequenti latius tractaturi sumus, solerter indagavit. Sic vir ille egregius musicam informem prius et ignotam primus in Græcia reperit, scripsit et docuit. Cujus notitia Latinis per Boetium, et alios Græcorum litteris imbutos postmodum manifestata est.

IV. *Quot sint instrumenta musici soni.*

Sciendum quoque quod duo sunt instrumenta omnium sonorum, naturale scilicet et artificiale: naturale aliud mundanum aliud humanum; et mundanum quidem secundum philosophos est cœlestis volubilitatis consors dissonantia, quæ proprie harmonia nominatur. Naturale autem instrumentum

(1) Vel potius ἀπὸ τοῦ μασένειν.

A humanum dico illas gutturis cavitates, quas arterias vocamus; ipsæ enim naturaliter aptæ sunt, recipere aerem et reddere, unde sonus naturalis procreatur. Ob hoc et commercia eas quidam nuncupare solent, ut Prudentius in psychomachia:

. . . . *animamque malignam*
Fracta intercepti commercia gutturis artant.

Artificiale vero instrumentum est, quod non per naturam, sed per artificium ad reddendum sonitum adaptatur. Naturalis autem sonus alius est discretus, alius indiscretus; discretus est qui aliquas habet in se consonantias: indiscretus est, in quo nulla discerni potest consonantia, ut in ritu vel gemitu hominum, et latratu canum aut rugitu leonum. Simili modo discretum et indiscretum sonum in arti-
B ficiali perpendere potes. Fistula namque illa, qua decipiuntur aviculæ, vel etiam olla pergameno superducta, unde pueri ludere solent, indiscretum reddunt sonitum. At vero in sambuca, in fidibus, in cymbalis atque in organis consonantiarum bene et distincte discernitur diversitas. Illum ergo sonum, quem indiscretum esse diximus, musica nequaquam recipit, solus autem duntaxat discretus, qui etiam proprie phthongus vocatur, ad musicam pertinet; est enim musica nihil aliud quam vocum congrua motio. Hæc autem contra idiotas præcipue diximus, quo illorum compesceremus errorem, qui quemlibet sonum esse musicum stulte autumant. Hoc quoque adjiciendum, quod cum tria sint musicæ melodiæ genera, enarmonicum, diatonicum, chromaticum, primo propter
C nimiam difficultatem, tertio propter nimiam mollitiem abjecto, medium usus retinuit.

V. *De numero litterarum et de discretione earum.*

His itaque prælibatis, nunc de notis monochordi tractare incipiamus, ac primum de numero earum dicamus. Vetustissimi litteras decima quinta non plures in monochordo posuerunt, ab A videlicet inchoantes, et in *a* desinentes; nondum enim Γ additum fuit, nec *b*, quod nos molle vel rotundum dicimus, a quibusdam græco nomine synemmenon, id est adjunctum appellatur. Moderni autem subtilius omnia atque sagacius intuentes, quia, ut ait Priscianus, quanto juniores tanto perspicaciores, viderunt notas illas ad melodiam quamlibet exprimendam non
D sufficere, cantumque plagalis proti aliquoties per litterarum paucitatem deficere, et ideo Γ in primo apposuere loco, quod in hac antiphona facile qui

DFE FD FDCDD CEFFF
vult considerare potest: *O rex gloriæ Domine*
GFDD
virtutum, et cætera; nam *Spiritum veritatis*, quod ab A capitali incipiendum est et deponendum, si Γ non esset appositum, quorsum descenderet non haberet. Præterea *b* rotundum, quoniam id interdum in cantu videbatur necessarium, addidere, eique nomen hoc, ut scilicet *b* molle vocaretur propter mollitiem soni atque dulcedinem indidere; sicque his duabus litteris adjunctis XVII sunt numero. Dominus autem

Guido, quem post Boetium nos in hac arte plurimum valuisse fatemur XXI in musica sua ponit notas, ne jam ullus in cantu possit subripere defectus.

Nunc de earum discretione videamus. Et imprimis diligens lector animadvertat quod omnes monochordi notæ in figura sunt dispares. Verbi gratia Γ in figura a G differt capitali, sic A capitale ab *a* minuto, sic B a ♮, C a *c*, D a *d*, E ab *e*, F ab *f*, G a *g* ; *iterum a* minimum ab ${}^{a}_{a}$ duplicato. Sic *b* a ${}^{b}_{b}$, ♮ a ${}^{♮}_{♮}$, *c* a *c*, *d* a ${}^{b}_{b}$. Variantur etiam per spatia et lineas. Cum enim Γ ponatur in linea, *g* erit in spatio, item cum A capitale sit in spatio, *a* minutum erit in linea, et ita etiam de cæteris. Notandum autem de *b* molli, et de ♮ quadrato, quod et in figura et in syllabis suprascriptis disconveniant. Unum quidem sive in spatio, sive in linea possident locum, sed hoc modo discernuntur, quod in qua neuma *b* molle sonat, super eamdem a scriptore ponendum est. Habent et aliam omnes monochordi litteræ qua distinguuntur varietatem, hanc scilicet, quod a Γ usque ad C propter soni gravitatem graves dicuntur, a D usque ad G, eo quod omnium in eis modorum cantus finiatur, finales appellantur, ab *a* minuto usque ad *d* acutæ vocantur, propter acutum quem reddunt sonum, a *d* usque ad *g* superacutæ dicuntur, quia acutas vocis acumine superant. Item ab ^{a}a usque ^{d}d excellentes nominantur, eo quod etiam super acutas soni gracilitate excellant.

graves	finales	acutæ	superacutæ
Γ A B C	D E F G	ab ♮ cd	e f g ${}^{a}_{a}$
			Excellentes b ♮ c d b ♮ c d

Datur eis ad hoc et alia a quibusdam per græca vocabula discretio, quæ quia minus eruditis non multum utilitatis conferre videbantur, ad præsens omissa sunt. Fiant autem omnes hæ litterarum distinctiones, ut quoniam diversas habet proprietates, facilius quæ sit illa et illa possimus internoscere. Et de numero quidem litterarum ac discretione sufficienter dictum est, nunc de mensura monochordi videamus.

VI. *Qualiter mensurandum sit monochordum.*

Multæ quidem ac diversæ sunt monochordi dimensiones, quas omnes enarrare tædium potius quam proficuum legentibus generaret. Quapropter nos compendiositatem sectantes, ex multis unam, quæ facilior atque celerior videbatur, regulis nostris inserere curavimus. Primum ergo Γ in sinistra parte monochodi ubi volueris ponito, a quo usque in finem novem passus æquales metire. Quibus æqualiter dimensis diligenter considera quod primus passus terminat in A, secundus vacat, tertius in D,

A quartus vacat, quintus in *a*, sextus in *d*, septimus in ${}^{a}_{a}$, reliqui vacant. Item ab A usque ad finem novenis passibus æqualiter partitis, primus passus terminabit in B, secundus vacat, tertius in E, quartus vacat, quintus in ♮ quadratum, sextus in *e*, septimus in ${}^{♮}_{♮}$ duplicatum, reliqui vacant. Item cum a Γ ad finem quatuor passus æqualiter diviseris, primus passus terminabit in C, secundus in G, tertius in *d*, quartus finit. Similiter a C ad finem quatuor passibus æqualiter dimensis primus terminabit in F, secundus in *c*, tertius in ${}^{c}_{c}$, quartus finit. Ab F autem ad finem quaternorum passuum, primus terminabit in *b* molle, secundus in *f*, reliqui vacant. (2) A *d* vero ad finem quaternis passibus factis, primus terminabit

B in *g*, quod jam positum est, secundus in ${}^{d}_{d}$, reliqui vacant. Ab *f* quoque ad finem quatuor passibus partitis, primus terminabit in, rotundum duplicatum reliqui vacant. Et in hac quidem divisione, quæ videlicet fit quaternis passibus, totum monochordum rectissime mensurare poterit, qui diligentiam adhibere voluerit. A quacunque enim nota ad finem monochordi quatuor æquales passus fiunt, tres ex illis diatessaron et diapente, nec non et diapason continent, ultimus vero finit. Verba gratia a Γ usque ad finem quatuor dimensis passibus, primus terminabit in C, quod est diatessaron, secundus in G, quod est diapente, tertius in *g*, quod est diapason, quartus finit. Eodem modo et reliquas invenire potes.

VII. *Unde dicatur monochordum, et ad quid sit utile.*

C Cognita jam monochordi dimensione, unde monochordum dicatur, et quid utilitatis conferat animadvertendum est. Monochordum propter unam, quam solummodo habet, chordam nomen accepit. Monos (μόνος) siquidem unus et solus græce dicitur, unde et monachus dictus, quod solus ac singularis esse debeat. Itaque sicut decachordum a decem chordis, et octochordum ab octo, sic monochordum ab una chorda est appellatum. Ad hoc autem instrumentum istud perutile est, ut cantus, de quo dubitatur verusne sit an falsus, in eo probetur. Pueris quoque sive adolescentibus ad musicam aspirantibus adhibeatur, ut ad id, quod discere volunt, ipso duce

D sono facilius pertingant. Adde præterea, quod contra quorumdam insulsorum rebellionem plurimum valet; sunt etenim plerique clerici vel monachi, qui artem hanc neque sciunt, neque scire volunt, et quod gravius est, scientes fugiunt, et abhorrent. Quod si aliquando, ut fit, musicus eos de cantu, quem vel non recte, vel incomposite efferunt, compellat, irati impudenter obstrepunt, veritati acquiescere nolunt, suumque errorem summo conamine defundunt. Quos ego invitus, ad corripiendam tamen stultitiam dico, cæco insipientiores haud injuria

(2) Hæc de verbo fere ex Wilhelmi *Hirsaug.* musica, supra, ubi tamen hæc interponit : *A* b *item rotunda ad finem duorum passuum prior terminabit in* ${}^{b}_{b}$, *secundus finit. A* d *vero ad finem duorum passuum prior terminabit in* ${}^{d}_{d}$, *secundus finit.* Quæ vero hic sequuntur : *ab* f ibi desunt.

æstimaverim, cæcus namque quod in se non habet, A extrinsecus quærit, ducatum videlicet hominis vel baculi, sicque sibi providet, ne in foveam cadat; cum hujusmodi inutiles, quos Græci pulchre energuminos (3) vocant, neque per se videant, neque videntium ducatum incedere contendant. Ad eorum itaque, ut diximus, obstinationem confutandam monochordum opponitur, ut qui verbis musici credere nolunt, ipsius soni attestatione convincantur.

VIII. *Quod modi sint, quibus melodia contexitur.*

Inter cætera hoc quoque scire convenit, quod novem omnino sunt modi, quibus omnis melodia contexitur. Unisonus, semitonium, tonus, ditonus, semiditonus, diatessaron, diapente, semitonium cum diapente, tonus cum diapente. Ex his sex consonantiæ dicuntur, scilicet quæ in cantu sæpius B consonant, id est simul sonant : aut certe quod sonant, id quibusdam proportionibus natæ invicem continent, quæ dicuntur sesquioctava, sesquitertia, sesquialtera, dupla, de quibus tractare quia et pueris et minus eruditis esset onerosum, pueris enim et nondum perfectis loquimur, arithmeticorum hoc subtilitati relinquimus.

Dupla.	Sesquitertia.
Diapason II. I.	Diatessaron. IV. III.
Sesquialtera.	**Sesquioctava.**
Diapente III. II.	Tonus IX. VIII.

C

Unisonus dicitur quasi unus sonus, quod cum sit una vox, continue repercutitur. Tonus a tonando vocatur, est autem tonare potenter sonare, et tonus fortem habet sonum respectu semitonii : Vel certe a Græcis sumptum est hoc nomen; cum enim ipsi dicant τόνος, nos *o* in *u* mutata tonus dicimus. Sic Κάλαμος calamus; ὕμνος hymnus. Semitonium a Platone limma vocatum est, eo quod sit non plenus tonus sed imperfectus, non ut quidam imperiti resolvant, dimidius tonus. Virgilius semiviri Phryges, id est, non pleni viri, quia more feminarum se vestiunt. Ditonus græce appellatur, quod duos in se tonos habeat. Semiditonus vocatur, quod non sit plenus ditonus : hujus sunt species duæ, una tono et semitonio, altera semitonio, et tono constans. D Diatessaron interpretatur de quatuor, ab una enim voce incipiens ad quartam transilit, constans ditono et semitonio, ut a Γ ad C. Est autem diatessaron trimodum, verbi gratia [*ut fa*] [*re sol*] [*mi la*]. Diapente latine de quinque sonat, eo quod ab una incipiens voce ad quintam saltum facit, habens in se diatessaron et tonum. Est autem quadrimodum, primum inter [C et G] secundum inter [D et a] tertium inter [Et et ♮] quadratum, quartum in inferioribus syllabis inter [Γ et C] : duo autem, qui restant modi, scilicet semitonium cum diapente, et tonus cum diapente, intervalla vocantur. Et nota, quando dicis semitonium cum diapente, unum modum significas, quando vero semitonium et diapente, duos modos enuntias. Idem de tono cum diapente considera. Et hæ duæ clausulæ rarius in cantu inveniuntur. Ut autem horum omnium de quibus diximus modorum intensiones et remissiones facile pateant, figura hæc perspicienda est.

C	C	C
ut	*ut*	*ut*
Unisonus		

	F	
intentio	*fa*	remissio
E *mi*		*mi* E
Semitonium		

	D	
intens.	*re*	remis.
C *ut*		C *ut*
Tonus		

	F	
intens.	*fa*	remiss.
D *re*		D *re*
Semiditonus		

	E	
intens.	*mi*	remiss.
C *ut*		C *ut*
Ditonus		

	F	
intens.	*fa*	remiss.
C *ut*		C *ut*
Diatessaron		

	G	
intens.	*sol*	remiss.
C *ut*		C *ut*
Diapente.		

	c	
intens.	*fa*	remiss.
E *mi*		E *mi*
Semiton. cum diapente		

	a	
intensio	*la*	remissio
C *ut*		C *ut*
Tonus cum diapente		

IX. *Quot sint vocum discrepantiæ, et de diapason.*

Omnium autem harum clausularum exempla in cantu nosse desiderans discat cantilenam istam. *Ter terni sunt modi quibus omnis cantilena contexitur* et cætera (4). Hæc enim ad dignoscendas omnes canendi varietates adeo utilis est, ut pueris etiam facillimum ad musicam accessum paret. Similiter et

G a G f D G a D G G F D G

ista. *Ter tria junctorum sunt intervalla sonorum* (5).

Superius, cum de notis monochordi tractaremus

(3) Melius ἀνεργουμένους, id est, *sine sensu*, aut *opere*, inertes.

(4) Hanc habes in Hermanni Musica.

(5) Hanc vide ibidem.

unam causam dimisimus indiscussam, hanc videlicet, cur septem notis eædem repetantur; quod nunc libet aperire. Septem notæ ob totidem vocum discrepantias ponuntur. Septem autem positis eædem repetuntur, quia cum septem voces inter se sint dissonæ, octava cum prima concordat. Quod ille egregius artium investigator (6) rectissime perpendit quoniam ait :

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.


Sicut ergo omne tempus per septem dies currit, dum videlicet septem transeunt, et eædem repetuntur, sic musica per septem tantummodo vocum varietates graditur. Notandum tamen, quod notæ eædem repetuntur, sed non omnino eædem, quia in figura non eædem. Aliam namque figuram habet F aliam G capitalis et ipsa G capitalis, aliam quam

A g minuta, et sic de aliis. Quemadmodum ergo octava nota, cum prima est eadem, sed non omnino, ita nimirum vox octava cum prima in soni concordia est eadem, sed non omnino, quia sonus iste gravis est, ille acutus. Et hic canendi modus rarissime in cantu usitatus reperitur. Græco autem vocabulo diapason nominatur, quod interpretatur de omnibus, et hoc nomen habet, sive quod omnes consonantias in se includit, sive quod ab una voce inchoans ad octavam saltum facit, sicque omnes vocum discrepantias, quæ sunt septem, in se continet. Quam pulchram vero quamque decentem diapason concordiam habeat probari perfacile est, si duo vel tres simul cantent, ita scilicet, ut unus gravi, secundus acuta, tertius excellenti voce utatur hoc modo.


Excell. a a d c ♮ c a a g g
g g g a a g d c ♮ c a g a g g
Laudes salvatori voce modulemur supplici.
Acut. G G G a a G d c ♮ c a G a G G
Laudes salvatori voce modulemur supplici.
Grav. Γ Γ Γ A A Γ D C B C A Γ A Γ Γ
Laudes salvatori voce modulemur supplici.

Nonnulli etiam diapason consonantiam vocant vel propter proportionem, vel quia in prima et octava consonam reddit modulationem, vel etiam quia ex consonantiis constat, siquidem diatessaron et diapente constituunt diapason, præsertim cum inter

B primam et octavam vocem vel inferius diatessaron, et diapente superius, vel e converso habeatur, ut inter C et c, inter D et d, inter E et e, quod in hac figura considerare potes.



(6) Virgilius.
(7) In scala musica vox gravis et acuta ita exprimitur nostris notulis.



Excellens vero in suprema octava seu bisdiapason constituitur.

X. *De modis, quod abusive tonos appellamus.*

Sciendum quoque, quod modi, quos, uti Guido asserit, abusive tonos appellamus, octo sunt, ad imitationem videlicet octo partium orationis. Congruum quippe videtur, ut sicut octo partibus continetur omne quod dicitur, sic moderetur modis octo omne quod canitur. Sed cum nunc octo sunt, quondam duntaxat quatuor erant, ad similitudinem fortasse quatuor temporum. Sicut enim sæcula variantur quatuor temporibus, sic quatuor modis distinguitur omnis cantus. Et hos quatuor modos Psalmista notare videtur, ubi dicit: *psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro psallite.* Sed cur nunc octo sint, cum olim tantummodo quatuor essent licet paulisper intermittere, et cur modi vel tropi dicantur, causam reddere.

Modi a moderando sive modulando vocati sunt, quia videlicet per eos cantus moderatur, vel regitur, vel modulatur, vel componitur. Quicunque enim musicæ habens notitiam regularem cantum componere curat, prius ad quem tonum evenire faciat, secum destinat. Ideo autem musicæ habens notitiam diximus, quia artis expers, et si recte facit quod facit, tamen quoniam inscius facit, parvipenditur, præsertim cum et mimi et chorearum præcentores plerumque dulciter canant, quod eis non ars, sed natura subministrat. Tropi a convenienti conversione dicti; quomodocunque enim cantus in medio varietur, ad finalem semper per tropos, vel tonos convenientes convertitur. Quos autem nos modos vel tropos nominamus, Græci phthongos vocant. Et sciendum, quod eos tonos appellari Guidoni incongruum videtur, et abusivum. Nos autem, si rem diligentius intueamur, non omnino abusivum videbitur vocabulum istud. Latini quippe inopia eloquii plerumque propriis carent indiciis, cum demonstrationibus interdum necessitate compulsi aliena sibi vocabula usurpando asciscunt, quod Græci χαραχρησὶν (8) vocant. Cum ergo Latini antiqui consonantiam quamdam in musica tantummodo tonum vocarent, grammatici et accentus orationis, vel distinctiones tonos appellare usurpato nomine cœperunt. Rursus latini cantores non parvam esse similitudinem inter cantus et accentus prosaicæ locutionis modosque psallendi considerantes, nomen hoc commune utrisque esse sanxerunt Sicut enim toni vel accentus in tres dividuntur species, scilicet gravem, circumflexum, acutum, ita in cantu tres distinguuntur varietates. Nam cantus nunc in gravibus vagatur ut in offertorio illo, *In omnem terram;* nunc circa finales quasi quadam circumflexione versatur, ut in antiphona illa, *benedicat nos;* nunc in acutis quasi saltando movetur, ut in antiphona illa, *veterem hominem.* Vel certe toni dicuntur ad similitudinem tonorum, quos Donatus distinctiones vocat; sicut enim in ipsa tres considerantur distinctiones,
A quæ et pausationes appellari possunt, scilicet colon, vel membrum, comma incisio, periodus clausura sive circuitus, et ita in cantu. In prosa quippe quando suspensive legitur, colon vocatur; quando per legitimum punctum sententia dividitur comma; quando sententia ad finem deducitur periodus est. Verbi gratia: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris,* hic in omnibus punctis colon est, deinde ubi subditur, *sub principibus sacerdotum Anna et Caipha,* comma est: in fine autem versus verbi est *Zachariæ filium in deserto,* periodus est. Similiter cum cantus in quarta a finali voce per suspensionem pausat, colon est; cum in medio ad finalem reducitur, comma est; cum in fine ad finalem pervenit, periodus est. Ut in hac antiphona, *Petrus autem,*
B colon, *servabatur in carcere,* comma, *et oratio fiebat,* colon, *pro eo sine intermissione,* comma, *ab ecclesia ad Dominum,* periodus. Qua in re animadverti potest, quod modi non omnino abusive toni vocantur, nec incongrue distinctionum, seu accentuum nomen sortiuntur, quorum varietates imitantur. Quod autem in prosa grammatici colon, comma, periodum vocant, hoc in cantu quidam musici diastema, systema, teleusin nominant. Significat autem diastema distinctum ornatum, qui fit, quando cantus non in finali, sed in alia decenter pausat; systema conjunctum ornatum indicat, quoties in finali decens melodiæ pausatio; teleusis finis est cantus.

Sane quod nunc octo sunt modi, cum quondam non essent nisi quatuor, de hac re sic est sentien-
C dum. Qui primitus de musica scripserunt, natura vocum diligenter considerata, prout tunc vires ingenium præbuit, omnem modulandi varietatem in quatuor distinxerunt modos, unde et quatuor tantum finales habentur. Moderni autem priorum inventa subtilius examinantes, considerabant harmoniam modorum confusam esse ac dissonam. Videbant namque cantum ejusdem modi nunc in gravibus principium habere, et circa ipsas vagari, nunc in acutis inchoari, et ibidem maxime commorari. Hanc igitur dissonantiam volentes avertere, unumquemque modum in duos partiti sunt, ut videlicet ille canendi modus, qui in acutis versaretur, authentus, id est, auctoralis sive principalis vocaretur, qui vero magis in gravibus moram faceret, plagis vel plagalis, id est, col-
D lateralis, seu subjugalis diceretur. Distinguitur autem sic. Authentus protus apud latinos cantores primus tonus vocatur; plagis protus secundus; authentus deuterus, tertius; plagis deuterus, quartus; authentus tritus, id est, quintus; plagis tritus, id est sextus; authentus tetrardus, id est septimus; plagis tetrardus, id est octavus. Interpretatur autem protus primus, deuterus secundus, tritus tertius, tetrardus quartus. Authentus vero auctoralis græce αὐθέντης sonat, auctoritatem namque ipsi αὐθέντιαν vocant. Plagius (9) autem quasi partialis, vel collateralis,

(8) Id est, alieni nominis usurpationem. Festus: *Catachresis tropus est, nos abusionem dicimus, cum alienis abutimur perinde ac propriis, cum propriis deficiunt.*

(9) Πλάγιος quasi *obliquus,* vel *ex latere adjunctus.*

teralis exponi potest; dicimus enim: in illa plaga, id est in illo latere, sive in illa parte. Græci autem phtongos, id est tonos, gentium vocabulis sic efferunt:

I. Dorius, II. hypodorius; III. phrygius, IIII. hypophygius; V. lydius, VI. hypolydius; VII. mixolidius, VIII. hypomixolydius.

XI. *De tenoribus modorum, et finalibus eorum.*

Sicut autem octo sunt toni, ita et octo eorumdem sunt tenores. Tenor autem a teneo, sicut nitor a niteo, et a splendeo splendor. Et tenores quidem in musica vocamus, ubi prima syllaba, *sæculorum amen*, cujuslibet toni incipitur. Quasi enim claves modulationis tenent, et ad cantum cognoscendum nobis aditum dant. Sed et moram ultimæ vocis Guido tenorem vocat. Notandum autem quod, sicut fines octo tonorum in quatuor notis, quæ ob id et finales dicuntur, depositi sunt, sic octo tenoribus, videlicet tonorum aptitudinibus notæ quatuor attributæ sunt, sed diverso modo. Semper enim duorum troporum finis ad unam respicit, itemque duorum ad unam, et sic per cætera. In tenoribus vero non ita est; nam nunc quidem unus in una nunc vero tres in una considerantur. Est autem in F tenor secundi toni, in *a* acuta primi, quarti, sexti. In C tertii, quinti, octavi, in *d* septimi. Nec incongrue tenor secundi et septimi singularia sibi loca vindicarunt, quoniam iste secundus in quartam maxime descendit, et septimus præ cæteris omnibus ascendit. Sunt autem proprie, ut supra diximus, tonorum quatuor finales istæ, D, E, F, G, et D quidem finalis est pri- A mi et secundi, E tertii et quarti, F quinti et sexti, G septimi et octavi. Ideo autem *proprie* diximus, quod et alias finales interdum cantus sibi usurpant. Quod quomodo et cur eveniat, in sequenti annuente Deo sufficienter demonstrabimus. Sciendum autem quod tota vis cantus ad finales respicit. Nam ubicumque cantus incipiatur, et quomodocunque varietur, semper ei modo adjudicandum est, in cujus finali cessaverit. Unde et istud ℟ *Præparate corda vestra*, licet cursum proti habere videatur, tantumque in E finali exit, legitime deutero attribuitur. Item istud ℟ *Factum est silentium*, quamvis inceptionem habeat similem responsorum septimi toni, ut in ℟ *Missus est Gabriel*, ℟ *Lapides torrentis*, ℟ *Ductus est Jesus*; tamen finis istud primo abdicat.

B Nec incongrue hoc musicorum providentiæ visum est, uti modorum considerationem fini attribuerent, cum in gerendis rebus sola finis consideratio sapientes ab incautis secernat, teste Boetio, qui dicit: Rerum exitus providentia metitur. Sicut ergo rerum actio ad finem respicit, sic cantuum modulatio non inconvenienter ad finem tendit. Unde hodieque vulgare proverbium est: Omnis laus in fine canitur. Sed cum jam de tenoribus modorum atque finalibus aliquid dictum sit, nihil obest, si etiam de *gloria* cujuslibet toni, ubi sit incipiendum lectorem certificemus.

Secundi ergo toni gloria in C gravi incipit, quarti in E finali, primi, quinti, sexti in F, tertii, octavi in G, septimi in c. acuta. Nunc de singulis ut teno- C ribus finalibus et *gloria* tonorum exempla subdamus, ac primum de *gloria* et forte *sæculorum amen* per omnia exemplificemus.

Primi	F. Gloria	Seculorum amen	Secundi	C. Gloria	Seculorum amen
Tertii	G. Gloria	Seculorum amen	Quarti	E. Gloria	Seculorum amen
Quinti	F Gloria	Seculorum amen	Sexti	F. Gloria	Seculorum amen
Septimi	c. Gloria	Seculorum amen	Octavi	G. Gloria	Seculorum amen

De finalibus autem exempla daturi dignum duximus ad demonstrandam plenius troporum cognitionem, cantiunculas quasdam hic subscribere, quas etiam aptitudines sive formulas modorum appellare possimus (10).

	Finales.
Primum quærite regnum Dei	D
Secundum autem simile est huic	D
Tertia est dies quod hæc facta sunt.	E
Quarta vigilia venit ad eos.	E
Quinque prudentes virgines intraverunt ad nuptias.	F

(10) Exempla ista, ex Bernonis Tonario desumpta, in codice cum notulis antiquis signantur.

Sexta hora sedit super puteum. F
Septem sunt spiritus ante thronum Dei G
Octo sunt beatitudines G

Scire præterea convenit, quod apud quosdam phthongi, id est, toni vocalibus, tonorum autem differentiæ, quas quidam abusive diffinitiones vocant, consonantibus signantur hoc modo. Primum tonum a notat, secundum e, tertium i, quartum o, quintum u, sextum H græcum, septimum y, octavum ω. Primam autem cujusque toni differentiam b indicat, secundam c, tertiam d, quartam g, et ita mutæ per ordinem. Illis ita utiliter digestis jam nunc tempus est, ut de regulari sive licenti omnium modorum cursu regulas demus.

XII. *De regulari cursu modorum atque licentia.*

Cum igitur de cursu modorum dicturi simus, quid cursum eorum vocemus, primitus discutiendum est. Cursum modorum sive tonorum dicimus legem, qua sub certa regula coercentur, quantum scilicet quisque ascendere vel descendere, quantumque intendi vel remitti debeat. Sed quoniam, cum cantus intenditur et remittitur, ascensio et descensio dici potest, quod in cursu modorum ascensionem et descensionem itemque intentionem ac remissionem vocemus, distinguendum est, ne ulla ex parte rudi lectori occasio vacillandi ingeratur. Ergo ascensionem tonorum et descensionem vocamus certam ipsorum ascendendi et descendendi legem, id est, quantum a finalibus suis ascendant sive descendant, intensionem vero et remissionem tonorum dicimus certitudinem illam, per quanta vocum intervalla a finali suo quisque suum principium habere debeat. Quibus ita necessario præmissis, de cursu modorum prout proposuimus, disseramus. Omnes itaque auhtenti a finali suo ad octavam, quod est diapason, regulariter ascendunt, licenter ad nonam vel decimam. Licentiam autem idcirco a regula secrevimus, ut sciatur, quia illæ voces perraro contingendæ sunt, quæ per licentiam conceduntur : Quod enim quis per regulam habet, quasi ex debito habet, ideo liberius eo frui potest ; quæ autem per licentiam possidentur, ea tamquam per gratiam possessa humilius atque prudentius sunt tractanda. Descendunt a finali ad proximam, ubi nonnullam eis licentiam a peritis musicis concessam reperi. Excipitur inde authentus tritus, qui simpliciter quintus nominatur : huic nulla infra finalem descensio attributa est, non aliam ob causam, nisi quod semitonii imperfectio competentem fieri descensum non permittit. Plagales autem omnes a finali usque ad quintam, quæ est diapente, ascendunt, et licenter sextam assumunt. Nec est mirandum, quod plagales minorem ascendendi licentiam habent, quam authenti, quia plagales semper in inferioribus morari debent, et perraro a finali ad quintam ascendere. Nam et ordo hujus artis experientissimus, et a Guidone in fine tractatus sui comprobatur, cantum, qui a finali ascendens quintam ter vel quater repercutit, authento deputat. Unde et hæc antiphona. *Ecce tu pulchra* : quanquam in cursum secundi toni decidat, tamen, quia superius quintam a finali sæpius reverberat, primo tono deputatur. Item : *Rex Dominus omnium*, quia in superius frequentius versatur, in *unctione* ad A capitale descendat, primo tamen tono adscribitur : quod ideo fit ut honor principibus conservetur. Dominus namque sive magister non tantum in propria potestatem habet, sed etiam in ea, quæ sunt subditi ejus. Subdito autem sufficere debet, si a magistro sibi concessis humiliter uti liceat, nedum ad ea, quæ sunt prælati, temere se proripiat. Si ergo plagales in ascensu quintam perraro debent contingere, quanto rarius sextam. Descendunt autem omnes subjugales a finali ad quartam, quod est diatessaron, vel etiam ad quintam regulariter. Nam licentiam descendendi neque authentis, neque plagalibus nusquam legi concessam. Sciendum tamen quod quidam musici haud incongrue regularem cursum modorum, qui sunt octo, per totidem diapason dimetiuntur. Et secundum illorum assertionem pene omnes modi unam infra finalem assumunt per licentiam, quam prius eis regulariter attribuimus. Cum ergo octo toni per totidem diapason currant, sic duo toni ut magister et discipulus cohærent, sic et eorum diapason connectuntur, ita ut in eis facile animadverti possit, quæ voces proprie sint plagalis, quæ authenti, quæ communes utrique, quod figura harum quas subjecimus octo rotarum cautius intuita apertissime demonstrat (11).

Hoc quoque intimandum videtur, qualiter accipiendum sit quod dicimus, authentos ad octavas, et subjugales ad quintas ascendere : ut enim supra testati sumus, pueris in hoc opusculo viam signamus. Si ergo intelligendum est, quando toni ad octavas vel quintas ascendere dicuntur, quando tam alte ascendant, ut ascendendi potentiam habeant. Neque enim omnis cantus authentorum ad octavas, neque plagalium omnis canor ad quintas pertingit, sicut patet in hac primi toni ant. *In tuo adventu*, et in hac secundi ant. *Consolamini, consolamini*. Intensione autem et remissione modorum sic est animadvertendum. Authentis omnibus licet suum cuique principium a finali ad quintam intendere, et ad eam, quæ sub finali proxima est, remittere. Si autem ad quintam licet, quanto magis ad quartam vel tertiam? Solus autem authentus deuterus, id est, tertius istam legem transgreditur : ad sextam namque plerumque principium suum intendit, ut in hac ant. *Tertia dies est*. Subjugalibus vero licet principia sua, vel etiam hemitonia ad quartas intendere, et ad quintas interdum remittere. Hemitonia autem eo respectu quo et tonos æquivoce accipimus, vocum inceptiones vocamus, quæ fiunt per pausationem in cantus medio : hemitonia enim proprie semitonia vocamus. Attendendum præterea, quod cum prædicta lex et certa regula disposita sit tonorum cursibus, plerique novi modulatores id tantum attendentes,

(11) Desunt figuræ, forte eædem sunt quæ in musica Aribonis, supra.

ut pruritum aurium faciant, sæpissime eam confundunt, communemque cantum faciunt, uni videlicet melodiæ cursum duorum tonorum tribuentes: quemadmodum in hac cantilena patet: *Ter terni sunt modi.* In hujusmodi itaque cantibus, qui tam laxe atque confuse componuntur, cantoris arbitrio relinquitur, uti talem cantum ei tono adaptet, cui cantus principium competentius responderit.

XIII. *Super græca notarum vocabula expositio.*

Quoniam autem in continuo modorum tractatu est tædium super ipsas notas ponere, vocabula earum, quæ a Græcis sortiuntur, interpretari libeat: quatenus ea, quoties opus fuerit, pro ipsis notis introducamus. Horum equidem vocabulorum nominationem in tractatu quarti capituli fecimus. Sed de his tunc dicere distulimus, ne rude et inexercitatum novi lectoris ingenium subitanea obscuritate obrueremus. Ut autem, quæ sequuntur melius intelligantur, oportet nos de tetrachordis veterum musicorum aliquid interserere. Antiqui siquidem musici quatuor tetrachorda in monochordo disposuerunt. Primum fuit ab A. usque ad D. et hoc vocabant tetrachordum principalium, eo quod illæ notæ in principio locatæ essent: secundum ab E, usque ad a, et hoc appellabant mediarum, quod per eas medias, id est mediatrices, cantus a gravibus ad acutas progrederentur, et regrederentur. Tertium a ♮ quadrato usque ad e, et hoc dicebant disjunctarum, quia eas a precedentibus disjunctas, id est, differentes videbant, et in figura, et in soni acutione. Quartum fuit a præmissa e usque $\overset{a}{a}$ duplicatum, et hoc nominabant excellentium, quoniam eas in soni gracilitate omnibus aliis videbant excellere.

Itaque, secundum illos, qui nec Γ admiserant, nec illas tres notas, quas post Γ duplicatum ponimus, vocabula ista, quæ interpretaturi sumus, musicis vocibus imposita sunt. Prima ergo A apud Græcos musicos vocatur proslambanomenos, ut acquisita sive assumpta, quoniam a grammatica, pro qua primum reperta est, ad opus musicæ assumpta est: vel certe ideo acquisita vocatur, quia vetustissimi musici eam primum non ponebant. Secundum B, ut videlicet vocum dispositio a minimo intervallo vel semitonio, quod est inter B et C, exordium haberet: unde et ipsa B vocatur hypate hypaton, id est, principalis principalium, quia nimirum apud antiquissimos prima fuit principalium, id est, gravium. Hæc quorumdam sententia est: sed objici potest a callido auditore, non esse cogentem causam quam de semitonio subintulimus; si enim vetustissimi musici vellent, ut dispositio vocum a semitonio inciperet, tam bene illud inter A et B constituere potuissent sicut inter B et C. quapropter melius est ut, secundum priorem sententiam, dicamus A primum in monochordo locatam. Sed tunc rursus objici potest, cur B vocetur principalis principalium, cum potius A sic vocanda est, quia prima est gravium. Ad quod dicimus, quia B non ideo vocatur principalis principalium, quod una prima sit in ordine earum, sed quod prima inter principales divisum sonum gignit: A enim cum sit in principio monochordi locata, nullam soni diversitatem facit. C autem vocatur Parhypate hypaton, id est, juxta principalem principalium, quia est juxta B. D autem dicitur lichanos hypaton, id est, digitalis principalium, et dicitur digitalis, quasi discretiva, quia discernit, id est, segregat principales a mediis. E vocatur hypate meson, id est, juxta principalem mediarum. G lichanos meson, id est, digitalis mediarum. Et hoc nomen ideo habet, quia ipsa una ex mediis discernit capitales notas a minutis. Sequitur *a* quæ vocatur mese, id est media, scilicet inter A capitalem, et $\overset{a}{a}$ duplicatam; nulla etenim nota apud vetustiores ter repetitur, nisi ista. Quadratum autem ♮ nuncupatur paramese, id est, juxta mediam, scilicet a. Deinde c, qui vocatur tritediezeugmenon, id est, tertia disjunctarum, quod nomen habet per præposterum ordinem numerandi. Cum enim post c sit d, et post d sit e; si dicas e primam, d secundam, c erit tertia; quod autem dicimus tertia disjunctarum, tantum valet ac si diceremus, una de tribus, quæ dicuntur disjunctæ. Post hanc enim d, quæ dicitur paranete diezeugmenon, id est, juxta ultimam disjunctarum, quia est juxta e, quæ vocatur nete diezeugmenon: interpretatur autem nete ultima diezeugmenon disjunctarum. Sequitur f, trite hyperboleon, id est tertia excellentium; quo nomine idem sentiendum est, quod de c diximus. Post f locata est g, quæ dicitur paranete hyperboleon, id est, juxta ultimam excellentium; quia est juxta $\overset{a}{a}$, quæ vocatur nete hyperboleon, id est ultima excellentium. Ut autem manifestiora sint, quæ diximus, veterum musicorum tetrachorda cum vocabulis suprascriptis subjecimus.

Proslambamenos A.	Hypate hypaton B.	Parypate hypaton C.	Lichanos hypaton D.	Hypate meson E.	Parypate meson F.	Lichanos meson G.	Mese. a
G r a - - v e s.				m e - - d i - æ			
Paramese ♮.	Trite diezeugmenon. c.	Paranete diezeugmenon. d.	Nete diezeugmenon. e.	Trite hyperboleon. f.	Paranete hyperboleon. g.	Nete hyperboleon. a. a.	
d i s - i u n - - c t æ.				e x c e l l e n t e s.			

XIV. *Quid faciendum sit de cantu, qui in perpetuo cursu deficit.*

Expositis itaque notarum vocabulis, de cantibus dicendum est, qui in proprio cursu deficientes alias sibi finales usurpant. Fit autem ista cantuum illegalitas in quibusdam venaliter, in quibusdam vero minime. Interdum fit ex cantorum vitio, plerumque ex irrefutabili antiquitate. In quibus autem cantuum perturbatio tolerabiliter evenit, hi tres modi : Protus, deuterus, tritus. His autem legalibus transgressionem musici idcirco ignoscunt, quia affines habent voces. Affines autem illas voces dicimus, quæ in depositione et elevatione concordant : verbi gratia D finalis proti cum a acuta concordat ; ambæ enim tono deponuntur, et tono et semitonio elevantur. Item E finalis deuteri cum quadrato affinitatem habet, cum similiter deponantur et eleventur. Sic et F finalis cum c acuta in depositione et elevatione convenit. Propria autem affinitas non est in depositione, nisi utrumque vel saltem elevatio duplicetur. Sed quoniam finalis tetrachordi hujusmodi affinitatem non habet, ideo delicti venia caret. Oportet namque, ut qui vicarium habere non potest, ipse suum per se officium convenienter administret ; si ergo aliquoties in cantu tetrachordi ulla evenit aberratio, dicimus eam procedere ex cantorum inscitia, et corrigendam esse musicorum peritia. In cantu autem prædictorum modorum, scilicet proti, deuteri, triti, quoties opus fuerit, vice finalium affines haud incongrue subrogantur. Ut autem quod dicimus clarius elucescat, exempla subdimus : *Gaudendum est nobis*, cum sit proti, in suo loco cantari non potest, quia in quibusdam locis sub parhypate hypaton C gravitonum requirit, qui ibi non est : cæterum in mese, id est a, incepta absque errore ad eamdem A in fine deducetur. Similiter et ista ant. *Magnum hæreditatis.* Quod autem quidam evitare volentes ponunt A et B græcum, quod etiam synemmenon vocant, id est adjunctum, ut ita sub C tonum habeant ; verumtamen nulla id auctoritate confirmare queunt ; nam Guido, qui ad hoc solum studuit, ut nullus in monochordo esset defectus, hanc procul dubio interseruisset, si necessariam vidisset Est et aliud quod assertionem illorum improbat, hoc videlicet, quod cantus plerumque non modo sub parhypate hypaton, sed etiam sub parypate meson totum requirit, qua necessitate compellimur ad superiores confugere, ut in hac com. *Aufer a me*, et in hac. ant. *Germinavit.* Item cantus in proprio cursu deficit, ut in hac Antiph. *Tu Domine universorum.* Sed et cantus triti in loco suo aliquoties cantari nequit, quemadmodum hæc communio : *De fructu.* Hæc omnia quisquis in affinibus finalium cantaverit, absque errore ad finem perveniet.

XV. *Quod stultorum ignorantia sæpe cantum depravet.*

Quod autem illa et alia istiusmodi in proprio cursu cantari nequeunt, utrum ex cantorum vitio
A processerit, an sic a modulante primum prolatæ fuerint, incertum habemus. Cæterum hoc certissime novimus, quod per quorumdam ignorantiam multoties cantus depravatur, quemadmodum jam plures habemus depravatos, quam enumerare possimus Quos revera non ita, ut nunc in ecclesiis canunt, modulantium auctoritas protulit, sed pravæ hominum voces motum animi sui sequentium recte composita pervertere, perversaque in usum incorrigibilem deduxere, adeo ut jam pessimus usus pro auctoritate teneatur. Siquidem imperiti cantores aliquando canendi tædio prægravati, quæ elevanda erant, depressere, et plerumque petulantia inducti, quæ inferius erant canenda, ultra legem extulere ; ut patet in hoc graduali : *Qui sedes Domine.* Nam
B *super Cherubim*, quod in paranete diezeugmenon incipiendum est, in mese incipere solent, ideoque fit, ut cantus in lichanos hypaton contra jus exeat. Item in hac commun. *Principes persecuti sunt me*, plerique non minimum errant. Nam *Concupivit*, quod in trite diezeugmenon incipiendum est, ipsi in b molli incipiunt, sic insolitum inter E et b molle intervallum faciunt, cantumque legali cursu destituunt. Similiter nonnulli inconvenienter efferunt grad. *Probasti Domine*, versum namque ejus *Igne me examin.* in trite diezeugmenon incipiendum, in parypate meson inchoant, sicque legitimam cantus seriem ex toto conturbant. Sed, cum in hoc cantu peccetur, dum ea quæ elevanda sunt deprimuntur :
C in aliis quibusdam nonnulli errant, dum ea, quæ deprimenda sunt, elevare moliuntur, ut in hoc ℟ *Ductus est Jesus in desertum*, cum enim : *Dic ut lapides*, in trite diezeugmenon sit incipiendum ipsi illud in trite hyperboleon incipiunt. In hoc etiam ℟ *Terribilis.* plerique delinquunt in eo loco ubi est, *et porta cœli :* elevant enim hoc subito ad acutas transilientes, cum potius circa finalem D sit canendum. Falluntur etiam persæpe indocti cantores in judicandis tonis, et similibus cantuum principiis, ut verbi gratia : multi hanc ant. *Iste puer* plagi deutero adjudicant, quia in inceptione convenit cum ista ant. *In odorem*, est autem *iste puer*, authentici proti : *In odorem* plagis deuteri. Similiter et has antiphonas : *Ipse præibit. Dirupisti Domine*, cum
D sint mixolydium, non bene quidam hypophrygio adscribunt, quia cum quibusdam antiphonæ hypophrygii concordare videntur ; quemadmodum : *Ipse præibit.* cum ipsa ant *Rorate cœli. Dirupisti.* cum ista ant. *Da mercedem Domine*, etc. Item hæ antiphonæ : *Malos male*, et *qui odit*, et *novit Dominus*, cum sint hypomixolydii, et hoc ipsarum diastemata et systemata apertissime testentur (nam de teleusi patet) a quibusdam phrygio tribuuntur, quoniam in principio conveniunt cum istis antiph. *Domine spes Sanctorum. Tu Bethlehem terra.* Similiter et hæ antiph. *Ascendente in. Benedicta sit Gloriosi.* cum sint hypomixolydii, a nonnullis phrygio adaptantur. Sed *Gloriosi* quidem magis hypolydio convenire videtur. Non solum autem quidam ex similibus

principiis seducuntur, sed ipsi ultro pravis vocibus suis quosdam a suo cursu detorquent cantus, quemadmodum istas ant. *Quid retribuam. Cum inducerent. Cum audisset Job.* cum enim istæ sint dorii, et leniter sint incipiendæ, ipsi eas voce acriter suspensiva ad acutas sustollunt, ita ut cum istis conveniant : *In principio. Qui d terra. Quando natus es.* Nec mirum de principiis, cum etiam fines cantuum pervertant, atque a suo statu prave canendo deflectant, ut ant. *Petrus autem.* Nam cum cursum proti habeat, idque diastemata ejus, atque systemata aperte demonstrent; nonnulli eam in hypate meson satis absone exire faciunt.

XVI. *Quod diversi diversis delectentur modis.*

Cum autem jam per multa exempla sit demonstratum, quomodo tropi variantur, quomodo etiam per ineptos cantores depravantur, hoc quoque de ipsorum qualitate subnectendum videtur, quod diversi diversis delectentur. Sicut enim non omnium ora eodem cibo capiuntur, sed ille quidem acrioribus, iste vero lenioribus escis juvatur : ita profecto non omnium aures ejusdemmodi sono oblectantur. Alios namque morosa et curialis vagatio primi delectat, alios rauca secundi gravitas capit ; alios severa et quasi indignans persultatio tertii juvat ; alios adulatorius quarti sonus attrahit ; alii modesta quinti petulantia ac subitaneo ad finalem casu moventur ; alii lacrymosa sexti voce mulcentur ; alii mimicos septimi saltus libenter audiunt ; alii decentem, et quasi intonalem octavi canorem diligunt. Quapropter in componendis cantibus cautus musicus ita sibi providere debet, ut eo modo quam decentissime utatur, quo eos maxime delectari videt, quibus cantum suum placere desiderat. Nec mirum alicui videri debet, quod divérsos diversis delectari dicimus, quia ex ipsa natura hominibus est inditum ut non omnium sensus eumdem habeant appetitum. Unde plerumque evenit, ut dum quod cantatur, isti videatur dulcissimum, ab alio dissonum judicetur, atque omnino incompositum. Certe ego ipse memini, me cantiones aliquot coram quibusdam cecinisse, et quod unus summopere extollebat, alii penitus displicuisse. Habent autem modi speciales et inter se diversas sonorum proprietates, adeo ut diligenti musico, seu etiam exercitato cantori cognitionem sui ultro ingerant. Et quemadmodum aliquis mores, habitusque diversarum gentium perscrutatus, cujuscunque nationis hominem videt, docte internoscit ; videlicet hunc esse Græcum, et hunc Germanum ; illum Hispanum, illum vero Gallum indicans ; ita musicus, non autem solo nomine, audita qualibet harmonia statim cujus toni sit, agnoscit. Quamvis tamen hoc in aliquantis fallat. Nam aliquando cantus non tantum initio, sed etiam in medio alicujus toni cursu utitur, cui tamen in fine contradicit; quod liquet in hoc ℟. *Gaude Maria Virg.* cum enim in principio, et in medio deutero autentico subserviat, in fine tamen se plagi trito dicat. Cantus toni hujusmodi monent, ne quis de

A tonis temere judicet, sed potius finem, in quo omne canendi judicium pendet, providus expectet, ne, si ante tempus tonum edixerit, fine dicta ejus refutante pœniteat eum non tacuisse. Ad hoc etiam considerandum est, quod cantus quorumdam modorum tanta aliquando videntur similitudine convenire, ut vix, aut nunquam nullum cantor discernere possit, cui tono rectius eos adaptare debeat. Hoc autem in autentico trito, autentico tetrardo evenire solet, et præterea in plagalibus istorum ; quemadmodum in his antiphonis considerari potest : *Gloriosi principes*, et *pro nobis Gallus.* Hæ enim tam competenter hypolidio, atque hypomixolydio conveniunt, ut cui potius attribui debeant, haud facile discernas. Item hoc ℟.

B *Genti peccatrici*, tam lydio, quam mixolydio convenire videtur. Unde apud quosdam usus est, sic cantatur : *Esto placabilis* ; apud plerosque autem sic : *Esto.* Introitum etiam istum : *Dominus in loco.* quidam lydio, quidam mixolydio adaptant : ego vero illos sequendos judico, qui utrumque horum lydio attribuunt. Hujusmodi autem prædictorum troporum consonantiam Græci, ni fallor, animadverterant, quando eis parum discreta, et fere eadem vocabula imposuerunt. In aliis talem nullam convenientiam reperies, excepto, quod cantus proti in hypate meson, quæ finalis est deuteri, aliquotiens commode pausat, ut in *alleluia. Juravit Dominus.* et in hac communione : *Principes persecuti sunt.* Sic etiam aliqui cantus tanta similitudine convenientes, ut

C secundum diversas emissiones diversis tonis copulari congrue possint quemadmodum hæ antiphonæ : *Et respicientes. Lupus rapit.* Prior enim ad plagalem tetrardum, posterior ad plagalem tritum respicit, si hoc modo canuntur.

(12) *Erat quidem magnus valde alleluia.*

Oves propriæ, alleluia.

Phrygii autem ambæ erunt, si sic emittuntur.


Magnus valde alleluia. Oves propriæ alleluia.


XVII. *De potentia musicæ, et qui primitus ea in Romana ecclesia usi sint.*

Sed nec hoc reticeri oportet, quod magnam vim commovendi auditorum animos musicus cantus habet, siquidem aures mulcet, mentem erigit, præliatores ad bella incitat, lapsos et desperantes

D revocat, viatores confortat, latrones exarmat, iracundos mitigat, tristes et anxios lætificat, discordes pacificat, vanas cogitationes eliminat, phreneticorum rabiem temperat. Unde et de Rege Saul in libro Regum legitur, quod a dæmonio correptus David in cithara canente mitigabatur, cessante vero nihilominus vexabatur. Item phreneticus quidam Asclepiade medico canente ab insania fertur fuisse liberatus. Sed et de Pythagora memoratur, quod luxuriosum quemdam juvenem, ab immoderata libidine musica modulatione revocaverit. Habet autem musica secundum diversas potentias. Sic enim per unum canendi genus poteris aliquem

(12) Desunt notæ musicæ.





ARCHOS. GR	DEUTEROS. A V	TRIT. ES.	TETRARDOS. F I	ARCHOS. N A	DEUT. L	TRITOS. E. S.	TETRAR. S U P	ARCH. E R I	DEUT. O	TRIT. R E S.	TET. E X C E	ARCH. L L.	DE. E N T	TR. E S.	TE. R E	AR. M A	DEUT. N E N T E S.	Enchiriadis Oddonis.
Γ.	A.	B.	C.	D.	E.	F.	g.	a.b.	♮.	c.	D.	e.	f.	g. g.	a. a.	♮♮	c. c.	
I.	II.	III.	IIII.	I.	II.	IIII.	IIII.	I.	II.	III.	IIII.	i.	II.	III.	IIII.			

ad luxuriam provocare, eundemque per aliud quantocius pœnitentia, ductum revocare : cujus rei experimentum Guido de juvene quodam refert.

Cum ergo in commovendis mentibus hominum tanta sit musicæ potentia, merito ejus usus acceptus est in sancta Ecclesia. Primum autem a S. Ignatio martyre, nec non et a S. Ambrosio Mediolanensium antistite usus in Romana ecclesia musicæ haberi cœpit. Post hos Beatissimus PP. Gregorius Spiritu sancto ei, ut refertur, assidente et dictante cantum modulatus est, cantumque Romanæ Ecclesiæ, quo per anni curriculum Divinum celebratur officium, dedit. Quod autem canendo laudandus sit Dominus, non parvam in veteri pagina auctoritatem habemus ; legimus namque in libro Exodi, quod submerso Pharaone Moyses et filii Israel canticum cecinere domino. Sed et Psalmista artis hujus haud ignarus in decachordo, quod est instrumentum musicum, laudes Domino cecinit, nosque ad concinendum hortatur dicens : *Cantate Domino canticum novum, Laus ejus in Ecclesia sanctorum.* Nec solum naturali sono uti nos in laude Domini voluit, cum et per manufacta musicæ artis instrumenta Dominum laudari commonens ait : *Laudate Dominum in sono tubæ, in psalterio et cithara, in tympano et choro, in chordis et organo.* Cum ergo hujus disciplinæ in Veteri Testamento inveniatur auctoritas, cumque eam tam religiosi viri in ecclesia sanxerunt, cum denique efficax ad commovendas, ut dictum est, mentes hominum sit ejus potentia, quem hujus scientiæ sanum pigeat ? quis ei non toto affectu studiosus adhæreat? Verum quia non solum præfati sacri cantus officiales in sancta Ecclesia modulati sunt, sed et alii quidam non longe ante nostra tempora cantuum compositores extitere : quod nos quoque cantum vetet contexere non video. Nam etsi novæ modulationes nunc in Ecclesia non sunt necessariæ, possimus tamen in rhythmis, in lugubribus versibus poetarum decantandis ingenia nostra exercere. Quoniam autem modulandi licentiam vicissim et petimus et damus, congruum videtur, ut de cantu componendo præcepta supponamus.

XVIII. *Præcepta de cantu componendo.*

Primum igitur præceptum modulandi subnectimus, ut secundum sensum verborum cantus varietur. Quis autem canendi modus, cuilibet materiæ conveniat, prius docuimus, cum diversos diversis delectari diximus : Quosdam enim curialitati, quosdam lasciviæ, quosdam etiam tristitiæ aptos monstravimus. Sicut autem laudem desideranti poetæ studendum est, ut facta dictis exæquet, neve ejus, quem describit, fortunis absona dicat; sic laudis avido modulatori animadvertendum est, uti ita proprie cantum proponat, ut quod verba sonant, cantus exprimere videatur. Itaque si juvenum rogatu cantum componere volueris, juvenilis sit ille et lascivus : sin autem senum, morosus sit, et severitatem exprimens. Quemadmodum enim comœdiarum scriptor, si partes juvenis seni, vel luxuriosi avaro mandaverit, derisui subjacet, quales apud Flaccum (13) Plautus et Dorsennus inducuntur, ita reprehendi potest modulator, si in tristi materia salientem modum adduxerit, vel in læta lacrymabilem. Providendum ergo est musico, ut ita cantum moderetur, ut in adversis deprimatur et in prosperis exaltetur. Hoc autem non adeo præcipimus, ut semper necesse sit fieri, sed quando fit, ornatui esse dicimus. Habemus tamen de his, quæ diximus, aliqua exempla. Siquidem Antiphonæ in resurrectione Domini exultationem in ipso sono prætendere videntur. Ista autem Antiph. *Rex autem David*, non tantum in verbis, sed etiam in cantu mœrorem sonare videtur. Sed in auctoribus quærimoniæ per hypolydium, quia is miserabilem sonum habet, frequentissime decantantur.

Illud præterea laudis cupido modulatori injungimus, ne in una neuma nimium eam inculcando oberret, ut quanta opera peritus poeta vitare contendit vitium illud, quod Græci dicunt ὁμοιόπτωτον, id est, similium casuum ; tanto nisu cantuum compositor vitium, quod apud musicos ὁμοιόφθογγον, id est, similium sonorum appellatur, cantare. Sed de priore vitio grammatici (14) sive etiam rhethores videantur. Nos autem de posteriori, quod musicis vitandum esse diximus, exemplum damus, ut hoc ℟ *Ecce odor.* Nam in eo loco ubi est : *Crescere te faciat Deus meus* vitiosa est unius neumæ inculcatio. Similiter in ℟ illo *Qui habitat*, vitiosa est unius podati crebra repercussio in eo loco : *et refugium meum.* Si autem interdum aliquæ decentes neumæ semel repetantur, non vituperamus, ut in fine ℟ *Qui cum audissent*, ubi est, *laudantes Clementiam* : itemque in fine ℟ *Sint lumbi vestri*, ubi est, *a nuptiis.* Sciendum autem, quod in principalibus ad finem cantum paulatim ducere laus est : in Collateralibus vero ad finem cantum præcipitare decet.


XIX. *Quæ sit optima modulandi forma.*

Optima autem modulandi forma hæc est, si ibi cantus pausationem finalis recipit, ubi sensus verborum distinctionem facit. Quod considerare potes in hac Antiph. *Cum esset desponsata.* Hoc autem præceptum non bene inspexit, qui versiculos illos modulatus est, quorum initium est : *Homo quidam erat dives :* nam iste idem versiculus nusquam in recta distinctione finalem contingit. Sed et hoc harmoniam non minimum exornat, si in cantibus discipulorum id observetur, ut finalem sæpe repetant, circaque illa versentur, et in quarta rarissime pausent, in quinta vero nullo modo Sed et si quintam aliquando contigerint, raptim et quasi formidando eam contingentes properanter recurrant, ut in hac Antiph. *Ait Petrus.* In cantibus autem magistrorum

(13) HORAT. epistolar. lib. II, epist. 1, 170.

(14) Uti QUINTILIANUS. IX, c. 3.

id providendum est, ut in acutis maxime versentur, A et postquam in quinta a finali bis vel ter pausaverint, finalem requirant; rursusque ad superiores festinando se transferant, quia sicut subjugalium est maxime in gravibus, ita authentorum maxime in acutis conversari. Hujus vero præcepti exemplum habes in hac Antiph. *Muneribus datis.* Observandum etiam de diapente, ut in melodia subjugalium a finali nunquam ad superiores saliat; diatessaron vero supra et infra libere fiat. Quarti tamen cantus per diapente competentior quam per diatessaron cadit, et resurgit. Nec mirum, cum et magistri hujus harmonia sæpius et melius ad sextam quam ad quintam intendatur et remittatur. Notandum quoque, quod in cantibus authentorum plurimum sit, eos a finali crebro per diapente deponi et elevari, in tertio id inconcinnius est, sed in quinto decentissimum. In quo et hoc ornatui est, si plerumque cantus ejus a finali per ditonum, et semiditonum surgat, ut patet in Ant. *Paganorum.* Hoc autem præceptum de utrisque breviter damus, ut cantus subjugalium et infra finalem et supra quintam rarissime contingat: infra propter nimiam gravitatem, supra propter nimiam sonoritatem, ne authento tribuatur. Cantus vero principalium, si non sit quinti, ad proximam finali deponatur: ad octavam autem tam quintus quam alii principales potenter ascendant, sed nonam vel decimam rarissime contingant; quod te hæc figura luculenter edocet.



Animadvertendum præterea, quod maximam in B cantu jucunditatem faciunt istæ duæ consonantiæ diatessaron et diapente, si convenienter in suis locis disponantur; pulchrum namque sonum reddunt, si remissa aliquotiens, statim in eisdem vocibus elevantur; quemadmodum patet in antiph. *Vox exult.* Verumtamen diatessaron multo dulciorem melodiam facit, et maxime in authento deutero, si interdum ter vel quater, vel eo amplius varie repercutiatur: sicut in fine hujus antiphonæ: *O gloriosum lumen,* bene consideranti liquet hoc modo (15):

Quos fecisti veritatis lumen agnoscere.

Item pulcrum est, si per quas notas neuma descendat, per easdem statim ascendat, ut hic:

a g e F ga

Meruit divina revelatione. Item decentissimus in cantu sonus est, si diatessaron interdum ita varietur, ut semiditonus vel ditonus nunc præcedat, nunc subsequatur, ut hoc exemplo manifestum est:

Hodie proces - - sit ad ortum.


Sunt et aliæ modulandi species quamplurimæ egregiæ, quas omnes, ne tædium potius quam doctrinam lectoribus ingeramus, enarrare non oportet. Cantus autem hujusmodi musici accuratos vocant, quod in eorum compositione cura adhibeatur. Hos etiam metricos per similitudinem appellant, quod

(15) Desunt notæ musicæ.


more metrorum certis legibus dimetiantur, ut sunt Ambrosiani.

XX. *Qualiter per vocales cantus possunt componi.*

Adhuc et aliam modulandi monstramus viam pulchram sane, sed ante Guidonem inusitatam. Inprimis in cujus toni cantum componere velis tecum destinato : et quinque tonis cum totidem vocalibus per ordinem suprascriptis collato in tabulis, et secundum quod te singularum vocales duxerint syllabarum, canendo rite incedas hoc modo :



Item alterius modi per eandem regulam F G A ♮ c.



Quoniam autem ista, quam dedimus, modulandi regula minus stricta videretur, qualiter laxiorem atque liberiorem componendi viam tu possis parare, edocebimus. Dispone sex, vel octo, vel etiam plures, si libeat, per ordinem notas, eisque vocales dupliciter adscribas, ita scilicet, ut unicuique notæ duas seriatim attribuas hoc modo (16) :

i	o	u	a	e	i	o	u
F	G	a	b	ç	d	e	f
o	u	a	e	i	o	u	a

Vox clamantis in deserto, parate viam Domino,
Rectas facite semitas Dei nostri.

Vide autem, ne te ista, quam præmisimus, vocalium dispositio ad hoc inducat, ut eas semper necessario ita disponendas existimes : sicut enim pictoribus atque poetis licet incipere quod volunt ; sic nimirum sic modulanti per vocales æqua potestas est pro velle suo eas in principio disponere . itemque quemadmodum illis providendum est, ut id, quod inceperunt perficiant, isti ita studendum est, ut ordinem inceptum finetenus deducat. Verbi gratia : Cum enim ego in præmisso cantu parypate meson *oi* attribuerim, tu ibidem *ei*, vel *ao*, vel *au*, vel quidquid tale volueris, locare poteris, dummodo persistas in ordine, quem inceperis. Quod ut magis pateat, melum alterius modi exempli gratia supponimus :

e	i	o	u	a	e	i	o
C	D	E	F	G	a	b	c
i	o	u	a	e	i	o	u

(16) Hæc eadem fere supra in Guidone et Aribone. Notæ vero antiquæ iterum passim in exemplo allato deficiunt.

B (17) *Nuntius celso veniens olympo te patrinum mag.*
Fore nasciturum nomen et vitæ seriem gerendæ ordine
[promis.

Possent tamen vocales tali modo etiam triplicari, vel quadruplicari, nisi quod tunc nimia confusio modulandi obsisteret. Cum itaque, ut ostensum est, cantus per vocales componatur, sitque manifestum, ex vocalibus constare, quæcunque dicuntur, rectissime ait Guido, quod ad cantum redigatur omne quod dicitur.

XXI. *Quid utilitatis afferant neumæ a Guidone inventæ.*

Ne forte vero moveat lectorem, quod in primo capitulo ei injunximus, ut cantare per musicas as-
C suesceret neumas, et de eis tractare hucusque distulimus ; attendat quod non abs re fecimus : nisi enim prius sciret musice canere, exempla passim ob diversas causas introducta nullatenus posset intelligere Cur autem a Guidone inventæ sint hujusmodi neumæ, non statim oportuit dici ; cum earum causa et utilitas per ea, quæ jam præmissa sunt, satis possit experiri : cum enim in usualibus neumis intervalla discerni non valeant, cantusque, qui per eas dicuntur, stabili memoriæ commendari nequeant, ideoque in cantibus plurimæ falsitates obrepant, hæ autem omnia intervalla distincte demonstrent, usque adeo, ut errorem penitus excludant, et oblivionem canendi, si semel perfecte sint cognitæ, non admittant ; quis non magnam in eis utilitatem esse videat?
D Qualiter autem irregulares neumæ potius errorem,

(17) Hic in codice exprimuntur notulæ antiquæ

quam scientiam generent, in virgulis et inclinibus, atque podatis considerari perfacile est : quoniam quidem et æqualiter omnes disponuntur, et nullus elevationis vel depositionis modus per eas exprimitur. Unde fit. ut unusquisque tales neumas pro libitu suo exaltet, aut deprimat, et ubi tu semiditonum vel diatessaron sonas, alius ibidem ditonum vel diapente faciat ; et si adhuc tertius adsit, ab utrisque disconveniat. Dicat namque unus hoc modo : Magister Trudo me docuit ; subjungit alius : ego autem sic a magistro Albino didici ; ad hoc tertius : certe magister Salomon longe aliter cantat. Et ne te longis morer ambagibus, raro tres in uno cantu concordant, ne dum mille, quia nimirum dum quisque suum profert magistrum, tot fiunt divisationes canendi, quot sunt in mundo magistri. Ut autem manifeste videas, quod in legalibus neumis sæpe per ignorantiam cantus depravetur, exemplum tibi sit antiph. *Collegerunt*. Plerique enim clinem in prima syllaba et penultima plus justo deprimunt, videlicet diapente facientes, et sequentem neumam tono inferius incipientes : cum constat, quod a G, usque ad lichanos hypaton D diapente est, et sub Γ nulla consistit nota ; et præterea quod nullus subjugalis sextam infra finalem contingere debeat. Nonnulli etiam cantum ejusdem antiphonæ in alio loco confundunt, dum in ea voce *concilium* inchoant, per quam *Pharisæi* remittunt, et antepenultimam dictionis ejus inferius incipiunt, quam primam emittant. Qui autem concedere volunt veritati regulæ, quam pravo usui incorrigibiliter adhærere, eum canere convenit hoc modo :

(18) *Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium et dicebant.* Sed et in communione : *Beatus servus*, levis error habetur, qui per unum podatum incongrue prolatum efficitur. Hunc autem quidam sic corrigunt : quod *Dominus*, a trite diezeugmenon *c* in mese *a* cadere faciunt, et *Invenerit*, in parypate meson F incipiunt, et *super omnia*, in lichanos meson G ; alii autem ita emendant, quod *Invenerit*, juxta usum incipiunt, et penultimam ejus in mese *a* inchoantes, in lichanos meson per unisonum cantetur, quod et Guarino et Stephano in musica subtilibus placet. Sed si quis objiciat, deesse in quibusdam locis semitonia; dicimus non esse ibi necessaria semitonia, ubi ipsis videtur. Sæpe etenim ex cantorum ineptia evenit, quod inter alias cantuum depravationes semitonia proferunt, ubi proferre non debent, et interdum negligunt, ubi negligere non debent. Jam vero manifestum est, quod duræ hominum voces et incompositæ semitonia quam maxime devitant, qui autem flexibiles habent voces, semitoniis plurimum gaudent, eousque ut ibi etiam aliquotiens semitonia depromant, ubi depromenda non sunt, quemadmodum patet in multis quarti toni antiphonis, ut in his : *Custodiebant. Ex Ægypto. Sion renovaberis.* Simili modo quidam delinquunt in ℟ *Conclusit u. m.* semitonia sonantes ubi non sunt, videlicet in illis dictionibus : *In, unicus insidiator*. Idem ℣ plerique in fine confundunt, quia *animæ meæ*, quod in mese *a* est incipiendum, in nete diezeugmenon *e* incipiunt. Sed de cantibus per irregulares neumas depravatis in sequenti capite latius disseremus.

Solent autem nonnulli neumas illas quibusdam notis resarcire, per quas cantorem videntur non docere, sed duplicato errore impedire. Nam cum in neumis nulla sit certitudo, notæ suprascriptæ non minorem prætendunt dubitationem, præsertim cum per eas multæ dictiones diversarum significationum incipiant, ideoque ignoretur quid significent. Sed et si eis tribuatur aliqua certa significatio, non tamen per hoc extirpatur omnis dubitatio, dum cantor adhuc manet incertus de modo intensionis et remissionis, siquidem c, diversarum dictionum principium est, veluti *cito, caute, clamose* : similiter *l* ut *levia, leniter, lascive, lugubriter* : simili modo *s*, quemadmodum *sursum, suaviter, subito, sustenta, similiter*, etc. Hoc autem de musicis et regularibus neumis breviter intimare possumus, quod musica tam vero tamque levi tramite ducat cantorem, ut etiam si velit, errare non possit : et postquam quivis, seu magnus, seu pusillus, quatuor historias, vel totidem officia per eas a præcentore didicerit, antiphonarium totum et graduale absque magistro addiscere poterit. Irregulares vero, ut ostensum est, dubietatem gignunt et errores, nec tantulam utilitatem cantori conferre valent : ut postquam per eas totum graduale usque ad unum officium, et ut amplius dicam, usque ad unam communionem a magistro didicerit, illam unam communionem, quæ restat, canere per se sciat. Liquet ergo, quod qui istas amplectitur, amator est erroris ac falsitatis, qui autem musicis adhæret neumis, tenere vult semitam certitudinis et veritatis.

Sciendum præterea, quod tribus modis musicæ neumæ fiunt : uno modo per notas in monochordo dispositas, quo veteres musici usi sunt : secundo modo per intervallorum designationes, quod neumandi genus Hermannus Contractus reperisse dicitur, fit autem hoc modo (19) : E. vocum æqualitatem designat. S. semitonium notat. T. tonum demonstrat. T junctum cum S. semiditonum ostendit hoc modo TS. S. duplicatum ditonum declarat ita TT. D. capitalis diatessaron prætendit. Δ diapente demonstrat, cui si adjungas S. semitonium cum diapente notat hac figura ΔS ; sin autem T. apponas, tonum cum diapente designat hoc modo ΔT, et si diapason designare volueris Δ. et D. capitalem conjungas ita ΔD. Horum autem signorum unumquodque absque puncto intensionem notat, cum puncto remissionem. Et hæc quidem omnia plenissime docet cantilena ab ipso Hermanno, ut fertur composita ; E. *voces unisonas æquat*, etc., nisi quod diapason

(18) Hæc iterum cum notulis antiquis expressa.

(19) Videantur hæc in musica Hermanni Contract ex qua hæc correximus.

intensionem non facit. Tertius neumandi modus est a Guidone inventus. Hic fit per virgas, clines, qualismata, puncta, podatos, cæterasque hujusmodi notulas suo ordine dispositas, quas etiam meta in margine apposita multum facit expeditas. Per hunc itaque modum quisquis celeriter et proficue ad canendum musice introduci desiderat, tribus insudandum laboribus esse sciat. Primus quippe labor est, ut quæ vel quot syllabæ cuique voci attributæ sint, diligenter consideret. Deinde nihilominus studendum est, ut quæ voces in linea vel spatio constitutæ sunt, recte perpendatur. Tertius vero labor est cautionis, ne cantorem vocum varia dispositio ducat in errorem qui hoc modo facile evitari poterit, si diligentius animadvertatur, quod littera unaquæque minio, et C. unaquæque croco signatur. Quidam tamen si color desit, pro minio punctum in principio lineæ ponunt. Idcirco has duas, litteram scilicet et C. vel etiam colores, quibus notantur, tantopere observari præcipimus, quoniam per eas aliæ notæ reguntur, eisque de loco motis cæteræ pariter moventur. Sed si his neumis colores vel notæ non aderunt, tales sunt neumæ, qualis puteus sine fune.

XXII. *De pravo usu abjiciendo, et superfluis quorumdam modorum differentiis.*

Libet modo quorumdam cantuum recordari, qui per irregulares neumas jam dudum sunt depravati, utque pravus usus et in his et in aliis omnibus corruptus hucusque servatus abjiciatur, magnopere hortari. Cum enim Dominus una fide, uno baptismate, et omnino morum unitate delectetur, quis non credat quod idem ex multiplici cantorum discordia, quam non inviti, neque ignorantes, sed voluntarie constrepunt, offendatur? Nos ergo, qui rectam canendi viam nutu Dei novimus, errorem non decuit pati, nec multum curandum fuit, si quidam insulsi cantores in vitiis pertinaces locum non dent veritati, dum id efficere possimus, ut aliqui sanæ mentis errorem deserant, ultro emendati. Tanta autem in corrigendis cantibus mediocritate usi sumus, ut et pro paucitate sui tædium lectoribus non ingerant, et in emendatione non multum ab usitato tramite discedant.

Sciendum sane, quod quidquid vitiose canitur, aut in principio, aut in medio, aut in fine pervertitur. In principio quippe interdum cantus depravatur, cum vel in propria nota non inchoatur, vel in sua nota inchoatus per incompositam proferentis vocem nimium deprimitur aut elevatur. In medio quoque vel in fine per incongruum elevationis vel dispositionis sonum plerumque corrumpitur: de singulis exempla subdamus. Diversi hoc ℟ *Ego pro te rogavi*, in
E
diversis locis incipiunt: quidam videlicet in hypate
G a
meson, quidam in lichanos meson, nonnulli in mese, et in medio errorem videntes, cantum falsitatis arguunt, eumque emendare contendunt. Verumtamen si in paramese principium sumit, absque impedimento ad finalem suam legitime decurrit.

Item in medio cantus error invenitur; ut in ℟ *Bethlehem civitas*, quod in duobus locis emendari convenit: ita scilicet ut in ultima syllaba *dominator* in parypate meson F incipiatur, et *in terra* in para-
a
nete diezeugmenon principium sumat. In terra nostra sic in fine cantus a quibusdam erratur ut in ℟. *Mane surgens Jacob*. Hoc enim cum verissime sit
G
quarti toni, quidam imperiti in lichanos meson emittunt, et tamen ei usum quarti toni incompetenter adjungunt: quidam etiam hanc ant. *Pater mani-*
D
festavi, cum sit hypolidii, in lichanos hypaton emittunt, dorioque eam attribuunt. Quod vitium illi le-
F
viter devitant, qui in parypate meson per unisonum cantant. Item plerique indocti delinquunt in ant.
C
Simile est regnum cœli decem, dum eam in parypate hypaton exire faciunt, alte cantare nolentes, quasi magnum sit nefas, si post pentecosten in antiphona vel aliis cantibus alte proferatur. Eadem culpa illos
a
redarguit, qui offertorium, *posuisti Domine*: in mese emittunt, et alta relinquunt. Notandum autem, quod, sicut supra diximus, is sæpe cantum depravat, qui eum non voce congrua, sed secundum suam opinionem inchoat, ut patet in hac communione: *Scapulis*
G
suis: Hanc enim quoniam quidam in lichanos meson incipiunt, defectum pati conspiciantur, eamque cor-
F
rigendam arbitrantur. Sed si in parypate meson incipitur, absque errore ad finalem revertitur, et emendatione non indiget. Sciendum præterea, quod, sicut superius ostendimus, sunt aliqui cantus, qui in proprio cursu deficiunt, sed in affinibus absque impedimento decurrunt: ut introitus iste: *Exaudi, Domine, vocem meam* altera et reliqua, et communio: *Dicit Andreas*, in affinibus canenda est secundum illos, qui eam plagali tetrardo attribuunt, in proprio cursu bene cantatur. Sunt item aliqui cantus, qui nec in proprio cursu nec in affinibus cantari possunt. De quibus tale præceptum damus, ut ad proprium cursum corrigantur. Si autem multum sint confusi et in affinibus facilius possunt emendari, eo dirigantur, quemadmodum illud offertorium:

In die solemnitatis vestræ usque *et lac et mel*
Alle - - luia.

Providendum est etiam de ℟. *Hic qui advenit*, ut
a
in mese principium sumat, et in eodem loco habens
d
incipiatur, et in paranete diezeugmenon emittatur. Sic et de ℟. *Viri impii* curandum est, ut emendetur in hoc loco.

Sapientiam et rei facti sunt in cogitationibus.

Hoc etiam ℟. *Domine ne in ira* emendatione indiget

in medio. Nam *Miserere* quod proprius usus in li-
D G
chanos hypaton incipit, in lichanos meson incipiendum est. Item hoc ℟. *Egregie Dei martyr* : quidam
c
corrumpunt, quod in trite diezeugmenon non emittunt, et *Ecce* non leniter efferunt. Item in hoc ℟. *Ægypte noli flere*, a quibusdem erratur, qui *flere*
a
ultra mese extollunt. Item in hoc grad. *Ad Dominum*
F
quidam delinquunt, quod *dum tribularer* in parypate meson non incipiunt. Item in hoc Grad. *Esto mihi in Deum,* nonnulli conturbantur, quod *prote-*
G
ctorem in lichanos meson non inchoant. Considera etiam quod in offert. *Confirma hoc Deus. Confirma*
a
ultra mese non esse extollendum, *Deus* autem in
F
parypate meson incipiendum. Sed et in offert. *Oravi Dominum meum* in duobus locis emendatione indiget, scilicet in principio, et ubi est *super*. In communione etiam, *Cantabo Domino* perverse cantant,
c
quod *bona* in parypate hypaton non incipiunt. Sed communio *Potum meum* rectius cantatur, si *cum*
c
fletu atque *et ego* in parypate hypaton inchoantur. Item communio *Domus mea* sic incipienda (20) *Domus mea domus orationis*, etc. Verum hos versiculos cantus ad præsens correctos esse sufficiat. Post hæc in tonario etiam aliquos, qui memoriæ occurrunt emendabimus.

Nunc autem antequam ad exemplificandos tropos veniamus, de superfluis ipsorum differentiis tractandum est. Sed quoniam differentiæ multimodis dicuntur, quid troporum differentias vocemus, primitus aperiendum est. Differentias in tonis nominamus, quando in *sæcula sæculorum amen* aliquæ neumæ rationabiliter permittantur. Et sciendum est, quod differentiarum, quæ tonis subscribuntur, aliæ sunt competentes, et necessariæ; aliæ neque competentes non tamen necessariæ; aliæ neque competentes neque necessariæ, imo prorsus nullæ. Competentes et necessarias dicimus illas differentias, quas usus cantorum habet ab antiquis modulatoribus constitutas. Competentes autem non necessariæ dicuntur, quæ non necessitatis causa, sed solius curialitatis adjunguntur : quemadmodum patet in hac ant. *O beatum pont.* Cum enim ista sit secundæ differentiæ authenti proti, plerique illa neglecta tamen ei differentiam adaptant :

Sæculorum amen. O beatum pontificem.

Illæ autem neque competentes neque necessariæ sunt, quæ non in recto tenore, sed secundum libitum canentium adaptantur, ut ista : *Sæculorum amen. Nos qui vivimus*, etc. Sed et illæ differentiæ, quas quidam differentias esse asseverant, non dico

A non necessariæ, imo prorsus nullæ sunt : cum videlicet unum *sæculorum amen* nulla parte consequenter diversificatum, multis cantibus diversa principia habentibus adjungitur. Siquidem ex his Ant. *Tecum principium*. Et *Biduo vivens*, cum proprie primi toni sint, quidam duas differentias supervacue faciunt Nam si diversa principia cantuum differentiis numerum darent, multo plures essent differentiæ in hypolidio, mixolidio, et hypomixolidio, quam nunc sunt. Quæ omnia in tonario satis patebunt. Volumus autem lectorem scire, quod de illis diximus; alias autem, quoniam superfluas reputamus, relinquimus. Nec prætereundum est, quod in ferialibus antiphonis, in quibus minime convenit, plurimum delinquitur, quarum quædam

B non recte emittuntur, quædam incongruis differentiis reguntur, quædam utroque illegalitatis modo efferuntur Quem multiplicem errorem is perspicue videt, qui tonorum vel modicam notitiam habet. Sunt autem hujusmodi antiphonæ a rusticanis et incultis clericis per indiscretam vulgarium neumarum considerationem depravatæ : quemadmodum patet in Ant. *Facti sumus*. Hæc enim adeo perversa est, ut cum *sæculorum amen*, quod ei adaptari solet in monochordo, nullatenus cantari valeat, alterutro deficiente. Ut autem ista depravatio manifestius videatur, præmissam ant. irregularibus neumis notatam simul cum *sæculorum amen* supponimus : *Sæculorum amen. Facti sumus sicut consolati* (21).
E

C Est autem certissime authenti triti in parypate meson emittenda. Possent et aliæ in hunc modum corruptæ facili satis mutatione emendari, si, ut ait Berno, vitiosa consuetudo ab ore canentium ullo modo posset evelli.

XXIII. *De diaphonia, id est organo.*

Breviter nunc et succincte de diaphonia disserere volumus ; quatenus lectoris aviditati in hac quoque re satisfaciamus, quantum possumus. Est ergo diaphonia congrua vocum dissonantia, quæ ad minus per duos cantantes agitur : ita scilicet, ut altero rectam modulationem tenente, alter per alienos sonos apte circueat, et in singulis respirationibus ambo in eadem voce, vel per diapason conveniant.

D Qui canendi modus vulgariter organum dicitur : eo quod vox humana apte dissonans similitudinem exprimat instrumenti, quod organum vocatur. Interpretatur autem diaphonia dualis vox vel dissonantia. Sed antequam organizandi præcepta demus, de motibus vocum, quorum consideratio ad hoc negotium utilis est pauca perstringere volumus. Cum enim organum per consonantias fiat, ipsarum autem constitutiones per motus vocum varientur, quod eorum insertio hoc in loco utilis sit, nulli dubium est. Fiunt autem vocum motiones per arsin et thesin, id est, per elevationem et depositionem. Quorum videlicet arsis et thesis omnis neuma præter simpli-

(20) Notæ musicæ desunt.

(21) Cum notulis.

ces et repercussas gemella motione conformatur. Simplicem autem neumam dicimus virgulam vel punctum ; repercussam vero, quam Berno distropham vel tristropham vocat. Arsis autem et thesis interdum sibimet junguntur, ut arsis arsi, thesis thesi, interdum altera alteri, ut arsis thesi. Sed ipsa junctio partim fit ex similibus motibus, partim ex dissimilibus. Dissimiles quippe motus fiunt in prædicta junctione, cum alius alio plures vel pauciores habet voces, sive magis conjunctas, sive magis disjunctas. In conjunctione autem similiter vel dissimiliter facta motus motui tum præpositus invenitur, ut in superioribus positus ; tum suppositus, id est in inferioribus positus ; tum appositus, cum in qua voce finis est præcedentis, principium est consequentis ; tum interpositus, cum unus motus intra alium positus et minus est gravis, et minus est acutus ; tum mixtus id est partim interpositus, partim suppositus, aut præpositus, aut appositus. De his omnibus si exempla darem, tædium potius lectori, quam proficuum nimia prolixitate ingererem, præsertim cum hæc omnia per se videre possit, quisquis cantuum diligens investigator fuerit. Variantur eædem neumæ in motibus suis secundum diversas modorum proprietates. Cujus rei exemplum subjicere volumus, ut inde non solum discens organizare proficiat, sed et novum cantum componere cupiens modulandi formulam habeat.

DFE FGEF D

Ancilla Christi sum ideo me ostendo servilem personam.

Considera etiam, quodsi cantum proti in cursu deuteri simili vocum dispositione cantaveris, perparvam videbis disconvenientiam Idem inter tritum tetrardumque fieri solet. His ita compendiose insertis ad diaphoniam redeamus. Ea diversi diverse utuntur. Cæterum hic facillimus ejus usus est, si motuum varietas diligenter consideretur : ut ubi in recta modulatione est elevatio, ibi in organica fiat depositio et e converso. Providendum quoque est organizanti, ut si recta modulatio in gravibus moram fecerit, ipse in acutis canendo per diapason occurrat ; sin vero in acutis, ipse in gravibus per diapason concordiam faciat : cantui autem in mese vel circa mese pausationes facienti in eadem voce respondeat.

Observandum est, ut organum ita texatur, nunc in eadem voce, nunc per diapason alternatim fiat ; sæpius tamen et commodius in eadem voce. Quam quam autem quæ diximus, studioso lectori liquida sint, volumus tamen parvum exemplum benevolentiæ causa adducere.

Laudate Dominum de cœlis (22).

Animadvertere etiam debes, quod quamvis ego in simplicibus motibus simplex organum posuerim, cuilibet tamen organizanti simplices motus duplicare vel triplicare, vel quovis modo competenter conglobare si voluerit licet. Et de diaphonia istud tantillum nos dixisse sufficiat.

XXIV. *De modis et eorum differentiis* (23).

Jam nunc modos per omnia exemplificaturus, quæstionem quorundam de differentiarum ordine videlicet cur eum ordinem habeant quem habent [*f.* proponam] Ego autem nullam hujus rei causam nisi solum usum invenio ; sed nec ab ullo musicorum scriptam reperi. Nam quod quidam dicunt, eas secundum antiphonarum dispositionem in antiphonario esse ordinatas, illud non ita esse vel idiota advertere potest. Nec hoc prætermittere curavi, quod rectius mihi fecisse videntur, qui principalia *sæculorum amen* omnium modorum simplicem neumam in fine habere sanxerunt, quam qui aliter ea disposuerunt. Hi enim aliquam cantori certitudinem conferunt, illi nunquam. Neve quis existimet de etymologia officialium nominum, ut est responsorum et antiphonarum, etc., talia me dicturum, illud imprimis abnuo. Satis enim mihi est, si proposita ad plenum exequi possim. Scire ea cupientem ad librum Isidori, qui intitulatur *Etymologiarum*, vel etiam ad Amalarii utile opus ire jubeo. Hoc quoque recusabo, ut more Bernonis tonarinm disponam : videlicet ut nonannoeane ad singulos modos præscribam, vel differentias quas supra taxavi superfluas interseram, vel omnes antiphonas ad unum *sæculorum amen* pertinentes in unum colligam, præsertim cum prolixitas sit tædiosa, et lectori usque huc provecto paucula exempla sufficiant. De omni autem officiali cantu compendiose exempla dabo absque cantiunculis, quas supra modorum formulas nominavi : quia quas jam posui, non necesse est iterum ponere. His ita præmissis de principalibus *sæculorum amen* omnium modorum ac differentiis, prout propositum est, disseramus.

Explicit tractatus Johannis de arte musica.

Incipit tonarius ejusdem.

Authentus protus constat ex prima specie diapente, et ex prima specie diatessaron superius. Hujus ultima syllaba in *sæculorum amen*, etc. (24).

(22) Desunt notæ musicæ.

(23) Quatuor hæc capita superius distincte notata, hic in unum contrahuntur, quia pertinent ad tonarium, quem omittimus.

(24) Supervacaneum judicamus describere vel edere Tonarium, in quo differentiæ eædem, quæ in Bernonis Tonario, tantum multo minore copia notantur, aliæ ad verbum fere conveniunt.

FULCO ABBAS CORBEIENSIS

FULCONIS

EPISTOLA AD ALEXANDRUM II PAPAM

De Corbeiæ libertate ab episcopo Ambianensi vexata.

(MABILL., *Annal Bened.*, IV, 622)

Ambianensem Ecclesiam post Fulconem fratrem jam ab annis fere quinque regebat Wido episcopus, qui, quod per fratrem suum efficere non potuerat, Corbeiæ monasterium sibi subjugare modis omnibus molitur. Et primo quidem Fulconem abbatem, virum præstantissimum, scriptis ad eum litteris, ad synodum cum Balduino monacho ad tertium Nonas Julii venire mandat; si desit, anathemate incunctanter vinciendum minatur. Ne mandato pareat, modeste excusat abbas: nec mora, a Widone anathemati subjicitur. Tum supplicem libellum Alexandro papæ submittit Fulco, quo in libello, exposita monasterii sui immunitate, a Bertefrido Ambianorum episcopo primum, dein a Parisiensis synodi Patribus concessa, atque a Romanis pontificibus confirmata, qua per quingentos fere annos gavisa sit Corbeia: eam primum impetitam fuisse dicit a Fulcone episcopo instinctu fratris sui Widonis: at eum cito cœptis destitisse auctoritate Leonis papæ, qui in synodo Remis habita, cum beati Remigii ecclesiam consecraret, visis sui monasterii privilegiis, Fulconis episcopi iniquam molitionem, assensu synodi sub anathematis pœna compescuit; seque, quia tunc tantum diaconus erat, Romam adire jussit, ut presbyter ordinaretur. Tum ille:

Veni, inquit abbas, *ordinatus redii, privilegium suum hoc per negotio detuli. Ecce autem idem qui nunc episcopus cum coarchidiacono suo Joanne Romam venit, multis criminibus falso me denotans apud Dominum papam, insuper de accepta benedictione apostolica* [*i. e.* sacerdotio]. *Absens eram: ideo uterque, ille et ego, jussi sumus adesse Vercellis, ut synodaliter res ageretur. Ad diem statutum adfui: accusatores autem nulli. Papa litteras domno archipræsuli, ut nostris privilegiis astipularetur, misit, et episcopo Ambianensi, ne quid impii ageret in nos, indixit. Quoad vixit deinceps episcopus Fulco, integra libertas fuit loco, Fulconi successit præsens Wido, qui summopere nititur irritare, quod ratum est tot apostolicorum sancta auctoritate. Hinc labor: multi conventus: inter quæ omnia aliquis mihi mandavit, ut de bono ecclesiæ darem: et episcopus ita altaria illarum, in quibus olim ministraverunt monachi, quieta nobis faceret, gratiam suam redintegraret, privilegiis auditis ex toto consentiret. Dedi quadraginta libras valens; vidente comite Balduino, suisque tot principibus, prædictæ rei pactum firmatum. Sed ecce minus servat. Pecuniam quidem accepit: altaria non dedit, nec paci consensit. Clericos nostros Ambianis convocavit: si ire differrent, excommunicavit. Hanc illatam injuriam non æque ferentes, testem conventionis nostræ Balduinum adhibuimus. Uterque, ego scilicet et episcopus, Curtracum venimus: multus etiam abbatum vel clericorum conventus. Privilegiis in tanto cœtu lectis, episcopus refragari non valuit. Post hæc omnia nondum obdormierat ira animi ejus: et ecce synodum habens me jussit interesse, cujus rei potestatem in nullo sibi dant privilegia, nec ullus prædecessor noster exsecutus est. Infirmabar: fratrem in negotio nostræ defensionis, laicum etiam, qui probaret interesse me non posse, misi. Excusationem neglexit; excommunicationem vero non amplius septem dies distulit. Recitata tam injusta ligatione, ad archiepiscopi auditorium uterque nos invitamur. Ipse statuto non adfuit: ego tamen adfui; et audita nostræ rei serie, archipræsul attendens injuste prolatam excommunicationis censuram, iterum monuit ut solveret. Monenti non acquievit, sed rursus excommunicavit. Ecce, pater præcipue, pastor egregie, tantus es cumulus calamitatis nostræ. Ad te spes nostra, in te defensio nostra. Patiente membro, compati debet et caput. Te Deus præcepit Ecclesiæ, quam acceptam justum est defensare. Desolatus locus sancti Petri, cui dignum est astipulari, quia specialiter defensor est sancti Petri.*

Hactenus Fulco abbas. Ad has querelas respondit Alexander, scriptis hac de re litteris, tum ad Widonem Ambianorum episcopum, tum ad Gervasium metropolitanum, quibus Corbeiense monasterium sub apostolicæ sedis protectione suscipit.

ROGERIUS MONACHUS BECCENSIS

CARMEN DE CONTEMPTU MUNDI

(Vide inter Opera sancti Anselmi, Patrologiæ tom. CLVIII)

ANNO DOMINI MXC

GILLEBERTUS

MONACHUS ELNONENSIS

NOTITIA HISTORICA IN GILLEBERTUM

(*Hist. litt. de la France*, VIII, 429).

Gilbert, après son entrée dans les ordres, fut élevé à la dignité de prêtre et à celle de doyen de l'église de Saint-André, la troisième de celles qui formaient le monastère d'Elnone ou Saint-Amand au diocèse de Tournai. Cette eglise dans son origine était desservie par des moines mêlés avec des clercs, qui en devinrent depuis les seuls possesseurs jusqu'au commencement du XIIIe siècle. Alors le pape Innocent III y rétablit les moines. Gilbert, dégoûté du monde, se fit moine à Saint-Amand, où il brilla par son esprit, sa vertu, son zèle et son savoir (*Spic.* t. XII, p. 370 ; MAB. *Act.* V, p. 65, n. 13 ; BOLL. 6 *Febr.* p. 843, n. 128). Mais il n'en fut jamais abbé, comme Casimir Oudin l'a avancé, sans en donner la moindre preuve (*Scrip.* t. II, p. 754, 755)

Il s'y était retiré dès avant le mois de février 1066, ou plutôt 1067, que le monastère fut réduit en cendres par un embrasement inopiné (MAB. *ibid.* t. II, p. 732). En conséquence, il fut résolu qu'on porterait par les villes et la campagne les reliques de saint Amand, afin d'exciter la piété des fidèles à contribuer au rétablissement de son monastère. Ce transport s'exécuta la même année, depuis le quatrième de juin jusqu'au quatrième de juillet suivant. Gilbert fut un des moines qui accompagnèrent la châsse dans tous les lieux où on la porta, et se mit par là en état d'écrire l'histoire de la translation, ce qu'il fit effectivement dans la suite.

Il avait le don de la parole et du talent pour la chaire (BOLL., *ibid.*), qualités qui se trouvaient réunies en sa personne à une grande intelligence des divines Ecritures et à une vie reconnue pour sainte. L'usage qu'il en fit à combattre puissamment les vices dominants de son siècle, lui acquit dans le clergé et parmi le peuple la réputation d'excellent docteur et de prédicateur célèbre. Un autre écrivain presque contemporain ajoute qu'il passait dans tout le pays pour un prophète. Il y était en si grand crédit, que Radbod, évêque diocésain, eut recours à lui pour déterminer le docteur Odon, qui fut depuis son successeur, à rétablir le monastère de Saint-Martin à Tournai, en quoi ce prélat n'avait pu réussir. Gilbert mourut le septième de décembre de l'année 1095 (MAB. *An.* l. LXIX, n. 17 ; ANDR. *Bib. Belg.* pag. 288 ; VOSS. *Hist. Lat.* l. II, c. 47 ; OUD. *ib.* p. 755), et fut d'abord enterré au milieu de l'église de Saint-Pierre, avec l'épitaphe suivante. Son corps fut depuis transféré dans la voûte souterraine des Martyrs.

EPITAPHE.

Hoc Gislebertus sub marmore pausat opertus,
Dogmata sacra ferens, et Christo semper inhærens :
Formam pastoris nostris qui gessit in oris,
Tandem sublatus terris, petit astra vocatus.

Sweertius, Valère André, Vossius, Oudin, et autres biographes (SWEER. *Ath. Belg.* p. 288 ; ANDR. *ib.*; VOSS. *ibid.*; OUD. *ibid.*; BOLL. *ibid.*) qui mettent Gilbert au nombre de leurs écrivains, ne s'expliquent pas tous clairement sur les écrits qu'ils lui attribuent. Les uns en parlent comme s'il n'y en avait qu'un seul de sa façon, et les autres, comme s'il y en avait trois ou quatre. C'est à quoi il importe de donner l'éclaircissement nécessaire.

1° On a de lui l'histoire du transport circulaire des reliques de saint Amand par la Flandre, le Cambrésis et partie de la France, avec la relation des miracles qui s'y opérèrent. Gilbert paraît y avoir mis la main aussitôt après le retour des reliques à leur église. Personne n'était plus propre que lui à réussir dans l'exécution de cet ouvrage. Il avait accompagné partout les saintes reliques, comme il a été dit, et avait le talent d'assez bien écrire. Aussi a-t-il cru être en droit de protester de sa sincérité et de son exactitude, et les clercs, les moines et les laïques, instruits des mêmes faits, en rendaient témoignage (BOLL. *ib.* p. 895, n. 1)

Les manuscrits représentent cet ouvrage divisé en quatre livres : ce qu'on a réduit à quatre chapitres dans les imprimés, sans compter la petite préface. Le troisième et le quatrième sont écrits partie en prose, partie en vers, lesquels n'ont rien au-dessus de la versification des autres poètes du même temps. Cet écrit a été d'abord imprimé entre les Œuvres de Philippe Harving, abbé de Bonne-Espérance, qui parurent à Douai en 1621. Il y est imparfait ; et quelques-uns le voyant ainsi réuni à ceux de cet abbé, en ont pris occasion de le lui attribuer. Mais c'est par une erreur visible, puisque le texte même montre qu'il appartient à un auteur contemporain, ce que n'était pas l'abbé Philippe.

Les premiers successeurs de Bollandus, ayant revu cette édition sur deux anciens manuscrits, ont réimprimé l'ouvrage en son entier, à la suite des actes de saint Amand. Dom Mabillon s'est borné à en publier quelques extraits choisis (*Act.* t. II, p. 732-734).

2° Gilbert composa aussi un poème sur l'embrasement de son monastère, arrivé, comme on l'a observé plus haut, en 1067, au mois de février, et par conséquent avant Pâques. On ne peut raisonnablement confondre cet ouvrage avec le précédent, ainsi que quelques-uns semblent l'avoir fait. Outre qu'il n'y en est dit que deux mots par occasion, l'endroit où il en est parlé est en prose et non en vers ; ce qui ne

remplit pas l'idée que nous donne de cette pièce un moine même de Saint-Amand, lorsqu'il dit à ce sujet :

Susceptam querulo Gilbertus carmine cladem
Concelebrat, mæstis prosequiturque modis.

Valère André fait juger qu'il avait vu ce poème dans les manuscrits, puisqu'il nous apprend qu'il était divisé en quatre livres et bien écrit pour ce temps-là. *Scripsit eleganti carmine*, dit ce bibliographe, *de incendio Elnonensi libros IV*. Cependant on regarde ce poème comme perdu (Boll. *ibid.*).

3° Au temps de Sanderus on voyait à la bibliothèque de Saint-Amand un manuscrit contenant un Commentaire sur toutes les Épîtres de S. Paul, sous le nom de Gilbert, moine du même lieu (Sand. *Bib. Belg. ms.*, part. I, p. 45). Le manuscrit était coté 165, et portait pour titre : *D. M. N. Gilleberti monachi S. Amandi Expositio in omnes Epistolas S. Pauli*. Les trois lettres initiales peuvent signifier *domni magistri nostri*, et montrent que cette inscription est d'une autre main que de celle de l'auteur original.

4° Sanderus ajoute que l'on conservait à la même bibliothèque un autre manuscrit coté 188, dans lequel étaient des sermons pour tous les jours de fête pendant le cours de l'année. Ils ne portaient point le nom de Gilbert. Il y était seulement marqué que c'était la production d'un moine de Saint-Amand ; et l'on y découvrait de beaucoup lumière, de solidité avec un grand fonds de piété et d'érudition! Tous caractères qui, rapprochés des qualités personnelles de Gilbert, ne permettent presque pas de douter que ce ne fût là un de ses ouvrages.

Les premiers continuateurs de Bollandus parlent en particulier d'un sermon sur saint Amand, qu'ils avaient trouvé isolé dans les manuscrits, et dont ils ont publié les premières lignes (Boll. 6 *Feb.*, pag. 843, n. 131). Quand celui-ci ne ferait pas partie du recueil précédent, on ne pourrait pas raisonnablement le refuser à notre écrivain : d'autant plus que la pièce est postérieure au moine Milon, et faite pour être lue au jour natal de saint Amand, comme les écrits de Milon se lisaient au jour de l'élévation et translation de son corps.

On lit dans les monuments de l'abbaye de saint Amand qui parlent des écrits de Gilbert, qu'il avait traité du rétablissement de cette illustre abbaye : *De reparatione ejusdem cœnobii*. Si cette partie d'histoire n'était pas traitée dans le poème destiné au récit de l'embrasement du même monastère, ce serait un écrit particulier qui grossirait le nombre de ceux de Gilbert.

HISTORIA MIRACULORUM S. AMANDI

CORPORE PER FRANCIAM DEPORTATO

AUCTORE GILLEBERTO MONACHO ELONENSI.

(*Acta* SS. Bolland., Febr. t. I, d, 6 ex mss. Gandensi et Belfortii, collatis cum editione Operum Philippi ab Eleemosyna.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Licet interdum humana mens phantasticis visionibus fallatur, sed non miraculorum signis falli potest, quæ virtutum operator Dominus in fidelibus suis operari dignatur. Ab Ægyptiis namque Magis illusione phantastica rex captus est Memphiticus cum universa Ægypto, falsa et imaginabilia habens pro vero ; sed postquam divinitus ostensa sunt portenta virtutum, Magi etiam ipsi cum cæteris, quamquam primum increduli, postmodum tamen professi sunt hoc esse digitum Dei (*Exod.* VIII, 19). Cœli nempe, hoc est quique fideles, gloriam Dei loquuntur, et in omnem terram virtutum ipsius sonus progreditur. Unde pro modulo nostræ possibilitatis, impolito quidem sermone, sed non ignobili materie,

A quædam insignia ad notitiam conabor mittere posterorum, qualiter in terris nostra ætate rex patefecerit immortalis militem suum, beatum videlicet Amandum gloriosæ in cœlestibus dono immortalitatis a se muneratum. Si quis autem obstinata mente nostrum in hoc stylum studuerit redarguere, arbitrans nos nisi vulgares rumores sequi velle, huic jaculum opponimus, quod quondam refutantibus veritatem objecit pastor et primipilaris Ecclesiæ. *Non possumus,* inquit, *quæ audivimus et vidimus non loqui* (*Act.* IV, 20). Nil namque hic calamus aperit currentibus articulis, nisi quæ evidenter obtutus probavere scriptoris (1), testimonium ei reddentibus ejusdem temporis monachis, clericis
B atque etiam venerandæ memoriæ et insignis famæ laicis (2).

(1) Hinc constat de scriptoris ætate.

(2) Capitulis deinde margine indicatis Historiam more nostro distinguimus. Ea autem ita legebantur :

1. *De campanis ardendo sonantibus, nemine pulsante.*
2. *De insensato Cameraci sensui reddito.*
3. *De muliere languida sanitati reddita.*
4. *Muti os et lingua reserantur.*
5. *De puero debili sanato.*
6. *De insensato Laudunii sensui reddito.*
7. *De contracta muliere sub feretro S. Amandi erecta.*
8. *De cæca visui restituta.*
9. *De muta a nativitate ibidem loquente.*
10. *De puero apertis oculis non vidente per S. Amandum illuminato.*
11. *De cæca Noviomi illuminata.*

CAPUT PRIMUM.

Incendium Elnonense. Miracula ad reliquias S. Amandi Cameraci et Coceii facta.

2. (Cap. 2.) Igitur anno ab Incarnatione Domini 1066, a transitu vero Amandi 406 (3), sub III Iduum Februariarum, Elnone accensæ sunt domus in foro hora fere tertia (4), unde et in ipsam prædicti pontificis ecclesiam plumbeis tabulis tectam, per tegulas sub ipsis tabulaticis flamma prorupit, antiqui hostis, ut credimus, invidia. Quæ ipsa cum omnibus claustris suis statim est incendio devastata, nec non et apostolorum principis, sed et alia germani (5) ipsius ecclesia. Campanæ (6) fundendo in pulverem sunt redactæ; diruta etiam quæque ornamenta ecclesiæ, columnas dico de Pario lapide cum analogio (7) honestæ fabricæ. Ubi quiddam contingit relatu dignissimum, quod, sicut videntes et audientes in stuporem vertit non minimum, ita lecturis, ut reor, erit veluti monstrum. Nam mox ut ipsæ campanæ a flamma sunt invasæ, cœperunt insimul, nullius nisi solius Dei impulsu, resonare ac si divinitus monerentur plangere ruinam sui et ecclesiæ, donec, ut prælibatum est, in pulverem sunt redactæ.

3. Cujus habitationis restituendæ gratia, fratres cum abbate (8) ipsius loci, ex consulto marchionis (9) terræ, atque episcoporum, petitione quoque Francorum obnixa, feretrum, quo corpusculum venerandi Patris recubabat, per Galliam detulerunt, quos cum tanto thesauro Galli ubilibet locorum honorifice et summa cum devotione susceperunt. Excessimus sane monasterio septimo Idus Junii; repedavimus in idem sub die IV Nonas Julii. Quid autem hac intercapedine quatuor hebdomadum, meritis sæpe dicti pontificis coram immensitate vulgi, in ipsa regione sit gestum, non ducit mater Ecclesia reticendum; quæ filios suos orthodoxos, filiationemque suam in bona perseverantia quaquaversum conservantes lætatur functos honore populorum. Sed hæc omittentes, jam ad ea quæ decrevimus notanda ac memoriæ commendanda, stylum, quanquam stolidum, vertamus.

4. (Cap. 2.) Quædam itaque peragrantes loca, Cameracum urbem devenimus cluentem pontificali cathedra. In qua propter valvas quidam insensatus constrictis arctissime in nervo pedibus residebat, qui, ut ab incolis palam factum est nobis, ob nimiam insani capitis amentiam, quamdam propinquarum suarum sauciaverat. Ubi cum honorifice ab antistite Lietbertho (10) cunctoque ipsius loci clero recepti, hospitandi gratia commaneremus, illum miserum donari S. Amando interpellavimus, quatenus solutum vinculis corporalibus, sanctus, cui donaretur, apud divinam clementiam obtineret dæmoniacis absolvi nexibus. Quod et ita factum est. Nam et pontifex nostris assensum præbuit petitionibus, et ille pontifex noster, cujus corpus deportabatur, liberam mentem eatenus captivato a summo pontifice Christo impetravit, ita ut inde nobiscum progrediens, nullum malesani capitis indicium ultra prætenderet.

5. (Cap. 3.) Ab ipsa quoque urbe vestigia detorquentes cum immenso comitatu civium, tendebamus versus oppidum, cui vocabulum est Coceium (11), ubi multæ aversiones ab oppidano, seu judice ejusdem loci, familiæ inferebantur S. Amandi, quæ circa ipsum degebat oppidum. Sed ubi loco, quo dispositum erat tendere, propiavimus, ecce quemdam presbyterum ecclesiæ in honore S. Remigii exstructæ, Milonem nomine, cum plebe promiscui sexus non modica, obvium habuimus, humiliter obsecrantem, ut thecam tanti pontificis in ipsam S. Remigii ecclesiam deferri ubique paululum requiescere permitteremus. Est autem ab hoc loco non multum distans quidam viculus, quem dicunt Vernulium (12). In hoc jacebat mulier, stratu recubans ob immensum languorem membrorum, quæ a lecto nequiverat egredi per curricula bis quinque annorum. Hæc ubi aure percepit sonos et cantus plebis eo divertentis, causam percunctatur. Cumque didicisset corpus S. Amandi a fidelibus turmis illo transferri, continuo in hæc verba prorupit: O si daretur me saltem manibus reptantem, quasi quadrupedem ei obviam fieri, implorarem sanctum, quatenus interventione sacra meæ suffragaretur imbecillitati! Sed cum inhianter arderet quæ optaverat completum iri, interventu tanti Patris, ejus vota clemens prævenit divinitas, cui, quæ mortales nec optare audent, promptum est præstare. Confestim denique sanguis discurrens circa nervos membra languidæ firmavit, languore exhausit, robore consolidavit. Sicque lecto, cui clinica diuturno languore incubuerat, leniter exsiliens, exorsa est pedetentim progredi usque ad limen domus; inde non contenta incedere, ut est mos mulieribus, rapto cursu ac-

12. *De contracto sanato.*
13. *De muliere Duaci repente contracta, et coram feretro S. Amandi erecta.*
14. *De carcerato Coceii per invocationem S. Amandi liberato.*

(3) Sequitur Milonis chronologiam.

(4) Monumenta Amandina tradunt incendium illud accidisse die Sabbati, in quem incidit eo anno 2 Februarii. Joannes Buzelinus refert idem cum miraculis adjunctis lib. IV Annalium Gallo-Flandriæ.

(5) S. Andreæ, cujus decanus fuit Gillebertus scriptor.

(6) Numero 17 juxta monumenta Amandina et Buzelinum.

(7) *Analogium* est locus altior, seu pulpitum, unde leguntur sacræ lectiones. S. Benedictus in Regula, cap 9: « Legantur vicissim a fratribus in codice supra analogium tres lectiones. »

(8) Lambertus, qui et Fulcardus dicitur, anno 1063 abbas constitutus, vita functus anno 1076, jacto fundamento majoris basilicæ.

(9) Marchio Flandriæ, Balduinus Pius, sive Insulensis.

(10) Obiit B. Lietbertus Cameracensis episcopus anno 1076, 23 Jul.

(11) Coceium, vulgo *Cousy*, inter Aisiam et Axonam fluvios juxta abbatiam Nogentum.

(12) Vernulium pagus vicinus in diœcesi Laudunensi, vulgo *Verneuil*.

currens arripit feretrum, narrans cum idoneis testibus quæ circa se et quanta suo egerit patrocinio ille miraculorum operator egregius. Tum corrigiam cervici suæ, quasi servile jugum, imposuit, seque, ut erat libera, dominio sancti mancipavit. Nec immerito, quippe qui eam, quæ quasi quadrupes vitio naturæ decreverat exire, sibi bipedem naturali usu fecerat ovanter occurrere.

6. (Cap. 4.) Hujus etiam consobrinus quidam juvenis, liber et ipse, sex lustra et eo amplius habens, mutus a nativitate, auditum tamen et intelligentiam plene capiens adducitur, qui ob linguæ officium sibi divinitus concedendum multas sanctorum ecclesias inviserat ; sed, ut dictum sit pace eorum, tanti Patris meritis istud servabatur donum. Antiqua in hoc renovantur miracula, et alterius Zachariæ imaginaria agnoscimus surrexisse tempora. Illi innuebant cognati, quod nomen vellet filio imponi ; huic itidem innuebant propinqui, qua lege vellet se subjugare servitio sancti. Ille nutu postulavit pugilarem sibi præberi, ut quod lingua nequiverat, notarent articuli ; iste nutu æque indicabat se bis binos argenteos pro capitis censu eidem sancto soluturum singulis annis. Ille quod paginæ intendere voluit, restituto mox linguæ officio, aperto sermone pronuntiavit. Videamus et in hoc quam iste jocundo miraculo imitatus sit eum, ubi coram feretro assistens corrigiam cervici suæ circumposuit. Continuo denique accedens Milo presbyter, cujus supra meminimus, in cujus et hic diœcesi natus perhibebatur et adultus, compendiose eum est allocutus : « Quid, inquit, præstolaris, frater ? Si nequis sermone, saltem digitorum indicio sub testimonio præsentium exprime quod tenes in mente. »

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.
(VIRG., *Æneid.* II, 1.)

Tunc ille, ut bis binis conatus est digitis totidem argenteos notificare, clara ac prima voce protestatus est quod articulis moliebatur expromere. O quem et quantum, si adesses, cerneres plausum turmarum catervatim undique confluentium, Deum hymnisonis vocibus nobiscum collaudantium, præ ingenti lætitia malas effusiones lacrymarum humectantium ! Quid proferam de hac ipsa ætate sub qua informatus est sermone ? Christus mortuum in peccatis hominem, atque in Dei laudibus mutum, passione sua hoc eodem ævo vitæ restituit, in laudes divinas os ejus aperuit, et B. Amandus interventione sacra hunc famulum suum, qui quoquo pacto æquiparandus erat mortuo, quasi locutione vivificavit, eumque laudes Dei extollere fecit, atque in gratiarum actiones Deo solvendas verba formare apud divinam clementiam obtinuit.

7. (Cap. 5.) Nec minus et illud censeo prædicandum quod in ipso limine portarum castri prælibati vidimus mirabiliter gestum. Simul namque ut ipsa sancti cadaveris lectica oblique tenebatur transposita, quatenus plebs cervices suas ei submitteret devotione humillima, mulier quædam approperans debilem filium ulnis ferebat, qui infra unius anni pene orbitam, terram calcare nequiverat. Hic itaque, ubi eum genitrix feretro supposuit, clamitare cunctis audientibus cœpit : « Depone me, mater, quantocius ab his, quibus vehor vehiculis, quia videor mihi jam posse tibi pedissequus fieri. Ne velis, obsecro, meæ obviare saluti, tuæ quoque lætitiæ adversari. » Tum illa credens eum verbis hæc proferre puerilibus, aut etiam erroneis : « Noli, inquit, fili mi, noli, ne ab imminenti turba comprimaris, dum non possis ad exitum rei perducere quod effaris. » Et puer : « Possum, ait, mater, possum. » Post hæc non præstolans responsum genitricis, ab ipsius continuo se extorsit lacertis, paulatimque tentata via, in cursum se hilariter proripuit. His et hujusmodi clemens pontifex perpetratis circa ipsum castrum miraculorum signis, maluit, credo, oppidanos a vexatione suæ familiæ blanditiis compescere quam minis terrere. Sed quia hæc pro capacitate ingenioli nostri taxavimus, jam ad ea quæ restant, luce clarius nitentia, calamum transferamus, ejus ad hæc explenda invocantes patrocinium cujus credimus meritis reputari tanta insignia gestorum.

CAPUT II.

Miracula Lauduni, Calnici, Noviomi et Duaci facta.

8. (Cap. 6.) Postera denique aurora finem dante, montem Laudunii (13) accessimus, ipsumque statim conscendimus, atque ibi ab episcopo Elenando (14), universoque ejusdem loci clero cum ingenti veneratione recepti eo die quievimus. Interea sol vergebat ad occasum, et ecce quemdam insani capitis adducunt, manicis pedicisque ligatum. Nox ruit Oceano, cum interim pretiosissimi illius thesauri thecam circumvallantes pueri innuptæque puellæ, juvenes cum senioribus, incipiunt devote excubias, cum facibus et lychnis ardentibus. Nunc vero jam nox medium orbem tenebat, suadebantque cadentia sidera somnos, cum ille de repente jacens sub feretro in hæc verba prorupit : « Cur meos lacertos hæc astringant ligamina, aut ubinam dejectus jaceam, posco, pandatis, qui circumastatis. » Tunc illi stupore attoniti, rati eum erratica, ut ante, verba proferre, tamen quæ sciscitabatur edocentes : « Ob nimiam, inquiunt, tui capitis amentiam, ligaminum nodis obstrictus ad patrocinium S. Amandi adductus es, cujus corpus in præsenti S. Mariæ ecclesia noveris recubare. Deo, inquit, gratias mecum habetote, vis immanis abscessit dementiæ ; abscedant jam nunc oro catenæ. » Qui simul ac ab omni nexu immunis factus est, consignans se in signaculo sanctæ crucis, si quod, diabolo instigante, verbum adversus fidei puritatem in ipso errore fuderat, pectus contundens, reum se professus est. Inde servum se S. Amando tradidit, cujus precibus suæ mentis columen indesinenter reputabat. Et merito ejus se

(13) Laudunum, seu Lugdunum Clavatum, (vulgo *Laon.*)

(14) Elenandi hujus episcopi mentio fit in miraculis S. Huberti 3 Novemb.

subdidit servitio, cujus suffragio se eatenus mentis A impotem a sævi tortoris noverat eliminatum ergastulo.

9. (Cap 7.) Illa quoque non sunt silentio prætereunda quæ die Dominica inde nobis remeantibus, habentur supra ipsum montem cunctis cernentibus gesta. Dum itaque portas urbis in supercilio montis positas, cum ingenti cohorte promiscui sexus, ipso fervore meridiei post haberemus, ecce mulier perplexis tibiis, serpens manibus, vultu terræ infixo, accessit, cunctisque viam pandentibus feretro propinquavit. Res mira et admodum stupenda! Ubi se bajulis immiscuit, resolutis nervis se erigens, ipsum gestatorium, mirabile dictu! constanter arripuit. O quis fremitus ab ore vulgi resonabat, quan- B tusque fragor monachorum, clericorum atque laicorum in Dei laudes resultabat! Tunc erat cernere turbas undique ad hoc insigne confluentes, in tantum ipsos bajulos gratia videndæ mulieris opprimentes ut vix quispiam eorum posset movere pedes. Enimvero sapienti usi consilio fecimus sanctum corpus per spatium circiter trium horarum, super quamdam rupem in eodem requiescere loco, ut vel sic aliquantulum respirantes, dein ab ipso descenderemus supercilio.

10. (Cap. 8.) Rem stupidus refero, miraque, fidelem quærens auditorem, enarro: sed non nisi quæ probante visu hæc titulantis acta sunt, fere sub unius horæ spatio. Continuo namque quædam secundi sexus persona accessit, quæ septem annorum C rotam evolverat in mœrore cæcitatis; hæc simul ut oculis loculum tetigit, detersa caligine, amissi luminis dispendia reparavit. Quæ luci pristinæ restituta, inde nobiscum progrediens, cœpit erga se gesta Christi propalare magnalia.

11. (Cap. 9.) Quædam quoque puella ab utroque adducitur parente, quam uti materna fuderat alvus, perhibebant linguæ officio ad ipsam usque diem caruisse. Hæc pariter ubi venerandi corporis receptaculum deosculatur, plectro linguæ resoluto, vocis organa in laudem Dei sustolluntur. His et hujusmodi quampluribus plebs Laudunensis exhilarans corda miraculis, quæ obtutibus nostris cernenda abstulit inexplicabilis concio promiscui sexus et ætatis, quæ etiam postmodum nobis relata sunt a D fidelibus viris, grates solvebat majestati Celsitonantis. Nam solum hujus, sed et cæterarum urbium indigenæ ad hæc confluentes spectacula, Deo solvebant ora vocibus hymnidicis, divino numini laudem dicentes, quod causa sanctum illac deportandi acciderit, credentes quoniam nunquam a tanto patrono talia suis emanarent oculis, nisi ecclesiam ipsius incendium devastaverit. Quippe quia nec ipsum suis allatum gauderent confiniis.

12. (Cap. 10.) Inde utique cum immensa vulgi alacris pressura detorquentes vestigia, processimus tendentes versus Noviomi mœnia. Jam currum (15) immergere sol Oceano parabat aureus, cum castellulum, quod vocant Calneium (16) advenimus, ibique hilariter hospitio recepti, noctu quievimus. Ubi de mane post vigilias nocturnas quamdam vidimus matronam, quæ in gremio confovebat puerum, gestantem absque lumine lampadem, ocellos dico in capite nullam in se habentes lucernam. Hæc itaque accedens incipit effari, mediaque in voce resistit, singultu quatiente dolorem, exprimens quo afficiebatur super glaucomate filii a nativitate cæcutientis. Cum hoc, inquit, puero noctem hanc pervigilem duxi, excubans sub feretro S. Amandi. Hunc sane enixa sum mundo absque lumine naturali, et ad hoc eum huc detuli, ut radiis meritorum istius illuminaretur sancti. Sed quia nondum voti compos effecta sum, aliquibus hujus sancti reliquiis tangite obsecro loca lucernarum, si quo modo divina pietas mihi condescendat supplici, ad hunc sua gratia illustrandum. Tunc dentem sæpedicti Patris, fabrili opere, auro decenter politum, baculum quoque sumentes, quo prædicationis suæ rexerat præsulatum, posuimus, ut poposcerat genitrix, super loca luminum. Parvoque expleto intervallo, mox pueri ocelluli suo utuntur officio, nulla penitus obstante caligine clarescentes numine divino. Tunc vero quique astantes, genitor in primis cum genitrice, volentes hoc ad certam fidem experimento deducere, offerebant ei monilia, atque candelulas, cæteraque quibus puerilis animus solet arridere, et ipse, prout clare dijudicans, cuncta celeriter arripiebat, mox quoque ludendo porrigentibus sibi vicissim rejiciebat. Digitis etiam innuebant, et ipse contra similiter faciebat. Nec mora canonici prosiliunt ad campanas, nos autem cum populo in laudes prorupimus divinas.

13. (Cap. 11.) Dehinc Noviomum, quo ire pergebamus, pervenimus, ibique S. Eligii quondam S. Amando, dum uterque adviveret, familiarissimi loculos geminos, alterum cum monachis, alterum vero cum clericis obviam habuimus. Ubi ex diversis quibusque ordinibus suburbani oppidani, clerici cum monachis affuere, qui nostri patroni thecam cum immensa suscipientes veneratione, ac summa devotione in ipsam pontificalis cathedræ ecclesiam detulere. Tenso itaque in platea urbis nostro papilione, iidem haud sine ipsius loci antistite Baldewino (17) reverenter recipientes, eo asportavere, tanto gaudentes hospite. Ubi nocturnis de more expletis vigiliis, matutinorum quoque nostratim peractis solemniis, en mulier affuit oppressa enormi dolore vertiginis, in tantum, ut rursum, aut dextrorsum,

(15) Ita mss. editum, *cursum*.

(16) Calneium, Massono *Calnicum*, vulgo *Chauny*, oppidum non procul ab Aisia fluvio, e quo eductus rivus prope muros inter Feram et Noviomum.

(17) « Balduinus Noviomensis episcopus, postquam, teste Buzelino lib. IV Annal. Gallo-Flandriæ, multos Ecclesiæ Christianæ gratia labores admodum fortiter collocasset. »

sive sinistrorsum non valens caput deflectere, foret gaudio cassa luminis. Quæ secus feretrum astans, ad ipsam usque mediantem lucem diei, ita reddita est incolumis ut his quibus præ dolore capitis privata erat remediis, lætificaretur coram cunctis. Nam et visu pristino statim redimita suspexit cœlos, ad gratiarum Deo solvendas actiones, et circumferens oculos respiciebat hinc inde ad circumstantes, Domini circa se mirabiliter enucleatas narrans virtutes.

14. (Cap. 12.) Quo facto statim per ora vulgi disperso, quidam sedens (18) pede distorto adducitur, qui propria non credens humo vestigia, juvamine fulciebatur alieno. Unde factum est ut sanctissimi confessoris requirens auxilium, ipsius exploraret gratiam meritorum. Nam diutius coram ejus manens tremebundus præsentia, tanti antistitis invocabat precamina apud divinam clementiam sibi profutura. Tandem igitur quod quærebat reperit, et qui alienis venerat, suis vestigiis rediit, patrociniumque sancti sibi non defore persensit. Hæc et hujusmodi quamplurima non modo his, verum et aliis urbibus in Gallia, per nostrum hunc patronum, ut prælibavimus, ostensa sunt virtutum insignia, qui aciei nostræ non valuerunt pertingere notitiam, præ immensitatis popularis pressura; sed quia noluimus excedere promissa, ad præsens ea scribimus duntaxat quorum nostros oculos non latuerunt insignia.

15. (Cap 13.) Sed et illud reticere non ducimus commodum, quod Duaci (19) perspeximus insigniter perpetratum. Quædam namque inter alias incolumis processit nobis femina, sed nescio cui reatui obnoxia, non est inventa sancto occurrere digna, fortassis in eum alicujus blasphemiæ rea, quam necdum digna punierat pœnitentia. Judicia enim Domini abyssus multa (*Psal.* xxxv, 7). Unde factum est ut statim, ubi domum rediit, pedes ejus natibus, manus quoque pectori quasi clavis infixæ hærerent, ac sic semimortua jaceret. Hanc utique vidimus ipse ad perfugium nostri patroni, quasi mortuam, atque nullum penitus in se vitæ spiraculum prætendentem, quodam deferri vehiculo, sed non multo post vidimus eam pedibus resolutis ac manibus versa vice coram ipso erectam astare feretro. Hæc sunt, quibus per Gallicam provinciam beatissimi Amandi merita, (20) ea tempestate declarare dignatus est Dominus. Cum quibus et alia, quæ ab ipsis infirmis sanitate redintegratis sub testimonio fidelium nobis sunt relata. Qualia tamen ista, quanta et illa; in omnibus operibus suis sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

A

CAPUT III.

(21) *Ope S. Amandi carceratus liberatur, et suspensus suscitatur.*

(16 Cap. 14.) Mos fuit antiquis, nec non manet
[usque modernis,
Scriptoris calamum varios percurrere sulcos.
Sic variat mentem dictantis prosa, metrumque;
Unde metro canimus quiddam mirabilis actus
Gestum Coceji, postquam remeavimus ipsi.
Quod jam non oculis, sed fonte probavimus auris.
Terræ culturæ se condonabat abunde
Quidam Landricus, hic quem ditaverat usus:
Solibus æstivis is cum messoribus ipsis,
Tempore quo flavas segetes jam demetit æstas,
Stans lætos fructus proprios sumebat in usus,
B Cum præmissus eques manuum calcaribus urgens,
Concitus a castro venit, supra memorato
Landrico missus, et ei vim ferre paratus;
Qui nitens aliquos ab agro sibi ferre maniplos,
Mox ibi sensit agri possessorem dominari;
Denique ridiculum commisit uterque duellum;
Iste negando sua, sed et ille petens aliena.
Tum raptor missus, rapiendi jure potitus,
Conatu cassus proprio repedat pudibundus.
Cumque statim factum foret Albrico manifestum,
(Sic castellanus per nomen erat vocitatus)
Adducatur, ait, vinctis post terga lacertis.
Landricus dirum gestans sub gutture nodum
Carceris ima simul digne satis experiatur.
C Ad cujus verbum fera vincula carceris illum
Vallant et vexant, scrobis ac horrore retentant.
Hoc igitur castrum, sic est merito vocitatum:
Nam fera plebs ejus barathri se trudit ad actus,
Cujus fluminibus se commiscendo Cocytus (22),
Post se Cocejum trudit per prava suorum.

17. Qualiter hic tetro sit carceris erutus antro,
Pandimus, auctores ut deprompsere fideles.
Nempe catenatus, vallante crepidine clausus,
In diversa trahi cœpit: mentique revenit,
Quod nuper titulis insignis Amandus honestis
Patrarat, mutis dans verbum, lumina cæcis.
Tunc orans lacrymis, et dans suspiria cordis,
Edidit ad tantum, sic clamans, verba patronum:
Pontificale decus, operumque patrator opimus,
D Præsul Amande, tuos nunc affore posco triumphos,
Non aliquem quæris verbis uti cameratis (23).
Simpliciter dico, jam nunc mihi proximus esto;
Si verum de te nuper deprehendimus esse,
Quod per tanta, circa confinia nostra,
Exstent completa, non naturaliter acta;
Exige jam verum clemens ex hoste tropæum
Qui nimis immerito retinet me carceris antro,
Ac in me rerum coacervat quæque malarum.
Oro, juves precibus, ne squalor carceris hujus

(18) Forte, *incedens.*
(19) Urbs hæc nunc præclaram habet academiam.
(20) Mss. et excusa habebant *et.*
(21) Titulus hujus capitis excusus erat in elencho supra dato: at carmina deerant.

(22) Cocytus fluvius infernalis, ἀπὸ τοῦ κωκύειν, *lugere, plorare.*
(23) Id est tectis, seu involutis. Camera veteribus fornix, Belgis cubiculum, cœnaculum, hinc camerare. Aliud ms. habebat *cameracis.*

Me vexando diu subigat, mortemque minetur.
Pondera mox ferri post ejus verba resolvi
Sic cœpere simul, quod fit mirabile dictu,
Ceu quis eum ferro manibus relevaret ab ipso.
Tum tractans sensim, capiens et iter pedetentim,
Egressusque foras venit, judex ubi caussas
Exercendo, latus stipante satellite fultus,
Vanos sermones referebat et undique sontes;
Coram quo positus, cunctis cernentibus exit
Landricus, post se nec quemquam surgere cernit.
Sic cujus clemens miseratio vociferantem
Audivit pridem, nunc ipsum munit euntem.

18. (Cap. 15.) Præcipuum quoddam miraculum in pago Noviomensi, a B. Amando factum, sicut quorumdam relatione (24) didicimus, legere volentibus qualicunque scripto notificare curabimus. B. igitur Amando cum duodenis fratribus in pago Laudunensi, loco qui dicitur Baresetum (25), commorante, contigit ut rex Francorum Dagobertus (26) die quadam Compendium (27) deveniret, cujus adventu comperto B. illuc Amandus pergere disposuit. Qui cum ad villam Melincotum appellatam pervenisset, in domo cujusdam viduæ, quæ unicum habebat filium, hospitandi gratia divertit. Interea quidam raptores, ex Belvacensi regione venientes, quamdam inde prædam furto abductam ante se deducebant. Qui cum ab incolis ejusdem regionis se insequi perniciter cominus aspexissent, opaciore silva sese cum præda sua protinus immerserunt, nec tamen de vita securi, adversarios se insequentes pernici gressu fugiebant. Fortuito jam casu filius mulieris viduæ, in cujus hospitium B. diverterat Amandus, per eumdem saltum solus deambulabat. Cum causam penitus ignoranti prædam suam latrones quasi custodiendam reliquerunt, et ipsi semet tantum salvare volentes, expeditius jam fugere cœperunt Porro viri qui prædam de manu latronum festinabant eripere, juvenem solum cum præda a latronibus dimissa in saltu repererunt. Quem quia unum ex latronibus fuisse existimaverunt, comprehensum illico suspenderunt. Nec mora, rumor excitatur, clamor attollitur, filius mulieris viduæ suspensus atque jam mortuus esse nuntiatur. Ab omnibus pene incolis circumquaque manentibus curritur ad videndum; mater etiam suspensi miserandis clamoribus ejulans cum B. quem hospitio susceperat, accurrit Amando. Quid plura? In tantum vir beatus super compassione mulieris indoluit, ut humi prostratus tandiu orationi plenus lacrymis incubuerit, donec juvenem vivum et incolumem propriæ matri gaudenti et exsultanti, Deo propitiante restituerit. Ob hoc ergo paradoxi dignam et venerabilem memoriam quædam capellula exiguo

A sumptu eodem loco constructa est in honore B. pontificis Amandi, ad laudem Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, sanctum suum in cœlo et in terra mirifice glorificantis, qui cum Patre et Spiritu S. vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæcul. Amen.

CAPUT IV (28).

Periculum mortis amotum. Clinica sanatur.

19. Styli pandat obsequium, succedens his miraculum
Ut quod claret præsentibus, pateat subsequentibus.
Processu namque temporis, dum structura fundaminis
Ecclesia resurgeret (29), ac valenter proficeret,
Varie operarii occupabantur plurimi.
Quorum mittuntur gemini terram fodere sabuli,
B Willebertus vocabulo, Alberto sibi socio.
Hi ergo facti compares ad operandum agiles,
Exsequebantur gnaviter opus injunctum pariter.
Qui unius articulo diei cum fossorio
Intrantes opificium, mortis incurrunt laqueum.
Quos si cepit, non tenuit, sed laxum sinum præbuit;
Et quos Satanas terruit, præsul noster eripuit.
Quos turbavit sævitia, fovit misericordia.
Nam locus erat concavus jacens illis sub pedibus,
Terraque cum lapidibus imminebat cervicibus.
Quid multis? Moles corruit, hosque ferme comminuit.
Willebertus pubetenus detinetur intrinsecus;
C Albertus autem penitus ad ima scrobis truditur.
Quo concurrens vicinia, membra quærebat mortua.
Nam quis vivere crederet quam tanta moles sterneret?
Tamen videbat merito sancti præsulis inclyto.
Per quem mirum apparuit, quod servum morti sustulit.
Terram enim quæ ruerat, lapidumque volumina
Amoventes finitimi, vix caput semimortui,
Quod pene jam contriverant, ut petras illic jecerant,
Reperientes, extrahunt quasi cadaver mortuum.
Nullum vitæ spiraculum in eo nec anhelitum
Percipientes vividum. Nam ab hora jam tertia
Usque fere ad septimam in tenebris horrentibus
D Jacuerat sic obrutus. Inde trahentes pallidum
Mortuoque simillimum, cum tractarent de loculo
Et faciendo tumulo; cernentes hunc rubescere,
Intellexerunt vivere. Hic quoque multo tempore
Post sanus vixit corpore cum illo suo compare,
Et post illum certissime perseverans servitio.

20. (30) Anno ab Incarnatione Domini 1090, cuidam monachorum S. Amandi, per somnum visio apparuit tanquam dehiscens cœlum, ardorem igneum Aisiæ fluminum.

(24) Dum isthic cum reliquiis S. Amandi esset auctor; quod a reliquis miraculis tum factis sejunxit.

(25) Seu Barisiacum.

(26) A Childerico rege nepote Dagoberti I hunc locum donatum fuisse S. Amando diximus. An Dagobertus filius S. Sigeberti intelligendus?

(27) Oppidum elegans ad confluentes Axonæ et

(28) Hæc duo capita continentur in ms. Amandino, postea adjuncta, sive ab eodem Gilleberto seu potius alio.

(29) Ergo post obitum Lamberti, seu Fulcardi abbatis, sub Bovone, aut primis annis Hugonis.

(30) Præponebantur hæc verba instar tituli : *S. Amandi de Bizo.*

flammantem emiserit. Et ecce e vestigio clades ignea A hominès invasit (31), quæ contemptoribus Creatoris ardorem præconaretur divinæ animadversionis. Hic est enim calix justæ damnationis, qui per prophetam Jeremiam propinatur sanctæ religioni contrariis *Jer.* xxv, 15). Quod ipsa re dignatus est Dominus evidenter declarare. Nam ardentes ad loca deferebantur sanctorum (32), et exstinguebantur meritis ipsorum. Quid hoc in facto utrorumque voluerit mortalibus præmonstrare, nisi quod inobedientes juste mereantur ignem gehennæ, jussis vero Dominicis obtemperantes, misericorditer adipiscantur refrigerium quietis perpetuæ? Unde quibusdam in ecclesia S. Amandi quadam dierum datis refrigerio, dum signis concrepantibus astarent monachi cum cordium ac vocum jubilo, jacebat mulier foris in B domo languore clinica diuturno. Quæ auribus sonitum percipiens signorum, dicensque hoc fieri pro remedio ardentium, filiam, quam domi habebat, et quemdam vocans sibi domesticum rogabat se baculo sustentandam, ab eis deduci ad oratorium. Fatebatur enim se fideliter credere, quod S. Amandus etiam ipsi valeret salutis emolumentum meritis suis divinitus impetrare. Quod et factum est. Denique ad ecclesiam talibus sustentaculis cum gravi perveniens labore simul ac dolore, prostrata implorabat sibi tanti Patris suffragia succurrere. Cum non multo post paulatim erigens se, aliquantulum meliorata, et de augenda sibi jam confisa salute, dans manum alteram filiæ, altera baculum tenens pervenit ad altare. Ubi orans cum fide, ex integro sanitati restituta est pristinæ. Quod sentiens surrexit, atque lætabunda remeare cœpit. Cumque dexteram ei porrigeret filia, monens eam assumere virgam in via regenda; illa exsiliens et circa altare discurrens, proclamabat se ultra ad sustentandum non egere baculo, nec alicujus adminiculo; quippe cui S. Amandi beneficiis optatæ salutis commodum divina concesserit miseratio. Quod tripudium monachorum sive clericorum Deum collaudantium, atque laicorum utriusque sexus eo confluentium, ibi tunc fuerit, tanti facti excellentia prodit. Tunc temporis agens in concilio antistes (33) metropolitanus Remensis Ecclesiæ, audiensque consumi homines tam gravida lue, triduanum jejunium constitui agi (34), Ninivitarum more, quatenus divini examinis censuram placaret humilitas pœnitentium, quam offenderat contumacia inobedentium. Tantam igitur gratiam auctor omnium suo indulsit populo ut etiam pueri parvi, tam fide quam devotione, huic se manciparent constituto. Qui cernens iniquitatem verti in æquitatem, quam juste hominibus exaggeraverat, misericorditer removit ultionem, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(31) De igne sacro illis annis grassante et cœlitus denuntiato pluribus egimus 17 Januarii ad Vitam C S. Antonii, tractatu particulari post translationes, de miraculis ejusdem § 1.

(32) SS. Piatonis, Rictrudis, Martini, Deiparæ virginis, et S. Antonii, uti ibidem diximus ex Buzelino et aliis.

(33) Rainoldus, sive *Rainaldus, Contractus*, Gallice *Retiré,* qui Atrebatensem episcopatum ex mandato Urbani II papæ divisit a Cameracensi: mortuus Atrebati anno 1095, 21 Jan. quo die ejus anniversarium adhuc agit Ecclesia Atrebatensis.

(34) Eodem tempore aliæ ab episcopis institutæ publicæ preces. Ita Mejerus lib. II Annalium Flandriæ ad annum 1092, scribit: « Tornaci religiosa instituta supplicatio ab Rabodone episcopo die Exaltationis sanctæ crucis, ob pestem quam vocabant igniariam, hoc est, sacrum ignem. Magna religione sacris ubique operatum, ad procuranda quæ fiebant prodigia placandamque Dei iram. Nam alii instar carbonum nigrescentes, alii exesis morbo visceribus tabescentes, pars truncati miserabiliter membris, incredibile est dictu quam multi mortales sacro illo igni sint absumpti. »

ANNO DOMINI MXC.

WILLELMUS

CLUSIENSIS CŒNOBII MONACHUS

NOTITIA HISTORICA

(Histoire littéraire de la France, VIII, 452.)

Guillaume, moine de Cluse, y fut formé à la vie monastique sous le vénérable abbé Benoît II, qui commença à gouverner ce monastère en 1066. Les écrits qu'il a laissés à la postérité sont une preuve du progrès qu'il fit dans la littérature. Son goût le porta à se lier principalement avec ceux qui la cultivaient. Gerauld, bibliothécaire de la maison, qui avait une ardeur incomparable à amasser des livres, devint un de ses plus intimes amis. On ignore les autres événements de l'histoire de Guillaume. Seulement on juge par la Vie de l'abbé Benoît, son maître, qu'il a écrite peu de temps après sa mort, arrivée en 1091, qu'il florissait dès lors, et qu'il y mit la main vers 1097.

Nous ne connaissons que deux ouvrages de notre écrivain : encore l'éditeur n'en a publié qu'un entier, et l'autre en partie.

1° Guillaume composa l'histoire de son monastère, depuis le temps de sa fondation, en y insérant quelques miracles qui avaient précédé, jusqu'à la mort de l'abbé Benoît I, qui gouverna ce monastère quarante-quatre ans, et qui vivait encore en 1031, qu'il assista au grand concile de Limoges. Il la commence par une description du lieu où le monastère fut bâti, laquelle il reprend plus bas, et la finit par une vie abrégée du même abbé. Ce qu'il en a écrit, il le dit sur le rapport des frères avec qui vivait l'auteur, et qui l'avaient appris du vénérable Aicius, prieur de la maison sous Benoît. L'Histoire est bien écrite pour ce temps-là ; mais outre que nous ne l'avons pas telle qu'elle est sortie de la plume de Guillaume, elle est trop succincte. D'ailleurs son auteur y est tombé dans des erreurs considérables. Il y nomme tantôt Nicolas, et tantôt Sylvestre, le pape qui gouvernait l'Église de Rome au temps de la fondation de l'abbaye de Cluse, en 966. Il est certain qu'il n'y eut point, au Xe siècle, de pape du nom de Nicolas, et que Sylvestre II ne le devint qu'en 999, au mois de février.

Dom Mabillon a publié de cette histoire ce que lui en ont fourni des feuilles volantes qu'il tenait de M. Baluze. Cela consiste en deux fragments. Le premier, assez court, contient le commencement de l'histoire, avec une partie de sa suite, laquelle se trouve plus complète dans le suivant. L'autre fragment, qui est beaucoup plus considérable, n'a point de commencement, et celui qui le précède, tel qu'il est, ne paraît point suffisant pour y suppléer. Peut-être recouvrerait-on ce qui y manque dans l'exemplaire qu'on en conserve entre les manuscrits du Vatican (MONTF. *Bib. bib.* pag. 41). Il y est intitulé : *Histoire du monastère de Cluse, par le moine Guillaume*; quoique l'éditeur ait donné à l'imprimé le titre de *Vie de Benoît Ier, abbé du même monastère*. La raison en est qu'à la fin de l'écrit il est effectivement parlé de cet abbé en particulier.

2° Notre écrivain a composé aussi la Vie du vénérable Benoît, autre abbé de Cluse, qu'il surnomme *le Jeune*, pour le distinguer du précédent, et qui a été omis dans les meilleurs catalogues des abbés de cette maison.

Cette Vie est écrite avec beaucoup d'ordre, de méthode, de piété, et en un style beaucoup meilleur à tous égards qu'il n'était communément alors. On y découvre sans peine que son auteur était homme d'esprit, de jugement, et de savoir. Il y a semé divers traits de sa modestie, de son humilité, de sa religion, qui déposent en faveur de son éminente vertu. Quoique son écrit ne promette que la vie d'un abbé de mérite et de piété, on y trouve néanmoins plusieurs choses qui regardent l'histoire de l'Italie en général, et principalement pour l'Église de Turin. L'auteur y fait même connaître un cardinal de l'Église romaine qui a échappé aux recherches d'Onufre.

A la fin de l'écrit se lisent deux espèces d'épitaphes du vénérable abbé Benoît en vers élégiaques rimés, qui ne valent pas à beaucoup près ceux qui suivent immédiatement la préface. C'est pourquoi nous ne les croyons pas de notre écrivain. Nous portons le même jugement, et par la même raison, d'autres grands vers rimés qui viennent après les deux épitaphes : aussi bien que de trois hymnes à l'honneur du même abbé, dont on n'a imprimé qu'une seule.

On est redevable de l'édition de cette Vie à dom Mabillon, qui l'a tirée d'un ancien manuscrit, et illustrée de courtes observations préliminaires.

HISTORIA CLUSIENSIS MONASTERII

(FRAGMENTA)

AUCTORE WILLELMO MONACHO.

[MABILL., *Annal. Bened.* III, 712.]

I.

In Italiæ finibus mons quidam exstat insignis, XII millibus passuum distans ab Alpibus, qui vulgari nomine, sed non vulgari errore aut casu Pyrchiriana, id est ignis Domini, vel ignea civitas, vocatus est ab incolis, propter angelorum, ut reor, ibi futuram præsentiam. Supremo cacumine Beati Michaelis archangeli exstat ecclesia. Erat quidam Ravennas, nomine Joannes, cognomine Vincentius, vir miræ simplicitatis ac spiritualis intelligentiæ gratia apprime ornatus, qui in genitali quidem solo episcopali fertur functus dignitate; sed solitariæ vitæ ardore flammatus, multis provinciis perlustratis, in montem qui Caprasius dicitur, prædicto monti a parte septentrionali oppositum, sese reduxerat.

A Ab illo itaque tempore sanctus eremita Joannes usus cellula juxta posita, montem solus incolere cœpit. Amizo tunc Taurinensis episcopus. Per idem tempus Ottone juniore Augusto, quidam nobilium, Hugo nomine, ex Arvernensi comitatu cum propria uxore....

Emensis igitur longioris viæ spatiis, cum boni desiderii plenus una cum uxore suisque Segusiam venisset, tunc vovit cœnobium sancto Michaeli archangelo construere, si curari mereretur.

Ascensis ergo diluculo vehiculis, Hardoini marchionis curiam, quæ XIII tantum millibus in castro Avilliano tunc aberat celeriter adeunt, cumque cum uxore nihilominus nutu divinitatis, ne diutius fati-

gentur, inveniunt. Adventus causas exponunt, et licentiam construendi cœnobii in memorato multoties loco petunt; ea videlicet ratione ut gloriosus marchio quantum auri vellet vel argenti, mulorum cæterorumque vehiculorum quæ adduxerant, maximam copiam benigne reciperet et locum ab omni sua prohæredumque suorum sæculari potestate scripto judiciali solveret: quatenus in posterum Deo inibi servituris, a cunctis quæ sæculi potestatibus vel ex debito, vel ex terrore fiunt, expedita libertas conditionibus esset. Liberalissimus princeps libenter annuit.

Aderat ibi quidam nutu Domini vir religiosus ordinis monastici, nomine Atvertus, qui in Lizathio monasterio abbatis prius officio functus, atque ab hoc a contrariis sanctæ religionis expulsus, tunc a liminibus apostolorum regressus, in eodem per aliquot dies fuerat hospitio remoratus. Præfatum ergo virum religiosum Atvertum multis precibus vincit Hugo, et relictis quantum ad præsens ut peregrinus poterat necessariis ei locum committens, citius rediturus ad sua cum gaudio rediit.

Exinde vir Deo plenus Atvertus omnino plena devotione satagens, opportuna monachis ædificiola secundum situm loci, nam scopulis asperrimus erat, cœpit construere. Tempore constituto sicut promiserat Hugo rediit, et omnibus necessariis impensis ad perficiendam ecclesiæ fabricam datis, iterum ad præfatum marchionem transitum fecit, et ab eo, sicut et prius, dato pretio villulam contiguam, nomine Clusam, et ædificandis villulis congruas terras nihilominus contiguas acquisivit. Ut autem libertatis loci pro qua satagebat scrupulus omnino A nullus inesset, Taurinensem pontificem, qui Amizo dicebatur, adiit, et oblatis quæ tantum virum decebant muneribus, cunctis iterum locum solvi conditionibus cum anathematis etiam interpositione favorabiliter impetravit. Indeque Romam profectus omnium prædictarum sponsionum tam pontificis, quam marchionis tenores, omnemque sui operis ordiens historiam papæ Sylvestro * retulit, et ejus ad præsens principis apostolorum auctoritate, postea vero imperatoriæ majestatis corroborari locum litteris et nomine fecit. Ne autem aliqua dubietas ex his quæ relata sunt in cordibus fidelium possit oriri, testis et ipsa familia.

Igitur venerabilis papa Nicolaus, quod nomen victoriam populi nimirum catholici sonat narratio- B nis hujus ordiendæ laudator et præceptor exstitit, ut cunctis legentibus innotesceret, prædicti loci curam specialiter ad sedem apostolicam pertinere.

Anno igitur 966 Incarnationis Dominicæ, constructis, ut fertur, in eodem loco feliciter officinis cœnobialibus, prout erat possibile, cum ille vir illustris Hugo in armis strenuus, sed in Dei rebus circa finem magis devotus, locum quem, sicut supra retulimus, pretio sibi ut proprium vendicaverat, et apostolica auctoritate seu præceptis regalibus munierat, abbati duntaxat ac monachis habendum tradidisset, postquam etiam S. Joannes eremita, necnon et beatæ memoriæ Atvertus abbas migrassent ad Dominum, successit ei in regimine, fratrum consensu et electione vir simplicitatis et prudentiæ me- C rito, Benedictus nomine.

II.

.... Non ignoras, conscende intrepidus: et cum omnia quæ tibi furto ablata verebaris, ibi collecta inveneris, opus quod imperaveram, in eodem loco perficere ne cuncteris..... morabatur.... angelica revelatione cœpit honori et amori haberi ipsa regio, quæ antea inculta et vilis habebatur. Venerabilis quoque præsul Amizo ad locum appropinquans, in castra hospitatur Avilliano. Ecce autem circa noctis medium, dictu mirabile! immensus ignis instar magnæ columnæ e cœlo super montem descendere, suisque flammis coruscis aere sereno totum circum lambere. Cujus novitate miraculi populi stratis exciti, supplices ad cœlum manus tendere, pectora pugnis tundere. Vociferantur cuncti Pyrchirianam penitus exuri. Tollitur clamor ad sidera Episcopus ipse, tanto rumore attonitus, surrexit, partemque rutilæ lucis jamjamque recedentis contemplatus, sic ait suis: « O quam metuendus est locus iste! A Domino vere factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Hic est ille ardens rubus in quo Moysi quondam apparuit Dominus. Hic est mons alter Sina, igneam legem per dispositionem angelorum accepturus. » In crastinnm igitur cum ad locum ventum fuisset, et honorabilis pontifex cum venerando cœtu foribus humilis basilicæ astitisset, aspexit ab alto tanquam olei liquorem effluere, et effigiem crucis humore crasso per ecclesiolæ quosdam scopulos eminentes apparere. At ille obstupefactus et cum omni populo terrore perculsus, humilis ingreditur, et humi prostratus, archangelo mediante a Dominatore cœli et terræ per- D fectum finem tantæ virtuti obnixius imprecatur. Oratione autem finita, cum oculos lacrymis suffusos levasset, videt titulum miræ pulchritudinis erectum, procul dubio manibus angelicis coaptatum, et balsamo atque oleo per circuitum supraque affluenter sudare, in tantum ut ad terram usque videretur effluere. Quod cernens accepto festinus linteo, oleum reverenter extersit, et sic operto titulo missarum ibi solemnia devotissime celebravit. A linteo vero, quo sacra extersa est ara, quanta processerit virtus, non est nostræ facultatis evolvere: quia non imbecillis, non a dæmone possessus, non qualibet infirmitate detentus aliquis inde tactus est, quem

inexpertem divinæ pietatis mox sanitate recepta virtus archangeli permiserit existere. Tantis pius antistes miraculis motus, anachoretæ precibus, et ab honestis nobilium personis qui adfuerant exoratus, cum interminatione sempiterni anathematis constituit ut a suo successorumque suorum sæculari dominatu vel impedimento liber esset per sæcula locus : ea ratione ut si quis ejus constitutionis in posterum contemptor fieret, apostolicæ sedis esset judicii reus.

Ab illo tempore itaque sanctus eremita Joannes usus cellula juxta posita, montem solus incolere cœpit, et sanctus Domini archangelus, loci sui dilectorem et provisorem se esse luce clarius manifestare non distulit. Non multum namque temporis effluxerat, et ecce viri sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina, necnon et ejusdem sancti archangeli patrocinia in monte Gargani adire festinabant. Cumque in Segusiana valle positi præscriptam ecclesiam in summitate montis, tanquam in specula sitam, conspicerent, ignari rerum, a quo constructa, vel cujus nomini dicata esset, studiose requirunt. Quibus cum senex nuper gesta retulisset, unus illorum, qui podagræ morbo graviter vexabatur, lætus valde effectus, socios hoc modo affatur : « Nostis, o sodales, quanto pedum meorum torquear dolore, et quam sæpe vos offenderim in hoc itinere mea tarditate. Unde quoniam ad illum sanctum Gargani montem, sicut proposueram, nequeo pertingere, obtestor per eum quem animarum fidelium ducem post mortem maxime credimus, ut liceat mihi saltem istud sanctum oratorium illi dicatum invisere, eumque ut in hora exitus sit animæ meæ propitius exorare : vosque ipsi aut mecum pro vestra mercede ascendatis, aut in montis calce reditum meum maturum exspectetis. » At illi in eum maligne tumultuantes ita illi exprobrant : « Quid est, miser homo, quod loqueris? Quo nisu vales per aspera et ardua scandere, qui plana viæ læderis planitie? Abi quo vis, insane, dispereat qui te exspectaverit. » Tunc ille, deserto comitum contubernio, sumptaque fiducia ex amore archangeli, quod impossibile putabant aggreditur, et magis genibus et manibus reptando, vix tandem victor optato potitur desiderio, intransque ecclesiam uberrimis humectavit solum lacrymis, et inter vota et preces, quas ex affectu intimo fundebat, Domino ejusque archangelo quod sit derelictus a viris, suæque facit mentionem infirmitatis. Interea, ut assolet fieri, præ labore et mœstitia somnus hominem corripit, et post aliquot horas sopore solutus, coram altari sancti Michaelis in monte nimirum Gargani sese sospitem et incolumem invenit. Quanta tunc flens largitur ibi, quæque lacrymarum præ gaudio fuderit flumina, si velet exprimere Tulliana, nisi fallor, succumberet facundia. Fortassis quod loquimur, pro sui novitate et miraculi magnitudine cuilibet videatur incredibile : sed, o tu qui inde ambigis, veterem Danielis historiam non te pigeat retexere, et quo pacto angelus Domini per terrarum tot spatia Habacuc per capillum Danieli in lacu Babylonico sedenti et famelico asportaverit, si ratione nunc comprehendis, indubitanter actum crede. An negabis, incredule, quod tunc factum est per angelum, non potuisse nunc fieri per summum archangelum? Vir igitur ille cum suæ sospitatis auctori quantas potuit gratiarum persolvisset actiones, lætus et exsiliens inde repedabat. Jamque Romam transierat, cum infidi comites ejus nondum ad Urbem pervenerant. Quem cum sibi obviam eminus redeuntem contemplarentur, admirantes mutuo alter aiebat ad alterum : « O Deus, quem video! num iste noster socius, qui apud Clusam a nobis est relictus? » Et alter : « Non est, ait ille, sed similis ejus. Nam ille podager, iste incedit firmus et incolumis. Sed quid? Certe is ipse est. Salve, bone vir. » At ille : « Salvete vos, o boni sodales. — Quid est hoc, inquiunt? Quis te huc aut quomodo sanus effectus es? » Quibus cum præscripti miraculi seriem retulisset, tantæ rei novitate attoniti dixerunt ad eum : « Num ista sancto apostolico per ordinem non aperuisti? revertere nobiscum, ingrate, revertere, et narra quanta tibi Deus fecerit. » Et ille : « Faciam ita, tametsi vos non promeruistis. » Rediit, narravit et ad amorem venerabilis hujus loci Romam matrem civitatum accendit, totaque Italia, qua veniebant, hujus miraculi fama pertonuit.

Per idem tempus imperante Ottone juniore Augusto, quidam nobilium, Hugo nomine, de Arvernensi comitatu, cum propria uxore..... turbatur anxietate. Nitebatur Petrum.... spem miserorum lacrymosis suspiriis nec se palam prodentibus ut sui misereretur inflectere, quia palpitabat lingua mala contusione, quæ peccatum celando solet accumulare, et erubescebat fateri quod non erubuit perpetrare. Tandem coactus uxori suisque circumstantibus quo cruciaretur igne . . . . . . et secundum post baptismum.... quidem prima me comprobat apostatam, hostis abrenuntiationem. Assentio, confiteor, abrenuntio, et a fonte David, qui in ablutionem menstruatæ patet, per ministerium domini mei Petri consilium requiro. Hæc querimonia dulcia Romanæ pietatis viscera concussit, et tantorum criminum reus de constructione unius cœnobii ubi perpetualiter a monachis Deo serviatur, sponsionem fecit; exigentibus tam memorato papa quam ministris apostolicis. Purgatus itaque tali pœnitentia et confessione, sic demum limina sancta ingredi et locum vestigiorum Domini promissus est osculari. Et facere gestiens quod promiserat, ad propria cœpit cum gaudio regredi.

Emensis igitur longioris viæ spatiis, cum boni desiderii plenus una cum uxore suisque Segusiam venisset, et in familiari sibique nota domo cum vetere amico hospitatus esset, ab eodem hospite causa familiaritatis diligenter cœpit inquiri qualiter cursum explesset itineris sui. Seriatim cuncta retulit, et universæ rei quam prefati sumus mirabilem

notitiam dedit. Attonitus hospes tanti stupore miraculi, simulque laudibus diutius immoratus omnipotentissimæ misericordiæ Domini, dixit ad eum : « O domine Hugo, si desideras boni viri compos existere, nulli alii melius post gratiam principis apostolorum, quam principi cœlestis exercitus archangelo Michaeli te decet cœnobium construere, ut, dimissis omnibus peccatis tuis, inde exitus tui de hoc exsilio animæ tuæ iste sit ereptor, et Petrus receptor. » Simul etiam locum præfatum, quam proximus, videlicet XII millibus, esset, ostendens, et præfatorum miraculorum nobilissimam narrationem prosequens, animos viri jamdudum ad id intentos exhortationis bonæ scintillis accendit Atque sic tandem et verba salutis, et diem quo fessi venerant nox subsequens clausit. Adest archangelus per visionem soporatis utrisque conjugibus, et eadem specie eisdemque verbis conspicitur et auditur a duobus. Hortatur et imperat, ut in loco quem hospes designaverat, totius consilii vires figat, et absque dubitatione monasterium fabricans, animæ suæ cœleste se construere palatium non diffidat. Vir post revelationem prior evigilat, et tum uxori, Insengardæ nomine, totius tenorem visionis narrat. Postquam et ipsa retulit suæ concordiam visionis, ocior stratu se proripit, et hospitibus sciscitatis quomodo melius ad effectum res ducatur, sagaciter consilium quærit. Tunc uxor hospitis Eva melior consiliis Evæ prioris, quæ sero contulerant (nam his ipsa plurimum institerat) narrationem archangelici montis corroboratam gavisa, una cum viro quantis valet ingeniis omnes directos aditus incipiendæ faciendæque rei perquirit. Tandemque simul conferentibus sani vena consilii a fonte Sapientiæ Patris processit, qui in Evangelio suis promittit fidelibus, dicens : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Igitur levaturi tanti molem palatii Hugo et uxor ejus, omnibus modis arenam nocituram prudenter explorant, et eam obstruere felici conamine parant, ut supra firmam petram secure fundamentum nunquam casurum jaciant. Ascensis ergo diluculo vehiculis, Hardoini marchionis curiam, quæ XIII tantum millibus in castro Avilliano tunc aderat, celeriter adeunt, eumque ibi cum uxore nihilominus nutu Divinitatis, ne diutius fatigentur, inveniunt. Nobiles et elegantis habitudinis peregrini ex cismontanis partibus advenisse principi nuntiantur, moxque ab eo secuti. Nobilibus mos quodammodo naturaliter inest, si boni sunt honorifice suscipiuntur. Adventus causas exponunt, et licentiam construendi cœnobii in memorato multoties loco petunt ; ea videlicet ratione, ut gloriosus marchio quantum vellet auri vel argenti, mulorum cæterorumque vehiculorum, quæ adduxerant, optimam copiam benigne reciperet, et locum ab omni sua prohæredumque suorum sæculari potestate scripto judiciali solveret ; quatenus in posterum Deo inibi servituris, a cunctis quæ sæculi potestatibus vel ex debito, vel ex terrore fiunt expedita libertas conditionibus esset. Liberalissimus princeps libenter annuit, et in primis gratis quæ petebantur exsequi volens, postmodum saniori consilio pretium quod justum est benigne recepit, et evangelico exemplo, quemadmodum de pretio Domini emptus est ager in sepulturam peregrinorum, monachis sæculo morituris in eodem loco pretio vitalis sepultura proveniret, et futuris temporibus refragandæ cœnobii libertatis occasio nulla foret. Post hæc ad hospitium lætus Hugo regreditur, et consilio nihilominus hospitis virum, cui tutelam loci committeret, quæsiturus. Interim quia viæ occasio se præbuit, cum paucis ad montis cacumen, habitudinem loci visurus, potius animi quam vi corporis (nam via erat difficillima) trahitur. Æstu ergo vel labore fessus admodum, imo siti nutu Dei deficiens, ad pedes eremitæ, cui ecclesiæ contigua erat cella parvissima, prosternitur ; et ut archangeli, si non humano consilio, tanti periculi medelam quantocius inveniat, deprecatur. Audivit ab illo aquam in proximo non haberi ; vinum autem in ampullula parva, quæ ad unius missæ celebrationem vix posset sufficere, contineri. Penes se nil omnino remedii fore. Nam virtutem archangeli procul dubio omnia posse. Instante quem sitis et æstus periculum coartabat, eremita tandem pietate concitatur, et archangelum, si status loci sibi placeat, devoti viri mederi periculo deprecatur. Mox, mira dicturus sum, prædictam cernit ampullulam, quasi ab imo scaturiente vena fontis inundare, et summum archangelum virtutem visibilem exhibere. Quantum oportuit potati sunt qui venerant et accepta benedictione redeuntes, sicut prædiximus, virum tutelæ loci congruum (nam eremitæ nulla jam nisi de cœlestibus cura erat) reperire desiderantes ad hospitium properant Retulit hospiti vir Deo devotus quod acciderat, et inter verba locutionis æstu boni desiderii non minus quam prius siti corporis æstuans, iterum atque iterum de loci tutela, cui opportune esset committenda, verbum repetebat.

Aderat ibi quidam nutu Domini vir religiosus ordinis monastici, nomine Atvertus, qui in Lisathio monasterio abbatis prius officio functus, atque ab hoc a contrariis sanctæ religionis expulsus, tunc a liminibus apostolorum regressus, in eodem per aliquot dies fuerat hospitio remoratus Hunc, ait hospes, ut reor, gratia divina providit, qui non ut novus, sed expertus officii monastici, parvas expensas adhuc incompositi locelli spiritu pauper amore religionis amabit : et humili suæ paupertatis obsequio servituris in posterum Christo, quæ satis sint divitias aggregabit. Auditis his venerabilis peccator Hugo in laudem Redemptoris attollitur. Præfatum ergo virum religiosum Atvertum multis precibus vincit, et relictis quantum ad præsens ut peregrinus poterat necessariis, ei locum committens, citius rediturus ad sua, cum gaudio rediit.

Exinde vir Deo plenus Atvertus omnino plena

devotione satagens opportuna monachis ædificiola secundum situm loci (nam scopulis asperrimum erat) cœpit construere, et quidquid usquam colligere poterat, modico victu contentus, ad id solum expendere. Tempore constituto sicut promiserat Hugo rediit, et omnibus necessariis impensis ad perficiendam ecclesiæ fabricam datis, iterum ad præfatum marchionem transitum fecit, et ab eo sicut et prius, dato pretio villulam monti contiguam, nomine Clusam, et ædificandis villulis congruas terras nihilominus contiguas acquisivit. Ut autem libertatis loci, pro qua præcipue satagebat, scrupulus omnimo nullus inesset, Taurinensem pontificem, qui Amizo dicebatur, adiit: et oblatis quæ tantum virum decebant muneribus, cunctis iterum locum solvi conditionibus, cum anathematis etiam interpositione, favorabiliter impetravit, indeque Romam profectus, omnium prædictarum sponsionum tam pontificis quam marchionis tenores, omnemque sui operis ordiens historiam, papæ Silvestro retulit, et ejus ad præsens principis apostolorum auctoritate, postea vero etiam imperatoriæ majestatis corroborari locum litteris et nomine fecit. Post hæc quoad vixit omnia monasterio secundum posse necessaria vel attulit, vel direxit, et exinde cœnobium incrementis opportunis ex tempore Deo favente meritis hactenus archangeli crevit, et variis miraculis coruscans diversis populis gratum et venerabile fuit. Ne autem aliqua dubietas ex his quæ relata sunt in cordibus fidelium possit oriri, testis est prædicti Hugonis filius Mauricius, testis et ipsa familia, quorum vel suis vel parentum proximis diebus tantis indiciis angelica virtus dignata est propalari.

Igitur venerabilis papa Nicolaus *, quod nomen victoriam populi nimirum catholici sonat narrationis hujus ordiendæ laudator atque præceptor exstitit, ut cunctis legentibus innotesceret, prædicti loci curam specialiter ad sedem apostolicam pertinere: et quisquis fidelium in fine caducæ atque transitoriæ vitæ pennis angelicis ad cœlos optat evehi, contra locum quem Michael princeps angelorum dilexit et elegit, vereatur aliquid iniquum moliri: quatenus in domo sua absque scissionibus cordium cum pace, quæ hominum bonæ voluntatis propria est, sit nomen Domini semper benedictum, qui omnes suos spiritus administratorios propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, implere gratuite in ecclesiæ suæ mittit ministerium.

Anno igitur 966 Incarnationis Dominicæ constructis, ut fertur, in eodem loco feliciter officinis cœnobialibus, prout erat possibile, cum ille vir illustris Hugo in armis strenuus, sed in Dei rebus circa finem magis devotus, locum, quem, sicut supra retulimus, pretio sibi ut proprium vindicaverat, et apostolica auctoritate, seu præceptis regalibus muniérat, abbati duntaxat ac monachis habendum tradidisset; postquam etiam sanctus Joannes eremita, necnon et bonæ memoriæ, Atvertus abbas

A migrassent ad Dominum, successit ei in regimine fratrum consensu et electione vir simplicitatis ac prudentiæ merito Benedictus et nomine. Hic cum plurimis floreret virtutibus tanta dicitur charitatis affluentia refertus et hospitalitatis liberalitate munificus, ut omnes ad se venientes et montis ardua ac archangeli patrocinia petentes, maximeque Gallorum, Aquitanicorum et Hispaniarum populos Romam adeuntes, libentissime susciperet, et quæ fratrum tantum usibus poterant competere benignus impertiret. Cujus quamplurimi gratiam admirati (erat quippe moribus et canis angelicis decoratus) aiebant: « Ecce vir prudens qui ædificavit domum suam supra petram, in cujus ore dolus non invenitur: quo fideli dispensatore archangelus Domini

B gratulatur, et hujus loci fama sua ubique extendit insignia. » Cœperunt namque nonnulli, et præcipue de Ultramontes, ad hunc locum gratia religionis concurrere, et sæculo renuntiantes sub illo sene glorioso normæ regulari sese subdere. Langobardi enim quamplures, fulti inimica fidei calliditate, haud facile acquiescunt monachalem habitum suscipere. Multi vero nobilium atque divitum gratiam cupientes referre ejus benedictionibus, qui sibi principem angelorum conciliarent in die sui exitus, alii ditaverunt locum suis honoribus, alii tradebant pueros suos Domino educandos immaturis teneros ætatibus. Est namque locus ab omni impedimento et sæculari tumultu semotus. Nullus hominum seu animalium ibi perstrepit, clamor atque rugitus

C jacet. Porrecta Italiæ planities suos jucunda lacis ac fluminibus humanos interdum quæ valeat recreare visus Tepidæ sunt hiemes, æstas vernum imitatur tempus Mens Deo famulantium tali tota quiete, et admonita quamlibet pulchra rerum opportunitate, vociferatur, jubilando frequenter cum exsultatione: « Magnus Dominus et laudabilis valde in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. »

Dilectus itaque Deo et hominibus ille venerandus senex Benedictus optime agens gregis commissi custodiam, utpote pastor egregius, sanctitatis gratia claruit suis temporibus, ampliavitque monasterium favente archangelo rebus, personis et honoribus. Et cum a plerisque hospitibus et monachis quasi pro consilio hortaretur magnorum cœnobiorum tu-

D telæ et ordinationi locum suum committere, eorumque consuetudines admittere non acquiescebat, dicens: « Sinite, fratres, sinite Patris nostri Benedicti Regula parvitatem nostram contentam esse, quæ, si quod videtur addendum, abbatis admittit arbitrio supplendum pro ratione et tempore: non ita est ut dicitis; videtis locum conductu difficilem et arduum, altera consuetudine modificandum. Neque enim humano quolibet indiget magisterio qui angelorum sæpe fruitur solatio, tantique provisoris gaudet patrocinio, et satis metuendo quandoque additur ministerio. In hoc nimirum monte nullus est locus crimini nec est fas sub ejus conspectu scelerato latebras delitescendo,

etiamsi uspiam in monte facinus committitur, sacras jaculatur et arces, adeo ut plerosque terreat innocentes. Neque novit igneum ponere tumultum, donec quod humanum latebat oculum, et manebat inultum, satisfactione et confessione forte fiat indultum. » Sic Pater inclytus aiebat, sic apostolica disertus simplicitate callebat. Regulam tantum almi Patris et eximii ducis monachorum Benedicti suadebat perscrutari et observare debere, et super ea clamare. Cæterum in cujusque abbatis arbitrio ordinationem sui monasterii pendere. Quod ejusdem loci conventus usque hodie habuit celebre.

Prætereundum silentio non arbitror quoddam miraculum quod sanctæ memoriæ Aicius prior, æque ipso actu reverendus, de abbate jam dicto referre solebat. Cujus ob hoc testimonium veritate creditur subnixum, quia fuit homo, ut aiunt, ad unguem factus, et in religiosa conversatione totus sibi teres atque rotundus. Qui inter cæteras animi virtutes quibus admodum pollebat, discretionis gratia, quæ omnium virtutum genitrix, custos ac moderatrix, Patrum diffinitione prædicatur, fuit ita præditus, ut nullius diei feriati atque profesti occasione, solitæ ciborum districtioni seu quantitati quispiam addere vellet aut demere. Constans semper in sancto proposito, et vigiliis crebro inserviens, flagris proprium corpusculum coercebat; operi manuum et lectioni sedulus operam dabat. Castus mente et corpore, tandem multiplicatus in senecta uberi concessit naturæ. Cujus sepulcrum recentes aperientes quidam fratrum ejus alumni, quadam curiositate ducti, mira odoris fragrantia sunt repleti. Hic namque, inquam, prior de illo venerabili Benedicto asserebat, quod moris illi fuerat beatæ Mariæ Genitricis Domini et Salvatoris nostri laudum officia nocte dieque ante ejus venerandum altare, quod
A illius gloriosæ et incomparabilis imaginis præsentia insignitur, devote ac solemniter agere. Quod opus cum nullatenus intermitteret, nocte quadam lecturus ibi ex more lectionem lucernam ipse tenebat, quæ venti flamine, ut assolet fieri, exstincta est. Quo casu cum pro lectionis dilatione magis anxiaretur, de cereo qui ante sancti Michaelis altare perpetuis fovetur ignibus, subito sese flamma prorupit, et in manu illius non sine fratrum admiratione lucernam accendit. Quod ubi Dei famulus vidit, vehementer obstupuit, et solotenus prostratus diutius adoravit, et fratribus quoad viveret, ne cui miraculum proderent, interdixit. Quid plura? Annis XI et IIII monasterium viriliter rexit, tandemque sicut oliva fructifera in domo Domini in pace quievit. Tale
B habuit sanctus ille locus sui primordii incrementum talibus gloriatur auctoribus, et tam gloriosus quam venerabilis extunc et nunc cunctis exstitit gentibus, exceptis Taurinensibus, qui tanquam Scyllæi canes, semper oblatraverunt, et livido oculo cœnobii commodo obliquare non cessaverunt. Eorum tamen dentes, omniumque male loco insidiantium vites archangelus ita potenter obtrivit, ut si non voce, rebus equidem clamaret: « Qui hos tangit, quasi si tangat pupillam oculi mei. » Nemo enim locum seu illa quæ juris ejus sunt, aliquando injuriis impetivit, et illæsus abiit. Vocatus et non vocatus adest, et sibi in aula sua digne famulantium, seseque humiliter deprecantium vota benignus attendit, et ab ore sævissimi draconis incessanter protegit.
C Illius ergo quem cœlestis curiæ primatem, o grex Clusine specialiter tibi delegisti, innitere patrocinio. Illum te decet præ omnibus venerari et glorificare cultu perpetuo, qui te sub umbra alarum suarum pie fovendo sic defendat in prælio, ne damneris sine me in tremendo judicio. *Explicit.*

VITA V. BENEDICTI

ABBATIS CLUSIENSIS,

AUCTORE WILLELMO MONACHO, EJUS DISCIPULO.

(Mabill. *Acta ord. S. Bened.*, t. IX p., 697.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1 Clusinum Sancti Michaelis monasterium olim insigne, in diœcesi Taurinensi ad Pyrchiriani montis radices situm est, nempe ad Clusas seu Alpium fauces et augustias, quas Carolo Magno in Italiam procedenti Desiderius Langobardorum rex præcludere frustra tentavit. Hujus loci sæculo XI duo fuere ejusdem nominis abbates, Benedictus major, et Benedictus minor. Utriusque res gestas litteris complexus est Willelmus, ejusdem loci monachus, Benedicti junioris discipulus et familiaris: quod Willelmus ipse in prologo sequenti testatur. Verum prioris Benedicti acta excidisse suspicamur. Tempus quo is vixit colligimus ex consilio Lemovicensi anni 1031, in cujus actis « Benedictus rector monasterii Clusæ sancti Michaelis, » ut præsens, laudatur. Hoc enim elogium non potest convenire Benedicto juniori, qui obiit anno 1091, « pastoralis curæ vicesimo quinto; » ac proinde eam dignitatem non adiit ante annum 1066. Dies obitus Benedicti junioris assignatur « postrema dies Maii » in versibus vitæ præfixis. « postera » eodem sensu in ejus epitaphio. Itaque de eo interpretandum est Necrologium abbatiæ Sancti Ægidii Nemausensis: « Prid. Kalend. Junii obiit Benedictus abbas Clusæ. » Consentit Necrologium Sancti Benigni Divionensis. Utrumque Benedictum omisit Franciscus Augustinus in Chronologia Pedemontana.

2. De Clusensis abbatiæ origine et auctore non una est omnium sententia. Sibi non constat chronographus Malleacensis, cum nunc anno 872 « Clusense cœnobium sancti Michaelis inceptum » dicit : nunc centum post annis id factum commemorat, id est eodem tempore quo cœnobium Sancti Michaelis de Monte conditum est. Chronographi hæc verba sunt : « Eo tempore inceptum erat aliud monasterium de Sancto Michaele de Clusa a sancto Joanne episcopo et eremita : ubi primus abba fuit Arveus. » Joannem hunc Ravennæ episcopum fuisse ferunt. Verum alia est opinio Francisci Augustini, qui Clusensis monasterii auctorem non Joannem episcopum, sed Hugonem Marinum, præpotentem (ut ipse loquitur) « Auvergnacum, » et Montis Buceri dominum, qui dum Roma ad patrios lares rediret, cœnobium istud construi, ejusdem ecclesiam ab Anucco Taurinensi antistite dedicari curavit anno 966. De auctore certum est ex Vitæ sequentis cap. 3 hunc fuisse Hugonem qui eumdem locum apostolicæ sedi commisit privilegiisque decoravit : at quis qualisve fuerit Hugo ille, Guillelmus non exprimit. Certum vero est veterem hanc esse Clusiensium monachorum persuasionem, Hugonem fundatorem suum Arvernum, et quidem ex genere dominorum de Monte Buxerio fuisse : id quod testantur litteræ abbatis Sancti Michaelis de Clusa, anno 914 datæ Ludovico Montis Buxerii : qui « sequens progenitorum vestigia, et præsertim gloriosæ memoriæ domini Hugonis, inquit abbas, domini quondam Montis Buxerii, fundatoris nostri, a cujus clara progenie per rectam lineam noscitur traxisse, donavit nobis octies centum aureos » quas litteras ex tabulario marchionis de Dyene noster Claudius Stephanotius eruit. Cætera videsis apud Franciscum Augustinum. Pontius abbas Vizeliacensis, frater Petri abbatis Cluniacensis, « de Clusino monasterio assumptus est, » ut legitur in brevi Chronico Vizeliacensi apud Labbeum tomo II Bibliothecæ novæ. Modo Clusensis abbatia collegium est perpaucorum canonicorum sæcularium.

PROLOGUS

1. WILLELMUS, famulorum Christi minimus, GERALDO armario. Meminit bene fraternitas tua, Geralde charissime, quoties fratres mei quamplurimi invitaverint parvitatem meam suis crebris hortatibus, ut de vita et actibus Benedicti junioris, quondam abbatis nostri, meus aliquanta percurreret calamus. Quare, inquiunt, noctes diesque stertendo, commissa tibi pecunia ligata in sudario, si marces otio ! Cur pateris, ut acta Patris nostri egregia, sub tuis etiam oculis patrata, temporis longævitate fiant oblita quæ non ignoramus, si scriberentur, multis profutura ? Ad quos ego : Nolite, inquam, fratres mei et domini, nolite me sic illudere. Ego solus novi mei quid valeant humeri, quid ferre recusent. Novi certe vires ingenioli mei, tenues satis et pigras, cui utique parum sit eloquentiæ atque minus sapientiæ ; sunt complures ejus alumni in Clusino cœnobio, qui me præcellant peritia seu vitæ merito, quorum pervigili studio hoc opus committendo non ambigo. Et tu, inquiunt, doctrinæ illius lacte, et fortium actuum solido cibo ab ipso ferme pueritiæ tempore educatus, in virile jam robur evaseras, instituta disciplinæ ejus, sicut et nos omnes, sitibundus hauseras, nec te patiemur aliquatenus de isto tanto duce nostro, qui nos omnes collegit, aluit instar piæ genitricis, misericordiæ gremio fovit, seu mutum et penitus elinguem reticere, qui dudum veteris Benedicti hujus quoque loci abbatis studuisti gesta quædam stylo commendare. Age igitur, age, incipe omnimoda occasione seposita : quia etsi imperitus es sermone, non tamen scientia.

2. His et hujuscemodi excitus rationum flatibus dum in portu silentii et quietis securus navigo, ab subeunda onera quæ mihi charitas de fraternis cordibus imperat, cui reluctari fas non est, obedientiæ humerum subdo. Spero equidem ipsius obedientiæ remo cymbam nostri operis sic gubernari, ut tuta et illæsa transeat inter Scyllam et Charybdim sæva maris pericula, evitando Circeos ac Sirenarum illices cantus aure surdissima. Tuum quoque nihilominus, o Geralde, studium appulit animum meum ad scribendum, qui multos annos ceu apes prudentissima circumvolitando loca quæque ac monasteria, non cessas deflorare melleas Patrum sententias ac volumina, unde nostra compleas armaria, potioribus videlicet thesauris Crœsi opibus seu gazis opulentis Arabum, quibus augendis incubas, et sedulo custodis quasi cellas aromatum. Inter quos, domno Ermengaudo abbate jubente, placeat tibi hoc nostri libelli munusculum, licet pauperculum, admittere, quod ergo in tabernaculo Domini, qui non spernit caprinos humilis confessionis pilos, studui offerre, perfuso jam vertice florida mitique canitie. Sed ne jam videar

Delfinum silvis appingere, fluctibus aprum

ad ea quæ de viro proposuimus, accingamur ; quæ, tametsi abjecta videri poterunt pro dictorum inurbanitate, erunt tamen, ni fallor, accepta et chara suis discipulis, pro ipsorum factorum et materiæ notissima qualitate.

Contigit ex æquo nomen tibi qui Benedictus
Moribus implesti nominis officium.
Tu gregis et plebis doctor bonus, ac moderator,
Justitiæ limes ac pietatis eras.
Grex tibi commissus Patris exsequias celebravit
Mai postrema prætereunte die.

TEXTUS VITÆ IPSIUS.

3. *Benedictus Tolosanus. Fit monachus. Clusium se recipit.* Benedictus itaque Dei famulus, patria Tolosanus, parentibus nobilitatis titulo non obscuris fuit progenitus. Quos tamen ipse magis insignibus sanctæ conversationis præconiis nobilitavit, dum lucifer matutinus ac sidus aureum noctis umbras decutiens, astra quæque suis luculentis radiis exsuperavit. Hic cum adhuc bonæ indolis esset parvulus, a patre, Bernardo nomine (1), viro bono et Christianissimo regulari norma informandus in monasterio Sancti Hilarii (2) est traditus, ubi pueritiæ et adolescentiæ caste et sobrie vivendo annos exegit, intentusque divinis, nec non et sæcularis litteraturæ studiis, sub patris custodia juvenilia corporis desideria frangendo edomuit. Sed cum tandem idem cœnobium a regulari tramite aliquantisper exorbitare animadverteret, timens ne forte ordinis dissolutio remorantem paulatim in præceps traheret, simulque accensus spiritualis profectus desiderio, ad Italiam venit, ubi ab abbate monasterii Sancti Michaelis, quod in ipsis Italiæ faucibus summus vertex Pyrchiriani montis specie ac religione venerandum cunctis ostendit gentibus, benigne susceptus est.

4. *Fit sacerdos.* Cœpit itaque in dies virtutum exercitio magis magisque in Deum proficere, morum lenitate et affabilitate in amorem sui cunctorum animos mirum in modum accendere divinæ philosophiæ rivulos inhianter haurire; certare cum adolescentibus de subjectione, cum juvenibus ipse juvenis de fortitudine cum senibus ipse maturus de gravitate. Et cum forte omnes honestatis et utilitatis gratia anteiret, æque tamen omnibus charus, nulli invidiæ fomitem ministrare. Unde factum est ut, merito fratribus cunctis annuentibus et abbate jubente, ad sacerdotium promoveretur: cujus officii dignitate ita humiliter et reverenter functus est ut sese indignum mentis judicio semper clamitans, vel post aliquot dies ad altare oblaturus accederet. Nonnunquam vero postea de prædicante didicimus cum se missas agere in die proposuisset, exspectabat si forte a priore illud ei juberetur, indubitanter credens oblationem suam virtute obedientiæ apud Deum commendari, quæ Scripturæ testimonio holocautomatibus jure præfertur et victimis.

5. *Abbas eligitur.* Defuncto denique illo abbate, et adhuc manente insepulto, ne forte improba lues Taurinensis præsulis sese contra canonum et regulæ sancta decreta ex more interponeret, pie et unanimiter, præsente Airaldo (3) Bremetensi abbate, viro religionis ac sapientiæ titulo id temporis famosissimo, omnium fratrum conclusus est cœtus de Patris electione sub aspectu archangeli sui pii tutoris simpliciter acturus. Tunc lecto in abbatis ordinatione Regulæ capitulo, et a præfato abbate clare aperteque exposito, alii alium, ut assolet, acclamare, alii alium; quidam quidem Bertrannum, quemdam Cumiliacensem, qui et satis homo humanus et benignus erat, plurimum quoque habens religionis zelum, et secundum scientiam. Plerique vero Aicium priorem monastici ordinis eruditissimum et disciplinæ severitate insignem Stabat autem Benedictus noster de morte Patris defuncti motus, et quasi pro ejus funere sollicitus. Fuerat quippe illi genere propinquus, omnes superiores sibi fratres humiliter existimans, nihilque minus quam de sui promotione animo pertractans, cum subito vota ac judicia omnium hinc inde reducta in hunc unum conveniunt, ut ne unius quidem favor ab eo dissentiret Una omnium voce, una sententia, quamvis clamans multumque renitens capitur, et electus ad ecclesiam cum laudibus ducitur Hæc de ejus electione, quam puro intuitu justoque ordine Dei nutu acta fuerit, paucis absolvere curavi, ut evidenter pateat lectori, vivum lapidem Dei Benedictum, et columnam veritatis tali fundamento et base sui introitus innitentem, merito non potuisse ullis futuris tribulationum turbinibus concuti aut perturbari. Antehac enim in Italia per aliquot annos vix alicujus prælati electio audita fuerat, cui vel regia manus, vel quælibet perniciosa et sæcularis ambitio non subriperet.

6. *Ejus electioni episcopus Taurinensis contradicit.* Non tamen tunc defuit solitus antiqui hostis livor et invidia. Cum enim hujus tam justæ electionis non modo Ecclesiæ filii, verum totius Italiæ marchiones et duces, populique applauderent universi, solus Taurinensis pontifex Chunibertus (4), qui ex bonis initiis malos eventus habuit, superbiæ typo intumuit. Et cum fratres electi sui consecrationem ab eo postularent, bestiali fremitu indignans, in hæc verba contumeliosa et blasphemiæ plena erupit: « Quis est, ait, iste Benedictus, quibusve ortus majoribus? Qua audacia seu auctoritate, vel a quibus me absente electus? » Ad hæc cum fratres canonum ac Regulæ suæ auctoritatem prætendentes dicerent hujusmodi electionem illi non deberi, nisi forte monachi vitiosam pravamque personam ex consensu

(1) Is mortem obiit in monasterio Clusino, infra, cap. 20.

(2) Hoc S. Hilarii monasterium situm in urbe Carcassone.

(3) Simile exemplum habes in sæculi superioris, pag. 781.

(4) Durius quidem in Chunibertum auctor loqui videtur, sed ipsa Chuniberti agendi ratio in aliis, non parum censuræ meretur, ut qui permittebat, ut clerici Ecclesiæ suæ, cujuscunque *ordinis, velut jure matrimonii confœderarentur uxoribus.* Quod ipsi improperat Petrus Damiani in epistola ad eum scripta: et qui a Nicolao papa excommunicatus fuit, quod in conventu Mediolanensi cum aliis quibusdam episcopis concessit clericis facultatem habendi uxores. Vide infra capp. 8 et 11.

sibi prætulerint, consecrationem autem duntaxat boni electi suam fore. Tunc vero satissuperque confusa bile efferatus efferbuit, tumensque jurgio inquit : « Absit hoc, absit illud jus detestandum, ut per vos seu per Regulam vestram, ut asseritis, iste, mihi præsertim ignotus, introeat ! Mea est electio, meus erit abbas meique juris, mihi uni obtemperans, familiaris domesticus ac subditus. Sicut enim accipiter dum molles urget columbas, quam sibi voluerit unguibus rapit, haud aliter ego repentinus inter vos exspectantes superveniens, illum qui animo tantum sederit meo, quique mihi cordi fuerit, accipiam et cunctis vobis præficiam. » Nonne his tibi paucissimis et sesquipedalibus verbis dixisse videtur : Per me abbas intrabit, non per Christum ? Aliunde ascendet sicut fur et latro, ut mactet et perdat, non per ostium. O similitudinem argutam et episcopo dignam ! Insanisti tunc impos mentis tuæ, Chuniberte episcope ; talia fando, insanisti re vera tali cothurno. Apparuit his dictis qua pollebas, imo qua ampullabaris, tua crassa pinguisve minerva. Cum enim tuam ingluviem specie et nomine accipitris figurasti, simplicium te insectatorem, insontumque raptorem tali forma depinxisti. Patet igitur luce clarius, quod non aperuerit tibi ostium veritatis ostiarius, qui et Spiritus sanctus, et ideo compressus defluxit tumidus prudentiæ tuæ fastus. Quod sermo declarabit subjectus.

7. *Romam appellat.* Servus itaque Domini Benedictus, cognita episcopi vecordia et exactione irrationabili ac durissima, primo quidem tanto furori locum dare delitescendo, et honorem declinando decreverat humilitatis gratia, sed iterum atque iterum a fratribus, ut constanter ageret, et ex adverso ascendens murum pro domo Israel opponeret, neve irruenti lupo ac diabolo cederet, utque sui misereretur admonitus, tandem diu multumque ab illis fatigatus, et virtute constantiæ et obedientiæ animatus viriliter stetit, et quemdam fratrem, Bosonem nomine, qui sedem apostolicam appellet, Taurinum mittit. Qui jussa perficiens, vix inter lapides, et furentis populi fustes vivus evasit. Tunc Benedictus paucis secum assumptis fratribus Romam contendit. Quem episcopus cum suo quodam exercitu pro viribus persecuturus subsequitur.

8. *Ab Alexandro II benedicitur.* Quid plura ? fit conventus sacrorum pontificum et cardinalium ante domnum Alexandrum, tunc temporis pontificem Romanum, atque Gregorium archidiaconum, postea apostolicum. Replicat episcopus prædicta superbiæ verba, magis rhetorica facundia fretus quam veritatis causa subnixus. Ad cujus orationem sacer præsulum cœtus, maximeque archidiaconus Gregorius, vehementer admiratus sic fatur : « Quid est, episcope, quod loqueris ? Ubi est sapientia tua ? Tuumne dicis abbatem, tuique solius fore juris ? Qua auctoritate, quæso, aut qua ratione tuum asseris ? Num possessio tua aut servus tuus est ? Itane sacri canones animo exciderunt tuo ? An putas nos ignorare illius loci tutelam ad Romanæ Ecclesiæ sedem solummodo pertinere ? fundator nimirum ipsius monasterii, Hugo nomine, ejusdem loci curam beato Petro apostolo ejusque vicariis in æternum commisit, et apostolicis privilegiis locus inde muniri promeruit. » Ipse quoque pius papa Alexander, cognita episcopi injustitia, sic eum mitis alloquitur : « Esto pacificus, fili Chuniberte, esto benignus. Compesce mentem, turbatus est enim præ furore oculus tuus. Revoca animum ab indignatione, quam non decet aliquatenus residere in sacerdotis pectore. Injustum certe nobis videtur et intolerabile locum illum nostro tantum commissum præsidio ac ditioni, quamvis tuæ sit diœcesis, tam inique vexari. Quapropter monemus, ut abbati jure ac regulariter electo paternum animum et affectum, ut te decet, exhibeas, atque consecrationem benigne impertias. » Quod cum se facere nulla ratione, nisi alteri a se electo, durus assereret, contempta ejus protervia, ne longum faciam, ex sententia et judicio totius venerandi cœtus qui aderat, Benedictus noster ab ipso Romano pontifice benedicitur et consecratur. Episcopo vero interminando imperatur, ut nullam deinceps abbati seu rebus monasterii molestiam inferre audeat, nihil nisi quod canonicum et regulare est inde ulterius exigat, nisi forte ab ordinis sui statu periclitari non timeat. Qui malignæ suæ mentis callidus dissimulator, benigne quidem tunc respondit prout pater, illaturus plurima adversa, quæ in suo versabat pectore ; quæ nos ad Benedicti cumulum patientiæ in rerum quandoque ponemus serie.

9. *Ritus alienos rejicit. Regulam inculcat.* Pastoris igitur suscepto regimine, quanta vigilantia illud administraverit, quam sancte et religiose quæ justa sunt faciendo et docendo vixerit, quamvis nostræ facultatis non sit evolvere, aliquo tamen pro modulo nostræ scientiæ amodo referre tentabimus, *sicut audivimus et vidimus in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* (*Psal.* XLVII, 9). Primum itaque cum cognovisset quam plurimos congregationis fratres quibusdam novellis usibus et Regulæ contrariis gaudere institutionibus, ut supra firmam Petram ædificaret, nisus est hanc arenam postmodum nocituram eruere, et agrum his sentibus expurgare. « Nostis, inquit, fratres et filii mei amantissimi, quomodo sermo divinus eos increpet, qui humanas adinventiones divinis præferunt mandatis ac judiciis. Unde canit propheta psalmographus : *Et irritaverunt Deum in adinventionibus suis, et ideo multiplicata est in eis ruina* (*Psal.* CV, 29) ; et *ulciscens* erat *in omnes adinventiones eorum* (*Psal.* XCVIII, 8). Ipse quoque Dominus in Evangelio : *Væ vobis*, ait, *Pharisæi, qui dereliquistis mandata Dei propter traditiones vestras.* (*Matth.* III, 6) ; et Paulus : *Qui desererentes justitiam Dei, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3). Itemque Scriptura : *Sine causa*, ait, *colunt me mandatis et doctrinis hominum* (*Isa.* XXIX, 13). Quamobrem hortor frater-

nitatem vestram, ut postpositis quibusdam superstitionibus et humanis institutis, quæ ad rem non pertinent, et a vera religione abhorrent, Regulæ sancti patris nostri Benedicti studiis, in qua omnis evangelica et apostolica perfectio constat, animum ad purum intendatis. Neque enim ego a Romano pontifice consecratore meo aliud nisi eamdem Regulam, quam prædicarem suscepi in manibus; nec mihi præceptum memini, ut diversos docerem et sectarer monasteriorum usus. In eadem quoque regula (*S. Benedicti regulæ*, c. 64) audio mihi eumdem Patrem et ducem intonantem, et quodammodo inculcantem, et præcipue ut præsentem Regulam in omnibus conservem. Et alibi (*Id.*, c. 3) quasi comminando infert: In omnibus igitur magistram sequantur Regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. Nam si quid videtur in Regula deesse, aut minus dictum, unicuique abbati jubetur temperando complendum atque ordinandum, cum ab eo dicitur (*Id.*, c. 65): nos autem providemus, propter pacis charitatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui; quod etiam facile est in plerisque ejusdem Regulæ capitulis animadvertere. Non est ergo necesse in scribendis multorum monasteriorum consuetudinibus, Regula quam quisque professus est neglecta, multum insudare. De hac quippe scriptum potest intelligi: Hæc via, ambulate in ea. Non declinetis ab ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram (*Deut.* v., 32).

10. *Adversantes in prioratus ablegat. Novos tirones ut informat.* Dixit, et a quibusdam ipsi Regulæ adjectis et quasi superfluis, in victu videlicet et vestitu, ac lectis, abstinendum et parcius agendum mandavit. Quæ cum quibusdam dura et importabilia viderentur, eo quod in mente veteri cogerentur nova meditari, non tamen eos omnimodo aspernatus est, sed paucis, quibus ista observanda placebant secum retentis, reliquos in cellis esse præcepit. Opinatus nempe est eos aliquando resipiscere et salutaribus institutis diuturnitate consilii assuefieri. Ipsis autem in noxio tempore perseverantibus, et quod prius tantum didicerant sacrosanctum judicantibus, dum sese invitati ad cœnam Dominicam quodammodo conantur excusare, statuit quoslibet divites seu pauperes colligere, maximeque pueros nobilium filios enutrire, ut jacturam legionis quodammodo diminutæ, ceu bonus dux, novo milite instauraret, et novello recentique juvenum examine inventum ovium numerum non modo supplendo redintegraret, verum etiam augendo multiplicaret. Iisque denique informandis, et ad meliora provehendis sedulus instabat prædicando, legendo et orando, opus quodlibet, ne per otium torperent, exercendo, dignas boni pastoris excubias gregi suo exhibens. Duodecim præsertim gradus humilitatis et unusquisque memoriæ commendaret persuadebat, dicens ibidem virtutum summam constare, unde quis facile queat ad celsitudinem cœlestem scandere. Sancti Serapionis collationem de octo vitiis principalibus singulos scriptam habere et imitari cogebat.

11. *Erga confitentes ut se gerit. Quo modo ipse delicta sua expiaret.* Confitenti aliquod facinus tanto affectu et non sine fletu condescendebat, ac si ipse ejusdem criminis particeps esset; cui statim pro canonum auctoritate pœnitentiæ legem indicebat. Nec multa post, si compunctum, si humilem et quietum, et verbera Domini trementem explorando animadverteret, temperata et indulta censura canonum, sacris altaribus reconciliabat, ita tamen ut memor sui delicti nunquam plangendo flere desisteret. Vidimus fratrem fragilem, et peracta pœnitentia labilem et pronum in crimine, quem ut animam suam pro ove poneret, in ecclesiam Beati Benedicti, quæ secretior est, secum duxit, ibique aliquot diebus cum eo pariter contentus pane et aqua jejunando, Psalterium devote non sine fletibus, et per singulos versus invicem flagris affectus complevit, oblationemque pro peccatis illius demum obtulit, et sic per Dei gratiam fratri non solum delicti præteriti indulgentiam obtinuit, sed (quod satius est) affectum et voluntatem peccandi ademit. Excessus ipse suos fratribus spiritualibus, aut bene notis sibi episcopis ac sacerdotibus Romam pergentibus, frequentissime humi prostratus confitebatur; et eorum judicio eleemosynarum largitionibus diluebat, cum ipse proprio corpusculo creberrime duris loris ac nodosis usque ad sanguinem non parceret.

12. *Exercitia ejus.* Tribus per annum quadragesimis [*ms.* quadrinis] totum corpus usque ad pedes cilicio ambibat, jejuniis edomabat. Vestitus omni tempore cuculla et tunica et duro cingulo supercincta, velut in acie positus, nocte dormiebat. Corporis infirmitatibus magis orationum ac jejuniorum antidoto, quam carnalis medicinæ aliquo medebatur electuario, ducens indignum cujusquam corpus Galieni observare catarticum, quod sacramentorum potius decet esse vasculum. Sanguine vero minutus lectione assidua carere non poterat. Peculiaribus orationibus ita operam dabat, ut raro unquam post matutinos, vel etiam in æstate, quando ocellis gratus sopor solet irrepere, quieti indulgeret; sed omnia oratorii circuiens altaria, quæsitum nocturnis vigiliis mentis vigorem ac puritatem studebat custodire et augere, spiritu canens in matutino interficiebat omnes peccatores terræ. Post completorium vero diu solebat orare et legere dicendo: *Si dedero somnum oculis meis et palpebus meis dormitationem, donec inveniam locum Domino* (*Psal.* CXXXI, 4). Cum adhuc essem imberbis et adolescens sequerer ejus cum lucerna vestigia, laborem tantum orationum ac vigiliarum ejus propter infirmam ætatem ferre nequibam. Illum tamen indefessos singultus et suspiria imo latere petita emittere audiebam. Quis unquam senum aut juvenum tam fervens fuit atque robustus in religione, quem si secum aliquandiu duceret, quodammodo victum et exhaustum suo spirituali exercitio non redderet? Oratoria monasterii, et

necessaria quæque fratribus habitacula ædificare et amplificare decreverat. Ad quod opus frequentissime, sequente fratrum et juvenum caterva, cum silentio psallendo incurvo dorso non sine sudore lapides et cæmenta ferebat. Nemo aliquando ducum aut militum tantum gloriatus est in speciosis armis et fortibus equis, quantum ipse gaudebat librorum copia, immortalibus utpote animæ thesauris, quibus scribendis et emendandis instabat laboribus inexhaustis et assiduis. Balneis, nisi superfundendo, non est lotus; carne et adipe, caseo et ovis non est usus, quamvis ipsius carnis edulium concederet, et ipsemet propriis manibus præpararet, et incideret debilibus. Quotidianam in cibis frugalitatem hujusmodi omni tempore inconcussam tenere studuit, ut vilibus et minus esculentioribus atque insulsis cibis refectus satietatem usquequaque caveret, vinum forte et austerum quasi venenum fugeret. Benignus et humillimus erat subditis et obedientibus, terribilis ac velut fulgur apparebat superbis et resistentibus.

13. *Auctor ab eo benigne acceptus.* Memini certe, nec unquam aliqua dies hanc memoriam meo eximet animo, quam benignus mihimet more pii Patris occurrit revertenti ac miserrimo filio, et me fugitivum et inutilem servum, prodigumque filium et famelicum stola vestiri, atque calceamentis pedes muniri jussit. Nec me inter mercenarios passus haberi, in numerum filiorum qui secum semper fuerant quamvis immeritum, semper ascivit, et vituli saginati epulis et gaudiis non discrevit. Unde non immerito illi ingens a me debetur gratia; et optavi, semperque optabo ut ejus anima sedibus sublimata æthereis nectarea suavitate et regni potiatur auctoritate, ubi me suis sanctis meritis impetret sibi sociari perenni tempore.

14. *Festa ut celebrat. Somnum post matutinos non probat.* In celebrandis vero solemnitatibus, quam festinum se ac strenuum, ac spirituali gaudio alacrem vel hilarem ostendebat, quis digne referre sufficiat? Pridie quidem in vigiliis illorum admodum sibi in cibo et potu parcus erat, dicens primum sanctis martyribus esse compatiendum, cum quibus postmodum semper sit lætandum. Exin modico somno indulgebat, et maturius cæteris a lectulo surgens, in oratione aliquantisper pernoctabat. Tunc denuo cum fratribus laudum officia ita strenue persolvebat, ut inter angelos positus divinæ majestati crederetur astare. Videres illum ad psallendum et canendum sua liquida et clara voce reliquos excitare, ne quis eorum somno marceret, sedilia cum lucerna circuire; delectos et humiles cantores, quibus vox esset modulatior ad canendum, et ad legendum doctiores præponere, adeo ut chorus eo præsente non egeret alio duce seu præcentore. Egomet ipsemet oculis notavi, cum peracuta et altisona voce in processionibus cantando jubilaret, lacrymas per ejus ora fluere, quod paucis, et nisi spiritualibus eor posse contingere. Observabat autem lectiones

A terminando, processionesque protrahendo, ut ad diem usque divinum opus procederet, ne quid post matutinos ad lectum revertentibus invida hostis fraus subriperet, quod castitatis flosculos suave olentes adureret; et ita solemne gaudium fœdando a sacra communione absterreret.

15. *De missis et communione quid statuerit.* Jam vero in capitulo, quæque erant dicenda in crastinum differendo, non permittebat fratres vacare multiloquio; sed peracto puro et hortatorio sermone de Evangelio, et mentibus auditorum sufficienter impresso, monebat ut pariter secum ante sanctam crucem sese cuncti prosternerent, et indulgentiam sibi interventu sancti festi, quod agebatur, a Deo attentius postularent. Quod unanimiter et cum lacrymo-
B sis suspiriis illis adimplentibus, primus ipse surgebat, et absolvendo eos, quantum poterat, ut ad missas agendas devote et humiliter præpararentur, et sacrosanctæ reverenter eucharistiæ participarent, hortabatur; sacerdotum autem nullus ante communem oblationem, ut privatam missam ageret, a choro secederet; sed uno eodemque tempore in conspectum summi Dei oblaturi in odorem suavitatis accederent. Eleemosynario quoque pauperes omnes et hospites largius solito ea die recreare imperabat, cum ipsemet nihilominus inter ipsa missarum solemnia gregi pauperum ad se confluenti pecuniæ largiretur munera. Itaque omnibus exstructis et ordinatis ex sententia, qualiter et quam reveren-
C dissime ad sancti archangeli Michaelis venerandum altare, cui non puto in orbe reperiri simile, procedebat et astabat cum electo ministrorum ordine, cujus quantumlibet diserti eloquentia valeat exprimere? Ego nimirum (liceat concedere veris) obstupefactus in hac parte deficio. Sed ne reatum incurram, si de tanta re penitus siluero, non totum, prout vidi et sentio, sed utcunque quod possum, eloquor. Cum enim divina tremebundus ageret mysteria, et in modum crucis ex more tentis brachiis et in cœlum defixis staret obtutibus, perfusus lacrymis ipsam divinitatem videbatur contemplari vicinius: et totus ardens amore, imis funditus concussis visceribus, inter angelos mente translatus, si fas est dici, non jam homo credi poterat, sed spiritus et (ut pace sanctorum dicam) quodammodo alter angelus.
D Ita verus Dei minister semetipsum totum per cordis contritionem Deo incendebat in holocaustum, ipse ara, ipse sacerdos erat et sacrificium. Recolebat siquidem sæpenumero quod ait beatus Gregorius de hoc tanto mysterio (*Dialog. lib.* IV, *c.* 58, 59): « Pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii Dei semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choris adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Sed necesse est ut, cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione macte

mus : quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vero pro nobis Deo hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit. Et si lenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante Deo hostia ipsi fuerimus. Benedictus ergo quibus Dominici corporis portionem tradebat, vultus eorum et mentes, prout erat possibile, inspiciebat : et si quos minime compunctos aut indignos animadvertebat, a sacramenti participio continuo arcebat. Quis denique potens, aut sæcularis quælibet persona, festo die virum Deo deditum et lectioni vacantem, nisi grande et inevitabile urgeret negotium, extrahere a claustris poterat? »

16. In hunc igitur modum solemnes dies, ac potissimum ipsius Domini et intemeratæ Genitricis ejus festa colebat, quamvis in profestis ac quotidianis diebus a missarum celebratione cessare minime noverat. Dominicæ quoque Annuntiationis, Nativitatis, Circumcisionis, Apparitionis, in templum Præsentationis, parentibus exhibitæ subjectionis, baptismi, jejunii, sanctæ tentationis, et angelicæ ministrationis, nec non et prædicationis ac miraculorum, Transfigurationis itidem, Passionis et mortis, Resurrectionis, Ascensionis, Advocationisque et secundum assumptam totius nostræ salutiferæ dispensationis memoriam quotidie pura devotione recolebat, et quinquaginta psalmos inter ista apte patiendo cum antiphonis congruis et collectis intercinebat.

17. *Hospites excipit ut Christum*. De hospitalitate autem illius plurima dicere supervacaneum duximus, cujus re atque experientia ita factus est inclytus, ut singularem palmam illius suis obtineret temporibus, fieretque per eam cunctis in Romano fere orbe degentibus celebris ac notissimus. Nam, quoniam *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7), multam animi ac vultus in adventu hospitum alacritatem præferebat; et tunc permaxime divinitus sese visitari et quodammodo beatificari crederet, quoties non unus tantum hospes, sed multi simul supervenissent. Hanc itaque tam liberalem humanitatis gratiam cum nullis cujuslibet generis hominibus denegaret domesticis fidei præsertim ac peregrinis, sicut præcipitur speciali et humillimo affectu, sicut ipsi Christo, cum omni reverentia deserviebat : quorum frequenter multitudo, quoniam locus in Romano itinere est positus, oppido fessa et lassabunda ad eum confluebat. His nimirum quotquot erant episcopi seu cardinales Romani, canonici quoque, abbates et monachi, postquam de more cum fratribus omni officio charitatis occurrisset, præparata habitacula et tapetibus sufficienter strata singulis apte distribuebat, et ministros lectos ac strenuos, qui ad nutum semper astando servirent, illis deputabat. Ipse vero velut succinctus hospes, huc illucque cursitando, tempore prandii omnium manibus aquam infundere festinat. Dehinc pulmentaria, prout cujusque propositum est, copiose administrari jubet. Ipse, ne cui aliquid desit, ministros hortatur,

A ac circuiendo providet omnia, cupiens varia, ut dicitur, fastidia vincere cœna. Procurat etiam ne turpe toral, ne sordida mappa corruget nares. Splendeat ut focus, scyphorum, lancis et canthari munda supellex. Postremo qui pridem sibi asper erat et parcus, participando mensæ hospitum benigne solvebat hospitis animum, et præsente sponso, ineptum putabat et injustum servare solitum rigorem jejuniorum; post eorum discessum recompensans in districtione continentiæ, quidquid minus solito ipsorum causa fuerat actitatum, secundum quod scriptum est : *Non possunt jejunare filii sponsi quandiu cum illis est sponsus; venient autem dies, quando auferetur ab eis sponsus et tunc jejunabunt* (*Marc.* II, 19). Inter epulas ipsas, amoto procul om-
B ni strepitu, aut lectio sola resonare, aut, ut lætum ageret convivam, jucundum de rebus spiritualibus colloquium fieri. Quid plura? Large illis per omnia suppeditando indigentia, credere se reficere Christum, secundum illud propheticum : *Hæc requies mea, reficite lassum* (*Isai.* XXVIII, 12).

18. Enimvero videntur quidam implere charitatis officium serviendo hospitibus per biduum aut triduum. Benedictus cum eos secum haberet per aliquot menses seu tempus annum, quin, ut verum fatear, biennium vel triennium, exhibendo tam ipsis quam equis eorum ac famulis ad usum quæque erant necessaria, non mutabatur nec minuebatur erga eos prior benevolentia; sed inconcussum et
C eumdem gerens animum, qualem charitatis affectum monstraverat in primordio, talem et ferventiorem gerebat in extremo. Et ne tantum videretur illis prodesse in alimentis, quosdam vestibus valde bonis, quasi suis usibus præparatis, vestire quibusdam equos donare, aliorum loculos nummis implere; nonnullis vero, qui omnibus his carebant, aut suis rebus nudati, deprædatique in itinere fuerant, hæc omnia simul largiebatur; et ita denuo læti ac Deum benedicentes atque ejus famulo grates agentes domum regrediebantur. Debiles quoque et diutinis per viam languoribus affecti enitebantur, quantum poterant, ut ad monasterium pertingerent quantocius, quod certi erant esse quasi asylum ac commune receptaculum omnium miserorum. Quos Pater san-
D ctus benignius refocillabat, corpusque eorum, plurima valetudine attenuatum, delicatioribus cibis atque usu balneorum usque recreabat, donec ad pristinum incolumitatis statum eos reduceret; et sic eos suo viatico et benedictione suffultos dimitteret, præcipue illos, a quibus præsentis sæculi retributionem nullam speraret.

19. Præsens aderam cum frater quidam, cujus nomen prudens prætereo, ante Patrem Benedictum venit, et maligno mentis suæ spiritu inflatus super hospitum frequentia, eo quod viderentur sibi monasterii bona quæque absumere, ita audacter apud eum conquestus est : « Quid est hoc quod vos agitis? quam ob rem omnium rerum nostrarum copiam ignotis et advenis tam affluenter ac per multa tem-

pora dilapidando dispergitis? Æquumne vobis videtur et integrum ut ipsis optime ac splendide epulantibus, nos perrerum utendarum inopiam deficientes ceu famelici esuriamus? Sicut a veridicis certe accepimus, et ipsi experimento probavimus, non habent aliorum monasteriorum abbates hujuscemodi usus; sed si quis ad eos vespertinus hospes advenerit, aut discedit in crastinum, aut, ut multum, forte moratur per biduum. Vos autem nil credendo hospitibus actum, cum quid supersit agendum, quidquid undecunque corradere potestis, eisdem nimis prono favore semper largiri non cessatis. » Cumque talia verba nesciens ac pusillanimis murmuratione turgidus diffidenter evomeret, vir bonus, ut erat mitis atque placidus, ad singula ejus mordacia dicta nihil aliud quam illam apostoli auctoritatem studuit opponere: *Hospitales invicem sine murmuratione* (*I Petr.* IV. 9). Unde contigit ut tam sancti apostoli auctoritate, quam patientiæ ipsius lenitate frater devictus, nunquam deinceps proriperet in tantos diffidentiæ vel impatientiæ ausus.

20. Præscriptis itaque pietatis et misericordiæ operibus, quorum odore ubique flagrabat, sicut ager plenus cui benedixit Dominus, dilectus factus est Deo et hominibus: adeo ut beatæ memoriæ papa Gregorius, sanctorum canonum suscitator et custos integerrimus, qui pro legis Dei veritate ab Henrico perfido rege et Simoniaco, et Guiberto hæresiarcha apostolicæ sedis invasore innumeros perpessus est persecutionum impetus, suis eum sic attolleret ac foveret litterarum consolationibus Viscera sanctorum requieverunt per te, frater. Hæc de ejus hospitalitate dicta sufficiant. Nunc de pauperum cura et eleemosynis ejus paucis agamus, cujus tam vehemens illi erat studium, ut cum nefas putaret, si penes se alterius pecuniæ aliquid in loculis haberet reconditum, ferebat tamen super se semper eleemosynæ censum ne quando vacuus ab eo redire posset aliquis pauperum. Et quamvis a suo monasterio, ut alter Martinus, facile erui non posset; si tamen existentibus causis de monte descenderet, eleemosyna, sicut scriptum est, quocunque ibat in manu illius sudabat; quatenus ejus assidua largitione quotidianos mundaret excessus; qui frequenter solent irrepere curis familiaris rei ac negotiis sæcularibus. Jam vero extra monasterium positus, tutelam et curam viduarum, pupillorumque et orphanorum, qui suæ ecclesiæ juris erant, ad se potissimum pertinere aiebat; et ne alicujus violentia opprimerentur, anxie providebat. Vidimus sæpe cum inter judices compelleretur sedere, ipsique causidici linguas acuerent litibus, tacitum finem rei exspectantem, et librum, quo carere non poterat, præ manibus habentem, lectioni magis operam dare, donec in placiti exitu necessario aliquid decerneret aut determinaret. Quis mortalium in ejus præsentia nugari, aut inepte ludere discinctus ut nepos præsumeret, excusso risu dissolutus aut turpi scurrilitate? Adeo integritas et

A severitas animi in ejus venusto et gratia pleno vultu, signis decentibus erumpendo apparebat, et formosæ egregiæque personæ speciosa proceritas imperiose semper et ubique eminebat, ut aspicientium oculos ad honestatis reverentiam et Dei cultum non solum invitaret, sed etiam traheret.

21. *Prioratus ut visitat.* Fratres autem qui in cellis monasterii longius degebant, et quorum illi cura erat maxima, visitaturus, in primis summopere providebat tantam librorum copiam secum deferre, quæ usque ad reditum sufficere posset sibi comitibusque ad pastum animæ. Positus vero in itinere, per aliquot horas, priusquam ab hospitio exiret, cum suis lectioni vacare. Ad quod si forte sæcularium B tumultus officeret, in pomeriis domus seu vineis locum amicum quieti seligere, præstolantibus cæteris, consilii agendi vel cujuslibet rei occasione. At ubi cum ventum erat ad loca quorum gratia exierat, fratrum vitam et actiones, secundum prophetam, fodiendo parietem inquirere et subtilissime examinare satagebat, et instructionem correctionemque necessariam subministrare. Claustra seu cæteras regulares officinas facere eos compellebat, quibusdam pauperioribus ad hoc opus sumptus præbendo, seipsum pauperare voluit, aut per se ædificando moratus est, quoad illud opere complevit. Hortabatur magnopere ne bini tantum aut terni, aut certe singuli manentes more Sarabaitarum vellent vivere; sed semper hujusmodi, si fieri posset, numerum excedentes, C et ad monasterium seu ad cellas in quibus majori ordo servabatur diligentia, crebro recurrentes animarum suarum saluti sollicite consulerent. Obtestabatur per Christum, ne Simoniaca aliquatenus hæresi polluerentur, summaque detestatione eos abhorrebat, qui pro decimis, vel ecclesiis adipiscendis, sicut moris esse solebat quibusdam monachis, vel unius oboli pretium largiretur.

22. *Absens a suis desideratur.* Cum autem causis aliquando emergentibus, ultra promissum statutumque temporis terminum moraretur, sic eum fratrum fidelibus citus desideriis ac votis revocabat conventus: « O pie pastor et Patrum maxime, jam nimium abes, maturum reditum pollicitus, jam nimis ingrata tuæ sanctitatis absentia nostra plena tuæ D dilectionis sollicitat pectora. » Quos ipse Apostoli dicto (*Philip.* II) sic noverat refovere: « Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes. Itaque, charissimi mei, sicut semper obeditis, non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini. » Jam vero in reditu, cum adventus illius fama fratrum aures percelleret, quanto gaudio omnium corda hilarescebant, testabantur lacrymæ fusæ præ nimia exsultatione.

23. *Item a pauperibus.* Taceo de pauperibus, quorum multitudine adeo tunc densabantur montis an-

fractus, ut vix per eos fieret transitus. Hi ergo, audito nomine ejus, ingenti tripudio hujusmodi dabant voces ad cœlum cum lacrymis et plausibus: « Advenis tandem, Pater desiderabilis, advenis. Jam reddis lucem patriæ, unicum solamen dulceque præsidium, et spes tuis orphanis, contractis atque viduis. » Alii quoque applaudentes succinebant: « O utinam! Pater optime, et rerum tutela nostrarum, tibi longæva vita donetur divinitus, quo tuis alamur eleemosynis multis temporibus! » Tunc illo per montis clivos ascendente, alii prodeuntes de suis tuguriis ac mapalibus, alii infirmi suis latentes in antris seu cubilibus, nonnulli orphani sive pupilli præeuntes ac subsequentes, velut alter Christi exercitus suo duci, omnes triumphali voce concinebant: « Benedictus qui venit Pater Benedictus. » At ille psallens et incedens nonnunquam pedibus discalceatis, ceu bonus opilio prudenter discernens vultum proprii gregis, per seipsum largiori manu dabat cunctis egenis, maxime curam gerens super cæcis, debilibus, atque contractis. Hæc, quoties ascendebat, operari non negligebat, ut maculas curæ familiaris dilueret Domini præcepto dicentis: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41).

24. Forte aliquis mihi succenseat, et hoc quod texo opus, quasi vile ac sterile nulliusque momenti, eo quod signa atque miracula nulla complectatur, pronuntiet: non intelligens quemlibet sanctorum magis vera virtute animi, et optimis moribus metiendum, quam miraculis, quæ bonis atque malis communia esse possunt, prædicandum. Sed immerito. Hæc enim quæ de Dei famulo retulimus, sanctitatem efficiunt, illa tantum loquuntur: ista legentibus ædificationem, illa plerumque solam admirationem reddunt. Est quoque satius magnæque virtutis documentum præstantius, vitia et pravæ delectationis fomenta quemque ab animo pellere; et sic bajulando quotidie crucem, quodammodo semper martyrem esse, quam immundorum spirituum catervas ab hominibus ejicere, quod etiam multos pseudo non ignoramus posse patrare: et in aliena carne morbos diversique generis febrium cohortes exstinguere, quod per herbarum etiam vires et medicinæ antidota fieri liquet esse possibile. Timeat autem miraculorum appetitor et amator, quod in Evangelio suis calumniatoribus exprobrat Salvator: *Generatio mala et adultera signum quærit* (*Matth.* XII, 39). Idemque discipulis super miraculorum effectu gloriantibus ac dicentibus: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo* (*Luc.* X, 17), ait: Nolite gloriari quia dæmonia vobis subjiciuntur; sed gaudete potius et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Ibid.*, 20). Quod autem divina miracula cessare quorumdam aliquando peccatorum enormitas faciat, exinde perpendimus quod eadem Domino nostro, cum sit re vera omnipotens, impotentia quædam ascribatur, cum de eo ab evangelista dicitur: Et non poterat ibi, id est Capharnaum, aliqua facere miracula propter incredulitatem illorum (*Marc.* VI, 5, 6). Et beatus papa Gregorius in suo Dialogo: « Plerique, inquit, hodie signa non faciunt, et tamen signa facientibus dispares non sunt. » Item ipse in quadam homilia: « Signa hæc in exordio Ecclesiæ necessaria fuerunt. Ut enim fides credentium cresceret, signis et virtutibus fuit nutrienda: quia nos cum arbusta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra convaluisse videamus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. » Nos ergo metuentes illud unde præco veritatis Paulus, in quo Christus loquitur, Judæorum perfidiam causatur: Quoniam Judæi signa petunt, et signa non sunt data fidelibus, sed infidelibus (*I Cor.* XIV, 21): ad perfectionem feramur, et in isto Dei famulo non signorum efficaciam quæramus, sed robur animi, veræque dilectionis Dei ac proximi, qua egregie insignitus est, et per quam tota lex adimpletur, decus et constantiam admiremur: quamvis et nos paramus pleraque de eo scribere, quæ non usquequaque indigna ferantur admiratione.

25. *Chunibertí episc. vim patitur Benedictus.* Operæ pretium est jam nunc adversitates illas multiplices quas a Simoniacis et schismaticis, maximeque a Chuniberto Taurinensi, perpessus est, inserere, ut quoniam scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII, 6); iste quoque diversis malorum angustiis pressus, instar auri probati ac lapidis pretiosi, ad coronam æterni Regis aptus appareat; et passus ad modicum cum sanctis, perenni cum eis luce splendescat. Ab eo namque tempore quo, sicut initio præfatus sum, idem Chunibertus ab Alexandro papa in mandatis accepit quatenus, si Romanæ sedis amicitiam vellet colere, Clusino monasterio solius beati Petri patrocinio olim commisso, atque eidem abbati Benedicto minime infestus esset; iniquæ mentis lividus dissimulator curia digressus, dolos quos ruminabat, per rerum monstravit exitus. Cœpit quippe multis oblocutionibus, et abusivis injustisque exactionibus abbatem vexando lacessere: interdum tamen, ne Romani pontificis imperium offenderet, ab injuriis temperare. At vero prædicto papa Alexandro ex hac luce subtracto, et Gregorio archidiacono apostolatus culmen adepto, cum inter eum et regem Henricum, propter Simoniacam hæresim excommunicatum, magnum fieret discidium; tunc et Chunibertus cum aliis plerisque Italiæ pontificibus, occasione schismatis reperta, regem suum secutus, et cum eo pariter anathematis vinculo innodatus, a Romanæ Ecclesiæ communione stolidus dissilivit: et sic demum effrenatus, ad persequendam Clusinam ecclesiam et abbatem, pro viribus animum intendit.

26. Et prius quidem fratrum animos diversis pollicitationibus ac blandimentis suasoriis tentat corrumpere, si forte eos ab abbatis sui obedientia sive subjectione circumveniendo aliquatenus posset subvertere. Quod cum minime dolis procedit, alia via aggreditur eos expugnare, et mala quæ poterat inferendo, ac messes eorum se ablaturum minitando,

effecit ut quidam e fratribus, Patre Benedicto non approbante, ad eum venirent, si forte hornarum frugum ab eo usum impetrarent. Quos ubi vidit vir ventosus, ut erat mirum in modum humanæ laudis avarus, signorum classe ipse charitatis expers cymbalum tinniens, mox urbem totam commovet, cunctos cives et populares suos convocat super fratrum illorum pœnitentia, eo quod Benedicto quasi a se excommunicato communicaverint, illis nolentibus ad populum concionatur. Denique facit verba plena sui laude et Benedicti abjectione, subjiciens canendo : « Venite, filii, audite me. » At illi fratres taliter illusi, ad monasterium sunt regressi, non sine pœnitudine, quod ejus participio sic fuerant taminati. Tunc Chunibertus, alter Herodes, videns quod ab illis ludibrio sit habitus, majori indignationis et iræ face succensus, suas vires exserit, hostili manu monasterii agros populatur, villas et ecclesias igni concremat, factaque multa præda, sed non absque suorum grandi jactura, redit, militum agmine lacerato, ad propria.

27. Sed Benedicto hæc intrepide aspiciente, et super ejus vecordia magis flente et orante, Chunibertus nihilominus cum Petro marchione conjurat ut, sæpe dicto abbate a monasterio ejecto, alium sibi, proh nefas! ibidem præponere liceat. Nec mora, et ecce uterque multo milite stipatus ad sanctum locum properat, portæ effringuntur, famulo Dei Benedicto, ut quam cito exeat, imperatur. Sed adfuit plane virtus divina. Nocte enim jam imminente, dum vir Domini impavidus in oratione et Dei laudibus pernoctat, ipsi ejus hostes per totum noctis spatium epulantes plus nimio sese mero ingurgitant. Mane autem facto, impulsi, credo, virtute angelica, ob quam rem venerant obliti, citato gressu exeunt, et infecto negotio nemini quidquam loquentes dilabuntur.

28. *Ejicitur Benedictus.* Nec multo post Chunibertus ille ad se reversus, sed divino miraculo minime conversus, marchionem adit, eumque pactis funestis impetendo, quod Benedictum a loco non pepulerit, perjurii arguit. Ad quem ille : « Quid est, cerebrose, quod loqueris? Satisne sanæ mentis es? Nunquid locum et abbatem tuæ potestati, prout pepigi, non deliberavi? Nil jam mea interest. Actum, inquiunt, ne agas. » Quid plura? Senex inveteratus impellit juvenem circumflecti multis circumventionibus, et sæpe insibilando venenata consilia, ejus patulis auribus urget ad facinus, per quod non dimidiando dies suos periturus erat ipse maturius. Venitur ergo quantocius ad monasterium : pellitur Pater Benedictus, complurimis suorum lacrymoso suspirio comitari illum cupientibus. Et quamvis posset hostibus facile resistere, Pyrchiriani montis tutela satis natura muniti et arte; maluit tamen humiliter adversario cedere, præcepto Domini dicentis : Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam; simulque dedit locum iræ, imitatus vestigia summi Patris Benedicti, monachorum omnium ducis eximii, qui

A locum suum deseruit, circumactus similiter insidiis cujusdam sacerdotis impii. Mansit ergo pauper et exsul aliquantum temporis extra possessionem monasterii, in vico qui dicitur Sancti Antonini : ad quem tamen totius congregationis intendebant oculi, et de illius nutu seu dispositione pendebant, quamvis illius scelesti et sacrilegi custodes ac famuli in monte residentes, sacri altaris oblationibus diripiendis inhianter insisterent

29. *Cassianum ad Regulæ intelligentiam esse necessarium discit.* Sub eodem tempore, cum mundani strepitus quam maxime securus amicæ quieti et lectionis studio operam daret, et ad intelligendas Regulæ quasdam sententias, quarum scrupulo non parum movebatur, ad ostium amici pulsaret, sanctus

B Benedictus monachorum legislator et signifer in somnis illi apparuit Videbatur autem illi quod ad mensam tantus Pater sederet, sibique assistenti ac ministranti vini pocula ad bibendum porrigeret. Deinde ab illa mensa surgens dicebat illi : « Fili mi, sequere me. » Cumque jussus pedetentim præeuntis vestigia sequeretur : « Mi pater, aiebat, utinam super sententiis quibusdam in regula tua positis, quas minus evidenter intelligo, me certificare digneris. » Ad quem major Benedictus : « Si vis, inquit, charissime, de quibus ambigis plenius informari, et monastici ordinis perfectionem desideras adipisci, quære tibi librum Joannis Cassiani, qui Patrum Instituta ac collationes stylo prosequitur latiori. » Hac igitur visione potitus, et satis superque

C gavisus, quam vehemens studium postea habuit illum librum legendi, nostri testificantur oculi. Aliquantum fluxerat temporis, et cum hujus visionis seriem Hugoni venerabili abbati Cluniacensi retulisset, hæc ab eo audivit : « Poculum a Patre nostro, cui ministrabas illum, statim secuturus accepisti : quia necesse est te, frater, calicis et passionis sanctorum compatiendo participem fieri. » Quod ita significatum, sicut tantus interpres dixit, rerum probavit exitus. Sed prius dicendum est qualiter absque humano adminiculo idem pastor noster monasterio per Dei voluntatem sit restitutus.

30. *Adversarii ejus dant pœnas.* Quadam namque die fratrum diutinis lacrymis admonitus, solis jam abeunte curru, montis verticem paucis comitatus

D subiit. Cujus mox audito famoso nomine, omnis illa sacrilega manus, quæ sua indigna statione et rapina locum polluebat, ingenti horrore percussa illico fugiendo defluxit. Petrus autem marchio, pro eo quod sanctum locum violavit, necnon et virum Deo plenum sua temeritate contristavit, post trium mensium spatium, angelica, ut credimus, ultione percussus, vitam male finivit Chunibertus quoque super nequitiæ suæ ausibus non diu gloriatus est. Nam qui prius pollere videbatur sapientia et episcopali dignitate, involutus tandem Henrici superbi regis errore, ac per hoc ab apostolica damnatus sede, quando de celsiori gradu proruit, tanto gravi casu elisus est. Porro quoniam in reprobum sensum meritis exigen-

tibus traditus, locum quem princeps angelorum Michael superbiæ ultor promptissimus elegit, ipse irreverenter temeravit, extemplo vita privatus, nec in sepulcris patrum suorum, hoc est in sede sua utpote excommunicatus, sepulturam promeruit.

31. *Henrico imp. exosus Benedictus. Ab eo comprehenditur.* Longum est enarrare, et lectionis prolixitas forsitan aures minus purgatas oneret, si velim explicare per singula, quot et quanta pertulit acerba bonus doctor noster ab Henrico rege ejusque complicibus Simoniacis, pro veritatis ac religionis constantia. Sed, ut verum paucis absolvam, quia ipse catholicam veritatem apprime colebat et beato papæ Gregorio ejusque sequacibus favebat, et charitatis largitionumque copia, ut jampridem diximus, complacebat: propterea regiam aulam Simoniaci canes videlicet paulatim hac fama atque latratibus compleverant, solum esse Benedictum, qui faceret ut suum regi detraheretur diadema, et in monasterio Sancti Michaelis, quo pacto vita et regno pariter privaretur, crebra fieri conciliabula. Unde regali non parum infensus curiæ, cum a domno papa Gregorio, cui ob merita sua erat charissimus, Romam quodam tempore fuisset invitatus, ejusque colloquio fruitus ad Casinum montem properaret, idque regi post biduum compertum foret: tanto studio jussit illum persequi, ut ejus impias manus nullatenus posset effugere. Multo quippe militum equorumve sudore, antequam illo perveniret capitur, trahitur, nec sine calumnia ad regem reducitur. O qui tunc plausus, et gaudia quanta fuere! Iniquorum nempe sacerdotum non cœlestis, sed terreni regis palatio excubantium, alii cruce dignum, alii ultricibus flammis concremandum, nonnulli ferventissimum ferrum per ejus tempora penetrando adigendum, plerique oculis cæcatum in longum exsilium detrudendum, ut regnum tanta sorde purgetur, adjudicant. Fit prorsus quasi insigne tropæum, communem hostem esse captum, monstrum magnumque osorem regiæ salutis et suorum omnium.

32. *Adelaidæ favore eripitur.* Has igitur verborum cruces, et plurimas id generis contumelias diræ custodiæ mancipatus, suisque rebus exspoliatus jamdudum mansuete tolerabat, nihilque aliud quam suprema mortis pericula ac corporis sui ludibria manebat: sed Dei nutu et archangeli providentia, adfuit illi præsidio Adaleidis marchisia, mulier in Dei rebus tunc bene devota, et in rerum administratione constantissima, de cujus morte multis facta præda nostra usque hodie gemuit patria. Hæc itaque, quoniam apud regem tunc temporis multum poterat, constanter ad eum intrat, et ut ullum Dei famulum, qui etiam secum venerat, sibi pro sua reddat clementia humiliter supplicat. Hunc suæ decus patriæ, columnam et quasi solem affirmat esse Italiæ seque reverti, nisi eo recepto, impossibile.

A Visum est ergo regi quod petebat durum; hanc tamen offendere ratus non esse sibi integrum, eo quod regni quodammodo claves et Longobardiæ teneret aditum, quamvis invitum multumque renitens, Patrem reddit Benedictum. Ereptus itaque sicut ovis a luporum sævis faucibus, et ad monasterium regressus, tanto in jejuniis et eleemosynis se in Dei rebus astrinxit, quanto extra cellam evagatus sæculi rebus atque sceleratis admistus exstitit. *Qui tetigerit*, inquiens, *picem coinquinabitur ab ea*; et, *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

33. *Witelmi episc. pravi mores.* Mortuo autem, ut superius dictum est, Taurinensi Chuniberto, successit ei quidam (5) Witelmus, qui, quamvis omnium quos terra sustinet moribus esset turpissimus, po- B tuit tamen obtinere ab Henrico rege protervo copia auri, ut possideret, imo pollueret nomen episcopi. Usurpata vero episcopi dignitate ipsa fæx terræ, et fruges consumere natus, qui prius fuerat Stoicus, sive, ut aiunt, Paterinus, gaudens sorte mutata, quidquid undecunque compilare poterat ventri donabat avaro. Verum nil satis erat: quippe cum quater in nocte, si bene memini, totiesque in die blaterando pastum peteret tribus ursis quod satis esset. Is ubi bona episcopatus in fumum cineremque verterat, pauperum nostrorum rapinis gula harpiis digna rapacibus exæstuabat. Talis ergo pernicies et tempestas baratrumque macelli annis plurimis sanctum Dei virum, nostrumque monasterium admodum vexavit, ventrisque omasum nostrarum re- C rum sacrilegio, et raptu farciendo, tandem ad instar utris tumidus medius crepuit, atque ita in sua fæce et sordibus supernas infernasque auras polluit.

34. *Episcopi item Vercellensis.* Venerant ad monasterium et Vercellensis episcopus, æque ipse pestis ac Simoniacus: jamque presbyter illius super venerandum sancti Michaelis altare missas acturus calicem posuerat, cum jussu patris Benedicti fratres supervenientes calicem ad terram rejiciunt, episcopum una cum presbytero suo ab altari retrahunt, et ab ecclesia non absque injuria eliminant. Quam rabidis tunc ille potens minis simul cum marchisia, ad cujus curiam venerat, intonuit; quæ rerum damna, vel injurias ab illis ob hanc causam non pertulimus? Hæc ideo dixi, ut ostenderem, quanta con- D stantia vir Domini atque ejus alumni semper Simoniacorum fugerint consortia, et vitaverint cautius sanguine viperino, tametsi multa ferrent incommoda hoc amore veritatis et zelo.

35. *Monachus mire convalescit.* Frater quidam, quem hodie reor superstitem, plurima infirmitate laborans, in extremis positus linguæ officium amiserat: sed viro Dei Benedicto cito adveniente, et illum suo nomine paterno affectu vocitante, cum minime respondisset: « Præcipio, inquit, tibi per obedientiam, fili Petre (hoc enim erat ejus nomen), ut mihi loquaris » Ad hanc vocem oculos mox ape-

(5) Et tamen Franciscus Augustinus Chuniberto substituit Wibertum, Wiberto Maynardum, nulla Witelmi facta mentione.

riens delictorum confessionem egit, susceptisque divinis sacramentis, orante tanto Patre, ocius convaluit.

36. *Item alius.* Novimus alium mei nominis fratrem, qui dum nimis incautus super solarium miræ altitudinis temerarius incederet, lapsus est, et tanto casu omnibus pene attritis ossibus, in domum infirmorum delatus, multis quamvis balneorum usibus, seu epithimiorum fotus medicamentis, jacebat desperatus. Huic jacenti quasi exanimi et dissoluto senex canitie et albis vestibus decorus in somnis visus est, dicens illi :« Surgens sequere me. » Cumque frater propter defectum suum, cujus erat sibi conscius, hæsitando moram faceret, rursum senior ingeminans : « Surge, aiebat, surge ; et hunc quo membra debilia sustentes accipe baculum. » Mane igitur facto, cum idem æger patri Benedicto sibi assidenti visionis hujus ordinem panderet, contigit ut bonus Teutonicus baculum fabrefactum abbati offerret. Quem idem Pater infirmo bajulans : « Hic est, inquit, baculus tibi, fili charissime, in somnis traditus, accipe, nihil addubites, surge. » Qui statim, mirabile dictu ! ita erectus est, ut pedes cæterique artus sua deinceps officia strenue facerent.

37. Tempore quodam communi utilitate fratrum admonitus in Longobardiam exierat : sed quoniam gregis sibi commissi absens etiam sollicitudinem gerebat, cum more solito post Completorium lacrymosas preces quasi pro filiis holocausta Domino obtulisset, positus in cubili, cœpit fratrum mores ac vitam animo secum revolvere. Tali igitur cura, ut assolet, exæstuanti somnus obrepsit, viditque angelum quasi succinctum et ad iter agendum præparatum ; quem interrogans : « Quo tu, inquit, o beate, sic intendis pergere ? » Cui angelus : « Ad monasterium vado, jussu Domini correpturus quemdam fratrem impœnitentem, et immemorem factum sui delicti. » Simulque designat illi et nomen fratris, et acti facinoris. Nec multo post tempore vir Dei ad montem regressus, invenit monachum illum angelica visione notatum, lecto gravi ægritudine decubantem, qui mox adventu ejus, quem anxius operiebatur, exsultans, ut se visitaret oravit : et confessus peccatum illud, pro quo divino flagello multabatur, indictæ pœnitentiæ et orationum ejus salutari antidoto, non solum animæ, sed etiam corporis cito salutem promeruit.

38. *Paschalis cereus.* Longobardus quidam causa orationis ad Sanctum Michaelem venerat cum proprio filio. Qui dum attentius agens curam orationis, cuncta Oratorii circuiret altaria, accidit filium licentius vagari patris solutum custodia. Qui licet puerili rerum victus concupiscentia, de paschali cereo ante sanctum altare, ut moris est, sito, furtim portiunculas compilavit. Quod tametsi videri poterat non grande piaculum, virtus tamen archangeli istud non dimisit inultum : ut postmodum, credo, evidenter claresceret quid faceret per fidelem suum Benedictum. Nam cum paulo post vir ille cum

A puero suo de monte descenderet, cœpit idem puer gravi dolore illius manus, quæ furti conscia erat, vexatus, totus tremere, patremque his vocibus interpellare : « Accurre, pater, accurre citus, en morior, nisi subvenis quantocius. » Cumque homo ille manum filii, utrumque jam brachium valde intumescere cerneret, nimia doloris anxietate turbatus, hos ad cœlum displosis manibus ferebat ejulatus : « Me miserum quid agam ? Sancte angele, quid facere voluisti, ut unicum meum, quem tibi præsentaveram, sic tolleres mihi ? » Recepto tamen sensu et sedatis lacrymis, sciscitatur puerum sermonibus blandis : « Chare filiole, quid fecisti ? Num in sanctuariis aliquid tetigisti unde sancti archangeli celsitudinem forte offenderes ? » Tum ille : « Ita est,
B inquit, de sancto ejus cereo particulas quasdam mihi subripui. » Ad hæc hanc causam intelligens morbi, ad sancta regressus, petendo veniam nati reatibus, lacrymosis complebat monasterium clamoribus. Quibus excitus adveniens cum fratribus vir Domini, vehementer condoluit misero homini : et facta oratione, aqua, quam mox benedixit, membra pueri dolentia ac tumida aspergit : et ita patri sanum et bene se habere clamantem filium restituit. Quanto ille bonus vir gaudio descendens tripudiavit ex laude archangeli atque ejus famuli Benedicti, et cantu, quo totum nemus resonabat, intelligi potuit.

39. *Puer ex lapsu illæsus.* Neque illud miraculum reticendum, quod multi qui videre, magno stupore
C attoniti solent enarrare. Quidam Cismontanorum nobilium, dum cellas ultra montes aliquando reviseret, filium suum parvulum, qui Guigo vocabatur, tanto patri ad monasticum ordinem educandum tradiderat. Quem dum in equo effrenando nimis ac feroci a fratre sibi dato secum duceret, unus ex promptis famulis Morestinus (notus est homo), videns puerulum equi impatientis instabilitate jactatum laborare, imposuit illum in mula, ut mansuetioris animalis dorso suavius jactaretur. Ventum erat ad locum cujusdam magnæ vallis quæ Gumnisia dicitur, ubi Beza violentus amnis, exesis utrinque suis ripis, viam iter agentibus juxta se habere non patitur. Hac igitur cogente necessitate,
D ascendentibus illis per arctam semitam montis secus positi, unde transeuntium per ardua oculos hians abyssus sua altitudine potest offendere, accidit ut infans ille timore equi præeuntis et huc atque illuc terga versantis, frenum nimis trahens, cum eadem mula cui insidebat in præceps rueret, multaque arena atque lapidibus in dorso montis jacentibus secum devolutis, ad ima delaberetur. Tunc patre Benedicto, qui non longe subsequebatur, signum crucis super cadentem frequenter faciente et orante, illuc aliunde curritur ; et puer quidem mula aliunde excussus, quamvis mole terræ ac saxorum obrutus et sepultus, nulla tamen alicujus læsionis signa habens invenitur, cum in sella mulæ toto corpore dilaceratæ ne una particula integra

reperiretur. Multis itaque præ gaudio flentibus, sospes omnino et incolumis abbati redditur. Quem interrogans : « Si, inquit, fili, aliquid doloris in aliquo membrorum sentis, dicito, confitere, vide ne mihi celes. » Cui puer : « Ego quippe nil mali patior : quia, cum caderem, videbatur mihi quod me, Pater, tu ipse per pannum capæ meæ teneres, et ut consisterem admoneres. » Talibus nimirum verbis pueruli innocentis satis compertum est meritis tanti Patris et crucis signo salutifero illum tunc fuisse salvatum. Istud itaque ingentis fuisse miraculi, si præruptam illam abyssum cerneres, fidem tibi ipsi tui facerent oculi.

40. Venit aliquando ad conversionem miles quidam Allobrox, Willelmus nomine, moribus et genere haud ignobilis : quem gratanter suo more suscepit Pater insignis, reminiscens nempe illius Dominici dicti : *Omnis qui venit ad me, non ejiciam eum foras* (*Joan*. VI, 37), omnibus sæculum fugere cupientibus lætus occurrebat, et absque divitiarum personarumve præjudicio, cunctis misericordiæ sinus pandebat. Frater igitur ille conversus instituta sanctæ disciplinæ sitibundo hausit pectore, et sæculi prorsus despecta vanitate, ac spiritu Domino serviens, infirmitate correptus ad extrema deductus est, qui ab eodem Patre, necnon et Herimanno (6) cardinali, sancti præconii viro et eruditissimo, visitatus, post sacram unctionem sanctæque Eucharistiæ perceptionem, cum esset laicus et litterarum penitus ignarus, cœpit tamen cum illis ita agere verbis Latinis, ac si doctus fuisset inter grammaticos tempore ineuntis ætatis. Sicque mirum in modum de spiritualibus disputando, et multorum fratrum, qui eodem anno morituri erant, finem instare prædixit, et asserens se sanctam Trinitatem e vicino contemplari, felix illa anima feliciter hominem suum exuit. Qua de re Pater sanctus quamplurimum lætus, non cessabat grates Deo agere, præmittens ante se ad Dominum tales animarum fructus et primitias ex suo labore.

41. Adolescens quoque fuit ejus alumnus, nomine Lantelmus (nota res est), qui ad diaconatus ordinem nuper promotus, simplicitatis et castitatis virtute pollebat. Is etiam gravi infirmitatis molestia correptus mortis vicinæ, linguæ officio privatus jamdudum fuerat : et ecce subito quosdam fratres ad custodiam sibi deputatos suo indice ad se accedere significavit. Quibus propinquantibus ait : « Vox Domini intercidentis flammam ignis. » Instantibus vero illis quare hæc dixerit, ut aperiret, omnino conticuit. Transactis autem paucis horis, cum illi quasi dissoluti nescio quid garrirent ; simili signo eis innuens, dixit : « O vos, sacerdotes Domini, facilius possetis salvari, si semper cerneretis eum quem præsentem habetis. » His dictis eodem modo siluit. Die autem jam advesperascente, Benedictus Pater visere eum cupiens accurrit. Moris enim illi fuerat fratres infirmos ante omnia et super omnia, id est mane et sero, curam eorum agens visitare et alloquens juvenem : « Fili mi, inquit, moriens quare mihi nihil dicis ? » Tunc adolescens oculos jam morte gravatos aperiens : « Quid vis, ait, Pater, dicam ? Morior equidem, sed mirum valde non est, quia senex ille qui illic sedet, post triduum me sequetur. » Dixit, et clausis ocellis somno piæ mortis resolutus est. Senex vero ille, cujus finem prophetiæ spiritu prædixit, secundum carnem pater ipsius Benedicti abbatis erat, sancta conversatione et mira simplicitate egregius, qui in crastinum cum reliquis ad monachi illius exsequias ac sepulturam processit incolumis : sed mox valida febre correptus, in die tertio juvenem suæ dissolutionis præconem ad beatam requiem, ut creditur, prosecutus est. Patri nimirum sancto, intermisso pauci temporis spatio, puer ille defunctus candida amictus dalmatica apparuit, sibique bene esse dixit. Hæc non abs re scripta esse intelligit, quisquis discipulorum laudem ad magistrum referendam censens, illorum fratrum merita patri eorum etiam et doctori Benedicto non immerito ascripsit.

42. *Benedictus triennis baptizatus*. Loquebatur aliquando idem Pater sæpe nominatus mutuo ac familiariter ut assolet fieri, cum quibusdam fratribus, quorum unus alacrior : « Domine, inquit, jam inalbescit caput vestrum canis. » Cui Pater Benedictus : Deo gratias. Æquum igitur est ut Domino miserante, floribus erumpentibus sui fructus succedant maturius. Sed quidni frater, fieret ? Jam equidem sum ego ferme sexagenarius. Verum unum est quod recolo, per quod Dei misericordiam me consecuturum spero. Trium namque eram annorum, quando baptismi gratiam percepi : et cum in salutari lavacro mergerer, visum est mihi non inferius ire, sed quandiu in ipso sacro fonte fui in alto mentis statu constitisse, unde mundum totum infra situm esset aspicere. » Hæc verba habuit non multo post e sæculo migraturus, quibus forte finem vitæ sibi propinquum ejus quodammodo conjiciebat spiritus, cujus qualitatem noster jam perstringat calamus.

43. *Carnes edere infirmus recusat*. Ante exitum vitæ suæ toto fere anno gravi ac dubia pulsatus est infirmitate. Cui cum medicorum alii aliter consulerent, obediebat quidem illis præsentibus ; at ubi se submoverant, præ spiritus fervore quietis impatiens, et ad solitum disciplinæ atque abstinentiæ rigorem recurrens, corporeæ necessitati minime indulgere noverat, ca per hoc recidivam molestiam facile incurrebat. Et cum paulo post meliuscule habens sublevaretur, suæ item debilitatis immemor ac securus ad nocturnas conventus vigilias conabatur ascendere, subnixus trium fratrum auxilio, a dorso videlicet et utroque latere. Novissime vero cum regio morbo gravius afficeretur, quod ex hicterico et citrino colore palam fiebat, a consueta victus parci-

(6) Ignotus fuit Onufrio Herimannus iste cardinalis.

tate et qualitate corpusculo ignorabat parcere, tametsi morbus ille ob hoc, ut aiebant sibi, diceretur regius quod regalibus cibis et delicatis ferculis asseratur curabilis. Multis autem illi succensentibus et dicentibus, adhuc illum carnis edulio posse relaxari, sic respondit : « En ego morior, et comedam carnes ? »

44. *Mortis præscius, successorum mores prævidet.* Voluit autem Dominus servum suum circa finem vitæ jugi et diutina debilitate tabescere ; ut si qua forte vel levioris culpæ vulnera in illo manebant incurata, duro atque amaro transitu fierent medicata atque sanata. Hoc namque beatus Gregorius comprobat fieri historiæ Regum auctoritate, ubi leo prophetam interfecisse dicitur peccato inobedientiæ, sed minime gustasse de sancto cadavere. De termino autem vitæ suæ, sic per visum longe ante certificatum accepimus. Videbatur videre seipsum nudatum per mare nando ad littus pervenire, ibique inventis quibusdam paucis arborum surculis satis infirme radicatis utcunque illis hæsisse. Quam visionem mihi sedulo illi excubanti per seipsum interpretans dixit : « Per mare hujus sæculi laboriosa, ut cernis, frater infirmitate natando nudus et pauper ad finem vitæ pertrahor : surculorum vero, quibus vix innitebar, radix infirma, in successoribus meis debilitatem et inconstantiam fore præsignat. » Hanc utique revelationem suum auctorem et interpretem nequaquam fefellisse nos attestamur, quicunque ejus mortem, heu ! non bene superstites aspeximus, et navem ecclesiæ nostræ pene dissolutam instabilitate ac pusillanimitate succedentium, ceu ventorum turbine, non ignoramus.

45. *Ut ad eam se disponit. Unctus et viatico reficitur.* His igitur et aliis hujuscemodi revelationibus edoctus, post trium hebdomadarum spatium, hora diei sexta dissolutionem corporis sui prædixit adfuturam. Super qua jam non incertus, postpositis ex tunc omnino carnis suæ necessitatibus, totum se erigit et obligat studiis spiritualibus. Manant quotidie ex ejus ocellis lacrymarum rivuli : confitetur Aurasiaco episcopo (*évêque d'Orange*), qui tunc nutu Dei aderat, et fratribus sua delicta. Fiunt crebræ visitationes ac missarum pro eo actiones, necnon et eleemosynarum quotidianæ largitiones. Personant ante eum nocte dieque psalmi seu divinæ lectiones. Ipse quoque, quamvis corpore jam præmortuo, ac viribus cunctis effeto, psalmos qui dicendi sunt incipit, et sæpe associatur psallentibus. Postremo peracta unctione sacra, et Dominica communitus Eucharistia, ter illam beati Andreæ antiphonam largo fletu ora rigatus prout potuit cantavit : « Domine Jesu Christe, magister bone, suscipe spiritum meum in pace, quia jam tempus est ut veniens desiderem te videre. »

46. *Obit omnibus desideratus.* His et similibus piis exercitatus operibus pastor noster egregius, in vigilia sanctæ Pentecostes tradidit Domino spiritum. Ad cujus exsequias per triduum rite ac devote celebratas convenere frequentes episcopi et abbates, vicini fere omnes clerici ac monachi, catervatim quoque concurrunt laici, militum atque pagensium utriusque sexus cunei : alii fama sanctitatis acciti, plerique charitatis ejus viscera et dulcedinem experti. Fletus in commune ; præcipue ejus alumni rigant solum lacrymis. Cujus vel saxea pectora non moverent ad pietatem, viduarum et pauperum lacrymæ, quos ipse benigne solebat alere ? Tantus quippe tamque uberrimus fuit omnium luctus, maximeque sanctimonialium, de morte sui patroni insolabiliter mœrentium, quas idem Pater pro Christi amore congregaverat, ut vix in illa die funus pro densitate vulgi flentis, et sese superingerentis compleri potuerit. Obiit anno vitæ suæ quinquagesimo octavo, pastoralis curæ vicesimo quinto, ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo primo.

47. *Mira ad ejus tumulum.* Beata plane, beata es, Clusina fratrum concio, quæ tanto meruisti decorari patrono. Habes quippe præ oculis, cujus fidei sinceritatem et probos mores si digne excolueris, perennis ejus gaudii consors esse poteris. Ad sepulcrum vero illius quique languentes frequenter sanctitatis ejus experiuntur insignia, si mente fideli per ejus merita a Christo implorent sibi suffragia. Cujus rei testes existunt numerosi, per eum in suis valetudinibus medelam consecuti : quos certe possem introducere, nisi debito fine opus vellem claudere. Opportunius quippe est, ut tantæ materiæ molem plenius insinuet uta taciturnitas, quam pinguis ingenii enervet atque extenuet procax loquacitas.

Versus super tumulum ejus.

Quisquis ad hoc nostrum te vertis forte sepulcrum
Quis modo sim tracta, quis fuerimque nota.
Sum pulvis, factus fueram qui nomine magnus,
Tu fies similis, sis licet en viridis.
Conditio carnis mortalibus est data talis
Pro vetito pomo . . . .
Unde roga Dominum . . . .
Ut mihi sit requies. . . . .

Aliud.

Clauderis en pulchro. . . . Benedicte, sepulcro
Junctus pro meritis civibus angelicis,
Mysterioque crucis te munit. . . . ensis
Quo spernis cunctas dæmonis insidias
Fratribus hic multis bis denis præfuit annis,
Firmavit monitis, actibus atque piis.
Postera lux Maï nostro fuit ultima Patri,
Hanc sibi prævidit tutus et hac obiit.
Felix et lætus in pace quietat, adeptus
Lucis solamen, succine lector. Amen.

Item versus de obitu ejus.

Montibus in summis nituit mons celsior ipsis,
Mons nimis erectus, nimia bonitate refertus,
Ad cœlum tendens, cœli de lumine splendens ;
Excellens montes, emittens undique fontes,
Ut dicam verum, gestabat culmine cedrum ;
Hanc vidi cedrum penetrantem vertice cœlum :
Fructu pascebat cunctos, et odore replebat.

Heu miser et tristis, referam quid nunc super istis! A
Mons ruit et cedrus monachorum dux Benedictus;
Montibus excelsis cecidit Pater ipse Clusensis,
Non totus cecidit, quia spiritus alta petivit, etc.

Hymnus de eodem.

Insignis Dei famulus
Abbas Clusinus optimus,
Ut Benedictus nomine,
Sic erat Christi munere.
Cujus fidem in opere
Servans, sigillum inclytæ
Normæ gerebat pectore,
Per quem lauderis, Domine.
Quem suis jubes finibus
Sacris exire cultibus, B
Pium Pastorem cœlitus
Clusæ dedisti ovibus.
Nudus timore sæculi
Fretus fervore fidei,
Inter nexus pestiferos
Clusinos rexit monachos.
Constans præceptis Regulæ,
Eos instruxit optimæ,
Et jugo semper Domini
Colla subdebat placidi.
Inclytus Pastor gremiis
Gregem confovens propriis,
Cunctis in eo viribus
Excubabat sollicitus.
Austerus fuit improbis,
Dignos insectans meritis :
Ne dolis hostis falleret,
Quos Benedictus aleret.
Summi te laudant ordines,
Deus, oramus supplices
Ut ipsius suffragio
Parcas nobis in sæculo. Amen (7).

(7) Sequebantur alii duo hymni prorsus impoliti, quos, cum nihil singulare continerent, consulto omisimus.

ANNO DOMINI MXCV

DURANDUS

CLAROMONTANUS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA

(*Histoire littéraire de la France*, VIII, 424.)

En 1706, Guillaume, évêque de Clermont, ayant été chassé de son siége pour cause de simonie et d'intrusion, on élut Durand pour le remplir. Il fut ordonné aussitôt dans un concile tenu à Clermont même, et ne laissa pas de continuer à gouverner encore, l'espace de deux ans, l'abbaye de la Chaise-Dieu. Baudri, abbé de Bourgueil, qui l'avait connu personnellement, témoigne qu'il fit reparaître les siècles d'or en des temps fort fâcheux C'est nous donner de son épiscopat une idée bien avantageuse. Il ne fut pas de longue durée. Le pieux évêque prit tant de fatigue pour les préparatifs du grand concile que le pape Urbain II avait convoqué à Clermont pour la fin de l'année 1095, qu'il en tomba dangereusement malade et mourut deux ou trois jours avant l'ouverture du concile. Baudri de Bourgueil composa deux épitaphes à la mémoire de notre prélat, mais il suffit pour notre dessein, de copier l'une des deux.

ÉPITAPHE.

Temporibus luteis vir magnæ strenuitatis,
Aurea Durandus sæcula restituit.
Arvernis præsul dignissima præsule fecit,
Fecit digna Deo religiosus homo.
Ipsius exsequias dicas similasse triumphum,
Et dispensantis signa fuisse Dei,
Adfuit Urbanus centeno præsule septus,
Abbatum vero major erat numerus.

Durand avait contracté des liaisons avec Anselme, prieur du Bec, et autres personnages. Mais on ne voit point que ce commerce littéraire ait produit d'autres écrits de sa part qu'une lettre à Anselme I. I, ep. 61). Elle est fort bien écrite pour ce temps-là, et fait regretter ou que l'auteur n'ait pas fait plus souvent usage de sa plume, ou, supposé qu'il l'ait fait, qu'on ait négligé de nous en conserver les productions. On y trouve un bel éloge des *Méditations* d'Anselme, qui avaient pénétré jusqu'à Durand lorsqu'il n'était encore qu'abbé de la Chaise-Dieu. C'est par la même lettre qu'il demandait que son monastère fût associé à celui du Bec par une union mutuelle de prières. Anselme y répondit (ep. 62) en rehaussant autant le mérite de Durand qu'en rabaissant le sien propre. Il y a aussi une lettre du pape Urbain a Durand, pour l'engager à terminer un différend existant entre les moines de Saucillauges et les chanoines de Billom.

DURANDI EPISTOLA AD ANSELMUM

(*Vide Patrologiæ tom.* CLVIII, *col.* 1132.)

ANNO DOMINI MXCV

HEMMINGUS

MONACHUS ET PRESBYTER WIGORNIENSIS

NOTITIA HISTORICA

(Ex Fabricio, *Bibliotheca med. et inf. lat.* III, 206)

Hemmingus, Anglus, monachus et presbyter Wigorniensis circa annum 1095, cujus libri quinque *De Ecclesiæ Wigorniensis dotatione, privilegiis et possessionibus* mss. in bibliotheca Cottoniana. Ex illis Vita S. Wulstani episcopi et Acta synodi ann. 1092 habitæ, aliaque apud H. Warthonum, tom I *Angliæ sacræ*, pag. 541, seqq. Alia etiam in Guillelmi Dugdale *Monastici Anglicani* tomo primo, ut præstantissimo aveo jam notatum.

VITA SANCTI WULSTANI

EPISCOPI WIGORNIENSIS

AUCTORE HEMMINGO MONACHO

(Warthon, *Anglia sacra*, I, 541.)

MONITUM

Vitam S. Wulstani brevem antiquitatis ergo dimittere nolui. Auctor ejus Hemmingus monachus Wigorniensis opus de Ecclesiæ Wigorniensis dotatione privilegiis et possessionibus contexit libris quinque. Exstat etiamnum exemplar autographum, ab ecclesia Wigorniensi ante centum annos subreptum, et in bibliothecam Cottonianam denuo translatam *Tiberius A.* 13. Ex eo nonnulla evulgavit cl. V. Gulielmus Dugdale in Monastico Anglicano, tom. I. Nomen atque tempus suum multis ejusdem locis auctor ipse prodidit. Sic enim fol. 138 *b* habet: *Hunc libellum de possessionibus hujus nostri monasterii ego Hemmingus monachus et sacerdos quamvis indignus, et conservus servorum Dei habitantium in monasterio sanctæ Genitricis Mariæ, sito in urbe quæ Anglice Wigornecaster nominatur, multorum antiquorum hominum et maxime domini Wulstani episcopi pissimi Patris nostri edoctus relatione composui.* Et fol. 188 *b*: *Hunc libellum piissimus et reverentissimus Wulstanus hujus sanctæ sedis episcopus scribi fecit utilitati consulens successorum suorum.* Vitam, quam damus, S. Wulstani inibi habetur f. 186.

INCIPIT VITA

Largiflua Dei omnipotentis gratia præordinante, et beata semperque virgine Maria, ut par est credere, suffragante, adjuncta simul beati Oswaldi intercessione, Aluredus archiepiscopus venerabilem virum Wulstanum, nondum ad episcopatus apicem electum, æditum constituit Wigorniensis Ecclesiæ. Vidit enim in illo castitatem vigere, aliasque diversas virtutes in eo mansionem habere; illum laude dignis moribus præditum fore, nec suam vitam cæterorum ducere more; mundanam omnino pompam A despicere, et cœlestem duntaxat inhianter concupiscere. Unde non solum ab ipso Aldredo archiepiscopo, verum etiam ab omnibus, regibus videlicet, ducibus et principibus honorabatur et summo affectu diligebatur. Dignis eum quippe attollebant honoribus, et ob religionis cultum diligebant præ omnibus; quos ipse mutua charitate, ut erat columbinæ simplicitatis, in Christo complectebatur visceribus. De die vero in diem ad meliora proficiens, Deique adjutorio virtutes virtutibus addens, prioratum Wi-

gorniensis Ecclesiæ dispensatione divina coactus A est suscipere. Quod tamen potius causa obedientiæ quam adipiscendæ suscepit gloriæ. Venerabilis interea comitissa Godgiva, fama bonitatis ejus audita, totis illum cœpit diligere visceribus, et in diversis hujus sæculi subvenire necessitatibus. Cujus siquidem precibus comes Leofricus, conjux videlicet suus, duas terras, Blacawella et Wulfordilea vocatas, illi donavit, quas antea Dani cæterique Dei adversarii vi abstulerant, et ab ipsa Wigorniensi Ecclesia penitus alienaverant. Alteram quoque terram, quam incolæ illius Ikacumb nuncupant, filius præfati comitis Ælfgarus nomine a quibusdam obtinuit, et pro suæ remedio animæ prædicti viri Dei juri tradidit. Cernens autem venerandus archiepiscopus Aldredus hunc servum Dei bonis operibus insudare, nihil de terrenis curare, solummodo cœlestibus inhiare, in episcopatum Wigorniensis Ecclesiæ decrevit eum sublevare. Quod sicut disposuit mente, licet multum retineretur ille, non multo post implevit opere Suscepto itaque tanti honoris culmine, qualiter illud Deo se protegente tenuerit, quam sanctis operibus decoraverit, nullus edicere poterit. Mansit autem in episcopatu 32 annis, mensibus 3 et 4 septimanis. Prioratum vero Wigorniensis Ecclesiæ suscepit pro ipso frater illius Ælfstanus nomine, qui terras tres, Lena videlicet, et Dunhamstede et Peceslea sua acquisivit strenuitate. Ipse etiam servus Dei Wulstanus in hac qua manemus eremo adhuc manens, omnibus omnia fiebat, ut omnes Christo lucrari posset. A Willelmo quoque rege cæteris amplius amabatur, cæteris amplius majoris minorisque gloriæ viris pro vitæ suæ merito honorabatur. Cui poscenti dedit terram duorum cassatorum, quæ Cullaclis dicitur, et alteram 15 cassatorum, quæ Ælfestum nominatur. Has insuper terras, Mittun scilicet in Eastun, et duas Lynderycgeas et Penhyl et Grimanleah sibi reddidit. Quæ ille omnia Thomæ venerabili priori, qui prioratum post Ælfstanum obtinuit, commisit Molendinum quoque apud Northwican et quartam partem terræ ad usus fratrum donavit B Et monasterium, quod in Westbirie situm est, ejusdem prioris Thomæ custodiæ mancipavit. Quod videlicet monasterium beatus Oswaldus prius exstruxit, monachis stabilivit, et terris hominibusque illas excolentibus ditavit Verum post mortem illius sic a perversis diaboli filiis, scilicet a piratis, vastatum est, ut non remaneret nisi unus solummodo presbyter, qui divinæ servitutis officium raro explevit. At recordandæ memoriæ Wulstanus post susceptum episcopatus honorem illud reædificavit; terris, hominibus et vestimentis ad Dei servitium pertinentibus nobilitavit, ibidemque secundum loci positionem monachos coadunavit, et monasterium cum omnibus quæ ibi erant Ecclesiæ Wigorniensi subjugavit.

HEMMINGI LIBER

DE ECCLESIÆ WIGORNIENSIS INCREMENTIS

(*Monasticon Anglic.*, I 134).

Hunc libellum de possessionibus hujus nostri mo- C nasterii, ego Hemmingus monachus et sacerdos quamvis indignus et conservus servorum Dei habitantium in monasterio sanctæ Dei Genitricis Mariæ sito in urbe quæ Anglice Wigornacealter nominatur, multorum antiquorum hominum et maxime domini Wulstani episcopi piissimi patris nostri edoctus relatione et corroboratus auctoritate, quædam etiam ex nostra memoria ipsemet quibus aut interfui aut quæ nostra ætate facta sunt intermiscui, utpote de D terris quas Francigeni invaserunt, quæ omnia tanto certius dico quanto ea nostra memoria recolit facta, ea maxime intentione composui, ut posteris nostris claresceret quæ et quantæ possessiones terrarum ditioni hujus monasterii adjacere ad victum duntaxat servorum Dei, monachorum videlicet jure deberent, quamque injuste vi et dolis spoliati his caremus. Quid vero utilitatis hoc meo labore exerceatur, Dei pietas melius novit, cui totum committo. Quantum tamen ad meam attinet dispositionem hæc est; ut si quando Dei gratia concedente cor regis justitia qua nunc marcescit consolidetur, lexque quæ nunc injustis principibus confusa est justitia fulciente stabilietur, sciat sive episcopus, sive decanus, vel aliquis prælatus hujus monasterii, dum tempus aptum invenerit, quomodo eas proclamat, quomodo eas expetat, ne ignorantiæ nebulis absconsæ penitus ex memoria deleantur Cognitis enim causis, personis et temporibus quibus aut per quos quove modo ipsæ terræ vel possessiones a monasterii dominatione ablatæ sint, satis melius et convenientius quilibet earum proclamator et ad jus monasterii quo juste suppetere deberent strenuus et justus exactor, suam componet orationem et compositam majori auctoritate diligenter et nominatim singulis expressis causis, personis, temporibus, fulcire prævalet proclamationem Noverit autem studiosus lector me hoc opus non mea præsumptione, sed plurimorum rogatu, maxime tamen ipsius reverendissimi patris nostri jam dicti et sæpe nominandi, domini videli-

cet Wulstani episcopi jussione incœpisse, cujus orationibus suffultus veraciter credo ad finem usque me perduxisse. Solebat namque inter jucunda admonitionis suæ colloquia, quæ nobiscum ut pius pater frequenter habere delectabatur, non quidem me solum expresso nomine, sed cunctos fratres quos forte casus ibi præsentaverat, pigritiæ et desidiæ arguere, cur nos otio torpentes res præcedenti sive nostro tempore gestas de possessionibus duntaxat ecclesiæ nostræ nollemus litteris commendare cum nos et plura oculis nostris facta vidissemus, et ipse utpote vir venerandæ senectutis et canitiei multa posset recolere quæ plurimorum non erant recondita memoriæ. Aiebat etiam non minimum posteritatis nostræ temporibus, si litterali memoriæ commendaretur, huic monasterio evenire posse Deo donante proficuum, sicut e contrario si negligeretur accideret damnum, dum nullus superesset qui memoria recolere posset aut ei ætati rerum gestarum veritatem vel ordinem narrare nosset. His siquidem adhortationibus plurimum instigatus, ad postremum etiam ejus præcepto constrictus et auctoritate corroboratus, hoc opus aggredi sum exorsus, in jubentis magis orationibus quam in propriis viribus confisus Erat namque idem reverendissimus pater noster licet sæcularium rerum minime cupidus, hujus monasterii plurimum studens semper utilitatibus, et ne sua ut quorumdam prædecessorum suorum negligentia, commissa sibi ecclesia damnum aliquod posteris temporibus pateretur, pro posse suo præcavebat providus Unde et scrinium monasterii coram se reserari fecit, diligenterque omnia antiquorum privilegia et testamenta de possessionibus hujus ecclesiæ perscrutatus est, ne forte custodum negligentia putrefacta aut iniquorum avaritia forent distracta. Cumque ex parte ut putaverat reperisset, curavit studiose et putrescentia reparare et quæ inique distracta fuerant strenue acquirere, acquisita vero in simul congregare congregataque in duobus voluminibus studuit ordinare In uno quidem ordinavit omnia primitiva testamenta et privilegia in quibus manifestabatur quomodo vel per quos primo terrarum possessiones huic monasterio datæ sint. In altero vero chirographa quibus beatus Oswaldus archiepiscopus, cum adjutorio regis Ædgari, terras injuste a viris potentibus aliquanto tempore possessas ditioni ecclesiæ attitulavit easque regali auctoritate et senatorum consensu et principum patriæ testimonio, data unicuique chirographi cautione, post duorum vel trium hæredum tempora juri ecclesiæ absque contradictione reddendas, chirographorum etiam exemplaribus in scrinio sanctæ ecclesiæ ob testimonium collocatis suis scriptis successoribus manifestavit. Quibus ordinatis, præcepit cuncta eodem ordine in bibliotheca sanctæ ecclesiæ scribi, quatenus etiamsi ut assolet, contingeret quod aliqua negligentia testamentales sedulæ perderentur earum exemplaria saltem inibi conscripta nullatenus oblivioni traderentur. Hoc quoque juxta velle et imperium suum patrato præcepit adhuc omnia privilegia et chirographa terrarum quæ proprie ad victum monachorum pertinent separatim ex his congregari, eaque similiter in duobus voluminibus eodem ordine adunari quod in hoc codicello ejus, ut prædixi, imperio pro modulo meæ parvitatis, studiosus lector fecisse me animadvertere potest. Deprecor ergo, ut si cui hic parvitatis meæ labor cordi sedet, orationis mercedem mihi peccatori impendere non deneget. Si cui vero displicet, aut superfluum judicat, sciat me non fastidiosis et desidiosis, sed strenuis et studiosis laborasse, eisque qui pro sanctæ matris ecclesiæ proficuo et augmentatione non solum strenue certare, verum etiam si necesse erit et semetipsos impendere non dubitant, hoc opus sacrasse. Annuat quæso omnipotens Deus, et sanctæ ecclesiæ honor et potestas jugiter crescat et augmentetur ad laudem Domini nostri Jesu Christi qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI MXCVIII

RADBODUS II

TORNACENSIS ET NOVIOMENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA

(Ex *Gallia christiana* nov. edit., tome IX, col. 996).

Erat Ratbodus Evrardi Tornacensis castellani avunculus, vir scientia et piis moribus apprime laudatus, ad infulas Noviomenses promotus est anno 1068, deditque Eligianis monachis anno sequenti episcopatus sui secundo altare *de Belnencourt*. Eodem anno interfuit dedicationi ecclesiæ S. Quintini

Bellovacensis. Adfuit similiter, anno 1070, dedicationi basilicæ monasterii Hasnoniensis, et dedicavit ipse basilicam monasterii Aldenburgensis. Eodem anno subscripsit donationi villæ Hertinii, factæ monasterio Elnonensi ab Anselmo de Ribodi monte Anno 1071 subscripsit præcepto Burchardi con itis pro abbatia Corboliensi. Anno 1072 transtulit corpus sancti Gerulfi martyris, ex tabulis Trunchiniensis monasterii, et *memoriam fidelium defunctorum consecravit* in ecclesia Blandiniensi, ex Act. SS. Bened. tom. III, pag 59. Anno sequenti transtulit partem reliquiarum S Bavonis in ecclesia Castelli-Novi. Anno 1075, litigabat cum Willelmo episcopo Trajectensi de villa Brugensi, quam ad restituendam, ut cogeretur, si modo constaret illam esse de jure ecclesiæ Trajectensis, Gregorius VII papa scripsit ad Manassem I Remensem archiepiscopum. Eodem anno adfuit concilio Parisiensi, et subscripsit privilegio Philippi I regis pro abbatia Trenorchiensi. Anno 1076 adfuit concilio apud S. Medardum Suessionensem habito, deditque Theodericianis monachis altare villæ *Emmes*. Anno 1077 subscripsit diplomati regio, quo confirmatur donatio ecclesiæ Sancti Symphoriani Æduensis, facta monasterio Floriacensi. Eodem anno cum accusatus esset Simoniæ *confessus est* Hugoni episcopo Diensi ac legato apostolico, *Simoniam suam, præsentibus Laudunensi et Lingonensi episcopis*, ut narrat Hugo ipse epist ad Gregorium VII papam apud Labbe, tom X, pag. 364. Res tamen in concilio Pictaviensi anni sequentis delata est ad summum pontificem, ibid. pag. 367. At Gregorius non videtur quidquam definiisse. Sed postea, cum nondum purgatus esse videretur Ratbodus, scripsit Urbanus II ad clerum et populum Noviomensem in hæc verba, ex Vassorio pag. 788 : *Quandiu* inquit, *apud nos fuit* Ratbodus, *nemo adversus eum aliquid protulit. Eum igitur ad vos cum gratiæ nostræ plenitudine remandamus. Si quæ tamen vel de episcopatus introitu, vel aliude adversus eum querela emerserit, apud Lugdunensem legatum diligentius audiatur.* Interea præsul ille adfuit anno 1081 concilio Exoldunensi. Eodem circiter anno Godefridum S. Quintini de Monte monachum, postea Novigentensem abbatem, ac demum Ambianensem episcopum, ordinavit presbyterum. Anno 1083 subscripsit fundationi abbatiæ Ribodimontis. Anno 1084 adfuit concilio Suessionensi. Eodem circiter anno Aldenburgum concessit ad construendum ibidem monasterium. An. 1085 adfuit concilio Compendiensi. Anno 1086 dedit altare Capiaci monachis S. Martini a Campis, subscripsitque litteris Rainaldi archiepiscopi Remensis, ecclesiam Marogilensem donantis monialibus Avenaci. Anno 1087 confirmavit fundationem collegii canonicorum Harlebecensium. Eodem anno, episcopatus sui decimo nono concessit ecclesiam *de Bredenai* Gervino abbati Centulensi. et altare *de Menin* Lotberto abbati Hasnoniensi. Eodem rursus anno, pridie Nonas Julii, episcopatus sui vicesimo subscripsit chartæ Roberti marchionis Flandriæ, pro ecclesia Trunchiniensi. Anno 1088 dedit Vincentianis monachis prioratum S. Joannis Baptistæ supra Faram oppidum, ad Isaram amnem positum, necnon capitulo S. Petri Insulensis altare *de Ghydis*; dedicavitque basilicam Elnonensem. Eodem anno transtulit prope Ostendam corpus S Godolevæ, cujus vitam, quam habet apud Surium, Drogo Morinensis episcopus ipsi nuncupaverat. Anno 1090, mense Decembri, confirmavit privilegia S. Donatiani Brugensis. Anno 1091 subscripsit chartæ Rainaldi archiepiscopi Remensis, pro Cluniaco. Anno 1092 dedit Odoni Aurelianensi et sociis ejus, ecclesiolam Sancti Martini Tornacensis, quæ postea evasit celeberrima ordinis S Benedicti abbatia. Anno 1093 interfuit concilio Suessionensi adversus Roscelinum hæreticum. Eodem anno subscripsit litteris Helinandi episcopi Laudunensis, quibus munificentissimus præsul altaria tria Theodericianis monachis concessit. Eodem iterum anno dedit ecclesiæ Sancti Bertini altare villæ *Colmunt*, sub personatu perpetuo. Anno 1094 ecclesiam S. Mariæ Brugensis dedit sanctimonialibus ; quæ donatio effectu caruit. An. 1095 subscripsit concilio apud montem Sanctæ Mariæ celebrato. Eodem anno confirmavit donationem villæ Alaniæ factam a Roberto Peronæ principe, monasterio Sancti Quintini de Monte ; subscripsit litteris Philippi regis, fundationem abbatiæ Novigenti confirmantis, et interfuit concilio Placentino. Anno 1096, una cum Hugone Suessionensi et aliis episcopis provinciæ Remensis, manus imposuit Manassi II electo in archiepiscopum Remensem. Eodem anno subscripsit litteris donationis cujusdam factæ monasterio Aquicinctino. Obiit Brugis repentino fato, die Dominica infra octavam Epiphaniorum, anno 1097, id est 1098, Simoniæ crimine, cujus insimulabatur, nondum ad plenum purgatus, sepultusque est Tornaci in basilica Sanctæ Mariæ. Dederat ei Philippus rex castrum Carisiacum in pago Suessionico *perpetualiter possidendum*. litteris quas legesis in libro De re diplomatica, pag. 264. Mortem ejus describit Herimannus libro De restauratione abbatiæ Sancti Martini Tornacensis, in Spicileg. tom. II, pagg. 435 et 436. Plurima scripsit quæ periere. Habemus sermonem ejus de Annuntiatione B. Mariæ, et Vitam S. Medardi.

NOTITIA LITTERARIA

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VIII, pag. 457).

A peine jusqu'ici quelque bibliographe a-t-il fait mention de notre prélat dans le catalogue de ses écrivains. Il méritait cependant à juste titre de n'y être pas oublié ; et l'on en va juger par l'énumération de ses écrits.

1° Il y a de lui une Vie de saint Médard, évêque de Noyon et de Tournai, l'un de ses prédécesseurs au VIe sècle. Fortunat, qui vivait peu de temps après, avait déjà travaillé sur ce sujet, mais sans y réussir. Au bout de trois cents ans, un moine anonyme de l'abbaye de Saint-Médard, à Soissons, tâcha de suppléer à ce qui manquait à cette première histoire, et ne fut pas plus heureux. Radbod entreprit à son tour d'écrire la même histoire. Mais, il faut l'avouer, il n'eut guère un meilleur succès, et son œuvre laisse beaucoup à désirer, quoiqu'il sût profiter de ce que les deux autres écrivains avaient dit avant lui. Le fonds de son écrit est pris principalement à celui de l'anonyme, qu'il a remanié à sa façon, et auquel il a ajouté diverses circonstances de l'épiscopat du saint, et quelques traits de ses vertus qui ne se lisent pas dans les deux autres.

L'écrit de Radbod eut dans la suite le même sort que celui de l'anonyme. Un quatrième écrivain s'en servit pour en composer un nouveau assorti à son génie et à son dessein. Il n'a fait qu'y ajouter et en retrancher ce que bon lui a semblé, sans s'apercevoir que ce qu'il omettait valait mieux que ses nou

velles additions. Nous avons son ouvrage dans la *Bibliothèque de Fleuri* (par. II, p. 113-135). Les successeurs de Bollandus ont jugé que cette édition suffisait et ne l'ont point renouvelée dans leur grand recueil.

Ils ont fait plus d'honneur à l'écrit de l'évêque Radbod, l'ayant donné à la suite de ceux de Fortunat et de l'anonyme de Soissons (8 Jun.). Surius l'avait déjà imprimé (8 Jun.) sans toucher au style, qui est bon pour le temps, mais en l'attribuant à Fortunat. Il est cependant visible que la pièce ne pouvait appartenir à cet écrivain, puisqu'il y est fait ample mention de Drausius ou Drosion, et de Vérembert, successivement évêques de Soissons après le milieu du VIIe siècle, lorsqu'il y avait plus de soixante ans que Fortunat était mort. C'est ce qui avait fait soupçonner à ce premier éditeur que l'écrit avait été retouché par quelque auteur qui y avait fait ses additions. Tous les critiques (Boll. *ib.*, p. 87 ; Du Cang., *Gl. ind. auc.*; Bail. 8 juin ; tab. cr., n. 1 ; *Spic.* t. VIII, pr. p. XI,XII) sont aujourd'hui persuadés que c'est une des productions de la plume de notre prélat, à qui deux anciens manuscrits qui contiennent l'ouvrage, l'un de la Bibliothèque du roi, entre ceux de M de Thou, l'autre de l'abbaye de Compiègne, l'attribuent sans le moindre équivoque. *Vita S. Medardi*, porte ce dernier, *quam domnus Radbodus Noviomensis sic dictavit.* L'inscription de l'autre n'est ni moins claire ni moins décisive.

2. On croit (Bolland. 11 *April.*) que Radbod est aussi auteur de la Vie de sainte Godeberte, vierge, que l'église de Noyon honore d'un culte particulier (fin du VIIe siècle). Quoiqu'on n'ose pas assurer positivement que cet écrit lui appartient, il y a cependant un légitime fondement à n'en pas douter. Outre qu'il se trouve beaucoup de ressemblance entre le style de cette pièce et celui de la Vie de saint Médard par notre prélat, un manuscrit de la cathédrale de Noyon, qui la contient avec quelques autres de ses écrits, la lui donne disertement.

Il y avait bien loin, comme on voit, du temps de l'auteur à celui de la sainte. Il ne pouvait donc réussir à écrire son histoire sans de bons mémoires, ce qu'il ne paraît pas qu'il ait eu. Aussi nous apprend-il très peu d'événements intéressants de sa vie. Au lieu de cette sorte de faits, il a principalement rempli son écrit des miracles qu'elle avait opérés de son vivant et après sa mort. Il le commence comme si c'était un sermon, et il y a bien de l'apparence qu'il le prononça de vive voix. L'écrit retient effectivement quelques traits du panégyrique, quoique le style en soit simple et sans art.

Surius l'ayant extrêmement abrégé et retouché à sa façon, Mosander l'a donné le premier au public. Dans la suite, Léon de Montigny, chanoine et archidiacre de l'église de Noyon, l'ayant recouvré entier dans le manuscrit dont il a été parlé, en fit une traduction en notre langue, qu'il accompagna de savantes notes, et qui fut imprimée en 1530. C'est sur le même manuscrit que les continuateurs de Bollandus l'ont donné dans sa pureté originale, avec leurs notes et observations accoutumées. Dom Mabillon, qui lui a refusé place dans son recueil d'Actes des saints, se borne à dire que cette Vie lui a paru d'une autorité suspecte, mais sans en alléguer de raisons.

3° Radbod faisait souvent usage du don de la parole, qu'il possédait, pour l'instruction de son peuple. Il y a donc tout lieu de croire qu'il laissa plusieurs sermons de sa façon. Il ne nous en reste cependant que très peu, au moins que l'on connaisse. Valère-André ne fait mention que d'un seul (*Bib. Belg.*, pag. 784), qui est *Sur l'Annonciation de la sainte Vierge*, et qui se trouvait, au temps de ce bibliographe, dans un manuscrit de Saint-Martin de Tournai. Il se trouve aussi dans le Lectionnaire de l'abbaye de S. Eloi de Noyon (Du Cang. nov. ed. t. II, p. 249), où l'on s'en servait autrefois à l'office de la nuit, le jour de la fête de ce mystère. On croit qu'il fut fait et prononcé en 1081.

Le sermon dont il s'agit se lit encore dans un manuscrit de la cathédrale de Noyon, avec un autre du même auteur sur la nativité de cette B. Mère de Dieu. C'est sans doute de là que Jacques le Vasseur les tira l'un et l'autre, pour les publier dans son *Cri de l'Aigle*, après les avoir traduits en notre langue.

Outre ces deux sermons, Sanderus (*Bib. Belg.*, ms. par. I, p. 124) en reconnaît un troisième, composé aussi par l'évêque Radbod. Celui-ci, qui est *Sur la conception de la sainte Vierge* (1), se trouvait encore au dernier siècle entre les manuscrits de Saint-Martin de Tournai, et commence par ces mots : *Audivimus, fratres dilectissimi, pastorem.*

4° Radbod travailla aussi à enrichir la liturgie. Il composa effectivement l'Office de l'Annonciation de la sainte Vierge, dont on se servait encore dans l'Eglise de Noyon au jour de cette fête, du temps de le Vasseur, qui l'atteste (*Ann de Noyon*, p. 778).

Il fit aussi un Office, ou partie d'Office, pour sainte Godeberte, que l'on chantait autrefois dans l'église de cette sainte (Bolland., *ibid.*, p. 32).

5° Enfin, on a de notre prélat une lettre écrite à Lambert, nouvel évêque d'Arras. Elle fait la vingt-troisième entre celles de ce dernier et les autres qui lui sont adressées (Bal. *Mis.* t. II). L'auteur lui expose les vexations que souffrait l'abbaye de Saint-Amand de la part d'un seigneur de son diocèse nommé Anselme, et le prie, par de pressants motifs, d'y remédier, même par la voie d'excommunication. Il lui demande en même temps la permission de la prononcer lui-même de son côté contre le coupable, s'il ne venait à résipiscence. Il est aisé de juger de l'extrémité du mal par la violence du remède.

(1) Il y a lieu de soupçonner que Sanderus a écrit ici le mot de *conception* pour quelque autre, car cette fête n'a été établie dans l'Eglise que fort longtemps après l'évêque Radbod.

VITA SANCTI MEDARDI
NOVIOMENSIS ET TORNACENSIS EPISCOPI
AUCTORE RADBODO.

(BOLLAND. *Acta sanctorum*, Junii tom. II, die 8, pag. 87).

CAPUT PRIMUM.

Ortus, illustria in juventute facinora, sacerdotium.

1. Beatissimus Medardus, egregiæ vir sanctitatis, patre Nectardo, matre vero Protagia genitus apud Salentiacum, hæreditariam prædecessorum suorum possessionem, natus atque alitus. Est autem prædium illud Salentiacus in episcopatu situm Viromandensi, in regione autem Noviomensi; qui Noviomus, cum tunc temporis castrum seu munitio haberetur, postmodum ipsius ejusdem gloriosi pontificis Medardi ordinatione, pontificalis cathedræ honore, ut postea dicendum reservamus, sublimatus est. Sanctus itaque puer, sub parentum tutela diligenter educatus, divinæ providentia gratiæ studiis litterarum eruditus, parvo in tempore inspiratæ scientiæ lumine præ cæteris consodalibus suis eminentius claruit.

2. Erat autem illi eo in tempore consodalis quidam, Eleutherius nomine quem ipse tanquam similis similem, puer videlicet puerum, socius consocium, quam multa diligebat familiaritate Hunc itaque, cum aliquando invicem colloquerentur, utpote propheticæ gratiæ afflatus spiritu, episcopum futurum esse puer ipse prædixit; et non multo post, ejus spiritualem prænuntiationem, ipse per quem prophetaverat, Spiritus sanctus adimplevit. Cum enim ætatis et morum sibi divinitus aspirasset gratia, in Tornaco civitate pontificali Deo annuente sublimatus est cathedra. Ita Medardus hoc quod prædixerat, quasi propheta, divino spiritu jam probavit.

3. Erat ei super egentibus cura non modica, adeo ut adhuc puerulus, multa sese domaret abstinentia, expensam suam pauperibus distribueret, ac vestimenta sua indigentibus benevole largiretur. Quadam siquidem die, casulam, quam ei mater sua non modici pretii fecerat, dum ipse in manibus haberet fortuitu cæcum quemdam habuit obvium, cujus quam tunc patiebatur nuditati compassus, eam benignissime porrexit; et licet parentum temporalium indignationem revereretur, quod tamen ab eis susceperat, spirituali patri Deo præsentare non dubitavit.

4. Contigit eo tempore genitorem suum, quem, prænominavimus, ab itinere rediisse, equosque suos, A qui defatigati erant, quia tunc servientes aberant, huic sancto puero, quo in prato sub ejus custodia reficerentur, commisisse. Puer autem ex patris præcepto equos hilariter suscepit, et voluntati ejus assentiens, injunctum sibi officium officiosissime adimplere properavit. Cum vero in custodia eorum intentus esset, vidit fortuitu ignotum quemdam pertransire, ac sellam equestrem et quæ equitantem condecent a tergo gestare. Percunctari puer cœpit qua de causa sic incederet onustus, cum solummodo via vianti gravi satis impedimento videretur. Equum meum, ille respondit, contigit casu deperisse, quæ tamen equi erant inutile mihi visum est perdidisse: facilius nempe solum equum mihi erit comparare, quam et equum et quæ ad hujusmodi condecent of-
B ficium, reparare: puer autem bonæ indolis, tantæ illius compatiens fatigationi, cum jam eum præ nimio labore desudantem et pene jam deficientem vidisset, ex piissimo affectu mentis: « In nomine, ait, Domini, unum ex his tolle, quos hic in custodia suscepi. » Cumque viator, hoc suæ potestatis non esse ambigens, aliquantulum remoraretur: « Tolle, ait, sicut dixi, et quocunque te pertransire contigerit, me hujus concessionis et auctorem et patronum incunctanter habebis. » Persuadenti puero eques libentissime, utpote nimis defatigatus, obtemperavit; equoque quam citissime strato, cum multis gratiarum actionibus lætus abscessit.

5. Post ejus abscessum, cum jam domi paratum esset, per quemdam servorum puer a parentibus ut
C prandio interesset invitatur. Ille vero qui ad hoc missus est, eminus prospiciens, videt puerum propter pluviam, quæ tunc forte ingruebat, aliquantulum ab equis secessisse, ac tanquam latebram propter imbrium effusionem quærentem, ab officio declinasse, et in altum oculos elevans, videt aquilam alarum expansione, omnique ad hoc distento corpore tam congruenter puerum cooperire, ut in nullo, cum circumquaque pluvia illa grassaretur, ab inundante aeris illius contingi posset exundatione. Hoc diu miratus, tandem non sine multa trepidatione appropians, humillime puerum sanctum adiit, et ut ex præcepto patris, paterno interesset convivio diligentissime invitavit. Puer autem ire recusans: « Precor, inquit, frater, revertens domum, apud

parentes meos super hoc me habeas excusatum. » Ea de causa fortassis remorari cupiebat, quo jam dictus eques in hac remoratione longius eveheretur, ne forte ab aliquo, si eum insequi vellet, inveniretur. Reversus itaque servulus parentibus filii replicat excusationem; et non sine multa stupefactione, aquilæ super puerum ex ordine pandit obumbrationem. Parentes, cum omni familia super his quæ audierant murmurantes, invicem lætantur; ut vero certiores fiant, ad videndum tantum hoc miraculum hilariter sese cohortantur. Relicto convivio pater cum omni ruit familia, mater cum ancillulis ejus currendo pene atterit vestigia; unum omnibus votum, si forte quæ auditu didicerant, visu etiam probare possent. Ubi vero illo ventum est, invenitur diligentius, et quod relatu didicerat, ipso suorum oculorum testimonio veraciter confitentur. Pater et mater super filio quam familiariter lacrymantes, Deo puerum commendant, ac non sine multa devotione, charissimæ suæ sobolis innocentiam retractant.

6. Inter hæc milites, quorum equos custodierat, equis recensitis, unum deesse reperiunt, quem (ut hujusmodi mos est hominibus) a puero intente requirunt. Blande ac leviter puerum demulcent, insistenter ab eo requirentes si quam per eum damni hujus adinvenire possent recuperationem: erat siquidem aliquantula super talibus de illo suspicio, qui eum erga pauperes non nesciebant esse munificum, ac quidquid uspiam reperire poterat, in usus eum audierant expendere miserorum. Cumque a famulis ea de causa et privatim et publice argueretur, appropians patri rem ordine pandit. Miratur pater clementissimam compunctionem filii; et licet damni aliquantulum sibi non nesciret imminere, admodum tamen super benevoli pueri benevola congratulatus est compassione. Tantum hujus pueri Dominus in sua prospiciens voluntate famulatum, ipso eodem momento magnum subito dignatus est ostendere miraculum. Nam cum denuo equorum suorum sollicite recenserent numerum, divina sic operante majestate, totam eorum integritatem ex improviso reperiunt. Mirantur astantes, familia cuncta lætatur. Pater cum matre filium quam familiariter amplexantur, et ut ad altiora se subrigat lacrymabiliter cohortantur. « Fili, aiunt, omnia nostra sunt tua, utere nostris ut libet: tuo, aiunt, et nostro, ut tibi visum fuerit, in Dei gratia utere patrimonio, ut nos tecum consortes perennis vitæ habeas in præmio. » Non diffidebant enim ejus se oratione salvari, quem jam tantis a Deo videbant virtutibus illustrari. Et hæc dicentes, secum adducunt puerum: multoque cum gaudio, in his et aliis bonæ suæ sobolis actibus, Deo gratias referentes, gratanter sese reficiunt.

7. Accidit postmodum, dum domi puerulus haberetur, inter indigenas non modica quædam altercatio, de terminis videlicet agrorum, ut frequenter fieri videtur, jugis et infinita disceptatio. Rixabantur multoties a mane usque ad vesperam, et (ut hujusmodi rusticis moris est) pene jam ad arma usque invicem exprobrando processerant. Genus enim hoc agreste hominum, si quid inter eos dissensionis exortum fuerit, nisi cum multa ignominia terminare nesciunt. Cum vero tandem, ex communi consensu, ad dirimenda agriculturæ suæ processissent confinia, contigit cum eis adfuisse et hunc venerabilem puerum. Ubi vero ventum est ad locum, cum diversi diversa sentirent, vidit puer lapidem terræ fixum, ut plerumque videri solet in terminis agrorum: super quem pedem injiciens; « Hic est, inquit, terminus et hujus contentionis limes certissimus. » Ad cujus levissimum tactum lapis ille ita subsidit, veluti cera a facie candentis ferri liquescit. Apparet equidem figura plantæ ejus, in eadem caute adeo subtiliter expressa, ut a nullo artificum expressius exsculpi aut signari posset. Ita contentione sedata, Dominum, qui magna operatur in minimis, glorificantes, redierunt in sua. Exstat usque in hodiernum diem penes nos idem lapis, magnæque apud eos quibus est cognitum habetur venerationis. Hæc duo, quæ in pueritia ejus acta cognovimus, dixisse sufficiat: amodo autem ad ea quæ in maturiori ejus ætate per eum Dominus operatus est, Deo ipso annuente, tota mentis intentio est dirigenda.

8. Respicientes autem boni parentes bonæ sobolis suæ benevolentiam, et in servitio Dei ejus attendentes industriam, episcopo eum qui tunc temporis Viromandensi præerat Ecclesiæ commendaverunt, orantes devotissime quatenus episcopali benedictione ad clericatus promoveretur officium. Commendatum itaque sibi benigne præsul suscepit, benevole amplexatus est, et diligenter enutrivit, et tanquam unicum et uterinum filium, in fide et doctrina ecclesiastica educare liberaliter elaborabat. Quantæ ipse liberalitatis, quantæ sanctimoniæ seu castimoniæ se a puero exhibuerit, quanta humilitate seu reverentia et apud Deum et urbis pontificem claruerit, pro certo edicere non est nostræ possibilitatis. Erat quidem magnanimus in adversis, mitis in prosperis, cunctos sibi obedientiæ sedulitate præferens, morum claritate præcellens, egentibus larga miseratione succurrens. Sicque viriliter fomite conculcato vitiorum, angustiorem conscendens scalam virtutum, quidquid Deo contrarium sentiebat, declinabat; quidquid vero placitum noverat, omni nisu exsequebatur. Erat siquidem in oratione assiduus, jejuniis et vigiliis intentus, aliorum tribulationibus tanquam suis ipsius lacrymabiliter compatiens: omnibus omnia factus erat, ut omnes ad æternam confortaret consolationem. Quid plura? Multis attestantibus peregrinus erat in sæculo, et jam pro certo mansionarius credebatur in cœlo: facies ejus jucunda, lingua ejus facunda, os ejus in laudem Dei semper erat apertum. Carnis voluptatibus reluctans, perfectiorem spiritualis vitæ

lineam toto nisu exsequebatur; obedientiæ virtute omnibus se imitabilem, frugalitate laudabilem et universa morum probitate præbebat insignem. De virtute in virtutem secundum Psalmistam transmigrabat, ut Deum deorum videre promereretur in Sion.

9. Decursis itaque cum multa honestate inferiorum ordinibus graduum, post bonam eorum administrationem, divina sibi aspirante gratia, sub multimodo utriusque sexus testimonio, sacerdotale promotus est ad officium. Simul vero ut tam sublimi promotus est dignitati, quanta corpus suum parcimonia maceraverit, quis posset explanare. Ipse quidem multa se affligens abstinentia, esurientes reficiebat; sitiens ipse, sitientes refocillabat; nudos, suæ non parcens nuditati, misericorditer vestiebat; et omissis sui suorumque usibus, quidquid sibimet subripere poterat, pauperibus et egenis benigne largiebatur. Postquam ergo vir beatus dignitatem, ut prælibatum est, adeptus est sacerdotii, divinæ dispositionis gratia, multimoda miraculorum meruit declaratione publicari. Deus siquidem, cujus ipse sanctis institutionibus viriliter elaborabat obedire, per multa eum insignia mundo non dedignatus est declarare.

CAPUT II.

Mira erga fures benevolentia. Alia prodigia. Episcopatus susceptus.

10. Contigit forte illis in diebus latronem quemdam vineam ejusdem Sancti noctu irrupisse, multaque cum aviditate uvas et palmites, et quidquid arripere potuit irreverenter discerpsisse. Secabat gladio quod manu discerpere non poterat, quæque manum evadere poterant, pedibus atterendo conculcabat. Sanctus autem Medardus ipsa fortassis eadem hora solitis incumbebat orationibus; et, sicut hujusmodi decet hominem, Deum tam pro inimicis quam pro amicis deprecabatur. Orasset autem necne, non dormitabat tamen, neque dormiebat pervigil custos Israel. Cum enim miser ipse latro plenis præda manibus affugere conaretur, tota nocte vineam circuiens, aditum exeundi reperire non potuit; imo, vellet nollet, ad usque auroram suo ipse furto devinctus, ibidem tota ipsa nocte permansit. Quid ageret? A summo usque ad summum vineam tum rependo, tum discurrendo circumquaque percurrebat: obstrusos sibi sentiens exitus, iniquæ suæ malitia conscientiæ admodum torquebatur. Miser ipse uvas quas decerpserat dimittere non poterat, imo tanquam proprias ad augmentum judicii sui reservare cogebatur. Aurora igitur illucescente, custodes subito conveniunt; vineam conculcatam, palmites disruptos, vindemiamque irreverenter desecatam reperiunt; et e vestigio latronem circumquaque insequuntur. Stupefactus nimium, raptor infelix, latebat in vinea, quem sua ipsius rapina, tanquam jam judicatum pene condemnaverat. Tenebat quidem rapinam in manibus, imo ipse a sua ipsius rapina tenebatur; nullum jam misero patebat affugium, imo in manibus suum ipse in palam præferebat judicium. Abstractus demum a latibulo, confusionis suæ ignominiam confessus est in publico. Confessus est se rapiendi causa furtim vineam irrupisse; et, cum maxima parte noctis ad id elaborasset, nusquam exitum reperisse. Erat ibi videre miseriam, videre miserum illum in seipso suæ gestare sententiam damnationis, qui et rapinam præripuerat, et ab ipsa sua rapina publice se confitebatur coarctari. De latrocinio suo gustare non potuit, et quia sanctum sacerdotem injuste insequebatur, condemnationis suæ periculum impune non evasit. Adjudicatus ergo jam cogebatur ad supplicium, cum sanctus ipse sacerdos ex improviso accurrens, misero factus est munimentum. Memor siquidem Dei servus Dominicæ orationis, in qua oramus: « Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; » vix de manibus eum eripuit insequentium: blandeque ac leniter demulcendo, ab hac eum culpa clementer absolvit, et eum sicut erat onustus abire libere permisit.

11. Hac eadem patientia vir sanctus plerumque et in alios usus est. Quodam namque tempore, cum noctu latro alius apes suas subripuisset; apes ipsæ in sancti viri ultionem, relictis vasis suis, malefactorem illum circumquaque diffugentem, acerrima eotenus instimulatione persecutæ sunt, quousque ad Sanctum, vellet nollet, regrederetur; et ejus provolutus vestigiis, suppliciter pro commisso crimine veniam precaretur. Cui mox ut Sanctus manum extendit benedictionis, et apes tanquam obedientes ab ejus insecutione cessaverunt, et antiquo domini sui dominio evidenter sese reddiderunt.

12. De tauro quoque, qui ei similiter furto sublatus est, non est tacendum, ne nesciant malefactores, curam non modicam Deo esse super oppressione fidelium suorum. Taurum illius malignus quidam furtim in exteras abducere partes præsumpsit, et ne ab aliquo insequentium deprehenderetur, tintinnabulum quod a collo dependebat præreptum, multa graminis impressione obstruxit. Cum ergo nemine se insequente in propria devenisset, et alienum illud pecus jam ex certo sui esse juris non desperaret, in tintinnabulum illud, quod sic damnaverat, rediit sonitus; adeo ut ubicunque esset repositum, et jugiter sonaret, et circumquaque audiretur. Abditum sæpius in cubiculis penetralium, in scrinio vel arca frequentius reconditum, semper tamen et ubique liberrimo sonitu, latronis illius declamabat flagitium. Audiebant vicini et mirabantur; quid tamen res prætenderet necdum scientes, magnum aliquid designari arbitrabantur. Fraudulentus demum latro, sua diu tortus conscientia, cum jam se pro tanto miraculo divina judicatum pertimesceret in præsentia, amicis suis et affinibus, quia jam celare non poterat, factionem hanc flagitiosissimam lacrymabiliter disseruit, et eorum sapienti usus consilio, S. Medardo, quod maligne defraudaverat, suppliciter restituit.

13. Rex postea Chlotharius exercitum movens, Summam violenter transivit fluvium, et ubicunque potuit deprædatus, adjacens omne devastavit territorium. Cum multa ille præda inter Noviomum revertebatur et Isaram; verum quia et episcopatum Viromandensem et quæ sub illa degebant Ecclesia, deprædatus erat, divinæ ultionis digne et laudabiliter prædicandam non evasit sententiam. Parcens quippe Dominus et ipsi Chlothario, et qui cum ipso erant participibus hujus criminis, equos tamen eorum et omnia vehicula, plaustra scilicet et alia quibus præda evehebatur, adeo divinitus affixit, ut per omne triduum a loco illo nullo modo possent moveri. Perspicientes autem tantum hoc Dei miraculum, ad sanctum Dei sacerdotem Medardum, qui tunc temporis Salentiaci remorabatur, suppliciter confugiant : eique unanimi devotione, quæ deprædati fuerant restituentes, cum ab eo super commissis absolutionem suscepissent, divino illo vinculo resoluti, læti et alacres ad propria reversi sunt. O mira et ineffabilis Dei clementia ! Quos ipse Deus judicii sui per triduum justissima ligaverat condemnatione, sanctus confessor Medardus uno in momento indulta relaxavit absolutione. Vere lingua Petri et qui ab eo suscipiunt, claves sunt regni cœlorum, quibus concessum est vere pœnitentes tam potenter a nexibus absolvere peccatorum (2).

14. Tosio postmodum quidam, qui sic dicebatur, gravissima dæmonis depressus infestatione, ad virum Dei non sine multa parentum seu amicorum suorum perductus est fatigatione. Dolens autem Sanctus ipse, a diabolo, Dei præoccupatam esse imaginem, fidentissimam ad Deum fudit orationem, moxque signo crucis imposito, potentissima Spiritus sancti virtute, et diabolum expulit, et hominem illum in pristinam sanitatem restituit. Tantum hunc Dei servum plebs universa admirabatur, ut quidquid ex ejus ore suscepisset, cum summa devotione studiosius exsequeretur. Erat enim justus in judicio, providus in consilio, in prosperitate mitis, in adversitate fortis ; erat patiens in tribulatione, larga miseris subveniens miseratione ; et licet omnibus ipse præstantior judicaretur, omnibus tamen tanquam præstantioribus humillime obsequebatur ; et per omnia prælatis suis obediens, subjectis suis amicabiliter sese affabilem exhibebat. Erat in oratione assiduus, in eleemosynis largus, aliorum incommoda sua ipsius æstimans, pro universali omnium prosperitate Dominum sedulo exorabat.

15. Contigit ergo eo in tempore Viromandensem episcopum, qui per aliquot annorum curricula ipsam rexerat Ecclesiam, Dei sic præordinante clementia, divinum ad judicium evocari ; et sponso Ecclesiæ prærepto, Ecclesiam illam per aliquod temporis spatium viduari. Peractis vero non sine multo fletu episcopi sui excubiis regis et optimatum assensu, sanctissimum sacerdotem Medardum plebs omnis illa Viromandensis, et omnes eidem provinciæ adjacentes, episcopum sibi unanimiter acclamabant consecrari : quorum petitioni cum diutius, indignum se judicans, vir Dei restitisset ; divina tandem dispositione multimodis eorum precibus fatigatus assensum dedit, et Viromandensis præsulatus curam regendam, non sine devotissima cordis compunctione suscepit (3). Flebat siquidem populus ille, tantam sancti confessoris duricordem reveritus obstinationem : compungebatur et ipse Sanctus, tantam plebis illius luctuosam admiratus devotionem. Vicit tandem populi supplicantis supplex oratio, et quæ sibi a sanctis pontificibus objiciebatur obedientia ; et licet invitus, ecclesiastica tamen suscepit gubernacula. Quod vero invitus suscepit, feliciter et intente administravit. Hujus quippe prælationis honore sublimatus, sanctissimæque unctionis sacramento confirmatus, die noctuque in lege Domini meditabatur, et infatigabiliter divinis in laudibus persistebat ; et cum ab ipsa infantia curandis pauperibus sedulo insudasset, tum præcipue majorem in hoc diligentiam adhibens, in ipsis majestatem ipsam Dei se non diffidebat amplexari. Sedula quidem prædicatione, subditorum animas a diabolica liberabat seductione, bono suæ conversationis exemplo confortabat, et quoscunque devios seu erroneos noverat de ipsis mortis faucibus ad vitam prædicando revocabat. Quid plura ? Quod ore prædicabat, indissimulato opere, ne aliis reprobus efficeretur, explere non negligebat.

CAPUT III.

Sedes Noviomum translata. Adjunctus episcopatus Tornaci. Morbus. Obitus.

16. Verum priusquam beatissimus pontifex episcopali sublimatus fuisset cathedra, crebris et intolerabilibus (4) Wandalorum, Hunnorum Hungarorum et aliarum gentium irruptionibus universalis devastata erat Gallia. Destructis civitatibus, diruta Gallicana lamentabatur Ecclesia ; exsectis matrum visceribus inhumata infantium projiciebantur corpora ; conjugibus interfectis, matronæ viduatæ remanserant;

(2) In Vita altera ista adduntur : « Si quando vero subulci sues ejusdem agerent in glandem, quoties furtim subducebantur, toties ad proprium revertebantur dominum. Nam nullo præduce ad beatum virum de longinqua repedabant intercapedine. »

(3) In eadem Vita dicitur « hujus consecrationis caput exstitisse B. Remigius Remorum archiepiscopus, qui B Medardum sanctificationis perungens oleo, super gregem Christi pastorem instituit, cooperante Spiritu sancto. » Hæc ibi. De ætate et anno obitus S Remigii egimus 6 Februarii, et ostendimus vixisse saltem ad annum 530, ulterius progressuri ad Kalendas Octobris, quando ex professo de ipso agemus.

(4) Wandali, anno 407 duce Gunderico; Hunni, anno 451 duce Attila, Gallias vastarunt. Quibus Radbodus adjecit *Hungaros*, ut ab Hunnis distinctos, qui subsecutis sæculis idem fecerunt.

et præ nimia desolatione, ad internecionem usque indigenæ omnes pene devenerant. Dolens itaque vir beatus civitatis illius Viromandensis, quam regendam susceperat, jam factam desolationem veritusque iterandam (5) paganorum irruptionem, Noviomum, quem in unitiorem prænominavimus, sano satis consilio sedem constituit episcopalem. Est enim regio illa fertilis et amœna, vineis et hortis abundans, multaque annonæ cultura; bellicosos generans homines, et in ecclesiasticis officiis utriusque sexus personas, Deo generose servientes: est et regio ipsa silvis circumdata et paludibus; et sua ipsius habilitate contra hostiles non parum munita excursus. Ipse quoque inter geminos rivulos constitutus est Noviomus, ab oriente Galliola, ab occidente Margareta circumfluitur, quos ambos tertius quidam suscipit, qui Versa nominatur; et sic pariter confluentes non longe a mœnibus illis in Isaram, qui magni est nominis, dilabuntur. Circumquaque ibi virent pomaria, grata ibi planities est, et amœnissima pratis et pascuis virentibus, suis non modicum arridet habitatoribus. Est etiam locus ipse ab oriente et occidente adeo rupibus vallatus et rivulis, montibus quoque et vallium cuniculis, quod contra plurimam hostium incursionem a paucis commodissime possit defendi.

17. Ibi ergo, ne ulterius direptioni subjacerent gentium, episcopali sede confirmata, sanctus præsul Domini, suæ oves pastoralitatis multa prædicationis instantia confortabat. Prædicabat instanter pœnitentibus promissam remissionem peccatorum, prædicabat omnibus regnum Dei appropinquare, citoque judicium Dei futurum. His et aliis multimodis prædicationibus, et carus Deo erat, et in populo amabilis admodum habebatur.

18. Cum ergo ecclesiam quam Noviomi construxerat felicissime gubernaret, et suos quosque, prout diximus, ad æternam remunerationem confortaret; (6) S. Eleutherium Tornacensis Ecclesiæ pontificem, quem ipse, ut prælibavimus in infantia sua futurum esse prædixerat episcopum, hominem contigit exuere; ac post felicem pontificii sui administrationem, de terrenis ad cœlestia coronandum transmigrare. Post cujus lugubres exsequias, cum de pontificis electione invicem dissererent, peracto triduano jejunio, et solemnibus hostiarum victimis Deo devote oblatis, subita sancti Spiritus inflammati inspiratione, unanimiter sanctum hunc Medardum elegerunt, ejus se orationibus confidentes contra impetus muniendos esse malignorum spirituum. Id clerus, id populus acclamabant; in hoc rex ipse proceresque palatii, præcipue comprovinciales episcopi, consentiebant. Legerant siquidem, vocem populi, vocem ipsam esse Dominicam; et quod tam unanimiter populus expetierat omni remota excusatione fieri adjudicabant.

19. Recusabat humillime insignis Dei præsul, quod plebs tam unanimiter acclamabat, obstinato eis animo, impotentem se et indignum vociferante, magnanimiter resistebat. Pontificali demum, metropolitani scilicet et comprovincialium suorum, evictus auctoritate; regisque ac procerum assensu, plebisque coactus incessabili acclamatione, vix concessit; et unanimi, pontificali videlicet ac regali auctoritate duas illas Ecclesiam unam fecit; utrumque ovile pastor egregius, consilio et auctoritate comprovincialium episcoporum, tempore (7) Hormisdæ papæ, sub sanctissimo Remigio Remorum archiepiscopo, assensu regis et curialium, ac utriusque plebis acclamatione tandem suscepit, et, ut utrique ecclesiæ cathedralis semper honor maneret, benigne concessit. Quot et quanta in regione illa opprobria, quot et quanta perpessus sit injurias; quoties comminationibus injuriatus fuerit Tornacensium, quoties pro incessabili prædicatione adjudicatus fuerit ad supplicium, licet nos lateat, Deo tamen soli manifestum esse, nulli est ambiguum. Erat enim gens ipsa fera et indomabilis, duræ cervicis populus et implacabilis, pravis admodum subditus obsequiis idolorum, et cum multa obstinatione suorum defendens culturam deorum. His ipse se viriliter injiciens sanctus episcopus, evangelicas et apostolicas institutiones imperterrite prædicabat, falsis eorum objectionibus magnanimiter respondebat, et imaginarias eorum opiniones veridica prophetarum prænuntiatione viriliter expugnabat. Aderat siquidem ei divina semper gratia, quæ illum et ab infidelium protegebat incursu, et eorum quoque infidelium ad dulcisonam spiritualis doctrinæ institutionem emolliebat auditus. Sicque factum est ut parvo in tempore innumerabilis eorum multitudo ad fidem catholicam converteretur: et Deo præordinante, per inæstimabilem sancti hujus pontificis instantiam, sacrosancti baptismatis unda maxima ex parte sanctificaretur.

20. Comprobatur in hoc sancto pastore veridica summi Pastoris sententia, quam sancta et evangelica nos edocet historia: « Signa, inquit, eos qui in me credent, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt (*Marc.* XVI). » Dæmonia quidem sanctus Dei athleta ejecit, cum Creatoris imaginem ab idolorum cultura, remissionem peccatorum prædicando, relocavit. Lingua eum nova locutum esse non diffidimus, cum ad ejus prædicationem, quam eatenus

(5) Maxime propter domestica bella, quibus sæpe immiscebantur pagani.

(6) S. Eleutherium ex hac vita decessisse anno 531 diximus ad illius Acta 20 Februarii.

(7) Est σφάλμα auctoris, vel interpolatoris. Nam S. Hormisdas mortuus est anno 523, 6 Augusti, quo colitur. Quod idem de S. Remigio dicendum videtur.

non audierant, infideles ad fidem transisse non nescimus. Serpentes siquidem eum manifestum est ejecisse: cum prædicationis sanctæ antidoto, ab exsecrabilis serpentis venenosis immissionibus languentium ei gentium corda concessum est sanasse. Mortiferum multoties bibit, verum ei non nocuit, cum profanis semper repugnans persuasionibus, neque diabolo neque ministris ejus succubuit. Ægros bene se fecit habere; cum eos ad veræ fidei sanitatem, de infirmissima convertit incredulitate. Sic itaque ad imitationem summi Pastoris, qui, sicut ab eo Evangelio suscepimus, alias habens oves, de duobus unum ovile fecit (*Joan.* x), sanctus pontifex Medardus, ferocem illam Flandrensium gentem, suæ Noviomensi Ecclesiæ associavit; et per quindecim annorum spatium, licet aliquo itineris intervallo remoti essent, ad divinum eos cultum informare indesinenter elaboravit. Quindecim annis commissam sibi divinitus insedit cathedram: eo in tempore, non sine multo labore, incredulos et infideles ad fidem educavit catholicam: reædificatis ecclesiis, eos qui Deo inibi servirent, non sine sacræ manus impositione decenter consecravit; et quidquid Deo placitum noverat, incessabiliter et inexcogitabili devotione ordinavit (8).

21. Hujus ergo temporis transacto spatio, sanctum Dei pontificem gravissima contigit deprimi corporis infirmitate, et invalescente morbo corporeos ejus sensus de die in diem paulatim deficere. Jacebat quidem Sancti corpus omni pene sua ipsius virtute destitutum; spiritus autem, quia semper Christum desideraverat, omni nisu suspirabat ad eum; fessum corpus ad suam anhelabat materiem, anima vero ad eam unde processerat tendebat hæreditatem. Confluebant undique, quos ipse regendos susceperat, ad pastoris sancti plorabundam visitationem: confluebant undique filii, paternam sibi lugentes adimi consolationem. Verum, licet corpus et sensus ejus corporeos gravis illa mortis occupasset instantia, non tamen a prædicationis officio sanctissimæ ipsius linguæ retardabatur facundia. Deum corde suspirabat, et ore fatebatur: Deum incessanter prædicabat, et ad fidem catholicam, usque ad ipsum mortis suæ momentum, quoscunque poterat instanter exhortabatur.

22. Cum autem beatus hic pontifex vitæ propinquaret ad exitum, contigit Chlotharium regem, postquam Chranum filium suum cum uxore sua ac filiabus combusserat, a regione reverti Britannorum. Cognita vero hujus valetudine pontificis, ad eum visendum humiliter festinavit, ejus se non diffidens contra diabolicas infestationes benedictione muniri, et intercessione apud divinam majestatem conciliari. Cum ergo in hac regali visitatione in conspectu ejusdem et principum, de sepultura pontificis tractaretur, suorum assensu filiorum sua se in sede sanctus ipse præordinavit sepeliendum. Cujus sententiæ obstinato animo rex resistens, Suessionis eum constituit transferendum, asserens se super corpus ejus basilicam decenter ædificaturum, et ad laudem et gloriam divinæ majestatis cœnobialem servorum Dei regulam ordinaturum. Cessit igitur beatissimus pontifex regiæ dispositioni, et indefesse se suosque Domino commendans, finita oratione spiritum exhalavit. O felix corpus, felicioremque animam! Mox, eorum certissimo qui aderant testimonio, cœli aperti sunt, et divina luminaria, fere per duarum horarum spatium, ante Sancti apparuere præsentiam, de tenebris eum transitoriis ad lucem designantia pro certo transisse perpetuam. Hoc tanto beatissimi præsulis animati miraculo, majori ut eum transferrent accensi sunt desiderio. Corpore itaque sancto composito ac delato ad ecclesiam, nocte illa exsequialem cum multa devotione celebrarunt vigiliam (9).

CAPUT IV.

Corpus Suessionem translatum. Varia miracula patrata.

23. Mane vero facto, cum episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto celebrassent officium, inopinabilis multitudo convenit nobilium: ex castellis et civitatibus, de agris et municipiis adjacentibus inæstimabilis accurrit conventus, alii ejus devote desiderantes interesse obsequiis, alii admodum lugentes patrem separari a filiis. Per medias ergo plorantium lacrymas rex irrumpens cum episcopis et optimatibus, suis ipsius humeris corpus sustulit sanctissimum Suessionis, sicut prædixerat, efferre volens ad sepeliendum. Ea nimirum hora, quibus interesse contigit, ineffabilem lugentis populi expavere gemitum, dum non modo illa in ecclesia, sed et per totam civitatem et in suburbio, per vicos quoque et plateas, unam et eamdem vocem audirent plorantium. Recolebant siquidem urbis illius indigenæ Patris sanctissimi, qua eotenus informati fuerant, benignissimam prædicationem; dolebant vero et vehementer angebantur, quia cum Patrem amisissent, Patris etiam sepultura, regis et procerum violentia, frustrabantur. Compatiebantur qui supervenerant ad tantam plebis illius compunctam illacrymationem, verum quia regia urgebat dignitas, ad sanctissimi corporis intente insudabant translationem. Vix ergo et non sine multo labore, patre mœrentibus et lugentibus filiis erepto, sicut a Rege acceperant, iter aggrediuntur.

24. Hujus audita translatione sanctissimi confes-

(8) In Vita altera ait, « a S. Medardo S. Radegundi impositum fuisse velum, eamque sanctæ professionis primitiis initiatam, et quæque sequenda forent, quæque evitanda, edoctam. » Quæ poterunt ad hujus Vitam 13 Augusti accuratius examinari.

(9) Ibidem: « Funalia vincebant tenebras præ immensitate luminis, omnisque illa basilica multis cereorum adornata lucernis resplendebat. »

soris, et non desperans de tanti clementia intercessoris, inter portantium cuneos, cæcus quidam feretro se humillime submisit; et protinus secundum fidem suam, quia bene speraverat, per S. Medardi meritum, visum gratuito Dei munere recepit. Quid plura? Qui prius in civitate tantam audierant devotionem lugentium, et tunc super hac cæci illuminatione, tantum Dei et sancti Pontificis perspiciebant miraculum, ulnas libentissime sanctæ illius evectioni supponunt. Magna se credit ditatum remuneratione, cui etsi non gestare, saltem illud sancti feretrum quoquomodo licuit attrectare. Episcopi et optimates ad id se officii hilariter cohortantur, et onus illud leve sentientes, ex præcepto regis apud Attipiacum villam, fluvium Axonam navigio transgrediuntur. Postmodum vero iter dirigentes contra ejusdem fluminis undam, sicut rex præordinaverat, iter ad urbem flectunt Suessionicam.

25. Dei et sancti pontificis gratia Bandaredus Suessionensis episcopus, cum debita processione reverenter occurrit, ac sanctissimum corpus prout decebat honorifice suscepit. Sic solemniter felix illa Suessionensium civitas sanctum Dei suscepit confessorem, amplexata est festive patronum, amodo proprium patriæ habitura defensorem. Inter hos properantium cuneos quidam se ingessit, aurium diutius frustratus officio; qui mox ut peplum, quo sacrum tegebatur corpus, osculando devote attigit, fraudati sensus usum illico sancti pontificis intercessione suscipere promeruit. Gratulatur admodum rex, gratulantur etiam pontifices cum optimatibus; magnum fit in cœlis gaudium, et astantes universi Deum ex toto corde non sine lacrymis compuncte venerantur.

26. Retransmeant ex præcepto regis prædictum flumen Axonam, perveniuntque in prædium, ubi rex præordinaverat sepulturam. Ibi, Deo disponente qui cuncta prævidet et prænoscit, lecticam, qua sanctum illius corpus evehebatur, nescio qua de causa contigit deponi. Et ecce iterata miracula geminantur, et in universali conspectu astantium, sanctissimi præsulis merita glorificantur. Cum enim sanctissimam ejus glebam, ex injuncto sibi officio, ad sepulturam deportare vellent, divino nutu tanti eam ponderis persenserunt, ut nullo modo corpus Sancti a loco, ubi eum deposuerant, movere possent. Alii aliis succedentes ad evectionem totis viribus elaborabant; alii alios tanquam invalidos et impotentes increpabant. Verum, licet alios tanquam imbecilles causarentur, ipsi tamen cum ad id sese præparassent, desiderio suo ex toto frustrabantur. Rex et qui aderant diligenter causæ hujus recensentes eventum, cum penitus quid res hæc prætenderet ignorarent, Dei solius suppliciter super hoc exorabant subsidium. Tumultus non minimus super hac retardatione perstrepebat in populo, dicentibus aliis; quia de sede sua tanquam captivus abductus fuerat, hoc divinitus fieri et merito, et aliis autem objicientibus, regem corpus sanctum reverenter transtulisse ex veræ devotionis studio.

27. Rex nimium attonitus ad Sancti loculum non sine multa devotione appropinquavit, et solemni facta traditione villæ illius regalis Croviaci, in qua Sanctus ipse sepeliendus erat, medietatem Sancto eidem perenniter habendam, sigilli regali impressione confirmavit. Contigit illico res mirabilis et laudabiliter recitanda. Mox enim ulnis suppositis onus illud sanctissimum, parte quidem ex altera sine ulla difficultate sublevare potuerunt; parte vero ex altera incredibilis ponderis, et penitus immobile persenserunt. Ad hæc rex jucundo satis vultu, tantam Dei retractans gratiam, quam citius potuit ad confessoris sanctissimi dominium, illam quam sibi retinuerat jussit resigillari partem residuam. Nec mora: Dei gratia sanctum mox sustulere adeo levigatum, ut quod eotenus desperaverant, sine ulla difficultate a paucis deportaretur ad sepulcrum.

28 Defertur igitur corpus sanctum ad sepulturam: verum illo in itinere Deus pretiosissimam suam non dedignatus est clarificare margaritam. Antequam enim terræ corpus sanctum conderetur, quidam vastis catenarum loris, brachia surasque devinctus, per medias properantium turmas non sine multa difficultate sese injecit; cui mox ut sancti confessoris concessum est tangere operimentum, omnia mox dissiluere repagula catenarum, disruptisque compedum vinculis, liberrime cum multa gratiarum actione sequebatur munerarium suum. Perventum est tandem ad eam quam ei rex, non sine Dei providentia, præordinaverat sepulturam: episcopi cum abbatibus, peractis prius quæ Dei erant, sanctissimum illud corpus terræ decentissime commendant.

29. Ecce reiteratur sancta Sancti gloria. Nam cum ejus sacratissima membra tumulo clauderentur, cœlum apertum est, et duæ columbæ visæ sunt descendisse quasi nubes, ac de ore Sancti egressa est columba, candida tanquam nix. Sic igitur Dei athleta Medardus de terris evocatus, lætatur cum angelis; lugentibus in terra filiis ademptus, cum fratribus suis, quod semper desideraverat, coronatur in cœlis, ubi gratulabundo amodo cum eisdem fratribus sequitur Agnum quocunque ierit. Sequitur ergo Agnum et inæstimabilem inhabitat lucem, de terrenis incommoditatibus gaudet se ad cœlicam translatum prosperitatem; gratulatur, se de hac nostra transitoria infelicitate ad perpetuam commoditatem translatum, de tenebris his ad incomparabile lumen esse assumptum; lætatur quoque, se carnalibus exutum illecebris, angelicis choris esse ascriptum. Exsultemus ergo et nos, fratres dilectissimi, super hac beatissimi pastoris nostri Medardi gloriosissima remuneratione: exoremus remuneratorem ejus Deum, videlicet omnipotentem Patrem, quo sanctissimi hujus pontificis Medardi exoratus precibus, nos cum eo in æterna regni sui

ascribere dignetur hæreditate, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT V.

Ecclesia illi constructa. Alia miracula. Warimberti episcopi, monasterio injurii, dira mors.

30. Peractis celeberrime beatissimi Dei athletæ inferiis, rex Chlotharius supra venerabile Sancti corpus parvum ad tempus jussit ædificari tugurium, quousque ad faciendam inibi ecclesiam, necessaria pararet expensarum. Contracta vero undecunque potuit non parva pecunia, sanctum illud Dei habitaculum instanter ordiri perproperabat, et plerisque negotiis postpositis ad hoc perficiendum enixius elaborabat : fecitque parvo in tempore quod bene- B vola conceperat mente, nisi, secundum quod unicuique imminet, rebus eum humanis nimis intempestive contigisset excessisse. Cum enim in Cotia silva venatu exerceretur, valida, proh dolor ! correptus febre, cum ad Compendii palatium repedasset, parvo post tempore morte præventus, postmodum vero in ecclesia eadem, quam jam ædificare cœperat, ante sanctum [servi] Dei Medardi altare honorifice est sepultus. Expensas vero quas hic præparaverat operi, secundum quod David rex filio suo Salomoni ad templi Domini ædificationem fecerat, filio suo, Sigeberto nomine, ad ædificationem ecclesiæ, quam Deo voverat, expendendas dereliquit ; mandans et remandans ei, quatenus si qua ei erga patrem charitatis debitæ dilectio maneret, omni oc- C casione seposita, sanctæ huic quam prænotavimus ædificationi, quousque honorifice compleretur, totam prorsus intentionem adhiberet.

31. Sigebertus vero, patre sepulto, in regno confirmatus, quod a patre in hoc susceperat negotii, largiflue prosecutus est. Admirabili enim diversi generis lapidum constructione, secundum quod a patre susceperat, ecclesiam illam decoravit, auro et argento ac necessariis in officio ecclesiastico ornamentorum varietatibus abundanter exornavit ; censu et redditibus, prout regiam decebat dignitatem, affluenter et excellentissime ditavit. Eleganter vero ecclesia composita, undecunque potuit elegantiores ibi sacrari ordinavit personas, quo et patris sui votum benignissime compleretur, et inibi D Deo in æternum ecclesiasticum officium ex debito, pro universali sua videlicet et patris sui omniumque fidelium salute, perenniter exhiberetur. Idem ipse venerabilis rex Sigebertus, cum fratrem suum Chilpericum nomine apud urbem Tornacum obsidere disponeret apud Victoriacum Fredegundis reginæ versutia interemptus, cum prius eum Lambris sepelissent, ab ipso eodem fratre suo Chilperico postmodum Suessionis relatus, in ecclesia quam decentissime composuerat, prope patris sui tumulum decenter est sepultus.

A

32. Quia vero pro sanctæ illius ecclesiæ ædificatione, pro Sancti quoque cui ædificata est veneratione, adhuc autem pro regum honorificentia, quos prænominavimus, cœpto ab opere aliquantulum deviavimus amodo necessarium ducimus ad propositi nostri seriem redire, quæque post transitum gloriosissimi confessoris ad honorem ejus Deus operatus sit miracula, licet pauca de multis, non residemus scripto commendare. Hujus quidem Sancti fama circumquaque increbrescente (10), infirmos variis detentos languoribus, ad ejus memoriam ex multis terrarum partibus accidit confluere : quibus per meritum sancti sui athletæ, gratia divina non dedignata est subvenire. Quod ergo prius memoriæ occurrit, prius dicamus, quatenus de singulis non solummodo singulares, verum multimodæ Deo gratiæ referantur (11).

33. Tuguriolum illud quod corpori sancto superædificatum esse præscripsimus, tantæ virtutis divina disponente gratia compertum est esse, ut si quis dolore dentium attactus ex virgulis quibus contextum fuerat, locum doloris tangeret, confestim omnis illa dentium infirmitas abigeretur, quod et in palatio regis divulgatum est. Quidam namque, Carimeris nomine, qui eo in tempore Childeberti regis referendarius habebatur, quia hoc eodem morbo gravissime laborabat, ad eamdem S. Medardi basilicam deductus est. Cumque januas ecclesiæ clausas reperisset, et eum dentium dolor magis ac magis urgeret, de una januarum fiducialiter hastulam excidit, et ubi magis infirmitas grassabatur confidentissime quod exciderat apposuit, moxque ab eo quem diu perpessus erat dolore liberatus est. Habetur etiam baculus ejus apud nos, per quem plerosque infirmos diversorum languorum medicamina expertos esse comperimus.

34. Quidam quoque catenarum loris indissolubiliter arctatus, gravissima nimis fatigatione, sancta Sanctissimi hujus suffragia expetiit, confidens se sanctissima ejus intercessione ab illa impeditione posse resolvi. Ut ergo sanctæ basilicæ valvas attigit, repentino fragore, uno eodemque momento, et cœlum intonuit, et vastis compedum vinculis disruptis et longe dissilientibus, homo ille indultæ adhuc inscius liberalitatis, multo attonitus stupore, solo prostratus est. Deinde resumptis viribus, cum jam se sentiret expeditum, pro recepta libertate Deum et S. Medardum, cujus hoc intercessione obtinuerat, vocibus altisonis cœpit magnificare. Mirantur omnes tam citissimam divinæ virtutis operationem, et concordi omnes acclamatione potentissimam sancti præsulis collaudant interventionem.

(10) In Vita per monachum Suessionensem longa paraphrasi dicuntur sanati cæci, surdi, contracti, claudi, leprosi, amentes, paralytici, energumeni.

(11) Hic in Vita altera, ut apud nos ms. habetur, apponebatur fabulosa promotio privilegii monasterii S. Medardi, quæ apud Boscium est omissa.

35. Anicula quædam annosa nimis, et quodammodo suo ipsius superstes cadaveri, cum ei manus arida quasi alienum quiddam de brachio penderet; licet jam de vita præ nimia sua ipsius ætate desperaret, ad sancti tamen confessoris memoriam, cujus celebrem famam audierat, devotissima mente pervenit; eumque multimodis precibus non sine multa lacrymarum profusione, super aridæ suæ manus, qua nimis angebatur; sollicitabat recuperatione. Ut ergo se ante præsentiam beatissimi pontificis cum multo ejulatu exposuit, affuit repente per Sancti ejusdem meritum divinæ majestatis suffragium. Restauratur mox mulieri quod vitio naturæ defraudatum erat : reparatur in ea manus aridæ naturalis integritas : et quod minus de matris assumpserat utero, intercessoris sui benignissimo resumit præsidio. Reviviscit manus juvenili in jam præmortuo vetulæ illius brachio; et quæ prius eleemosynam tanquam impos laborandi ostiatim quæsierat, jam tunc effecta docilis, suarum ipsius laborationum vivere cœpit stipendiis. Sospes effecta gaudet et lætatur, gratias quamplures suo referens munerario Deum adorat et veneratur. Similiter et alia muliercula, eodem manus morbo laborans, ante Sancti ejusdem præsentiam sanitati restituta est (12).

36. Post aliquod vero temporis intervallum, cum jam ipse locus multæ circumquaque haberetur venerationis, Warimbertus quidam qui sic nominabatur, post venerabilis Autberti decessum regia præceptione regendum idem cœnobiale suscepit monasterium. Quo cum aliquot potitus esset annis, Drausionem Suessionicæ civitatis episcopum vita contigit excedere, sedemque illam aliquandiu absque rectore vacuam manere. Post ejus autem lugubres inferias, unamini consilio regis et civium Warim- A bertum hunc, quem prædiximus cathedræ illi pontificali, suo magis quam Dei, ut post patuit, arbitrio rectorem substituunt. Adeptus ergo regimen episcopale multo elaborabat studio, ne priori privaretur dignitate; et, licet cum difficultate non minima, obtinuit tamen quod male quæsierat. Heu socors nimis et ignava mens hominum ! Miser hic nimia æstuans cupiditate, dum pravæ suæ ambitionis augere non cessat commercium, corporis sui, et (quod magis dolendum est) animæ quoque sibi, proh dolor! præparat exitium. Attentus siquidem extra modum negotiis sæcularibus, ac suis plus justo pravis inhians cupiditatibus, locum illum sanctum neglectui cœpit habere; quæque inibi a regibus et aliis pro eleemosynarum largitione deputata fuerant, B suis male usibus retinere. Quæ inibi Deo servientibus fideles quique, Dei et S. Medardi gratia, præordinaverant, suis ipse in thesauris recondebat; ac servorum, Dei posthabita sollicitudine, redditus ecclesiæ suis satellitibus irreverenter distribuebat. Suis præ nimia ingluvie eructantibus, spiritualis illa congregatio esuriebat; suis multo vino exæstuantibus, sancta sancti præsulis familia præ nimio sitis ardore pene deficiebat. Nudi et pauperes servi Dei lugebant et lamentabantur, familiares autem miserrimi illius episcopi per plateas in vestibus pretiosissimis gloriabantur. Acclamationes servorum Dei surda episcopus aure pertransibat, cum enim eis prælatus esset, eorum querimoniam tanquam a nullo arguendus, non sine multa cordis C et oris arrogantia, imminentis sibi vindictæ nescius, pro nihilo reputabat. Ad libitum suum miserum illum, qui pastoris indigne sibi nomen usurpaverat, oves Domini non suas tractare licuit; verum illius, cujus erant propriæ, manus effugere nullo modo potuit. Audiat ergo intente quicunque

(12) Duo hæc miracula in eadem Vita sic fusius distinguuntur, ut quod de prima muliere hic dicitur, dividatur inter ambas, hoc modo : « Alio nihilominus tempore, quædam admodum paupercula exstitit mulier, cui arida manus omni exhausta dependebat humore, ut ramale vetus. Hæc enim marcida, arescente nervorum compage, tantum torpebat ad otia; imposque laboris, solo inhærebat brachio, plenitudine viroris effeta. Cum autem relatu multorum comperisset, ad Sancti memoriam, creberrime D ægrotantes concurrere, ejusdem amoris facibus accensa, ad locum toto orbe venerandum pervenit anhela. Inter promiscuas vero turmas sacras, eadem qua advenit nocte, vigilias continuavit, et sequentem diem cum pluribus festivum in divinis exegit laudibus. Sed dum fraterna caterva sacrosancta publice missarum solemnia percoleret, ecce nervi protendi, et ex improviso acsi inanimata cœpit species animari. Ventilatis namque digitorum articulis, continuo manus illi, obtentu reviruit sancti pontificis; rediensque in florem, muliebrem denuo didicit inire laborem. Accedens ergo ad altare, cunctis intuentibus incolumen protulit manum : ibique suo satisfaciens desiderio, sospes ad propria cum ingenti remeavit lætitia. Altera item mulier tenuissimis suarum rerum facultatibus pauper, a primævæ ætatis vagitibus, eodem agebatur infortunio in annis procul dubio senilibus. Nam arefacta illius dextra, spem ei, salutem, auxilium, consilium subduxerat; et ab ipso genuinæ ortu nativitatis, perplexis in vola digitis effectum pariter ademerat laboris. Confidens autem sibi posse Sancti virtutem succurrere, quæ profectum salutis aliis consueverat inferre; cum copiosa manu debilium, ad eumdem, ubi ægris frequens patebat medicina, suppliciter accessit locum. Ubi cum aliquot invigilasset diebus, in continuis piæ obsecrationis persistens precibus : quod pene ex materno utero amiserat, diu optato sanctissimi confessoris Christi meruit patrocinio. Siquidem post diuturna nimiæ ægritudinis tempora, aridis in momento articulis, redivivæ juventutis gratia resplenduit; et cutis superducta manui, grandævo consumptæ situ, maxima pars miraculi revirescentibus exstitit nervis. Eadem insuper dextra, ita in oculis cunctorum apparuit sanissima, ac si in ea nihil periculi, in transacto tam longo vitæ suæ spatio, pertulerint. Tunc primum compos lanificii, muliebria feliciter exercere opera didicit; et quæ prius diurnam sibi ostiatim providebat stipem, postmodum colo, fuso et filo superstitem vegetavit senectutem. Incolumis ergo effecta, in jubilos vocis collata sibi attollebat beneficia; repetensque domum, divinum, quibuscunque potuit, revelavit sacramentum.

prælationis ecclesiasticæ fungitur officio, quam terribili pro hac servorum Dei reclamatione percussus sit judicio.

37. Erat siquidem in pago Cenomannico quoddam prædium, quod rex Sigebertus, ejusdem ædificator ecclesiæ, ad ejus, quam inibi Domino aggregaverat congregationis, firmaverat dominium. Prædium illud Matvallis dicebatur, ex Britannica videlicet et Latina lingua nomine composito, quod *Bona-vallis* nostro scilicet et Romanæ linguæ vulgari potest interpretari eloquio. Matvallem itaque illam, id est Bonam-vallem, quia multis abundat redditibus, ipse sibi Warimbertus ad perditionem suam usurpaverat, et ex toto neglectis, sicut diximus, fratribus illis, villæ illius census suis usibus mancipabat. Gemebat Menardi pauper congregatio, quia quod eorum erat usibus deputatum, contra canonicam institutionem male dilapidabatur in episcopo. Quadam itaque die, cum secundum consuetudinem de prædio illo plaustra onusta, ut diximus, ad palatium episcopale deducerentur; comperta fratres illi episcopi absentia, vehicula illa, utpote quæ sui erant juris, ad sancti præsulis divertere coegerunt ecclesiam: non diffugientes pro defensione justitiæ, si quoquo modo inferretur, corporalem sustinere molestiam. Sua ergo cum suis reposuissent in promptuariis, sanctissimi Dei athletæ lacrymabiliter sollicitabant merita, quatenus aut ejus intercessione furibundus ille invasor placaretur, aut ejus defensione ab ejus protegerentur insania. Verebantur siquidem, quod non post multum provenisset, nisi gratia divina lugenti suæ familiæ propitiabili clementia subvenisset. Ut enim ad episcopi quod factum erat pervenit notitiam, proh dolor! non retractans institutionem canonicam, nec reveritus judicialem Dei sententiam, cum fustibus et gladiis, non jam prælatus, verum vir sanguinarius, ad ipsam S. Medardi cum multo superbiæ fastu, cum indoctæ plebis conventu, ausus est properare basilicam. Cumque irreverenter sanctuarii regias concuterent, eosque qui pro subitanea tormentorum suorum exspectatione aditum obstruxerant, exprobrationibus contumeliosis insequerentur: furibundus ipse pontifex, per medium eorum irrumpens, præsumptuose nimis et cum multa superbia, excruciari custodes minabatur, nisi cito sibi januæ aperirentur.

38. In tam eminenti mortis discrimine, servi Dei trementes, Deo et S. Medardo, non sine multa lacrymarum profusione animas suas commendant, et sic divinitus animati, aperiri furentibus illis jubent ecclesiam. Mox infelix episcopus ingressus monasterium, ut eum qui sibi aperuerat, præ nimio timore secus januas percepit delitescentem, tam valide illi baculum quem manu gestabat, illisit in capite, ut pene totum ejus vestimentum exundanti cruentaretur sanguine. Stupefactus frater et pene decidens, ad Deum suspiravit; et ei querimoniæ hujus causam, cum aliter non præsumeret, intimo cordis murmure lacrymabiliter commendavit. Audiant tyranni servorum Dei reclamationes et reverentur: audiant fideles quique celerrimam Dei consolationem, et confortentur. Statim etiam infelicissimus ille Warimbertus, excors et impœnitens, mox ut ante sanctissimi confessoris memoriam tanquam oraturus genua flexit, divino terribiliter percussus judicio, diffusis per alvi secreta visceribus, miserabiliter expiravit. Fratres autem ecclesiæ, malum pro malo reddere nolentes, fratris illius, quem percussum diximus, sedata querimonia, corpus defuncti honorifice in ipsa eadem sepelierunt ecclesia.

39. Ibi sæpe per beatissimi pontificis Medardi meritum gloriosa fiunt miracula: ibi qui fideliter precantur, grata consequuntur remedia: ibi certa vere pœnitentibus non denegatur indulgentia, quam nobis quoque peccatoribus, de ejusdem tamen gratia non desperantibus, per ejusdem S. Medardi largiatur intercessionem, qui fidelibus suis æternæ felicitatis repromisit consolationem, Jesus Christus Filius Dei, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VITA S. GODEBERTÆ VIRGINIS

NOVIODUNI IN BELGICA SECUNDA

AUCTORE UT VIDETUR RATBODO EPISCOPO

(Bolland. *Acta SS.*, April. tom. II, pag. 33.)

CAPUT PRIMUM.

S. Godebertæ educatio pia et consecratio.

1. Diem hanc gloriosam egregiæ virginis Godebertæ, fratres, solemniter celebraturi, eam ipsam nos, cui sacrata est, devotissime condecet exorare, ut quidquid in laudibus ejus attentaverimus, suis orationibus in Dei gratiam impetret redundare. Pro certo enim credendum est, omnes qui sanctos Dei

quoquo modo venerantur, ipsa sanctorum veneratione, ipsam Dei majestatem, cujus gratia tantæ sunt venerationis, non parum honorare. Ad ejus ergo gloriam insignis hæc virgo, cujus transitum celebramus, unde nata sit, et quomodo in hac humanitate Domino deservierit, quæque per eam Deus operatus sit miracula, quove fine hominem exuerit, ipsius ejusdem subnixi orationibus, dilectioni vestræ, Deo annuente, subnotare properamus.

2. Hæc quidem in pago Ambianensium (13) Christianis edita parentibus, sancto in baptismate ex aqua renata et Spiritu fidei sanctæ institutiones, undecunque poterat, et libenter suscipiebat et reverenter exsequebatur. Sentiens nempe mortiferæ se conditioni obnoxiam ex debito, tenerositatem ætatis suæ sanctæ crucis jam tunc communiebat signo; noctuque ac die piis sanctorum sese orationibus humillime commendabat. Adolescentularum, quas irreventes audierat, lascivos evitabat conventus; quas autem utili et honesto intentas noverat, eis et libenter intererat et intente imitabatur: audierat etenim pravis confabulationibus mores bonos corrumpi: audierat etiam cum sancto sanctum esse, et cum perverso perversitatis quemlibet infamia notari.

3. A parentibus ergo diligenter educata, cum ad nubilem pervenisset ætatem, nobilium eam quamplures utpote de nobilibus nobiliter natam, ad torum asciscere conabantur conjugalem. Parentes autem ejus, quia ex manu regia suum susceperant beneficium, nemini, rege inconsulto, hujuscemodi conjugii dare præsumebant assensum. Cumque in conspectu regis Lotharii de virginis hujus ageretur sponsalibus, omniumque ad regiam super hoc dispositionem penderet intuitus: in medio eorum, Domino sic præordinante, sanctus sese injiciens Eligius, virginem illam aureo suo annulo subarrhavit, ac Christi sponsam in conspectu regis et parentum suorum confidentissime assignavit. O inæstimabilis gratia Spiritus sancti! Illico puella, divini amoris spirituali, ut post patuit, jam conceptione gravidata spreta omni carnali voluptate, postposita etiam desiderabili succedentium propagine, imo despectis delectabilibus puellaris vitæ illecebris, regi et parentibus constanter abrenuntiavit, seseque in eorum præsentia beatissimo præsuli Eligio, Domino consecrandam, grataanter commendavit.

4. Ipse quidem sanctissimus episcopus tunc temporis sanctam Noviomi regebat ecclesiam; cujus exemplo et prædicatione quam multi ab errore conversi, abjectis idolorum cultibus, sub tanto pastore fidem se suscepisse catholicam non parum gratulabantur. Hanc igitur benignissimæ indolis oviculam benignissimus ipse pastor ovili suo desiderantissime aggregavit, cum eam spirituali divinæ desponsationis annulo ab activa vita in contemplativam evocavit. Sic itaque virgo egregia in conspectu regia et principum, blandas parentum suorum libere abdicans persuasiones, Eligium, quem Spiritus sancti gratia spiritualem in Patrem susceperat, omni submota dilatione, secuta est. Ex tam improvisa sancti Spiritus inspiratione astantes stupor multus invaserat: pater ejus flens quam familiariter rem considerabat. Rex etiam Lotharius, nuptiarum subita mutatione, magnificam divinæ gratiæ virtutem non minimum admirabatur: ut tamen ejusdem virginis felici apud Dominum commendaretur oratione, benevolam ejus devotionem regali munificentia primus ipse properavit confortare. Assentientibus siquidem eis qui aderant, dedit ei cum oratorio S. Georgii suum quod Noviomi habebat (14) palatium; duas quoque villas. (15) cum duodecim feminis ex fisco regali, sub sanctæ virginis regimine ad divini cultus subscribi jussit supplementum.

5. Convenientes itaque in suburbium urbis Noviomicæ, (16) in oratorium scilicet quod a rege susceperant, die noctuque Deo deservire infatigabiliter elaborabant. Ipsa quidem virgo, a sancto edocta Eligio, cohabitantes secum non solummodo prædicatione, verum etiam multimodo virtutum informabat exemplo. Sæcularium etenim conventicula diffugiens, biduana seu triduana continuabat jejunia; esurientibus cibum, sitientibus potum, nudis vestimenta, cum omnibus his ipsam egere videres, incessanter ministrabat: pernox quoque in vigilis et orationibus, pro universali omnium salute assidue Dominum deprecabatur. His et his similibus jugiter insistebat: et licet adhuc in mundo corpore teneretur, placabile tamen Domino sese holocaustum quotidie mactabat. Tantam dilectæ suæ Dominus perseverantiam perspiciens, ejus in palam, dum adhuc fragili maneret in corpore, non dedignatus est clarificare devotionem, operabatur siquidem Deus crebra per ejus intercessionem miracula: cæcis visum, claudis gressum, paralyticis sanitatem restituebat: quodque gratiosius Deo esse credimus, ejus

(13) Fortassis in terra, seu castro Bova, seu de Bovis, vel Bobarum, aut etiam Bothua, vulgo *Boves*, distante duabus circiter leucis Ambianis, titulo Baronatus olim, nunc etiam marchionatus insigni: unde nata vulgi traditio sit, eam ex familia de Boves ortam. Sane si ibi nata est Sancta, vix dubitamus, qui ipsius loci domini fuerint ejus parentes, quos apparet ex sequentibus admodum nobiles fuisse: an autem familia de Boves, ab Adriano de la Morliere post opus De antiquitatibus Ambianensibus egregie illustrata, tam sit antiqua ut hanc Sanctam sibi arrogare possit, aliis investigandum relinquimus.

(14) Palatium regis quidam ibi fuisse putant, ibi nunc est domus Beguinarum: quod absque fundamento ullo proferri censet Montignii.

(15) Idem concedit posse credi, quod hæ villæ fuerint in Vauchelles, quinque circiter leucis Abba villa: eo quod istic Beguinæ adhuc habeant aliquas possessiones: ut videatur agnoscere, eas venisse in partem bonorum, monasterio S. Godebertæ olim attributorum, et forte sub novo instituto sanctimonialibus exstinctis successisse.

(16) Ad portam olim Castelli dictam, quæ tunc fuit prope eum locum ubi nunc sunt putei in foro frumentario.

exhortatione infideles frequentius suscipiebat ad fidem. Ut igitur ad certum exemplum quibusque fiat fidelibus, æmulorum postposita detractione, de multis vel pauca proferemus.

CAPUT II.

Miracula S. Godebertæ viventis.

6. Dicamus ergo quod prius memoriæ occurrit, quatenus fidelium, quos audire contigerit, corda corroborentur; frontes infidelium, durissimis, miraculorum ejus lapidibus conterantur. Contigit ejus in tempore, sic exigentibus plebis Noviomicæ peccatis, pestiferum in eadem civitate gladium desævire mortalitatis: ira enim implacabilis a Deo egressa, indigenas illos circumquaque devastabat, parentes cum filiis, sponsos cum sponsis, dominos cum domesticis incessanter enecabat; et tam in potentes quam in plebeios immoderate grassabatur. Fugiebant circumquaque qui evadere poterant: jamque, maxima ex parte subtractis habitatoribus, vacuæ in civitate domus quamplures remanserant: Tantæ huic miseriæ infelicior, proh dolor! successit miseria, cum omnibus metu mortalitatis exterritis, inhumata mortuorum corpora projicerentur: qui enim mortuum sepeliebat, mortuus subito et ipse sepeliendus mox efferebatur: de imminenti sibi mortis periculo, nemo prorsus desperabat, cuicunque mortuum quempiam sepelire seu contingere contingebat.

7. In mortalitatis tanto periculo, virgo insignis Godeberta, universalem attendens dolorem civium, universali Ecclesiæ triduanum jejunium indixit; docens eos orationibus lacrymabiliter insistere, jejuniis et eleemosynis indignationem divinam placare: « Quia, inquit, sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. » Et docebat eos virgo egregia salutarem Ninivitarum pœnitentiam, quomodo in cinere et cilicio positi, per jejuniorum et orationum mysteria, divinæ maledictionis jamjam super se imminentem repressere sententiam. David quoque regis, qui secundum cor Dei Deo ipso teste inventus est, admirabile illis recitabat exemplum, quam facile, per pœnitentiam perpetrati adulterii, susceptus sit ad remedium. Adjiciebat etiam Petri negationem, latronis in cruce confessionem, lugubrem peccatricis Mariæ lamentationem, quam facile lacrymis pœnitentialibus factionum suarum promeruerint remissionem. His et aliis gloriosæ virginis respirantes exhortationibus, permaxima devotione triduum illud suscepere jejunii: et statim, meritis ejus et intercessionibus, pestiferum illum mortalitatis gladium pia Dei gratia cessare fecit.

8. Paucis postmodum diebus eadem virgo (utpote quæ nimis austere teneram suam maceraverat carnem) molestissimam corporis sui decidit in infirmitatem: sicut multoties (17) contingit eos, qui quoquomodo assuetis desuescunt dapibus, diu tabescere seu

A subito corrumpi. Jacebat ergo virgo fessa in lectulo; verum toto ad Dominum mentis desiderio respirabat: gravida quidem corpore, spiritu tamen alacris in Dei semper laudibus perseverabat. Contigit hac ejus in infirmitate circa S. Mariæ principalem ecclesiam inopinatum ex improviso erumpere incendium, et ejus subitanea excursione totius ecclesiæ omne penitus exuri ornamentum, Flamma circumvolans omnia diripiebat; cujus ante faciem, quia resistere non poterat, fugiendo sibi unusquisque consulebat. Omnia penitus huic subjacebant periculo, dum jam alia consumpta essent, alia nihilominus absumenda irruenti remanerent incendio. Civitatis indigenis, ut prædiximus, circumquaque diffugientibus, sanctæ Virginis Mariæ mater ecclesia

B [desolata] remanserat · quam devotissimis Deo lacrymis (quia jam flamma eorum superior erat viribus) tristis admodum populus Deo soli commendabat. Tanto plorantium gemitu [mota] virgo Godeberta gravissima licet infirmitate promeretur, jussit tamen se in cathedra deportari; ac contra incendii violentiam, quocunque se flamma impingeret, confidenter deponi. Deposita vero in ipso prope flammiferæ voraginis incendio, cum multi jam de ipsius vita desperarent, sanctæ Crucis signum, quod omnibus in periculis saluberrimum noverat, confidentissime opposuit: et statim ignis illa vastatio exstincta est.

9. Accidit alio in tempore cæcam quamdam Trausiricam nomine, ad sanctam devenisse virginem,

C quatenus pia ejus intercessione oculorum, quod ab infantia perdidit, temporale recipiat lumen. Cumque spe certa, sua pro illuminatione, lacrymosis insisteret precibus; virgo egregia, præmissis Deo intercessionibus, super oculos ejus manum imposuit; factoque leviter sanctæ Crucis signo, ad ejus orationem miserationis divinæ optata propitiatio, corporale illi lumen restituit: sicque factum est, ut dum visum temporalem reciperet, spirituali quoque animæ vivificatione animata, omni postmodum vitæ suæ tempore apud illuminatricem suam Deo inibi deserviret.

10. Hoc itaque modo Trausirica hæc illuminari promeruit ex devotione: Vulgudis autem, de qua

D modo dicendum est, pro inobedientia, interminabili ab eadem Virgine multata est excæcatione. Hæc siquidem Vulgudis in cœnobio S. Godebertæ Deo se devoverat: verum animi sui nimis impatiens, contentiose se adversum alias et irreverenter habebat. Ea de causa frequentius a sancta castigata virgine, contra eamdem ipsam tumulentuose rixabatur, et in conspectu ejus turpia nimis et maledicta verba loquebatur. Sancta vero virgo, nimia stultæ illius commota stomachatione, cum eam incorrigibilem et obedientiæ stimulo irreverenter recalcitrantem persensisset, die quadam, in ipso ejus rixarum turpi-

(17) Ita ex conjuctura correximus: in ms. legitur, « Multoties quidem contigit eos qui quomodo assuetis.

loquio, in faciem ejus admodum irata expuit : et statim infelix illa, oculorum lumine amisso, omnibus vitæ suæ diebus cæca permansit.

11. His et aliis miraculorum relationibus virgo hæc ubique divulgabatur, et ejus celeberrima opinio longe lateque diffundebatur ; unde ad eam ex longinquis terrarum partibus multitudo multa languentium confluebat, quibus virginis sancta intercessione multimodæ sanitatis beneficium benignissima Dei miseratio ministrabat. Potestis siquidem ex his conjicere, quæ ad nostram pervenere cognitionem, virginem hanc et alia quam multa perpetrasse miracula, quæ humanam jam excessere mentionem. Quanquam autem nos lateat, soli tamen Deo vera ejus cognita est devotio ; qui vitam ejus mortalem immortali æternæ perpetuitatis remuneravit præmio. Perspiciens nempe Dominus dilectæ suæ spiritum immutabiliter in sanctæ fixum proposito religionis, ne qua ulterius malitia immutaret cor ejus, neve aliqua fictio animam illius deciperet, de terrestribus eam ad cœlestia, de labore ad requiem, de temporalibus miseriis ad felicitatem perpetuam evocavit ; ac corruptibili eam humanæ fragilitatis corpore clementer denudans, animam ejus incorruptibili angelicæ societatis indumento clementius adornavit.

12. Sic itaque sanctissima virgo Godeberta, terrenæ inhabitationis feliciter expleto tempore, cum sanctarum choreis virginem in cœlestis paradisi collocata est amœnitate : ibi Domino cum cæteris sanctis canticum novum exsultanter decantat : ibi futurum judicii diem voto fiduciali exspectat. Licet enim ipsi archangeli diem illam tremere ac contremiscere habeant ; ad humanæ tamen, non suæ, perditionis compatientes trement sententiam. Hunc ergo, ut prædiximus, terminum virgo hæc jam Deo sociata exspectat ; et pro nostris criminibus incessabiliter Deum in cœlis exorat. Sepulta est itaque egregia Dei famula tertio Idus Aprilis, in oratorio B. Georgii, in ecclesia quæ modo dicitur Sanctorum (18) Apostolorum, ubi et corpus S. Mommoleni ejusdem Civitatis episcopi honorifice sepelierunt. Multa ibidem, sancta intercessione ejus, infirmis et egentibus præstantur beneficia, ad laudem et gloriam nominis ejus, cujus honor et imperium sine fine perseverat in sæcula.

CAPUT III.

Miracula ad sepulcrum S. Godebertæ facta.

13. Verum ne aliquis de cœlica virginis hujus dissidat remuneratione, miracula etiam illa quæ a Deo ad sepulturam ejus perpetrata sunt, non renuimus scripto commendare. Contigit siquidem post A ejus transitum, Agildrudem, ab infantia cæcam, celeberrimam sanctæ virginis famam audisse, et quod de aliis audierat de semetipsa certissime sperantem, non sine multa difficultate, Noviomum devenisse. Cumque oratorium, in quo virgo jacebat, ingressa fuisset ; ab illis qui aderant, se deduci exegit ad tumulum, ubi beatæ virginis corpus audierat esse sepultum. Quo cum pervenisset, diu illacrymata in pavimento, gravibus exorabat suspiriis, visum, quem diu amiserat, sanctæ sibi virginis precibus a Domino reimpetrari. Nec mora, quia fideliter oravit, et in oratione de Dei gratia et S. Godebertæ potenti virtute non desperavit ; ea interveniente, corporali visu meruit illuminari. Nec vero corporalibus solum, verum et spiritualibus eam oculis non B diffidimus illuminatam ; cum eam omni postmodum vitæ suæ tempore, in eodem loco, regularem cum aliis in Dei servitio audierimus percurrisse disciplinam. Sicque Deo annuente factum est, ut dum lumen carnale deprecaretur, spiritualibus quoque animæ oculis, virginis hujus intercessione, illuminaretur.

14. De Audemia quoque non nobis videtur prætereundum, quomodo de vico Raugia (19) illuc delata, ad ejus curata fuerit sepulcrum. Hæc nempe ab infantia tanquam paralytica toto dissoluta corpore, ut sanctæ virginis tam celebrem audivit opinionem, ab amicis suis, quibus pro diutina infirmitate jam tædio erat, suam vix illuc impetravit deportationem. Portata tandem ad præfatam basilicam, jussit se quam propius possent ante sanctæ virginis C exhiberi præsentiam. Quo impetrato, reptans utcunque poterat in pavimento, toto cordis et oris virginem sanctam interpellabat desiderio, quatenus per ejus sacratissimam intercessionem moribundæ paralysis a Domino mereretur curationem. Cum subito basibus suis valitudinem redditam persensit : validaque effecta, suis ipsius pedibus, quæ vehiculo venerat alieno, admodum gratulabatur reverti.

15. Gislegardis etiam illuminatio modo memoriæ occurrit ; quæ cum ab infantia oculorum cæcitate multata esset, virginis hujus interventu visum recepit. Stillante nempe ab oculis albugine, quæ ab ipsis crepundiis tenebrosam oculis ejus prætenderat caliginem, sub universali astantium aspectu, exhilarato vultu gratuitam ante sepulcrum virginis suscepit D illuminationem.

16. Sed nec Imperiæ cujusdam, quæ sic nominabatur, curationem tacebimus ; quæ fere ab ipsa resuscitata est morte S. Godebertæ intercessionibus. Hæc quidem jam præmortua, omnia pene corporis amiserat officia : visus, auditus, linguæ quoque fa-

(18) An ergo, si Vitæ auctor Ratbodus, fatebimur post ablatum ab illa ecclesia S. Godebertæ corpus, ipsam primum cœpisse ab ea nominari? Non erit quidem absonum, ut successu temporis collapsa ecclesia postea fuerit sub S. Godebertæ nomine restaurata et consecrata, quamvis pridem ibi desiisset asservari corpus : fatemur tamen contrarium videri congruentius : ideoque de prima S. Godebertæ translatione dubitavimus, an non esset longe serius facta, puta sæculo XIII cum tæderet canonicos suo ex corpore semper allegare quatuor, in diversa ecclesia ministraturos.

(19) Ita Ludov. de Montignii, cui in nomenclatione loci, in Noviomensi diœcesi siti magis credendum putaremus, quam Surio, *Raugiam* scribenti : sed quia ambigua est ecgraphi nostri scriptio, et ipse in annotationibus nusquam indicat ubinam locus hic sit, veremur ne [illegible]que et ignotus is fuerit.

cultas fere jam ex toto ei defecerat : et ut omnia in brevi concludantur, in lectulo tanquam abortivum quoddam jacebat. Cognitis ergo tantis hujus Deo devotæ miraculis, ad ejus orationis memoriam exhiberi se impetravit. Quo cum allata fuisset, secus sanctam illius sepulturam projecta, suum quoquo modo poterat virgini sanctæ commendabat desiderium; tantæ suæ passionis a Domino per eam aliquod suppliciter immurmurans remedium. Quid ageret? Corde suspirabat, oculis lacrymabatur; ore vero, cum ad plenum verba formare nequiret, inter præcordiales gemitus ululare potius quam loqui videbatur. Verum, cessante cordis lingua, quantamcunque poterat præferebat devotionem, et motu potius interiori sanctam virginis super debilitate sua sollicitabat intercessionem. Tantam præmortuæ illius virgo perspiciens instantiam, felici apud Dominum intercessione, invalitudinis ejus impetravit resolutionem, et infelicissimo miserrimæ illius corpori diu optatam restituit sanitatem. Mox etenim quæ paralytica diu jacuerat, lumen oculorum, auditum aurium, linguæ quoque recepit absolutionem : et sic gratias Deo et sanctæ reddens virgini, ad propriam incolumis reversa est mansionem.

17. Tædet vos forsitan, dilectissimi, tot et tanta sanctæ miracula virginis audire; verum licet vobis sint fastidio, Dei tamen et sanctorum nos magnalia concedet non tacere. Ipse etenim Deus, per quem omne sanctum sanctificatur, se in sanctorum susceptione seu abjectione suscipi seu abjici evangelica voce testificatur, dicens : « Qui vos spernit, me spernit; et qui vos recipit, me recipit. » Oportet ergo, fratres, ut et audita grataner retineatis, et quæ adhuc adjicienda sunt hilari animo et intente suscipiatis.

18. Inter hæc et alia quædam quæ per eam Deus operatus est, annualem cyclum contigit revolvi, et diem anniversariam, qua ex mundo virgo sancta transierat, fideli populo repræsentari. Diem illam qua et quanta exsultatione susceperint, qua et quanta devotione celebraverint, neque meditationi nostræ ad plenum recogitare, neque imperitiæ nostræ ad vivum concessum est explanare. Quis enim tantum populi conventum, quis eorum qui convenerant devotionem et lacrymabile gaudium, quisve spontaneas explicare oblationes posset eorum? Videres undique promiscui sexus [turbas] concurrentes tanquam apes ad alvearium, clericorum ordines, monachorum congregationes; turbas quoque virginum, omnem prorsus utriusque sexus conventum in eamdem confluere lætitiam, unoque animo ac pari consensu virginis sanctæ felicem sollicitare memoriam. Facto itaque solemni missarum officio, post multiplices Deo et virgini redditas actiones gratiarum, universi ad propria reversi sunt. Custodes etiam ecclesiæ, omnibus fere luminaribus exstinctis, cum A ostia ecclesiæ clausissent, hora competenti suam egressi sunt ad refectionem. Post refectionem vero quam plurimis eorum, ut gratias Deo ex debito referrent, ad ecclesiam illam reversis; ut januas ostiarii aperuerunt, lampades cum cereis, quas in conspectu omnium exstinxerant, omnes divinitus inflammatas reperiunt.

19. Super hoc Dei et sanctæ virginis miraculo multus erat plausus omnium : in eamdem omnes confluebant lætitiam uno et eodem animo, unanimi et pari consensu ad virginis sanctæ concurrebant oratorium : mentis eadem devotio, idem et universale pro ineffabili Dei beneficentia cunctis inerat gaudium; intrantibus aliis, aliis regredientibus, una omnes consolatione ad laudem divinam sese invicem B cohortabantur. Retractabant alii sanctæ virginis meritum : suspirabant alii divinæ recompensationis admirabile donum. Ille nimirum, qui januis clausis ad discipulos intravit, obseratis etiam nunc foribus ingressus, per lampadum inflammationem, virginem hanc unam earum absque dubio esse declaravit, quas suo ipsius testimonio accensis lampadibus evangelicus ille sponsus secum ad nuptias introduxit. Nec solum hoc virgini suæ largitus est, verum eosdem cereos ac lampades, absque aliqua ceræ diminutione vel olei, septem illis subsequentibus diebus, sub totius populi testimonio ardere mirabiliter concessit (20).

20. Eodem in loco multa fieri miracula frequenter audiuntur, quæ sui assiduitate, sicut plerumque fieri solet, partim memoria excidisse, partim viluisse C noscuntur; quæ tamen occurrunt memoriæ nostræ, vestræ fraternitati nos non piget renotare. Hæc eadem beatæ virginis fama celeberrima, quæ alios quamplures excitaverat ad aures paralytici cujusdam, Gregorii nomine, delata est. Hic quidem adeo paralysis morbo dissolutus languebat, ut nec quidem manum vel pedem movere posset; imo corpore jam præmortuo, in solo vix ejus pectore vitalis spiritus anhelaret. Nisus tamen quoquo modo repere per terram, vix tandem ad desideratam sanctissimæ virginis pervenit sepulturam. Multa ibi cum devotione multos fundens rivulos lacrymarum, per sanctæ Godebertæ virginis meritum, invalitudinis suæ efflagitabat medicamentum. Cumque in gemitu et lacrymis, usque ad vesperam flens et ejulans, indeD fesse perseverasset; pio sacratissimæ virginis obtentu in momento corporis totius sanitatem plenam recepit, ac si nullam unquam læsionem pertulisset. Lacrymabantur omnes præ gaudio, quia quem fere suspicabantur exanimem, ambulare videbant sanum et incolumem. Sed nec illud prætereundum putamus quod de Harveo (21) per virginem hanc factum miramur.

21. Ipse quidem Harveus, multatus oculis, multa super hoc peragraverat loca sanctorum, ipsorum etiam ea de causa adierat orationes Petri et Pauli

(20) Surius, qui miraculorum hujus capitis narrationem valde constrinxerat; deinceps paucas lineas solum habet, et sic totam narrationem absolvit.

(21) Idem Surius *Harneum* vocat : ecgraphum nostrum semel iterumque *Haureum*.

Apostolorum; aliquotque diebus ibi exspectatis, cum nil sibi proficere sentiret, infecto negotio tristis ad propria repedavit. In tenebris itaque et fere in umbra mortis residens, dies suos lugebat, quippe qui cum aliis quia videbant inhabitans, ad augmentum doloris sui lumen eorum retractabat. Peragratis ergo, ut prædiximus, multorum sanctorum oratoriis, ejusdem desiderii causa devote ad virginis hujus memoriam pervenit, ibi fidei fervore succensus extensis in cœlum manibus, in abdito cordis illud Davidicum decantabat, « Dominus, inquit, salus et illuminatio mea (*Psal.* XXVI,). » Ex toto quoque corde ad sanctissimam conversus virginem, suam ei attentius commendabat devotionem. Exaudita est ergo et in hoc devotissima sanctæ hujus virginis interventio; et ad ejus supplicem deprecationem Harveus, quia fideliter in oratione præstitit, non est fraudatus a desiderio suo. Sunt et alia multa, charissimi, virginis hujus miracula, quæ, sicut diximus, ad nostram non pervenere notitiam; verum super manifestis et incognitis sanctissimam nos Dei oportet collaudare magnificentiam, qui, per imitabile fragilioris sexus exemplum, tam fragiles ad æternæ vitæ incessanter invitat præmium sempiternum.

EPILOGUS.

22. Nos itaque, fratres, qui licet corporalibus utamur oculis, cæci tamen sumus in anima; qui terrestribus nimis intenti, prave postponimus cœlestia: qui temporalibus inhiantes, nihil pendimus spiritualia: jam vel sero hujus patronæ nostræ,

A beatissimæ videlicet virginis Godebertæ, virginitatem sedulo imploremus: utque apud divinam, cui infatigabiliter deservivit, majestatem, pro nobis suppliciter intercedere dignetur, retractemus devotam in Dei famulatu virginis hujus instantiam; admiremur ejus precibus acclinem, ut ita dicam Salvatoris nostri clementiam. Audivimus modo quia cœcus hic Harveus, cum super cæcitate sua nihil a sanctis impetrasset apostolis, per hanc tantam virginem visum recepit: credamus et nos per eamdem, cordium nostrorum cæcitatem, si bene quærimus, a Deo vere illuminari. Audivimus paralyticum Gregorium, paralysis suæ, hac mediante, suscepisse remedium: credamus et nos, si ex corde pœnituerimus, B per eam sanandos, qui omnibus, proh dolor! animæ destituti officiis, viam incedere pigritamur virtutum. Legimus lampades, quas in ejus exstinxerant oratorio, subito igne inflammatas: credamus et pro certo habeamus, spirituales animarum nostrarum tenebras, hac interveniente divinitus posse inflammari. Jam vero, dilectissimi, corda cum manibus ad Dominum erigamus in vera confessione, et in indissimulata pœnitentia precibusque multimodis faciem ejus præveniamus: quo virginis hujus meritis, quam nobis proposuit in exemplum, quæque pro ejus vera dilectione carnalium abdicavit fœdera nuptiarum, gravi nos exutos corpore, unigenito filio suo Christo Domino nostro concorporari concedat, in cœlesti collegio sanctorum angelorum, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

RADBODI SERMO

DE ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS (22).

(*Actes de la Province ecclés. de Reims,* II, 100.)

LECTIO PRIMA.

Audivimus, fratres dilectissimi, pastorem illum ovium de vili et servili ovium custodia in regni solio divinitus sublimatum, David, inquam, prophetam, imo psalmistam magnificum, ad Dei magnificam laudem intente omnia invitantem cum in extremo psalmorum dicit: « Omnis spiritus laudet Dominum. » Dixerat quidem in eodem psalmo superius: « Laudate Dominum in sanctis ejus. » Hortatur ergo psalmista David laudari Dominum in sanctis suis, corpus videlicet in membris, Dominum in servis, in creatura Creatorem, in militibus regem, in discipulis magistrum, in his quæ videntur, invisibilem Creatorem omnium nostrum. Ad hujus etiam laudationes omnem quoque spiritum invitat, rationabilia scilicet brutaque animalia; et bruta enim Deum collaudant, cum suo ipsorum jure naturæ secundum divinam dispositionem Domino creatori obtemperant. Laudatur siquidem Dominus in sanctis suis, cum per eos operans, corda illuminat perfidorum, virtutem largitur miraculorum, eorum beneficiis infirmi sustentantur, et prævaricatione prima a paradiso expulsi postmodum cœlestis regni hæredes revocantur.

LECTIO SECUNDA.

Cum ergo, sicut dictum est, in sanctis suis Dominum suadeat laudari, in ea et per eam eum præcipue docet honorari per quam ipsorum omnium sanctorum redemptionis summa processit, sanctis-

(22) Ce sermon se lisait autrefois, en forme de leçons, aux matines de l'Annonciation, dans plusieurs églises du diocèse de Noyon.

sima videlicet Maria genitrice Domini nostri Jesu Christi, quæ ad enervandam mortis violentiam, ad restituendam nobis regni cœlestis hæreditatem virgo concepit, virginitate manente peperit, virginitatis sigillum non in conceptu, non in partu, nec etiam post partum amisit. Mira et ineffabili Dei dispensatione, caro processit ex carne nulla carnali procreata commistione. Quid ergo, fratres; audiat charitas vestra, quod refutat pravitas hæreticorum, quod contradicit infidelitas Judæorum, quod ex corde credere oportet catholicam Ecclesiam Christianorum. Sanctissima siquidem virgo Maria, sicut vos credere non diffidimus, de regali tribu orta, hodie salutata est ab angelo, hodie concepit in utero, obumbrata est hodie a Spiritu sancto; ait enim angelus ad eam: « Ave, Maria, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. »

LECTIO TERTIA.

Benedictam virginem in mulieribus, id est inter mulieres, confitetur: quæ se post annuntiationem partu divini tanquam devota et humilis ancillam se profiteri non veretur. « Et benedictus, inquit, fructus ventris tui. » Benedictum fructum ventris ejus prædicit: per eum enim primi parentis maledictione deleta, in omne genus credentium benedictio benedicenda descendit. Et vere benedicenda quæ dispersa congregat, fracta consolidat et perdita restaurat (Indicibili autem admiratione visionis et salutationis angelicæ virgo turbata, humanæ fragilitatis subreptione aliquantulum tremefacta, quid intra se cogitaverit, quidve in corde suo revolverit divinum illum symmystam non fefellit, paranymphum angelicum latere non potuit.) Imo ad cogitata tanquam ad manifestata respondit Ait enim, Times virgo? ne timeas; turbata es? ne turberis. Gratiam apud Dominum invenisti, per quam et benedictus est fructus ventris tui.« Ecce enim concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum, » id est Salvatorem, Salvatorem videlicet omnium suorum. Ad hanc consolationem angelicam virgo puellula paululum respirans, submisso vultu: Quomodo, inquit, fiet ut pariam. quæ pariendi nunquam experta sum materiam. Puerperii delectamenta non pertuli, muliebria nullo modo perpessa sum, virum insuper non cognovi? Quid, inquit angelus, frustra expaves? mirabilem mirabiliter concipies, quia « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. » Nascetur, inquit, Sanctum. Quid sanctum? Sanctum sanctorum, quid est sanctum sanctorum? Filius, inquit, Dei. O promissio desiderata, conceptio immaculata, partus admirabilis et salutaris!

LECTIO QUARTA.

Primæ parenti nostræ dictum est: « In dolore concipies, et paries; » sanctissimæ autem dictum est Virgini: « Virtus Altissimi obumbrabit tibi; » sicut enim pluvia in vellus, sic in uterum virginis promissa Dei descendit virtus. Incarnatus est Filius Dei ex Spiritu sancto, filius hominis virginis factus in utero, processurus inde tanquam sponsus de thalamo suo. Quid ad hæc tibi, Maria, cogitas? Quid mater inviolata tecum retractas? Age, qui credunt Dominicæ Annuntiationi congaudeant sanctæ hujus puellulæ devotissimæ responsioni.« Ecce, inquit, ancilla Domini. » Virgo es nec viro humiliata mater eligeris, matribus præferenda, mater Salvatoris et regis, et te ancillam profiteris. Humilitas vera humilitatem tuam respexit, ex te enim exiet sancta illa humilitas ad cujus imperium omnis ruet superbia, ruent portæ inferorum, et fideles suos introducet ad regna cœlorum, « Ecce, inquit Maria, ancilla Domini. » Cum se hujus sponte confitetur conditionis, non abnegat se Dominicæ jure subesse dominationi: « Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Fiat illud, optantis est et non imperantis. Fiat ut Redemptoris nostri præsentia per me ancillulam suam suis subveniat fidelibus quos hactenus diabolicæ sortis absorbuit interitus, diabolica trucidavit ferocitas, et ad ultimum in inferno inferiori malignorum spirituum insatiabilis deglutivit voracitas. Sic itaque verus veri Dei Filius annuntiatus ab angelo, virginis hodie conceptus est in utero, unde et festivitas hæc hodierna Annuntiatio Domini est nominata.

LECTIO QUINTA.

In hac igitur sancta celebritate, fratres charissimi, redemptionis nostræ principia veneremur, devotissimas animarum nostrarum hostias Deo devotissime offeramus, ut ad promissæ reparationis sanctæ sanctissima gaudia per eumdem Christum securi pervenire valeamus. Hujus itaque festivitatis solemnia certo in termino, octavo videlicet Kalendarum Aprilis, sicut prædiximus, visitatio angelica dedicavit, Spiritus sancti obumbratio consecravit, sanctorum Patrum auctoritas in eodem sancto Spiritu celebrandam confirmavit. Sed quia plerumque diebus Dominicæ Passionis sive Resurrectionis, in quibus memoria sanctorum fieri prohibetur, eam contigit evenisse, a sanctis Patribus, in quodam Ecclesiæ Toletanæ concilio didicimus, statutum esse xv Kal. Januarii quoties sic evenerit solemniter reformandam. Quatenus et dies Dominici ex debito celebrentur, et sanctæ Annuntiationis devotissima solemnitas non negligatur. Ex hac igitur constitutione anno Dominicæ Incarnat. 1081 ante Palmarum diem, quinta feria, festivitatis terminum contigit accidisse quam, ob decretum concilii, neque populus celebravit, neque sacerdotalis dignitas, prout sui est officii, celebrandam denuntiavit. Exiit ergo populus ad opus servile, hi agricultura, hi cultu vinearum, nonnulli artificio, alii fabricandi seu resarciendi officio insudantes, uterque sexus diversis laboribus studebant intendere. Verum quia hæc virgo sanctissima indignanter pertulit eadem ipsa die mirifice declaratum esse voluit. Poterat siquidem regina cœlorum violationem diei suæ, ignominiam solemnitatis suæ vehementius et in validiori masculorum sexu non

immerito ulcisci ; sed pia pietatis gratia, cum commota esset, iram refrenavit. Domina in ancillulam, regina in satis vilem personam, quia operando deliquerat, misericorditer, ut alii castigarentur, propalavit.

LECTIO SEXTA.

Erat quidem tunc temporis in Gallia, in suburbio scilicet Noviomicæ urbis, quædam puellula, Eremburgis nomine, eodem nata in suburbio, eodem generata populo ; pauper quippe orta de pauperculis, et ideo intente operabatur in laboribus (Arte ac manu victum quærebat, textili opere secundum sui consuetudinem sexus illaborabat suis.) Dum vero eadem die, prout in nendo moris est mulieribus, filum saliva madefaceret, filum idem linguæ inhæsit, utraque quasi convinculata distorsit. Labio intumescenti lingua pene obmotuit. Quid ageret ? evellere nitens incassum insudabat. Ab aliis adminiculum clamans, nihil sibi proficiebat. Præ nimio jam dolore os ejus deturpaverat saliva coagulata in spumam, et labia linguæ connexa vim naturaliter expuendi amiserant. Flebat puella et vehementer angebatur. Dolebant et astantes qui ei ex animo compatiebantur. Ab hoc infelici spectaculo fortuitu mater ejus aberat, sed vicinis concurrentibus evocata, ut filiam quasi jam exanimem vidit, exanimis et ipsa divino eam judicio talia pati denuntiabat, quia ei pater suus die præcedenti festivitatem sanctæ Mariæ propediem celebrem futuram innotuerat. Conabantur vicini aliquod ei medicinæ ferre remedium, sed nesciebant sacratissimæ virgini quam ad indignationem provocaverat hujus curationis reservari miraculum. Sapientiori tandem usi consilio, miseram illam ad impetrandam cœlitus indulgentiam sancto confessori præsentaverunt Eligio, qui dum adviveret, doctrina et virtute mirabilis, hodieque frequentius Deo disponente, ut ipsi oculis nostris vidimus, virtutum declaratur miraculis. Ad ejus sepulcrum vota voventes preces Domino cum lacrymis offerentes, infecto negotio rediere. Quod tamen postmodum actum est in ea pio suo interventu credimus sanctum obtinuisse. In tanto igitur plebis conventu misericors ille solus qui revelat parvulis et abscondit sapientibus, miserorum miseratus miseriam, sua ipsius in missione, ad matris suæ matrem eos direxit ecclesiam ut ejus liberaretur meritis in quam peccaverat, et ejus absolveretur precibus quam temere offenderat. Igitur itaque ad Sanctæ Mariæ principale monasterium, fit innumerabilis concursus civium, hi lacrymis profusi, tacitis illi precibus divinam exorant clementiam, ut a paupercula illa removere dignetur tam severæ ultionis sententiam. Videres undique laborantium projici utensilia, labores manuum, et omnia penitus artificum abnegari opera, qui peccaverant emendationem culpæ promittere, eos et alios solemnitatem se ulterius devotissime celebraturos ex toto corde vovere.

LECTIO SEPTIMA.

Interea dum et Sanctæ Mariæ festinant basilicam, sacerdos quidam non adeo sanæ mentis fortuitu fit eis obviam ; inquisiti cum ei respondissent, simulatum quasi pro quæstu æstimans : Ego, inquit, vestris condescendam gemitibus, et dolentis hujus puellulæ ad præsens fidelis ero medicus ; et hæc dicens fili dependentia violenter arripuit violentius traxit ; sed cum attrahente pene jam lingua evelleretur, ad gemitum puellulæ vehementer expavit, et in conspectu populi se peccasse confessus, ab incœpto confusus abstinuit. Perveniunt interim ad pontificalem sedem sanctæ Noviomensis Ecclesiæ. Sistitur ante altare sacratissimæ semper Virginis lugens mater cum filia, sacerdotes cum populo, ejusdem Dei Genitricis compuncte sollicitant suffragia, ut postposita offensione, quod suum ipsius esse creditur, pietatis in eam convertat viscera, quo ad ejus liberationem et gratiæ Deo per eam referantur, et solemne hoc festum in sæcula sæculorum ea in urbe solemniter celebretur. Magna siquidem utriusque sexus multitudo confluxerat in ecclesiam obsecrantes et fideliter præstolantes super pusillanimis illius passione divinam cœlitus indulgentiam. In corde contrito et humiliato sacerdotes benedicebant Dominum, imo concordi omnes unanimitate gloriosæ Virginis clementiam deprecabantur, quo eorum lacrymis benignitate solita compateretur, et præmortuæ jam puellulæ vincula dissolvere non dedignaretur. (Tantis demum Virgo beatissima lacrymarum reflexa precibus) judicium vertit in misericordiam, apud eum qui per eam ad ereptionem miserorum in mundum venit. Oppressæ impetravit levamen et in conspectu astantium mirabili gratia vinculorum concessit resolutionem. Nam cum anxietate nimia exæstuans gemitu tamen quo poterat veniam postulans, ejusdem sanctæ Mariæ virginis altare flebiliter deoscularetur, gratia divina cœlitus adfuit, ad confirmandam fidem et devotionem fidelium, quod sua ipsius puellulæ, quod sacerdotis prædicti, seu parentum non potuit violentia, (in conspectu astantium labellulo vinculum misericorditer excussit :) lingua tamen ad amplificandam Christi et Genitricis suæ gloriam, sub eodem adhuc tortionis genere paulo postea cruciata remansit. Et ecce iterum populus ad lacrymas devotionis Deo pro percepta jam remissione reddunt gratias, cum compunctione devotiori Deum postulantes, ut qui benigne cœpit, benignius et ipse perficiat. Benignitas tandem Salvatoris nostri preces suscepit humilium per intercessionem gloriosæ semper Virginis, remissionis immisit antidotum, et ad refrigerandum intumescentis linguæ ardorem suavissimi roris clementer infundit stillicidium.

LECTIO OCTAVA.

Rejecto siquidem miseratione divina filo et resoluta ex toto lingua, imo recepto ad plenum loquendi officio, gratiarum quam maxime actiones referuntur, lacrymæ in gaudia, gemitus in organa convertuntur. Fit lætitia magna in populo, undique laudes Domino personant, signis ecclesiæ concrepantibus, *Te Deum*

laudamus, spirituales clericorum ordines devote jubilant, utriusque sexus viris et mulieribus Deum laudantibus voce qua poterant. (Quia igitur pro recepta sanitate quæ ad altare sanctissimæ Virginis offerret in promptu paupercula non habuit, se ipsam ejus amodo capitalitiam astantium consilio gratanter dedit,) sicque post immensas gratiarum actiones qui prius pro compassione compungebatur, postmodum præ gaudio populus devote illacrymatus abscessit. Ex hinc itaque, fratres, quandoquidem de conceptione Domini disseruimus, aliquantulum sua ipsius gratia et ipsam de qua conceptus est virginem scribendi convertamus calamum, et in laudibus ejus saltem parum immoremur, de cujus intemerato utero mirifice tantum nos Redemptorem suscepisse gaudemus. Hanc enim virginem sanctam, Deo devotam, ineffabilem et omnibus præferendam fideles quique ante adventum Domini votis fidelibus exspectabant, prophetæ sanctissimi sancto in Spiritu admirabilem ejus conceptionem prædicabant, et licet venturæ glorificationis non nossent terminum, per eam tamen et sibi et futuris quibusque fidelibus (interminabile præstolabantur salutiferæ redemptionis suffragium.) De hujus enim glorificatione virginis propheta Isaias nos docet : « Egredietur, inquit, virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, » et iterum idem propheta expressius : « Ecce, inquit, virgo concipiet et pariet filium : » sic de Virgine propheta : « Ecce, inquit, virgo concipiet. » Angelus autem ad eamdem Virginem : « Ecce, inquit, concipies et paries filium, » etc. Audiant fideles non dissona prophetæ verba et evangelistæ. Admirentur ineffabilem virginis fidem et ineffabiliorem conceptionem Christi. Christi conceptionem dicam, an virginis ? sed, ut verius fatear, et Christi dicam et virginis. Femina quidem concepit, et homo est conceptus, virgo eadem femina concepit, et conceptus est idem homo Christus. (Quicunque igitur hac conceptione se redemptos non dearstimant,) in hac solemnitate filio et matri congaudeant. Filii matrem venerentur in exsultatione, collaudent filium matris in sancta devotione ; ut sicut laus discipuli honor est magistri, sic et veneratio virginis gloria sit Christi, et impleatur prophetæ David admonitio : « Laudate Dominum in sanctis suis. » Nunquid enim et in hoc non condecet laudari Christum in sancta sua Genitrice, cum post multa et innumerabilia quæ per eum operatus est miracula suæ ad honorem solemnitatis puellæ quam prætexuimus tam clementer dignatus est subvenire ? Sed quia populus ille Noviomensis se ad augendam fidem credentium exauditum cognovit, quia in palam miracula mirabiliter ad honorem sanctæ Virginis perpetrata fideliter percepit, solemnitatem hodiernam usque ad diem Cœnæ Dominicæ illo in loco in perpetuum novit celebrandam, sanctorum quidem Patrum conciliis non dissentientes, verum se Domino post tanti manifestationem miraculi plenius et in hoc servituros non diffidentes. Celebremus igitur et nos, fratres, devotissime solemnitatem sanctæ hujus Annuntiationis. Credamus nobis per hanc provenisse plenissime bonum redemptionis, per eamdem quoque fideles percepturos esse perpetuæ gaudia resurrectionis, ad quæ nos perducat idem Filius Dei et hominis qui natus ex Deo Patre ante tempora Deus, ex Spiritu sancto in tempore a matre homo conceptus, cum eodem Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti, vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

RADBODI EPISTOLA

AD LAMBERTUM ATREBATENSEM EPISCOPUM

(Vide in Lamberto circa ann. 1115.)

RADBODI CHARTÆ.

I.

Charta qua Radbodus Noviomensis episcopus altari de Capi ecclesiæ S. Petri Cluniacensis concedit. In qua declaratur episcopi auctoritas in monachos Ecclesiarum præpositos et in abbates.

(Anno 1086.)

[Marrier, *Hist. S. Martini de Campis*, p. 340.]

Ego Radbodus, indignus Noviomorum episcopus, notum volo fieri quibuscunque fidelibus, altare de Capi tunc Dei timore, tunc monachorum interventu, me de manu Rodberti Peronensis, et hæredum ejus quibus ex beneficio contingebat, recepisse ; et ecclesiæ Sancti Petri Cluniacensis ad remissionem peccatorum meorum, assentiente, imo precante, clero sanctæ Mariæ, perpetim habendum concessisse ; ea videlicet ratione, ut sacerdos mihi serviens susceptæ curæ animarum reddat rationem, et mihi meisque

ministris debitam solvat consuetudinem. Quod si congregatio ibidem Deo disponente pervenerit, culpas emendare in potestate sit abbatis. Si autem abbas aut prior negligenter egerit, tunc ad episcopum Noviomensem correctio monachorum redundabit. Ut autem chirographum istud futuris temporibus firmius existat,circumstantium subnotavimus nomina

Signum Radbodi episcopi.
Sig. Gerilini decani.
Sig. Baldrici archidiaconi.
Sig. Walcheri thesaurarii.
Sig. Odmundi præpositi.
Sig. Widonis cancellarii,
Sig. Ivonis castellani.
Sig. Wincmari Rodberti.
Sig. Gosberti.

Actum Noviomi, anno Incarnationis Dominicæ 1086, indictione IX, regnante rege Philippo, anno XXV, domino Radbodo episcopante, anno XIX.

II.

Pro restauratione abbatiæ S. Martini Tornacensis (23).

(Anno 1094.)

[*Prov. Eccl. de Reims.* II, 119.]

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ego RADBODUS Noviomensium seu Tornacensium episcopus omnimodam salutem tam futuris quam præsentibus.

Noverit charitas vestra, fratres dilectissimi, ecclesiam Sancti Martini Modici,quæ in Monte Modico prope muros urbis Tornacensis sita est, antiquitus abbatiam fuisse; verum paganis in ipsam civitatem irruentibus destructam, et in laicalem postmodum dictionem redactam ad nihilum pene devenisse: adeo autem ejusdem Ecclesiæ percrebuit desolatio, ut nec ad plenum unius saltem sacerdotis deserviri posset officio: congregatio siquidem illa hostili manu dispersa est et abiit; familia ejusdem Ecclesiæ interempta est et deperiit. Terras ejus laicalis manus in beneficio de manu antecessorum nostrorum et nostra longo post tempore habuit. Anno vero Incarnationis Dominicæ 1092, Ecclesiæ illius rememorans pia Dei misericordia, fratris Odonis et aliorum quatuor mentes spirituali cœlitus inflammavit gratia, qui uno eodemque animo, cum se hujus sæculi cœnulenta pertimescerent implicari voragine,elegerunt magis in præfata Ecclesia Deo in pauperie deservire quam ad perditionem animarum suarum divitiis sæcularibus abundare. Cum ergo hac ex causa nostram adiissent præsentiam, consilio et auxilio Radulfi advocati,qui tunc temporis eam jure possidebat hæreditario, sub clericorum et laicorum testimonio, eamdem eis cum adjacenti solummodo atrio concessimus Ecclesiam, ea scilicet conditione, ut eam libere, utpote abbatiam haberent, et inibi sub regula sancti Augustini tanquam regulares canonici Deo deservirent. Anno autem altero introitus eorum, majori adhuc divinitus inspirati sunt desiderio, utpote qui jam bonorum allaborabant interesse collegio. Ut enim Deo deservirent, quod arctius æstimabant sponte elegerunt, et divinæ se gratiæ devoventes habitum sancti Benedicti compuncte susceperunt. Percepta itaque infatigabili eorum perseverantia, in eodem anno Deo annuente, indigenarum eleemosynis adeo illa succrevit Ecclesia, ut ibi septemdecim sub ditione prædicti Odonis abbatis monachi substituerentur, et ad serviendum Deo et sancto Martino secundum sancti Benedicti Regulam ordinarentur. Videntes ergo circummanentes aliquantulum fratrum devotionem, terrarum quas antiquitus abbatia illa tenuerat nobis fecere mentionem, quatenus eas recolligeremus, et usibus fratrum quibus deputatæ fuerant pro remissione peccatorum nostrorum redderemus. Quorum benevolis petitionibus, licet difficillimum videretur, benevole condescendentes, advocatum Radulfum,quem eas tunc temporis in beneficio tenere didicimus, benigne convenimus, et pro consolatione animæ suæ, quid ei super hoc faciendum foret ex officio nostro intente suggessimus, et omnedicibili Spiritus sancti gratia inflammatum illico cor hominis benigne ad omnia respondit: Terras illas Sancti Martini quas in suo possidebat dominio, libere ut eas Ecclesiæ illi restitueremus reddidit, aliasque omnes ejusdem ditionis, quas in vadimonio seu beneficio alii de illo habebant quomodocunque, seu per redemptionem, seu per eorum qui eas tenebant eleemosynariam manumissionem,ad Ecclesiam devenire possent, liberas votive concessit. Noverit ergo ætas et sexus omnis quos contigerit audire, terras omnes illas quas antiquitus Ecclesia tenuit,prædictum Radulfum una nobiscum ecclesiæ Sancti Martini quacunque hora, quoquomodo ab illis qui eas hactenus habuere liberari poterunt, Sancto Martino libere concessisse, et in usu fratrum inibi degentium amodo et in perpetuum habendas libere reddidisse. Ut vero hæc nostra recognitio inconvulsa maneat in sæculum, chartæ huic parvitatis nostræ impressimus sigillum, ut si quis eam scienter amodo violaverit, nisi ad emendationem redierit, Dei et sanctorum omnium et postmodum excommunicationis nostræ inenodabile incurrat vinculum.

Signum domini Radbodi episcopi.
Sig. Baldrici archidiaconi.
Sig. Petri cantoris.
Sig. Ornulfi presbyteri.
Sig. Roscelini presbyteri.
Sig. Maurini presbyteri.
Sig. Segardi diaconi.

(23) L'abbaye de Saint-Martin de Tournay avait été fondée en 652 par saint Eloi, qui y plaça des religieux sous la règle de saint Colomban. L'invasion des Normands au IXe siècle chassa les religieux et l'abbaye demeura déserte jusqu'en 1092; alors Radbod y établit des chanoines réguliers,qui deux ans après embrassèrent la règle de saint Benoît, et récupérèrent les biens qui avaient été envahis.

Sig. Gerelini diaconi.
Sig. Aloldi diaconi.
Sig. Stephani subdiaconi.
Sig. Landrici acolythi.
Sig. Odonis acolythi.
Sig Hagenonis acolythi.
Sig. Hugonis castellani.
Sig. Hugonis Calmacensis.
Sig. Helinandi militis.
Sig. Sagnatonis militis.
Sig. Gosberti militis.
Sig. Gualteri Tornacensis archidiaconi.
Sig. Petri decani.
Sig. Herimanni præpositi.
Sig. Olberti cantoris.
Sig. Stephani presbyteri.
Sig. Hellini presbyteri.
Sig. Joannis presbyteri.
Sig. Ledberti diaconi.
Sig. Bernuini subdiaconi.
Sig. Ingebrandi acolythi.
Sig. Werrici acolythi.
Sig. Onvardi castellani.
Sig. Rodulfii advocati.
Sig. Gonteri militis.
Sig. Rodulfi militis.
Sig. Lidberti militis.

Actum Noviomi, Incarnationis Dominicæ anno 1094, indictione I, regnante rege Philippo anno XXXVI, domno Radbodo episcopante anno XXVI.

Ego Guido, concellarius, legi et subter firmavi.

III.

Charta donationis ecclesiæ S. Mariæ Brugensis a Radbodo episcopo Noviomensi sanctimonialibus factæ.

(Anno 1094.)

(*Gall. Christ.* nov., t. V, col. 354.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ego Radbodus minimus episcoporum Noviomensium seu Tornacensium.

Notum esse volo generationi omnium fidelium tam præsentibus quam eis qui succedent in posterum, ecclesiæ S. Mariæ quæ Brugis est libertatis me hujusmodi concessisse privilegium : Bernerus A siquidem clericus et Gummarus, qui altare illud diu sub personatu habuerant, divinæ admodum gratiæ respectu compuncti, per Gualterium tunc temporis archidiaconum cæterosque clericos infatigabili me precum instantia interpellarunt quatenus altare illud de manibus eorum reciperem libere, ab omni exactione sæculari libere absolverem, et de redditibus ejusdem altaris et aliis quæ ob remissionem peccatorum suorum voverant, sanctimoniales ad serviendum inibi ordinarem. Quorum benevolæ petitioni aurem benevolam accommodans, prædictum S. Mariæ altare, sicut petierant, libere recepi, sanctimonialibus inibi constituendis canonice abbatissam suam eligendi potestatem concessi, cui episcopus curam committeret spiritualem, et B providentiam substantiæ temporalis. Ipsa quoque abbatissa ab episcopo utramque suscipiens prælationem, in utraque canonicam et debitam episcopo exhiberet subjectionem, atque a sanctimonialibus electa, canoniceque ab episcopo substituta, canonice præbendas disponendi facultatem haberet ; et unoquoque anno in festivitate sanctorum apostolorum Simonis et Judæ V solidos episcopo pro respectu ecclesiæ solveret. Quia vero in dominio episcopi prædicta manet ecclesia, confratrum nostrorum concilio altius quiddam ei subscripsi, malefactores scilicet ecclesiæ illius et canonice excommunicandi eisque absolvendi potestatem concessi, ea tamen conditione ut si per ministros episcopi excommunicatio confirmata fuerit, episcopo et ministris C ejus emendatio solvatur excommunicationis. Ut autem hoc hujus concessionis privilegium amodo non possit dissolvi, cartam hanc sub testimonio sacerdotum et clericorum sigillo nostro jussi confirmari S domni Radbodi episcopi, S. Galterii archidiaconi, S. Petri decani, S. Herimari Noviomensis decani, S. Herimanni præpositi, S. Sigeri cantoris, S. Elberti, S. Tetberti, S. Lamberti.

Actum Tornaci anno Dominicæ Incar. 1094, indictione II, regnante rege Philippo anno XXXV, domno R. Episcopante XXVI.

Ego Wido cancellarius subter firmavi.

ANNO DOMINI MXCVIII

AGANO

AUGUSTODUNENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA

(*Ex Gallia Christiana*, nov. edit. tom. IV, pag. 381.)

Agano seu *Hagano*, imo et corrupte, ut videtur, *Aginus*, fuit primo Æduensis Ecclesiæ abbas (alicujus earum abbatiarum quæ capitulo unitæ fuerant, et quarum titulum præcipui e canonicis assumebant,) ut patet ex charta Helmoini episcopi, quam refert Mabill. Annal. t. IV, append., pag. 711, imo in altero ejusdem præsulis diplomate ibidem, pag. 730, dicitur abbas et præpositus. Fuit deinde episcopus, verum quo præcise anno pedum acceperit, nobis incompertum; anno 1055, inquiunt Sammarthani non improbabiliter, quamvis falso fundamento. Contendunt enim hoc ipso anno habitam synodum Augustodunensem de qua hæc habet Hugo monachus Cluniacensis in Vita Hugonis abbatis sui: dux Burgundiæ Rotbertus Haganonem Æduorum episcopum nimia infestatione gravabat, variisque prædonum incursibus passim Burgundia laborabat. Ea propter episcopi Gaufredus Lugdunensis, Hugo Bisuntinensis, Achardus Cabilonensis, et Drogo Matiscensis, Æduam convenerunt, magnique patrem consilii Hugonem Cluniacensem abbatem venire rogaverunt. Venit et dux, sed fastu maligno interesse conventui recusavit. Inde commotus Hugo ipsum adiit, et vehementer objurgatum, mirantibus omnibus tanquam ovem mitissimam secum adduxit: ibique coram celeberrimo cœtu de pace locutus, mox discordiæ auctor in specie hominis proceri, facie truculenti e conventu egredi visus est, statimque candidissima columba capiti abbatis insidere, quod portentum ducem ad concordiam flexit, et ad condonandam filii sui necem, iis qui illius auctores fuerant. Ex his evidens est non anno 1055 habitam fuisse hanc synodum: in ea quippe Robertus parcit iis qui filium suum occiderant: at non anno assignato, sed 1057 interfectus est, ut discimus ex Chronico Sancti Stephani Antissiodorensis apud D. Duchesne probat. geneal. ducum Burgundiæ, pag. 11, his verbis: « Anno 1057 Hugo, filius Roberti ducis, incendio tradidit villam S. Briccii, et perierunt infra ecclesiam cx. (homines) et eodem anno ipse interfectus est. » Hunc eventum alii consignant anno 1073, alii 1063, aut 66 quorum sententiam in Cabilonensibus et Matisconens. episc. examinabimus. An. 1059 augustæ illi cæremoniæ præsens fuit, qua Henricus Francorum rex Philippum filium suum natu majorem in regni solium consortiumque sublimari, et consecrari curavit. Subscripsit privilegio Leodegarii Viennensis archiepiscopi, quo S. Juliani suæ urbis abbatiam fere vix non destructam Brivatensibus canonicis tradidit. Datum dicitur « III Kalend. Martii, feria VII, anno ab Incarnat. 1066, et XXXV Leodegarii archiepiscopi. » Non conveniunt inter se chronicæ notæ; anno quippe 1066, feria VII, seu Sabbatum, non in III, sed in V Kal. Martii incidebat. « Quo eodem anno, ind. IV, regnante Philippo rege Francorum anno VII regni ejus » subscribit diplomati quo Robertus dux Burgun-A diæ agnoscit *bannum* abbatiæ Sancti Benigni Divionensis. Ex Sammarthanis nominatur in diplomate dato anno sequenti, inquiunt, ind. IV, anno VII Philippi regis, Odone Flaviniacensi et Herminio S. Sequani abbatibus: verum hic idem annus est 1066.

An. 1070 habitum est concilium Ansanum II, ex cujus Actis nihil superest, quodque solum novimus ex instrumento Achardi Cabilonensis episcopi, quo antiquum S. Laurentii monasterium ad nihilum pene redactum dat monasterio Insulæ Barbaræ, ut restituatur. Ei subscribunt Hugo Vesuntion., Agano Æduensis præsul, et Drogo Matiscensis. Anno XII Philippi regis, Christi 1072, dat sacellum S. Hilarii cœnobio Cluniac. Eodem anno occurrit in instrum. electionis Hugonis in abbatem S. Rigaldi, quæ facta dicitur, « cum magna opitulatione domini Hugonis [Aganonis] Æduensis præsulis. » Præsens fuit actui B quo idem Philippus rex antiqua Trenorciensis abbatiæ privilegia confirmavit anno 1075, cujus et diploma sua subscriptione munivit. Eodem, ind. XIII, tertio Idus Nov. ad ipsum sub nomine Agini Augustod. episc. exstat epistola Gregorii VII papæ, Burgundiæ præsulibus scripta pro Pultariensibus monachis a Lingonensi clero divexatis. Suburbana apud Æduam S. Symphoriani ecclesia hisce temporibus in solitudinem vix non redacta erat: unde illam in pristinum monastici ordinis statum restitui jussit Gregorius papa, quod ut exsequeretur Pontius de Glana illius loci advocatus, eam Floriacensi cœnobio, consentiente Aganone episcopo, in melius reformandam concessit. Idque Philippus rex suis litteris confirmavit, quibus idem Agano subscripsit anno 1077. Memoratur cum Valtero decano, Norgaudo præcentore, et Hugone de Monte C Sancti Joannis XIII Kal. Octob. 1078, Roberto cancellario. In diplomate Philippi regis primus subscripsit anno sequenti, quo ecclesia S. Martini Parisiensis, quæ tunc canonicorum erat, Hugoni abbati Cluniacensi, ejusque successoribus in melius, et in monasticum statum restituenda donatur « Actum publice apud S. Benedictum de Floriaco, anno Incarnationis Verbi 1079, regni nostri XIX. » Præsens fuit electioni Walterii in Cabilonensem episcopum, et illius instrumento subscripsit an. 1080. Quo eodem cellam Sancti Dionysii de Novigento (*Nogent-le Rotrou*) a Carnutensibus Sancti Petri monachis abstulit Gaufridus comes, et Cluniacensibus attribuit; instrumento hanc in rem confecto subscripta sunt signa Aganonis nostri, Hugonis Lingon. Walteri Cabilonensis et Landrici Matisconensis antistitum. Quo denique adfuit et Meldensi concilio. Anno 1081 in ecclesia Turonensi graves exortæ sunt turbæ; Fulco Rechinus comes Andecavorum, suadente Philippo rege, Radulphum archiepiscopum e sua sede dejecit: quocirca « A. [Agano]..... Augustodunensis episcopus, R. [Rai-

naldus]..... Lingonensis, G. [Gualterius]..... Cabilonensis, L. [Landricus]. Matisconensis vice primatis curam gerens Ecclesiæ Lugdunensis.... » omnibus provinciæ Turonensis episcopis, abbatibus, etc., scribunt ac significant se Fulconem comitem, Gaufridum Andecavi præsulem, qui nihil pro afflicto archiepiscopo egerat, et Majoris monasterii monachos, ad sanctæ sedis Lugdunensis examen invitasse, quibus ad diem statutum judicium per absentiam fugientibus, episcopum quidem ab episcopali et sacerdotali officio ad tempus removent : Fulconem vero cum monachis jam dictis auctoritate B. Petri, atque domini Hugonis primatis et Romanæ Ecclesiæ legati, excommunicationis gladio percutiunt, etc. Eodem anno adfuit Exoldunensi concilio et subscripsit chartæ qua Richardus Bituric. archiepiscopus ecclesiam S. Martini de Briva Majori-Monasterio concedit.

Anno 1082, die XIV Kal. Novembris, inquit Clarius monachus in Chronico Senonensi, obiit Walterius Meldensis episcopus, et in sequenti septimana Hugo Diensis episcopus congregavit concilium in eadem urbe, et ordinavit ibi episcopum Rotbertum Resbaci abbatem. Adfuit Agano, qui cum aliis præsulibus subscripsit Hugonis legati decreto de pravis consuetudinibus, quibus Breonensis comes Dervense monasterium divexabat. Subscripsit et chartæ Guarini comitis Rosnacensis pro eodem monasterio. Gravissimum habuit cum fratre suo Raginardo negotium. Hic homines Belmiaci « novis et inauditis legibus, nimiis, redditionibus, iniquis exactionibus, malis consuetudinibus » aliisque intolerandis gravaminibus torquebat, de quibus monitus episcopus, nihil carni et sanguini dedit, quinimo auctoritate Rocleni Cabilonensis episcopi et Hugonis Burgundiæ ducis usus, fratris sui facinora compescuit, eaque omnia, quibus opprimebantur miseri, abrogavit. Obedire primo renuit Raginardus, sed tandem resipuit conscripta charta, quæ sic explicit : « Actum apud Æduam urbem publice in mense Maio, in ipsa die Pentecostes prima feria, indictione v. Aganone præsule, Philippo rege, Gregorio universali præsule. » De anno non convenit inter auctores : verum nullus alius, mea quidem sententia, præter 1082 assignari potest, quia ab initio pontificatus Gregorii, quod fuit 1073, ad ejus obitum, nulli alteri convenit indictio v. Philippus rex Raginaldo abbati et monasterio Flaviniacensi plures ecclesias confirmavit diplomate quod refert D. Duchesne (*Prob. Hist. geneal. Burgund. ducum* p. 27, 28), quod sic clauditur : « Adfuit ibi Agano episcopus qui fieri postulavit, et factum laudavit. Actum Au-

A relianis anno Incarnati Verbi 1085 anno vero Philippi regis XXII. » Anno 1094 habitum est Augustodini concilium XVII Kal. Novembris, in quo renovata est excommunicatio in Henricum regem, qui vivente uxore sua alteram superinduxerat, et in Guibertum sedis apostolicæ invasorem. Eodem anno Frogerius de Murassalt dedit Cluniaco ecclesiam S. Nicolai in ipso castello, de consilio et consensu domni Aganonis episcopi Æduensis, in cujus parochia dicta ecclesia sita erat. Videtur et Claromontano conc. adfuisse Agano anno 1095. Certe cum Durannus illius civitatis episcopus Mauziacense cœnobium potestati et ordinationi Hugonis abbatis Cluniacensis ejusque successorum commisisset; cumque Philippus regio diplomate id confirmasset, huic rei inter alios subscripsit Agano ; idemque paulo post, Urbanum II papam Augustoduni excepit, qui ab eo et a S. Nazarii collegio obsecratus,
B ea omnia confirmavit quæ vel ipse vel decessores canonicis concesserant. Fundavit etiam Agano collegium canonicorum in ecclesia S. Germani de Planesia, uti probatur ex charta in appendice relata. Cum autem Flaviniacense cœnobium jam septem annis pastore careret, accidit ut tunc temporis Hugo Lugdunensis antistes consecrationi Berardi Matiscon. episcopi incumberet, assistentibus Aganone Æduensi et Walterio Cabilon. præsulibus ; quam occasionem opportunam ratus Agano, conqueritur de prædictæ ecclesiæ desolatione, rogat ut Hugo monachus Chronico notissimus illic abbas præficiatur; id quidem ægre, sed tandem obtinet ab Hugone Lugdunensi, cujus ea de re ad Aganonem epistola exstat in Chronico Virdun. moxque prædictum Hugonem monachum Flaviniaci consecrat die x Kal. Decemb. an. 1097, quo ipso anno idem Agano dedit Jarentoni abbati Benigniano ecclesiam de Arneto-Ducis (*Arnay-le-Duc*). E vivis
C ereptus est an. 1098, VII Kalendas Julii, inquit Hugo ; in Necrol. tamen San-Benigniano legimus : « VI Kal. Julii Agano episcopus. »

Aganoni subjungit Helneum vetus index, inquit unus e nostris, illum tamen omisit Gallia Christiana quadripartita, illum quoque refert Saunier in Histor. Æduensis Ecclesiæ, qui ait ejus tempore habitum Augustoduni concilium sub Gregor. VII, cui præfuit Hugo Diensis, postea Lugdunensis antistes. Verum Hugo, qui abbas in diœcesi Æduensi hoc ipso tempore degebat, ubi Aganonis obitum retulit, statim addit : « Regimen Ecclesiæ Æduensis post venerabilem Aganonem Norgaudus suscepit, in eadem Ecclesia præcentoris functus officio. »

JUDICIUM AGANONIS ADVERSUS RAGINARDUM

(*Vide Patrologiæ tom. CXXXII, col. 476, in append. ad Reginonem.*)

CHARTA AGANONIS

PRO FUNDATIONE ECCLESIÆ S. GERMANI ET S. SATURNINI DE PLANESIA

(*Gall. Christ.*, nov. edit., t. IV, append., p. 82.)

Cum gesta et dicta præcedentium Patrum ad memoriam reducimus, quam devote et salubriter posteros suos ut divinis cultibus operam darent, exemplo et doctrina monuerunt evidenter cognoscimus. Cum enim conscientia nobis testimonium perhibente in multis omnes offendamus et nobis ad

salutem nullatenus sufficere valeamus, eorum suffragium necessario nobis est implorandum, qui non solum laboris sui fructum percipere, sed et nobis peccaminum nostrorum veniam apud divinam misericordiam juste et pie vivendo obtinere meruerunt. Quorum propitiationem ut nobis comparemus, sacra Deo loca in quibus eorum memoria digne et laudabiliter excolatur tota devotione construere satagamus, ut de hac valle lacrymarum eorum ope educi et ad consortium illorum pertingentes, tandem Deum eorum in Sion videre mereamur. Quia ergo B. Germanum in numero eorum qui in hoc nobis patrocinari possunt, non infimum esse, sincera sacræ paginæ relatione ei miraculorum evidentia didicimus, ego Agano licet indignus, Æduensis tamen Ecclesiæ, utinam non ad detrimentum meum, dictus episcopus, videns olim locum in quo nunc prædicti confessoris Ecclesia divino nutu sita est, religioni fore congruum, ut pote ab omni strepitu populari remotum quorumdam etiam relatione et sepulchrorum quæ ibi effodiebantur attestatione comperiens Deo quondam esse dicatum, quemdam bonæ vitæ presbyterum Bernardum nomine de religione conveni, et ut sub canonicæ vitæ institutis ibi Deo et præmemorato confessori deserviret sæpe eum monens. ut tandem monitis meis acquiesceret obtinui, ea conditione interposita, ut quandiu mihi vita comes esset, et ex divina misericordia oportunum fieret, ejusdem loci commoditatibus inservirem. Unde postea comperiens a quibusdam presbyteris, ingruente avaritia, prædictæ Ecclesiæ commodo impediri, et pro exactione illorum, quæ, illi quos presbyteri parochianos suos dicebant, Deo et beato Germano pro remedio animæ suæ dimiserant, religiosos viros inquietari, statui auctoritate Patris et Filii et Spiritus sancti, et beati Petri apostolorum principis, beati quoque Nazarii patroni necnon domni Gregorii papæ, domni quoque Hugonis Lugdunensis Ecclesiæ archipræsulis et apostolicæ sedis legati et nostra, ut quicunque laicorum ex quacunque parochia, Æduensis, vel alterius episcopatus, ad ecclesias, vicos et cimeteria B. Germani confugium fecerint, et inibi peracto anni spatio, statione vel hospitii necessitate immorati fuerint, ad ecclesiam scilicet B. Joannis Evangelistæ, quæ apud Barrum sita est, et ecclesiam S. Saturnini de Planesia et ecclesiam S. Martini de Dronentico, liceat prædictarum ecclesiarum clericis, quandiu communiter et sine proprio vixerint, illos ut proprios parochianos habere, et oblationes eorum, quas vivendo seu moriendo pro se obtulerint, suscipere. et absque ullius personæ inquietudine retinere. Qui vero se eis prius ut parochianus non junxerit, si tamen in alia parochia moriens aliquid de bonis suis, eis vel eorum ecclesiis dimittere vel apud quamlibet eorum ecclesiam sepulturam habere voluerit, si presbytero suo quod placuerit vel competens obsequium persolverit, præmissa auctoritate firmamus, ut hoc quoque nullius calumnia vel contradictione impediatur. Quicunque igitur sæcularis vel clericus prædictarum ecclesiarum cimeteriis corpora sua sepeliri ad sustentandam pauperum Christi pauperiem concesserint, si viatico corporis et sanguinis Jesu Christi præmuniti peccatorum confessionem habuerint, quam possumus et debemus absolutionem auctoritate nobis commissa suscipere mereantur.

S. Aganonis episcopi Æduensis.
S. Widonis archidiaconi.
S. Hugonis archidiac.
S. Sevini archidiac. et præpositi.
S. Norgaudi archid. et cantoris.
S. Ramerii archipresbyteri cardinalis.
S. Roberti archipresbyteri.
S. Durandi capellani.

AGANONIS EPISCOPI

ET ALIORUM LUGDUNENSIS PROVINCIÆ EPISCOPORUM

EPISTOLA

PRO RADULFO TURONENSI ARCHIEPISCOPO

(MABILL. *Annal. Bened.* V. 176.)

(1) A. [Agano] Augustodunensis episcopus, R. [Rainaldus] Lingonensis, G. [Gualterius] Cabilonensis, L. [Landricus] Matiscensis vice primatis curam gerens Ecclesiæ Lugdunensis cum toto Lugdunensis Ecclesiæ conventu, omnibus provinciæ Turonensis episcopis, abbatibus, clericis et monachis

(1) In Ecclesia Turonensi tunc ingentes exortæ sunt turbæ. Earum occasio et causa ex eo nata est, quod Radulfus archiepiscopus faveret Amato et Hugoni Diensi episcopo, sedis apostolicæ legatis, qui Philippo regi episcopatus regni sui auferre volebant. Hinc rex Fulconi Rechino comiti Andegavorum injunxit ut archiepiscopum sede sua dejiceret; quo facto prædictus Rodulfus Gregorium papam per nuntios interpellavit, ut comes Andegavensis et canonici Sancti Martini, qui ejus legatos in

atque laicis obedientibus R. venerabili archiepiscopo Turonensi, divinam gratiam et suam.

Quam mira crudelitate Fulco comes Andegavensis matris Ecclesiæ Turonensis visceribus gladium suæ persecutionis immerserit, quam superba præsumptione adversus eamdem matrem ecclesiam monachi Majoris Monasterii insurrexerint, nullum vestrum credimus ignorare. Nec vos latet Gaufrido Andegavensi episcopo non deesse potestatem cogendi Fulconem ad tanti facinoris emendationem, si divinis quam tyrannicis præceptis obedire præeligeret, et apud eum districtionis ecclesiasticæ quantumlibet studium vigeret. Ipse vero propositum suæ professionis violans, nec divinis mandatis, nec archiepiscopi sui monitis obediens cum fratribus in defensionem justitiæ desudantibus, cor suum in otio et deliciis nutriens fovit magis quam impugnavit supradicti Fulconis malitiam. Cum ergo super his omnibus clamor Turonensis Ecclesiæ nostram pulsasset sollicitudinem, tam Fulconem comitem A quam episcopum Andegavensem et monachos ad sanctæ sedis Lugdunensis examen, justitiam facturos et accepturos invitamus. Quibus ad diem statutum, judicium per absentiam fugientibus, et in perversitate sua manentibus, episcopum quidem Andegavensem ab episcopali et sacerdotali officio, quod et suus archiepiscopus ei interdixerat, suspendimus: Fulconem vero cum monachis Majoris-Monasterii ex auctoritate B. Petri atque Domini Hugonis primatis et Romanæ Ecclesiæ legati excommunicationis gladio percussimus. Omnes quoque fautores eorum, seu cum ipsis communicantes sub eadem excommunicatione conclusimus. Obsecrantes autem fraternitatem vestram hortamur ut matris vestræ doloribus, sicut patri filii condolen- B tes, ipsi tota virtute solatiari studeatis et Radulfo ejus archiepiscopo, sicut patri vestro totaliter obediatis, nec cum supradictis excommunicatis communicetis, ne animas vestras alienis facinoribus aggravetis. Valete.

processione recipere noluerant, cum toto pago excommunicarentur. Fulconis etiam partes sectabantur Majoris-Monasterii monachi, uti nos docent litteræ Aganonis et aliorum episcoporum provinciæ Lugdunensis, vacante tunc post mortem Gebuini archiepiscopi Lugdunensi ecclesia, cujus curam tunc gessisse dicitur episcopus Matisconensis.

INTRA ANNUM MLXXV-MC

ODALRICI PRÆPOSITI REMENSIS TESTAMENTUM

(*Gallia Christiana*, nov. edit. t. X, Append., p. 27, ex ms. cod. bibliothecæ cathedralis ecclesiæ)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego ODALRICUS sanctæ Remensis Ecclesiæ præpositus, ita testamentum meum in vita statui ordinare, sicque lites vel controversias quæ possent exoriri definire.

Notum volo fieri tam præsentibus quam futuris quod alodium de Olchiniaco, quod ego tenebam a canonicis Sanctæ Mariæ ad trecensum scilicet pro solidis VI, augmentavi quam melius potui, acquirendo ad incrementum illius terras videlicet de campo qui vocatur Limaz, cum cæteris aliis, multiplicando censum necnon vinatica, in quo etiam construxi vicariam meam: quod ita auctum atque vestitum relinquo cum vinea indominicata canonicis Sanctæ Mariæ Remensis ecclesiæ, atque ut sit in custodia illius qui erit præpositus de mille fagis dispono, qui persolvet canonicis quotannis prædictum trecensum, scilicet solidos sex, et dabit vacario mercedem suam de censu et vinaticis quæ inibi debentur, et quod residuum fuerit, servabit ad detinendam vacariam; de caseis vero dabit canonicis C quotannis in prima Dominica Adventus Domini ad dividendum inter se LXXII, dabit etiam in secunda feria et septima totius Adventus canonicis in refectorio caseos; quod si incurrerit festivitas vel jejunium, non dabit nec restaurabit; ex omnibus autem quos habebit per totum annum de vacaria persolvet decimam Sancto Dionysio, sicut et ego feci in vita mea; residuum vero si quod fuerit, servabit ad detinendam vacariam. Unde oro hanc a canonicis retributionem, ut in sequenti feria post acceptam prædictam benedictionem animæ meæ faciant commendationem. Quod si, exigentibus peccatis, vaccæ illæ omnes mortuæ vel deprædatæ fuerint, quod sæpe contingit, oro canonicos tam præsentes quam futuros, pro Deo et pro remissione peccatorum suorum, D ut non annullare permittant hoc commune commodum illorum, quod pia devotione ordinavi; sed quod ille minister de redditibus illius alodii redintegrare non poterit, concedant fieri de communi. Volo etiam et dispono ut canonici Sancti Dionysii in custodia habeant et excolant alodium de mutatio-

nibus quod ego emi auxilio Dei atque piissimæ genitricis, pro quotannis persolvant canonicis Sanctæ Mariæ solidos XVIII in anniversario meo, necnon super sepulturam meam distribuant pauperibus panes de sextariis duobus de sigillo, et de vino modium unum. Alodium vero quod ego redemi a fratribus et nepotibus meis, scilicet de Roureio et stogia, similiter habeant et excolant, atque pro eo quotannis in primo die Lunæ Quadragesimæ dent in refectorio Sanctæ Mariæ scutellas novas C, cultellos X, valentem unumquemque denarios duos Remensis monetæ. Unde suppliciter oro canonicos ut ipso die post versum in refectorio et post benedictionem prandii dicant pro anima mea, *Levavi oculos meos*, usque in finem psalmi, quo finito dicat decanus vel hebdomadarius *Requiescat in pace*, cum collecta ; illi etiam clerico qui præsentabit scutellas et cultellos, dent ipso die præbendam unam ; hoc vero ideo ita ordinavi ut hoc tantum modo persolvant de stogia et de Roureio quatenus si quid demutationis defuerit ad persolvendum quod proposui, saltem ab isto supplere possint, quod si superabundaverit, ipsi habeant. Volo etiam huic præscripto operi aliud apponere per quod possim opuscula nostra mentibus posterorum memoriæ revocare. Constat quod salutiferum sidus scilicet papa Leo ad illuminandam totam Galliam quondam visitavit Remensem provinciam, qui post dedicationem ecclesiæ et pretiosi corporis beati Remigii elevationem in præsentia ejusdem piissimi confessoris synodum celebravit, in qua divinam religionem nimium tepefactam studiose reparavit, in qua etiam de Simoniaca hæresi et de ecclesiasticis ministeriis astantes...... admonuit et viriliter perterruit : tunc ego cum quibusdam ex nostris tanta comminatione judicii perterriti, domno Widoni archiepiscopo ministeria nostra reddidimus, ne divinam ultionem quam domnus papa comminabatur, incurreremus : sed domnus papa qui circa hoc officium me fidelem cognoverat, rogavit Widonem archiepiscopum ut mihi illud idem officium sub nomine obedientiæ injungeret, quod archiepiscopus libenter implevit, nec minus domnus papa hoc idem mihi summa obedientia injunxit, qui si circa res fratrum prius fui fidelis ; deinceps attentius fidelior esse studui. Sed cum animus circa multa honesta et utilia in rebus fratrum infatigabili desiderio æstuaret, reparavi quædam vetustate attrita et inter alia in claustrum quædam necdum inchoata erexi a fundamento, et inter alia hiemale refectorium. Ordinavi etiam in præbenda canonicorum unum quod et regula præcipiebat et necessitas expetebat. Nam cum hoc in nostra regula habeatur, ut unusquisque canonicus habeat quatuor libras panis et nostri non haberent nisi tantum duas et dimidiam, cœpi laborare attentius ut nostris temporibus illud certum pondus panis quod præcipit regula compleretur quod ut posset fieri, in curia et in villis S. Mariæ nonnullas ordinavi carrucas, ex quarum proventu tandem perfeci ut haberent canonici cum illo pane qui est ponderis solidorum L, et alium minorem panem ponderis solidorum XXX ; et ne post decessum nostrum hæc nostra institutio ad nihilum laberetur, feci meo sumptu consilio et auxilio domni Gervasii venerabilis archiepiscopi ad pontem Sancti Remigii duos molendinos quos Beatæ Mariæ concedo, et ad opus minoris panis quem accrevi dispono, quos dedi ad trecensum........ cum asinis et vanno, et ponte, tali pacto ut et pontem detineat, et in horreo Sanctæ Mariæ de frumento modios octo quotannis persolvat. In hospitio vero pro decimo de sigillo sextarios sex, de tremisse sextarios sex. Dedi etiam ad opus minoris panis molendinum quod ex meo construxi in lancia, et quod dedi ad trecensum pro modiis duobus de frumento quotannis. Illud etiam summopere studui ad summum perducere, ut sicut ex meo perfeceram lectos in dormitorio, ita et culcitra cum pulvinari in unoquoque supponeretur, ex meo disponens, ut quotiescunque aliquis ex nostris morietur fratribus, ex præcepto decani culcitra cum pulvinari ad hospitium Sanctæ Mariæ deportetur : alia vero cum pulvinari ex alodio de corte Salonis quod dedi Beatæ Mariæ, restauretur, quod ut posset fieri taliter ordinavi libras septem quas accepi de domo mea, cum vino de Risseio quod librarum IV pretii esse æstimo, posui in manu domni Herimanni, magnæ fidei et utilitatis viri, atque hoc officium ex hiis nummis prædictis, lectis, culcitris et pulvinaribus superinduantur pro Deo et remedio animæ suæ injunxi quod prædictum alodium volo ut sit in custodia illius qui erit præpositus de hominibus Sancti Martini. Idcirco quod si duo canonici vel tres vel eo amplius in uno anno moriantur, quod ex alodio non poterit, ex ministerio suo suppleat, et quod ibi dabit cum ex alodio exierit, recipiat. Unde hoc tantum oro a fratribus ut quoties commendationem animæ defuncti canonici facient, me in illa commendatione apponant, scilicet quod dicerent singulariter, dicant pluraliter.

BERNARDUS
EPISCOPUS LUTEVENSIS

NOTITIA

Is dictus est Bernardus de Provenqueriis, qui pro jurium ecclesiasticorum tuitione immensos sustinuit labores. Concilio Claromontano interfuit anno 1095, ibique Urbani secundi classico excitatus, sacræ militiæ nomen dedit; et triennio post captam civitatem sanctam hominem exuit. Porro ex hac charta innotescit ejus frater Austorgius, uti et Willemus de Provenqueriis, ejus consanguineus.

DONATIO PRO ECCLESIA S. GREGORII RUTHENENSI.

(Anno 1095).

[Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. — Edidit D. MARTENE, *Ampl. Collect.* I, 552.]

In Dei nomine ego BERNARDUS, gratia Dei Lutevensis episcopus, notum atque manifestum esse volo cunctis hominibus quod censu et ingenio atque labore meo redemi ecclesiam S. Gregorii, quæ est in episcopatu Ruthenensi, in territorio Valleoli, de manu laicorum consanguineorum meorum, Willelmi scilicet de *Prevencheires*, qui tertiam partem in ecclesia ipsa injuste et per invasionem tenebat, et dedi pro ipsa tertia parte.... millia solidorum Podiensium, ea intentione ut præfata ecclesia quæ male et inhoneste ordinata erat, ego bene et libere ad amorem Dei et ejus servitium ordine regulari perpetualiter ordinarem. Hanc igitur intentionem meam complere cupiens, consilio et laude fratris mei Austorgii dono, concedo ipsam ad præsens tertiam partem prescriptæ ecclesiæ, quam, ut prælibatum est, studio et substantia mea redemi, venerabili abbati Massiliensi Richardo, et per eum do B. Mariæ atque S. Victori martyri Massiliensi, necnon et successoribus et monachis prædicti abbatis, tam præsentibus quam futuris ut habeant et possideant, et quidquid inde voluerint ad Dei servitium faciant. Debent autem præfatus abbas et monachi ejus semper scire quod per nullum alium nisi per me, et parentes meos donum hujus ecclesiæ, quod ego pro remedio peccatorum meorum et animabus parentum meorum illis facio, adepti sunt. Unde solliciti sint mihi et parentibus meis hoc donum semper recognoscere, et pro nostra salute ad Dominum exorare. Sane si quis contra hoc nostrum donum veniens infringere illud vel inquietare tentaverit, cujuscunque sit generis, conditionis et ordinis, non valeat vindicare, sed iram Dei omnipotentis incurrat; et præterea nostræ donationis charta firma in æternum stabilisque permaneat.

Actum est hoc VI Nonas Octobris, anno Domini 1095

Signum Bernardi qui hoc donum fecit et firmavit, et testes firmare rogavit.

Signum Austorgii.

ANNO DOMINI MXCVIII

FULCOIUS

ECCLESIÆ MELDENSIS SUBDIACONUS

NOTITIA HISTORICA

(*Histoire littéraire de la France*, tom. VIII, pag. 113)

1. Foulcoie (1), le plus fécond et l'un des plus célèbres poëtes de son temps, est néanmoins demeuré dans l'obscurité jusque vers la fin du dernier siècle. Alors dom Mabillon commença à l'en tirer ; et dans la suite dom Toussaint du Plessis, historien de l'Église de Meaux, et le savant abbé le Beuf nous l'ont fait encore mieux connaître.

Il naquit, vers l'an 1020, à Beauvais, d'où étaient ses parents, comme nous l'apprenons de lui-même. On dit qu'il fut disciple de Fulbert de Chartres, mais il était encore trop jeune lorsque ce docte prélat mourut. Il y a beaucoup plus d'apparence qu'il étudia à l'école de Reims, et qu'il y eut pour maître le célèbre Hermane, dont il a fait l'épitaphe, en lui en donnant la qualité. Aux caractères d'homme de jugement et de bon conseil, il réunit la connaissance des langues et celle des lois. Mais son génie le portant à la poésie, il s'y livra tellement qu'il en fit sa principale étude et presque toute son occupation.

A quatre lieues de Meaux est le prieuré de la Celle, autrefois abbaye considérable. La situation en parut si gracieuse à Foulcoie, qu'il en faisait ses délices. Aussi dans l'agréable description qu'il a faite de ce lieu, il n'a pas oublié de nous le représenter comme un charmant séjour des Muses, *Musis gratissima sedes*.

Foulcoie commença à se faire connaître comme poëte au moins dès l'empire de Henri le Noir, et par conséquent avant 1056. Bientôt après sa réputation se répandit par toute la France, et vola jusqu'à Rome. C'est ce que montrent les pièces de vers qu'il adressa aux papes Alexandre II, Grégoire VII, au légat Hugues de Die, à Gervais, archevêque de Reims, et les réponses qu'on y fit quelquefois. Il paraît cependant que la Muse de notre poete n'était pas entièrement désintéressée, quoiqu'elle fût reconnaissante des gratifications qu'elle recevait. C'est ce que Foulcoie n'a pas lui-même dissimulé. « Qu'avez-vous reçu ? » lui dit-il, en l'apostrophant au sujet de ses productions qui avaient été portées à Rome : *Quid tibi divisit?* « On n'a fait, répondit-il, que vous rendre des sons pour des sons: *Carmen pro carmine misit.* » Mais la ville de Reims et l'archevêque Manassé n'en usaient pas de même. Ils avaient soin de payer grassement ses vers, ce qu'il souhaitait que sa Muse n'oubliât jamais.

Mercedemque dedit, quæ non a mente recedit.

Si l'on s'en tenait aux termes de Dom Mabillon (*Annal.* l. LXVI, n. 27), qui dit que Foulcoie avait fait l'épitaphe d'Ives Ier, abbé de Saint-Denis, on serait obligé de reconnaître que notre poëte aurait vécu au delà du mois de janvier 1094, qui est la date de la mort de cet abbé. Mais il paraît par ailleurs qu'il ne fit que lui dédier le recueil d'épitaphes qu'il avait faites pour d'autres personnes. C'est ce qui est confirmé par les deux épitaphes du même abbé, rapportées par dom Mabillon même, qui les a tirées d'autres écrits que ceux de Foulcoie. Le même critique discutant ailleurs (l. LXI, n. 113 ; *Act* t. III, p. 658, n. 7) le temps précis auquel ce poëte a vécu, le fait fleurir depuis 1050 jusque vers 1080. Mais on a montré plus haut qu'il avait commencé à versifier avant 1056 : et l'on ne peut placer sa mort qu'après le vingtième d'octobre 1082. C'est le terme de la vie de Gautier Saveyr, évêque de Meaux, dont il a fait l'épitaphe. La preuve est sans réplique.

Foulcoie mourut à Meaux : et l'on eut soin d'orner son tombeau de plusieurs élégies, dans lesquelles on introduit les villes de Beauvais, de Meaux, de Chartres, d'Orléans et de Paris, qui, en célébrant à l'envi ses louanges, témoignent l'extrême regret qu'elles avaient de sa perte. Notre poëte y est représenté comme le plus habile maître qu'avait jamais eu et pouvait même avoir dans la suite la ville de Meaux, à qui Beauvais, Reims et Rome même l'enviaient avec raison. Entre toutes ces pièces qui sont autant d'épitaphes, nous choisissons celle qui est au nom de la ville de Paris, pour finir par là l'histoire de ce poëte trop vanté.

EPITAPHIUM.

Cur præsumis, homo, requiem violare sepulchri?
Quid tantum invenies? Olidum vacuumque cadaver.
Improba si qua manus me læserit, attamen unam
Lingua sepulturam peperit mihi non perituram,
Quam cunctis annis non diluet ignis et amnis,
Nec solidis muris feriet cum dura securis.

Toutes les poésies de Foulcoie qui sont venues jusqu'à nous se trouvent dans trois manuscrits du temps même de l'auteur, ou tout au moins du commencement du XIIe siècle. Celui qui se conserve à la bibliothèque de la cathédrale de Beauvais paraît le plus complet. On y compte cent-soixante-douze feuillets, où se lisent d'abord plusieurs traités sur l'Ancien et le Nouveau Testament, qui

(1) Dans l'inscription des poésies de Foulcoie, telle qu'elle se lit dans le manuscrit de Beauvais, l'auteur est nommé *Fulco* et *Fulconus*.

tiennent plus de la moitié du manuscrit, et dans lesquels l'auteur fait paraître beaucoup de piété.

Pour avoir une notice claire et distincte des poésies de Foulcoie, il faut recourir à une préface qui se lit dans un manuscrit de la Bibliothèque du Roi, coté 1181, ou 738 entre ceux de M. Colbert, qui contient une partie des ouvrages de notre poète. Cette préface, qui est d'un écrivain étranger de la fin du même siècle, après avoir fait connaître en peu de mots la personne de Foulcoie, nous apprend que tous ses écrits étaient divisés en trois tomes qui comprenaient dix livres et dont le premier était intitulé *Utrum*, le second *Neutrum*, et le troisième *Utrumque*. C'est ce qu'a marqué un poète contemporain dans les vers lugubres où il fait parler la ville de Beauvais sur la mort de l'auteur, en s'exprimant en ces termes :

Scripsi bis quino trinoque volumine libros,
Cujus *Utrum*, cujus *Neutrum*, cujus sit *Utrumque*
Nomen et est, arat hoc, serit istud, colligit illud.

Suivant l'idée de ce poète, le premier volume de Foulcoie ne fait que préparer la terre ; le second y jette la semence, et le troisième offre la moisson à faire.

L'auteur de la préface déjà citée, entreprenant de rendre raison de ces titres tout à fait singuliers, dit que Foulcoie donna au premier volume le titre d'*Utrum* parce qu'il n'était que pour faire preuve de sa muse, et comme pour éprouver ses forces. Le premier tome ou volume ne contient qu'un livre où sont recueillies les épîtres, les épitaphes et autres petites pièces du poète.

Entre ces poésies, il y en a à la louange des plus éminentes personnes de son temps : tels que les papes Alexandre II, Grégoire VII, les archevêques de Reims Gervais et Manassé, Richer de Sens, Hugues de Die, l'empereur Henri Le Noir, Guillaume le Conquérant, le B. Lanfranc, S. Anselme, Hermane de Reims, et quantité d'autres.

De toutes ces petites poésies dom Mabillon a publié d'abord une douzaine de vers, qui concernent particulièrement Manassé Ier, archevêque de Reims, puis la description de la Celle en Brie, où le poète se plaisait à exercer sa muse. Dom du Plessis a aussi fait imprimer un fragment considérable d'une lettre à S. Hugues, abbé de Cluni, laquelle est en vers élégiaques. Ce fragment, qui est intéressant, roule sur l'invention de la tête d'une fausse divinité, que Foulcoie reconnut pour être celle du dieu Mars.

On a dit que le recueil d'épitaphes est adressé à Ives Ier, abbé de Saint-Denys depuis 1075 jusqu'en 1094. On y a celles du roi Henri Ier, de quelques évêques de Meaux, d'Adelaïde, mère de l'archevêque Manassé, du père, de la mère et des frères de notre poète, d'Esceline, sa nourrice, d'Hermane son maître et de plusieurs autres personnes. Dom du Plessis a donné au public celle de Gauthier Saveyr, évêque de Meaux, qui est en dix vers élégiaques, et seulement deux vers de celle de S. Gilbert, un de ses prédécesseurs. On a dans le recueil des Actes de dom Mabillon l'épitaphe d'Otger et de Benoît, célèbres moines de Saint-Faron du temps de Charlemagne, qui est en vingt vers et de la façon de notre poète, et ailleurs un vers de celle qu'il fit à la mémoire d'un certain Hugues, qui de militaire se fit moine.

Le second tome de Foulcoie est intitulé *Neutrum* parce qu'il n'osait encore y entreprendre ce qu'il s'était proposé. Il est divisé en deux livres ; et l'auteur s'y est borné à exercer sa veine poétique sur les vies des saints du diocèse de Meaux, qui y sont, dit-il, en bon nombre. On est redevable à dom du Plessis d'avoir tiré de l'obscurité une partie de la liste où le poète en fait l'énumération, liste qui paraît faire le commencement de la Vie de S. Blandin, inhumé à la Celle en Brie.

La Vie de S. Faron, évêque de Meaux, du nombre de celles auxquelles Foulcoie a travaillé, avait été originairement écrite en prose, par Hildegaire, un des successeurs de ce prélat. Notre poète n'a fait que la mettre en vers, sans s'assujettir à suivre littéralement le texte original. Dom Mabillon, qui l'avait trouvee détachée des autres ouvrages de Foulcoie, la croyait d'abord de la fin du xe siècle. Mais il a reconnu depuis qu'elle ne fut faite qu'après le milieu du siècle suivant, du temps de l'abbé Galfride ou Geofroi. Le manuscrit de Saint-Faron, où elle se trouve, contient aussi les Vies des moines Otger et Benoît, dont Foulcoie, comme on l'a dit, a composé l'épitaphe. On y trouve de plus le catalogue des livres de la bibliothèque du monastère de Saint-Faron, qui n'était pas fort nombreuse alors, dirigé par le même abbé : ce qui fait croire que le manuscrit est de ce temps-là, et par conséquent antérieur à l'année 1062.

Outre la vie de S. Faron, Foulcoie a composé encore en vers l'éloge du même saint, à la prière de l'abbé Galfride et de ses moines. Dom Mabillon avait entre les mains l'un et l'autre ouvrage ; mais il n'a pas jugé à propos d'en rien publier : il a cru avec raison que l'écrit d'Hildegaire qu'il a mis au jour, suffisait pour l'histoire du saint évêque. Le seul dom Hugues Menard a imprimé quatre vers de la Vie par notre poète, dans ses notes sur la *Concorde des Règles*, de saint Benoît d'Aniane.

Il y a aussi dans le second tome du recueil de Foulcoie, une Vie de S. Aile, et des vers sur S. Fiacre, ermite en Brie. Mais dom Mabillon donne à entendre que ce dernier morceau fait partie de la Vie de Saint-Faron, et n'est point un écrit particulier. Quoique de la façon d'un poète, peut-être est il préférable, pour la vérité des faits, aux mauvaises légendes de ce saint, qui vivait au VIIe siècle. Les unes le font de race royale et même fils d'Eugène IV, roi d'Hibernie, et supposent qu'il refusa la couronne de son père, ce qui n'est pas supposable. D'autres avancent encore d'autres faits aussi extraordinaires qui ne méritent pas plus de créance. La moins mauvaise est celle que Surius et dom Mabillon d'après lui ont donnée au public, encore est-elle d'un écrivain postérieur à Foulcoie de près d'un siècle, et qui paraît avoir emprunté de lui ce qu'il rapporte de plus vraisemblable.

Enfin le troisième tome de notre poète est intitulé *Utrumque de nuptiis Ecclesiæ*, parce que l'auteur y réunissant l'Ancien et le Nouveau Testament en Jésus-Christ, le Verbe du Père et l'Auteur de la grâce, qui des deux peuples n'en a fait qu'un, il y a fiancé à cet unique époux l'Église comme une vierge toute pure. Ce tome est écrit en forme de dialogue entre l'esprit et l'homme, et divisé en sept livres. On a ici le dénouement du vers déjà rapporté plus haut :

Scripsi bis quinto trinoque volumine libros.

Car ces sept livres joints aux trois précédents en font dix, et ce dernier volume rapproché des deux autres fait trois volumes.

Ce dernier ouvrage de Foulcoie se trouve dans le manuscrit de la bibliothèque de Sorbonne coté 58, et n'est autre que ces traités sur l'Ancien et le Nouveau Testament, par où commence le manuscrit de la cathédrale de Beauvais, et qui en occupe plus de la moitié. Il est dédié à l'archevêque Manassé, le Mécène chéri du poète, qui a joint à sa dédicace d'autres vers adressés au pape Alexandre II et à l'archidiacre Hildebrand, depuis pape lui-même sous le nom de Grégoire VII. On voit par là que l'ouvrage fut fini avant le mois d'avril de l'année 1073, auquel temps cet archidiacre occupa le saint-siége. L'abbé le Beuf a publié ces derniers vers, moins par le motif qu'ils puissent servir à éclaircir l'histoire qu'à dessein de montrer combien la quantité était alors négligée dans la versification.

Il y a toute apparence que le corps de l'ouvrage n'est pas plus correct. Cependant l'auteur de la préface qui se lit dans le manuscrit de la Bibliothèque du Roi, ne parle de ce long poëme que comme d'un ouvrage admirable, *mirifico carmine composuit*. Il est vrai que c'est un écrivain de la fin du XIe siècle qui parle de la sorte : et l'on sait de quelle valeur sont ses éloges en fait de poésie. Ce qu'il y a encore de vrai, est que les titres singuliers que notre poète a choisis pour annoncer son triple recueil de poésies, ne sont guère propres à prévenir en faveur de l'exécution de son dessein.

Le lecteur attentif aura sans doute observé qu'on n'a pas gardé dans le manuscrit de Beauvais, qui comprend les trois tomes des poésies de Foulcoie, le même ordre qu'ils avaient originairement entre eux. Suivant cet ordre primitif, le recueil d'épîtres, d'épitaphes et autres petites poésies, tenait la première place, et le dialogue la dernière. C'est tout le contraire dans le manuscrit dont il est ici question, si l'on s'en rapporte à dom du Plessis. Cependant la notice que dom de Montfaucon nous donne du même manuscrit, représente ces trois tomes dans le même ordre, et avec les mêmes titres que la préface du manuscrit de la Bibliothèque du Roi, c'est-à-dire l'*Utrum* à la tête des deux autres, et l'*Utrumque* le dernier.

A ce grand nombre de poésies dont nous venons de faire l'énumération Foulcoie promettait d'ajouter encore un traité sur les arts libéraux. Mais s'il a exécuté ce dessein projeté, qui aurait fait plaisir aux curieux, son écrit est encore enseveli dans l'obscurité de quelque bibliothèque, ou peut-être perdu sans ressource. On a déjà fait sentir que la poésie de Foulcoie n'a rien au-dessus de celles des autres versificateurs de son siècle. Il était plus laborieux que délicat, plus fécond que scrupuleux poète.

FULCOII BELLOVACENSIS

SUBDIACONI MELDENSIS

EPISTOLA AD HUGONEM ABBATEM CLUNIACENSEM.

(Dom DUPLESSIS, *Histoire de l'Eglise de Meaux*, II, 453.)

Meldis erat murus celebratus, teste ruina,
Tempore præterito ; nomine perstat adhuc ;
Quem Martis fanum veteres dixere coloni ;
Martis adhuc fanum saxa, colone, vocas.
Quem sic dicebas, nec rem dicendo tenebas :
Res inventa dedit nominis indicium.
Hoc in semiruto dum ruri colonus araret,
Invenit effigiem, fit velut effigies.
Nulli per nostro sculptum caput invenit unum,
Nulli quod vivat, quodque figuret homo.
Horrendum caput, et tamen hoc horrore decorum ;
Lumine terrifico, terror et ipse decet :
A Rictibus, ore fero, feritate sua speciosum,
Deformis formæ, forma quod apta foret.
Tunc prius ingresso fines mihi fertur imago
Ut conjectarem quid, cui, cujus erat ;
Auditoque loci corrupto nomine lingua
Vulgi, dumque locum, dum caput intueor
Neglectum, sed utrumque licet, sed utrumque deorum,
Rem docuere locus, nomen et acre caput.
Hic Martis fanum locus est ; Martisque profanum
Hoc caput est, error quem putat esse Deum, etc.

FRAGMENTA

IN QUIBUS SANCTI DIŒCESIS MELDENSIS ENUMERANTUR.

(D. DUPLESSIS, *ibid.*, p. 452, ex codice ms. ecclesiæ Bellovacensis, no 120.)

I

Ex Vita B. Blandini, anachoretæ Brigensis.

Fulcinus spatians paradisum per Briegensem,
Dum fontes, status, dum Thessala Tempe reviso,
Delibans ut apis quid in arbore, quid sit in herba,
Occurrit locus hic positus Mucram super amnem.
Insula parva situ, Musis gratissima sedes,
Magna voluptati superans Helicona deorum.

Cui nomen Cellæ, Cellam dixere coloni.
Invitante loco, captus regione, resedi.
. . . . parentes
Nescio Camales pronuntio spirituales
Raimericusque pater fuit; et Syon, inclyta mater
. . . .
Cur, precor, est ulcus, quod fit sub patre subulcus?
. . . .
Sanctus ruricolam non sprevit ducere vitam
. . . .
Hæredem Christum facit, hæres ut pater istum
. . . .
Ponitur in feretro digne, locus est ubi Petro.
. . . .
Meldis, sanctorum mater fecunda virorum,
Walberti justi, sacri nec non Canoaldi,
Faronis, Faræ quæ Christum novit amare,
Pro quo terrenum sponsum facit hæc alienum.
Meldis Celiniam vita cum cælibe diam,
Hostibus austerum Meldis tulit et Rigomerum.

A Partusium (quid ago?) profert urbs Meldica pago,
Hic tres germani, gestis et dogmate sani,
Quem dilexerunt Christum, sibi substituerunt.
Hic Addo, Rado, proles clarissima Dado,
Optima fundantes loca, qui sua, seque dicantes,
Radolium, Jotrum, Resbascum constituerunt.
Hic Hildevertus pastor, re, nomine, verus.
Hic fuit antistes solitus collidere tristes;
Conservis alacer tumidis Ebregisilus acer.
Hinc nitet in cœlis pastor, servusque fidelis,
Vir Gislebertus, nunc spei munere certus,
Quod perhibet signis Deus opto præsule dignis, etc.

II.

De Dudone abbate, qui principatu Philippi I floruit

. . . .
B Cujus nobilitas sedes possedit avitas,
Imperio digna specie per idonea signa
Exstitit illustris, non ut plerique...
Longe tentatus, per tentamenta probatus
Abbas Dudo bonus. . . .

EPITAPHIUM OTGERI ET BENEDICTI

MILITUM

Qui tempore Caroli Magni in cœnobio S. Faronis monachalem susceperunt habitum,

AUCTORE FULCOIO.

(MABILL. *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. IV, p. 657.)

Quam male discernit quod amat, vel qualia spernit:
Cui placet aura soli, displicet aura poli.
Exsul in externa procul a regione superna,
Captus amore viæ, non meminit patriæ.
Militis Otgerii conversio digna videri
Sufficit ad speculum, quo statuas oculum.
Legis erat pondus, locuples, a Rege secundus;
Nobilis et sapiens, strenuus et patiens.
Floribus his sæptus præstabile culmen adeptus,
Omnia posthabuit, seque Deo tribuit.

C Evocat invictum rerum comitem Benedictum:
Ut par militiæ, participet veniæ.
Crux simul accipitur, crucis et locus iste subitur.
Cæsar et exuitur, Cæsar et induitur.
Ite pares animæ per quælibet agmina primæ,
Fortes Cæsarei fortia membra Dei.
Fortes athletæ, per sæcula cuncta valete,
Par crucis est species, par erit et requies.
O quam par pulchrum! par vivere, parque sepulcrum:
Par fuit et tumulus, par erit et titulus.

CONSTANTINUS AFRICANUS

CASINENSIS MONACHUS

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA

(OUDIN, *Comment. de scriptoribus et script. eccles.* II, 694.)

Constantinus Africanus, Casinensis monachus tempore Alphani Salernitani archiepiscopi, qui anno 1057 Ecclesiam Salernitanam suscipiens regendam, an. 1086, episcopatus sui 29. mortuus est, floruit. Huic librum suum *De stomachi naturalibus et non naturalibus affectionibus* nuncupavit. Ortu Carthaginensis, medicus et philosophus præstantissimus, varia Orientis loca peragravit, et Babylone præsertim commoratus, omni Chaldæorum, Arabum, Persarum Saracenorum disciplina ingenium excoluit. Babylonia discedens Indiam adiit, hinc Æthiopiam petiit, ac Ægyptum tandem, cujusvis gentis spolia et thesauros secum referens. Exactis hoc modo in variarum gentium studiis linguisque ediscendis quadraginta prope annis, domum rediit, ubi insidiis ægre elapsus, ad Casinense cœnobium se recepit, ibique monachum induit, et grandævus in Domino obdormivit. Plurima sub ejus nomine edita sunt, quæ tamen fere omnia ex Arabica lingua in Latinam, ex antiquorum medicorum libris translata sunt. Hæc ad institutum nostrum nihil spectant, sed quia monachus exstitit, ad Scriptores etiam ecclesiasticos utcunque pertinere potest, cujus Operibus recensendis immorabimur.

Exstant sub ejus nomine opuscula medica varia in Catalogo impresso librorum Bodleianæ bibliothecæ, Oxoniæ 1674, in-folio, a Thoma Hidio, littera C, pag. 171, col. 1, nimirum :

Opera Basileæ 1539, C. 2, 9. Med.

Breviarium dictum *Viaticum* de morbis corporis humani *Lugd.* 1570, 8°, A. 4, Med.

Libellus *De animalium usu in medicina*, Basileæ 1560, 8°, C. 34. Med.

Liber *De febribus* pag. 202. Venetiis 1576, F. 1. 9. Med.

De principalibus membris corporis humani, pag. 313, in medio libri. Basileæ 1541. A. 2. 5. Med.

Præter librum *De stomachi naturalibus et non naturalibus affectionibus*, quem Alphano Salernitanæ Ecclesiæ archiepiscopo nuncupavit, cætera omnia fere ab ipso ex Arabica lingua in Latinam translata sunt, licet audacter in folio sub ejus nomine Basileæ annis 1536 et 1539 apud Henricum Petri hoc ordine edita sint.

Viaticum de morborum cognitione et curatione libris VII.

De remediorum et ægritudinum cognitione lib. I.

De urinis lib. I.

Opus Constantini proprium *De stomachi affectionibus naturalibus et non naturalibus* lib. I.

De victus ratione variorum morborum lib. I. *De melancholia* lib. II.

De coitu lib. I. *De animæ et spiritus discrimine* lib. I.

De incantatione et adjuratione, collique suspensione, epistola ad filium.

De mulierum morbis lib. I. *De chirurgia* lib I. *De gradibus simplicium* lib. I.

Ex mss. cod cibus Bodleianæ bibliothecæ ei aliarum bibliothecarum facile constabit omnia fere a Constantino non composita, sed translata esse ex Græcis vel Arabicis antiquioribus. Etenim.

Inter mss. codices Bodleianæ bibliothecæ codice 708, in mss. codicibus Guillelmi Laudi littera C, codice 56, num. 2, *Constantini medici Viaticum* libris VII; *De diætis universalibus et particularibus.* Græce in-fol. Ibidem codice 1252, in mss Guillelmi Laudi littera G, codice 87, num. 6, *Constantini monachi Viaticum* libris VII. *De febribus* libri V. *De urinis*, omnia ex Arabico. Ibidem codice 1507, in mss. Guillelmi Laudi littera H, codice 81, *Constantini Africani Montis Casinensis monachi Breviarium dictum Viaticum de morbis corporis humani.* Ibidem codice 2069, in mss. Thomæ Bodleii littera C, codice 1, *Constantini Africani Viaticum practicæ medicinæ* lib VII. Ibidem codice 2444, in mss. Thomæ Bodleii littera F, 8, codice 4, num. 4, *Isaaci Diætarium sive De diætis universalibus.* Num. 5 *ejusdem liber urinarum et liber F[illegible]rium a Constantino monacho translati.* Ibidem codice 27[illegible]. in mss. Thomæ

Bodleii, supra n. 2, Art. codice 11, num. 6 *Diætæ universales et particulares per magistrum Isaac.* Num. 7 ejusdem *Liber urinarum.* Num. 8, *Constantini Africani liber De stomacho.* Num. 9 *ejusdem de regendorum canonum ratione, liber imperfectus.* Ibidem codice 6749, in mss. Ashmolianis, *Constantini Introductiones astronomicæ,* in membrana 1174, pag. 183. Ibidem codice 7529, in mss. Ashmolianis, *Constantini liber de coitu,* in membrana 1471, pag. 173. b. Ibidem codice 7781, 7782, in mss. Ashmolianis, *Isaac liber febrium, quem Constantinus in Latinum transtulit.* Membrana in-folio, 1470. *Liber diætarum particularium,* in membrana ibidem 2.

Inter mss. codices Universitatis Oxoniensis, codice 686, in mss. collegii Mertonensis codice 219, P. 22, Art. num. 3, *Constantinus Africanus de stomacho, de melancholia,* etc. Ibidem codice 698, 699, in mss. collegii Mertonensis codice 231, *Theoricæ Pantegni medicinalis Constantini Africani* libris X. P. 214. Art. codice 232, *Constantini Africani Viaticum cum glossa Geraldi* P. 215. Artium. Ibidem codice 722, in mss. collegii Mertonensis, codice 255, num. 5, *Constantinus Africanus de ægritudine et de anatomia stomachi.* P. 4. 6. Art. Ibidem codice 907, in mss. collegii Orielensis codice 55, *Constantini Africani, montis Casinensis monachi. Medicina practica.* Ibidem codice 914, in mss. iisdem codice 62, *Constantini Africani, montis Casinensis monachi Viaticum. Isaac medicus de urinis. Ejusdem liber de febribus. Ejusdem Diætarium universale et particulare.* Ibidem codice 1131, in mss codicibus collegii Novi, codice 167, num. 3, *Viaticum Constantini in* VII *libris cum adnotationibus. Liber Isaac de febribus a Constantino translatus ab Arabica in Latinam linguam.* Ibidem codicibus 1741, 1742, in mss. codicibus collegii S. Joannis Baptistæ in Abaco secundo A, codice 3, *Constantino Africani liber medicus, dictus Pantegnus.* Codice 4 idem in duas partes divisus. Ibidem codice 2192, in mss. collegii S. Mariæ Magdalenæ codice 51, *Constantinus Africanus.* Liber excusus Basileæ 1539 hunc titulum habet, *De communibus medico cognitu necessariis locis.* Illic continentur *Pantechnon* sive *Theorica. Enumeratio partium corporis humani etymologico-practica,* sive *De regimine sanitatis, una cum libro De divisione curæ ægritudinum.* Ibidem codice 2198, in mss. ejusdem collegii codice 57, num. 5, *Constantinus Africanus de melancholia.* Ibidem codice 2314, in mss. ejusdem collegii codice 173, *tractatus de urinis, de febribus, Constantinus de oculis, de melancholia.* Ibidem codicibus 2315, 2316, in mss. ejusdem collegii S. Mariæ Magdalenæ codice 174 *Diætæ universales et particulares Isaaci.* Codice 175, *Ejusdem liber de febribus a Constantino translatus. De urinis, de elementis.*

Inter mss. codices Universitatis Cantabrigiensis, codice 392, in mss. codicibus collegii S Trinitatis in parte bibliothecæ australi, classis 23, serie infima, codice 3, num. 4, *Liber Graduum Constantini*

A *Casinensis monachi.* Ibidem codice 956, in mss. codicibus collegii Cajo-Gonritensis. in libris *De medicina* Latine compositis codice 5, num. 1, *Viaticus de curandis morbis* VII libris vel partibus concinnatus. Ibidem codice 962, in iisdem mss. codice 12, num. 3, *Constantinus de stomacho.* Ibidem codice 976, in iisdem mss. codicibus, codice 26, num. 1, *De morbis et eorum curationibus* libri VII, num. 2. *Constantinus Africanus Montis Casinensis de melancholia,* num. 3. *Ejusdem liber de stomacho.* Num. 4, *ejusdem liber de oblivione.* Num. 5, *Liber magistri Constantini Africani de coitu.* Num. 6. Alius liber de eodem, præsertim *de delectatione animalium in coitu* Num. 7, *Liber elephantiæ.* Num. 8, *De modo medendi.* Num. 9, *Constantinus Montis Casinensis de Febribus.*
B Ibidem codice 1866, in mss. codicibus domus S. Petri. codice 204, num. 1, *Aphorismi Hippocratis cum commentario Galeni, ex interpretatione Constantini Africani, Montis Casinensis monachi, medicinæ periti.* Ibidem codice 1880, in mss. ejusdem domus S. Petri codice 218, num. 1, *Viaticum Constantini cum glossulis Gerardi.*

Inter mss. codices ecclesiarum Angliæ cathedralium et aliarum celebrium bibliothecarum, codice 235, in mss. codicibus ecclesiæ cathedralis Dunelmensis, littera C, codice 170, *Constantini Viaticum. Tractatus de coitu animalium a natura instituto ad conservationem specierum in individuis,* pag. 107. *De memoria et eam juvantibus medicinis,* pag. 224. *De passione iliaca et ejus curatione,* pag. 225, in-4o.
C Ibidem, codice 745, in mss. codicibus ecclesiæ cathedralis Wigorniensis codice 70, *Theoricæ, Constantini Montis Casini* libri X. Ibidem codice 760, in mss. codicibus ejusdem ecclesiæ cathedralis Wigorniensis, codice 85, num. 10. *liber Constantini de febribus* Num. 11. *liber urinarum Isaac ab eodem translatus.* Ibidem, codice 883. in mss. codicibus in-4° illic existentibus, codice 39, *Theorica Constantini Montis Casinensis.* Ibidem. codice 885. in mss. codicibus in-4° ejusdem ecclesiæ cathedralis Wigorniensis, codice 41, *Viaticum Constantini de morbis et curatione eorum* libris VII. *Liber urinarum. Diætæ generales Isaac.* Ibidem, codice 3088, in mss. codicibus Norfalcianæ bibliothecæ, codice 189, num. 3, *Isaac De urinis a Constantino translatus in lin-*
D *guam vulgarem.* Ibidem, codice 3238, in mss. codicibus ejusdem bibliothecæ codice 339, *Constantini medici Viaticum.* Principium, *Capillus ex fumo,* etc. Ibidem, codice 3633, in mss. codicibus Francisci Bernardi, codice 64, num. 12, *Constantini Practica de morbis curandis secundum diversos doctores* Ibidem, codice 6410, in mss. codicibus Caroli Theyeri codice 40, *Viaticus Constantini, et Isaac de urinis.* Ibidem, codice 6441, in mss codicibus Caroli Theyeri ejusdem codice 71, *Antidotarium Constantini.* Ibidem, codice 6605, in mss. codicibus ejusdem Caroli Theyeri codice 235, num. 1, *Pantegnum Constantini.* Ibidem, codice 7671, in mss. codicibus Roberti Burscough., codice 52, num. 8, *Liber urinarum*

Isaac filii Salomonis, per Constantinum Africanum ex lingua Arabica in Latinam versus. Num. 9, *Liber de diætis universalibus.* Num 10, *Liber de diætis particularibus.* Num. 11, *Liber Isaac de febribus per Constantinum Africanum versus.* Num. 12, *Liber Viatici per Constantinum in Latinam linguam translatus.* Ibidem, codice 8473, in mss. codicibus Jacobææ bibliothecæ, codice 751, *Constantini monachi Viaticum.* Hoc autem impressum opus anno 1475 sub titulo *Tractatus de morborum cognitione et curatione.*

Meminit hujus scriptoris Petrus diaconus *De viris illustribus Casinensibus*, cap. 23, Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri, verbo *Constantinus*, pag. 146 ; Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* Sæculo xi, ad annum 1072, pag. 618.

CONSTANTINI AFRICANI

PROLOGUS LIBRI

DE COMMUNIBUS MEDICO COGNITU NECESSARIIS LOCIS.

QUALES MEDICINÆ DISCIPULI ESSE DEBEANT.

Oportet eum qui medicinæ vult obtinere habitum, ut magister ab eo honoretur, laudetur, sibique sicut parentibus serviatur. Parentibus enim est honor exhibendus, ut his a quibus esse sumitur. Magister honorandus, ut a quo esse rude et informe informatur. Quemcumque vero magister erudiendum susceperit, videat ut discipulus secundum se sit dignus. Dignos quoque postmodum et ipse doceat, et hæc sine pecunia, et sine tenore, aliquo futurique meriti emolumento, et indignos ab hac scientia repellere satagat. Laboret autem circa infirmi recuperandam sanitatem, neque hoc faciat propter spem pecuniæ, neque divites plus consideret quam pauperes, neque nobiles plus quam ignobiles. Potionem nocivam neque ipse doceat, neque docentibus acquiescat : ne quis idiota audiens ex auctoritate sua mortis misceat potionem. Neque doceat quomodo abortivus fiat. Cum autem infirmum visitaverit, non cor suum ejus apponat uxori, ejusve ancillam consideret vel filiam. Hæc enim cor hominis excæcant. Infirmitatis autem sibi creditæ solus debet conscius esse, aliquando enim infirmus medico patefacit quod parentibus confiteri erubescit. Luxuriam fugiat, delectationes sæculi cum ebrietate caveat. Hæ enim mentem disturbant, corporisque vitia confortant. Assiduitatem amet studii in curanda sanitate corporis, neque lectionis contædeat, ut si quando libros amittat, ipsum adjuvet memoria. Neque quoslibet dedignetur visitare infirmos, ut semper in experimentis sit valentior. Sit pius, humilis, mansuetus, amabilis, divino expetens auxilio adjuvari.

Reverendissimo Patri domino Desiderio abbati Casinensi, totius ordinis ecclesiastici decori præcipuo, Constantinus Africanus omnia secunda exoptat.

Multi, reverendissime Pater, dubitant, medicina scientiane sit necne, dumque ipsam ab artibus et scientiis excludunt, excluduntur ipsi a præstantissima artium medicina ; dum enim tempus inutilibus quæstionibus sophisticis terunt inutiliter, fit ut unquam ad veram utilemque speculationem artis perveniant. Acuti homines disputant, illam non esse scientiam, quæ magis quam ulla alia de naturæ operibus tractat ; cohærent autem omnia opera naturæ certissimo ordine, et eorum principia sunt certiora aliis, nec facile inveniunt artem quæ ita ordine procedat, et ita aliud ex alio intelligatur. Absolutum nemo profiteatur se philosophum, nisi teneat hæc, alia enim omnia huic, ut omnis philosophiæ (sacram excipimus philosophiam) fini, deserviunt. Quid enim elementorum commistiones juvat scire, eum qui non pergit partium temperaturas et constitutiones varias discere, et corruptionum causas, membrorum ordinem et dispositionem et hujusmodi reliqua. Unde ego, evolutis omnibus bonis medicorum auctoribus, veteribus et modernis, Græcis et Latinis, maxime Græcis, qui adhuc in hac facultate ut in aliis multis, Latinis præstant, contraxi in arctum quæ nimium fuse isti habent omnia quæ possunt perfectum medicum efficere. Quoniam multa prolixius, multa brevius mihi videbantur ab illis scripta. Et non omnes possunt omnium libros emere Et si nihil aliud profeci his meis laboribus, et nihil addidi, puto autem me multa etiam invenisse et addidisse, erant tamen commentarii idonei interpretes Hippocratis et Galeni, necnon aliorum scriptorum. Quidam enim nimia verborum proxilitate lectorum a se repellunt, quidam nimium obscura brevitate : nos modum tenuisse

omnes quibus sanum est judicium, fatebuntur, et spero nullum juste clamaturum frustra nos post tantos viros scripsisse, et si fatear quod bene dixerunt quæ dixerunt, sed utilitati consulere publicæ volui, non mei nominis gloriæ, ad quam me nihil dixisse bene videbit tua paternitas. Cupio enim instituere medicum, sanis conservare valetudinem bonam, non sanis, amissam restituere commode. Et propter hanc causam tam diligenter dixi morborum causas, et eorum naturas, significationes quoque et accidentia: hic enim ignoratis, corrigere quæ præter naturam se habent, et curare infirma est impossibile Non tradidimus autem, nisi vel a nobis vel ab aliis experimento comprobata, et ratione certe cognita, ut certum sit aliter se habere non posse. Tuæ paternitati nos commendamus semper, et eam semper valere cupimus.

ANNO DOMINI MXCIX

DEUSDEDIT

SANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTER CARDINALIS TITULI APOSTOLORUM IN EUDOXIA

NOTITIA HISTORICA

(Apud FABRIC., *Bibliotheca med. et inf. Lat.*, t. II, p. 25)

Deusdedit, aliis *Deodatus*, cardinalis presbyter et propugnator acris partium Gregorii VII pontificis, defunctus anno 1099. Scripsit libros quatuor *De verbis ecclesiasticis* ad Victorem III, Gregorii VII ann. 1086 successorem, sive Compendium canonum ms. in bibliotheca Vaticana; præterea librum quadripartitum *De privilegiis et auctoritate Ecclesiæ Romanæ statusque ecclesiastici, et adversus rerum ecclesiasticarum invasores, Simoniacos et schismaticos, Guibertinos*, ut vocat anonymus Mellicensis cap. 113, et *Henricianos*, hoc est, qui cum Guiberto sive Clemente III antipapa, et Henrico IV imperatore faciebant, unde *Wigbertinam et Henricianam hæresim* jungit Urspergensis pag. 247. Mirum est his libris locum datum non esse in Bibliotheca maxima pontificia Joannis Thomæ Rocaberti.

DISSERTATIO

DE COLLECTIONE MANUSCRIPTA VATICANA CARDINALIS DEUSDEDIT.

Aliquot documenta hactenus inedita complectens.

(Vide Balleriniorum Disquisitionem de antiquis collectionibus et collectoribus canonum, parte IV, cap. 14, Patrologiæ tom. LVI, opp. Leonis Magni III, col. 330.)

CARDINALIS DEUSDEDIT

PRÆFATIO IN SUAM CANONUM COLLECTIONEM.

Beatissimo atque apostolico viro pontifici domno papæ Victori tertio et omni clero sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Deusdedit, exiguus presbyter tituli Apostolorum in Eudoxia.

Novit beatitudo vestra quod sancta Romana Ecclesia idcirco omnium Ecclesiarum mater scribitur et creditur, quoniam B. Petrus ipsius institutor prius patriarchalibus sedibus in Oriente, et postea e latere suo primos dedit pastores omnibus urbibus quæ sunt in Occidente. Ipsi apostolo hæc ordinatio maxime competebat, cui principaliter Christus Dei Filius, cœlestis regni clavibus traditis, suas oves pascere jusserat, cuique fratres suos in eadem fide confirmare præceperat. Cujus tam excellentissimi privilegii insignia munera diligenter attendentes 318 Patres qui in Nicæno consederunt concilio, statuerunt (u

Athanasius episcopus Alexandrinus scribit B. Felici papæ) non debere absque Romani pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos damnari, et omnia majora negotia ad ejusdem judicium debere deferri. Sed et Sardicense concilium, quod 300 episcopos habuit teste universali synodo, quæ a suis conditoribus octava dicitur, capitulo 3, et 4, et (*Cor.* VII *et* X) 6, et 9, eadem statuit, et ita inter cætera B. papæ Julio scripsit: *Optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad B. Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.* Huic etiam ante illam synodum tantum reverentiæ ab antiquis Patribus legitur impensum fuisse, ut ille insignis martyr Cyprianus, Africanæ provinciæ primas, legatur in suis epistolis presbyterorum et diaconorum Romanam Ecclesiam post martyrium Fabiani gubernantium statutis humiliter paruisse, et eorum quæ apud suam provinciam gerebantur, directis ad eos epistolis, rationem reddidisse. Quin etiam idem clerus legitur in epistolis ad eumdem Cyprianum missis, et ad Siciliam, et ad diversas partes epistolas direxisse, et nondum præsidente Cornelio pro imminentibus tunc negotiis etiam ad celebrandam Romæ synodum episcopos convocasse.

Quæ cum ita sint, satis impium videtur quemlibet qui Christiano nomine glorietur, Christianis temporibus Romanæ Ecclesiæ monitis non acquiescere, cum sub persecutionis crudelitate Deo digni pontifices tam devote paruerint etiam dum careret pontifice. Arbitrati quippe sunt Patres spiritu Dei pleni, beatos apostolos Petrum et Paulum in ea magnificis meritis vivere et præesse, fidemque, quam ab eisdem suscepit, quæ in toto mundo, eodem B. Paulo attestante, annuntiata est et laudata, in eadem usque in sæcula non deficere; sed ut eidem B. Petro imperatum fuerat, usquequaque positos fratres in eadem fide confirmare. Hæc etsi interdum adversis mundi flatibus opprimitur, meritis tamen principum apostolorum, qui in ea et vivunt et præsident, non obruitur. Quoniam etsi aliquando ad probationem portæ inferi adversus eam valent, tamen Jesu Domino orante pro fide Petri ne deficiat, nullatenus prævalent. Itaque ego auctoritatis ipsius privilegium, quo omni christiano orbi præeminet, ignorantibus patefacere cupiens, Domino mihi opem ferente, ex variis sanctorum Patrum et Christianorum principum auctoritatibus, potioribus quibusque in unum congestis, præsens defloravi opusculum quadrifaria dispertitum partitione. Nam primus liber continet privilegium auctoritatis ejusdem Romanæ Ecclesiæ Et quoniam Ecclesia sine clero suo esse non potest, neque clerus absque rebus quibus temporaliter subsistat; huic subjunxi secundum et tertium de clero et rebus ejusdem Ecclesiæ. Quia vero sæculi potestas Dei Ecclesiam sibi subjugare nititur, libertas ipsius et cleri et rerum ejus, tertio et maxime quarto libro evidenter ostenditur. Singulas autem deflorationes huic operi insertas juxta ordinem capitulorum minime locavi, quia pene omnes aliæ bina, aliæ plura in se negotia continent; et si secundum numerum negotiorum de quibus agunt acciperent sectionem, mihi laborem plurimum, et auctoritati afferrent derogationem: ideoque moneo scriptorem, ne lector graviter offendatur, ut non solum in emendatione codicis, verum etiam in utrisque numeris recte se habendis et cautissime emendandis diligentiam adhibeat, scilicet in eo qui suppositus est quibusque capitulis, et item in eo qui per totum codicem præpositus est singulis deflorationibus.

Porro si qua hic inserta, quod etiam in evangelistis sæpe contingit, sibi invicem contraria videbuntur; discretione adhibita facile patebit, quod neque sibi, nec extra positis scripturis adversentur. Quod si patenter adversari contigerit, inferior auctoritas potiori cedere debebit. Itaque primum defloravi quæque optima de quibusdam universalibus synodis, id est Nicæna, Ephesina prima, Chalcedonensi et VI, et VII, et VIII, quæ partim a quatuor sive a quinque patriarchis, ab eorum partim vicariis sub diversis temporibus universaliter celebrata fuisse noscuntur. De quarum auctoritate, nisi qui insaniat, nemo dubitat. Sed et de reliquis conciliis Orientalibus non abs re putavi quæ congrua visa sunt mutuare, a quibus videbam Romanos pontifices in suis constitutionibus, quod et curiosus lector deprehendere poterit, auctoritatem accepisse. Præterea quædam assumpsi de Carthaginensi synodo, quæ a 200 et 17 episcopis sub papa Zosimo acta est, præsentibus et ipsius legatis Faustino episcopo, et Philippo, et Asello presbyteris, in qua eisdem præsentibus confirmata sunt et inserta eidem synodo, Africana concilia diversis capitibus, de quibus Cœlestinus, et Symmachus, et Hadrianus quædam videntur in suis decretis inserere. Et quoniam adversarius, dum rationi succumbit, auctoritatem infamat, sciendum est quoniam omnia concilia sive universalia, sive provincialia, quæ ante Chalcedonensem synodum acta fuerant, postea confirmata et corroborata fuerunt in eadem cap. 1, quod ita se habet: *Regulas sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.* Nam Chalcedonense concilium a 630 Patribus sub Leone papa gestum, est ejus auctoritatis ac firmitudinis, ut quisquis ejus soliditatem non tenet cujuslibet vitæ atque actionis existat, ut B. Gregorius ait, etiamsi lapis esse videatur, extra Dei ædificium jaceat. Sed et de auctoritate canonum apostolorum qui per Clementem Romanum pontificem de Græco in Latinum translati dicuntur, quorum etiam auctoritate VII universalis synodus Patrum CCCL et idem Gregorius in suo Registro uti videtur, de quorum, inquam, et quorumlibet aliorum canonum auctoritate Anastasius Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius in prologo ejusdem VII universalis synodi, quam de Græco in Latinum transtulit, Joanni VIII papæ ita scribit: *Prædecessore vestro PP. Stephano et apostolatu vestro decernente non tantum solos apostolorum quinquaginta canones*

Ecclesia recipit, utpote tubarum Spiritus sancti, sed etiam omnium omnino probabilium Patrum, et sacrorum conciliorum regulas et institutiones admittit, illas duntaxat quæ nec rectæ fidei, nec bonis moribus obviant, sed nec sedis Romanæ decretis admodum quid resultant, quin potius adversarios potenter impugnant, Epistolas autem Clementis ad Jacobum, contra quas quidam garrire videntur, authenticas ostendunt successores ejus Anacletus et Alexander, et quidam alii pontifices, et a Deo Benedictus monachorum pater, qui ex illis plures sententias in suis scriptis inseruerat. Sed et de apostolicæ sedis auctoritate hic plurima congessi. Quædam etiam de opusculis B. Hieronymi, cujus eloquium, ut Augustinus de eo ait contra Julianum, ab Oriente in Occidentem instar solis refulget. Quædam de opusculis beatorum Cypriani, Ambrosii, Augustini et aliorum Patrum. Et omnimodis operam impendi ut essent plenissima auctoritate quæ hic congessi. Quoniam sicut aliquos quibus hæc placerent, ita non defuturos quosdam qui his inviderent, non ignoravi. Præterea antiquum ordinem electionis seu consecrationis Romani pontificis et cleri ejus huic operi inserere libuit. Nam

A quidam olim in Dei et sanctorum Patrum sanctionibus contemptum ad sui ostentationem et ascribendam sibi ventosam auctoritatem, quæ nullis canonicis legibus stare potest, scripserunt sibi novam ordinationem Romani pontificis: in qua quam nefanda, quam Deo inimica statuerunt, horreo scribere. Qui legit intelligat. Porro de modo docendi subditos pauca hic inserta sunt: quoniam et laboriosum et alterius operis arbitratus sum ad hoc sacram deflorare Scripturam. Potissima autem ad id operis mihi visa sunt Evangelium, et apostolorum Epistolæ, et Clementis, et pastorale Gregorii, et super Evangelia homiliæ ejusdem 40, et 8, et 9 et 10, super Ezechielem. Et quoniam dum brevitati studeo, plurima utilia me præterire doleo, moneo curiosum lecto-
B rem ut cum vacat, his a quibus hæc deflorata sunt studium adhibeat; non ut defloratis aliquid adjungat, sed ut suo desiderio satisfaciat. Hoc itaque opus vestræ paternitati dedicavi, quod non solum sanctæ apostolicæ sedi, sed omni Ecclesiæ et omni clero profuturum putavi. Obsecro autem legentem in Domino, ut pro meis excessibus ad Dominum intercedat.

FRAGMENTA LIBRI

De privilegiis et auctoritate Ecclesiæ Romanæ statusque ecclesiastici, et adversus rerum ecclesiasticarum invasores, Simoniacos et schismaticos, Guibertinos et Henricianos.

(Baron. *Annal.* ad an. 1059, n. 31; 1080, n. 31; 1080, n. 32.)

I.

De Nicolai junioris papæ decreto.

Sunt autem qui objiciunt, Nicolaum Juniorem decreto synodico statuisse ut abeunte apostolico pontifice, successor eligeretur, et electio ejus regi notificaretur. Facta vero electione, et ut prius dictum est, regi notificata, ita demum pontifex consecraretur. Quod si admittendum est, ut ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum, præfatum regem, et optimates ejus se ea constitutione indignos fecisse: primum, quod postea, cum præfatus Nicolaus Coloniensem archiepiscopum pro suis excessibus corripuisset, graviter tulere, eumque hujus rei gratia (quantum in se erat) a papatu deposuere, nomenque ejusdem in canone consecrationis nominari vetuere; ideoque decretum ejusdem jure irritum esse debebit, qui, cum a toto orbe papa haberetur, juxta eorumdem sententiam eisdem papa non fuit, quasi non ex Dei, sed ex eorum tantum penderet voluntate, quempiam quodlibet esse vel non esse. Romanus enim pontifex, ut sapientes norunt, non modo deponi non potest, sed etiam Christiano jure a quolibet non potest judicari. Deinde quia cum in eodem decreto cautum esset, ut Romæ pontificis electio a Romano clero et populo agere-

C tur, et postea notificaretur ipsi, præfatum violantes decretum, elegere (quod eis non licebat) prius Cadaloum Parmensem, postea Guibertum Ravennatem, induentes eos apostolicis insignibus, vocantes apostolicos, apostatas et Antichristi præcursores. Præterea autem præfatus Guibertus, aut sui, ut suæ parti favorem ascriberent, quædam in eodem decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt a se dissidens, ut aut pauca, aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inveniri. Quale autem decretum est, quod a se ita discrepare videtur, ut quid in eo potissimum credi debeat, ignoretur?.... Excommunicatio autem quæ in præfato decreto terribiliter profertur, a Guiberto, aut a suis fautoribus indita solummodo creditur, quoniam in
D antiquioribus hujus decreti exemplaribus longe aliter habetur. Et hæc quidem super eos veniet, qui eam in sui favorem ibidem indidere, et super eos qui eam timendam dicere præsumunt. Super illos quidem, ut incidant in foveam quam fodere, et ut apprehendat eos captio quam occultavere, etc.

II.

De Guiberto antipapa.

Post præstita domino suo beatæ memoriæ se-

ptimo Gregorio papæ fidelitatis sacramenta, et obedientiam IX [VIII] annis exhibitam, apostolicum thronum invasit, cooperante sibi Henrico rege, quem seducendo in Simoniacam hæresim, in quam idem Henricus dudum inciderat, profundius impulit, et avertit ab observatione juramenti quod apud Canusium Tusciæ oppidum præbuerat eidem domino papæ ad integrandam pacem et justitiam in regno, quod multa superbia et malitia perturbaverat: propter quæ omnia post multam deprecationem ejusdem domni papæ, ut resipisceret, et sæpe numero vocationem, ut satisfaceret, tandem primum excommunicatione, deinde, nisi acquiesceret, comminatione depositionis a regno, iterum, ad juramentum satisfaciendo compulsus est. Sed postea, ut dictum est, a præfato Guiberto, novo Simone Mago, veluti alter Nero seductus est, scilicet quod non oporteret eumdem veluti tantum regem apostolicæ sedis judicio cuiquam satisfacere, ac si non esset de ovibus B. Petri et exceptus ab ea obligatione, de qua eidem a Deo dicitur: « Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo, » etc. Ejusdem itaque suasione præfata duo juramenta transgrediendo; iterum, quousque resipisceret, synodali apostolicæ sedis judicio vinculis anathematis obligatus est.

III.

De Henrico persecutore.

Tandem præfatus tyrannus, Henricus scilicet, induratus ut Pharao, relictis ad resistendum in Germania copiis, assumpto partim suo, partim conducticio sive gregario exercitu, Romam et suburbana ejus deprædationibus, ac incendii, et cædibus quibus valuit, quadriennio devastavit, et tandem suo Simone magis pretio quam vi inthronizato, ab eodem imperialem coronam accepit. Et paulo post cum eodem militari Northmannorum manu ducis Roberti, qui in auxilium domini papæ Gregorii in Adriano degentis concite adfuit, turpissime fugatus abscessit. Et tam non faventibus, quam non communicantibus sibi ac suis complicibus, et Romæ, et omni regno suo sævissimam et diuturnam intulit persecutionem.

Hujus rei causa et Ecclesiæ pene totius regni desolatæ, et Christiana religio propemodum dissipata, et nonaginta millia hominum et eo amplius in diversis regionibus, pseudopapa Guiberto cooperan-

A te, cæsa sunt. Qui etiam pulsis catholicis episcopis et abbatibus, sceleratos et idiotas singulis civitatibus, et xenodochiis, vel ecclesiis singulos, interdum autem binos, vel annuos prælatos damnabili prioris et magistri sui Guiberti Simonis mercimonio substituens, deprædationibus sanctorum locorum, Christianorum sibi non faventium, imo etiam faventium, dum non esset qui armato resisteret, longe lateque voluntate quidem non minus suo Nerone, sed minus possibilitate grassatus est. Sed gratias Deo, qui, ut ait Apostolus, « semper triumphat nos in Christo Jesu, » quoniam idem imperator, ejus Nero, ab uxore, quam multis Deo teste prostituit, et filiis propter suam crudelitatem relictus, jam tandem non cujuslibet regis, et ducis, sive mar-
B chionis, sed unius feminæ, scilicet gloriosæ et Deo dilectæ comitissæ Mathildis, congressione adeo debilitatus est, ut vix quinquagenarius magnus Romanorum imperator incedat, justo districtoque Dei judicio, Dei frequentissimus venditor et abjurator femineo superaretur triumpho, qui Dei suave jugum a se projiciens, sicut pater ejus Belial, et immemor illius sancti regis Job, qui ait: « Si contempsi judicium subire cum servo meo » ad satisfaciendum his quorum infestissimus exstitit persecutor, beati apostoli Petri subjici dedignatus est judicio.

Idem vero Guibertus, qui multo rectius papa demens quam Clemens dici debuit (1), in oppidulo suo,
C quod Argentum dicitur, quasi ad sui munitionem celsa turri fabricata præstolatur Simoniacos angelos cum quibus volando, in puditissimas Stygias paludes corruat fractis cruribus, scilicet rebus suis, Deo nobis propitio, jam propemodum confractis, et ad nihilum redactis. Cui nemo apostolicam reverentiam sive obedientiam exhibuit præter suum Neronem, et sceleratos complices ejus, vel qui se illi propter avaritiam, « quæ est idolorum servitus, » vel perpetuo, vel ad tempus, pacto jurejurando vendidere: quorum plurimi, quibus perfidia claruerat, dum exsecranda sacrificia celebrat, ne interessent aufugiebant, scientes eumdem nulli Romanorum successisse pontificum, sed prescripto modo perjurum et invasorem ac Simoniacum, Henricum videlicet
D regem, domino Gregorio papæ fuisse superindictum, etc.

(1) Eadem Leo Ostiensis lib. III, c. 69.

DESINENTE SÆCULO

WILLELMUS PICTAVIENSIS

LUXOVIENSIS ARCHIDIACONUS

NOTITIA HISTORICA IN WILLELMUM

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, III, 162)

Willelmus Pictavinus sine Pictaviensis, Luxoviensis sive Lexoviensis archidiaconus consignavit Guillelmi I Conquestoris, Angliæ regis, cujus capellanus fuit. Gesta, scripta post annum 1066. et ex ms. Cottoniano edita in Andreæ du Chesne Northmannicis Paris 1619. fol. pag. 178, 213, sed ab initio et in fine mutila Laudant Guillelmus Gemmeticensis VII, 44, atque Ordericus Vitalis lib. III Hist. eccles., pag. 503.

GESTA WILHELMI CONQUESTORIS

AUCTORE WILLELMO PICTAVIENSI.

(*Vide Patrologiæ tom.* CXLIX, col. 1217, ad annum 1087, in Willelmo Conquestore.)

WILLELMI PICTAVIENSIS

CARMINA ADVERSUS GUIBERTUM ANTIPAPAM

(USSERIUS, *Epistolæ Hibernicæ*, ep. 29, not. p. 138, ex ms. cod. quondam ad succentoriam Thorneyæ apud Halifaxenses pertinente.)

WILLELMUS, canonicorum beati Hilarii minimus, WIBERTO.

Ne metra contemnas tibi scripta videre Ravennas :
Consilium sanum ne crede tibi fore vanum.
Ad cor mane cito ratione fruendo redito.
Si cor habes mundum, monstrabit te furibundum,
Qui contra cœlum jacis impenetrabile telum.
Te patet incautum, qui cornua ponis in altum,
Eventu tristi regnum poscens tibi Christi.
In sanis penitus in ludibrium stabilitus ;
Qui sanctæ sedis papam fore te male credis
Quam factus prædo violasti corpore fœdo.
Stat merito *demens* nomen tibi stat male *Clemens*,
O caput erroris per multa fluente cruoris :
Nunc manifestabit error tuus atque probabit,
Quos velut argentum fidei probat experimentum :
Ergo quam propere tua cœpta caveto tenere :
Et fastu spreto quid sis moriture videto.
Papæ prostratus transactos ede reatus;
Et veniam quære, culpamque tuam profitere :
Est prius indultor, tamen æque criminis ultor.

JOANNES DE GARLANDIA

NOTITIA

Garlandius Joan. *de Gallandia* minus recte dicitur in Catalogo mss. Marquadi Gudii (1). Claruit a. 1040 (2).

Scripsit I. *De accentu* lib. I, initio :

Ecclesiæ sacræ normam qui noscere.

Exstat *Accentarius* mss. Cantabrigiæ in archivis (3).

II. *Mysteriorum Ecclesiæ*, lib. I, initio :

Anglia quo tendis tua dum (4).

III. *Unum omnium*, lib. I, initio :

Commoda neglectis dum quærunt (5).

IV. *Satyricorum opus*, lib. I, initio :

Scribo novam tandem satyram (6).

V. *Epithalamion D. Mariæ*, lib. I, initio :

Nobilis erigitur mundi præfacta (7).

Exstat epitalamium B. Mariæ Virginis ad honorem sponsi cœlestis et sponsæ versibus elegiacis, per Joannem de Garlandia manuscriptum in bibliotheca Roberti Cottoni Claudius X, I.

VI. *Opus Synonymorum*, libr. I, initio (9) :

Ad mare ne videar latices.

Exstat sine auctoris nomine expresso, junctum tamen aliis Joannis de Garlandia libris, manuscriptum in bibliotheca ducali Guelpherbytana eaque parte, quæ olim Marquadi Gudii fuit. Persuadeor multa ex hoc libro desumi posse ad veram vocis significationem facientia, adeoque Lexicograph s futuris utilia imo necessaria. Specimen dabimus collationis institutæ cum Fabri Thesauro edit. 171C. Ipsum vero librum sectione II poematum medii ævi ex manuscripto codice memorato dabimus integrum observantes prius glossam quamdam codici ascriptam auctorem libri facere magistrum Mattheum Vindocinensem, vel illius discipulum Ganfredum.

VII. Liber *De æquivocis*. Forte idem scriptum est quod sine auctoris nomine inscribitur *Carmen de nominibus et verbis latinis æquivocæ significationis* cum commentario, in Catalogo librorum manuscriptorum, quos Antonius a Wood legavit Academiæ Oxoniensi (10). Est altera pars libri De synonymis, quod ex versu 38 libri Synonymorum colligitur. Exstat manuscriptus liber in eodem codice Guelpherbytano. Integrum tamen nunc exscribere nolo ne historia nostra versibus obruatur. Primas solum ejus lineas dabo.

VIII. *Mysteria Ecclesiæ*. Non differre credo hunc librum a superius n. 2 adducto, Baleumque in initio scripti exprimendo falli. Exstat liber manuscriptus in memorato Codice Guelpherbytano, ex quo prologum operis et primum caput decerpam :

IX. *De orthographia* liber. Exstat et hic manuscriptus in codice laudato Guelpherbytano, in cujus exemplaris fine leguntur verba. *Explicit liber de orthographia, cujus Joan. de Garlandia fuit causa efficiens, et notandum quod extraxit istum librum de majori volumine Prisciani.*

X. *Cornutum* sive Disticha, lib. I (11).

XI. Joannis de Garlandia liber metricus exstat inter codices manuscriptos in ædibus Jacobæis n. 777 (12).

(1) P. 575, n. 356.

(2) Vid. Bostonus Buriensis in Catalogo apud Joan. Baleum Scriptor Britann. Cent. II, n. 48.

(3) Vid. Joan. Pitseus De illustr. Angl. scriptor. p. 185.

(4) V. Baleus l. c.

(5) Vid. Baleus l. c.

(6) Vid. Baleus l. c.

(7) Vid. Baleus l. c.

(8) Vid. Thomæ Smithi Catalogum, n. 39.

(9) Vid. Baleus l. c.

(10) Vid. Catalogos ms. Angliæ et Hyberniæ t. II, p. 400, Cl. 2.

(11) Vid. Joan. Baleus De scriptor. Britann., cent. 2, n. 48.

(12) Vid. Catalogos mss. Angliæ et Hiberniæ t. II, p. 246.

JOANNIS DE GARLANDIA OPUSCULA

(Polyc. Leyser, *Hist. poet. medii ævi*, p. 311.)

OPUS SYNONYMORUM.

Ad mare ne videar latices deferre, camino
Igniculum, densis et frondes addere sylvis,
Hospitibus pyra Calabris, dare vina Leæo,
Aut Cereri fruges, apibus mel, vel thyma pratis,
Poma vel Alcinno, vel mollia thura Sabæo,
Ad veterum curas curo superaddere nostras.
Sed dare lac pueris, proponens pauca, pusillis,
Quos solum ditant maternæ munera linguæ.
Sermonis tribuo pueris elementa latini,
Quorum multiplicem lector præconspice fructum.
Quisquis abundare cupit in sermone latino,
Atque reservare, quæ mens cito lubrica fundit,
Eligat e multis hic mutatoria vocum
Ut diversimode rem significabit eandem,
Edocet æquivocis opus hoc, synonyma jungens
Versibus, et ricinis [*lege* ricmis *pro* rhythmis] ut
[vocum copia detur.
Exemplis variis brevis, et producta, docetur.
Sub multis plures res, unam voce sub una.
Ut fieri semper, quod fit plerumque, putamus.
Fallimus hinc alios, et ab ipsis fallimur ipsi.
Est opus idcirco cognoscere, qualiter et quo
Æquivocis ab univocis synonyma distent.
Significat multas res unius rationis.
Univocum, sicut homo particularia signat;
Æquivocum celat sub eadem plurima voce,
Quorum nomen idem, ratio diversa sub illo est.
Quod natat, æquore; splendet, in æthere; latrat, in
[æde,
Significat triplici canis hæc tria sub ratione.
Diversa significant una synonyma voce :
Ut mucro; gladius ; ensis : res una vocatur
Nominibus. Rebus his eadem res significatur.
Sed quia dactylici sunt multa vocabula metri,
Qui legem fugiant operi quibus est opus, isti:
Quod breve longari placet, et longum breviari :
De multis valeant ut versus parte locari.
Non aliter poterunt synonyma consociari.
Particulis opus hoc placuit complere duabus :

A Multivocis prior, æquivocis pars altera cedit,
Ut quærenda loco statuantur singula certo.
Hoc alphabeti geminus discriminat ordo.
Pluribus officiis *animæ* sunt nomina plura :
Dum sentit sensus, ratio dum indicat; est mens
Dum quid commemorat (13); animus dum cogitat (14);
[est cor
Quando quid affectat; cum vult est dicta voluntas.
Spiritus est anima, manes, perfectio, vita,
Vis, endelechia, natura, potentia, virtus
Interior, vel homo; prædictis additur umbra (15).
Orcus habet manes (16); animabus corpora vivunt,
Spiritus in cœlis ; umbræ per busta vagantur (17).
Aula, atria, castra, palatia regia regum.
Aliger, ales. *avis*, volucrisque volatile, præpes.
B Si sit avis specie capio, sit garrio vinctum.
Auspicor, auspicium, simul auspex; Aucupor, au-
[ceps.
Augur, et augurium, simul auguror, efficiantur.
Dic *arcas*, thecas, cistas, vel scrinia, capsas.
Capsula, capsella, de capsa diminutiva.
Arduus, excelsus, celsus, sublimis, et *altus*,
Summus. et elatus, sublimatusque, levatus,
Et sic sublatus prædictis associatur.
Auxilium, vel opem, suffragia dic, vel asilum,
Præsidium, vel subsidium, quibus adde juvamen,
His adjumentum, simul adjutoria junges,
His adminiculum simul addas, opitulamen (18).
Et de propitio fit de propitiatio nomen.
Torrens, flumen, *aqua*, fluvius, lacus, undaque,
C [lympha;
Dic rivos, latices, puteos, dic stagna, paludes ;
Illis addatur ammis, simul atque fluentum
Amnis jungatur, Aqua mediarana (19) vocatur.
Glarea, vel gyphus, glis est, argilla, bitumen.
Glis animal; *glis* terra tenax; *glis* lappa voca-
[tur : (20)
Ris (21) animal; *sis* terra tenax ; *tis* lappa vocatur :
Sic genus istius dignoscitur et genitivus.

(13) Non ergo mens dicta quasi eminens pars animi, ut vult Faber.

(14) Hinc animus proprie non idem est quod anima, ut perhibet Faber, cujus nomen in secuturis animadversionibus reticebo.

(15) Pleræque significationes omissæ in Lexico.

(16) Manes ergo non sunt simpliciter animæ corporibus exutæ. D

(17) Non ergo manes sunt.

(18) Deest in Lexico.

(19) Non habet significationem Lexicon.

(20) Hunc versum citat Faber in Lexico, auctoremque ejus facit Silvaticum.

(21) Scilicet genitivus Gliris.

Est sarcago (22), patella, lebes, cacabus, vel ahe- A [num.
A pateo dicas *patinas* (23), conjunge patellas.
Vas dico *patinam*, sed quod tegit esse *patenam* (24).
De sarcos et ago, sic est sarcago vocata (25) :
Nam sarcos græce, caro dic esse latine.
Affecto, vel *amo*, cupio, desidero, glisco (26),
Opto, vel ammiror (27), aveo, vel gestio, capto,
Ambio, quod facit ambitio, simul ambitiosus
Est rector currus, *auriga*, vereda vocatur.
Plaustrum, plaustellum subit eis annumerandum.
De veo dic reda dictum reor esse *veredam* (28).
*Auriga*que suum dant aures et rego nomen.
Sunt supra redas partas epyreide (29) dictæ.
Porcus, *aper*, verres, mas est ; sus, porcaque, scro- [pha
Femina; sed sucula, porcellus, diminutivum.
Sus, suis. Ex illa caro debet esse suilla.
Scrobs scrobis est fovea. Hæc scobs scobis unde fit [illa
A scrobe dic *scropham* (30) cui rostro terra cavatur.
Et qui verrit humum *verres* de verro (31) vocatur.
Est vervex, *aries*, cui virtus est generandi.
Fit bino de dente *bidens*. Dic esse *bidental*
Fulmen, quod cecidit ubi victima facta bidente.
Sed cum balatu balantem balo figurat.
Sacrificans ovat. Ex ovibus fit ovatio, plausus.
Vervex in capite vermen gerit. Aries ita.
Hinc vervecinæ carnes dicuntur ovinæ.
Adstruit, *affirmat*, asseverat : tria sunt hæc,
Asserit est quartum, quæ signant quatuor unum.
Annuo, concedo, simul admittoque tibi do.
Abdicat, et contradicit, negat, *abnuit*, inficiatur,
Obviat, et renuit, his unum significatur.
Cum suffragatur, juvat, adjuvat, auxiliatur,
Subvenit addatur, succurrit propitiatur,
Si permittatur a metris opitulatur.
Subtrahit, attollit, subducit, et eripit, aufert,
Surripit, et spoliat, asportat res alienas,
Privat, prædatur, defraudat eis sociatur.
Convenit, alloquitur, pariter compellit et inter
Pellat, et affatur prædictis associatur.
Auget, et augmentat, exaggerat, et coacervat,
Aggerat, accumulat, congestat, congerit, addit,
Ampliat, amplificat, apponit, et adjicit una,
Cum supradictis assuit, adjungit, adunit.
Arcet, compescit, inhibet, cohibetque, coercet,
Refrenat, reprimit, angustiat, atque coarctat,
Cogit, constringit, angariat, arctat, et angit,

Urget compellit : his sensus convenit idem.
Indignans onager servire per arva vocatur,
At supplex asinus servili lege ligatur,
Fœtus asellus erit. Similantur moribus illi
Qui non accipiunt doctrinam pectore duro.
Dicitur accusans æquales atque minores ;
Dicitur incusans majores et meliores ;
Sed scelus excusans minuit, renuitque recusans.
Quod dat judicio judex, adjudicat ; et quod
Aufert judicio judex, abjudicat illud ;
Et litem dirimens partes dijudicat inter ;
Et quos suppliciis affligit, judicat illos.
Judico te, damno ; tibi judico, commoda quæro.
Artificis nomen opifex assumit, et actor.
Invenit autor ; agit actor ; res ampliat auctor.
B Autor ab autentim sine c ; de se dicit actor,
A sine v ab ago venit ; auctor ab augeo cum c.
Est avidus, cupidus, et avarus, et ambitiosus ;
Divitias cupidus capit, ambitiosus honores.
Inter se distant timidus, temerarius, audax :
Linquit omittenda, facit audax aggredienda ;
Cessat ab audendis timidus simul et fugiendis ;
Audet omittenda temerarius et facienda (32).
Nutrit, fomentat, reficit, fovet, et refocillat,
Pascit, alit : sensus his verbis convenit unus.
Hinc nutrimentum deducitur, ac alimentum,
Fomentoque comes simul ac alimonia, fomes.
Inter se distant albescit, et albet, et albat
Albicat, albificat. Transire sinas duo prima.
Inchoat albescit ; minuit simul atque frequentat
C Albicat. Istorum celebratur utrumque solutum.
Candeo, candesco non transit. Candido transit.
Dicitur unguentum, cataplasmaque, nardus, aroma.
Fœtet aromaticum. Sileni quod præstat odorem.
Non redolet, sed olet, quod redolere solet.
Debet fex olei sedimen amurca vocari (33).
Est anus vetula, minuit sed anicula sensus.
Dum se curvat anus, velut antrum sibilat anus.
Augur, sortilegus est, divinator, aruspex,
Additur ariolus. Dicitur hinc ariolari.
Atque mathematicus illis sociatur, et auspex.
Unum significat arbor et robore stipes.
Stips stipis est opulus, sed stipes stipitis arbor.
Stipo constipo, stipendia dicimus inde.
D Arbutus arboris est species, sicut arbuta fructus.
Stips stipis est obulus ; indeclinabile pondus.
Illinc est natus dispondius (34) as geminatus.
Astera pars assis semis duo tertia bisse
Cussis, quincussis occussis ac inde decussis,

(22) Ignorat vocem Lexicon.
(23) Non observavit lexicographus.
(24) Omittitur in Lexico.
(25) Forte ipsa vox *sartago* quæ idem significat, minus recte scribitur, aut scripta olim recte minus recte legitur, cum *t* et *c* in codicibus mss. antiquis vix differant.
(26) Ea significatione caret Lexicon.
(27) Frustra quæras in Lexico.
(28) Econtrario Boxhornius Arabicam vocem habet.
(29) Forte *epirhedia* : quod genus vehiculi est Lexico, sed minus recte.
(30) Etymologiam ignorat Lexicon
(31) Non de *verpes*, ut habet Lexicon. Satis hæc pro animadversionum specimine sunto. Reliqua lector curiosus suppleat.
(32) Curiosa *audacis* et *temerarii* differentia, quam ignorat Lexicon.
(33) Non ergo differt a fæce, ut vult Faber.
(34) Imo potius quasi duplex pondus vel pondo.

Dicitur assiduus studio sibi continuare,
Dicitur assiduus dives ab asse dato.
Calliditas, astutia, et cautela, vel astus.
His prudentia vel astutia, versutia consocietur.
Exigit, ac peragit, facit, efficit ac operatur,
Patrat, agit, complet, consummat, perficit, implet.
Exsequitur, claudit, concludit terminat, atque
Desidit, et sinit, medios deducit in actus.
Promptuaria, vel cellaria, dic apotecas.
De primo primus qui promptuaria servat.
Est apotheca domus, cui victus traditur omnis.
Est hypotheca rei non mobilis nec domus arvum.
Rerum mobilium traduntur pignora pugno.
Pignora natorum dicuntur, pignera rerum.
Sed quia lex docuit pro pignore pignora poni,
Nuncupat, appellat, cognominat, et vocat ista.
Vociferat, censat, sensu junguntur eodem.
Applicat appellens appello numine quamvis.
Ostia quæ reserat, aperit, panditque, recludit,
Ejusdem sensus depessulat additur istis.
Hæc tria jungis : usurpat, et præsumit, et audet.
Sulcat, arat, versat glebas, colit excolit agros.
Alget, et algescit, friget, frigescit, et inde
Algidus, ac algor, pariter maris ala vocatur,
Ac infrigatur prædictis associatur.
Ara, vel altare, domini vel mensa vocatur,
Atque tripos dici consuevit Apollinis ara.
Aras inspiciens hinc detineatur aruspex.
Induit, ac operit, amicit, vestit, tegit, atque
Velat : prædictis sensum largitur eundem.
Est globus, atque strues, vel acervus, cumulus, [agger
Est glomus, hinc glomero, globo, conglobo nasci- [tur inde.
Dic anachoritas, reclusos, ac eremitas.
Ex eremo venit hic. Sed ab ana nascitur inde.
Hinc anachoritæ quasi corde superna colentes.
Ambulo vel gradior, eo, vado, perambulo, pergo,
Additur his spatior, vel venero, vel proficiscor.
Dicit ave veniens, salve, valeque recedens.
Amussis, perpendiculum, quod regnla signat.
Hinc ex amussim quod dicitur indubitanter.
Cœlestem dic ave tibi significare salutem,
Unum mussare signat, et idem dubitare.
Obliquo, sinuo, curvo, simul arcuo, linquo :
Omnibus his verbis sensus dedit usus eandem.
Balsamus est arbor ; sunt balsama dicta liquores ;
Arboris emanant opobalsama cortice cæsa.
De foliis effecta scias folibalsama tristis.
Trita vel incisa faciunt colobalsama ligna.
Est vitis Bacchus sator, fore bacha sacratos
Quemlibet insanum bacchari dicimus inde.
Vivunt insane qui bacchanalia vivunt.
Sustentamentum, columen, basis, atque figura
Pes proprie fruitur sustentans, atque columna
Basilios græce, rex dicitur esse latine.
Hinc scio basilicum nasci, simul et basiliscum.
Baro baronis gravis ac autenticus est vir.
Signat idem barrus, elephas simul, et elephantus,

A Nam barres græce, grave dicitur esse latine.
Lanigeras, vel oves, balantes, atque bidentes
Dicimus : ejusdem tot nomina sunt animalis.
Esset in his si non vitaret ovicula versum.
Balteus insignes matronas aureus ambit :
Hunc auro mixta texerunt serica fila.
Beta, maguderim caulem dic esse secundum,
Hinc adjectivum nomen betasius exstat.
Significat idem bilis offensa, rancor et ira.
Sed proprie bilis est humor fellis amarus.
Ex geminis libris constat mensura bilibris.
Dicuntur bifores geminæ valvæ coeuntes.
Intono, vel resono, reboo, mugio, clamo.
A boo buccella sunt, bucula, bucca, boatus.
De cano, de bucca, cum buccinia, bucula furit.
B Os oris bucca, minuit sed buccula sensum.
Infantum buccas, ocella vel oscula dicas.
Est buccella cibus quantum semel accipis ore.
Inter se lituus, tuba, tibia, buccina distant,
Ex lituo gracilis sonus exit, grossior illis
A componenti sortitur buccina nomen.
Bubo, bubastus, bos, bostar, bucria, buris,
Bubalus, et bulcus, bucrilus, buglossa, bubulcus.
De boo præterea fit bosforus, atque bootes.
Est bostar statio bovis; est curvamen aratri
Buris; bubastus tumidis est uva racemis ;
Bos parvus buculus ; sed bubalus est bove major,
Formæ consimilis est alterius speciei.
Sunt pisces bulbi, sumant armenta bubulci.
C Lingua bovina sonat, gramen buglossa vocatur.
Sed cornuta sonat animalia butria græce.
Sed via bosforus est bovis appellata meantis.
Arctoo defixa polo stat stella bootes.
Est bufo, rana, ranunculus, atque rubeta.
Est bombex vermis, egestio digerit ejus.
Serica, fit testis hujus bombicina vestis.
Turpis avis bubo, turpissima bellua bufo.
Res eadem blata, vespertilioque vocata :
Hinc declamare garritu sit blaterare.
Græcia consuevit beta rana vocitare,
Sicut in Isidoro scriptum reperitur Ibero,
Et bene si numeras agredula jungitur istis.
Mercedem cursus bravium victoria donat,
Ast imbrumatus omnis qui negligit escas.
D Bractea, bracteola, tenuissima lamina fertur.
Imber, hiems, bruma, tribus his res una vocatur :
Sed nomen bruma trahit a brevitate dierum.
Namque brachos græce, breve dicitur esse latine :
Fertur ymera dies. Componunt hæc duo brumam,
Brucus, acelaber, res una locusta vocatur.
Hinc tres ætates tria nomina dant animali :
Tunc brevis est bruchus : cum de tellure levatur.
Dicitur acalaber : postquam fit adulta locusta.
Nomine concordi quasi longam dicimus hastam
Conflictus, bellum, congressus, et ala, duellum.
Obsidio, mars, atque rebellio, prælia, pugna,
Sunt acies, guerra prædictis associanda.
Est fortunatus, felix, faustusque, beatus,
Detrahens atque beans trabea dic et trabeatus.

Res eadem femoralia sunt perizomata, brachæ.
A bracos bracale venit, lumbareque lumbis.
Fiber, idem castorque, giver, castoria cujus
Fiunt testiculi castratos dicimus tamen.
Unum significat boletus, tubera, fungi,
Quos fructus terræ faciunt concursus pluviarum.
Additur asparagus. His sensus convenit unus.
Dragma, vel aureus, uma, besantius, atque talen- [tum.
Sed dragmam proprie speciem dic ponderis esse.
Est neutrum dragma tibi, dragmatis est genitivus.
Quæstio dramaticum dicas genus esse loquendi
Dragma melos pondus, sic dragmatis est genitivus.
Sed sit genitivus dragmæ, pondus tibi denotat esse.
Pulcher, formosus, procerus, vel speciosus,
Agnosce procerem : Juvenalem suscipe testem.
Splendidus, egregius forma, specieque venustus,
Præclarus, nitidus, bellus, pariterque decorus.
Cunctorum procerum corpus dic esse procerum.
Marsupium, bursa, forulus, loculusque, tumetra.
Est canis, est catulus, leporarius, atque molossus,
Ne metra precarium odor insecus esset in illis.
Æther, et æthera, polus, cœlum dicatur olympus.
Est latrina locus idem, cacabunda, cloaca
Signat idem ; quasi triste legens tristega vocatur.
Chorda, fidis, restis, et funis funiculusque,
Quo tu suspendis fures torquinus habetur.
Est antemna, rudens, amentum jungitur istis.
Dic a rudo rudens. Fidicen fidis et cano format.
Ambulat in fune, funambulus inde vocatur.
Cantharus, et patera, calices, vel pocula, crater,
Scyphus, apud veteres tractantur cornua, concha,
Cimbia, vel calathos, carthesia, jungimus istis.
Deque spata credas sic dictos esse spadones.
Est cophinus, calatus, cum sporta sportula, corbus,
Quam lus quaxillum simul istis associandum.
Fiscina, fiscella, quo caseus efficiatur
Vas est, vas lactis multtum, multraleque dicas,
Quod de mulgere sibi nomen constat habere.
Balteus, et cropheum, cinctoria, cingula, zona,
Sunt ocreæ, caligæ, quos tibi gestat amictus.
Camisiam, simul interulam rem dicimus unam,
Additur his alias subuncula, subirara vestis.
Crudus, crudelis, austerus, et improbus, atrox,
Est ferus, atque ferox, violentus, acerbus, et acer,
Impius, immitis, sævus, molestus, et asper,
Asper inhumanus est, tyrannus sum, atque pro- [tervus,
Torvus, indomitus his jungitur, atque severus.
Est chorus, atque cohors, conventus, concio, cœtus,
Dic consortia, contubernia, dicque choream,
Turma, phalanx, acies, societur cuneus istis,
Est sex centorum sexaginta legio sex,
Ut numerum peragas super hoc sex millia jungas,
Sed quingentorum cæterum dic esse cohortem.
Conventus, conventiculum, manus additur istis
Istis, consilium, simul et constabula jungas.
Cymbala, campana, nola, tintinnabula jungas.
Campus, agellus, ager, rus, hortus, et hortulus, ar- [vum,

A Quem colit assidue venit hortulanus ab horto,
Vela, vel aulæa, cortinæ sunt anabastra,
Cortinæ limbus est peripetasma vocatus.
Dicimus aulæa, quod distenduntur in aula.
Cum sit ana sursum bachique gradus ana
Certamen lites, rixas, et jurgia vites,
Est contentio, vel distentio litigiumque,
Adsit agonia quando conjungantur agoni.
Est coma, cæsaries, crinis, pilus, atque capillus.
Credo cæsariem maribus tamen appropriatam.
Fit de compta coma mulieribus appropriata.
Pars prior est currus capitis derasa pilorum
Anterior capitis pars crinis densa pilorum,
Dicitur hinc currus, quia circumgestat alauda,
Est juba quadrupedis, porcorum seta vocatur.
B Cæsariemque viri, comam proprie mulieris.
Hujus et illius bene dicitur esse capillus.
Laurea, cernane, sertum diadema corona,
Addas aureolam, quo pavois sic data dictam ;
Et duo quod demat credo diadema vocatum,
Finem principium sicut facit omne rotundum.
Utendo generale die currum, curriculumque,
De veho vehiculum, quod versibus est alienum.
Horum do species hic quæ subscripta sequuntur :
Reddas quadrigas, carpenta, vel esseda, bigas,
Istis pilentum, fartagum, junge libramen.
Testudo, cithara, chelys, et lyra dic unum.
A cithara cithariso venit, simul et citharædus.
Hinc lyricum carmen, lyricen, lyra cum cano for- [mat.
C Pollice tango lyram, facio cum vomere lyram.
Deliros inde fatuos censere solemus,
Et delirare discordes inde feruntur.
Ambigit, et dubitat, et fluctuat, hæsitat, hæret,
Nec nisi prædictis musso suppeditat istis.
Est domus, atque doma, præsepe, domuncula, te- [ctum,
Ædes, ædiculas, habitacula, dic stationes,
His pastoforium, magalo, tuguria jungas,
Atque mapale, casa, sic ypepis, mansio juncta
Lar, et domicilium, quod tecti pars una vocatur,
Est hera, vel domina, mulier, matrona, virago.
Doctor, et instructor, monitor, pædagogus et actor,
Corrector, simul his didascalus, atque magister.
Destruo, dissolvo, populor, consumoque, vasto,
D Diruo, dispergo, subverto, dilapidoque,
Dic dumos, frutices, et rubos, arbusta, fruceta,
Deque rubo dictas bufones crede rubetas.
Arboris et fruticis loca sunt arbusta, fruceta.
Quæ crescunt instar fruticis fruticare videntur.
Divitiæ, vel opes, census, pecunia, gazæ,
Est opulentia, vel possessio peculiumque,
Res et proprietas : hinc proprietarius exit.
Esca, dapes, epulæ, cibus, atque cibaria, pastus,
Pabula sunt etiam, convivia, victus, et esus,
Jentamen mane, jentacula dicimus inde,
Sed contra sumptum veniunt obsonia sæpe,
Atque die media dat prandia debitus ordo.
Est sonipes, vel equus ferus, equiferusque, ca- [ballus,

Istis quadrupedes, simul emissarius addes,
Est manus magnus dextræ dextrarius aptus.
Redde vectores, nos dicimus esse veredes.
Dicimus eunuchos, castratos, sive spadones,
Si quod metrum sinet his cuintitulatus in istro.
Castratos natura facit, violenta spadones
Efficit improbitas, eunuchos sola voluntas.
Vocibus his sensus verbalibus acci it unus :
Conjecturo, reor, vel conjicio, vel opinor,
Autumo, conjecto, vel suspicor, æstimo, credo.
Fossa, specus, fovea, spelunca, caverna, vel an- [trum.
Scrobs scrobis est fovea, sed scobs scobis utitur [illa.
Traco, anfractus, cavus his addatur abyssus,
Unde fluunt imbres, cœli cataracta, meatus.
Mancipium, famulus, et cliens, et verna minister,
Atque ministrator, puer, assecla, vernula, servus.
Satrapa prædictis conjungitur, atque satelles.
Cancellus, porus, forus, atque fenestra, foramen.
Cancellum muri quadratum dico foramen,
In quo sunt solitæ sibi nidificare columbæ.
Cancellus templi pars intima dicitur esse.
Est cancellare quod semper damnanda notare :
Nomina per medium quod signat linea ducta,
Quod male scripta linit, hinc cancellarius exit.
In cruce cancellat pro nobis brachia Christus.
Raptor, vel prædo, latro, latrunculus, et fur,
Sunt et stratilites, abigei, vespiliones.
Tempore nocturno fur aufert, latro diurno ;
Vispilio quasi vi spolians de jure vocatur ;
Qnos clam stratilites quasi strata dico latentes ;
Qui pecus et pecudes abigunt sunt abigei ;
Raptoresque maris pirates quoque dicimus esse.
Gratulor, exulto, lætorque, plaudoque, resulto,
Gaudeo tripudio, vel ovo, cum jubilo, psallo,
Jucundor, simul exhilaro, sit in his hilaresco.
Gladius rumphea, vel framea, vel mucro, vel ensis,
Additur his sica, sicarius exit ab illa.
Est stilus, et graphium, calamus scriptoribus aptus.
Atque pugillaris dictus capiente pugillo.
Gibbus vel struma proprie pars turgida dorsi.
Illinc gibbosus, strumosus dicimus illinc.
Horreo, formido, metuo, timeoque, tremesco,
Et tremo, cum paveo, trepido, paveoque, pavesco
Ignis, et igniculus format focus, atque caminus.
Est rogus, atque pira, fornacula jungimus illis.
Insanus, vehemens, vecors, vesanus, et excors,
Secors et demens bachans, et stultus et amens
Tartarus, infernus, acheron, stix, orcus, avernus,
His erebum, baratrum conjungunt, atque gehen- [nam.
Est juncus, scirpus, bibilus, papirus, arundo,
Cum canna, calamus prædictis associatur.
Suffio, turifico, suffimigo, cum quibus addo
Incenso, sensum dedit istis usus eundem.
Suffio dematur quod sic autore probatur,
Et suffire locum sumpta propriavit acerra.
Interimit, perimit, interficit, et necat, occat.

A Occidit, mactat, extinguit, sive trucidat,
Suffocat, jugulat, funestat, sive sugillat,
Mortificat, truncat, determinat, exanimatve.
Janua, porta, bifores sunt ostia, valvæ.
Veneficas, magicas dicas, lamias quoque, sagas.
Istis signatur eadem, quibus associatur.
Hinc incantatrix, sagana, præstitigatrix.
Histrio, vel palpo, mimus, vel gesticulator,
Est epulo, nebulo parasitus, scurra, legator,
Sic pantomimus, comœdus, vel joculator,
De serpente nepa dictis his adde nepotes.
Calx, scrupus, et scrupulus, mola, calculus, atque [molaris,
Addatur cautis quæ sæpe fit obvia nautis,
Petra, lapsis, saxum, populus, silicesque lapillus.
B Est chorus, et stratum, lectus, choreuma, graba- [tum,
Accubitus, his dormitoria junge, cubile.
Phœbe, vel luna, cyntania, mena,
Ac novitas lunæ neumenia dicitur inde.
Cartula, vel carta, codex, liber, atque libellus.
Si breve longari licet et longum breviari.
His codicillus conjungitur, atque volumen :
Gustu libellum, visu cognosce libellum.
Subligar est ligula, caligas quæ subligat alte,
Junge luto, cœnum, quibus adde volutabra, limum,
Hinc cœnolentus, illimus dicitur inde.
Dic mare, dic salum, dic æquora, dicque profun- [dum,
Hic pelagus, pontum, freta, jungas bicaterassum,
C Dic amphitritem, quia circuit et terit orbem.
Est meretrix, scortum, thais, lupa, capra, chi- [mera,
Post novam, prostans, novaria jungitur illis.
Gausape, mensale, mappas, manutergia dicas,
Addas maneile manibus quod tale vocatur.
Miles eques, tyro, tyrunculus, atque quirites,
Atque neoptolomus, novus est regnator in illis.
Materiam, vel materiem, dic esse domorum ;
A paritate venit paries, quæ jungitur istis.
Sed muros proprie, vel mœnia, dicimus urbis.
Dicitur ac vallum, palus, ac vimine factum :
D Hinc invallare res est includere vallo.
Sepibus, et septis, includitur hortus, et arvum.
Indago silvas, sil is et latentia claudit :
Indagare hinc res explorare latentes.
Intimat, insinuat, enucleat, atque revelat,
Insignat retegit ; edisserit, atque retexit,
Duplicat et pandit, ævo dat, promit, et edit,
Nunciat, exponit, elucidat, atque serenat,
Explicat, exercet, declarat, vel manifestat,
Exprimit, et reserat, propalat, indicat atque
Notificat : verbis his sensus convenit idem.
Expedit, evolvit, aperit, nudatque, recludit.
Interit, occumbit, mortem signat violentam,
Interit ; exspirat, moritur, defungitur, atque,
Occumbit, vel obit, dissolvitur, exanimatque,
Ad naturalem concordant cætera mortem.
Excidit, exhalat, decedit eis sociatur.

Et potes illud idem complexa dicere voce :
Tollitur e medio, naturæ debita solvit,
Naturæ debita nostræ generale tributum,
Clausit præsentem supremo funere vitam,
Carcere corporeo resolutus spiritus exit,
Mortuus est mundo victurus postea Christo,
Præsentis vitæ cursum feliciter terminavit,
De corporeo spiritus se relaxavit ergastulo.
Funus, et exitium, letum, mors, excidiumque,
Adde necem, vel perniciem, simul et libitinam,
His obitum, simul interitum, conjungito fatum,
Quæ de mininie libeat, sic est libitina vocata,
His exterminium, simul occasum socieris.
Est linter, lembus, scapha, prora, liburna, faselus
Navis, navicula, puppis, ratis, atque carina
Est cum classe, sclaria, vel mortaria, chelox,
Cimba, biremis eis conjungitur atque triremis.
Quam regit ordo triplex hanc dicimus esse trire-
[mem.
Strenuus, ingenuus, illustris, vel generosus,
Insignis, præclarus, et inclytus, egregiusque,
Istis patronus, præsignis, nobilis assint.
Lucus, silva, nemus unum, virgulata, viretum,
Istis arbustum sociemus ab arbore dictum,
Lucarius luci custos est, hic luce lucatur.
Necto nemus, silva sileo, sed luceo lucus.
Retracto, refero, et retexo, recenseo, narro.
Negligit, et spernit, aspernaturque, refutat,
Contemnit, renuit, simul abnuit, atque recusat,
Sic parvipendit, et vilipendit in istis.
Stragula, cento, toral, pulvinum, culcitra, lodex,
Est et plumare, sed fulta tapetibus addas,
Cum cervicali cervicidante calorem.
Lunula, luna, nychelides, torques, et inaures,
Flammea, flammeolum, cum unca fascia, peplum,
Dextreolis, addas armillas, atque monile,
Sic cum cernale, spinter, vel fibula mitra,
Annulus, et gemma, lymber, chirotheca, thiara,
Istis pileolum conjungas, atque galerum,
De tricatura mulieribus est sua cura.
Urceus, urceolus, est urna, vel amphora, testa,
Olla vel hydria, vas vini dic esse lagenam,
Obba, vel onophorum, simul orca, fidelia, vas est,
Ampullas, phialas prædictis associamus.
Fornix, prostibulum, genedea turpido, lupinar.
Sumen, et arvina, sagimen, pinguedo, sagina,
Abdomen, vel adapes, prædictis adde popisma,
Prædictis tegedum conjungas, atque proseuta.
Sarcina, sarcinula, pondus, clitellaque, fasces,
Prima quam fertur sibi posuisse lagenam
Cibum quod notes, fasces dicuntur honores,
Fasciculum, et onus, globus, moles et acervus.
Panes, artocopus, pastilla, liba, placenta,
Jungitur arthocrea, simul arthocaseus illis,
Et quia materia fruitur vice materiati
Additur his simila, pariter similago, siligo.
Pallia, palliola, clamis, cum ciclade, palla,
Ac abilis, manibus, mantellus jungitur illis,
Dant pelles pallis, matrix bene, et cirogallus,

A Id quoque cuniculis dant cisimus, et lærones.
Vestes quæ fuerint de solis pellibus hæc sunt :
Pellicium, reno, quibus endromade socientur.
Parvulus et pusio, puer, infans, atque pusillus,
Inde pusillanimes animi ratione pusilli.
Lethofagus, cyrces, sunt acroceramina syrtes,
Sirenes est cumque ceramina, scilla, caribdis.
Fluminis est vortex, ponti dic esse caribdim.
Pellis, pellicula, cutis, atque cuticula, tergus.
Est cum carne caret cartu, cutis associatur.
Est caro cum coreo tergum, tibi tergora pellis.
Priscus, et antiquus, annosus, et inveteratus,
Decrepitus, vetulus, vetus, emeritusque, senilis,
Longævus fit in his, sic pristinus, atque metreta.
B Segnis, inersque, reses, piger, ignavus quoque de-
[ses,
Torpidus, et tepidus, cessans, torpensque, remis-
[sus,
Igne animi vacuus, ignavus dicitur esse,
Desvescit deses, et iners dormitat in arte,
Igne sine est segnis, resides reor a residendo
Dictos, sed pigros pedibus quos dicimus ægros.
Libra, librans, trutina, pensum, pondusque, statera,
Lanx simul, examen, erit æquilibris in istis.
Appensum, stater est Trutinam dic esse stateram.
Examen apis est, examen lingua bilancis.
Rores, et pluviæ, nimbi dicuntur, et imbres,
Roscida de rore fuerit, sed hybernus ab imbre.
Bajulo, gesto, fero, sustento, sublevo, porto ;
Gestio si cupio, gesto si pondera porto.
C Pergo vel gradior, adeo, vado, vel proficiscor,
Prædictis societur eo, vel itinero, verbis.
Vestigo, scrutor, exploro, quæroque, rimor,
Scitor, vel indagor, præcunctor, sciscitor addo.
Rete, sagena, plaga, cum casse, sagenula, lima,
Reteque, reticulum, de retis retia dictum,
Hinc irretire quod dicitur illaqueare.
Rusticus, agricola, rudis, ruralis, agrestis,
Et, cum ruricola, societur villicus istis.
Custodes ovium nos dicimus opiliones,
Archimandritos constat quos esse vocatos,
Mulio sed custos mulorum dicitur esse,
Ad quos cura boum spectat dic esse bubulcos.
Inter se distant simul orbiculare, rotundum :
D Hastam dic teretem, pomum dic esse rotundum.
Effigiem pomi retinet sic sphæra, vel ovi,
Sphærica de sphæra sic creditur esse vocata.
Regredior, repetoque, remetior, atque revertor.
Repturio, remeo, redeoque, recurro, recurso,
Pessula, sunt obices, seraque, repagula, vectes.
Dic parmas, clypeos, ancile, vel ægida, scutum,
Pelta, rotundatur, clypei pars umbo vocatur.
Est callis, trames, est orbita, semita, limes
Viculus, et vicus, est publica strata, platea,
Est bivium via duplex, est trivium via triplex,
Sospita; quadrivium dic quatuor esse viarum,
A callo callis, sed ab orbe, fit orbita, turmis
A transcendo venit, sed iter dat semita semis.
Sol, titan, phœbus, titulus venit hunc, et ephebus.

Scammum, scabellum, subsellia, sella, scamellum,
Prædictis pluteum, sedemque, sedilia jungas.
Est seges, atque ceres, sunt fruges, et sata, messes:
Cum seritur, seges est; sata, cum radicibus hærent;
Fruges, cum fruitur; sunt messes,quando metuntur;
Deque creando Ceres fertur quia res creat omnes.
Dicitur annona quam postulat annuus usus.
Est mausoleum, pollandum, tumba, sepulchrum,
Sarcophagus, bustum, tumulus, vel piramus una,
Dans monimenta necis conjungitur his monumen-
[tum.
Seminium, seminarium, sementis idem sunt,
Semina jungantur prædictis a sero dicta,
Et sementa res est a sero semina nata.
Discus, et catinus, lanx, et scutella, perapsis.
Sic de lance bilanx, parasitus nomen perapsis.
Est consors, socius, comes, collega, sodalis,
Dat sors consortem, comitem via, mensa sodalem.
Missio collegam, socium labor efficit idem.
Signifer, aut signarius, rem signat eandem,
His primiferus, vexillifer associetur,
Primus pila ferens est primipilus in istis.
Splendet, et irradiat fulget, nitet atque coruscat,
Emicat, atque micat, rutilat, claret, atque relucet.
Plumes, caries, sanies, pus res eadem sunt,
Sordes, spurcitia, fex, et feculentia squalor,
Cum macula, tabes, his sunt contagia, labes,
Dic sordes cupri, scoriam dic esse metalli,
Dat tabi tabo non plus per cætera quæro.
Glabero sit, cujus caput occupat est glaberosus,
Corporis at reliqui scabies, hinc est scabiosus,
Pustula corporibus totaliter hæret, et ulcus.
Est serpens, hydrus, coluber simul hydra, celin-
[drus,
Vipera prædictis nepa conjungatur, et anguis,
Atque dracena, draco, sunt scorpio de speciebus.
Immolo, sacrifico, sacro lito, mactito, macto.
Nomen carnificum de mactando trahit ortum.
A lanio dictos quos dicimus esse lanistas.
Calceus, est solea, pero, vel sotularis, aluta:
Est quia munda luto, nomen sibi sumit aluta.
Est fatuus, stolidus, erroneus, insipiensque,
Inscius,et brutus, simplex, idiotaque, stultus
Indoctus, simul insipidus conjungitur illis,
Inconsultus, et eligius cui verba negantur.

A Incautus, sit in his imprudens, inque peritus.
Templa, monasteria, delubraque fana vocantur,
Basilicam, simul ecclesiam conjungimus illis.
Pila, vel hastile, jaculum, catapulta, sagitta,
Missile, vel telum, nec enim addatur arundo.
Ops, humus,atque solum,rea, terra,vel arida tellus.
Lar, thalamus, camera, simul et penetrale, reces-
[sus,
Addas conclave, vel canapeia, penates,
Reticulum nobis scriptura notat canopeum.
Sunt canopeia, tentoria, papiliones
Quod corium supra portat sic credo vocatum.
Thuris thuribulum, dic incensoria vasa,
Et quod idem signat istis societur acerra.
Vina, merum, bacchus, bromus, vel Liber, yacus.
B Istis lenæus conjungitur, atque Liæus,
Atque tenens mentem temetum venit hinc temu-
[lentus.
Est ydromel, mulsum, nectar, cerevisia, cisra,
Pigmentum, mustum, mellicratumque, falernum
Est sapa quam medici ponunt sub nomine vini,
Est turbo, ventus, et flamen, flatus, et aura.
Ventorum species complectere versibus istis:
Sunt subsolanus, vulturnus, eurus, eous,
Circinus, occasum Zephirusque, fovoneus afflant,
Sed veniunt aquilo, boreas, et chorus ab arcto,
Atque die medio nothus, et africus inflat.
Est indumentum, vestis, vestitus, amictus,
Exuvias, spolia, cum pannis, addite texta.
Quod tegitur tectus, depellit frigora textum,
C Panniculus inopis, velamina jungimus illis.
His vestimentum societur, et operimentum,
Quod vero longatum versu nequit esse locatum.
Unum significant, vinetum, vinea, vitis;
Vinetum proprie loca sunt, ubi vinea crescit.
Pampinus est folium, botrus flos, vinea fructus,
Surculus, aut ramus, et palmes, sive propago.
Uvam multa simul, dic singula grana, racemos,
Vinea sylvestris, sterilis labrusca vocatur.
Alvus, et alveolus, est venter, ventriculusque,
Additur his uterus prægnantibus appropriatus,
Virginis est alvus, et sic ab alendo vocatur.
Ex utero dicti germani sunt uterini.

D

Expliciunt synonyma.

FRAGMENTUM EX LIBRO DE ÆQUIVOCIS.

Augustus, ti, to, Cæsar vel mensis habeto.
Augustus, tus, ui, vult divinatio dici.
Mobile cum fiat augustus, nobile signat.
Augeo dat primum, dat gustus avisque secundum.
Aura, favor, splendor, flatus dicatur, et aer.

Est abacus mensa, metrum capitale columnæ.
Hæc acus est stilus, calamistrum, subula, rome.
Hoc aceris faciet, sed acus dabit hæc genitivo.
Hoc acus est palea, sicut hæc acus, hic acus, or-
[nat, etc.

FRAGMENTUM

EX LIBRO DE MYSTERIIS ECCLESIÆ.

Dedicatio.

Anglia quo fulget, quo gaudent præsule claro
Londoniæ, quo Parisius scrutante sophiam
Florebat studium. Basis aurea, fulgide Fulco,
Firmæ justitiæ : Mysteria suscipe sacræ
Ecclesiæ, studio distincta metroque Joannis.
Tutius ut veniant in apertum judice tanto
Mystica, Parisius licet hæc recitata probentur,
Exposcunt subtile tuum pie pastor acumen,
Qui sacer instituis sacros et sacra ministros.

Mysteria Ecclesiæ.

Est domus ecclesia Domini. Summus faber illam
Ex petris vivis, quadris pariterque rotundis.
A Construit in cœlis, et amoris schemate jungit
Fundamenta locans. Pes et basis est petra Chri-
[stus.
Circumstat paries populus gentilis, hebræus.
Christo fundatis per partes quatuor orbis.
Sancti quadrati lapides sunt, celte (35) politi.
Quadrata stabiles virtute, poloque parati
Artificis summi prædocto pollice. Quorum
Quidam portantur, nec portant: simpliciores
Sunt isti: Portant, portantur: sunt mediocres.
Sunt et portantes, non portati: Tamen hi sunt
Sancti, quos Christus ad cœli sidera portat.

FRAGMENTUM LIBRI DE ORTHOGRAPHIA.

Si quis in ecclesia legis usquam verbula diva,
Ut vites vitia, sis doctus in orthographia.
Inspice si prosum, me ne fac invidiosum
Invidiæ mete. Nec laudem quæro poetæ,
Quamvis sit rarus. Ne sit mihi sensus avarus.
Non sic detenta mihi tradita quinque talenta.
In te spes Christe mea figitur, ut liber iste.
Per te completus sit, te fulsimine fretus,
Cum sit scripturæ fons omnis littera jure,
Principio quod sit de se tractatio possit, etc.

(35) Celtes est quoddam instrumentum aptum ad scindendum lapides. Ita glossa ms. ad h. l.

AB ANNO MLVI

RUFINI

INCERTÆ SEDIS EPISCOPI

DE BONO PACIS

LIBRI DUO

(R. P. Bernardi Pezii *Bibliotheca ascetica*, tom. IX, Ratisbonæ, 1726, in-12, pag. 3.)

MONITUM.

Nihil ascetæ dulcius, nihil magis necessarium pace, qua interiori qua exteriori, utpote sine qua pietatis studium nec feliciter suscipi, nec diu admodum constare potest. De hac agunt duo, quos præ manibus

habes, Rufini episcopi Libelli, quibus pleraque omnia continentur quæ quidem a mediæ ætatis scriptore de bono pacis dici poterant. Stylus nonnullis locis obscurus et involutus est tum vitio codicum, tum sæculi sui, undecimi scilicet a Christo nato, quo floruisse Rufinum certum est ex ejus epistola nuncupatoria ad Petrum abbatem, qui ad Cassinensis monasterii præfecturam anno 1056 assumptus, eamdem Frederico mox anno sequenti cessit, teste Leone Ostiensi lib. II *Chronici Casinensis*, cap. 92 et seqq. Cujus vero sedis episcopus hic Rufinus fuerit, diu multumque, sed frustra, quæsivi, nullo ejus nominis episcopo in Ughelli *Italia Sacra* alibive occurrente, qui quidem Petro abbati Casinensis coævus esse potuerit. Opusculum ex codice Tegernseensi trecentorum annorum exscripsit vir humanissimus A. R. D. P. Bonaventura Perghoffer, asceta Tegernseensis, cujus apographum deinde cum alio quopiam, recenti manu ad finem cujusdam codicis Bambergensis exarato, mecumque ab eruditissimo viro Jo. Friderico Schannato pridem communicato, a quo tamen posterior libellus aberat, contuli.

LIBER PRIMUS

INCIPIT EPISTOLA

Ad venerabilem Cassinensem abbatem in opusculo De bono pacis a magistro Rufino edito.

Sanctissimo Patri, et domino ac benefactori suo permaximo PETRO, Dei gratia venerabili Cassinensi abbati, RUFINUS, tam humilis quam inutilis episcopus et indignus, tranquillitatis optatæ ferias promereri.

Cum ante paucos hos dies propter quamdam occupationem domesticæ necessitati consciam, cœnam altius distulissem, intra nigras tandem noctis tenebras recumbentibus mecum aliquibus fratribus, vestræ beatitudinis epistola supervenit, quæ ipsi quidem mensæ læti luminis splendorem attulit; sed paratis jam pulmentariis acrioris saporis miscuit condimentum. Eminebat enim ibi dignationis vestræ petitio exigens quam ardenter, ut ea quæ De bono pacis ad instantiam venerabilis Sorani episcopi sparsim vulgoque tractaveram, vobis in unius libri corpusculum doctrinalis coarctarem; quatenus a discordantium causarum tumultibus, quibus tam provida quam pia sollicitudine sæpe interesse cogimini, aliquando respirantes, ipsum libellum Pacis haberetis præ oculis, qui de pectoris vestri sacrario omnia priorum rixarum vestigia lectus everreret, et intima vestræ mentis præcordia, velut cujusdam prati viriditas perlectus animaret.

Quæ nimirum præceptio non indifficilem mihi molestiam perplexitatis injecit, timenti ne aut inobedientiæ reus essem, si tanti Patris jussa contemnerem, aut temeritatis nota perurerer, si ad rem omnino meis imparem viribus accessissem; ut videlicet pinguis hujus tarditas ingenii et enormitas labii non dolati celebrioris materiæ volumen cuderet, cælandum capitulis et titulis rubricandum. Sed inter istas dubietatis angustias melius demum visum est ut præsumptionis neglecta calumnia, injunctum mihi opus aggredi non vererer, sciens me crimen ingratitudinis incursurum, si per aliquem modum vobis inobsequens fierem, a quo tam multa, tam grandia, tam opportunissima impetrare jam merui solatia pietatis.

Vestris igitur imperiis primitus subsecundans, A artificialem hanc paginam De bono concordiæ, et operis et temporis succincta brevitate, descripsi, quam mox venerabilitatis vestræ statui manibus offerendam, obsecrans vehementius et per Deum totius bonitatis obtestans, ne compilamentum istud ante vulgetis in publicum quam illud sagaciter perquiratis, ut si aliquid in eo castigabile reperiri forte potuerit, vel vos ipse clementi charitate corrigere, vel mihi remittere dignemini corrigendum.

Explicit epistola.

CAP. I. — *De sacramento hujus nominis* Pax.

De bono pacis integram volentibus habere notitiam, ordinarium est ut primo de rei nomine, postea B de re nominis doctrina proponatur. Nomen ergo hujus boni *Pax* dicitur, quod utique vocabulum æternæ Trinitatis egregium exprimit sacramentum. Hoc enim nomen declinatur quidem, sed in pluralitatem non deflectitur, discretam illam in Deo subimaginans unitatem. In qua scilicet et discretio personarum est, et unius ejusdemque naturæ simplicitas observatur. Sicut igitur hoc nomen in tribus permanet litteris et alia littera est P, alia A, alia X, quæ sunt una dictio non resoluta in pluralem numerum (non enim paces dicimus), sic et deitas in tribus personis consistit, ut sit alia persona Pater, alia Filius, et alia Spiritus sanctus. Qui tres non C plures essentiæ, sed una essentia, unus deus sunt.

P, quia prima littera est, Patrem innuit; A, quæ media Filium, X, quæ in ultimis ponitur, Spiritum sanctum quamproprie repræsentat. Porro duplici ratione P. Patris personam insinuat. Prima ea est, quod hujus nomen, scilicet pater ab ea littera incipit. Secunda, quia cum duæ litteræ sint, quæ labia compressa discopulant, videlicet P et B, dum impressius [*l.* compressius] ad formandum P quam B labia ipsa stringuntur, expressiori sono se ad effusionem ejusdem vocis aperiunt. Sicut ergo in ista littera magis panduntur labia, ut vox ipsa formata proferatur: sic omnia, quæ prius in abditis divinæ dispositionis quasi sonus vocis, corde conceptus, latuerant, formari et velut aperiri per creationis opificium inchoarunt. Cujus creationis auctoritatem

Scriptura Patri potius consuevit ascribere, cum ab ipso facta omnia commemorat. Unde Apostolus ad Corinthios ait : « Unus Deus Pater, ex quo omnia. »

Item A similiter ex duplici causa Filium credatur ostendere. Primum, quia vocalis est, id est per se sonans, et Filius per se visus et cognitus est. Secundo, quia hæc littera ante omnia litterarum elementa prima est; et Filius primogenitus ante omnem creaturam. Sicut autem ante omnem creaturam est, ita et post omnem creaturam. Est enim A et Ω primus et novissimus, unde Primogenitus et Unigenitus appellatur : Primogenitus, ante quem nullus exstitit; Unigenitus, post quem nullus erit.

Ut autem conceptio hujus nominis impleta permaneat, tertia littera, scilicet X, duabus præcedentibus adtaxatur. Quæ personam Spiritus sancti per geminum modum præfigurat, videlicet per naturam vocis et ordinem dispositionis. Per vocis naturam, quia duplex consonans est, in quo merito Spiritum sanctum indicat propter duplicem, quæ in eo intelligitur, consonantiam charitatis : unam, per quam Patrem Filio : alteram, per quam creaturam conjungit Creatori. Est enim, ut doctor Augustinus divinissimus tradidit, est, inquam, Spiritus sanctus amor utrumque conjungens nosque subjungens per ordinem dispositionis, quomodo hæc littera tertia est a fine, hoc est antepenultima. Duæ enim tantum post istam in abecedario sequuntur Y et Z. Harum ergo trium litterarum X prima est, per quod illa mysterii forma concipitur, quod cum tres sint rationabilium spirituum species, videlicet incircumscriptibilis, circumscriptibilis, sed non circumclusibilis, circumscriptibilis pariter et circumclusibilis. De his tribus Spiritus sanctus primus est, scilicet incircumscriptibilis spiritus; circumscriptibilis, sed non circumclusibilis, spiritus angelicus : circumscriptibilis pariter et circumclusibilis, humanus. Y, quod ab uno plantario incipiens, in duos postea ramos deducitur, angelicus spiritus est, bonus utique creatus; qui postea in aversione quorumdam et aliorum conversione divisus apparuit. Z, quod obflexiori charactere scribitur, spiritum notat hominis, quem cum Deus, juxta Ecclesiastem, simplicem rectumque condiderit, ipse postmodum anfractuosis et infinitis tentavit se quæstionibus immiscere.

Cap. II. — *De re nominis.*

De rei nomine brevi consideratione præposita, jam de re nominis tractatus adjungatur, eo videlicet distensior, quo res quælibet omni suo nomine perennior habetur. Pax igitur generalissime demonstrata, rei naturalis est qualiscunque tranquillitas, sive concors, aliquorum inter se numero differentium habitudo. Et primus quidem terminus pacem adliminat singulis omnium; secundus vero eam licet non singulis, multitudini tamen plurium et universitati contribuit singulorum.

Adeo autem magnum dulceque est ipsum bonum A pacis, ut nemo tam perditus tamve efferus sit quin obtinere hoc bonum appetat et gaudeat de obtento. Etsi enim plerique, sicut testis est Paulus, sine affectione, sine fœdere sint, nullum volentes cum aliis vel humanitatis affectum vel commercium adunare concordiæ, qualem Cacum, illum semihominem, et Timonem Atheniensem fuisse referunt, nullus tamen est, qui apud se ipsum habere pacem non diligat, dum concussionem suam, perturbationem et inquietudinem convincitur exhorrere. Quo fit, ut etiam qui bella volunt, pacem cupiant per bella mercari. Nam et illi qui pacem, in qua sunt, perturbari desiderant, non pacem oderunt, sed eam pro suo malunt habere arbitrio commutatam.

Non solum vero creaturæ rationales, sed etiam B rationis expertia et quæcunque naturaliter sunt, pacem appetunt et pacis amant sinibus infoveri. Imo, secundum magnum Dionysium, nihil existentium erit, quod ab omni pacis penitus unitate deciderit. Quod enim omnino inquietum, et multum et illocatum est, neque ὂν est neque in existentibus. Cui sententiæ concinit quod Latinorum instructor nobilis scripsit. Nullo modo naturæ, inquit, essent, si non qualicunque pace subsisterent. Ut autem doctrinæ cupidis scientia tanti boni familiarius influat, rudem hanc et indigestam pacis materiam per membra distinguamus.

Sciendum itaque est, quod pax, juxta divinæ Scripturæ canonem, in species octenas dividitur. Est enim pax Dei ad se, pax Dei ad homines, pax C angelorum ad se, pax angelorum ad homines, pax diaboli ad se, pax diaboli ad homines, pax hominum ad se, pax hominum ad homines.

Cap. III. — *De pace Dei ad se.*

Pax Dei ad se ineffabilis quædam est unitatis communio inter Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quam ex his tribus articulis, scilicet identitate essendi, unanimitate volendi et auctoritate individui operis, conjectamus. Non enim essentia differunt, nec voluntate dissentiunt, nec opere diversantur. Hæc pax, sicut omni tempore prior est, sic et omni sensu superior invenitur, de qua Paulus ad Philippenses ait : « Et pax Dei, quæ exsuperat D omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras. »

Pax hæc pelagus quietis est, abyssus tranquillitatis et fons omnis concordiæ, creaturis divinitus impertitæ. Unde et prænominatus Græcorum philosophus, in prædicto tertio libro, cum ipsam laudibus anagogicis favoraret, archisynagogam pacem nuncupare eam voluit : « Ipsa enim, inquit, est omnium adunatrix et omnium consensus et connaturalitatis genitrix et operatrix. » Proinde et omnia ipsam appetunt, partibilem eorum multitudinem, convertentem in totam unitatem, et civile universitatis bellum adunantem in æquiformem cohabitationem participatione divinæ pacis. Et ideo Psalmista ad hanc respiciens pacem dicit : « Inquire pacem et

sequere eam. » Summa enim hæc pax hic ad meritum quærenda est, ut ibi ad præmium valeat inveniri. Unde alibi : *Quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper.*

Cap. IV. — *De pace Dei ad homines.*

Pax Dei ad homines, vel potius inter Deum et homines, est divinæ præceptionis et humanæ obeditionis in unum concursio, dum videlicet quod Deus præcipit, humana parata est obedientia adimplere. Cujus pacis Apostolus meminit, cum proponit : « Justificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum. » Quam etiam omnibus, quos in epistolis salutavit, optavit dicens : « Gratia et pax nobis a Deo. » Hæc pax in primis est violata parentibus, quando Creatoris sui contemnentes imperium, diaboli confœderari legibus maluerunt.

Oppositus est tunc inter Deum et hominem durissimus inimicitiarum paries, murus scilicet peccatorum, quæ Deum nobis non tantum incontingibilem, sed etiam invisibilem reddiderunt, juxta quod peccatoribus improperat Isaias : « Iniquitates, inquit, vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderant faciem ejus a vobis. » Unde et Job in voce talium conquerens simul et querens dicit ad Dominum : « Cur faciem tuam abscondis et arbitraris me inimicum tuum ? » O quantum malum ! quam intoleranda bellorum discrimina, rupto hujus pacis fœdere, protervus prævaricator incurrit ! Quia etiam sic associatus diabolo bellum indixit Deo *tendens*, secundum testimonium viri sancti Jobi, *adversus Deum manum suam et contra Omnipotentem se roborans*, idcirco Dominus, zelo meritissimæ indignationis commotus, omnem armavit creaturam ad ultionem inimicorum, dum in interitum rebellis servi non solum virtutes angelicas, sed etiam irrationabilia et muta elementa velut quorumdam armatorum militum auxilia convocavit. Inde dicitur :« Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. » « Revelabunt enim, sicut alterius Scripturæ miraculum comminatur, revelabunt cœli iniquitatem ejus et terra adversus eum consurget. » Quod fieri sæpe conspicimus et dolemus, dum præter pestilentiæ morbos, præter terræ motuum ruinas, præter ictus fulminum, allisiones grandium et furias procellarum, quibus nonnunquam in nos ipsa elementa desæviunt, jam ubique fere et terra, quæ parens omnium mortalium dicitur, solitam maternæ pietatis ubertatem subtrahit, et cœlum gratiam refrigerantium denegat pluviarum. Et hoc utique nobis, qui primo prævaricantium in Deum odia refricantes, Creatoris nostri præcepta procurata malignitate despicimus.

Hanc elementorum sævitiam prævaricaturo legem Moyses imprecabatur, cum diceret : « Percutiat te Dominus egestate febris et frigore, ardore et æstu et ære corrupto ac turbine et persequatur, donec

A pereas. Sit cœlum, quod super te est, æneum, et terra, quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem tuæ terræ pulverem, et de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris. »

Enimvero quia divinæ miserationis hoc erat propositum, hominem videlicet, quem manus ejus plasmaverat et fecerat, per has inimicitiarum molestias castigare, non perdere, corrigere non damnare, ideo cum venit tempus beneplaciti Deo, clementissimus Dominus, non requisitus a nobis, ipse a nobis ea quæ pacis sunt requisivit. In qua videlicet pacis requisitione, non externum nuntium, non etiam familiarem sibi archangelum delegare voluit, sed Filium suum unicum in mundum misit, qui interventu suo harum inimicitiarum maceriam solve- B ret, et pacem inter nos et Deum melioribus conditionibus reformaret. Fuit itaque Christus inter Deum et hominem mediator et reconciliator ; mediator in nativitate, reconciliator in morte. Mediator enim recte esse quis non poterit, nisi qui cum utroque dissidentium congermanam habuerit qualitatem. Christus igitur vere, cum natus est, inter nos et Deum factus est mediator, dum talem nostram assumpsit naturam, quæ et per plenitudinem virtutum esset Deo similis, et per humanorum susceptionem defectuum nobis non absimilis videretur.

Reconciliator vero ideo in morte factus creditur, quia tunc demum hostiam reconciliationis obtulit et beatissimi ligni stylo veteris debiti chirographum C interlevit (1), sicut Paulus testatus est ad Romanos : « Cum, inquit, inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. » Et iterum ad Ephesios : « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua : legem mandatorum decretis evacuans, per crucem interficiens in semetipso inimicitias. » Quod et Propheta satis expressit, cum ait : « Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. » Iste paries inimicitiarum est ille murus, quem in Christo Propheta tacite humiliandum innuit, et idcirco facile transeundum : « In Deo, inquit, meo transgrediar murum. « Ut autem hic Deum non aliud quam Dei filium intelligeres nominatum, de ejus continuo incarnationis mysterio D subjicit : « Deus meus, impolluta via ejus, » his verbis intemeratæ Virginis uterum tanto tempore ante prævidens et commendans. Inde est quod nato in carne Domino hujus pacis restauratio hominibus per angelos conclamatur : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. »

Quinimo et ipse idem veniens carne Dominus locutus est hanc pacem in plebem suam et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad ipsum. Quam et postmodum resurgens a mortuis toti mundo in discipulis offerebat, cum diceret : « Pax vobis, Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, » videlicet

(1) *Cod. Tegern.* delevit.

ut sicut ego in mundum missus pacem mundo reddidi, ita et vos a me missi eis, quibus evangelizaveritis, hujus pacis ministri sitis dicentes : « In quamcunque domum intrabitis, pax huic domui,» ut in vobis mundus vere completum intelligat, quod olim per organum propheticum cantabatur :« Quam pulchri super montes pedes evangelizantium bona!» Hujus pacis pactum cum Deo quisque reformare cognoscitur, cum abrenuntiare diabolo et pompis ejus in ipso conversionis suæ primordio pollicetur. De cujus pacti prævaricatione dolenter Propheta dicit : « Vidi non servantes pactum et tabescebam. »

CAP. V. — *Quomodo pax Dei ad homines melioribus sit conditionibus reformata.*

Pulchre vero melioribus conditionibus hanc pacem diximus reformatam Hæc enim pax priore universalior, affinior et æternior est. Fuit siquidem istius pacis in præcedentibus patribus aliquantula reformatio, ut puta in Abel, ad quem Dominus et ad ejus munera legitur respexisse, et in Enoch et Noe, uterque quoniam, sicut scribitur, cum Domino ambulavit. In Abraham quoque, de quo dicitur, quia « credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. » In ipso etiam populo, qui de hujus patris lumbis progignitur, gente videlicet Hebræorum, hujus pacis reviruisse amicitia eatenus videbatur, ut ipse Dominus generationem illam populum sibi peculiarem faceret, eumque filium suum primogenitum appellaret juxta illud Exodi : « Filius meus primogenitus Israel. »

Sed certe particularis, et non universalis hujusmodi pax erat. Non enim hujus pacis pignora omnibus, sed illis tantum vel illis patribus, et uni tantum populo præstabantur, divino per hunc modum eloquio exprimente : « Dic domui Israel, dic domui Juda. » Tunc enim notus tantum in Judæa Deus erat, in Israel tantummodo magnum nomen ejus,et ibi in pace factus est locus ejus et in Sion duntaxat habitatio ejus.

Reconciliatio vero pacis,quam mediatoris Christi dispensatio procuravit,omnibus omnino promittitur et offertur, secundum quod ille loquitur in Propheta: « Creavi fructum labiorum pacem, pacem his qui longe, et pacem his qui prope.» Quam etiam divinæ pacis universitatem et Petrus notavit, cum dixit : « In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, hic acceptus est illi. Verbum misit filiis Israel annuntians pacem per Jesum Christum. Hic est Dominus omnium. »

Affiniori quoque amicitiæ vinculo in hujus reformatione pacis, quæ per Christum facta est, Deo refœderari homines meruerunt. Nam cum prius in quibusdam Patribus tantum amici Dei fuerimus, nunc per mediatorem Christum, qui carnem nostram deitati suæ unire dignatus est, non tantum amici Dei, sed etiam ejus fratres et proximi obti-

A nuimus veraciter appellari. Quod in psalmo et Evangelio eum legimus profitentem : « Sicut proximum et sicut fratrem nostrum ita complacebam. » Et : « Ite, nuntiate fratribus meis, *ut eant in Galilæam.* »

Denique non indigne pacem istam æterniorem priore posuimus. Pactum enim illius pacis, quo prior populus conciliatus Domino videbatur, quod scilicet per patriarchas, per legem, per prophetas cum eis inierat, culpis eorum merentibus, irritum factum est, et pax qua sibi eos paterno favore conjunxerat dissoluta, juxta quod unum ex eis legimus conquerentem : « Irritum factum est pactum, » projecit civitates, non reputavit homines.« Item in Jeremia : « Ne, inquit, consoleris eos, quia abstuli
B pacem meam a populo isto, ait Dominus. Hujus autem pacis fœdus, quod mediante Christo Deus cum Ecclesia statuit, sempiternis manet legibus confirmatum, quemadmodum in Ezechiele spopondit dicens : « David servus meus, hoc est, Christus, erit princeps eorum in perpetuum, et ejus interventu,» subaudias, « percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. »

CAP. VI. — *De quadam alia pace inter Deum et hominem.*

Est et alia quædam pax secretior, inter Deum et hominem divinæ Scripturæ testimoniis innotata, cum videlicet spiritualis vir bona merita divinorum præmiorum subjicit majestati, æstimans passiones
C hujus temporis nullo modo condignas esse ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. De cujus pacis forma, et bello quod hanc pacem prævenit illa parabola Domini texebatur :« Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem ? Nonne sedens prius computat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se ? Alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. »

Rex adversus alium regem bellum parat, cum aliquis se salvandum suis meritis reputat. Sed certe non salvabitur talis rex per multam virtutem suam, « universæ enim justitiæ nostræ in conspectu Dei, secundum Prophetam, sunt quasi pannus menstrua-
D tæ. » Cum decem millibus tunc Deo quis obviat, cum operum merita superbus jactat? Sed Deus quasi cum duplicato numero contra eum venit, quando vix in solo paratum opere, de opere simul discutit et cogitatione. Dum itaque adhuc per dilationem judicii longe eum credimus, legationem sibi precum mittamus, rogantes ea quæ pacis sunt, et dicentes : « Ne intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. »

CAP. VII.— *De pace diaboli ad se.*

Simplicium aurium offensam metuens, pacem diaboli ad se nullam dicerem, nisi eam notatam a Domino invenirem : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. »

Hæc pax diaboli aliud nihil erat quam secura generis (A) humani possessio, quam videlicet pacem diabolo non propriæ virtutis potentia, sed ignaviæ nostræ stoliditas comparavit. Timidus est enim diabolus; qui, si ei resistitur, continuo fugatur, secundum quod Jacobus ait : « Resistite diabolo, et fugiet a vobis. »

Sed antequam rex altissimus Jesus Christus per dispensationem carnis diabolo bellum indiceret, nemo qui sibi resisteret comparebat. Omnes enim in ejus clientelam declinaverant. Non erat qui faceret bonum, non erat usque ad unum. Ideo in quadam pacis securitate sibi ea facta sunt, quæ jure cœperat tyrannico possidere, donec ferocior eo superveniens pacem ipsius rumperet, et tam atrium ejus quam domum funditus spoliaret. Atrium autem domus (B) diaboli vita carnalium est; domus ejus, infernus. Sicut enim in domum intratur per atrium, sic per carnalem vitam pertingitur ad infernum. Ut itaque prosperius domum suam diabolus possideat in atrio se custodem locat, quia idcirco carnalem vitam suggerere nititur, ut abundantius de perditorum numero infernus repleatur. Quam dissimilis pax ista diaboli ab ea, quam primo posuimus, pace Dei! Illa enim summe bona, hæc summe pessima; illa, sicut prædiximus, fons est omnis sanctæ concordiæ, hæc vena omnis discordiæ homini nocituræ.

Cap. VIII. — *De pace diaboli ad homines.*

Deinde diaboli ad homines pax est diabolicæ pravitatis et humanæ voluntatis vitiorum intercessu (C) concordatio. Quam pacem sermo notat propheticus, loquens in vocibus perfidorum : « Percussimus, inquiunt, fœdus cum morte, » hoc est, diabolo « et cum inferno fecimus pactum, et ideo flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos. » Cum enim videris quempiam diaboli satellitio fœderatum, ejus per omnia votis alludere, dilatare videlicet linguam in maledicta et turpia, et indulgere luxuriæ, adolere libidinem, cupiditatem incendere, iracundiam inflammare, noveris talem hominem fœdus pepigisse cum morte, id est diabolo, qui, quoniam hujusmodi in nullo sibi contrarium conspicit quasi pacem cum eo colit, nec tentationibus eum aggrediens nec afflictionibus sternens. Quem (D) si interdum sursum oculos erigere velle subsenserit, ut, quæ æterna sunt, jam appetat, jam delicias odiat, jam honestatem induere, justitiam amare, amplecti continentiam, et luxuriam fugere meditetur, turbata statim istius modi pacis lege totis irarum stimulis recedentem persequitur. Mille adversus eum machinis, mille sævitiæ utitur argumentis, quibus ipsum ab arcta via quæ ad vitam dirigit, ad amplam retrahat quæ ducit ad mortem.

Quod olim in filiis Israel sub Pharaonis jugo laborantibus typice monstrabatur. Ex quo enim per Moysen sollicitatus est Pharao, ut populum dimitteret, duris eos cœpit operum angariis fatigare. Hoc idem in Evangelio expressius signabatur, ubi dicitur de lunatico, quia cum vidisset Dominum, statim spiritus conturbavit eum, et elisus in terram volutabatur, et Domino jubente exclamavit, et discerpens eum exiit, quia sæpe dum converti ad Dominum post peccatum volumus, amplioribus a diabolo cruciatibus impugnamur.

Talis pax diaboli ad hominem requies est et somnus Behemot, qui « sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus. » A quo utique sopore eum excitant et ad pugnam provocant, qui virtutum studiis jam quærere Deum parant. Unde Job de ipsis agens dicit : « Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. »

Cap. IX. — *De pace angelorum ad se.*

Propositæ distinctionis series exigit, ut post illa, quæ de pace Dei vel diaboli dupliciter diximus, de pace angelorum ad se, hoc est, inter se, quod expedit, disseramus. Pax, quæ inter angelos esse creditur, est concors in Dei venerationem, cognitionem, dilectionemque progressio, et gradualis quædam ad inferiora suggressio. De qua pace Scriptura beati viri (*Job.* XXV) non tacuit : « Potestas, inquit, et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus, » hoc est in angelis.

Prima siquidem et maxima discordia inter angelos exstitit quando Lucifer, qui mane oriebatur, divinitatis apicem invadere cogitavit dicens : « Ponam sedem meam ad aquilonem et ero similis Altissimo. » Tunc enim « factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus, et non prævaluerunt, neque locus amplius inventus est eorum in cœlo. » Nam projectus est draco ille magnus, qui vocatur diabolus et Satan, projectus est, inquam, in terram et angeli ejus cum eo missi sunt. Prælium vero istud, quod inter angelos fuit, non putandum est factum materiali ferro, sed intellectuali studio, non commissione armorum, sed contrarietate affectuum, dum, quantum diabolus et ejus complices per typum superbiæ contra Deum erecti sunt, tantum Michael sibique similes per humilitatis devotionem regis æterni subjici imperiis elegerunt. Et ideo istis in cœlo sublimius quam prius fuerant remanentibus, illi exclusi sunt, in terræ hujus ultima corruentes. « Omnis enim qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur. »

Illis igitur, qui causa discordiæ fuerant, sic cœlestium [*cod. Tegern.* cœlestibus] finibus exturbatis, isti, tranquillissimæ deitatis semper vultibus assistentes, æternæ pacis adinvicem gaudiis perfruuntur. Hujus pacis concordia in illis duobus cherubim aureis signabatur, quos Dominus in oraculo ponendos censuit mutuis se vultibus in propitiatorium respecturos. Per cherubim namque omnis conventus angelicæ militiæ velut a parte totum ostenditur. Hi mutuis se vultibus in propitiatorium dicuntur aspicere, cum concordissimis animis in illius supercœlestis hierarchiæ participium creduntur anhelare.

In duobus vero id præfigitur quod omnis concordia amica parilitatis est, quæ ante per numerum binarium explicatur. Hoc idem refigurari putandum est in cherubim alteris, quos Salomon sic in medio templi statuit, ut invicem alis contingentibus jungerentur. In alis, quibus ad alta volatur, virtus supernæ contemplationis innuitur. Alas ergo suas Cherubim, hoc est angeli, jungunt, quia de divinæ essentiæ veritate unum idemque penitus sapiunt.

Quod autem in descriptione hujus pacis gradualem ad inferiora suggressionem posuimus, in hunc evadit sensum : quod videlicet, cum juxta excellentissimum Dionysium tres sint angelicæ hierarchiæ : prima, quæ seraphim, cherubim et thronos ; media, quæ potestates, dominationes et virtutes ; ultima, quæ principatus, archangelos et angelos continet : ita et hæ sunt summæ artis ordinatione dispositæ ut prima hierarchia, tanquam ea quæ sine medio divinis obtutibus hæret, qualiter inferiora hæc administranda sunt, ab ipso fonte lucis principaliter hauriat, a qua postea media, et a media ultima, quæ sint facienda condiscat. Unde et prima hierarchia, purgare, illuminare, perficere ; ultima, purgari, illuminari, perfici dicitur ; media vero, utriusque decorari habitudine prædicatur.

Cap. X. — *Quæstio super hac pace.*

Movebitur autem hic quispiam quomodo æternam inter se pacem habere angelicas virtutes diximus, quas in Daniele certare contra se invicem audimus. « Ego veni, inquit unus angelus, propter sermones tuos ; princeps autem Persarum, » id est, angelus prælatus illi genti, « restitit mihi viginti et uno diebus. Et ecce Michael unus de principibus primus venit in adjutorium meum. » Et paulo post : « Nunc revertar, ut prælier adversus principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. »

Sed sic tradit Pater Gregorius : « Tunc angeli veniunt contra se quando subjectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiritus, eisdem gentibus principantes, nequaquam pro injuste agentibus decertant, sed eorum facta juste judicantes examinant. Cumque unius cujusque gentis vel culpa vel justitia ad concilium supernum ducitur, ejusdem gentis præpositi obtinuisse vel non obtinuisse in certamine perhibentur. Quorum tamen omnium est una victoria, sui super se Opificis voluntas summa, quam dum semper aspiciunt, quæ obtinere non valent, nequaquam volunt. »

Cap. XI. — *De pace angelorum ad homines.*

Pax angelorum ad homines, id est inter angelos et homines, est in divini famulatus obsequium similium officiorum coimaginata concordia et in eadem cœlestis patriæ, velut cujusdam civitatis jura facta conscriptio, sicut Paulus meminit ad Hebræos : « Accessistis, inquit, ad Sion montem magnum et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem et

A multorum millium angelorum frequentiam et Ecclesiam primitivorum, qui scripti sunt in cœlis. » Et rursum alibi : Nostra autem conversatio in cœlis est. »

Sicut autem pacem inter Deum et hominem mediator Christus restituit, sic et ipse inter angelos et homines mediante crucis mysterio pacem fecit, quemadmodum ad Colossenses scribitur : « Quia in ipso, » hoc est, in Christo, « complacuit omnem plenitudinem habitare et per eum reconciliare omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis, quæ in terris et quæ in cœlis sunt. » Inde est quod in Testamento Veteri angelos ab hominibus adoratos legerimus, post Dominicæ Incarnationis mysterium hominem se adorare volentem angelus prohibebat :
B « Vide, ait, ne feceris ; conservus enim tuus sum et fratrum tuorum. »

Merito autem hanc pacem similium officiorum « coimaginatam concordiam » diximus. Sicut enim angelorum ita sunt discreta officia, ut præfatum est, quod alii superiores, alii inferiores, alii constituti sunt medii, omnes tamen juxta ordinis sui dignitatem, concordibus regi suo stipendiis militant, sic et inter nos, cum alii prælati sint, alii subditi, alii prælationis simul et subjectionis professionibus censeantur, omnes secundum sui gradus ordinem unitis animis et studiis summo Domino famulantur. Quæ utique præessendi et subessendi distantia, tam in hominibus quam in angelis, tunc evacuabitur, cum
C finis mundi erit, cum Christus regnum Deo et Patri tradiderit. Tunc enim, juxta Apostolum, evacuabit omnem principatum et potestatem et virtutem. Tunc pax hæc inter nos et angelos ad plenum consummabitur, cum scilicet nihil in nostra natura esse poterit quod a natura discohæreat angelorum. Ubi etiam corpus, quod nunc animale est, spirituale creditur surrecturum, ubi nulla unquam erit generatorum corruptio, nulla generatio corruptorum. « Non enim nubent ibi neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. »

Cap. XII. — *Descriptio triformis pacis hominis in se.*

Ecce de pace, quæ est in superioribus, tractavimus ; deinceps ad eam quæ habetur in inferioribus, id est pacem quæ est hominis ad se et hominis ad
D hominem, sermonis intentio convertatur.

Pax igitur homines ad se ipsum trigemina varietate distinguitur. Una enim malorum est, alia bonorum, tertia beatorum. Pax malorum est carnis et mundi male blandiens eis prosperitas. Pax bonorum, est bonæ conscientiæ læta securitas. Pax beatorum, est rationis et sensualitatis in delectatione supernorum perfecta consensio.

Cap. XIII. — *De pace malorum ad seipsos.*

De pace malorum quærere poteris ab Asaph : « Zelavi, inquit, in peccatoribus, pacem peccatorum videns, quia non est declinatio morti eorum, nec firmamentum in plaga eorum. In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. »

Quam pacem Dominus in Judæis improbabat et A exprobrabat, cum diceret: « Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. » Hanc et Job sub forma conquestionis describit dicens: « Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit et non abortivit; vacca peperit, et non est privata fetu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes illorum exsultant lusibus; tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonum organi. Ducunt in bonis dies suos, qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. »

Non absimilibus verbis et David ait de filiis alie- B nis: « Quorum, inquit, filii sicut novellæ plantationes stabiliti a juventute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fetosæ, abundantes in itineribus suis, boves eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, » tantaque quietis securitate donantur, quod « non est transitus neque clamor » ullus turbidus « in plateis eorum. »

Quam perniciosa est hæc pax, in qua carnis voluptas mundique felicitas blandis quidem, sed dolosis legibus homini fœderantur, quam, inquam, perniciosa et quanto adumbrata præstigio! Non est enim vera hujusmodi pax, quæ videtur, aspectus nostros eludens, et in sua semper nece grandescens. Nam cum peccatores cernuntur incolumes, cum videntur C prædivites, cum multis suspiciuntur populis dominari, nec in mundo usquam apparet, quem timeant, putantur habere pacem. Sed pax ista cum conscientia semper litigat, contendit intrinsecus, et cum hostem non habet, secum ipsa decertat. Sunt enim impii, sicut sermo tractat propheticus, quasi « mare fervens, quod quiescere non potest. » — « Non est pax impiis, » dicit Dominus. Pax hujusmodi non tantum possessoribus suis laqueus captionis est, sed etiam aliis perditionis occasio, informis videlicet in fide Christianis, qui cum vident bonos adversis deteri, malos autem prosperis favorari, Deum vel de judicii iniquitate insimulant, vel humana hæc non curare blasphemant, de quibus loquuntur Proverbia: D « Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet eos. » Homini autem hanc pacem habenti nimis est amara mortis memoria juxta quod Sapiens ad ipsam mortem legitur exclamare: « O mors, inquit, o mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! » Sicut econtra qui hanc pacem, id est carnis prosperitatem odit, adventum mortis diligit De quibus vir justus dicit agens de his qui spontaneam animæ amaritudinem patiuntur: « Qui exspectant, inquit, mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum. »

Oscula vero hujus pacis sunt oscula meretricis, cujus labia favus distillans et nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara sicut absinthium, et acuta quasi gladius biceps. Ut non immerito huic paci illud Ezechiæ valeat applicari: « Ecce, ait, ecce in pace amaritudo mea amarissima. » Pacis etenim hujusmodi possessores, quia vitæ suæ non credunt, et si pax forte sit in circuitu, ipsi tamen intra se timidis semper sibique contrariis suspicionibus conrixantur, sicut scriptum est: « Sonitus terroris semper in auribus ejus. » Et cum pax sit, semper ille insidias suspiciatur. Nam sicut liber Sapientiæ protestatur, « timida est semper nequitia. » Et iterum alia Scriptura dicit, quia « fugit impius nemine persequente. » Rursum de his ait Dominus in Levitico: « Dabo pavorem in cordibus eorum et terrebit eos sonitus folii volitantis. » Quod si forte ex his aliqui tam liberis inveniantur prosperitatibus feriari, ut universa de corde timoris exstirpata sollicitudine, et in totum interiori oculo decæcato, omnia libita licita reputent, nec hujus pacis gaudiis se unquam æstiment vacuandos, cum repente huic phantasticæ ac momentaneæ paci disturbatio vera æternaque successerit, eo infelicius quo improvidentius pax ista suos deseret amatores. « Cum enim secundum Apostolum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus sicut dolor in utero habentis, et non effugiet. »

CAP. XIV.— *De discordia, quam reprobi in natura sua apud inferos patientur.*

Hic interitus præsentis lucis privatio est animæque perditio, quam animæ simul et corporis damnatio subsequetur, ubi illi, qui beati hic vanæ pacis successibus videbantur, jam vere miseri pacem quærent et non invenient eam apud se, hoc est, in natura propria certaminis passuri molestiam, qua gravior et amarior nequeat cogitari. Irremediabilis enim ibi rixa pœnæ et carnis, interminabilis pugna doloris et corporis, ubi passio sic naturæ, sic natura adversa est passioni, ut nullius, eorum victoria talis colluctatio sopiatur, ubi cum ipsa natura corporis vis doloris sic certat, sic litigat ut alterum alteri nunquam cedat. Hic enim quando hujusmodi conflictus est, aut dolore vincente sensum adimit mors, aut natura superante dolorem ægritudinis restitutio eliminat [*cod. Bamb.*, delimitat] sanitatis. Ibi autem et dolor permanet, ut affligat; et natura perdurat, ut sentiat, quia utrumque ideo non consumitur, ne pœna finiatur, juxta quod scriptum est quoniam « laborabit in æternum et vivet in finem. »

Hujus tam divinæ quam invisæ dissensionis malum notare Dominus forsitan voluit apud Isaiam (2): « Et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, et civitas adversus civitatem, et disrumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus. » Ad cujus rei mysterium et illud proficit quod Joannes

(2) Sequentia omnia usque ad ea verba, *de crudeli servo dixit*, etc., desunt in cod. Bam.

in apertione secundi sigilli vidit, quia illi qui sedebat super equum rufum, scilicet Christo, qui humana carne vestiri voluit, illi, inquam, datum est, ut sumeret pacem de terra et invicem se interficiant homines, et datus est ei gladius magnus. Hanc Ægyptiorum pacem, quam ipse Dominus ante diremerat per apostolos, postea divortio non minore disjecit; « misit sagittas suas et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, conturbavit eos, » sicut in uno eorum, videlicet Paulo, licebit advertere, qui hujus iniquæ pacis concordiam, sicut in gestis apotolorum legimus, sapientissimo calliditatis argumento dissolvit. Sciens enim quod persequentium se una pars Sadducæorum existeret altera Pharisæorum, exclamavit in concilio: « Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæoum De spe et resurrectione ego judicor. Et cum hoc dixisset, facta est dissensio inter illos, et soluta est multitudo. Sadducæi enim non dicunt esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum. Pharisæi autem utrumque fatentur. » Ecce qualiter ad hujusmodi vocem Pauli contra invicem reproborum turba disjungitur, consilium dissipatur; dumque in duas partes tumultuantium multitudo dispellitur, Paulo evadendi facultas aperitur. Eripiuntur enim justi, dum dividuntur injusti. Propter quod et in mari Rubro, dum in duas partes unda dividitur, electorum populo ad terram promissionis iter explicatur.

Inde est quod ille, qui elongavit fugiens, tunc demum se salvum fieri a tempestate sperat, si male confluam unitatem Deus dividat: « Exspectabam, inquit, eum, qui me salvum faceret a pusillo animo et tempestate. » Quod ut fiat, « præcipita, Domine, eos et linguas eorum divide, » sicut gigantum, quos [ut] prædiximus, labia divisisti. Et de crudeli servo dixit quia videlicet « veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit et dividet eum. » Tunc enim nequam servus apud se videlicet dividitur, cum per diversa contrariaque discerpitur, cum in infernis et moriendo semper vivere et vivendo semper mori miserrimus courgetur, fitque hoc ei intolerabilius de morte, quod ipsa mors semper est sine morte.

Cap. XV. — *De pace conscientiæ, quam hic boni possident.*

De pace quam mali habent apud se, documento præposito jam de pace bonorum, id est quam quilibet justus habere intra se creditur, dissertatio subjungatur. Huic paci, sicut præmisimus, lætæ conscientiæ securitas titulum laudemque dispensat. Læta autem tunc vere est conscientia, cum ei, quem defendit acerrime, blanditur etiam de virtute Non enim læta conscientiæ securitas est, vituperabilia fugere, ni et ad laudabilia studium accendatur. Nam ut dicitur, abstinere a malo vitat pœnam, bonum facere meretur palmam Quod conscientiæ blandimentum expertus fuerat, qui dicebat: « Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ »

De hac pace conscientiæ loquens Psalmigraphus ait: « Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, et non est illis scandalum. » Ubi per scandalum conscientiæ offendiculum debere intelligi nullus divinorum peritus voluminum ignorabit. Tunc autem multa est pax legem Dei diligentibus, cum non solum pro innocentiæ bono securi sunt a supplicio, sed etiam pro virtutis merito læti præmium præstolantur. Quam pacem Paulus Colossensibus optabat, cum diceret: « Et pax Christi, » id est, quam Christus habuit et dedit habere, « exsultet in cordibus vestris. » Hanc pacem mali non habent, quos nec bona conscientia sibi conciliat, nec mentis tranquillitas serenat. Pro cujus absentia pacis peccator simul et pœnitens ingemiscit: « Non est, inquit pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. » Ubi per ossa naturales animæ virtutes, quæ fortes contra peccata esse debuerant, innuuntur.

Sed quam magna multitudo supernæ dulcedinis, quam prompta viscera divinæ pietatis! Tantum enim pacis beneficium, quod per multas diaboli insidias peccator perdiderat, per unam cordis compunctiunculam [*cod. Teg.*, per unum cordis compuncti suspirium], per unam oculorum lacrymulam reconquirit. Ad quod demonstrandum illud de Evangelio nobis sufficiat pro exemplo. Quid enim ibi peccatrici feminæ de hac pace dictum est? quomodo legis? qualiter sibi pœnitenti a Domino responsum audis? « Fides, ait, fides tua te salvam fecit, vade in pace. » Pax ista a pace illa malorum, o quantum disjungitur? quam contraria differentia ab illius pacis natura separatur? Illa enim pax tumultuosa est, hæc quieta; illa vanida, hæc sincera; illa tristior, hæc jucundior; illa trepida, hæc secura; denique illa æternum parit supplicium, hæc perpetuæ salutis gloriam nobis promeretur.

Pulchre pacem istam sinceram, quietam, securam jucundamque prædixerim. Nihil enim pax ista, nihil vanitatis, nihil habet dolositatis admistum. Tenax est enim sinceritas et veritatis semper conscientia, et cum fallatur aliquando, fallere tamen ipsa non novit. Inde est quod ille qui veritas est, cum judex omnium residebit, solius conscientiæ, quæ mentiri non poterit, testimonium acceptabit, sicut dicit Apostolus: « Testimonium reddente illis conscientia ipsorum. » Quieta est hæc pax, nullis attonita rumoribus, nullis agitata tumultibus, nullis afflictionibus conturbata, quia ut si tribulatio carnis circumsecus obstrepat, si mundi rabies forinsecus sæviat, hujus tamen possessor pacis animus, beatæ quietis semper otiis potietur. Quod Habacuc breviter adnotavit dicens: « Requiescam in die tribulationis meæ. » Et Dominus ad discipulos: « Hæc, inquit, locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis », cum in mundo pressuram habebitis. Idem quoque et Michæas pulchro quodam schemate prædixit: « Et erit, inquit, ipse, » scilicet Dominus, « nobis pax, Assyrius cum venerit in terram nostram et calcaverit in domibus nostris. » Assyrius, qui Latine dicitur *arguens*, diaboli præformat imaginem. Arguere enim accu-

sare est. Et quis magis accusatoris est dignus cognomine quam ille in quem vox triumphantium depromitur angelorum. « Quia projectus est, inquiunt, accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. In terra nostra et domibus, » in quibus calcat Assyrius, carnis nostræ domicilia figurantur. Tunc ergo nobis est pax, cum Assyrius in terram nostram venerit et calcaverit in domibus nostris, quia diabolus etsi corpus sancti viri affligit vel perimit, æternæ tamen pacis requiem nunquam tollit. Unde illud de Proverbiis sapientis : « Non contristabitur, inquit justus, quidquid ei acciderit. » Ideo autem pax hæc, Dominus dicitur, quia non nisi per ejus gratiam pax istius modi obtinetur.

Secura deinde est hæc pax, in qua velut in arce quadam mens posita adversæ dominationis terrores despicit, minas despuit, contemnit ferociam, et omnem omnino contrariæ fortitudinis velut stipulam computat sævitatem. De qua securitate illud Salomonis intelligitur : « Justus quasi leo confidens absque terrore erit. » Hujus pacis securitate fretus erat, qui dicere poterat : « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, et si insurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. » Ad quam pacis securitatem et Petrus respiciebat, cum diceret : « Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ? » Est enim mens justi velut sublimior pars mundi, quæ cœlo confinior in nubem non cogitur, in tempestatem non agitur, non versatur in turbinem, non mugiunt ibi tonitrua, non sæviunt fulmina, flamina non jurgantur. Sic et beatus animus, cujus conversatio in cœlis est. Tanto enim jam virtutis culmine subvectus eminet, ut nullis unquam minarum fragoribus, nullis terrorum nimbis [*cod.*, *Teg.* imbribus], nullis bellorum diluviis ejus possit firmitas concuti, serenitas obnubi, tranquillitas perturbari.

Denique jucunda hæc pax est, quæ videlicet quo magis ad prospera contrahitur et ad adversa profusius dilatatur, gaudens in damnis, exsultans in periculis, subsannans supplicia, deridens mortem. Unde resonat vox illa gratifica : « In tribulatione dilatasti me. » Hanc pacis jucunditatem et securitatem pariter exprimit homo bonus dicens : « Non timebis calamitatem, cum venerit; in fame et vastitate ridebis et bestias terræ non formidabis, et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. » O pacem admirabilem, quam et qui non habet, sunt miseri, et qui habent, filii Dei merentur nuncupari. « Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur ! »

CAP. XVI. — *De pace beatorum ad se ipsos tunc habenda.*

Vocabuntur autem tunc Dei filii, quando illa tertia pax, scilicet rationis et sensualitatis, beata consensio prolucebit. Ista pax, quemadmodum præmonstratum est, non omnibus bonis, sed beatis tantummodo, id est, jam de mundo egressis, ascribitur, quam vir justus in monte demum se consecu-

A turum sperabat, cum diceret : « In pace in idipsum dormiam, et requiescam. » Et Simeon cum benedicens Deum caneret : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. »

Hæc enim apud sanctorum animos est perfectæ pacis concordia, si omnia, quæ in homine sunt, scilicet spiritus, sensus et animus, id ipsum semper sentiant, hoc est in appetitu superni boni indifferenti conveniant voluntate. Quæ utique pacis summa quæri hic potest, sed inveniri nequaquam potest. Concupiscit enim hic caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quæcunque nos volumus, illa faciamus. Quippe et ipse etiam magnus Paulus, qui raptus in tertium cœlum istiusmodi pacis primitias delibaverat, adhuc in carne
B vivens, aliquantula apud se luctamina sustinebat, sentiens aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, ut non quod vellet, hoc ageret, sed quod nollet, invitus perpetraret.

Quod pulchre Joannes in Apocalypsi notare voluit, dum scripsit quia « factum est silentium in cœlo quasi media hora. » Si cœlum sedes Dei est juxta illud : « Cœlum mihi sedes est, anima autem justi » secundum Scripturam « sedes est sapientiæ, » id est Dei, quid erit consequentius quam ut in cœlo justi animam intelligi reputemus? « Silentium igitur quasi dimidia hora » in cœlo auditur, quia in anima viri sancti « dimidia, » hoc est, non perfecta esse hic requies creditur. Pax ergo ista, in qua nulla est inter carnem et spiritum repugnantia, in futuro
C nobis promittitur condonanda, dicente Domino : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. » Do autem pro *dabo* dictum oportet cognosci, secundum quam formam dicendi et supra, cum de ovibus loqueretur, subnexuit : « Et ego vitam æternam do eis. » Christus itaque aliam pacem electis suis relinquit in hoc sæculo, et aliam dabit procul dubio in futuro. Relinquit illam mediam, quæ bonorum est, dabit hanc tertiam, quam esse diximus beatorum.

Mirifice vero non illam, quam hic relinquit, sed hanc perfectissimam, quam tunc dabit, nominare suam voluit : « Pacem, inquit, meam do vobis. » Nunc enim Dei pacem, id est, qualem Deus habet,
D habere non possumus, qui, sicut præmissum est, rixam quamdam intrinsecus sustinemus. Tunc autem suam pacem nobis dabit Dominus, cum in simillimam divinæ paci concordiam corpus, spiritus et anima conspirabunt, videlicet ut quemadmodum in deitate tanta pax est, sicut in initiis prælibavimus, quod in tribus una substantia, una voluntas, et una penitus operis adoratur auctoritas, ita et hæc tria tanta sibi tunc credantur pacis amicitia conjugari, ut præter hoc, quod unius quodammodo naturæ intelligentur [*c. T.*, quodammodo nomine int.] fieri, ipso utique corpore in naturam spiritus, sicut sanctus Paulus asserit, transituro, idem omnino tunc sapiant et circa idem semper opus, supernæ scilicet laudis sacrificium occupentur.

Postulabat siquidem istud figmentum breve, ut ea, quæ tractanda supersunt [*cod., Bamb.*, supersident] conjuncto deberemus atramento subscribere. A Sed melius lectoris memoriæ consuletur si a præcedentibus subsequentia biformis libri discreverint intervalla,

Explicit liber prior De bono pacis.

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. — *De triplici specie pacis hominum ad homines.*

Super ea pace, quæ est hominis ad se quibusdam reseratis mysteriis, jam pacem illam, quæ hominis est ad hominem, liber hic posterior elaborat. Pax igitur, quæ hominis ad hominem est, et quæ inter homines habetur et colitur, et ipsa quoque in tres species propagatur. Una est pax Ægypti, alia Babyloniæ, tertia Jerusalem. Pax Ægypti est malorum in unam pravitatem conspiratio. Pax Babyloniæ est tam malorum quam bonorum ab externo vel civili bello privatave rixa tuta conversatio. Pax Jerusalem Christianæ societatis fraternitas æstimatur.

Pax Ægypti communionem criminum, pax Babyloniæ communionem rerum, pax Jerusalem communionem virtutum omnium exigit facultatem. Pacem Ægypti diabolus, pacem Babyloniæ mundus, pacem Jerusalem conciliat Christus. Pacem Ægypti facit superbia, fovet impunitas, firmat pertinacia. Pacem Babyloniæ facit justitia, alit humanitas, firmat prudentia. Pacem Jerusalem facit charitas, nutrit pietas, firmat humilitas.

Cap. II. — *De pace Ægypti, qualiter diabolus ejus pacis conciliator sit.*

Illam autem pacem Ægypti credito, quam Dominus in Evangelio prodebat, cum diceret : « Nolite arbitrari quod venerim mittere pacem in terra ; non veni mittere pacem, sed gladium (gladium videlicet spiritus, quo hujus sacrilegæ pacis communio scindatur) ; veni enim gladio separare filiam adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus. »

Merito autem diabolum pacis Ægypti conciliatorem notavimus. Ipse enim primæ seditionis initæ princeps fuit et auctor. Ipse primum hominem sibi in eamdem impietatis conspirantiam fœderavit. Ipse a primis usque ad ultima sæcula, quoscunque valet, suis nititur numeris aggregare. Etenim scriptum est : « Post se omnem hominem trahit, et ante se innumerabiles. »

Cap. III. — *Quod pacem istam maxime superbia ædificet.*

Hanc nefastam pacem, licet diversis ex causis diversa mala facere consueverunt, principaliter tamen eam superbiam efficere, gigantum tibi monstrat excessus, qui profecti ab Oriente invenerunt campum in terra Sennaar, habitaveruntque in eo, et dixerunt : « Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat usque ad cœlum, et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras. » Civitatem hanc vere conventum malorum putabis, si locum, ubi ædificatur, advertas. Non enim in montis arduo fundatur hæc civitas sicut civitas Dei, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis, sed in campo gramineo, hoc est latitudine et virore corporeæ voluptatis. Gigantea autem proceritas quid aliud quam tumentis superbiæ nuntiat celsitatem? De quo et Psalmographus meminit : « Vidi impium superexaltatum sicut cedros B Libani. »

Gigantes ergo ab Oriente moti in unum campum conveniunt, dum mali ab eo, qui « Oriens ab alto » est, per typum [*al.* typhum] superbiæ discedentes, in unum carnalis vitæ sodalitium combinantur. Quanquam ipsa superbia, quæ hujus pacis concordiam innodat, eam postea violet et disjungat, utpote quæ singularitatis privilegium appetens, esse communia, quæ diligit, aspernatur. Unde Salomonis attestatur Proverbium, quia inter superbos jurgia sunt, dum videlicet singuli præ cæteris id sibi conantur ascribere quod nequaquam in singulis emineret.

Nec mirum, si superbia velut sibi contraria, quod fecit, moliatur evertere, cum auctor ejus Satanas C in seipsum divisus sit et ob hoc regnum ejus nequeat permanere. Interim plerumque hoc malum eminentiæ producitur, ut is, quem arrogantior forte tumor inflavit, quo elatius ejus efferatur gloria, eos, quos superare tentaverit, non pacificos, non dedititios dignetur accipere, sed rebelles potius ambiat expugnare, sicut quemdam virum superbissimum et Romanæ reipublicæ insignissimum perduellem jactante ore dixisse lectionis scholasticæ rudimenta tradiderunt : « Hostes mihi deesse nocet, damnumque putamus armorum, nisi qui vinci potuerunt, rebellant. »

Cap. IV. — *Quomodo impunitas hanc pacem foveat.*

Quomodo autem impunitas hujusmodi reproborum pacem foveat, non nescis, si ad quid tales homines socientur, attenderis. Ad hoc enim in unum corpus D coeunt, ut malitiam, quam singuli perficere sic facile, sic impune non poterant, junctis in unum viribus liberius valeant et informidabilius exercere. Unde et in Parabolis vox illa eorum est, alium ad

hujus pravæ societatis fœdus invitantium : « Veni, inquiunt, veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, deglutiamus eum, sicut infernus, viventem, omnem pretiosam substantiam rapiemus, implebimus domus nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum. »

Hæc communicata scelera ideo ab eis committuntur audacius, quia non est interim, quo judice puniantur. « Quia enim, ut ait Ecclesiastes, non profertur cito contra malos sententia, ideo absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. »

Cap. V. — *Quomodo hæc pax per contumaciam firmetur.*

Denique si vis scire qualiter hanc pessimam pacem firmet contumacia, Dominum ipsum de diaboli corpore audias proponentem : « Corpus illius quasi scuta fusilia. » In scutis istis fusilibus quid aliud nisi reprobarum mentium duritia designatur? De qua et lamentatio Jeremiæ non tacuit Judæorum pertinaciam in passione Domini memorans et condemnans : « Dabis eis scutum cordis laborem tuum. » Scuta autem fusilia in excipiendis sagittarum ictibus robusta sunt, sed casu fragilia ; ictui quidem ferientium minime cedunt, sed suo se lapsu per fragmenta comminuunt. Corpus ergo diaboli collectio est pravi concilii, dum malos per obstinationem duros sagitta divini verbi non trajicit, quos tamen vitæ fragilitas quotidie frangit.

Hanc pravæ unitatis concordiam Dominus in Job notavit, cum de Leviathan per figuram proposuit : « Membra carnium ejus cohærentia » sibi Carnes siquidem Leviathan omnes reprobos intelligimus, quos ad soliditatem spiritualis vitæ assurgere per desiderium non videmus. Membra carnium sunt, qui eisdem perverse agentibus, et se ad iniquitatem præcedentibus conjunguntur, sicut etiam per Apostolum de Dominico corpore dicitur : « Vos estis corpus Christi, et membra de membro. » Ad hanc exsecrabilem pacem illa pertinet amicitia quam in passione etiam Herodes cum Pilato legitur inivisse. Nam et facti sunt amici in illa die, cum antea inimici erant ad invicem. »

Cap. VI. — *Qualis hujus pacis sit fructus et exitus.*

Hanc eamdem sacrilegæ pacis unionem stupæ collectitiæ liber Ecclesiasticus configurat : « Stupa, inquit, collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. » Ecce, in quem finem porrigitur, et quem meretur fructum concordia reproborum ! Flammam videlicet ignis inextinguibilis, et tam immensi quam importabilis incendii ustionem. Non enim stupæ consummatio hic ad peccantium ardorem componitur pro tenuitate et evanescentia incendii, sed pro velocitate ac integritate supplicii, quemadmodum stupa ad integrum simul et velociter concrematur, juxta quem modum sermo alibi dicit propheticus : « Væ Ariel ! (Ariel civitas est quam expugnavit David.) Erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te. » Ubi subaudit Romanorum exercitum, non propter exiguitatem, sed numerositatem [*cod.* numerositati] pulveri comparatum.

Sicut autem quælibet combustibilis materia majus profundit incendium, si tota simul quam si diversis partibus exuratur : sic et malorum collectam multitudinem eo gravior districtio uret in supplicio, quo major eam numerus nexuerat in peccato. Inde est divina illa Præceptoris sententia : « Colligite zizania et ligate ea in fasciculos ad comburendum. »

Cap. VII. — *Quod adversus hanc pacem nos semper esse oporteat impacatos.*

Ecce pacem Ægypti vides expositam, quam te persequi oporteat, non amplecti. Tunc enim solum Deo eris pacificus cum adversus hanc pacem persistiteris impacatus. Hæc est enim pax illa, secundum modum theoricum, quam Sichemitæ cum Jacob et filius ejus contrahere cupiebant : « Negotientur, inquiunt, in terra et exerceant eam quia spatiosa et lata cultoribus indiget. Filias eorum accipiemus uxores, et nostras illi dabimus. » Sed quo zelo hujus pacis fœdera spreta sint, divinæ lectionis scientiam non evadit.

Ab hujus pacis concordia et illa non abhorrebat affinitas, quam Josaphat, rex Juda, cum impio rege Achab copulasse describitur. « Fuit, inquit, Josaphat dives et inclytus multum, et affinitate conjunctus est Achab, descenditque ad eum post annos in Samariam. » Pro qua re eum Dominus increpat per videntem : « Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris? » Non enim cum odientibus Deum ullius amicitiæ habenda est concordia, magis autem opponendum odium, quemadmodum faciebat David dicens : « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam ? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi. »

Hanc itaque perniciosam pacem gladio verbi et ardore divini zeli, ubicunque invenies et poteris, pro tui gradus officio disjice et adure exemplo magistri tui et Domini, qui, sicut præmisimus, gladium venit in terram mittere, quo hujus pacis ligamina discoirent ; quod eum quoque facturum longo ante tempore testis fidelissimus asseruit Isaias : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus, et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios. »

Cap. VIII. — *De pace Babyloniæ, et qualiter eam faciat justitia.*

Pacem Ægypti, ut ab animis, sic a verbis amodo secludentes, ad considerationem pacis Babyloniæ veniamus. Hujus pacis testimonium expressum est in Jeremia, quo filios transmigrationis admonuit pro pace Babyloniæ deprecari : « Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax

vobis. » Cujus pacis et Paulus meminit ad Hebræos : A « Pacem sequimini cum omnibus. »

Denique exigenti, qualiter hanc pacem justitia faciat, cum eam, sicut prælibatum est, mundus conciliet, justitia vero virtutibus applicet, satis dabitur in hunc modum ; quod videlicet justitiam hic non tam divinam aut politicam quam naturalem oportet intelligi, quæ alio nomine æquitas nominatur. Hæc omnes homines ex uno parente natos cernens, eis velut germanis omnium rerum usum communem statuit, communem quamdam domum omnibus his decernens mundi hujus speciosissimam mansionem, de qua propheta loquitur : « O Israel quam magna est domus Domini et ingens locus possessionis ejus ! » Magna nimis, sine dubio, est domus ista, quæ divites simul et pauperes, nobiles cum ignobi- B libus, senes cum junioribus sinu capacissimo colligit et concludit.

Quam decorum habet hæc domus fundamentum, terræ utique superficiem, candidis, purpureis, aureis, puniceis, et aliorum mille colorum floribus loricatam ! Quam pulcherrimum habet tectum, cœli scilicet faciem, stellarum choris velut gemmatis laqueariis obfulgentem ! In hac domo quanta ex arbustis et fontibus cibi potusque habentur promptuaria ! quantæ ex ipsis et floribus et herbis odoraminum myrrhothecæ ! In hac domo per noctem splendor lunæ pro lucerna est, et per diem calor solis pro hypocaumate, illo videlicet æstuario, quod hiberno tempore anhelantibus consuescit ignibus vaporari. In hac domo pro lectulis tori sternuntur graminum, C et pro vernacularum obsequiis spontaneum elementa offerunt famulatum.

Sic autem domus ista communis est omnibus, sicut ingressus et egressus ab ipsa indifferens omnibus exhibetur, quemadmodum Sapiens monstravit dicens : « Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, ex genere terreno illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro ; decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus est ad vitam et similis D exitus. » Nudi enim omnes nascimur, nudi morimur ; nulla inter cadavera divitum pauperumque discretio, nisi quod forte dirius fetent eorum corpora quam istorum.

Quod vero istiusmodi naturalis justitia omnibus omnia fecerit communia, ex illo verbo desumendum est, quo dicitur, communicantis bona sua cum cæteris in sæculum sæculi permanere : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. » Item ex quodam Proverbio : « Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam. » Cum itaque hæc justitia naturalis mundum ipsum et omnia, quæ in ea sunt, censuerit esse communia, avaritia postmodum possessionum jura in singulos dispensavit. Inde postea rerum cupiditates, bonorum libidines, contentiones et jurgia, bellorumque certamina prodierunt, quæ utique malorum lues expiari nunquam poterit, nisi aliquando in humanis pectoribus hac rescintillante justitia ad quamdam, etsi non integram, veteris communitatis gratiam redeatur ut puta, [ut, qui] inimici erant ad invicem, qui rebelles, qui hostes, qui nihil unquam de terrenis concorditer possederunt jam subpullulante in eis naturalis justitiæ æquitate misceant animos, amicitias et affinitates jungant, quamvis alloquiis et moribus non incipiant communibus potiri.

Huic tanto bono, quod naturalis justitia operatur, nil aliud dignius quam nomen pacis aptabimus, dummodo hic non pacem Jerusalem, quod, sicut tractandum restat, majoribus exsultat meritis, sed pacem, de qua cœpimus agere, pacem scilicet Babyloniæ reputemus memoratam. Quanquam dici valeat, divinam quodammodo justitiam pacem Babylonicam operari, si advertas, omnes homines ejusdem generis esse non tantum per carnis legem, sed etiam per Dei similitudinem. « Ipsius enim, inquit Aratus, ipsius et genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, » et nobilissima Dei imagine omnes pariter exemplemur, qui tanta unimur similitudine, nulla unquam contra invicem deberemus rixantis animi dissimilitudine obviare, quemadmodum et aves ejusdem generis amicæ sibi sunt, hostilis inter se odii discordiam nescientes. « Volatilia » enim, sicut Proverbii scriptum vulgavit, « ad similia sibi conveniunt. »

Quod si tibi per has rationes [haud] æstimes persuasum, pacem hanc per justitiam effici, super hoc saltem argumenta satisfaciant Scripturarum. Dicit enim prophetarum nobilissimus : « Erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium. » Et David, cum de nascituro cœli Rege laudes proponeret, dicturus de pace quam in adventu ejus mundus habere meruit, de justitia velut ejus causa ante præmisit dicens : « Orietur in diebus ejus justitia. » Dein sequitur : « Et abundantia pacis. » Item alibi : « Justitia et pax complexæ sunt se. »

Cap. IX. — *Quæ sit humanitas, pacem istam alens.*

Humanitas autem, qua hæc Babyloniæ pax alitur, quædam humanarum necessitatum collativa subventio est, qua diversa mortalium conditio vel mutuis adjuta suffragiis, vel alternis sustentata commerciis retinetur. Quod autem tale est. Milites armis tuentur rusticos, rustici operibus agrariis cibos student militibus providere. Item cum regnum illud frugibus, hoc odoramentis indigeat ; cum provincia illa metallis, hæc texturis ; cum regio illa lignis, hæc marmoribus egeat, sicque per alia millena genera rerum humana mortalitas vicissim sibi opus habeat subvenire, processit humanitas, qua jam in pace Babyloniæ fœderis alternam penuriam alterna copia his permutationibus sustentaret, sine quibus pax ista neglecta decideret, quemadmodum connexio lapidum in ædificio formato, in quo vicario complexi

lapides innituntur, si muris hiantibus se complecti desierint, universa structura citius subruetur.

Ut autem huic humanitati locus fiat, ante omnia opus est linguæ inire notitiam, sine qua parum prodest ad sociandos homines hæc subventio collativa. Quomodo enim vel mutuis sublevare officiis, vel utilia mutuare commercia poterunt, qui aliis necessitates suas verborum nequeunt significationibus explicare? Quemadmodum non humanitatem magis quam immanitatem ignotæ linguæ consuevit generare diversitas, sicut propheticæ comminationis oraculo monstratur : « Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. »

Quantum hæc humanitas ad nutriendam pacem necessaria est inter reges et populos, prælatos et subditos, ut a rege præbeatur populo tuitio, et a populo regi civilium functionum pensitatio, referatur. « Ideo enim, inquit Apostolus, et tributa præstatis. » Prælatus subditis providentiæ sollicitudinem, subditi prælato devotionem obedientiæ debebunt exhibere. Quæ utique hinc inde tam necessaria subventione concurrunt, ut alterum sine altero nequeat perdurare. Quippe sine providentia regum ac præsidum pro cæde paratur populus, et sine populi obsequio regum ac prælatorum omnium dignitas evanescit. Unde cum rex instituitur, pactio quædam tacita inter eum et populum initur, ut et rex humane regat populum, et populus regem statutis tributis et inlationibus meminerit venerari. Hoc est illud fœdus quod Joiadas sacerdos inter regem Joas et populum Juda pepigit, sicut historia Regum tradit.

Fovetur ergo per hanc humanitatis collationem inter reges et populos, inter prælatos et subditos Babyloniæ, id est mundanæ pacis concordia, quæ si aliquando, ut solet, ducatur contemptui, ut vel qui subsunt, debita servitia negent superioribus, vel superiores inferiores legibus subjiciant tyrannorum obsurgentibus inde oppressionum ac rebellionum malis, repente simul cum pace vis prælationis solvitur, et regnum etiam transmutatur, sicut scriptum est, quia regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos.

Cap. X. — *Quomodo per prudentiam hæc pax accipiat firmitatem.*

Cæterum qualiter pax ista per prudentiam accipiat firmitatem, rex Salomon tibi exemplo sit, qui prudentissimus sapientiæ suæ consiliis per octoginta annorum volumina, sicut Josephi narrat historia, regnum sibi in pace tranquillissima pariter roboravit et felicissima. Cujus pacis bonum semen ejus Roboam per insipientiam perdidit, regnum faciens bipartitum, de quo liber ait Ecclesiasticus, quia « finem habuit Salomon cum patribus suis, et reliquit post se de semine suo stultitiam genti, et imminutum a prudentia, Roboam, qui avertit gentem

A consilio suo. » Item super eodem Scriptura dicit : « Rex insipiens perdet populum suum, et civitates inhabitabuntur per sensum prudentium. » Et in libro Sapientiæ : « Si delectamini sedibus et sceptris reges populi, diligite sapientiam, ut regnetis in perpetuum. Tunc » enim, sicut facundissimus doctor scribit, « tunc felices sunt respublicæ, cum aut philosophi regnant, aut reges philosophantur. » — « Erudimini ergo, qui judicatis terram. »

Pacem autem istam regis maxime prudentia confirmabit, si rex ipse perito dispensationis consilio omni generi hominum, quibus præest, omni ordini, omni sexui, omni ætati, salvo tamen privilegio disciplinæ (scriptum est enim: « Disciplinam in pace servate filii ») ita se tractabilem et velut popularem
B indulserit, ut favorem semper publicum habere mereatur, sicut Octavianum fecisse Augustum Romanorum vulgaverunt historiæ, propter quod longæviori sæculo eum pacificum tenuisse imperium tractaverunt. Caveat ergo prudenter qui populo vel genti præficitur, ne dum uni consulit parti, partem aliam negligat. Hoc enim rem perniciosissimam in populo causat, scilicet invidiam, seditionem atque discordiam, dum qui omnibus imperat, non omni, sed unius cujusdam eligit utilitatibus providere.

Item pacem istam aliorum prudentia confirmabit, si, inter quos pax hæc conciliata est, ita cautos, ita morigeros se habuerint in alterutrum ut nihil omnino sit, in quo per eos pacis læsa fœdera videantur; quoniam etsi per alicujus levitatem modicum lædi forte
C contigerit, non post dies, sed continuo, cum res adhuc nova est, nec majoribus exacerbata injuriis, prudenti debebit remedio integrari, instar membrorum, quæ primo inflicto vulnere a continenti compage incipiunt hiatu quodam dirimi; quibus si confestim peritia accesserit medicantis, ad carnem reliquam resolidari sine deformitate poterunt. Quod non erit, si in tempus plurimum hujusmodi remedium differatur. A qua sententia alienum non est quod ait Apostolus : « Sol non occidat super iracundiam vestram. »

Cap. XI. — *Differentia inter pacem Babyloniæ et Ægypti.*

D Magna differentia pax hæc ab Ægypti pace discriminatur, cum, sicut dictum est, respuenda illa semper sit, hæc appetenda sæpius et colenda, non tantum cum domesticis et fidelibus, sed etiam cum extraneis, cum barbaris et paganis. Si enim pax ista coli cum infidelibus non deberet, Isaac cum Abimelec, Ochozath et Phichol Geraritis fœdus cur ageret? Si pax ista cum infidelibus coli non deberet, populus Israel a rege Edom et Sehon rege Amorrhæorum iter pacificum cur quæsiisset? Si pax ista coli cum infidelibus non deberet, Dominus in Deuteronomio per Moysen quare diceret : « Si iveris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur. »

In tantum autem pax ista cum infidelibus habenda est, ut pro bono ejus sanctum Jacob munera fratri misisse legerimus.

CAP. XII. — *De tribus generibus hominum, cum quibus Babyloniæ pax colenda non est.*

Ideo autem pacem non semper, sed sæpius cum omnibus colendam esse diximus, quia non nunquam cum talibus servare pacem minime debemus, ut erga pestilentes, erga persequentes, erga rebellantes, quos utique pace non vovere, sed bello lacessere magis expediet. Quod intuens egregius doctor ait : « Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. » Quia enim quosdam noverat, cum quibus ligare concordiam fas non erat, ideo dicturus : « Cum omnibus pacem habentes. » conditionem attulit : « Si fieri potest. »

Pestilentes vero eos intellige, qui mediante pace Babylonica, Ægyptiæ pacis, hoc est, vitiorum nobiscum volunt fœdus intexere, cum quibus pactum nullum pangendum est, sed totis omnino viribus ad internecionem contendendum. Ad quod pertinet quod Moyses in lege proposuit Israeli : « Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit multas gentes coram te, Hethæum, Geresæum, Amorrhæum, Chananæum, Pherezæum, Hevæum et Gebusæum, septem gentes, multo majores numero, quam tu es, et robustiores te, tradideritque eos Dominus Deus tuus tibi, percuties eos usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis eorum, neque sociabis cum eis connubia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam ejus accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, sed ut magis serviat diis alienis. »

Non solum autem cum extranei sunt hujusmodi contagiosi, sed etiam cum cives, domestici, fratres, filii aut parentes exstiterint, pacis imo sanctitatis erit officium tales ferro vindictæ debellare, quando de filiis Levi legitur : « In ultionem idololatriæ arreptis gladiis per castrorum media transeuntes quisque fratrem suum, amicum et proximum sibi obvios occiderunt. » Propter quod manus suas Domino consecrasse laudati sunt. « Consecrastis, inquit, manus vestras hodie unusquisque in filio et fratre suo, ut detur vobis benedictio. » Sic et Phinees, peccatis civium non indulgens, dum coeuntem cum Moabitide Judæum percussit, sui furoris incendio Dominici furoris incendium exstinxit.

Persecutores sunt qui vel communis concordiæ statum, vel publici pudoris reverentiam conantes evertere, aut crudelia exercere, facinora non metuunt, aut solemnioris infamiæ patrare flagitia nequaquam erubescunt; in quos et legum jura et regum arma rigorem apponere inexorabilem consueverunt. « Non enim sine causa portat gladium, sed ad vindictam malefactorum et ad laudem bonorum. »

Rebelles nos computamus, qui jugum legitimæ dominationis quærentes excutere, et libertatem illicitam sibi usurpare, legatos publicos etiam rejiciunt, regalia decreta contemnunt, non pensitantes fiscalia, nec tributa præbentes. Contra quos Dominus : « Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. » Et Paulus ait : « Reddite omnibus debita ; cui tributum tributum : cui vectigal, vectigal. » Quibus cohæret, quod poetarum eximius in Romani laudes imperii non minus provido ingenio quam lauto metro canens ait :

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem :
Parcere subjectis et debellare superbos.

VIRG., *Æn.*, lib. VI, vers. 854-857.

CAP. XIII. — *Quod regnum, non legitime susceptum latrocinium magis quam regnum putandum est.*

Verum quod non simpliciter regnum, sed legitimæ scilicet dominationis adjecimus, ea ratione [fecimus], quoniam extimæ regionis gentem, quæ nunquam ditioni tuæ collum submisit, tibi nunquam molestiam intulit, sola dominandi libidine expugnare velle et subdere non regis officium est, sed tyranni imo latronis et sanguinarii. Propter quod doctor optimus (AUGUSTINUS, lib. IV *De civit. Dei*, c. 4) scribit dicens : « Remota justitia quid sunt regna nisi latrocinia, quia et ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna? Manus et ipsa hominum est, imperio principis regitur, societatis pacto ligatur, placiti lege præda dividitur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum successibus creverit, ut loca teneat, sedes constituat, provincias subjuget, occupet civitates, evidentius sibi regni nomen assumit, quod ei jam manifesto non dempta cupiditas, sed adjuncta impunitas confert. » Unde ab Alexandro illo Magno quidam comprehensus pirata, interrogatusque ab eo cur mari ita esset infestus, libera sibi et eleganti legitur contumacia respondisse : « Et tu quare toti orbi terrarum? Sed quoniam id ego parvo navigio facio, latro vocor ; quia tu magna classe, imperator diceris. »

Inferre ergo bella finitimis, et in cætera inde procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, nihil aliud est nisi latrocinium nominandum.

CAP. XIV. *Qualiter ad ipsius pacis bonum proficit, quando cum prædictis generibus Babyloniæ pax non servatur.*

Ecce igitur, qualiter cum illis tribus generibus hominum pax habenda non est, sed bellum potius ipsis indicendum, quod videlicet ad ipsius pacis bonum proficere nemo sapiens ignorabit. Ad hoc enim istos paucos severitatis vigor persequitur, ut in cæteris pax integrior et tutior conservetur. Quod Dominus in propheta contra plebem Judaicam loquens satis notavit, cum protulit : « Quis dabit me spinam et veprem in prælio ? gradiar super eam, succendam eam pariter. An potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, faciet pacem mihi? » Subaudi, hæc ipsa succensio, qua eam pronuntio exurendam.

Ad hoc igitur hujusmodi homines impugnandi sunt, ut vel cum ipsis pœnarum experimento coercitis, vel saltem cum aliis, eorum exemplo eruditis pax servetur incolumis. Ad hoc enim solummodo bellum publicum geritur, ob hoc tractantur arma, ob hoc leges dictant supplicia, ut bonum pacis per omnia maneat illibatum.

Cap. XV. — *De tribus vel quatuor gradibus pacis mundanæ.*

Tribus autem gradibus pax ista mundana procedit. Primo enim est pax orbis, postea pax urbis, deinde pax domus. Illa generalis, ista civilis, hæc domestica. Pax ergo orbis habenda est etiam cum peregrinis, pax urbis cum civibus, pax domestica cum propinquis.

Et quoniam supra dictum est, Babyloniæ pacem communionem rerum exigere, idcirco scire licet, quod in quolibet horum graduum rerum communicationem pax flagitat. Pax generalis, ut puta inter regna et provincias nundinas communes facit et linguas; pax civilis forum, fanum, leges et quasdam consuetudines; pax domestica fundum, domum, convictum et in conjugiis thalamum; sepulcraque et monumenta majorum.

Pax vero generalis, quam etiam cum peregrinis habendam esse diximus, item ad ea, quæ cives fœderat, hæc, inquam pax, quamvis domesticam non contineat habitationem, si tamen inter aliquos domestico promoveatur affectu, privata pax fit, amicitiæque sibi dulce nomen attitulat. Unde evenit ut etiam quartus gradus exsurgat tribus superioribus adunandus, videlicet, ut qui antea pacem orbis, urbis et domus familiæ computavimus, in quarto gradu pacem amicitiæ numeremus: quæ utique amicitia vicissitudine studiorum officiorumque colitur et tenetur. Alioquin nullo pacto amicitiæ momenta durabunt, nisi ex utraque parte officiosa constet affectio.

Cap. XVI. — *De statu pacis domesticæ.*

Quia vero omnis domus particula quædam civitatis est, omnis autem pars universi cujus pars est, integritatem refertur, debet ad normam civilis pacis pax formari domestica, ut sicut civilis pax publicis conservatur legibus, sic et pax domestica privatis traditionibus legitime gubernetur. Unde sicut ille qui pacem publicam tuetur, pater patriæ dicitur; sic et qui pacem domesticam regit, paterfamilias meruit nuncupari.

Et quoniam respectu familiæ suæ patris nomine censetur, decet etiam, omnibus servis suis, qui pars familiæ sunt paterni favoris clementiam exhibere, quatenus occasio turbandæ domesticæ pacis subtrahatur. A qua sententia non discedit, quod quidam vulgatæ auctoritatis sapiens tradidit: « Sic cum inferiore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velles. Quoties in mentem venit, quantum tibi in servum tuum liceat, veniat in mentem, tantumdem A in te Domino tuo licere. » Et Jesus Sirach: « Si est tibi servus, sit tibi quasi anima tua, et quasi fratrem, sic eum tracta. »

Ita tamen quis benignitatem erga familiam suam exerceat, ne disciplinæ vigorem penitus amittat. Non enim minus mollis remissio quam severa exacerbatio pacis domesticæ concordiam vacuabit, sicut in David gestum esse agnoscitur. Quia enim filios licentia molliore tractaverat, Quantam confusionem, quantum scandalum, quantum periculum ex his postea passus fuerit, regum non veretur historia diffamare.

Porro cum pax domestica membrum sit civilis pacis, si pax domestica a domesticis violanda sit, ne civilis pereat, erit tunc pax domestica inter patrem et B filium distrahenda, quemadmodum illos scripsisse legimus, qui de statu reipublicæ facundius disputaverunt.

Ne vero putares domesticam pacem nullam a Scriptura sacra laudem recipere, ideo Ecclesiasticus de ipsa loquitur: « In tribus est beneplacitum spiritui meo quæ sunt probata coram Deo et hominibus: Concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier sibi consentientes. »

Cap. XVII. — *De quibusdam accidentibus, per quæ pax privata turbatur, et eorum remedio.*

Denique duplex hæc pax, domestica scilicet, et affectu domestico amicata (hæc est enim ipsa amicitia) hæc, inquam, pax quanto est conjunctior, C eo consuevit frequentioribus dissensionibus lacerari, ut, verbi gratia, iracundia, verbositate, magis autem susurrio, plus convicio vel improperio, et multo amplius superbia, dolositate ac denudatione mysterii, et, quod super hæc omnia malignius, per mulierem nequam; quæ singula Sapientis Proverbia notarunt.

Dicitur enim in Proverbiis: « Homo perversus suscitat lites, et verbosus separat principes. » Item: Ecclesiasticus: « Susurro et bilinguis maledictus. Multos enim turbavit pacem habentes. » Item: « Homo iracundus incendit litem, et in medio pacem habentium immittet inimicitias. » Et item: « Mittens lapidem in volatilia dejiciet illa. Sic et qui D conviciatur amico suo, dissolvit amicitiam Ad amicum et si produxeris gladium, non desperes; est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas; est enim concordatio, excepto convicio, improperio, et superbia, et mysterii revelatione et plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus. Si denudaveris absconsa illius, non persequeris post eum. Sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, et non eum capies. Maledicti est concordatio; denudare amici mysteria, desperatio est animæ infidelis. »

De muliere vero ibidem adjungitur, quia « mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. » Sicut autem beatus est qui habitat cum muliere sensata, sic e diverso « commorari,

inquit, leoni et draconi placebit magis quam habitare cum muliere nequam, » ea maxime, quæ verborum procacitate continua viro quieto et pacifico molestiam ingerit quam amaram. Unde [sicut] « ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. »

Ne igitur per hujusmodi pax amicitiæ familiæque rumpatur, iracundia per mansuetudinem, per loquendi parcimoniam verbositas excludatur. Aures sepiamus a susurriis, os ab omnibus conviciis oppilemus, nullo super amicum efferamur supercilio, nullas in eum fraudis moliamur insidias, nec amicorum secreta, quæ novimus, lingua pruriente denudemus. Hæc enim tria, scilicet inimicitiam, duplicitatem et perfidiam amicitiæ venena fore explorati judicii est. Dein et tu, qui privatæ domus actus dispensas, mulieris vel uxoris tuæ proterviam imperare nunquam consentias. Scriptum est enim, quia « mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo. »

Cap. XVIII. — *Quantam bonorum consequentiam pax habeat Babylonica.*

Monstratum est ecce, quibus modis pax Babyloniæ, mundi scilicet, contrahi debeat et conservari. Quantam autem bonorum temporalium consequentiam habeat pax ista mundana, exemplis potest millibus edoceri.

Quamprimum ergo in ipso toto mundo pacem quamdam naturalem considera, qua superni manus Artificis diversarum naturarum elementa in unum coegit corpus assurgere, et prorsus dissona in tantam statuit consonantiam aspirare, ut nisi alterius ligata subsidiis non subsistat. Cœlum enim nisi existeret, quo lumen funderet, non haberet. Aeri cœlum colorem exhibet; aer terram fovet imbribus, et cunctis animantibus vitam tribuit respiratus. Aqua fluviis irrigat; quæ utique et ipsa non subsisteret, si eam terræ fundus ultimus non teneret. Talibus igitur legibus fœderata elementa pacem habent decoram et perpetuam.

Quod si dissensio aliqua adversus se huic materiæ generetur, et seditione aliqua solutionem sui meditetur hæc machina, vel si divino nutu aliquid ex ista pace moveatur, si vel mare efferveat, vel terra quatiatur, si perniciosus imber decidat, aut sol subtracta luce refugiat, si aer ardoribus excandescat, aut ultra mensuram sui natura ignis exæstuet, excidium sine dubio mundi interitusque putatur, dum bonum pacis elementorum hac seditione subvertitur.

Ut autem omittam regna et populos innumeros, ut omittam civitates, familias ac domos, quæ omnia per pacem et concordiam constant per dissensionem vero solvuntur et pereunt, ut taceam etiam de ipsa urbe, quæ prius, dum in ea pax floruit, domina fuit mundi, nunc autem pene jacet humiliata seditionibus, et bellis civilibus conquassata, ut, inquam, omnia ista prætercam, ad familiarem divinis eloquiis respice Israelem. Nonne hi, dum pacem inter se haberent et ad Dominum unanimes ingemiscerent, de Ægypto eximi signis triumphantibus meruerunt? Mare vidit eos sociatos et aufugit, convertuntur ante eos flumina retrorsum cognati maris imitantia famulatum, cœlum escam esurientibus, petra potum sitientibus subministrat. Beata hæc gens erat, cujus Dominus Deus eorum, plena populis, opima divitiis, et viribus fortissimis tam roborosa ut unus mille invaderet, et duo decem millia transmoverent.

Postea vero, quando scandalis cœpit ac dissensionibus urgeri, et in partes dividi, posteaquam Jeroboam et Roboam diarchæ prodierunt, posteaquam factiones et seditiones, posteaquam puer cœpit seniorem, ignobilis honoratum offendere, in quid deveniret, quid passi sint, et veterum historiæ et Threni recitant Jeremiæ. Nam undique in eos bellorum rabies et ferri effrenata licentia, urbs præclara prosternitur, templum sanctificatum profanatur, nemo miseretur senibus, nemo infantibus, absque respectu juvenes trucidantur, matronis nil verecundiæ, nil pudoris virginibus reservatur. In ipsa autem obsidione, antequam se traderent in manus gladii, tam infesta cruciabuntur inedia ut in fame fieret famis remedium solatium dulcissimum liberorum; ad extremum a patriæ finibus turbati per omnes disperguntur provincias, æternæ captivitatis miseriam deplorantes. Ecce, qui sunt discordiæ exitus et fructus dissidiorum!

Ex contrariorum effectibus ergo, quantum sit hujus pacis bonum, jam clarius videmus. Pax enim hæc producit rempublicam, propagat potentiam, fortificat regna, libertates nobilitat, condit leges, alit artes, illustrat honores, religionem fovet, implet urbem, multiplicat sobolem, altrix est pueritiæ, tutrix adolescentiæ, juventutem lætificat, canitiem condecorat senectutis. Quod totum ex uno Scripturæ testimonio colligere tibi est. Cum enim Genesis de jurgio inter pastores Geraræ et pastores Isaac ageret, adjunxit quod « primum puteum, » de quo rixati sunt, « vocavit Isaac *Calumniam*, » secundum *Inimicitias*. tertium, de quo non fuit rixatio, *Latitudinem* nominavit. Et Salomon in Proverbiis: « Qui ineunt pacis consilia, sequetur eos gaudium. »

Adde quod pax ista via quædam et scala est, per quam ad pacem Jerusalem obtinendam pertingitur; imo in pace ista pax Jerusalem includitur, et servatur, sicut supra ex verbis Jeremiæ licuit intueri. Et Paulus ad Timotheum pro hac pace orare docet: « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus, hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, et quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. » Inde est quod Dominus noster pacem Ecclesiæ daturus adveniens, tantam ei pacem paravit ut auferret bella usque ad fines terræ, arcum con-

tereret, arma confringeret, et scuta combureret igni. A

CAP. XIX. — *De pace Jerusalem, hoc est Ecclesiæ.*

Jam hora est ut de pace Jerusalem, hoc est Ecclesiæ, quæ dicenda sunt, annectamus. Pax ista, sicut nos præposuisse meminimus, Christianæ pacis concordia est, cujus monstrator et monitor erat Paulus, cum diceret : « Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax. Itaque quæ pacis sunt, sectemur. » Et rursus ad Timotheum : « Sectare justitiam, fidem, amicitiam, charitatem et pacem cum his, qui invocant Dominum de corde puro. »

Evidentius autem de hac pace discipulos commonebat Dominus : « Habete, inquit, in vobis sal, et pacem habete inter vos. » In sale sapientiæ nostis B intelligi condimentum. Quæ autem verior sapientia quam ea, de qua scribitur, quia « prædicamus Christum Dei virtutem et sapientiam ? » Mandaturus ergo de hac pace, de sale præmonuit, quia nemo pacem istam meretur habere, nisi qui prius Christum elegerit per fidem in corde suo suscipere. Est enim ipse, ut dudum diximus, pacis hujus conciliator et auctor, « Pater, inquit eloquium sacrum, futuri sæculi, princeps pacis. »

CAP. XX.—*Quomodo pax ista per charitatem fœderetur.*

Quod autem per charitatem, sicut prælibavimus, pax ista construatur, psalmus mihi testis est :« Fiat pax in virtute tua. » Ibi virtutis nomine reginam virtutum omnium intellige charitatem, quæ proprie C virtus idcirco dicitur, quia fortis est ut mors (fortis enim est ut mors dilectio) cui nullus resistit, cum venit, qui occidit, quod male fuimus, ut aliud bene simus.

Enimvero qualiter hanc pacem faciat charitas,non latet aliquem sacri voluminis notitiam profitentem. Ita namque est charitas in hac pace, sicut spiritus vitalis in corpore. Quemadmodum enim in corpore spiritu vegetante membra vivunt, et velut pacem quamdam soliditatemque propaginis retinent,abscedente autem spiritu mori ea necesse est et dissolvi, sic et charitas sola est, quæ filios Ecclesiæ in hujus pacis consolidat unitate, qua recedente pax ista discinditur. Ex quo licet propter sacramenta eccle- D siastica ipsius corporis simulatam tantisper retinet compaginem, per peccatum tamen odii, quod mors est animæ, sensum penitus amittunt vitæ.

Quod Doctor gentium in nonnullis epistolarum suarum locis argutis rationibus explanavit, dum inter membra Christi et partes humani corporis cognatam admodum similitudinem posuit, ad Corinthios quidem ita :« Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa,unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum baptizati sumus. » Ad Ephesios autem sic : « Crescamus in illo qui est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis,secundum operationem in mensuram unius cujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. » Idem quoque et eisdem pene verbis eum ad Colossenses scripsisse reperies.

Charitas ergo est, quæ membra Christi vivificat, atque ea in unum corpus fœderat et concordat.«Unde sollicite servate unitatem spiritus in vinculo pacis. » Hoc est illud beatum arcæ Noe bitumen, quo ligna ipsa collinita tenacius aquas irrepere diluvii non sinebat. Hæc est ligatura, qua una superius copulatur ansa, quæ humanitati deitatem infibulat, linea quam Dominus in terra disposuit, et hominem in cœlestia translevavit.

Hæc ergo sola est, quæ Ecclesiæ aggregat unitatem, imo ipsa est Ecclesiæ unitas, tunica illa videlicet inconsutilis, desuper contexta per totum, non divisione ad plures, sed ad unum sorte perveniens. Si tunicam hanc tantum unus accipiat, nemo putet se habere charitatem, qui in unitate non manet Ecclesiæ. Imo nulla est via salutis, nullus locus remedii, illis nimirum, quod catholicæ unitatis gremium non includit, quod præfatæ arcæ Noe figurata notat historia. Omnes enim, qui extra eam reperti sunt, aquis castigantibus perierunt. Id ipsum loquebatur Paschæ mysterium : « In una, inquit, domo comedetur, nec efferatur de carnibus ejus extra fores. » Carnes enim agni Dominici corporis sacrificium præludebant. Hoc autem sacrificium est unitatis ecclesiasticæ evidentissimum sacramentum. Idem etiam in domo Raab divina lectio præsignavit, cum diceret : « Patrem tuum et matrem tuam et omnem cognationem tuam congregabis in domum tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus. »

Propter hujus pacis ac unitatis vinculum ipsa mater Ecclesia « una columba » dicitur, « unica » etiam simpliciter appellatur ; « una est enim columba mea, perfecta mea. » Et David in voce [*f.* vice] Domini unicam suam orat a canibus et leonibus liberari dicens :« De manu canis unicam meam, et a leonibus unicam meam. Hæc unio est, qua apud Ezechielem duo ligna, populus nempe Judæorum et gentium, sic junguntur unum ad alterum ut ex duobus unum ligni corpus appareat glutinatum.

CAP. XXI. — *Quid sit pietas proposita, et qualiter ipsa pacem nutriat Jerusalem.*

Pietatem vero, qua pacem Jerusalem nutriri diximus, opera misericordiæ credere debemus, quibus in temporalium seu spiritualium bonorum penuria in invicem fraterna charitate succurrimus, de quibus dictum est :« Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem. » Quasi [diceretur] : O vos, qui sedetis in judicio, rogate interrogantes eam, quæ sunt et valent ad pacem nutriendam Jerusalem.

Ex quo latenter innuitur quod illi, qui sedebunt super sedes duodecim judicaturi duodecim tribus Israel, potissimum de operibus pietatis,utrumne sci-

licet ea vicissim sibi impenderint, homines examinando disquirent, utique in prædicatoribus et plebibus, an videlicet hi, quibus seminata spiritualia sunt, colonis, hoc est prædicatoribus carnalia metenda tradiderint, et retro, si illi, qui a plebibus suis carnalis sustentationis stipendia perceperant, eas spiritalium escarum reficere alimentis studuerint. Sunt enim pastores Ecclesiarum mercatores, cum populo credentium mercimonia necessaria contrahentes, quibus dicitur : « Negotiamini, dum venio. » Quemadmodum enim mercatores de aliis regionibus in forum cum aliis conveniunt, suas cum ipsis merces utiles permutantes eis dando quædam, quibus illi opus habent, et ab eis recipiendo, quibus ipsi indigent; sic et prælati cum suis subditis facere credendi sunt.

Forum istud Ecclesia est, in quam tanquam quemdam locum medium de diversis nationibus in unum conveniunt, scilicet et præcones Dei illuc de montibus, id est alto virtutum culmine adveniunt, [et] subjecti de convallibus, hoc est de inferiore et terrena conversatione ad id conscendunt. Quod forte Veritas in Evangelio signavit dicens : « Cui similem æstimabo generationem hanc? Similis est pueris ludentibus in foro, qui sibi coæqualibus improperanter dicunt : Cantavimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis. » Quia dum prælati in Ecclesia æterna gaudia reprobis auditoribus prædicant, nullam in eorum cordibus lætitiam generant, dum quidquid eis de cœlestibus dicitur, fabulosum putant, et dum eis patres eorum futura minantur supplicia, non compunguntur, non ingemiscunt, quia nihil esse infernum, nullos post hanc vitam cruciatus arbitrantur.

Hæc ergo spiritualium ac carnalium permutatio, vel quodcunque alternatum inter fratres pietatis officium, sicut nobilissimus noster auctor exponit, illa æqualitas est, cujus apostolus memor fuit, cum diceret : « Non ut aliis sit remissio, nobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. » Æqualitas est ipsa pax Jerusalem, ut opera misericordiæ corporalia jungantur operibus prædicationis spiritualibus, et fiat pax dando et accipiendo. Dum enim sumitur spalmus, et datur tympanum, fit spalterium (3) jucundum cum cithara. « Communicet ergo qui verbo, ei qui se catechizat, cum omnibus bonis. »

Cap. XXII. — *Qualiter humilitas hanc pacem firmet.*

Novissime qualiter humilitas pacem Jerusalem firmet et roboret, illa tabernaculi fœderis te doceat fabrica exemplata, ubi præcepit Dominus Moysi, in lateribus tabularum binas incrustaturas, quibus ipsæ tabulæ mutuis annexibus convenirent. Bina tabularum incrustatura gemina cujuslibet fidelis credatur humilitas, ut videlicet de temporalibus successibus non tumeat, et de spiritualium bonorum gratia, si quam habet, præ cæteris non infletur. Per incrustaturam ergo, qua tabulæ invicem copulantur, arca compingitur, quoniam per humilitatis artificium pax Ecclesiæ custoditur. Quod considerans Paulus ait Philippensibus : « Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. »

Humilitas ergo est, quæ pacem Jerusalem servat indissolubilem, sicut et suum contrarium, videlicet superbia, ea nempe sola pacis hujus desecat unitatem. Quis enim non dico a bonis solummodo, sed a malis, quos adhuc Ecclesia sustinet, et in quorum separatione ecclesiasticæ pacis tranquillitas læderetur; quis, inquam, ab eis interiit, nisi typho ventilatus superbiæ ob id tantum quod mali sunt, corporaliter segregatur? Unde et Scripturis testantibus deteriores tales sunt nocentibus. Similes enim sunt hi levioribus paleis, quæ ante ventilationem areæ de ipsa massa tritici, suspirantibus auræ flatibus, rapiuntur, cum illi, qui per humilitatis pondus graves sunt, generalis examinis ventilabrum præstolantur. Propter quod dicitur : « In populo gravi laudabo te. »

Item et Lot præconiis meruit non indignis subvehi, quod solus ipse bonus inter pessimos perseveraverit conversari : « Justum, inquit Petrus, oppressum a nefandorum injuria et luxuriosa conversatione eruit. Aspectu enim et auditu justus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. »

Quanta denique est ista ecclesiasticæ pacis humilitas, quæ lupi domat rabiem, pardi domat ferocitatem, et leonis deponere superbiam non ignorat, ut jam juxta denuntiationem propheticam in conventu pacis ecclesiasticæ habitet lupus cum agno, pardus cum hædo accubet, leonemque et vitulum simul videas commorantes?

Cap. XXIII. — *De pluribus differentiis, quibus pax Jerusalem a Babyloniæ pace discernitur.*

Nimis multa differentia a pace Babyloniæ pax ista distinguitur. Quamlibet enim utraque bona sit, melioribus tamen hæc pax titulis exornatur. Illi namque paci excepta ea humanitate, quam diximus, plerumque sufficit non nocere : hæc pax expetit omnibus prodesse velle, et, cuicunque poterit, benefacere. Ad quod forte illud respicit, quod Doctor gentium ait : « Pax omni operanti bonum. »

Item pax Babyloniæ, ut superiori paginæ commissum est, gignit gaudium; pax autem Jerusalem beatitudinem de gaudio operatur. Unde Tobias ad Jerusalem loquens ait : « Beati omnes qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua. » Item in pace mundi qui imperant, domini sunt; in pace Ecclesiæ perma-

(3) Ita plures veteres scribunt pro *psalmus* et *psalterium*.

nent servi. Unde unus eorum ait : « Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Jesum. » Et Dominus ad discipulos : « Qui voluerit inter vos primus esse, erit servus vester. » Cum enim, sicut præmissum est, pacem istam charitas agat, amor autem gradum nesciat, omnes, qui hujus pacis fœdere nexi sunt, paribus sibi studebunt officiis subservire, juxta quod Paulus ait ad Galatas : « Per charitatem spiritus invicem servientes. »

Item pax Jerusalem omnem remittit injuriam, sicut testis est oratio illa quotidiana, qua dicimus : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Pax Babyloniæ legem statuit, ut injuriis opponeret talionem. Item Babyloniæ pacis cultores, sicut supra monstratum est, erga eos, qui publicam pacem violant, impacati sunt; qui vero hujus pacis possessores sunt, etiam cum odientibus pacem pacifici esse non desinunt. Nam « cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. » Quos tamen, cum reliquis salutis periculum non timetur, cum pia severitate persequitur, non quidem mali ferro, sed spirituali gladio feriens rebellantem. Nam ut ait Apostolus, « arma nostræ militiæ non sunt carnalia, sed potentia Deo. » Pia severitate idcirco posuerim, quia sic in eos, qui obnoxii sunt, extrinsecus anathematis est exercenda severitas, ut tamen intrinsecus erga illos fraternæ charitatis viscera non rumpantur. Unde Paulus Thessalonicensibus : « Si quis, inquit, non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur, et nolite quasi inimicum reputare, sed corripite ut fratrem. »

Item pacis Babyloniæ cultores ea, quæ ipsius pacis bona sunt, sibi sufficere æstimantes, nil ultra quærunt vel appetunt. Sic quidam ex ipsis dixisse legitur : « Fiat tantum pax et veritas in diebus meis. » Hujus autem pacis amatoribus meliora post hanc vitam possidenda relinquuntur, quemadmodum scriptum reperies : « Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. »

Item pax Babyloniæ persecutionum immunitatem tribuit; pax Jerusalem patientiam tantum exigit adversorum. Quod innuere voluit, qui virtutes numerans, post pacem de patientia mox subjecit : « Fructus autem spiritus charitas, gaudium, pax patientia. » Amplius : Pax Babyloniæ si tranquillior, copiosior, perennior fuerit, in luxuriosam nimis et effeminatam remollietur voluptatem juxta illam satyricæ reprehensionis acrimoniam, quæ aspergitur in Romanos :

Præstabat castas humilis Fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor somnique breves et vellere Tusco.
Vexator, duræque manus ac proximus Urbi
Annibal, et stantes Collina turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala, sævior armis
Luxuria incumbit, victumque ulciscitur orbem.

Econtra pax Jerusalem quo multiplicior ac diuturnior fuerit, virtutum merita virilius roborabit. Propter quod Petrus dicit fidelibus : « Gratia vobis et pax multiplicetur. » Et Paulus jam non longam, sed perpetuam pacem Thessalonicensibus exoptabat : « Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. »

Ad extremum et illa non tenuis differentia est, quod mundanæ pacis consociatio, maxime quæ inter domesticos et amicos transigitur, quo dulcior fuerit, eo ipsius disjunctio ultima, quæ per mortem fit amarior computatur. Nec enim fieri potest, ut ejus mors nobis nimis amara non sit, cujus vita nimis dulcis exstiterat. Atqui ecclesiasticæ pacis beata societas per mortem non distrahitur, sed mutatur in melius. Unde fideles, hac societate concordes, cum aliquem de suis extulerint, nisi quantum naturale debitum humanitatis exposcit, nullis afficiuntur mœroribus, sed magis quodam interno gaudio præcedentem in patriam socium prosequuntur, scientes quod mors non scopulus, sed portus est, honesta missio militis, merces operis, aditio hæreditatis. Nam « cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. »

Cap. XXIV. — *De tribus articulis, quibus pax Ecclesiæ continetur.*

Tribus autem articulis velut trinis fundamentis, scilicet fidei unitate, voluntatis unanimitate, morumque conformitate pax ista subnititur.

De primo articulo scribitur ad Romanos : « Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo. » De voluntatis unanimitate idem Paulus superius dixerat : « Deus autem patientiæ et solatii det vobis sapere in alterutrum idipsum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum. » De conformitate morum ipse idem monuit Philippenses, « ut idem, inquit, sapiamus, et in eadem regula permaneamus. » Ubi nomine regulæ conformitatem innuit vitæ. Etenim in unam fidei normam omnes, qui sunt Christi, conveniunt. Quod visibili jam documento percipimus, dum videre est, quomodo tam varii cultus gentes, tam dissona vultus ora, tam diversa linguarum schemata in ejusdem consonantiam uniuntur. Omnes enim, qui Christiana professione censemur, unius Domini sumus famuli, unius pastoris oves, unius gregis milites. Unus nos Pater genuit, una mater Ecclesia concepit, unius agnoscimur corporis membra.

In voluntatis vero unanimem concordiam et morum eamdem similitudinem non omnes concurrere statim necesse est, bis morum et voluntatis exceptis capitulis, quæ tam evangelicæ quam apostolicæ præceptionis decreta scripta tacitaque sanxerunt, secundum quod totius Christiani generis statum opus est indissimili voluntatis et moris facie colorari. Alias autem, licet novellæ Ecclesiæ filios moribus et animis conformissimos fuisse legamus « multitudinis enim credentium erat cor unum et anima una » nostris tamen temporibus tum propter fragilitatem

hominum, tum etiam disseminatam per totum orbem numerositatem credentium, quos unius penitus voluntatis et moris qualitate formari ab omni humanæ possibilitatis facultate quam longe est. Non omnes in eamdem affectionem et moralitatem coeunt, sed aliis alia placent et habent, extra quam si aliquos usque adeo pax ista ligavit, ut eis non tantum animi assensionem, sed etiam domicilii habitationem individuam largiatur, de quibus scriptum est : « Deus, qui habitare facit unius moris in domo. » Et iterum : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. » Et in Evangeliis : « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. »

Cap. XXV. — *De dissensione Pauli et Barnabæ.*

Denique si ipsam animorum concordiam inter justos dissensione forte aliqua vulnerari contigerit, non erit desperandum continuo, nec his dissidentibus detrahendum, quia etiam Pauli et Barnabæ societatem evangelicam quondam legimus funiculo disjunctam, quemadmodum scriptum est quia « Barnabas voluit secum assumere Joannem, qui cognominatur Marcus ; Paulus autem rogabat eum, ut qui discessisset ab eis de Pamphilia, et non isset cum eis in opus, non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum, Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. » Quem Marcum postea Paulus in affectum recipiens, ipsum etiam Colossensibus studuit commendare dicens : « Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata, » prius videlicet, quam discessisset (hæc enim mag....) « si venerit ad vos, excipite illum. »

Quia igitur ecclesiasticæ pacis fundamentum præcipuum fides est, si aliquando inter membra Christi non quidem hostili dissidio, sed simultate fraterna alicujus contentionis querela subsiliat (quæ tamen mediocritatis limites non excedat) non est timendum penitus : quia facile curari possunt hæc jurgia, in quibus nec fidei pax, nec pietatis veritas collabescit. Hæc enim magis dissui quam discindi putanda est fraterna concordia, in qua charitatis usus remittitur, nec odium irritatur.

Cap. XXVI. — *Quomodo pax ista angelis suavis est, et dæmonibus terribilis.*

Admirabilis nimium pax ista, et tota laude solemnis, quæ suavis angelis, terribilis existit dæmonibus. Est enim pax Ecclesiæ similis illi cœlesti et primariæ harmoniæ vel motui planetarum septem usque orientem currentium. Dulcis quædam et plena gratissimæ sonoritatis vox redditur, cum scissus æther in ipso sonorantium planetarum tam artificiabiliter, tam æquabiliter acuta cum gravibus temperat, ut concentus inde formetur sic suavissimus, quod ineffabiliter vincere habeat omnem dulcori modulaminis cantilenam. Quem tamen motum orbium, immensius concrepantem nostræ nequeunt aures distinguere, quemadmodum scripsisse inventi sunt, qui cœlorum arcanis oculos domesticos injecerunt : quia, ut aiunt, propter veterem consuetudinem erga crepitum illum, qui ex prima nativitate resonuit, usu quotidiano oppletarum aurium sensus obsurduit, imo minus ejus auscultare possumus melodiam, sicut in officina metallica assiduis operantium ictibus contusus hebescit auditus. Ad quod forsitan, secundum fidem historicam, illud pertinet, quod Dominus in Job dixit : « Quis enarrabit cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire faciet, » subaudias, nisi ego? Dormire quippe cœli concentus Deo faciente dicitur, quando planetarum motus ille harmonicus sic summi Opificis arte compositus est ut sonum quidem tonantissimum habeat, sed humanis auribus velut per somni quietudinem obsilescat.

Quod autem ecclesiasticæ pacis concordiam modulatarum vocum concinnati comparari oporteat, optimus psalmus clamat : « Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo. » Ubi per chorum, quia plurium vocum habet adunantiam, ecclesiasticæ concordiæ unitas figuratur, in hanc similitudinem, quia sicut in pluralitate vocum eo dulcior harmonia fit, quo non ex eisdem, sed diversis sonis cantus unus compingitur, sic et in ecclesiasticæ pacis statu eo est concordia pulchrior, quo non omnes omnibus, sed singuli singulis et diversis officiis uti sub uno charitatis sociamine dignoscuntur. Qualem etenim putares tu Ecclesiæ esse concordiam, si docere vellent omnes, si exhortari singuli, si eleemosynam tribuere universi, et cætera ab apostolo numerata officia ? quæ omnia si in unoquolibet simul essent, eorum omnium deperiret utilitas, dum nemo ab alio reciperet, quo ipse non egeret, sicque evanesceret pax Ecclesiæ, quam in dandi et accipiendi pietate disputavimus contineri.

Nunc igitur dum tu mihi nescienti doctrinam prædicas, et ego tibi egenti alimenta dispendo, dum iste illi in templo orat, ille isti in prætorio postulat, et sic per reliqua ejusdem modi, tunc plurimorum fidelium grata concordia, velut multarum vocum blandior componitur harmonia. Hæc est illa fortassis musica, quam Sapiens prohibet impediri : « Ne impedias musicam. » Quam impedire quis intelligitur, cum fraternam pacis turbare consonantiam invenitur. Denique non otiose in choro isto, hoc est in unitate pacis ecclesiasticæ divinas canere laudes admonemur, quia Deum nemo laudare creditur, nemo bene unquam operari cognoscitur, si extra ecclesiasticæ pacis claustrum evagetur.

Ex his ergo liquet quomodo fraternæ societas pacis concinnitati sonorum affinis est. Qualiter vero concentui planetarum sit similis, ille scire potuit, qui [novit, cur] veri filii Dei, ex quibus concordia ista componitur, luminibus cœli comparentur. Dicit enim Apostolus ad hujusmodi : « Ut sitis sine querela et simplices filii Dei, et sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lu-

cetis sicut luminaria in mundo. » Ex septem planetis ille concentus efficitur, et per septiformem Spiritus sancti gratiam pacis nostræ societas concordatur. Versus orientem motus ille concinnus vadit, quia omnis regularis unitatis fraternitas ad finem consummationis, Christum respicit, de quo scriptum est : « Ecce vir oriens nomen ejus. » Dormit concentus ille cœlestis, dum in tranquillitate pacis nostræ spirituales viri, a mundi secreti tumultibus, internæ sapientiæ profunda meditantur, sicut sponsa in voce talium Sponso respondet dicens : « Ego dormio, et cor meum vigilat. »

Sicut autem harmonia illa cœlestis nobis imperceptibilis est, distinguibilis autem et dulcis supernæ regioni, sic et Christianæ societatis spiritualem continentiam homines mundiales ignorant, (animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus) quam tamen superni cives, hoc est, angeli distinctius notant, eamque velut quamdam dulcis carminis modulantiam gratæ acceptionis auribus auscultant secundum illud Cantici canticorum ad Ecclesiam : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, « dicentes singuli : « Fac me audire vocem tuam. » Ubi nomine amicorum spiritus cœlestes intelligas, de quibus in Evangelio mentio habetur, quia scilicet cum pastor ovem invenit, « veniens domum convocat amicos et vicinos dicens : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ periit. »

Denique sicut angelis concordia ecclesiastica est grata, ita dæmonibus, ut prælibavimus, formidolosa. Sicut enim Romanorum castrorum acies tunc fiebat inimicis terribilis, quando quæ prius divisa per plures pugnabat ordines, postea junctis cornibus impetum mittebat in hostes ; sic nimirum et in Christianæ militiæ præsidiis agi putandum est, ut videlicet si per aliquam occasionem divisa Ecclesia contra tenebrarum principes per partes bellare tentaverit, minus timori sit, et ob hoc tardius de contraria fortitudine victoriam nanciscitur, terribilis autem fiat vincatque facillime, si adunata concordia spiritualem contra hostem promoverit armaturam. Quod utique in ea Sapiens admirans et laudans ait : « Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ? »

CAP. XXVII. — *De signis pacis tam humanæ quam ecclesiasticæ.*

Signa autem, quibus tam pax ista quam Babylonica quæritur, datur, ligatur, discernitur, multifaria sunt. Alia enim verbis, alia rebus, alia actibus explicantur. Verbis, ut puta, salutationibus, pactionibus, juramentis, rebus, quemadmodum lauri, olivæ palmæque ramusculis. Unde palma quasi pacis alma ab etymologis nuncupatur. Actibus, sicut in complexione dexterarum, in coacervatione lapidum, et in ictu sacrificandæ victimæ consuetudo vetustior usurpatur.

CAP. XXVIII. — *De pacis osculo.*

Inter omnia tamen pacis signa, quæ actibus transiguntur, præcipuum et magis expressum est osculum, non dico pedis, aut frontis, aut auris, aut alterius membri, sed oris tantummodo. Quia enim evidentius, per oris officium quam per cæterorum membrorum nutu animi votum exprimimus, ideo per osculum oris pacis beneplacitum aptius adnotamus.

Datur pacis Jerusalem osculum fratribus in Ecclesia non qualibet hora, sed in missa post immolationem quidem, sed ante susceptionem Dominici corporis. Quod osculum primum a sacerdote ministris traditur, ut exinde per eos in cæteros expendatur. In pace, quam prius sacerdos tribuit, pax Dei ad nos, nostra scilicet reconciliatio, ex qua pax Jerusalem pendet et nititur, designatur. Cujus pacis osculum primitus sacerdos offert, quia pax reconciliationis per ecclesiasticos prælatos nobis annuntiata est et indulta, sicut scriptum est : « Suscipiant montes pacem populo. » Unde unus ex his montibus, quasi hujus osculum pacis Corinthiis offerens inquit : « Dedit nobis mysterium reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, » hoc est vice ejus, « reconciliamini Deo. »

Et quoniam pax ista in Christi morte consummata est, recte post immolationem, quæ mortis Dominicæ memoriam imaginat, hujus pacis osculum sacerdos libat. Quia vero illud osculum, quod postea communicatur in singulos, fraternæ pacis concordia demonstratur, ideo ante susceptionem sacramenti tribuitur, ut videlicet omni deterso odio mundum cordis præparetur hospitium, in quod Dominus ingredi eligat et habitare. Istud est illud osculum, quod Paulus in Romanorum et Corinthiorum salutationibus statuit offerendum : « Salutate, inquit, invicem in osculo sancto, » hoc est sincero, non fictitio, quale fuit Judæ osculum, quo prodidit Salvatorem, quale et illud Joab, qui Amasam quasi demulcens osculo percussit in latere, et effudit intestina ejus, et mortuus est.

CAP. XXIX. — *De his qui pacem turbant ecclesiasticam et fraternam, de peccato eorum et pœna.*

Hujus osculi confictores, schismatici maxime et hæretici credendi sunt, qui non columbæ, sed corvi, non agni, sed lupi oscula defigentes, castitatem pacis ecclesiasticæ polluunt et corrumpunt, dum illi scissuris dirimere, isti erroribus catholicæ unitatis discerpere concordiam non verentur, ad hoc blandientes, ut rapiant et occidant.

At subversionem istam pacis ludus Ismael cum Isaac præsignasse traditur, quem ludum persecutionem Apostolus nominavit : « Quomodo tunc, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum : ita et nunc. » Quæ videlicet persecutio timenda plus est quam ea, quæ aperta impugnatione grassatur. Facilior est enim

cautio, ubi manifesta formido. Plus autem timendus est et cavendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem occultis serpit accessibus, eo majora daturus vulnera, quo minus ejus malignitas fuerat præmonstrata.

Tales scissuras Apostolus videns in Corinthiis progerminari : « Obsecro, inquit, vos fratres, per nomen Domini Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.» Quas etiam in reti apostolico signari cognoscimus, quod rumpi præ multitudine piscium Lucas memoravit. Fieri autem hujusmodi hæreses et dissensiones Dominus patitur, ut, dum mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatæ fidei integritas serenius clarescat. « Oportet, ait Apostolus, hæreses esse, ut, qui probati sunt, manifesti fiant. » Multi enim lupi, dum Ecclesia tranquilla est, agni putantur et oves, filii creduntur et fratres. Sed cum postea schismatibus et hæresibus Ecclesiæ cœperit requies turbari, latescentem illam, et supputatam mentis nequitiam in publicum despumantes, jam patenter insontes quosdam dilaniant, putanturque de Ecclesia tunc egredi, quos tamen constat de Ecclesia nullatenus exstitisse juxta illud Joannis Apostoli : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum. » Concepti etenim hujusmodi utero matris Ecclesiæ, antequam formarentur, viscera quassaverunt, et sic abortivi excussi sunt. « Alienati sunt » enim, ut Psalmi revellat oraculum, « alienati sunt peccatores ab utero, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa. »

Demum tam detestabile est hoc peccatum, quo ecclesiastica concordia fœdatur, ut quælibet culpa alia judicata ad pondus hujus criminis levis et venialis censeatur. Pejus est enim istud crimen etiam peccato Christum negantium. Ibi enim potuit fuisse necessitas, hic sæpe obnoxia est voluntas ; in aliis offensis unius forte animæ damnum est, hic periculum vertitur plurimorum, et cum contingat semel delinquere, schismaticus convincitur quotidie peccare. Adeo autem hujus prævaricationis excessus grandis est ut nec per sanguinem valeat indulgentiam promereri, quemadmodum facundissimi Cypriani martyrio consecrata dicta auctoritas : « Inexpiabilis, inquit et gravis culpa discordiæ nec sanguine abluitur, nec martyrio purgatur. »

Supplicium vero eorum, qui ipsius Ecclesiæ sicut præmissum est, dispaginant, vel etiam revellunt concordiam, quam vehemens sit, Datham et Abiron et Core mors nova ac penitus stupenda nos edocet. Nam quia dissensionem in populo facere conati sunt, terra compagibus ruptis dissiliens, seseque in sinum largiorem aperiens vivos eos cum omnibus suis profundo ore voravit, quemadmodum sacra Numeri depingit historia, quia « dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum deglutivit eos cum tabernaculis suis et universa substantia, descenderuntque viventes in infernum operti humo. Sed et egressus ignis a Domino interfecit Core et ducentos quinquaginta viros, qui cum eo incensum offerebant. » Similem pœnam Ecclesiæ divisoribus sub imprecationis voce Propheta denuntiat : « Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes, quoniam nequitia in hospitiis eorum in medio eorum. » Quæ vero nequitia ? « Quoniam, inquit, contaminaverunt Testamentum ejus, » sacræ videlicet Scripturæ eloquium ita quidem, ut. « divisi ab ira vultus ejus, » hoc est, Domini, divino eis irascente judicio adversus invicem contrarii erroris malitias erexerunt, ut Arius in Sabellium, Eutyches in Nestorium, prædestinatus in Pelagium, et in Carpoticen Manichæus. Et quoniam sic dissoluti sunt, « nec compuncti » sunt, quamvis contra se diversis dogmatibus dimicent, glomeratis tamen malitiæ studiis Christianæ unitatis concordiam insectantur, ut isti quoque casui propheticum illud adhæreat, quo dicitur Manasses persequi Ephraim, Ephraim Manassen, simul ipsi tamen Judam.

Dein illi quoque qui, non dico generalis Ecclesiæ, sed plurium vel duorum saltem concordiam dividunt, vel qui inter se fraternæ charitatis pacem odii fermento corrumpunt, in reatum quam culpabilem incidant, ratio manifestat. Qui enim per odium fraternæ dilectionis gratiam exhauriunt, tam diu nullius boni operis Deo sacrificium immolant, quam diu a fratrum charitate discordant. Propter quod de Cain, qui cum fratre pacem per invidiæ zelum non habebat, scribitur, quia « ad Cain et ad munera ejus Dominus non respexit. » Et in Evangelio : « Si, inquit, offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum. »

Eos vero, qui inter fratres discordiam seminant; videlicet susurrones, quam grande peccatum premat, quis dissimulare audeat? Cum enim Deus et diabolus summa erga invicem repugnantia contradicant (sicut enim Deo nihil est pretiosius virtute dilectionis, sic nihil desiderabilius diabolo exstinctione charitatis. Exstincta namque charitate cæterarum virtutum chorus dilabitur, quarum omnium mater charitas esse scitur), unde constat, quod susurronem, qui spargendo odium charitatem perimit, eo magis Deus exsecratur quod adversario suo diabolo in hoc nequitiæ famulatur opere, quod super omnia ipse noscitur diabolus amare.

Et iterum in Proverbiis Salomonis : « Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus : oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes sanguinem innoxium, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem falsum, et eum, qui seminat inter fratres discordias.» Hinc est, cum apostata proprium nomen antiqui hostis sit, susurro sicut in seminatione discordiæ diaboli hæres est, ita ejus et in nomine apostasiæ coæquus

reperitur. De apostata enim angelo scriptum est, cum bonis seminibus zizania fuisset injecta : « Inimicus homo hoc fecit. » Et de susurrone clamant Proverbia : « homo apostata, vir inutilis in omni tempore jurgia seminat. »

Remedium autem contra hoc malum illud erit potissimum, si a societate fratrum zizaniator hujusmodi maturius excludatur : « Cum enim defecerint ligna, ait Salomon, exstinguitur ignis, et susurrone detracto jurgia conquiescunt » Quantum vero supplicium talibus struatur, tenui quidem verbo, sed gravi sententia idem Sapiens explanavit, cum protulit : « Semper jurgia quærit malus ; angelus autem crudelis mittetur contra eum. »

Cap. XXX.— *Qualiter pax præsentis Ecclesiæ perfecta non sit.*

Per ea, quæ in continenti capitulo decursa sunt, ecce videre vacat quænam illa sint quibus ei generalis Ecclesiæ et particularis in Christo societatis consueverit profanari concordia. Cum igitur ecclesiasticæ pacis tranquillitas tantis infestationibus perturbetur, licet in comparatione pacis Babylonicæ quodammodo beata sit, absolute tamen grata, nec beata est nec perfecta, contra quam tot laquei expansi sunt, tot objecta scandala, tot insidiæ, tot calumniæ oblatrantes, sicut vulgatum est in Proverbiis, quia « in medio laqueorum ingredieris, et super dolentium arma ambulabis. » Et sursum post aliqua : « Cave tibi, et diligenter attende auditui tuo,quoniam cum subversione tua ambulas. » Quantus nempe Matris Ecclesiæ in hac pace timor est ! quanta mœstitia de exeuntibus, timor de exituris !

Sed et illud accedit ad cumulum, quod « militia est vita hominis super terram, » in his certe, qui diversorum præliorum docibiles, assidui adversus aereas belligerant potestates ; quæ omnia pacem istam constituunt non solum turbidam, sed et fructuosam.

Cap. XXXI. — *De perfectissima pace supernæ Jerusalem.*

Exspectanda est itaque et suspiranda pax alia Jerusalem dico non istius,quæ peregrinatur in via, sed illius, quæ regnat in patria, in qua nec ab extra incursio, nec ab intra seditio formidatur. Ad cujus Jerusalem pacem refertur quidquid in pace præsentis Ecclesiæ geritur. In ista enim pace sunt merita: in illa fructus repositus meritorum. Cujus pacis visionem vir timoratus David optavit, cum dixit : « Videas filios filiorum tuorum pacem super Israel. » Quam et Petrus credentibus desiderabat dicens : « Gratia vobis et pax adimpleatur. » De qua et psalmus, supernæ civitatis laudes modulans, proponebat : « Qui posuit fines tuos pacem. » Pro qua et Sapiens de martyribus loquens ait : » Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. » Hanc etiam mansuetis David promittit dicens : « Mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.» Ad cujus pacis statum pertinere cognoscitur, quod Sion Dominus pollicetur, quia, inquit, « non adjiciet ultra,ut transeat per te incircumcisus et immundus. » Et iterum per Joelem : « Erit Jerusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius. »

Hunc etiam pacis statum recte notat Evangelium, quod post resurrectionem Domini pisces multos grandesque conclusit, et tamen scindi nullo modo potuit. A quibus testimoniis nec illud discrepat, quod beati Jobi verba sonant : « Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requierunt fessi robore, et quondam vincti pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris. Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo. » Quam perfecta igitur et beata pax illius Jerusalem, ubi libertas sine dominatione, societas sine dissensione, quies sine solicitudine, unanimitas illic individua, securitas imperterrita, tranquillitas inturbata. Ibi absque timore gaudium perpetuum ac plenissimum possidetur. Nemo enim ibi erit, pro quo tristari oporteat : nemo intrat, de quo ambigi expediat vel timeri.Immensissimis namque inter electos et reprobos jacentibus spatiis, et chao magno firmato per medium, sicut per illos istorum nequibit purgari miseria, sic et per istos illorum non poterit felicitas inquinari.

Hæc de bono pacis non pro rei magnitudine, sed ingenii facultate digessimus Propositi ergo tractatus cursum his finibus compescentes, jam et stylo signaculum, et ori silentium imprimamus.

ADDENDA.

(Col. hujus voluminis 1147, post Wilhelmi Hirsaugiensis Constitutiones).

SANCTI WILHELMI

ABBATIS HIRSAUGIENSIS

PRÆFATIO IN SUA ASTRONOMICA [1].

(Circa an. 1073.)

[Edidit R. P. Bernardus Pez, *Thes. anecdot. noviss.* tom. V, parte I, pag. 259.]

Divini operis quadam die completa synaxi, optatæ quietis gratia secretiorem locum petii, ubi meipsum mihi ante oculos mentis ponere, et miserabilis vitæ superfluitatem quasi judiciaria districtione examinare liceret. Discussa ergo mox qualitate, multa in me reprehensibilia, multa mœrore et luctu dignissima, multa sane prava et aspera, viæque Domini minus composita deprehendi, inter quæ speciale doloris augmentum [*f.* argumentum], cæterisque passionum oneribus quodammodo gravius illud occurrit animo, quod nescio qua violenti divini nutus potentia coactus, ad totius quidem quadruvii, maxime autem ad astronomiæ studium me penitus contulerim : et quod interim, dum in eadem disciplina mihi soli laborare proposueram, inopinata quorumdam, etiam peritissimorum, inquietarer frequentia: quodque, dum his singulis a me ut ad ipsam artem introducantur, exigentibus, obedire studuerim, non solum a supernæ contemplationis celsitudine, sed et a debito quotidiano servitutis Dei gradu me viderim dejectum.

Itaque cum hæc mecum anxia pervolverem sollicitudine, charissimus et valde unicus mihi O [*alia manus notat* : Otochus] superveniens, meque solitæ dilectionis intuens alacritate, continuo tristitiæ causam inquirit. Cui ego rem fateri metuens, eo quod ipse primus secreti mei delator ad publicam prædictæ artis occupationem potenti flamma, utpote intima sibi devinctum charitate maxime incenderit, ambage quadam dissimulare, et ab eo abscondere tentavi. Sed quia rei veritatem subita et extra abundantiam cordis ficta similitudine coram sapiente [abscondere] difficile est. ille mox sentiens, et fraudis arguens, amica cœpit importunitate, quid haberem, quærere, et ne multis morer, consueta tandem charitatis violentia verum extorsit. Qui cognita re statim subridens ait : « In hac fluctuatione tua, charissime, tacitus considero qualiter antiquus coluber, ad omnia semper cœlestis gratiæ munera invidiæ venenis inficiendum oberrans, hæc quoque nobis divinitus donata violandum arrepserit. Me enim jam diu opportunum tempus ad id quærere præsentiens, ut ea quæ in eadem arte mira et ab humana subtilitate usque modo indeprehensa Deus tibi revelavit, jucundissima collatione perdiscerem, et omnia litteris commendari, sicque communi studiosorum usui transfundi darem consilium, contra ipsius propositi intentionem huc post te modo venientem calliditate sua præoccupavit sub pretextu religionis innocentiæ tuæ volens suggerere, quatenus Dominicam pecuniam humo malles infodere, quam humanis profectibus multiplicandam tradere. Quin age, et errorum ejus sinuamine virilis constantiæ orbita transito, sæpe propositum dialogi cursum aggrediamur : quem ego, si jusseris ita, ut hodie Deo inter nos medio consummatus fuerit, divina item annuente gratia scriptis exponam : sicque et diuturnæ desiderii mei satisfaciam exspectationi, et theoreticæ, quam totus intendis, securitati reddam expeditum. Quia enim illas vere mirandas adinventiones tuas probabilibus jam deformasti instrumentis, si easdem litteris quoque exprimi feceris, maximam studiosorum gratiam et beneplacitam pro sancta quiete veniam ipsorum dignam mereberis. »

Memini, inquam, te, charissime frater, hoc mihi salubre antea dedisse consilium. Sed quia præsens ætas inter innumeras vitiorum furias maximam patitur invidiam, timui, fateor, ne si tantæ res, utpote ab antiquis philosophis pro difficultate sui aut intactæ aut tactæ et in dubio relictæ, aut tactæ et tractatæ, sed minus cauta probatione finitæ, sub persona vilitatis meæ proferantur, quibusdam fastidio sint, non studio, et magis depravatæ quam veræ

(1) Exstant in coævo fere codice Emmerammensi, sed sub finem mutila.

deprehensæ temere ab eis judicentur, præsertim cum nobis monachis nihil liberalis scientiæ præter Psalterium licere asserant.

Tunc ille : « Quid tu, ait, eorum vel ullam facis mentionem, qui inimicis crucis Christi nil putant auctorale, nisi quod ipsi secundum se statuunt, volentes lucem professionis nostræ, sanctissimorum Patrum jubare ortam, caliginosa dogmatis sui mutatione obfuscare? Nam si Psalmorum sola nobis peritia sufficiat, unde, quæso, Vetus et Novum Testamentum, unde Vita Patrum, unde Collationes Patrum, unde Dialogum Gregorii, aliosque ex præcepto sancti Benedicti per annuum circulum legendos codices intelligere poterimus? Nonne summus ille post apostolos Ecclesiæ plantator Hieronymus in homiliis et expositionibus suis sæpius eisdem usus, hujus venæ metallum purissimæ divini eloquii massæ conflat? Si dulcisonus ille cœlesti verbi tubicen Gregorius dialecticæ artis expers in universali rerum essentia triplicem vim animæ ignorasset, quid de illo Evangelio : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, » æque jucundum intonuisset? Exponens namque ait : « Lapides sunt, sed nec vivunt nec sentiunt. Arbusta sunt : vivunt quidem, sed non sentiunt. Bruta animalia sunt: vivunt, sentiunt, sed non discernunt. Angeli sunt : vivunt, sentiunt et discernunt. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet enim commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Si igitur commune habet aliquid cum omni creatura homo juxta aliquid omnis creatura homo. Omni ergo, creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homini prædicatur. » Licet nimirum et vere decet nos sæcularem philosophiam investigando aurum in luto quærere. Ægyptum spoliare, odoriferos fructus in spinis carpere, si tamen effossum tibi metallum ad purgatissimum sacri eloquii thesaurum transferamus; si evulsa tibi plantaria inter pigmentiferas arbores agri pleni, quem benedixit Dominus, decenti ordine conseramus. Et si profana illorum, quos dicis, eo usque prorumpat insania, ut sacrosanctam tantorum virorum ideo, quia monachi fuerant, auctoritatem nauseant, validiore adhuc ratione os eorum obstruamus, ut penitus muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justitiam iniquitatem in superbia et in abusione.

Omnibus catholicis inidiotis liquido patet quia, excepto Filio hominis, qui super omnes est, in omni humana propagine, illo protoplasto Adam nihil unquam sanctius fuerit nec erit, scilicet qui ante transgressionem bonum naturaliter sciens, malum nesciebat. Siquidem tantæ erat sanctitatis, ut, postquam illo in hujus mundi exsilio procul dubio pro culpa damnato, ingenita menti ejus puritas a posteritatis ipsius malignitate cœpit depravari, pius factor dolens ab originali divinæ rationis dignitate facturam suam denobilitare, primo patriarchas, deinde lege ex prophetis, novissime proprio Filio suo et

A ejus Evangelio, signis et prodigiis ejus, discipulorumque ejus, nec non omnium Ecclesiæ doctorum verbis et exemplis ad id humanum genus provocaverit, quatenus cœlestem vitalis spiraculi et similitudinis Dei sublimitatem hæreditaria animi virtute velit repossidere. Verum etiam cujus innatam sanctitatem imitari debemus, physicum quoque scientiæ ejus acumen studio, quo possumus, sequi non solum licet, sed et omnibus, qui practice viventes talentum ingenii a Domino consecuti sunt, ab hoc exercitio subsistere fas non est.

Videamus autem si sapientiæ ejus plenitudini hæc de qua agimus disciplina defuerit in libro Collationum, qui maximæ auctoritatis habetur, ita scriptum est: « Ab illa vera physicæ philosophiæ disciplina B homines exciderunt, quam primus homo ille, qui universarum naturarum institutionem e vestigio subsecutus est, potuit evidenter attingere, et suis posteris certa ratione transmittere, quippe qui mundi ipsius infantiam adhuc teneram et quodammodo palpitantem rudemque conspexerat: et in quem tanta fuit non solum sapientiæ plenitudo, sed etiam gratia prophetiæ divinæ illa insufflatione transfusa, ut non solum omnigenarum bestiarum atque serpentium furores virusque discerneret, sed etiam virtutes herbarum et arborum lapidumque naturas, ac temporum necdum expertorum vicissitudines partiretur, ita ut potuerit efficaciter dicere : « Dominus dedit « mihi eorum quæ sunt scientiam veram, ut sciam C « dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem « temporum, vicissitudinum immutationes et divi« siones temporum, annorum cursus et stellarum « dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum, « vim spirituum et constitutionem hominum, diffe« rentias arborum et virtutes radicum, et quæcun« que sunt abscondita, in promptu cognovi. » Ecce ex quam limpidissimo fonte nos [ad] totius quadruvii disciplinam per naturale ingenium quasi per quædam spiramina etiam inviti attrahimur! Ideoque omnibus, qui maligna loquuntur, plane confusis, in nomine ejus, qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat, astronomiam nostram proposito dialogicæ confabulationis itinere percur-D ramus.

Tum ego validissimis, inquam, assertionibus me, frater dilectissime, et contra adversarios animasti, et ne jussis tuis ultra resistere audeam, potenter obligasti. Sed ea mercede obtempero, ut, quia ego figuris adhuc et pluribus instrumentis ad ista pertinentibus graviter occupandus sum, tu collationem nostram litteris, quemadmodum promisisti, replicatam expedias, etc.

Incipit Opus.

Igitur a solstitiis et æquinoctiis ordo adinventionum nostrarum sumit exordium, quia hominum adhuc naturalem terminum ignorans, multa fateor, etc.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM

QUÆ IN OPERIBUS B. LANFRANCI CONTINENTUR.

Revocatur lector ad numeros crassiores in textu positos. — Littera V, *numerum præcedens Vitam B. Lanfranci significat,* A *vero Appendicem.*

A

B

C

K

L

M.

N.

O

Q

R

T

U

V

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

B. LANFRANCUS CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

HERIMANNUS METENSIS EPISCOPUS.

THEODORICUS S. AUDOENI MONACHUS.

GUIDO ABBAS FARFENSIS.

HERIMANNUS METENSIS EPISCOPUS.

THEODORICUS S. AUDOENI MONACHUS.

GUIDO ABBAS FARFENSIS.

ARIBO SCHOLASTICUS.

HENRICUS CLERICUS POMPOSIANUS.

ROBERTUS DE TUMBALENA, ABBAS S. VIGORIS.

GERARDUS II CAMERACENSIS EPISCOPUS.

RAYNALDUS I REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

JOANNES COTTO MUSICUS.

FINIS TOMI CENTESIMI QUINQUAGESIMI.

Atrebati. — Ex typis Societatis dictæ *du Pas-de-Calais*. — P.-M. LAROCHE, dir.